

BIBLIOTECA

DE

AUTORES CRISTIANOS

Declarada de interés nacional

EDITA AUSPICIIS ET INSPIRATIONE PONTIFICIAE UNIVERSITATIS SALMANTICENSIS

CUIUS DELEGATIO APUD B. A. C. IN
HOC SALUTIS MILLESIMO NONGEN-
TESIMO SEXAGESIMO QUARTO ANNO,
SIC EST CONSTITUTA:

PRAESES:

Excimus. et Revmus. Dom. Dr. Fr. FRANCISCUS BARBADO
VIEJO, O. P., *Episcopus Salmanticensis, Magnusque Ponti-
ficiae Universitatis Cancellarius (nuper obitus).*

VICEPRAESES: Illmus. Dom. Dr. LAURENTIUS TURRADO, *Rec-
tor Magnificus.*

VOCALIS: R. P. Dr. ALOYSIUS ARIAS, O. S. A., *Decanus
Facultatis Theologiae*; R. P. Dr. MARCELLINUS CABRE-
ROS, C. M. F., *Decanus Facultatis Iuris*; R. P. Dr. PELAGIUS
DE ZAMAYÓN, O. F. M. C., *Decanus Facultatis Philoso-
phiae*; R. P. Dr. IULIUS CAMPOS, Sch. P., *Decanus Faculta-
tis Humanitatum Classicarum*; R. P. Dr. ANTONIUS GAR-
MENDIA DE OTAOLA, S. I., *Decanus Sect. Paedagogiae*;
R. P. Dr. MAXIMILIANUS GARCÍA CORDERO, O. P., *Cathe-
draticus Scripturarum Sacrarum*; R. P. Dr. BERNARDINUS
LLORCA, S. I., *Cathedraticus Historiae Ecclesiasticae.*

SCRIBA SIVE SECRETARIUS: Dom. Dr. ALOYSIUS SALA BA-
LUST, *Professor.*

LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. APARTADO 466
MATRITI • MCMLXIV

PATRES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM THEOLOGICARUM
IN HISPANIA PROFESSORES

SACRAE THEOLOGIAE SUMMA

Iuxta Constitutionem Apostolicam
“Deus scientiarum Dominus”

II

SACRAE THEOLOGIAE SUMMA

INTEGRUM OPUS QUATUOR VOLUMINIBUS CONSTAT:

- Vol. I. Introductio in Theologiam. De vera religione. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura.
- Vol. II. De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante. De peccatis.
- Vol. III. De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia. De virtutibus infusis.
- Vol. IV. De sacramentis. De novissimis.

SACRAE THEOLOGIAE SUMMA

II

De Deo uno et trino. De Deo
creante et elevante. De peccatis.

AUCTORIBUS

P. IOSEPHO M. DALMAU, S. I.

IN FAC. THEOLOGICA CASTROCTAVIANENSI PROFESSORE

P. IOSEPHO F. SAGÜÉS, S. I.

IN FAC. THEOLOGICA ONIENSI PROFESSORE

EDITIO QUARTA

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS
MATRITI • MCMLXIV

1964



DI SUA SANTITÀ

N. 320544

Da' Vaticano, li 24 Aprilis 1964

Rev.mo Domine,

Quae volumina, "Sacrae Theologiae Summa" inscripta, Augusto Pontifici dono recens misisti, tuo ceterorumque huius operis auctorum nomine, non una de causa a Sanctitate Sua libenter sunt excepta.

In primis siquidem Beatissimus Pater magni pependit alacritatem vestram in illis pertractandis disciplinis, in quibus innitatur oportet recta aptaque sacerdotil candidatorum institutio et conformatio. Ac praeterea non sine peculiari animi oblectamento Ipse animadvertit, vos in hoc concesso opere, non minus eruditionis copia quam eloqui perspicuitate praestanti, eo praesertim contendisse, ut pontificia documenta, recentiora potissimum, in sua luce ponerentur, eorumque ductu ad iustam ducerentur trutinam rationes omnes quas, ad sacrae Theologiae studia quod attinet, nostra induxit aetas.

Fore igitur omnino confidit Sanctitas Sua ut clerici, hoc sacrae Theologiae pabulo a vobis praebito innutriti, "solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam" (Codex Juris Canonici, can.129).

Quamobrem ad hoc iter, quod iniistis, persequendum paterno vos adhortatus animo, Romanus Pontifex et de munere grates agit, et caelestium munerum auspiciem Apostolicam vobis vestrisque alumnis Benedictionem peramanter in Domino impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimum

J. B. Martin
Proser.

Rev.mo Patri
P. Joachim Salaverri, S.J.
In Facultate Theologica studiorum
Universitatis Commillensis Professore

NIHIL OBSTAT: DR. ANDREAS A. ESTEBAN, CENSOR. IMPRIMI POTEST: P. ALOYSIUS
GONZÁLEZ, S. I. PROV. IMPRIMATUR: † IOANNES, EP. ET VIC. GEN.
MATRITI, 6 AUGUSTI 1964

Registro núm. 4897-1964.—Depósito legal 8706-1961

I N D E X G E N E R A L I S

NOTAE THEOLOGICAE ADHIBITAE.....	3
SIGLA ET BREVIATIONES.....	4

TRACTATUS I

De Deo uno et trino

INTRODUCTIO.....	12
BIBLIOGRAFIA GENERALIS.....	14
LIBER I.—De Deo uno secundum essentiam.....	15
CAPUT I.—De possibili cognitione Dei.....	16
Articulus I.—De naturale cognitione Dei.....	16
Thesis 1. Exsistentia Dei naturali rationis lumine certo cognosci potest.....	16
Scholion. De atheismo, et de magno adulatorum numero, qui incapaces putantur cognoscendi Deum.....	23
Thesis 2. Exsistentia Dei potest scientificè et intellectualiter demonstrari.....	25
Scholion 1. De innata Dei notitia apud SS.Patres.....	33
Scholion 2. De argumento a simultaneo.....	33
Thesis 3. Etsi imperfecte, vere tamen potest mens humana cognoscere quid Deus sit, quod quidem obtinet pluribus praedicatis, non mere synonymis, ei tributis.....	34
Articulus II.—De visione Dei intuitiva.....	39
Thesis 4. Intellectus creatus ad intuitivam Dei visionem elevari potest.....	40
Scholion. De modo visionis intuitivae.....	45
Thesis 5. Visio intuitiva Dei est absolute supernaturalis....	47
Scholion. De naturali appetitu visionis intuitivae divinitatis.	51
Thesis 6. Deus est omni intellectui creato incomprehensibilis.	58

	Pag.
Scholion. Reicienda sunt systemata omnia pseudo-intuitivistica circa cognitionem Dei.....	61
CAPUT II.—De essentia Dei.....	65
Articulus I.—De essentia physica et metaphysica et de attributis transcendentalibus Dei.....	67
Scholion. De distinctione inter essentiam et attributa Dei.....	71
Thesis 7. Deus est unicus.....	73
Scholion 1. De primitivo monotheismo.....	78
Scholion 2. An pantheismus inter systemata adversa unicitati Dei computari debeat.....	79
Articulus II.—De attributis Dei quiescentibus.....	79
Thesis 8. Deus est omni perfectione infinitus.....	79
Thesis 9. Deus est simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis.....	87
Scholion. De anthropomorphismis V.T.....	94
Thesis 10. Deus est aeternus et immensus.....	96
Corollaria doctrinae catholicae de essentia Dei.....	108
Scholion 1. De personalitate Dei.....	109
Scholion 2. Deus est actus purus.....	110
CAPUT III.—De scientia Dei.....	110
Praeambulum de vita Dei in universum.....	110
Articulus I.—De subiectiva perfectione scientiae Dei.....	113
Thesis 11. Deus est intellectio subsistens infinitae perfectionis.....	113
Articulus II.—De obiecto divinae scientiae.....	117
Thesis 12. Deus est omnisciens; singillatim Deus cognoscit se ipsum, possibilia omnia et in universum res omnes de facto existentes in aliqua temporis differentia.....	117
Thesis 13. Deus cognoscit ab aeterno omnia futura libera.....	122
Thesis 14. Deus certo ac distincte cognoscit omnia contingentia conditionate futura.....	125
Articulus III.—De medio divinae scientiae.....	131
I. De specie in divina scientia.....	131
II. Corollarium. Deus omnia videt immediate in se ipsis.....	132
III. De obiecto formali divinae scientiae.....	134
IV. De medio in quo divinae scientiae.....	134
Thesis 15. Contingentia conditionate futura in nullo medio absolute connexo cum determinato extremo libertatis attingi possunt. Ideo a Deo attinguntur in eorum obiectiva veritate, sive in se ipsis.....	136
Scholion 1. Expenduntur sententiae quorundam auctorum.....	141
Scholion 2. De sensu doctrinae S.Thomae.....	142
V. Divisiones scientiae Dei.....	144
VI. De scientia Dei causa rerum.....	145

	Pag.
CAPUT IV.—De voluntate Dei.....	146
Articulus I.—De obiecto voluntatis divinae.....	147
Thesis 16. Datur in Deo perfectissima voluntas, cuius obiectum est ipse Deus et alia a se.....	147
Articulus II.—De proprietatibus divinae voluntatis.....	151
Thesis 17. Deus liberam habet voluntatem quoad alia a se.....	151
Scholion 1. De constitutivo divinae libertatis.....	154
Scholion 2. De optimismo.....	158
De divisionibus voluntatis divinae.....	158
De affectibus et perfectione morali voluntatis divinae.....	161
Articulus III.—De omnipotentia divina.....	163
Thesis 18. Deus est omnipotens, seu Deo competit potentia activa ad extra, quae ad omnia intrinsece possibilia se extendit.....	163
Scholion 1. De potentia Dei absoluta et ordinata.....	166
Scholion 2. De formali constitutivo potentiae Dei activae.....	166
CAPUT V.—De divina providentia, praedestinatione et reprobatione.....	167
Articulus I.—De divina providentia.....	168
Thesis 19. Universa quae condidit Deus providentia sua gubernat; eamque non effugiunt mala, nec physica, nec moralia.....	168
Articulus II.—De praedestinatione.....	174
Praeambulum de voluntate salvifica universali Dei.....	174
Thesis 20. Deus vult omnes homines salvos fieri; parvulis non exceptis qui sine baptismo moriuntur.....	175
Scholion. De natura voluntatis salvificae universalis Dei.....	181
§ 1. Notio, existentia et certitudo praedestinationis.....	184
Thesis 21. Admitti debet praedestinatio omnium qui salutem consequuntur; quae obiective certissima est, non autem subiective.....	184
§ 2. De causa praedestinationis.....	190
Thesis 22. Praedestinatio ad primam gratiam, et praedestinatio adaequate spectata est prorsus gratuita.....	191
Thesis 23. Praedestinatio praecise et formaliter ad gloriam consequens est absolutam praevisionem meritorum.....	194
§ 3. De praedefinitione actus salutaris.....	206
Thesis 24. Deus omnes actus salutare praedefinit; non tamen praedefinitione formali, sed generatim praedefinitione mere virtuali.....	206
Articulus III.—De reprobatione.....	210

Thesis 25. Nulla datur reprobatio antecedens, neque positiva, neque negativa.....	211
LIBER II.—De Deo trino secundum personas.....	222
CAPUT I.—De existentia mysterii Sanctissimae Trinitatis.....	222
Articulus I.— <i>Errores oppositi et doctrina Ecclesiae.....</i>	222
Articulus II.— <i>Mysterium Sanctissimae Trinitatis in Sacra Scriptura.....</i>	228
Thesis 26. Trinitas personarum in unitate essentiae divinae probatur ex N.T.	228
Scholion. De revelatione Sanctissimae Trinitatis in V.T.	251
Articulus III.— <i>Mysterium Sanctissimae Trinitatis in Traditione.....</i>	254
Thesis 27. Trinitas personarum in unitate essentiae divinae constat perpetua ac sincera Ecclesiae Traditione ante Nicaenam Synodum.....	255
Thesis 28. Sincerae et universali Ecclesiae Traditioni non obstant quae ex quibusdam scriptoribus antenicaenis obiciuntur.....	263
Thesis 29. Sincera prorsus et catholica est sententia Patrum saec.IV de consubstantialitate Trinitatis.....	270
Articulus IV.— <i>Ratio naturalis et mysterium Sanctissimae Trinitatis.....</i>	280
Thesis 30. Mysterium Sanctissimae Trinitatis, quod est mysterium stricte dictum, rationi naturali non repugnat.....	280
Appendix. Terminorum qui in Theologia trinitaria adhibentur significato.....	289
CAPUT II.—De divinis processionibus.....	291
Articulus I.— <i>Existentia processionum in divinis.....</i>	292
Thesis 31. Dantur in divinis duae processionem immanentes. Scholion. De prioritatem et posterioritate in divinis.....	295
Thesis 32. Solus Pater in divinis non procedit; unde notio «Ingeniti» illi propria est.....	297
Thesis 33. Filius seu Verbum procedit a Patre per veram generationem.....	301
Thesis 34. Spiritus Sanctus, non quidem per generationem, vere tamen a Patre et Filio aeternaliter procedit.....	306
Scholion. De additione particulae «Filioque» in Symbolo.....	319
Thesis 35. Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio tanquam ex uno principio et unica spiratione.....	319
Articulus II.— <i>De principio formali divinarum processionum.....</i>	324
Thesis 36. Filius seu Verbum procedit per intellectum.....	326
Thesis 37. Verbum procedit per se et formaliter ex scientia Dei necessaria; ex scientia vero contingenti non nisi concomitanter.....	333
Thesis 38. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem.....	336

Thesis 39. Principium quo proximum in divinis processionibus est intellectus et volitio.....	341
Thesis 40. Ratio cur processio Verbi est generatio, non autem processio Spiritus Sancti, ex principio formali, intellectu et voluntate, utriusque processionis desumi debet.....	347
Articulus III.— <i>De originibus seu actibus notionalibus.....</i>	353
CAPUT III.—De divinis relationibus.....	356
Articulus I.— <i>Existentia relationum in divinis.....</i>	356
Thesis 41. Dantur in divinis relationes reales originis ad intra.	356
Thesis 42. Relationes divinae quatuor numerantur; e quibus tres sunt realiter entitative inter se distinctae.....	362
Scholion. An identitas, similitudo et aequalitas inter divinas personas sint relationes reales.....	365
Articulus II.— <i>De distinctione inter relationes et essentiam divinam.....</i>	366
Thesis 43. Inter essentiam divinam et relationes nulla datur distinctio realis, sed tantum virtualis, seu rationis ratiocinatae.....	366
Scholion 1. De distinctione virtuali intrinseca.....	372
Scholion 2. An natura divina sit de essentia relationum, ac relationes vicissim sint de essentia naturae.....	374
Articulus III.— <i>De quidditate relationis divinae.....</i>	375
Thesis 44. Relationes divinae formaliter perfectionem dicunt, etiam secundum esse ad.....	376
Scholion 1. De natura perfectionis quam dicunt relationes divinae.....	380
Scholion 2. Quomodo contineantur perfectiones relativae in essentia divina, et consequenter ipsae perfectiones relativae aliae in aliis.....	382
Scholion 3. An relationes divinae sint transcendentales, an praedicamentales.....	382
CAPUT IV.—De divinis personis.....	384
Articulus I.— <i>Conceptus personae in divinis.....</i>	388
Articulus II.— <i>De constitutivo personae in divinis.....</i>	388
Thesis 45. Personae divinae constituuntur formaliter relationibus, et quidem secundum esse ad.....	388
Scholion. De subsistentia in divinis.....	394
Articulus III.— <i>Conferuntur relationes et personae divinae cum originibus seu actibus notionalibus.....</i>	397
A. Comparatio relationum cum originibus, ubi de ratione fundandi in divinis relationibus.....	398
B. Conferuntur origines cum personis, ubi quaestio an personae magis proprie dicantur constitui relationibus quam originibus.....	399

	<u>Pag.</u>
Thesis 46. Personae divinae non constituuntur originibus praecise conceptis.....	400
Scholion. De constitutivo personae Patris.....	401
Articulus IV.— <i>De spiratore et spiratione activa complementa</i>	402
A. An relatio spirationis activae pertineat ad principium quod spirationis.....	404
B. De constitutivo spiratoris, seu principii quod productionis Spiritus Sancti.....	406
C. Conferuntur origo et relatio spirationis activae.....	406
Articulus V.— <i>De circuminsessione divinarum personarum</i>	407
CAPUT V.— <i>De missionibus divinarum personarum</i>	409
Articulus I.— <i>De Trinitate personarum in ordine ad operationes ad extra</i> . Thesis 47. Operationes ad extra communes sunt tribus per- sonis; recte tamen aliae aliis personis appropriantur.....	410
Scholion 1. Praecipuae appropriationes.....	415
Scholion 2. De significatione vocis «Deus».....	416
Scholion 3. De cultu personarum Sanctissimae Trinitatis....	417
Articulus II.— <i>De missionibus divinis in universum</i>	418
Thesis 48. Personae procedentes vere et proprie mitti dicun- tur.....	418
Scholion. Divisiones missionum.....	421
Articulus III.— <i>De missione invisibili Spiritus Sancti</i>	422
Thesis 49. In iustificatione Spiritus Sanctus mittitur ad inha- bitantum in anima iusti.....	422
Scholion. De ratione formali inhabitationis Spiritus Sancti... Thesis 50. Inhabitatio in anima iusti communis est tribus personis; Spiritui vero Sancto iure appropriatur.....	426
Scholion. De relationibus in iusto exortis in sanctificatione... Appendix. De duplici, ut aiunt, theologia trinitaria, latina et graeca.....	428
	434
	435

TRACTATUS II

De Deo creante et elevante. De peccatis

INTRODUCTIO.....	445
BIBLIOGRAPHIA GENERALIS.....	450
LIBER I.— <i>De creatione mundi in genere</i>	448
CAPUT I.— <i>De mundi origine</i>	448
Articulus I.— <i>De mundi effectione</i>	448
[†] Thesis 1. Mundus creatus est a solo Deo.....	448
Scholion 1. De natura actionis creativae.....	471
Scholion 2. Mundus creatus est a tribus Personis divinis ut uno principio.....	473
Articulus II.— <i>De impotentia creandi in ente finito</i>	474
[†] Thesis 2. Ens finitum ut causa principalis creare non potest.. Scholion. Potest aliqua creatura ut causa instrumentalis creare?.....	474
	481
Articulus III.— <i>De causa mundi exemplaris</i>	483
Thesis 3. In Deo Creante est idea mundi, seu huius causa exemplaris prima, quae est ipse Deus.....	483
Scholion. De ratione ideae exemplaris mundi in Deo.....	488
Corollarium 1. Idea exemplaris mundi, non tamen huius creatio, est necessaria et aeterna.....	490
Corollarium 2. Creaturae in suis rationibus participant vi- tam divinam.....	490
Corollarium 3. Idea omnium rerum existunt in Verbo Dei. Corollarium 4. Res eatenus sunt verae, quatenus ideis divi- nis adaequantur.....	490
Articulus IV.— <i>De libertate Dei in creando mundo</i>	491
Thesis 4. Mundus a Deo creatus est libere.....	491
Articulus V.— <i>De creatione mundi in tempore</i>	500
[†] Thesis 5. Mundus creatus est in tempore.....	500
Scholion 1. Repugnat creatio mundi ab aeterno.....	508
Scholion 2. Post creationem initialem creatur aliquid in mundo?.....	510
CAPUT II.— <i>De causa finali creationis</i>	512
[†] Thesis 6. Finis ultimus Dei creantis mundum est bonitas divina ut communicanda et glorificanda; finis ultimus operis seu mundi est bonitas divina ut participanda et glorificanda.	512

	<u>Pag.</u>
Corollarium 1. De gloria Dei extrinseca de facto obtinenda per creationem.....	526
Corollarium 2. De perfectione morali hominis ex ultimo fine.....	526
Corollarium 3. De studio gloriae Dei procurandae.....	527
Corollarium 4. De humano progressu artistico et scientifico respectu finis ultimi.....	527
Scholion 1. De homine fine proximo mundi materialis.....	538
Scholion 2. De fine creationis in ordine supernaturali.....	530
Scholion 3. De Christo fine proximo totius creationis.....	531
Scholion 4. De Dei repraesentatione in omnibus creaturis per similitudinem.....	533
CAPUT III.—De executione providentiae divinae.....	536
Articulus I.— <i>De conservatione mundi</i>	536
✓Thesis 7. Mundus conservatur positive, directe, immediate, in suo esse a Deo.....	536
Scholion 1. Concurrunt creaturae ad conservationem mundi?	542
Scholion 2. De mente S. Thomae circa divinam universalem conservationem.....	543
Scholion 3. De connexionione inter actum creativum et actum conservativum.....	544
Scholion 4. Annihilat Deus aliquid?.....	544
Articulus II.— <i>De concursu immediato Dei</i>	545
Thesis 8. Deus concurrat physice et immediate cum creaturis agentibus.....	545
Corollarium. De dependentia creaturae a Deo.....	553
Scholion. De Bañezianismo et Molinismo ante concursum mediatum.....	556
Articulus III.— <i>De mundi gubernatione</i>	557
Scholion. De dominio Dei in creaturas.....	559
LIBER II.—De angelis.....	557
CAPUT I.—De angelorum creatione.....	560
Articulus I.— <i>De existentia angelorum</i>	560
Thesis 9. Exsistunt angeli.....	560
Scholion. Doctrina de angelis apud iudaeos ante exsilium...	565
Articulus II.— <i>Ulteriores quaestiones de existentia angelorum</i> . Quot sunt angeli? Suntne angeli inter se distincti? Saltem primi angeli qui exsisterunt facti sunt a Deo ex nihilo. Creati vero sunt singuli immediate a Deo?.....	566
CAPUT II.—De natura angelorum.....	570
Articulus I.— <i>De spiritualitate angelorum</i>	570
Thesis 10. Angeli sunt spiritus puri.....	570

	<u>Pag.</u>
Articulus II.— <i>Asserta quaedam circa angelorum spiritualitatem</i> . Angeli sunt essentialiter simplices. Angeli sunt natura sua incorruptibiles. Angelus est aliquo loco intrinseco (divisibili vel indivisibili).....	579
CAPUT III.—De proprietatibus angelorum.....	581
Articulus I.— <i>Asserta quaedam de intellectu angelico</i> . Angeli perfectione cognitionis homines superant. Virtus intellectiva angeli. Medium cognitionis angelicae. Modus cognoscendi angelicus. Obiectum cognitionis angelicae materiale.....	582
Articulus II.— <i>De cognitione secretorum cordium</i>	584
Thesis 11. Angeli secreta cordium nequeunt cognoscere naturaliter ac certo.....	584
Articulus III.— <i>De cognitione futurorum liberorum</i>	587
Thesis 12. Angeli futura libera cognoscere nequeunt naturaliter et certo.....	587
Corollarium 1. Angeli nequeunt cognoscere naturaliter entia intrinsece et simpliciter supernaturalia.....	588
Corollarium 2. Angeli nequeunt cognoscere naturaliter mysteria Dei supernaturalia.....	589
Articulus IV.— <i>De voluntate angelica, naturaliter considerata</i> . Angeli habent voluntatem liberam.....	589
Articulus V.— <i>De potentia executrice angelorum</i> . Angelus potest se movere de loco in locum. Angelus potest alios spiritus movere. Angelus potest movere corpora. Angelus potest miros effectus corporeos producere. Angelus potest assumere corpora. Angelus potest facere miraculum.....	591
Articulus VI.— <i>De mutuo angelorum commercio</i> . Angeli loquuntur inter se. Datur illuminatio angelica.....	592
CAPUT IV.—De conditione morali angelorum.....	594
Articulus I.— <i>De elevatione angelorum ad gratiam sanctificantem</i>	594
Thesis 13. Angeli gratia sanctificante ornati sunt.....	594
Scholion 1. Angeli acceperunt gratiam sanctificantem in ipso momento creationis.....	599
Scholion 2. Angeli se disposuerunt per gratiam actualem ad gratiam sanctificantem.....	599
Scholion 3. Angeli acceperunt gratiam et actualem et sanctificantem secundum diversam eorum perfectionem naturalem.....	599
Scholion 4. Angeli boni vitam aeternam obtinuerunt.....	600
Scholion 5. Angeli suam beatitudinem meruerunt.....	600
Scholion 6. Quando angeli beatitudinem receperunt.....	601
Articulus II.— <i>De lapsu plurium angelorum</i>	601
Thesis 14. Plures angeli peccarunt graviter.....	601
Corollarium. Angeli peccantes non fuerunt creati in beatitudine.....	603

	Pag.
Scholion 1. Numerus angelorum peccantium fuit ingens.....	604
Scholion 2. Peccatum angelorum fuit gravissimum.....	604
Scholion 3. Peccatum diaboli fuit superbiae.....	604
Scholion 4. Angelis peccantibus non datum est tempus penitentiae.....	605
Scholion 5. Unde potuerint angeli peccare.....	606
Articulus III.— <i>De damnatione angelorum peccantium</i>	607
Thesis 15. Angeli peccantes in aeternum damnati sunt.....	607
Scholion 1. De angelis malis.....	606
Scholion 2. Angeli mali iam nunc sustinent poenam inferni.....	609
Scholion 3. De statu viae angelorum.....	610
CAPUT V.— <i>De angelis bonis in eorum relationibus externis</i>	681
Articulus unicus.— <i>De angelis custodibus</i>	611
Thesis 16. Angeli sunt ex missione ordinaria custodes hominum.....	611
Scholion 1. Singuli homines habent singulos angelos custodes. Etiam regnis assignatur angelus custos. Ecclesia catholica habet angelum custodem. Etiam ecclesiae particulares habent angelos custodes.....	617
Scholion 2. De duratione custodiae angelicae.....	619
Scholion 3. De effectibus custodiae angelicae.....	619
Scholion 4. Angeli creaturis irrationalibus aliquo modo praesident.....	619
Scholion 5. Quinam angeli in ministerium hominum vel in genere in mundum sensibilem mittuntur?.....	619
Scholion 6. De cultu angelorum.....	620
CAPUT VI.— <i>De angelis malis in eorum relationibus externis</i>	620
Articulus I.— <i>De tentatione diabolica</i>	620
Thesis 17. Daemones tentationibus homines infestant.....	620
Scholion 1. Tentationes possunt esse diversae.....	625
Scholion 2. Daemones inferiores a superioribus mittuntur ad tentandos homines.....	625
Articulus II.— <i>De obsessione diabolica</i>	627
Thesis 18. Daemones obsessione homines infestant.....	627
Scholion 1. Signa obsessionis.....	632
Scholion 2. Fines Dei in permittenda obsessione.....	634
Scholion 3. Possessio moralis.....	634
Articulus III.— <i>De magia</i>	635
Thesis 19. Magia existit.....	635
Scholion. De Magnetismo, Hypnotismo, Spiritismo.....	639
LIBER III.— <i>De natura hominis</i>	641
CAPUT I.— <i>De origine corporis humani</i>	641
Articulus I.— <i>De creatione protoparentum quoad corpus</i>	641

	Pag.
Thesis 20. Protoparentes conditi sunt quoad corpus a Deo immediate.....	641
Corollarium. De prudentia in hac quaestione.....	664
Scholion. De S. Augustino et transformismo.....	664
Articulus II.— <i>De origine generis humani</i>	665
Thesis 21. Totum genus humanum procedit ab Ada et Heva.....	665
Scholion 1. De unitate speciei humanae scientificè sumpta.....	680
Scholion 2. De antiquitate generis humani.....	681
CAPUT II.— <i>De proprietatibus animae humanae</i>	683
Articulus I.— <i>De animae unitate</i>	683
Thesis 22. In homine est anima una et quidem rationalis.....	683
Scholion 1. De individualitate animae humanae.....	693
Scholion 2. De spiritualitate animae humanae.....	694
Corollarium. Anima humana est simplex.....	695
Articulus II.— <i>De immortalitate animae</i>	695
Thesis 23. Anima humana immortalis est.....	695
Scholion. De immortalitate animae in libris V.T. ante exsilium scriptis.....	705
CAPUT III.— <i>De unione animae et corporis</i>	707
Articulus I.— <i>De unione animae et corporis in unam naturam</i>	707
Thesis 24. In homine anima et corpus uniuntur in naturam.....	707
Scholion 1. Anima et corpus uniuntur in unam personam.....	714
Scholion 2. Anima et corpus uniuntur in unam substantiam.....	715
Articulus II.— <i>De anima ut forma corporis</i>	716
Thesis 25. In homine anima est corporis forma vere, per se, essentialiter.....	716
Scholion 1. De unitate formae substantialis in homine.....	786
Scholion 2. De animae sede.....	728
CAPUT IV.— <i>De origine animae humanae</i>	729
Articulus I.— <i>De facto creationis animae</i>	729
Thesis 26. Anima humana creatur immediate ex nihilo et quidem a solo Deo.....	729
Articulus II.— <i>De momento creationis animae</i>	741
Thesis 27. Anima creatur cum corpori infunditur.....	741
Articulus III.— <i>De momento infusionis animae in corpus</i>	747
APPENDIX.— <i>De homine imagine Dei</i>	750
LIBER IV.— <i>De hominis elevatione</i>	758
CAPUT I.— <i>De ente supernaturali</i>	758

	Pag.
Articulus I.— <i>De notione entis supernaturalis</i>	758
Articulus II.— <i>De statibus naturae humanae</i>	767
CAPUT II.— De iustitia originali	771
Articulus I.— <i>De erroribus circa iustitiam originalem</i>	772
Articulus II.— <i>De gratia sanctificante Adae concessa</i>	779
Thesis 28. Adam ante peccatum ornatus fuit gratia sanctificante.....	779
Scholion 1. Infusa est Adae gratia in ipso creationis momento?.....	787
Scholion 2. De fide Adae.....	787
Articulus III. <i>De supernaturalitate gratiae Adae</i>	788
Thesis 29. Gratia sanctificans Adae fuit supernaturalis.....	788
Corollarium 1. De capacitate Adae habituali ad actus supernaturales.....	794
Corollarium 2. De virtutibus per se infusis Adae.....	794
Articulus IV.— <i>De dono integritatis Adae concessio</i>	794
Thesis 30. Adam ante peccatum ornatus est immunitate a concupiscentia seu integritate.....	794
Corollarium 1. De capacitate Adae praeternaturali ad legem naturalem servandam.....	804
Corollarium 2. De virtutibus per accidens infusis Adae.....	804
Articulus V.— <i>De integritatis praeternaturalitate</i>	804
Thesis 31. Integritas Adae fuit praeternaturalis.....	804
Scholion 1. Quomodo obtinebatur ea immunitas a concupiscentia?.....	810
Scholion 2. De ratione boni et mali in concupiscentia habituali.....	811
Scholion 3. De pudore. De eius sensu. De momento modestiae. De theologia vestis.....	813
Scholion 4. De virginitate in statu iustitiae originalis.....	814
Articulus VI.— <i>De dono immortalitatis Adae</i>	815
Thesis 32. Adam ante peccatum ornatus est immortalitate..	815
Articulus VII.— <i>De immortalitatis Adae praeternaturalitate</i>	822
Thesis 33. Immortalitas Adae erat praeternaturalis.....	822
Scholion 1. Quomodo obtinebatur immortalitas Adae?.....	826
Scholion 2. De ligno vitae.....	826
Articulus VIII.— <i>De felicitate paradisiaca</i>	828
Thesis 34. Adam ante peccatum in magna erat felicitate externa, includente etiam dominium perfectum rerum inferiorum.....	828
Scholion 1. Felicitas externa Adae fuit praeternaturalis....	833
Scholion 2. De paradiso. De eius situ. Existit adhuc paradissus? De usu vocis 'paradisus'.....	834

	Pag.
Articulus IX.— <i>De scientia infusa Adae</i>	836
Thesis 35. Adam ornatus est scientia infusa.....	836
Scholion 1. Quando fuit scientia naturalis Adae infusa.....	841
Scholion 2. Qualis fuit scientia infusa Adae?.....	841
Scholion 3. De ambitu scientiae infusae Adae.....	842
Scholion 4. Potuit Adam errare?.....	842
Scholion 5. De aptitudine Adae ad discendum.....	843
Scholion 6. Quid ex scientia Adae transmitteretur posteris eius simul cum aliis donis iustitiae originalis?.....	843
Scholion 7. De origine linguae.....	843
Articulus X.— <i>De conditione posterorum Adae in statu iustitiae originalis</i>	844
Articulus XI.— <i>De possibilitate status naturae purae</i>	848
Thesis 36. Status naturae purae est possibilis.....	848
Corollarium. De utilitate conceptus naturae purae.....	856
LIBER V.—De peccatis	857
CAPUT I.— Generalia de notione peccati	858
CAPUT II.— De peccato gravi personali	863
Articulus I.— <i>De peccati actualis gravis existentia ac natura</i>	863
Thesis 37. Peccatum grave actuale est actus perfecte liber contra legem divinam, quo homo se avertit a Deo et se convertit ad creaturam.....	863
Scholion 1. De peccato mortali ut est contra legem divinam.....	876
Scholion 2. Peccatum mortale constat ex elemento positivo et ex privatione.....	877
Scholion 3. Peccatum mortale actuale formaliter consistit in aversione voluntaria a Deo fine ultimo.....	879
Articulus II.— <i>Aliquae quaestiones de peccato actuali gravi</i> . De peccato pure philosophico. De mortalis peccati malitia. De peccato gravi ut offensa Dei. De diversitate gravitatis peccatorum mortalium. De diversitate specifica peccatorum mortalium. De causis peccati mortalis.....	879
CAPUT III.— De effectibus peccati actualis gravis	892
Articulus I.— <i>De peccato habituali mortali</i> . Notio. Existit peccatum habituale. In quo consistit formaliter peccatum habituale? De remissione peccati gravis habitualis.....	892
Articulus II.— <i>De reatu poenali peccati mortalis</i> . De reatu poenae aeternae. De reatu poenae temporalis. De poena concomitante. De poena medicinali. De poena spirituali. De effectu peccati gravi in naturae bonis.....	897
CAPUT IV.— De peccato veniali	902
Articulus I.— <i>De peccati venialis existentia</i>	902
Thesis 38. Existit peccatum veniale.....	902

Articulus II.— <i>De natura peccati venialis</i>	908
Thesis 39. Peccatum veniale est ut actuale actus moraliter malus praeter finem ultimum, et ut habituale inordinatio moralis ex peccato veniali actuali imputabiliter permanens.	908
Corollarium. Definitio peccati venialis.....	913
Scholion 1. Peccatores reprobi possunt venialiter peccare...	913
Scholion 2. Peccata venialia sunt talia ex natura sua.....	914
Articulus III.— <i>Aliquae quaestiones de peccato veniali actuali</i> . De relatione venialiter peccantis ad ultimum finem. De fine ultimo peccati venialis actualis. Estne peccatum veniale offensa Dei? Opponitur peccatum veniale caritati? De obiecto peccati venialis qua talis. De specificatione peccati venialis qua talis. Num possit peccatum veniale fieri mortale. Num omnis imperfectio positiva sit peccatum veniale. Omne peccatum veniale inducit reatum alicuius poenae, tam damni quam sensus.....	915
CAPUT V.— <i>De peccato Adae</i>	926
Thesis 40. Adam graviter peccans praecepti divini transgressione, iustitiam originalem amisit.....	926
Corollarium. De donis amissis ab Ada.....	981
Scholion 1. De historicitate narrationis biblicae de peccato Adae.....	931
Scholion 2. Tentatio diaboli in protoparentes. Factum. Modus. Convenientia. Diabolus Hevam tentavit. Serpens tentans. Arbor scientiae boni et mali.....	931
Scholion 3. Quale fuerit peccatum protoparentum.....	933
Scholion 4. Fuit peccatum protoparentum gravissimum omnium?.....	935
Scholion 5. De possibilitate peccati protoparentum.....	936
Scholion 6. Sententia Dei in protoparentes.....	936
Scholion 7. Consideratio Adae in paradiso.....	937
CAPUT VI.— <i>De existentia peccati originalis</i>	938
Thesis 41. Existit peccatum originale, seu peccatum quod procedens a peccato Adae, inest ut verum peccatum omnibus hominibus, tamquam singulis proprium, propagatione transfusum.....	938
Scholion. Quodnam peccatum Adae imputatum est posteris? Quid si Adam peccasset, non praecise violans praeceptum speciale ei datum, sed alio peccato? Ada peccante, Heva vero non peccante, fuisset nobis peccatum originale? Quid si, Ada non peccante, peccasset aliquis ex eius filiis? Quid de Adae ante eius peccatum forte natis? Peccatum originale est unum an multiplex?.....	962
Corollarium 1. Peccatum originale non est a pluribus hominibus.....	963
Corollarium 2. Peccatum originale non est possibile nisi in ordine supernaturali.....	963

CAPUT VII.— <i>De natura peccati originalis</i>	964
Articulus I.— <i>In quo non sit formaliter peccatum originale</i>	964
Thesis 42. Peccatum originale non consistit formaliter in concupiscentia.....	964
Scholion. Peccatum originale non est formaliter ipsum peccatum actuale Adae mere extrinsecus hominibus imputatum.....	967
Articulus II.— <i>In quo sit formaliter peccatum originale</i>	968
Thesis 43. Peccatum originale consistit formaliter in gratiae sanctificantis privatione voluntaria denominative ex Adae peccato.....	968
Corollarium 1. Relatio materiae et formae in peccato originali.....	973
Corollarium 2. Non concipitur privatio gratiae vera, quin sit voluntaria ex parte hominis.....	974
Scholion 1. In quo sit essentia peccati originalis, iuxta S. Augustinum.....	974
Scholion 2. Est concupiscentia elementum materiale peccati originalis?.....	975
Articulus III.— <i>De solidaritate hominum in peccato Adae</i>	977
Thesis 44. Peccatum originale inest singulis hominibus, ex solidaritate eorum cum Ada, non mere iuridica, nec iuridico-subiectiva sive physica sive interpretativa sive morali, nec solum seminali, sed physico-mystica.....	977
Corollarium 1. Definitio peccati originalis.....	988
Corollarium 2. Consectaria ex solidaritate peccati originalis.....	988
Corollarium 3. Gratia recuperata ab Ada non transmitteretur, nec alia eius peccata, si quae forte ipse post primum commisisset.....	988
Corollarium 4. Sciebat Adam se esse eiusmodi caput hominum?.....	989
Scholion. De peccato originali relate ad Deum.....	989
CAPUT VIII.— <i>De medio propagationis peccati originalis</i>	990
Thesis 45. Peccatum originale generatione naturali propagatur, ita vero ut haec sit eius propagationis mera conditio sine qua non, peccatum vero Adae sit eius causa unica.....	990
Corollarium 1. Quis non contraheret peccatum originale... ..	998
Corollarium 2. Concupiscentia sive actualis sive habitualis est saltem conditio propagationis peccati originalis?.....	998
Corollarium 3. Potest dici anima corrumpi peccato in corpore ut in vase vitiato.....	999
Corollarium 4. Peccatum Adae est causa propagationis peccati originalis, non efficiens.....	999

	<u>Pag.</u>
CAPUT IX.—De effectibus poenalibus peccati originalis.....	1000
Articulus I.—De effectibus peccati originalis in hac vita.....	1000
Thesis 46. Homo lapsus vi solius peccati originalis quoad vires naturales voluntatis ad honeste operandum non vulneratus est intrinsece nec extrinsece.....	1000
Corollarium Homini lapsus et reparato debentur auxilia quibus possit totam legem naturalem implere sive naturalia sive in horum defectu supernaturalia.....	1010
Scholion. De vulnere ignorantiae ut effectu peccati originalis.....	1010
Articulus II.—De effectibus peccati originalis in altera vita.....	1011
Thesis 47. Decedentes cum solo peccato originali subeunt poenam damni in aeternum, nullam vero poenam sensus, nec patiuntur ullam tristitiam ex poena damni.....	1011
Scholion. Num infantes decedentes cum solo peccato originali sint naturaliter beati seu in possessione ultimi finis naturalis.....	1024
Index locorum sacrae Scripturae.....	1027
Index nominum.....	1041
Index rerum.....	1073

VOLUMEN II

De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante. De peccatis

AUCTORIBUS

P.IOSEPHO M. DALMAU, S.I.

in Facultate Theologica castroctavianensi professore;

P.IOSEPHO F. SAGÜÉS, S.I.

in Facultate Theologica omiensi professore.

NOTAE THEOLOGICAE

in hac "Sacrae Theologiae Summa" adhibitae

De fide divina: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur. Contraria, *error in fide*.

De fide divina et catholica: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Contraria, *haeresis*.

De fide divina et catholica definita: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sollemni iudicio, h.e. magisterio suo infallibili, modo extraordinario exercito, sive in concilio oecumenico sive per Romanum Pontificem ex cathedra loquentem tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Contraria, *haeresis*. (N.B. Ut verae definitiones considerantur etiam *capita* Tridentini et Vaticani.)

Fidei proxima: veritas quae unanimi fere consensu theologorum in verbo Dei scripto vel tradito continetur. Contraria, *proxima errori in fide vel haeresi*.

De fide ecclesiastica: veritas non formaliter revelata, quae per magisterium ecclesiasticum infallibiliter proponitur. Contraria, *error in fide ecclesiastica*. (N.B. Qui fidem ecclesiasticam non admittunt, aliter talem veritatem notant.)

Doctrina catholica: veritas quae in tota Ecclesia docetur, non tamen semper infallibiliter proponitur (v.c. ea quae Romani Pontifices expresse in encyclicis... docere volunt). Contraria, *error in doctrina catholica*.

Theologica certa: veritas quae in scholis theologicis certo agnoscitur tamquam necessario connexa cum revelatis; huiusmodi connexio potest esse sive virtualis sive praesuppositiva sive finalis. Contraria, *error in theologia*.

Doctrina ita tenenda, ut contraria sit temeraria: veritas proposita a Congregationibus romanis, quae tamen propositio speciali approbatione Romani Pontificis non gaudet.

Communis et certa in theologia: quae communi theologorum consensu in scholis ut bene fundata proponitur. Contraria, *falsa in theologia, temeraria*.

Probabilis, tuta: per se liquet.

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS.....	Acta Apostolicae Sedis.
ActPontAcRomSTh.....	Acta Pontificiae Academiae Romanae S. Thomae Aq. et Religionis Catholicae.
AltAbhand.....	Alttestamentliche Abhandlungen.
AmCl.....	L'Ami du Clergé.
AmerEcclRev.....	The American Ecclesiastical Review.
AnalSacraTarrac.....	Analecta Sacra Tarraconensia.
AnalSordCist.....	Analecta Sacri Ordinis Cisterciensis.
Ang.....	Angelicum.
Ant.....	Antonianum.
AnTh.....	L'Année Théologique.
Anthr.....	Anthropos.
Apoll.....	Apollinaris.
Arb.....	Arbor.
ArchHistDoctrLitMA.....	Archives d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Age.
ArchLitKirchMA.....	Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters.
ArchFrancHist.....	Archivum Franciscanum Historicum.
ArchGeschPh.....	Archiv für Geschichte der Philosophie.
ArchPh.....	Archives de Philosophie.
ArchTG.....	Archivo Teológico Granadino.
ASS.....	Acta Sanctae Sedis.
Aug.....	Augustinus.
August.....	Augustinianum.
AugMag.....	Augustinus Magister.
AustCathRec.....	Australasian Catholic Record.
BAC.....	Biblioteca de Autores Cristianos.
BeitrGPhMA.....	Beiträge zur Geschichte der Philosophie (und Theologie) des Mittelalters.
BenedMschr.....	Benediktinische Monatsschrift.
Bibl.....	Biblica.
BibLex.....	H. HAAG, Bibel-Lexikon.
BiblZeitschr.....	Biblische Zeitschrift.
BiblStud.....	Biblische Studien.
BiblVieChr.....	Bible et Vie Chrétienne.
Bijd.....	Bijdragen.
BollFil.....	Bolletino Filosofico.
Brot.....	Broteria.
BullLittEccl.....	Bulletin de Littérature Ecclésiastique.
BullThom.....	Bulletin Thomiste.
Carm.....	Carmelus.
Cath.....	Catholica.
CathBiblQ.....	The Catholic Biblical Quarterly.
CathCommHScr.....	P. ORCHARD, Catholic Commentary on Holy Scripture.
CathEnc.....	The Catholic Encyclopedia.
CathHistRev.....	The Catholic Historical Review.

Cav.....	F. CAVALLERA, S. I., Thesaurus Doctrinae Catholicae.
CE.....	CH. G. HERBERMANN et socii, The Catholic Encyclopedia.
ChicSt.....	Chicago Studies.
ChrPädBlätt.....	Christliche Pädagogische Blätter.
CIC.....	Codex Iuris Canonici.
CiencFe.....	Ciencia y Fe.
CiencTom.....	La Ciencia Tomista.
CitNouv.....	Cité Nouvelle.
CittVit.....	La Città di Vita.
CiudD.....	La Ciudad de Dios.
CivCatt.....	La Civiltà Cattolica.
CL.....	Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentiorum... Collectio Lacensis...
ClerRev.....	The Clergy Review.
CollatBrug.....	Collationes Brugenses.
CollatDioecTorn.....	Collationes Dioecesis Tornacensis.
CollatGand.....	Collationes Gandavenses.
CollFranc.....	Collectanea Franciscana.
CollMech.....	Collectanea Mechliniensia.
CollTh.....	Collectanea Theologica.
Cris.....	Crisis.
Crit.....	Criterion.
CSEL.....	Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latino-rum... Academiae... Vindobonensis.
CTr.....	Concilium Tridentinum... Ed. Societas Goerresiana.
D.....	H. DENZINGER-K. RAHNER, S. I., Enchiridion Symbolorum ²⁷ .
DACL.....	F. CABROL-H. LECLERCQ-H. MARROU, Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie.
DAFC.....	A. d'ALÈS, Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
DB.....	F. VIGOUROUX, Dictionnaire de la Bible.
DBS.....	L. PIROT-A. ROBERT, Dictionnaire de la Bible. Supplément.
Div.....	Divinitas.
DivThom (Fr).....	Divus Thomas. Freiburg i. der Schweiz.
DivThom (Pi).....	Divus Thomas. Piacenza.
DocCath.....	La Documentation Catholique.
DocComm.....	Doctor Communis.
DomSt.....	Dominican Studies.
DownRev.....	The Downside Review.
DTC.....	A. VACANT-E. MANGENOT-E. AMANN, Dictionnaire de Théologie catholique.
DublRev.....	Dublin Review.
EcclRev.....	The Ecclesiastical Review.
EcclXav.....	Ecclesiastica Xavierana.
EchOr.....	Echos d'Orient.
EIt.....	Enciclopedia Italiana di Scienze, Lettere ed Arti.
EncCatt.....	Enciclopedia Cattolica.
EncFil.....	Enciclopedia Filosofica (Gallarate).
EphCarm.....	Ephemerides Carmeliticae.

EphThLov.....	Ephemerides Theologicae Lovanienses.
ERel.....	An Encyclopedia of Religion.
Est.....	Estudios (O. de la Merced).
EstBibl.....	Estudios Bíblicos.
EstEcl.....	Estudios Eclesiásticos.
EstFranc.....	Estudios Franciscanos.
EstMar.....	Estudios Marianos.
Et.....	Etudes.
EtCarm.....	Etudes Carmélitaines.
EtFranc.....	Etudes Françiscaines.
EtPhMéd.....	Etudes de Philosophie Médiévale.
EtRech.....	Etudes et Recherches.
EunDoc.....	Euntes Docete.
EvK.....	R. FRICK, Evangelisches Kirchenlexikon.
EvolFT.....	El evolucionismo en Filosofía y Teología.
FilVi.....	Filosofía e Vita.
ForschLitDogm.....	Forschungen zur christlichen Literatur und Dogmengeschichte.
FranSt.....	Franciscan Studies.
FranzStud.....	Franziscanische Studien.
GChS.....	Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenväter-Commission der Königlichen preussischen Akademie der Wissenschaften.
GeistMitt.....	Aus der Geisteswelt der Mittelalters. Studien und Texte Martin Grabmann zur Vollendung des 60. Lebensjahres von Freunden und Schülern gewidmet (Münster 1935).
GiornMet.....	Giornale di Metafisica.
Greg.....	Gregorianum.
HeytJourn.....	The Heythrop Journal.
Hrd.....	J. HARDUINI, S. I., Conciliorum Collectio regia maxima.
IlustrCl.....	Ilustración del Clero.
Iren.....	Irenikon.
IrishThQuart.....	The Irish Theological Quarterly.
JahrbPhTh.....	Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie.
Kath.....	Der Katholik.
Kch.....	C. KIRCH, S. I.-L. UEDING, S. I., Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae ⁵ .
KL.....	J. HERGENROETER, F. KAULEN, Wetzler und Welte's Kirchenlexicon ² .
LavThPh.....	Laval Théologique et Philosophique.
Lettr.....	Les Lettres.
LThK.....	J. HÖFER-K. RAHNER, Lexikon für Theologie und Kirche.
LTK.....	M. BUCHBERGER, Lexikon für Theologie und Kirche.
Lum.....	Lumen.
LumVie.....	Lumière et Vie.
Manr.....	Manresa.
MedSt.....	Mediaeval Studies.
MélScRel.....	Mélanges de Science Religieuse.

MélThom.....	Mélanges Thomistes.
ML, MG.....	J. P. MIGNE, Patrologiae cursus completus. Series prima latina. Series graeca.
MiscAgost.....	Miscellanea Agostiniana.
MiscBibl.....	Miscellanea Biblica.
MiscCom.....	Miscelánea Comillas.
ModSch.....	The Modern Schoolman.
MonEccl.....	Monitor Ecclesiasticus.
Msi.....	J. D. MANSI, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio.
MünchThZ.....	Münchener Theologische Zeitschrift.
MünstBeitr.....	Münsterische Beiträge zur Theologie.
MussLess.....	Mussaeum Lessianum.
NewSchol.....	The New Scholasticism.
NouvRevTh.....	Nouvelle Revue Théologique.
NovVet.....	Nova et Vetera.
OnGel.....	Ons Geloof.
Or.....	Orientalia.
OrbCath.....	Orbis Catholicus.
OrCh.....	Orientalia Christiana.
OrChP.....	Orientalia Christiana Periodica.
PalCl.....	Palestra del Clero.
Pens.....	Pensamiento.
PerMorCanLit.....	Periodica de re moralj canonica liturgica.
PhGrenzwiss.....	Philosophie und Grenzwissenschaften.
PhJahrb.....	Philosophisches Jahrbuch.
PirClam.....	L. PIROT-A. CLAMER, La Sainte Bible.
PO.....	R. GRAFFIN-F. NAU, Patrologia Orientalis.
QuestBibl.....	Questioni Bibliche alla luce dell'enciclica <i>Divino afflante Spiritu</i> .
R.....	M. J. ROUET de JOURNEL, S. I., Enchiridion Patristicum ²² .
RazFe.....	Razón y Fe.
RechScRel.....	Recherches de Science Religieuse.
RechThAncMéd.....	Recherches de Théologie ancienne et médiévale.
Rel.....	Religio.
RelGeschGeg.....	H. GUNKEL, ... Die Religion in Geschichte und Gegenwart ³ .
REPT.....	J. J. HERZOG, Realencyclópädie für protestantische Theologie und Kirche.
RelCul.....	Religión y Cultura.
RevAgEspir.....	Revista Agustiniana de Espiritualidad.
RevApol.....	Revue Apologétique.
RevAscMyst.....	Revue d'Ascétique et Mystique.
RevBibl.....	Revue Biblique.
RevClerFr.....	Revue du Clergé Français.
RevDiocNam.....	Revue Diocésaine de Namur.
RevDiocTour.....	Revue Diocésaine de Tournai.
RevEcclLiège.....	Revue Ecclésiastique de Liège.
RevEcl.....	Revista Eclesiástica.
RevEclBr.....	Revista Eclesiástica Brasileira.
RevEspir.....	Revista de Espiritualidad.
RevEspDC.....	Revista Española de Derecho Canónico.
RevEspT.....	Revista Española de Teología.

RevEtAug.....	Revue des Etudes Augustiniens.
RevFil.....	Revista de Filosofia.
RevHistEccl.....	Revue d'Histoire Ecclésiastique.
RevHistLittRel.....	Revue d'Histoire et de Littérature Religieuses.
RevHistPhRel.....	Revue D'Histoire et de Philosophie Religieuses.
RevNéoscolPh.....	Revue Néo-scholastique de Philosophie.
RevNouv.....	Revue Nouvelle.
RevPhLov.....	Revue Philosophique de Louvain.
RevPortF.....	Revista Portuguesa de Filosofia.
RevQuestSc.....	Revue des Questions Scientifiques.
RevScPhTh.....	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
RevScRel.....	Revue des Sciences Religieuses.
RevThom.....	Revue Thomiste.
RevUnivOtt.....	Revue de l'Université d'Ottawa.
RivAscM.....	Rivista di Ascetica e Mistica.
RivFilNeosc.....	Rivista di Filosofia Neo-scholastica.
Sa.....	Sapientia.
SagrEscr.....	La Sagrada Escritura, BAC.
Sales.....	Salesianum.
Salm.....	Salmanticensis.
Sap.....	Sapienza.
Sc.....	Scientia.
ScAv.....	Science et Avenir.
ScEccl.....	Sciences Ecclésiastiques.
Schol.....	Scholastik.
ScSacr.....	Scientia Sacra. Theologische Festgabe zugeeignet seiner Eminenz dem Hochwürdigsten Herrn Karl Joseph Kardinal Schulte Erzbischof von Köln... (Köln 1935).
ScuoCatt.....	Scuola Cattolica.
Soph.....	Sophia.
SpicSacLov.....	Spicilegium Sacrum Lovaniense.
SThS.....	Sacrae Theologiae Summa.
Stimm.....	Stimmen (aus Maria-Laach; ab anno 1915 der Zeit).
Stud.....	Studien.
StudAns.....	Studia Anselmiana.
StudCath.....	Studia Catholica.
StudFranc.....	Studi Francescani.
StudPat.....	Studia Patavina.
StudTest.....	Studi e testi.
SyllExcerptDiss.....	Sylloge excerptorum e dissertationibus ad gradum Doctoris in Sacra Theologia vel in Iure canonico consequendum conscriptis (Lovanii).
TeolEspir.....	Teologia Espiritual.
Teor.....	Teoresi.
TextDoc.....	Textus et Documenta.
TextSt.....	Text and Studies.
ThGl.....	Theologie und Glaube.
Thom.....	The Thomist.
ThPraktQschr.....	Theologisch-praktische Quartalschrift.
ThQschr.....	Theologische Quartalschrift.

ThRev.....	Theologische Revue.
ThSt.....	Theological Studies.
ThW.....	Theologische Wörterbuch zum Neuen Testament.
TU.....	Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur.
VerbCa.....	Verbum Caro.
VerbDom.....	Verbum Domini.
VerVid.....	Verdad y Vida.
VieDioc.....	La Vie Diocésaine.
VieInt.....	La Vie Intellectuelle.
VieSpir.....	Vie Spirituelle.
VocThBibl.....	X. LÉON-DUFOUR, Vocabulaire de Théologie Biblique.
WissWeish.....	Wissenschaft und Weisheit.
XenThom.....	Xenia Thomistica.
ZAszMyst.....	Zeitschrift für Ascese und Mystik.
ZATWiss.....	Zeitschrift für alttestamentliche Wissenschaft.
ZkathTh.....	Zeitschrift für katholische Theologie.
ZMissRel.....	Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft.
ZNTWiss.....	Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde der älteren Kirche.

INTRODUCTIO

Cum S.Thomas in q.1 primae partis de ipsa sacra doctrina egisset, in prooemio q.2 ait principalem intentionem huius sacrae doctrinae esse cognitionem de Deo tradere. Id quidem tota Theologia sub lumine divinae revelationis agit; verum vel maxime tractatus *De Deo uno et trino*, qui ideo nomen Theologiae praecipue et velut antonomastice sibi vindicare potest; in eo namque non de rebus extra Deum, prout ab eo oriuntur et ad ipsum ordinem habent, neque de modo vel via ad eum perveniendi, sed de ipsa divinitate in se agendum est.

Quod si universa sacra doctrina divinam revelationem ut fontem habet, is in primis necessarius est in attingenda ipsa deitate. Multa enim sunt quae eo solo cognosci possunt, quod Deus ineffabili bonitate creaturae rationali per supernaturalem revelationem se communicare dignatus est, ea nempe quibus essentiam et vitam divinam prout in se est quoquomodo in hac vita assequi possumus et in aeterna contemplari, et quae liberam supernaturalem providentiae dispositionem attinent. Sunt quidem alia quae mens humana ex rebus creatis ad creatorem ascendens naturalis rationis lumine cognoscere potest (quod quidem ipsa revelatio docet); verum in iis etiam lumine superiore revelationis iuvare pernecessarium illi est, ac revera in revelatione continentur.

Classica est divisio tractatus de Deo ipso in duas partes, de Deo uno secundum naturam vel essentiam, et de Deo trino secundum personas, quae quidem hoc ordine tradantur. Haec autem divisio omnino retineri debet. Primo quidem, quia ordo cognoscibilitatis rerum divinarum quoad nos id postulat, cum «essentialia, ut fert principium theologicum, cognitione nostra priora sint notionalibus». Et licet plura ex illis, ut iam ratione naturali attacta in Theologia naturali praesupponi possunt, iterum de illis ex novo fonte revelationis agendum est.

Id etiam postulat revelatio quam de se ipso Deus nobis largitus est. Modo enim humanae menti accommodo prius Deus, clare saltem et explicite, ea revelavit quae ad unitatem essentiae divinae pertinent, quam quae Trinitatem personarum, altissimum essentiae et vitae divinae mysterium, attingibilem utcumque nobis facerent. Methodus ergo stricte theologica est quam tenuit traditio scholastica a S.Thoma, primum de Deo uno disputans antequam de Deo trino ageret.

Neque hoc solum, sed etiam tractatus de mysterio Sanctissimae Trinitatis necessario postulat praecognitam tractationem de Deo uno; est enim mysterium de Trinitate in unitate et de unitate in Trinitate, ut profiteamur in symbolo «Quicumque»; ac nullo pacto rectam revelationis viam incederet, sed periculum deviae speculationis non vitaret, qui in distinctionem personarum inquireret, necdum perfecta, quatenus fieri possit, mente unitatem divinam et quidquid ad ipsam pertinet recta et humili ratione et supernaturali lumine calleret.

In nova editione Enchiridii Symbolorum a P.A.Schonmetzer, S.I. (1963) parata, mutatus est numerus et ordo documentorum. Verumtamen, cum in ea prostet etiam in margine interiori paginarum antiquus numerus, non putavimus in nostro opere recedendum adhuc ab antiqua computatione; cum praesertim maxima sine dubio pars scholasticorum antiquioribus editionibus etiam nunc utantur.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Ex tractatibus de universa Theologia in v.I huius *Summae* allatis, post magnos magistros saec.XIII, peculiari ratione notamus CAPREOLUM, CAIETANUM, VALENCIA, BÁÑEZ, VÁZQUEZ, SUÁREZ, IOANNEM A S.THOMA, FRASSEN, SALMANTICENSES, BILLUART, WIRCEBURGENSES (KILBER), SCHEEBEN, CASAJOANA, DEL VAL, PESCH, POHLE-GIERENS-GUMMERSBACH, LERCHER, SCHMAUS.

- ALASTRUEY, G., *De Sanctissima Trinitate* (Vallisoleti 1944).
D'ALÈS, A., S.I., *De Deo trino* (Paris 1934).
BILLOT, L., S.I., *De Deo uno et trino* (Romae 1920).
DAFFARA, M., O.P., *De Deo uno et trino* (Torino 1945).
DE SAN, L., S.I., *De Deo uno* (Lovanii 1894, 1897).
FRANZELIN, I. B., S.I., *De Deo uno* (Romae 1910); *De Deo trino* (Romae 1895).
GALTIER, P., S.I., *De SS. Trinitate in se et nobis* (Parisiis 1933).
GARRIGOU-LAGRANGE, R., O.P., *De Deo uno* (Paris 1938); *De Deo trino et creatore* (Torino 1943).
JANSENS, L., O.S.B., *De Deo uno et trino* (Friburgi 1900).
KLEUTGEN, I., S.I., *De ipso Deo* (Ratisbonae 1881).
LENNERZ, H., S.I., *De Deo uno* (Romae 1940).
LESSIUS, L., S.I., *De perfectionibus moribusque divinis* (Paris 1881).
MUNCUNILL, I., S.I., *De Deo uno et trino* (Barcinone 1918).
PICCIRELLI, I., S.I., *De Deo uno et trino* (Neapoli 1902).
RABENECK, I., S.I., *Das Geheimnis des dreipersonlichen Gottes* (Freiburg 1949).
RUIZ DE MONTOYA, D., S.I., *De Trinitate* (Lugduni 1621).
SCHEEBEN, J. M., *Die Mysterien des Christentums, 2 Hauptstück* (Freiburg 1951); transl. hisp. *Los misterios del Cristianismo c.2* (Barcelona 1950).
SOLÁ, G., *Tractatus dogmaticus de Deo uno et trino* (Barcelona 1957).
TOLEDO, F., S.I., *In Summam Theologiae S.Thomae enarratio I* (Romae 1869).
VAN DER MEERSCH, I., *Tractatus de Deo uno et trino* (Brugis 1928).

LIBER I

De Deo uno secundum essentiam

Morem sequentes quem induxit *Summa Theologiae* Doctoris Angelici, in hoc libro, praeter quaestiones de cognoscibilitate naturali, de existentia et essentia Dei, de eius attributis, ac de eius scientia et voluntate, tractamus etiam de visione intuitiva Dei, utpote qui unus est ex modis quibus Deus attingi potest, et de providentia, tam generali, quam supernaturali, seu de praedestinatione et reprobatione, quae actibus intellectus et voluntatis constat, quae quidem in aliis quoque tractatibus theologicis attingi possunt vel etiam debent.

Cum vero quae in hoc libro naturali ratione attingi possunt in Theologia naturali christiana (quae sub vigili custodia ecclesiastici magisterii elaboratur), secundum Constitutionem Apostolicam *Deus scientiarum Dominus*, praeclaris monumentis illustrata sint, quae pertinent quoque ad fructuosissimam intelligentiam dogmatis, post firmatam ex fontibus revelationis doctrinam Ecclesiae, brevius quaedam attingenda duximus, nisi ea peculiare momentum in quaestionibus quae sola revelatione constant habere videantur. Ideo in his auctores quoque Theologiae naturalis referimus.

Quinque capitibus materiam disponimus. In primo quaestiones de cognitione Dei, tum naturali, tum per visionem intuitivam ac de rebus cum illa connexis; in altero de essentia et attributis divinis; in tertio de scientia Dei; in quarto de eius voluntate; in quinto tandem de providentia, praedestinatione et reprobatione agimus.

CAPUT I

De possibili cognitione Dei

ARTICULUS I

DE NATURALI COGNITIONE DEI

Thesis I. Existentia Dei naturalis rationis lumine certo cognosci potest.

S.TH., I q.12 a.12; FRANZELIN, *De Deo uno* th.1-5; LENNERZ, n.43-59; GRANDERATH, *Constitutiones dogmaticae... Concilii Vaticani...* 32-46; CHOSSAT, *Dieu*: DTC 4,757-87.

I. Quae naturalem facultatem cognoscendi Deum spectant pertinent non solum ad Philosophiam, sed etiam ad Theologiam. Id patet ex pluribus documentis, quae in fontibus revelationis prostant de his rebus. Imo fidei et Theologiae maxime intersunt, cum agatur de praebulo ipsius fidei, et de notionibus circa divina, quibus ipsa revelatio necessario utitur, ut se nobis communicet. Illustratio enim fidei «rationem ipsam vimque naturalem ac lumen rationis non creat et efficit, sed supponit et ad altiorem ordinem elevat; unde etiam manifestationes Dei supernaturales quibus rationi elevatae sese revelat, supponunt manifestationes naturales, per quas Deus ipsi naturali lumini rationis sese exhibet cognoscendum»¹.

Momentum huius quaestionis maximum est nostris diebus. Praesertim ex quo criticismus kantianus et diversae theoriae philosophicae ex eo hoc vel illo tramite manantes mentes hominum pervadunt, mirum est quantopere simplicissima veritas de naturali Dei cognitione obscurata sit, quotque sint doctrinae excogitatae etiam sub larva pietatis ac mystici sensus, ex horrore in amandatum in medium aevum intellectualismum scholasticum, ut vitae religiosae fundamentum aliter quoquomodo explicetur, quam ex normali usu cognitivae facultatis. Quae, praeterquam quod falsae sunt, ac similes aedificiis super arenam fundatis, connexae ut plurimum sunt cum gravibus erroribus de natura Dei, de fide, ac de pluribus aliis capitibus doctrinae catholicae.

2. **Notiones.** Ut patet ex ipsis verbis thesis et erroribus quibus illa opponitur, et ex declarationibus Patrum et theolo-

¹ FRANZELIN, *De Deo uno* th.1 p.33.

gorum Concilii Vaticani² agitur de HOMINE in universum et quidem in actuali statu; de homine *adulto* non solum aetate, sed etiam mente, et aliqua institutione exulto ad normalem usum suarum facultatum; ac de POTENTIA *simpliciter dicta* (physica et morali) perveniendi ad certam notitiam, seu ad affirmationem sine formidine errandi, de existentia Dei.

DEUS intelligitur verus et personalis sub conceptu sufficienti ad illum a ceteris rebus distinguendum. Hic conceptus potest esse, vel *vulgarissimus*, entis cuiusdam supremi colendi et adorandi, vel *magis excultus*, auctoris et gubernatoris mundi, vel *explicitus entis necessarii et a se*; qui tamen conceptus non distinguuntur nisi secundum minorem aut maiorem perfectionem ac declarationem.

Directe atque explicitate in thesi non significamus *viam* qua homo ad cognoscendam existentiam Dei pervenire potest, neque attingimus quaestionem de facto. Verum, ut ex argumentis constabit, intelligimus *viam* ordinariam esse aliquam illationem ex rebus creatis, et quidem facilem ac obviam; quod fidei proximum dici debet³; factum autem in pluribus documentis conceptis verbis asseritur.

3. In definitione Concilii Vaticani agi de homine adulto et mente com-
pote planum est. Qua vero ratione ad normalem usum facultatum homo pervenire possit definire non intendit Ecclesia. Quod vero intelligatur homo in universum, et quidem in hoc statu constitutus, non de singulis quibusque hominibus, explicitate declaratum est⁴.

Potentia *moralis* addit potentiae physicae quod non iis sit haec difficultatibus obnoxia, quae in recta hominum aestimatione impotentia dici revera valeat. Ideo ponere potentiam physicam, quae non sit etiam moralis, idem esset ac negare veram potentiam simpliciter dictam attingendi Deum lumine rationis naturalis⁵. Quod autem haec potentia sit potentia *activa* luce clarius est, cum sit ad exercendam facultatem cognoscitivam, qua ex rebus creatis homo assurgit ad cognitionem Creatoris, idque continet conceptis verbis relatio Card. Gasser contra assertum lamainesianum, hominem non posse nisi recipere cognitionem Dei⁶.

Ideo non satis doctrinae definitae faceret, qui non nisi aliam *viam*, ordinis non simpliciter cognoscitivi, statueret ad certitudinem de Dei existentia perveniendi⁷.

Licet in Concilio Vaticano c.1 verbum «creatoris» appositum sit, explicitate declaratum est non agi de cognitione creationis ut talis, secundum concep-

² Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani: CL 7; cf. GRANDERATH, *o.c.*, 32-46; VAGANT, *Etudes théologiques sur les constitutions du concilium Vaticanum* (Paris 1895); CHOSSAT, *l.c.*, 824-871; LENNERZ, *o.c.*, 15-22; R.AUBERT, *Le Concile du Vatican et la connaissance naturelle de Dieu: Lumière et Vie* (1954) 21-52; C.COLOMBO, *La conoscibilità naturale di Dio nell'insegnamento del Magistero Ecclesiastico: ScuolCatt a.III* (1960) t.1 33-43; A. DEL CURA, *El conocimiento natural de Dios en el magisterio de Pio XII: EstFil 7* (1958) 201-240; M.SERRA, *Il magistero della Chiesa sulla cognizione naturale di Dio: CivCatt 111* (1960) 33-43.

³ CHOSSAT, *l.c.*, 834; I.BOCHENSKI, *De cognitione existentiae Dei per viam causalitatis relate ad fidem catholicam* (Posnan 1936).

⁴ CL 7,236.150.520.

⁵ CHOSSAT, 826-834.

⁶ CL 127.

⁷ CL 86.132.

tum productionis ex nihilo, sed de aliqua rerum effectione. Hic vero conceptus sub quo existentia Dei attingi potest, utcumque imperfectus sit, talis esse dicitur, qui fons sit principiorum moralium sine quibus homo ad Deum finem suum ultimum tendere non possit⁸.

Dicitur in Vaticano «ex rebus creatis», «per ea quae facta sunt»; quae quidem sunt multa visibilia et externa, ut patet ex argumentis et ex verbis S. Pauli adductis, sed etiam invisibilia, ut est ipsa hominis anima⁹. Cognitionem de Deo assertam ut possibilem esse *mediatam* patet, cum dicitur esse «ex rebus creatis». An aliis quoque modis possit Deus ab homine attingi, hic non agitur; v. a.2.

4. **Adversarii** doctrinae catholicae sunt in primis *agnosticis*, sive omnino radicales, ut positivistae, sive qui Deum incognoscibilem dicunt, licet eum admittant ut postulatum rationis practicae, aut alio modo non notionali et intellectuali attingibilem dicant, ut *kantiani*, *sentimentales*, *pragmatistae* et *modernistae*. Indirecte quidem, sed satis logice, ad agnosticos accedunt alii plures, de quibus in thesibus sequentibus.

Traditionalistae et *fideistae* dogmatici contrarii sunt etiam doctrinae catholicae; sive statuunt revelationem per fidem esse unicum medium perveniendi ad certam de Deo notitiam adquirendam, sive revelationem ponant ad hoc conditionem sine qua non, sive statuunt necessariam humanam traditionem quae ultimo in revelatione fundetur. Inter prodromos huius agminis recenseri debent Lutherus, baiani et iansenistae, dum ultra limites exaggerant deiectionem naturae humanae ex peccato originali.

5. *Agnosticismum*¹⁰ dicimus quem describit Encyclica *Pascendi*: «Vi huius humana ratio phaenomenis omnino concluditur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent; earumdem praetergradi terminos nec ius nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est nec illius existentiam, utut per ea quae videntur agnoscere» (D 2072).

Iam *criticam kantianam* rationis purae esse agnosticam in confesso est; verum etiam est indubium doctrinam kantianam de postulatis rationis practicae nullo pacto mederi agnosticismo rationis purae, seu nihil conferre ad veram de Deo cognitionem: neque aliud adhuc repertum est farmacum huic morbo, nec reperitur, ideoque qui conclusiones criticas Kantii admittit cum doctrina catholica consistere nequit. Postulata enim rationis practicae nullo modo sunt *dogmata theoretica*, sed tantum *praesupposita ad modum agendi practicum*; *obiectiva* vero realitas, quam dicit Kant haec postulata conferre ideis rationis purae, est non ordinis noumenici, sed ordinis mere phaenomenici, id namque est ei ordo «obiectivus», nempe ordo in quo intellectus et

⁸ CL 79.133.

⁹ CL 132.

¹⁰ Cf. A. DE LA BARRE, *Agnosticisme*: DTC 1,596-615; CHOSSAT, l.c. et *Agnosticisme*: DAFC 11-76; SHANAHAM, *Agnosticisme*: CE 1,215-220; G. MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporaine* (Paris 1912); X. MOIKANT, *Dieu, l'expérience en Métaphysique* (Paris 1907); R. JOLIVET, *Études sur le problème de Dieu dans la Philosophie contemporaine* (Paris 1932); A. FOREST, *Le problème de Dieu dans la Philosophie contemporaine*: Rev Thom 15 (1932) 653-659; J. ROLLAND, *A la recherche de Dieu*: Rev Apol 54 (1932) 564-569; P. DESCOQS, *Praelectiones Theologiae naturalis* (Paris 1932, 1935) passim; V. CAPORALE, *Conoscenza naturale e conoscenza soprannaturale di Dio*: Civ Catt 110 (1959²) 561-573.

voluntas possint agere legitime. Iure igitur ita describi potest positio Kantii: «Interrogas Kantium deturbe Deus, absolute respondebit: volo existentiam Dei. Si vero ulterius quaeris an noscat Deum, absolute negabit»¹¹.

6. Inde ortae sunt theoriae *pragmatistae* et *sentimentalistae*, quarum primi auctores merito habentur Schleiermacher suo sensu dependentiae ab aliquo infinito et Ritschl theoria de *iudiciis valoris*, quae pendant ab aestimatione subiectiva voluntatis aut sensus¹². Neque aliud quid revera novum reperies in tot diversissimis theoriis quae in recentiore philosophia religionis circumferuntur: omnes enim quid irrationale et alogicum, ex sensu vel impulsu intimo, vel etiam ex nescio qua optione libera, ut primum elementum vitae religiosae statuunt, quo solo existentia Dei accipitur¹³.

Modernismus, qui explicite recipit criticam Kantii et Spencer, religionem ac notitiam de Deo per theoriam immanitatis religiosae explicat descriptam apprime in litteris *Pascendi* (D 2074 2081 etc.); ex indigentia divini oritur sensus quidam intimus ex quo fides divinam realitatem sine medio attingit¹⁴.

In eodem sensu poni debet *existentialismus* prout in Litteris Encyclicis *Humani generis* describitur, qui «immutabilibus rerum essentiis posthabitis, de singulorum existentia tantum sollicitus est; quique nulla correctione aut complemento cum catholico dogmate componi potest sive atheismum profiteatur, ut patet, sive saltem valori rationis metaphysici adversetur»¹⁵.

Licet his theoriis explicari posset vera quaedam attingentia et cognitio Dei, quod quidem negandum est, ut a.2 videbimus, ea nunc ratione reici debent, quod adversetur doctrinae de cognitione naturali Dei via intellectus, cui substituantur.

¹¹ B. JANSEN, *Die Religionsphilosophie Kants* (Berlin 1929) 60; cf. *Structura philosophiae religiosae Kantianae*: Greg 5 (1924); G. ROSSI, *Il problema dell'esistenza di Dio nelle varie fasi del pensiero Kantiano*, «Immanuel Kant» (Milano 1924) 187-282; A. VALENSIN, *Criticisme kantien*: DAFC 1,734-760; M. DEHOVE, *La critique kantienne des preuves de l'existence de Dieu* (Lille 1905); A. DENEFFÉ, *Kant und die katholische Wahrheit* (Freiburg 1922) 91-140.

¹² Expositionem doctrinae SCHLEIERMACHER reperies in *Encyclopaedia Espasa* 54,1028-1029, cum ubere bibliographia; de RITSCHL, *ibid.*, 51,858; cf. C. THILO, *Schleiermachers Religionsphilosophie* (Langensalza 1906); EDGILL, *Faith and Fact. A study of Richtlianism* (London 1919); W. KOCH, *Ritschl, Schleiermacher*: LTK 8,909; 9,268-269.

¹³ H. PINARD, *Expérience religieuse*: DTC 5,1786-1868; DAFC 1,1846-1864; H. DENZINGER, *Vier Bücher von der relig. Erkenntnis* (Würzburg 1857); S. HARENT, *Expérience et foi*: ET 113 (1897) 221ss; O. ZIMMERMANN, *Das Gottesbedürfnis als Gottesbeweis* (Freiburg 1910); L. ROURE, *En face du fait religieux* (Paris 1908); J. BESSMER, *Die Religion und das sogenannte Unterbewusstsein*: *Stimm* 76 (1909) 60-70; OTTO, *Das Heilige. Ueber das Irrationale in der Idee des Göttlichen und sein Verhältnis zum Rationalen* (Gotha 1927); J. GEYSER, *Intellekt oder Gemüt* (Freiburg 1921); WILLWOLL, *Ueber die Struktur des religiösen Erlebens*: Schol 14 (1939) 1-21; praeter l.c. CHOSSAT. Recenter Pius XII in Litteris *Humani generis* reprobatur, «facultatibus appetendi et affectandi vim quamdam intuenti adiudivare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere eligat, cognitione et voluntatis actu incompe permixtis» (AAS 42,574). Non satis apparet quo sensu intelligi debeant plura quae leguntur in quibusdam operibus recentioribus, ut H. DE LUBAC, *De la connaissance de Dieu* (Paris s.a.); cf. tamen eiusdem auctoris, *Sur les chemins de Dieu* (Paris 1956).

¹⁴ CHOSSAT: DTC 810-823; A. FARGES, J. LEBRETON, *Modernisme*: DAFC 3,637-695; J. RIVIÈRE, *Modernisme*: DTC 10,2010-1016; *Le modernisme dans l'Eglise* (Paris 1929); FIGGIELLI, *Disquisitio theologica polemico-critica contra modernistas* (Neapoli 1911); J. BESSMER, *Philosophie und Theologie des Modernismus* (Freiburg 1912); WOODLOCK, *English and American Modernism*: Greg 8 (1927) 23-40; C. CARBONE, *De modernistarum doctrina* (Romae 1909) 35-66.158.

¹⁵ AAS 42 (1950) 574; I. HELLIN, *Theologia naturalis* (Matriti 1950) 141-151; WAELEHNS-CEÑAL, *La filosofía de Martín Heidegger* (Madrid 1942); A. DELP-ITURRIOZ, *Existencia trágica* (Madrid 1942); M. SCIACCA, *Il problema di Dio* (Brescia 1944); A. GONZÁLEZ ALVAREZ, *El tema de Dios en la filosofía existencialista* (Madrid 1945); N. DERISI, *Sapientia* (Buenos Aires 1949); J. DE TONQUÉDEC, *L'existence d'après Karl Jaspers* (Paris 1945); R. TROISFONTAINES, *Existentialisme et pensée chrétienne* (Louvain 1946); H. OGIERMANN, *Gottes Existenz in Denken Gabriel Marceles*: Schol 29 (1954) 174-209; C. COCHRANE, *The Existentialists and God* (Philadelphia 1956); J. DANIELOU, *Le problème de Dieu et l'existentialisme* (Montreal 1960).

7. *Traditionalismus* his lineamentis descriptus est a relatore Concilii Vaticani Card.Gasser: «Primam de Deo ideam debere homini communicari per doctrinam sive praedicationem in genere sumptam, et deinde hac idea semel communicata et ab homine recepta, possibile omnino esse existentiam Dei probare etiam per argumenta ex ratione desumpta. Quoad vero communicationem ipsam huius ideae traditionalistae inter se plurimum differunt. Sunt enim aliqui qui dicunt hanc communicationem revera debere fieri per doctrinam evangelicam seu revelatam, et proinde hominem debere in se suscipere ideam Dei et existentiam ipsius fide divina et non esse certitudinem de existentia Dei, nisi primum habeatur illa fide divina. Traditionalistae huius generis nominantur proprio nomine fideistae, seu systema illorum dicitur etiam traditionalismus crudior. Alii vero communicationem istam non quidem derivant ex ipsa doctrina evangelica seu revelata, saltem non proxime, sed generatim ex idea Dei in societate humana iam existente; et proinde sufficere quod homo fide humana ideam Dei in se suscipiat, et dein efformet argumenta ex ratione pro existentia Dei... Tamen vix fieri non potest quod illam ultimo in primo suo fonte derivent ex institutione Dei primaeva communicata generi humano». Contra hanc doctrinam statuit Concilium Vaticanum «certum principium, quod directe impugnet traditionalismum crudioerem, quod sane, cum aliter fieri non possit, etiam tangit traditionalismum mitioerem»¹⁶.

8. *Doctrina Ecclesiae* continetur praecipue definitione Concilii Vaticani s.3 cp.2, «Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse» (D 1785); et c.1 «Si quis dixerit Deum unum et verum creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, a.s.» (D 1806); qua damnatur agnosticisimus et traditionalismus rigidior, ac tandem attingitur etiam traditionalismus mitigatus. Agnosticisimus modernistarum peculiari damnatione afficitur in Encyclica *Pascendi* (D 2072). Conferri etiam debent alia documenta in sequenti thesi afferenda, cum animadversione Concilii Vaticani (D 1820).

Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita.

9. *Probatur ex sacra Scriptura.* Sap 13,1-9: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est; neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex... Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo huius Dominum non facilius invenerunt, et Rom 1,20... Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt,*

¹⁶ CL 7.7988; CHOSSAT, 806-810; KLEUTGEN-SIERP, *La philosophie scolastique* (Paris 1868) 1.432-455; *Die Theologie der Vorzeit* (Münster 1872) II; V.SCHAZLER, *Natur und Uebernatur* (Mainz 1865). Cognationem quamdam cum traditionalismo habet, licet tendentia multo deteriore, recens protestantica *Theologia dialectica* BARTH et BRUNNER, v. M.RAST, *Theologia naturalis* (Friburgi 1939) 165-170; L.MALEVEZ, *Théologie dialectique, Théologie catholique et Théologie naturelle*: *RechScRel* 29 (1938) 385-429 527-569.

intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles..., clare et explicitè doctrinam catholicam continent. Agitur enim his locis de cognitione *veri Dei*, secundum attributa quae Eum plane a *mundo distinctum* ac supereminentem praedicant, — *naturali intellectus lumine comparata*, utpote ex rebus creatis simplicissimè hausta, — sufficienti ad vitam religiosam inchoandam, — *tam certa et facilis ut sint inexcusabiles, non tantum athei, sed etiam idololatrae.*

10. In c.13 libri Sapientiae auctor sacer non iam atheismum sed falsum cultum religiosum Aegypti et Chananaeorum reprobat, cuius duplex genus distinguit: alterum eorum qui naturam eiusque vires adorant v.1-9, alterum eorum qui idola manufacta colunt v.10ss. Prius genus ut exprobrat exponit doctrinam de cognitione veri Dei ex operibus creationis, quorum pulchritudine et magnitudine delectati deos putaverunt.

Quoad exegesis haec notanda. V.1 in graeco habetur μάταιοι φύσει, quod vertendum est *stulti revera sunt*, ita ut error idololatriae totam eorum naturam pervadat. Ratio cur vani sint est quod ἐκ τῶν ὁρωμένων, *ex visibilibus bonis non potuerunt intelligere τὸν ὄντα, eum qui est*, nempe Deum, cuius nomen est ὁ ὢν Ex 6,3, quod roborat eo quod προσχόντες, *attente considerantes opera Dei artificem non agnoverunt.*

Recensitis v.2 diversis elementis naturae conqueritur auctor v.3.4 quod pulchritudinem et vires eorum admirati eos ad divinitatem transtulerint, cum debuissent elevari ad maiorem multo speciem ac virtutem *generatoris speciei et factoris illorum*. Rationem autem generalem dat v.5 *ex magnitudine et pulchritudine creaturarum poterit creator videri ἀναλόγως recta consequentia* ex effectibus ad cognitionem causae. Et licet minus culpabiles ii sint quam alterum idololatratorum genus v.6.7, *non tamen debet iis ignosci v.8, sed culpabiles sunt v.9 cum facilius possent pervenire ad cognitionem Dei quam ad pleniorum mundi constitutionem*. Unde docet S.Scriptura faciliorem esse cognitionem existentiae Dei ratione naturali, quam perscrutationem scientificam mundi¹⁷.

11. Epistola ad Romanos 1,18-32 docet gentes sub regno peccati conclusas esse, cuius peccati radix praecipua v.18-23 est quod veritas de divinitate, quam naturalis rationis lumine cognoscere poterant, ac revera cognoverunt, in impietate et iniustitia captiva retinetur, non iam per atheismum, sed per cultum impium et idololatricum, quo notionem de Deo corruperunt; ideoque Deus gravissime eos punivit v.24-32 tradens eos in vitam plenam omni malitia morali, quo revelatur ira Dei in ipsos v.18.

V.19-20 traditur doctrina thesis, gentes *potuerunt cognoscere veritatem de Deo*, imo v.21 *eam cognoverunt*. V.19 γνωστόν designat secundum alios quod *cognitum est*, secundum alios quod *cognoscibile est*; φανερόν *manifestum est*, clarum et evidens est, in illis plene *conscium et reflexum*, quia Deus illis manifestavit. V.20 τὰ ὁράτα θεοῦ *attributa divina* in se ipsis *invisibilia*; ἀπό κτίσεως κόσμου *alii intelligunt ipsas res creatas, alii iam ab ipso momento creationis, alii indeterminate, in creatione*; τοῖς ποιήμασιν νοούμενα καθορᾶται *per ea quae facta sunt intellectualiter, acie mentis non videntur conspiciuntur*; ἢ τε *scilicet*, αἰθῖος δύναμις καὶ θεότης *sempiterna eius potentia ac ratio causae primae et supremi dominatus*; transcendentia ergo divina

¹⁷ R.CORNELY, *In librum Sapientiae, Cursus Scripturae Sacrae* (Paris 1910) 460ss; P.HEINISCH, *Das Buch der Weisheit* (Freiburg 1912): E.TOBAC, *Les cinq livres de Salomon* (Paris 1926) F.CEUPPENS, *Theologia biblica, De Deo uno* (Taurini 1948) 10-16.

docetur. Ideo sunt inexcusabiles, quia v.21 cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, sed in idololatriam conversi sunt¹⁸.

Idem traditur Ps 13,1; Act 14,14-16; 17,24ss. Ps 13,1 qui dicit non est Deus est insipiens. Act 14,14-16 verus Deus cognoscere se facit sua providentia. Act 17,24ss ut abducat graecos philosophos ab idololatria ad verum Deum, S.Paulus eos docet ea quibus non adeo difficulter ipsum attingere possint, quod ipsi antiquiores ethnici agnoverunt.

12. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES et scriptores ecclesiastici in controversiis cum ethnicis, manichaeis, gnosticis et arianis, saepe luculentissime docent notitiam Dei naturaliter et quasi sponte oriri in homine ex consideratione rerum mundanarum. Eorum doctrina his fere capitibus continetur: a) Distinguunt *duplicem de Deo cognitionem*, alteram per fidem, alteram per rationem, et quidem *hanc statuunt priorem* illa. b) Cognitionis naturalis de Deo *obvia est ex ordine physico, ex providentia et ex ordine morali*; c) adeo ut *quasi congenita sit*, nec nisi corrupta ac nimium depravata natura quibusdam desit¹⁹.

Unum alterumve textum describimus. TATIANUS: «Hunc ex his quae creavit cognoscimus et potentiam invisibilem ex operibus apprehendimus» (R 152). TERTULLIANUS: «Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem» (R 287). S.CYPRIANUS refert dictum ipsius TERTULLIANI: «Quae est haec summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis?» (R 275). S.BASILIIUS: «In fide quae circa Deum versatur, praestit illa cogitatio, Deum esse; hanc autem ex creaturis cognoscimus» (R 924). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS in Rom 1,19: «Unde ergo manifesta erat? Vocemne desuper illos emisit? Minime; verum id effectus quod magis illos quam vox quaelibet attrahere posset: creatum orbem in medio posuit ita ut et sapiens et idiota, et scythia et barbarus, visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum transcendat» (R 1182).

13. Ratio theologica. S.Thomas q.12 a.12 rationem generalem adducit quae in Theologia naturali exponitur: ex crea-

¹⁸ V.TOLEDANO, CORNELI, LAGRANGE, SICKENBERGER, in h.l.; PRAT, *Théologie de S.Paul* 1 (Paris 1924) 229-234; BOVER, *Las Epistolas de San Pablo* (Barcelona 1950) 9-12; *Teologia de San Pablo* (Madrid 1946) 154-159; J.CORLUV, *Spicilegium Dogmatico-Biblicum* (Gandavi 1884) 86-94; J.QUIRMBACH, *Die Lehre des hl.Paulus von natürlichen Gotteserkenntnis und der natürlichen Sittengesetz* (Freiburg 1906); LATTEY, *S.Paulus docet Dei existentiam naturali lumine cognosci posse*: *VerDom* 3 (1923) 311-315; J.DUPONT, *Gnosis, La connaissance religieuse dans les épîtres de Saint Paul* (Louvain 1949) 1-30; H.M.FÉRET, *Connaissance biblique de Dieu* (Paris 1955).

¹⁹ Überem serium textuum Patrum dant *Enchir. patr.* (R) ind. theol., 86-91; PESCH, 8-24; PETAVIUS, *De Deo* l.1 c.1.2; THOMASINUS, *De Deo* l.1; SCHWANE, *Histoire des dogmes* v.1 et 2 (Paris 1903); cf. etiam DENZINGER, o.c., 2; STHAL, *Die natürliche Gotteserkenntnis aus der Lehre der Väter dargestellt* (Regensburg 1869); WAIBEL, *Die natürliche Gotteserkenntnis in der apologetischen Literatur des 2. Jahrhunderts*; K.WERNER, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christliche Theologie* I (Schaffhausen 1861); C.COLOMBO, *Lo studio teologico del problema di Dio*: *ScuoCatt* 84 (1956) 32-60.

turis, quia sunt effectus a causa dependentes, possumus de Deo cognoscere an sit, et ea quae ei necesse est convenire secundum quod est prima omnium causa excedens omnia causata.

Haec cognitio recte a PP. dicitur facilis et obvia; quia ad illam perducitur homo illatione quadam sponte orta ex naturali usu cognoscitivae facultatis, quin opus sit ad eius certitudinem reflexe et scientifice vim eius assequi²⁰.

Quod autem plerique homines de facto primam notitiam de Deo ex humana institutione hauriant, nihil, ut patet, contra possibilitatem in thesi statutam.

14. Obiectiones. 1. S.Paulus et liber sapientiae de solis sapientibus et philosophis loquuntur.

Nego assertum; uterque locus loquitur de universis idololatriis, etsi revera peculiari modo sapientibus a fortiori aptantur. Ceterum, licet ita esset, iam docerent humanam rationem suis viribus attingere posse Deum.

2. Concilium Vaticanum docet revelationem esse necessariam ad cognitionem Dei, s.3 c.2 (D 1806).

Dist. assert. Docet Vaticanum revelationem esse moraliter necessariam, ut omnia quae de Deo ratio humana attingere potest *ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, conc.*; ut sola Dei existentia «naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci possit» (D 1805), *nego*.

3. Inter Deum et intellectum creatum nulla datur proportio, ita ut magis ab eo distet quam res incorporea a sensu. Atqui sensus percipere nequit rem incorpoream. Ergo nec creatura Deum.

Dist. mai. Inter Deum et intellectum creatum nulla datur proportio *entitativa, conc. mai.*; nulla datur proportio *habitudinis*, ut dicitur, *nego mai.* et *nego suppositum* argumenti, sc. impossibilitatem sensuum attingendi spiritualia *fundari* mere in *entitativa improportione*; ea enim potius fundamentum habet in *natura facultatis*, quae alligata est intrinsece organo corporeo; quare spiritualia sunt essentialiter extra sphaeram seu *ambitum obiecti formalis* facultatis sensitivae. Id vero non accidit intellectui, qui rationes universalissimas et causas rerum attingit; ideo sufficientem, imo necessariam, habet habitudinem ad primam et necessariam causam entis contingentis.

4. Experientia docet Dei existentiam non admitti, saltem ut certam, nisi bonae morales dispositiones praeveniant. Ergo non sola vis rationis compos est ad eam cognitionem acquirendam.

Resp. Id tantum probat rectum usum intellectus ad voluntatem pertinere, quod semper agnitum est; atque potius firmat communem persuasionem, ab impiis identidem momentis lucidis comprobata, non nisi ex pravis affectionibus veritates has ad vitam moralem pertinentes obscurari.

Quae obiectiones in depravato conceptu effectuum peccati originalis fundantur, eo in proprio tractatu reiecto, cadunt.

15. Scholion. *De atheismo, et de magno adulatorum numero, qui incapaces putantur cognoscendi Deum.*

Cum agamus in thesi de *possibilitate* perveniendi ad certam notitiam de existentia Dei, supposita normali mentis evolutione, ac institutione ad eam

²⁰ Nihilominus satis grassatur agnosticis. In causis psychologicis atque historicis huius facti inquirere non inutile fuerit; v. CHOSSAT, o.c. Praecipua indicat Pius XII Litteris *Humani generis*: AAS 42,561-562.

necessaria, possumus praescindere a quaestione *de facto*, quo pacto atheismus dari possit. Aliunde haec accurate tractantur in Theologia naturali, ubi ut doctrina communior iure habetur: impossibile esse atheismum negativum ad longum tempus, nisi per accidens ratione aberrationis aut depravationis mentis; possibilem vero esse atheismum positivum, etiam per longum tempus, sed per se non sine culpa aut formidine errandi, saltem initio 21.

Inde explicari potest impossibile esse, saltem moraliter, *peccatum mere philosophicum* quod dicitur, nempe actionem consciam mortaliter transgredientem normam naturalis honestatis, quin sit *offensa Dei* et contra *legem divinam*. Nam evolutio mentis ad illud necessaria non stat sine concomitante, confusa saltem et obscura, conscientia obligationis ac supremi iudicis. Imo, experientia teste, in re morali prior est haec cogitatio, quam abstracta illa de re mere naturae morali non conformi 22.

16. Proprius Theologiam spectat opinio, iam 23 antea, recentius vero multis propugnata a P.BILLOT 24, de magno numero adulatorum, qui ob imperfectam mentis in rebus moralibus evolutionem, incapaces dicuntur agnoscendi Deum et vitam religiosam ducendi.

Summa eius doctrinae haec est. Ut quis adultus aestimari possit in re morali et religiosa, opus est ut non solum in ratione inferiori circa res temporales, sed etiam circa res superiores et aeternas mente evolutus sit. Iam nisi quis ad cognitionem certam Dei unius, personalis, summe perfecti, creatoris et legislatoris pervenerit, locus non est neque esse potest ordini morali. Cum igitur magna pars infidelium, praeter paucos sapientes, in statu actuali humanitatis, vere et simpliciter dicendi sint mansisse et manere in statu invincibilis ignorantiae circa haec divina (notio enim vaga de divinitate quam illi habent velut a natura insitam insufficientis prorsus est ad vitam moralem ducendam), computandi sunt inter *non adultos*, ideoque immunes ab omni peccato personali. His ergo sors aeterna est limbus infantium, cum peccato originali obnoxii sint. Quae autem idololatri exprobat S.Scriptura de solis philosophis et sapientibus intelligi debent. Videt auctor theoriam hanc esse contra plura dicta SS.Patrum et theologorum ac nominatim S.Thomae sententiam. Verum putat id necessarium esse ad salvandam divinam providentiam de aeterna sorte horum infidelium.

Satis patet haec recipi non posse, ac de facto prorsus reiecta sunt 25. Quin negemus conditiones infantiae cuiusdam relativae in ordine morali reperiri posse in sat magno numero hominum, theoria haec multis repugnat principiis et doctrinis theologis certis.

Ad peccandum requiri cognitionem adeo perfectam de Deo ut personali, quam haec opinio supponit, nequit admitti. Imo vero, si ea requireretur, non dubitaverimus asserere maxime incapaces esse existimandas plures philosophos (quos unos haec sententia carpit), ob praeiudicatas opiniones et

21 Praesertim v. J.URRÁBURU, *Institutiones Philosophicae* 7 (Vallisoleti 1899) 181-199; DESCOQS, o.c., 2,445-526; HELLÍN, o.c., 301-322; C.TOUSSAINT, *Athéisme*: DTC 1,2190-2210; M.COTTIEV, *L'athéisme moderne. Brève esquisse historique*: Nova et Vetera 35 (1960) 20-51.

22 De peccato philosophico multa nimis scripta sunt: v. TH.DEMAN, *Péché philosophique*: DTC 12,255-272, neque omnia ad normam pacatae veritatis inquisitionis, qua de re utiliter leges BEYLARD, *Le péché philosophique. Précisions historiques et doctrinales*: NouvRevThéol 62 (1935) 591-615,674-698; X.LE BACHELET, *Alexandre VIII*: DTC 1,750.

23 Referuntur saec.XVI TRITHEMIUS et praesertim CL.SEYSEL, *De divina providentia* (Paris 1518), saec.XIX DE LA LUZERNE, DUVOISIN, EMERY, FRAISSINOUS, LENOIR, FELLER, etc., idem vel quid simile tenuisse aut subindicasse.

24 *La providence de Dieu et le nombre infini d'adultes, qui sont hors les voies du salut*: Et 161-176 (1919-1923).

25 Cf. L.CAPÉLAN, *Le problème du salut des infidèles. Essai historique* (Paris 1934); *Essai théologique* (Paris 1912) 3088; LARIVÉ, *La providence de Dieu et le salut des infidèles*: RevThom (1923) 4388; PESCHI, 24, qui ait istam sententiam propugnatum esse «magna quidem linguae facundia, sed minore probandi efficacia»; DESCOQS, o.c., 2,461-464,483-488; praesertim S.HARENT, *Infidèles*: DTC 7,1891-1912; LENNERZ, 200-270.

imbecillem intellectus conformationem ad res divinas investigandas inde ortam; cum e contra facilius eas intelligat pro modulo suo intellectus rudior humiliter bene conformatus.

Praeterea imperfectissima mentis evolutio in re morali, quae asseritur adesse in maxima parte humanitatis, contradicit rationi atque experientiae et historiae 26, providentiae divinae quae vult salutem supernaturalem omnium 27, ac theologicè repugnat iis quae fontes tradunt de populis ethnicis 28.

Thesis 2. Existentia Dei potest scientificè et intellectualiter demonstrari.

S.TH., I q.2 a.2.3; SUÁREZ, *Metaph. dis.*28-29; FRANZELIN, th.6.7; LENNERZ, n.60-77; CHOSSAT, *Dieu*: DCT 874-930; GARRIGOU-LAGRANGE, *De Deo uno* 90-125.

17. **Nexus.** Haec thesis revera vix differt a praecedente, nisi in quantum asserit notitiam de existentia Dei naturali rationis lumine comparatam, posse etiam reflexe et scientificè legitimam exhiberi, et quidem in linea intellectus et secundum conceptum accuratiorem et distinctiorem; notitia enim asserita non est immediata, quia ex creaturis hausta.

Notiones. DEMONSTRATIO est argumentatio, qua aliquid ut certum probatur ratiocinio legitimo, ex legitimis praemissis et bona consequentia. Id autem significatur expressius verbis appositis SCIENTIFICÈ ET INTELLECTUALITER, quibus excluditur theoria quaelibet, quae *unicam viam*, quae legitimari reflexe possit, perveniendi ad certam de Deo notitiam, statuat *intuitionem*, aut lineam *affectus*, aut *necessitatem subiectivam* a priori, utcumque asserat hanc viam *legitimam* duci posse, imo et necessariam, in *complexu vitae et actionis*.

Demonstratio multiplex esse potest. In nostra re agitur de demonstratione qua ex effectibus pervenitur ad causam, quae a *posteriori* dici solet; quidquid est an aliud quoque demonstrationis genus validum sit (de quo v. *Scholion*). Cum eam demonstrationem scientificam dicimus, nolumus eam probationem mathematicae in omnibus assimilari; intendimus tamen illi vindicare legitimam scientiae notionem, cuius munus est notitias sponte acquisitas intellectuali reflexione ponderare ac stabilire seu ratione firmare.

Latus patet probatio rationalis mediata. Et quidem demonstratio asserta

26 Cf. quae accurate investigata sunt a A.LANG, *The making of religion* (London 1908), W.SCHMIDT, *Der Ursprung des Gottes-idee* (Münster 1912) et ab eius schola, de quibus H.PINARD, *El estudio comparado de las religiones* (Madrid 1940, 1945); V.CATHREIN, *Die Einheit des sittlichen Bewusstseins in der Menschheit* (Freiburg 1944); P.DE ACHÚTEGUI, *La universalidad del conocimiento de Dios en los paganos, según los primeros teólogos de la Compañía de Jesús* (Roma 1951).

27 V. th.20.

28 KORTLEINER, *De diis gentilium quid SS.Litterae V.T. indicent* (Innsbruck 1912); LENNERZ, 211-270.

est a posteriori; ideo contradistinguitur non solum a probationibus quae non via ratione procedant, sed etiam ab aliis generibus probationis rationalis, a priori, ab experientia et si quae aliae sunt¹. Est enim ascensus ad Deum via alicuius verae causalitatis ex rebus creatis ad creatorem; et quidem explicite in documentis ecclesiasticis asseritur (D 2145) probatio «per visibilia creationis opera tamquam causam per effectus».

Evidenter non intelligimus omnes ac singulos homines qui possint pervenire ac de facto perveniant ad naturalem certitudinem de existentia Dei, capaces quoque esse hanc scientificam demonstrationem sibi adquirendi; sicut in universum non omnes qui certi sunt certitudine spontanea et naturali de multis aliis rebus, possunt eas scientificae ac reflexive demonstrare; id enim opus est hominis exultioris et scientificae ac philosophicae principia callentis.

18. Adversarii. Facile patet huic thesi adversari omnes qui superiorem impugnant. Sed etiam inter eos qui spontaneam de Deo notitiam ex rebus creatis explicite saltem non negant, multi sunt qui eam reflexioni philosophicae subicientes, non solo intellectuali processu validam ducant, sed potius elemento aliquo extraneo fulciri necessarium putent. Huc tandem recidunt mitior quoque *fideismus*, *traditionalismus* et *immanentismus*, hoc vel illo modo propositus a pluribus psychologis et philosophis religionis; nisi unum vellent, rectam morum conformationem ita esse praerequisitam ad recte de rebus divinis iudicandum, ut pravi mores de facto intellectum obscurerent; usus enim intellectualis virtutis a voluntate pendet, quod semper a Patribus et theologis multis agnitum est².

Non attingimus nunc quaestionem an modi isti qui loco demonstrationis rationalis proponuntur, ad cognoscendam certo existentiam Dei revera apti sint; id a.2. negabimus. In hac vero thesi has sententias reicimus quatenus ideo proponuntur, quia vel explicite vel implicite negant eam demonstrari posse per viam intellectus ratiocinantis.

19. Ontologi, strictiores saltem, et plures *intuitionistae*³ inter adversarios recenseri debent, in quantum, vel ideam Dei fundamentum ponant omnis veritatis et certitudinis, vel proprias theorias statuunt ex implicita quadam diffidentia erga veram demonstrationem.

De *innatistis* idem fere dici potest, si innatam ponant ipsam *affirmationem* de existentia Dei; si vero tantum *spe-*

¹ Cf. HELLÍN, o.c., 90-91.

² Ut antesignani numerari possunt N.MALEBRANCHE, *Recherche de la vérité* c.4 etc.; B.PASCAL, *Pensées* (Paris 1904) 1,176, fragm.242.243.556, etc. ex iansenismo, M.MOLINOS (D 1105); J.BOEHME et pseudo-mystici, qui in iudicandis locutionibus mysticorum fundabantur; cf. CHOSSAT, 780.786.790-806. Mitigatos traditionalistas dicimus quosdam lovanenses ut UBAGHS et LAFORET; v. CHOSSAT, 809-810; VACANT, o.c., 120; LENNERZ, 13-14. De aliis cf. A.BRUNNER, *Zur Grundlegung der Gottesbeweise*: Schol 7 (1932) 187-207; J.GEIGER, *Der Intuitionsbegriff in der katholischen Religionsphilosophie des Gegenwart* (Freiburg 1926).

³ De Ontologismo plura a.2.; v. FABRE, *Défense de l'ontologisme*; KLEUTGEN, *Beilagen I* (Münster 1868); HENRY, *Le Traditionalisme et l'Ontologisme à l'Université de Louvain* (Collect. Mechlin. 1927); VAN GRUSVEN, *Gerard Casimir Ubaghs* (Heerlen 1936); de intuitionismo, GEIGER, o.c., B.ROSENMÖLLER, *Religionsphilosophie* (Münster 1932); plures art. in *Wissenschaft und Wahrheit* (1937-1939), praesertim J.GEYSER, *Zur Frage der theistischen Metaphysik und ihre Erkenntnistheorie* 6 (1939) 26-40.

ciem quamdam innatam de Deo asserant necessariam ad ratiocinium de eius existentia formandum, thesi contrarii dici non possunt.

Aliqui traditionalistae, ut BONNETY, ausi sunt dicere viam quam theologia catholica tenuit, ducere ad rationalismum (D 1652). Id quoque docuit magno aestu KUHN de processu⁴ rationis ad demonstrandam existentiam Dei; abiciendum ergo quippe qui non nisi in conceptum pantheisticum divinitatis ducere potest. Ideo statuit eo solo nullo modo nos posse pervenire ad existentiam Dei personalis, nisi iam praevis habuerimus ideam Dei in nobis velut in imagine. Plures quoque recentiores⁵ tenent *metaphysicam* non posse nos ducere ad Deum personalem, sed tantum profanam aut abstractam quamdam repraesentationem divinitatis in nobis gignere; Deum autem personalem obiectum non esse nisi cognitionis *religiosae*, quae corde potius et actione vitali totius hominis constat, «facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi» adiudicantes, ut ait PIUS XII in litteris *Humani generis*⁶.

Tandem quidam *nominales* saec.XIV et XV, praesertim NICOLAUS DE ULTRICURIA et PETRUS DE ALLIACO⁷, fundamenta ipsa demonstrationis de existentia Dei, nempe principium causalitatis, negaverunt; quo pluribus positivis et philosophis nostrae aetatis praeluserunt.

E contra *theologi omnes*, iam ab initio Scholasticae quaestionem explicite ponunt, eamque affirmative solvunt.

20. Doctrina Ecclesiae. Plura sunt documenta Ecclesiae quae conceptis verbis demonstrabilem esse existentiam Dei docent. Iam saec.XIV damnatae sunt propositiones NICOLAI DE ULTRICURIA (D 554-570). Traditionalistae DE BAUTAIN et D. DE BONNETY subscribere debuerunt thesibus id affirmantibus. «1. Ratiocinatio potest cum certitudine probare existentiam Dei et infinitam perfectionem eius (D 1622...). 2. Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest (D 1650...). 3. Methodus, qua usi sunt D.Thomas, D.Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit...» (D 1652).

⁴ KUHN, *Katholische Dogmatik, Gotteslehre* (Tübingen 1862); v. HONTHEIM, *Institutiones Theodicaeae* (Freiburg 1893) 77; PESCH, 28.

⁵ Cf. BRUNNER, l.c., E.PRZYWARA, *Zu Max Schellers Religionsauffassung*: *ZkathTh* (1923) 2488; *Religionsbegründung*, Max Scheler-J.H.Newman (Freiburg 1923). Doctrina dynamismi actionis, saltem ut primo proposita fuit, sat clare in his computanda est. De BLONDEL, eiusque doctrina innumera sunt scripta; cf. interea DESCOQS, 2,270-272; J.ROIG GIRONELLA, *La filosofía de la acción* (Madrid 1943) 12. Existentialismum quoque mitigatum hic attingi posse iure dicit HELLÍN, o.c., 92.

⁶ L.c., n.33.

⁷ CHOSSAT, 767-774; BECHER, *Gottesbegriff und Gottesbeweis bei Wilhelm von Ockam*: *Schol* 3 (1928) 369-393; PH.BÖHNER, *Zu Ockams Beweis der Existenz Gottes. Texte und Erläuterungen*: *FranzStud* 32 (1950) 50-69.

PIUS IX idem docet: «Vera ac sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum eiusdem sit... permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere...» (D 1670). Reiectae sunt theses quorundam *Lovaniensium Professorum* hanc doctrinam negantium⁸.

LEO XIII in Encyclica *Aeterni Patris*⁹ haec habet: «Ex quo factum est ut quaedam vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum lumine praelucente cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint... Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstrat... Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere...» Idem repetit in Encyclica *Humanum genus*.

PIUS X in Encyclica *Iucunda sane*¹⁰ queritur quod «impetuntur ipsa argumenta quibus Deum esse demonstratur, atque incredibili temeritate contra prima rationis iudicia, repudiatur invicta illa argumentandi vis qua ex effectibus causa colligitur, id est Deum eiusque attributa, nullis circumscripta limitibus»; contra modernistas in Encyclica *Pascendi* (D 2072).

21. Praecipuum documentum hac in re est *Iuramentum contra modernistas*: «Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est, per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor» (D 2145); quod Pius XI edixit in Encyclica *Studiorum Ducem*¹¹ praeclare interpretatum esse dogma a Concilio Vaticano solemniter enuntiatum.

Constitutio «motu proprio» *Sacrorum Antistitum*, quae iusiurandum continet contra modernismum, cum praescripta professione fidei coniunctum, est saltem documentum *magisterii ordinarii infallibilis* Summi Pontificis, eiusque propositiones doctrinam spectantes theologicae certae ut minimum dicendae sunt, etiam vi ipsius documenti, ut formula ipsa «Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, prae-

⁸ Prop.2 et 4 UBAGHS damnatae decreto S.Congr.Indicis 3 iun. 1843; v. LENNERZ, 13-14.

⁹ AAS 12 (1879) 998.

¹⁰ ASS 36 (1904) 520.

¹¹ AAS 15 (1923) 317.

sertim...» aperte exprimit. In eo verba «adeoque demonstrari etiam posse», quae verti posunt «e incluso», «y aún», post «certo cognosci», vere quoad sensum consecrarium indicant in verbis Vaticani sat immediate inclusum¹².

Certe *Concilium Vaticanum* vocem demonstrationis in definitione consulto omisit¹³. Id autem simpliciter explicari videtur, ut notat LENNERZ¹⁴, ex intentione Concilii definiendi *certum principium contra traditionalismum crudioerem*, quo etiam mitior necessario tangeretur. Mentem autem Concilii stare pro vera demonstrabilitate, satis elucet ex eo quod anxium fuerit ob «errorem late serpentem existentiam Dei nullis firmis argumentis probari, nec proinde ratione cognosci posse» et «argumenta quae tanto in honore omni tempore habita sunt, non esse talia quae rem evincere possint»¹⁵; ipseque CARD. GASSER concessit «aliquatenus certo cognosci et demonstrari» esse «unum idemque»¹⁶. Ergo revera ex mente Concilii *demonstrabilitas* cum *certa cognitione* intime conserta est, ac iure Pius XI dixit iuramentum a Pio X praescriptum praeclare interpretari *Concilium Vaticanum*.

Tandem a.1925 *S.Officium* proscripserat declaravit propositiones, quibus asserebatur argumenta logica pro existentia Dei nullum habere valorem obiectivum, nisi ex exigentiis subiectivis vitae vel actionis. 6. «Argumenta logica, tum de existentia Dei, tum de credibilitate religionis christianae, per se sola, nullo pollent valore ut aiunt obiectivo, sc. per se nihil probant pro ordine reali». 8. «Valor quem habere possunt huiusmodi argumenta non provenit ex eorum vi dialectica, sed ex exigentiis «subiectivis» vitae vel actionis, quae ut recte evolvantur sibi que cohaereant his veritatibus indigent»¹⁷.

Valor theologicus. Saltem *theologice certa*, ex tot Ecclesiae documentis et ex consensu theologorum. De fide definita in Vaticano dici non posse videtur, cum expresse constet exclusam esse in Decreto vocem demonstrationis.

22. **Probatur thesis ex sacra Scriptura et traditione** in universum ex thesi priori et rationibus quibus illa stabilitur. Nam ille dicendus est tenere demonstrabilitatem existentiae

¹² Huiusmodi magisterium ordinarium infallibile Summi Pontificis agnoscere debere communi consensu probatum est in *Hebdomada theologica* Matriti celebrata 17-22 sept. 1951, ponente P.I.SALAVERRI. Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu, son existence, sa nature* (Paris 1923) 19; DESCOQS, 1, 149; HUGON, *Doctrina iurisdictionis a Pio X praescripti de modo quo Deum cognosci ac demonstrari possit*: DivThom(Pi) 31 (1928) 269-277.

¹³ CL 7, 132.

¹⁴ O.c., 64.

¹⁵ CL 7, 79.

¹⁶ CL 7, 132.

¹⁷ Hoc *S.Officii* decretum in AAS editum non est; textum et notas circa illud v. A.VERMEERSCH, *Periodica de re morali et canonica* 14 (1935) 17-19.

Dei, qui docet ex creaturis ut sunt effectus divinitatis ad eam ut causam ratiocinando legitime perveniri posse. Atqui id praestant fontes revelationis in locis adductis ad declarandam et probandam thesım priorem.

Prob. min. A. Sufficit iterum percurrere textus libri Sapientiae et S. Pauli, quibus ex operibus artifex, ex pulchritudine et viribus mundi causa pulchrior et potentior viribus, ipsa sempiterna virtus et divinitas, ex ordine providentia agnoscitur, ut qui ad id non perveniant vani, stulti et inexcusabiles dicantur.

B. De facto argumenta quae a philosophis et theologis adducuntur pro Dei existentia iam uberrime a SS. Patribus exposita sunt qui praecipue in causalitate, in ordine et finalitate innituntur¹⁸. Ita ARISTIDES argumentum ex motu indicat: «Mundum eaque omnia quae in ipso sunt necessario moveri conspiciens, eum a quo movetur et conservatur Deum intellige» (R 110). MINUCIUS FELIX argumentum ex ordine mundi a Cicerone expositum repetit (R 269). S. GREGORIUS NAZIANCENUS discussionem contra casum ita concludit: «Sic ratio, quae ex Deo est et cunctis insita et prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa, nos ab iis rebus quae oculis cernuntur ad Deum subvexit» (R 987).

23. Probatur ex Theologis. Theologi consentiunt in stabilienda demonstrabilitate existentiae Dei, saltem ut theologice certa, ac plures acriore censura oppositam sententiam notant. S. THOMAS vocat eam opinionem manifeste falsam ac erroneam¹⁹. Rationem affert 1 q.2 a.2, quia per effectus possumus demonstrare propriam eorum causam esse.

BÁÑEZ docet thesım esse certissimam, oppositam temerariam; MOLINA addit «in fide minime tutam, ne amplius dicam»; SUÁREZ invehitur in eos qui nolint agnoscere temeritatem sententiae oppositae, ac *errori in fide proximam* vocat; VALENCIA negare thesım ait esse plane erroneum in fide «si non aperta haeresis»; recentiores quoque theologi ut minimum thesım ut *theologice certam* tradunt; imo sunt qui, ut HUGON, BOCHENSKI et BITTREMIEUX dicunt esse de fide, etsi fatentur

non constare de definitione. Patet ergo theologos hac in re non mere philosophos agere²⁰.

Argumenta exponere quibus probatur existentia Dei ad Theologiam naturalem spectat²¹. Tria genera huiusmodi argumentorum distingui solent: *metaphysica*, quae ex essentiali conditione entis contingentis per principium causalitatis ascendunt ad ens necessarium; *physica*, ex peculiaribus adiunctis rerum mundanarum, praesertim ex ordine qui in mundo splendet, ens summe intelligens existere probant; *moralia* denique fundantur, sive in honestate et obligatione, quae summum legislatorem postulant, sive in consensu universali.

E quinque viis a S. Thoma propositis q.2 a.3²², quatuor priores sunt quasi diversa stadia viae causalitatis efficientis;

²⁰ BÁÑEZ et MOLINA, *In 1 q.2 a.2*; SUÁREZ, *De Deo tr. I l. I c. I n. 13-15*; VALENCIA, *In 1 d. I q.2 p.2 assert.3*; KLEUTGEN, *De ipso Deo* 156; MUNCUNILL, 22; PESCH, *prop.5*; VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino* 4788; HUGON, l.c., 269-276; P. BOCHENSKI, *De cognitione existentiae Dei per viam causalitatis relate ad doctrinam catholicam* (Posnan 1936); J. BITTREMIEUX, *De demonstrabilitate existentiae Dei iuxta iuramentum antimodernisticum*: EphThLov 14 (1937) 477-486.

²¹ V. praecipua opera *Theologiae naturalis*, ut inter recentiora: URRÁBURU, HONTHEIM, LOINAZ, MONACO, GARRIGOU-LAGRANGE, o.c., *Dieu*: DAFc 1941-1088; DESCOQS, RAST, MARTÍNEZ DEL CAMPO, HELLÍN.

De historia argumentorum pro existentia Dei inter scholasticos medii aevi v. S. GRUNDWALD, *Geschichte der Gottesbeweise in Mittelalter bis zum Ausgang der Hochscholastik* (Münster 1907, BeitGPhMA 6,3); C. BAEUMKER, *Whitelo, ein Philosoph und Naturforscher der 13. Jahrhunderts* (Münster 1908, *ibid.*, 3,2) 284-343; H. DANIELS, *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte der Gottesbeweise in dreizehnter Jahrhundert* (Münster 1909, *ibid.* 8,1-2); J. HENRY, *Histoire des preuves de l'existence de Dieu au moyen âge*: RevThom 19 (1911) 3-24, 141-158. Conferri etiam possunt *Historiae generales Philosophiae*, ac peculiares dissertationes de quibusdam auctoribus, ut A. LANDGRAF, *Zur Lehre der Gotteserkenntnis in der Frühscholastik*: The New Scholasticism 4 (1930) 261-296; A. MASNOVO, *Da Guglielmo d'Auvergne a San Tommaso d'Aquino* (Milano 1930) 1; E. GILSON, *La philosophie de saint Bonaventure* (Paris 1924) 12588; B. LUTICK, *Die Erkenntnis-Lehre Bonaventuras* (Münster 1923, BeitGPhMA 23,3-4) 25488; B. ROSENMOELLER, *Religiose Erkenntnis nach Bonaventura* (Münster 1925, BeitGPhMA 25,3-4) 6188; L. VEUTHEY, *Le problème de l'existence de Dieu chez S. Bonaventure*: Ant 28 (1953) 19-38; P. MINGES, *I. Duns Scoti doctrina philosophica et theologica* (Quaracchi 1908) 5-34; E. LONGPRÉ, *La philosophie du B. Duns Scot* (Paris 1923) 10488; Z. VAN DE WOESTYNE, *Un nouveau commentaire sur l'existence de Dieu d'après Duns Scot*: EphThLov 2 (1925) 9-13; cf. BALIC, *Circa positiones fundamentales I. Duns Scoti*: Ant 28 (1953) 268-287; E. BETTONI, *De argumentatione Doctoris subtilis quoad existentiam Dei*: Ant 28 (1953) 39-58; N. PAULUS, *Henri de Gand et l'argument ontologique*: ArchHist DoctrLitMA 10 (1936) 265-323; J. SANTELER, *Der causale Gottesbeweis bei Hervaeus Natalis* (Innsbruck 1930 PhGrenzwiss, 3,1); J. KÜRZINGER, *Alfonso Vargas Toletanus und seine theologische Einleitungslehre* (Münster 1950, BeitGPhMA 22,58); H. GEURTSSEN, *De innerlike structuur van het godsbewijs* (Anvers 1944) 3-54, 207-282; J. DEFEVER, *La preuve réelle de Dieu* (Bruxelles 1953); de quo v. F. GRÉGOIRE, *Etude critique*: RevPhilLov 54 (1956) 112-129; P. BORGMANN, *De argumento chronologico existentiae Dei sumpto ex continua rerum temporalium succedaneitate*: Ant 28 (1953) 59-71; L. RUBIO, *Una controversia del siglo XIII sobre el valor de la prueba de la existencia del Ser necesario*: Ciudad 163 (1951) 529-570; G. SCHELTENS, *La preuve de l'existence de Dieu dans la philosophie néoscholastique*: FranzStud 36(1954) 293-309; Q. BENDICK, *Zur logischen Struktur der Gottesbeweise*: FranzStud 38 (1956) 1-38.

²² Copiosa valde est bibliographia de hac re, quae in operibus DESCOQS et LENNERZ et in genere in praecipuis tractatibus Theologiae naturalis dum argumenta S. Thomae expendunt conferri potest; quaedam indicamus. CHOSSAT, l.c., 923-948; GARRIGOU-LAGRANGE: DAFc 1,1016-1076; E. ROLFES, *Die Gottesbeweise bei Thomas und Aristoteles* (Limburg 1926); GRUNDWALD et BAEUMKER, o.c.; MOTTE, *A propos des cinq voies*: RevScPhTh 27 (1938) 577-582; P. DUHEM, *Le système du monde* (Paris 1917) 5,539-560; L. URBANO, *La prueba del movimiento y la existencia de Dios*: CiencTom 15 (1917) 79-100; KIRFEL, *Zum Gottesbeweise des hl. Thomas aus der Ordnung der Wirkursachen*: JahrbPhTh 25 (1911) 146-167; ALBRECHT, *Das Ursachengesetz und die erste Ursache bei Thomas von Aquin*: PhilJahrb 33 (1920) 173-182; P. BORDOY-TORRENTS, *De secunda via divi Thomae*: CiencTom 35 (1927) 197-207; P. GÉNY, *A propos des preuves thomistes de l'existence de Dieu*: RevPh 24 (1924) 575-601; A. SERTILLANGES, *La preuve de l'existence de Dieu par la contingence dans la Somme theologice*: o.c., 25 (1925) 319-330; BONYGUES, *L'exégèse de la tertia via de S. Thomas d'Aquin*: o.c., 32 (1932) 113-146;

¹⁸ PETAVIUS, *De Deo l. I c. 188*; STAHL, *Die natürliche Gotteserkenntnis aus der Lehre der Väter dargestellt* (Regensburg 1869); VAN ENDERT, *Der Gottesbeweis in der patristischen Zeit mit besonderer Berücksichtigung Augustins* (Freiburg 1869); J. WAIBELL, *Die natürliche Gotteserkenntnis in der apologetischen Literatur des 2. Jahrhunderts*; K. WERNER, *Geschichte der apologetischen und polemiker Literatur der christlichen Theologie I*. Cf. praeterea dissertationes de singulis fere Patribus in DTC et alias, ut E. FUETSCHER, *Die natürliche Gotteserkenntnis bei Tertullian*: ZkathTh 51 (1927) 1-34, 217-251; KUFZE, *Die Gotteslehre des Irenaeus* (Leipzig) 2788; J. LEBRETTON, *La connaissance de Dieu chez S. Irénée*: RechScRel 16 (1926) 385-406; GOTTWALD, *De Gregorio Nazianceno Platónico* (Breslau 1906); H. PINARD, *Le platonisme de saint Grégoire de Naziance* (La Roche sur-Yon 1925); praesertim de S. Augustino, v. a.2.

¹⁹ De ver. q.10 a.12; 1 CG 1,12.

nempe a *contingentia* rerum quae sub experientiam cadunt, cuius signa expenduntur, *motus* intrinsecus, *causalitas* deficiens, ipsa ratio *contingentiae*, et *gradus diversi* perfectionis, ex principio causalitatis exigitur Deus ut motor immobilis, causa incausata, ens necessarium et perfectissimum. Tandem quinta via ab ordine mundi ad summum ordinatorem concluditur, quae ad causalitatem *finalem* pertinet.

Temerarium esset negare de facto argumentum ullum adhuc propositum esse prorsus certum pro existentia Dei, licet non negaretur possibilitas abstracta perficiendae huiusmodi demonstrationis. En verba PII XI: «Quibus autem argumentis Thomas Deum esse docet, eumque esse ipsum Esse subsistens, ea sunt quoque hodie, sicut aevo medio, omnium firmissima ad probandum»²³.

24. **Obiectiones** vix possunt fundari nisi in negato vero valore rationis ad ens transcendens assequendum et universalissima vi principii causalitatis. Ideo, qui in his deficit, ad ea revocari debet, ut doctrinae catholicae adhaerere possit. Cum haec in Theologia naturali accurate expendantur, unam alteramve obiectionem tantum inuenimus.

KIRFEL, *Absolutes oder relatives Meist in Gottesbeweis aus den Stufen der Vollkommenheit*: PhilJahrb 27 (1914) 113-126; H.JOLY, *La preuve de l'existence de Dieu par les degrés de l'être* (Gand 1920); LEMAITRE, *La preuve de l'existence de Dieu par les degrés de l'être*: NouvRev Theol 54 (1927) 321-339.436-468; BASILI DE RUBI, *La quarta via de sant Tomas*: EstFranc 42 (1930) 341-356; U.BONAMARTINI, *De quarta via S.Thomae*: ActPontAcRomSTh 4 (1938) 108-132; LAUMEN, *Das Gottesargument aus den Stufen der Vollkommenheit in der beiden Summen des hl.Thomas*: PhilJahrb 50 (1937) 152-175.273-305; SCHERHAG, *Der Gottesbeweis aus der Seinsabstufung in der beiden Summen des Thomas v.Aquin*: l.c., 52 (1939) 265-230; VAN HOLTUM, *Der Gottesbeweis aus der Ordnung der Welt*: DivTh. (Fr) 7 (1920) 16-33; F.VAN STEENBERGHEN, *Le problème de l'existence de Dieu dans le «De ente et essentia» de saint Thomas d'Aquin*: Mélanges «Joseph de Ghellinck», II 837-847 (Gembloux 1951); M.BONVIGUES, *Pour l'interprétation des «quinque viae» de saint Thomas*: RechScRel 36 (1940) 593-601; A.BOEHM, *Autour du mystère des «Quinque viae» de Saint Thomas d'Aquin*: RevScRel 24 (1950) 217-234; H.HOLSTEIN, *L'origine aristotélicienne de la «Tertia via» de saint Thomas*: RevPhLov (Rev NeoscolPhil) 48 (1950) 354-370; G.DE ROSA, *La prove tomistiche della esistenza di Dio e la critica del Prof. C.Ottaviano*: Sap 3 (1950) 461-478; G.GIANNINI, *L'implicazione della prova di Dio agustiniana nelle «vie» tomistiche*: DoctComm 8 (1955) 52-58; F.VAN STEENBERGHEN, *La demonstration de l'existence de Dieu par la finalité de Saint Thomas d'Aquin* (Firenze 1955) 715-731.

²³ AAS 15 (1923) 317 Recentiora quaedam de hac re: A.INAEN, *Kantische und scholastische Einschätzung der natürlichen gotteskenntnis* (Innsbruck 1925) J.DE VRIES, *Vom Sinn und logischen Aufbau der Gottesbeweise*: Schol 15 (1940) 481-507; T.BARTH, *De tribus viis diversis existentiam divinam attingendi*: Ant 18 (1943) 91-117; A.MITTERER, *Der Bauegungssatz nach der Weltbild des hl. Thomas und der Gegenwart*: Schol 9 (934) 372-399.481-512; B.SCHULER, *Gotteslehre als Grundwissenschaft* (Paderborn 1950); C.FABRO, *Il problema di Dio* (Milano 1957); PH.DE LA TRINITÉ, *Les 5 voies de S.Thomas d'Aquin*: Divinitas 8 (1958) 268-338; M.OROMI, *El ser y la existencia de Dios en Escoto*: Pens 15 (1959) 202-228; A.VERZOTTE, *L'accès à Dieu par la conscience morale*: EphThLov 36 (1960) 481-502; T.O'BRIEN, *Metaphysic and the Existenz of God* (Washington 1960); L.ELDENS, *Justification des «cinq» voies*: RevThom 61 (1961) 207-225; J.ROBERT, *Philosophie des sciences, intelligibilité de l'univers et preuve de l'existence de Dieu*: ArchPhil 23 (1960) 327-387.

R.MASI, *Osservazione e obiezione del pensiero moderno filosofico e scientifico alle classiche prove dell'esistenza di Dio*: Doctor Communis 14 (1961) 202-240. F.VAN STEENBERGHEN, *Le problème de l'existence de Dieu dans le commentaire de Thomas d'Aquin «In Boethium de Trinitate»* (München 1957); H.U.VON BALTHASAR, *Die Gottesfrage des heutigen Menschen* (München 1956); M.BORDONI, *Note e discussione in torno al problema de la conoscenza di Dio*: Euntes Doctae 2 (1958) 274-289; R.MASI, *La dottrina del modernismo sulla conoscenza di Dio*: Ibid. 163-199; PLURES AUCTORES, *L'existence de Dieu* (Tournai 1961); M.CASULA, *Dimostrazione razionale dell'esistenza di Dio ed illegittimità della confutazione kantiana dell'argomento cosmologico*: CivCatt 111 (1960) 365-378.

1. «Medium demonstrationis est quod quid est (sc. essentia rei). Sed de Deo non possumus scire quid est, sed solum quid non est... Ergo non possumus demonstrare Deum esse» (q.2 a.2,2).

Dist. mai. In demonstratione propter quid, conc. mai.; in demonstratione quia, nego mai.; sufficit enim in illa «uti effectu loco definitionis causae... et accipere possumus pro medio quid significet hoc nomen Deus» (ibid. ad 2). *Trans. min.*, de qua in thesi sequenti.

2. «Cum causa non possit demonstrari per effectus sibi non proportionatos, videtur quod Deum esse non possit demonstrari» (ibid. 3).

Resp. «Per effectus non proportionatos causae non potest perfecta de causa cognitio haberi; sed tamen ex quocumque effectu manifesto potest demonstrari causam esse» (ibid. ad 3). Unde *dist. assert.* Per effectus causae non proportionatos non potest immediate et clare ostendi natura causae, conc.; per effectum quemlibet non potest ostendi necessariam tandem esse causam non causatam, seu primum Ens a se, nego.

25. 3. KANT opponit argumentum metaphysicum (cosmologicum vocat) ad ontologicum tandem reduci.

Satis leviter hoc induxit philosophus regiomontanus, ac prorsus falsum est, cum argumentum nostrum a posteriori sit, seu fulciatur in existentia reali entis contingentis, certe ope principii causalitatis, cuius universalem valorem sine ulla ratione, nec sine contradictione, negat.

4. Ab ente finito fieri non potest transitus ad ens infinitum, cum illud non contineat.

Dist. assert. Ab ente finito fieri non potest transitus immediatus ad ens infinitum, et quidem a solo ente finito, conc., sed nego suppositum, ut patet; transitus mediatum, vi principii causalitatis et analysi posteriori conceptus entis necessarii, nego. Ad rationem additam, nego duplex suppositum, et conclusionem contineri in altera tantum ex praemissis, et nullam aliam esse inclusionum logicam, nisi mere formalem.

26. **Scholion.** 1. *De innata Dei notitia apud SS.Patres. Innatismus*, ut iam inuimus, potest duplici modo invehi in quaestione de cognitione naturali Dei; aut ita ut potius significet inditam esse ab auctore naturae ideam aut meram notionem Dei, aut speciem eius, ad modum conditionis vel causae necessariae ut homo possit per rationem eius existentiam probare; aut ita ut ipsum iudicium de eius existentia infusum a Deo asseratur. Prior ille modus, in Philosophia parum probabilis, nostra directe non interest. De altera potius innatismi forma disputatur, cum quaeritur de innatismo apud SS.Patres. Docent enim sat frequenter Patres Ecclesiae adeo facilem et obviam esse notitiam de existentia Dei, ut eam innatam aut insitam videantur dicere. Utcumque multa de hac re hinc inde disceptata sint²⁴, videtur iam S.THOMAS sufficienter doctrinam Patrum complexum esse hac sententia: «Dei cognitio nobis innata dicitur esse, in quantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse»²⁵.

27. **Scholion.** 2. *De argumento a simultaneo.* Quaestio de valore huius argumenti, hac vel illa forma propositi, philosophica est; neque theologi scholastici eam discutientes censura theologica sententiam ullam afficiunt; neque unquam defuerunt qui illud admitterent, licet plures sint qui illi saltem valorem apodicticum negent; quod probabilius est.

²⁴ THOMASSINUS, *De theologicis dogmatibus, De Deo* 1.1; J.KLEE, *Histoire des dogmes v.1*; STAUDENMAIER, *Dogmatik* 2,1988; J.KUHN, *Gotteslehre* 54288; J.KLEUTGEN, *Die Philosophie der Vorzeit* 42888; FRANZELIN, th.7; PESCH, 21-23. De S.AUGUSTINO, v. LENNERZ, o.c., 87-89. ²⁵ In Boethium de Trinitate proem. q.1 a.3 ad 6, cf. a.2.

Verum in modo illud reiciendi satis variant auctores²⁶. Hac in re ita procedendum videtur. Propositio «Deus est» est per se nota quoad se, sed non quoad nos (q.2 a.1); ideo ex se rectus est transitus a notione Dei ad eius existentiam; sed nobis non est. Ratio est quia notio entis a se ante probatam a posteriori eius existentiam non satis et positive apparet nobis ut possibilis. Etsi enim ex se et ex suo conceptu ens a se importat omnimodam perfectionem, ac proinde summam possibilitatem, imo et necessitatem existendi, tot difficultates invenit mens in coniungendis perfectionibus quae inter se videntur cohaerere non posse (nota est difficultas de libertate Dei), ut non nisi negative eas solvere possit; ideo possibilitas entis a se, nondum probata de facto eius existentia, non nisi negative menti apparet. Iam ex notione quae menti non apparet positive possibilis, nihil potest cum certitudine probari. Solutiones enim negativae valent, si obiectum de quo agitur existere aut positive possibile esse aliunde constat; etsi mens suspicari potest totam difficultatem oriri ex imperfecta analogia conceptus quem de Deo habemus. Ideo non videtur huic argumento negandus valor probabilitatis aut suasionis; sed non potest dici argumentum certum quod in re tanti momenti omnino desideratur.

Thesis 3. Etsi imperfecte, vere tamen potest mens humana cognoscere quid Deus sit, quod quidem obtinet pluribus praedicatis, non mere synonymis, ei tributis.

S.Th., q.12 a.12; q.13 a.2.3.4.12; FRANZELIN, th.12.13; LENNERZ, n.95-119; PESCH, prop.15; SCHEEBEN, 1.63.64; CHOSSAT, Agnosticisme: DAFC 1,1-76.

28. Nexus. Quaestionem «an Deus sit» sequitur quaestio «quid Deus sit». Etsi enim existentia Dei affirmari nequit, quin aliqua notio de Deo habeatur, quo possit a ceteris rebus distingui, iure tamen ulterius quaeritur an possit adquiri distinctior et accuratior quaedam cognitio de eius essentia vel natura; ita enim in rerum inquisitione communiter procedimus.

29. Notiones. In rebus intellectui humano proportionatis, perveniri potest ad cognitionem essentiae propriam ex propriis, plus minus perfectam. Sed in rebus remotioribus distincta illa cognitio, utcumque laboriosa inquisitione comparata,

²⁶ Infinita propemodum est copia scriptorum de hoc celebri argumento; neque ullus est fere theologus aut philosophus qui rem omiserit, ipsis quoque philosophis extra scholam, ut DESCARTES, LEIBNIZ et KANT, non exceptis. Praeter auctores iam relatos de argumentis pro existentia Dei in universum, de mente et valore probationis v. quaedam recentiora: B.ADLOCH, *Der Gottesbeweis des hl. Anselm*: PhilJahrb 8 (1895) 52-69.372-389; PASCHEN, *Der ontologische Gottesbeweis in der Scholastik* (Aachen 1903); T. ESSER, *Der ontologische Gottesbeweis und seine Geschichte* (Bonn 1905); A. DYROFF, *Der ontologische Gottesbeweis in der Scholastik* (Münster 1928); D.CAPPUYNS, *L'argument de S. Anselme*: RechThAncMéd 7 (1934) 313-330; Bulletin (1938) 648ss; J.KOLPING, *Anselmsprosligionbeweis der Existenz Gottes* (Bonn 1939); R.JOLIVET-BUYSSONIE, *L'argument ontologique*: RevApol 53 (1931) 154-169; A.MIRANDA BARBOSA, *As provas anselmianas da existencia de Deus*: Revista portuguesa de Filosofia I (1945) 158-175; P.SPEDALIERI, *Anselmus an Gaunilo? seu de recta argumento S. Anselmi interpretatione*: Greg 28 (1947) 55-57; E.CARRUCCIO, *Discussione sull'argomento gnosologico dell'esistenza di Dio*: DivTh(Pi) 53 (1950) 241-245; S.A.GRAVE, *The ontological Argument of St. Anselm*: Philosophy 27 (1953) 30-38; M.A.SCHMIDT, *Quod maior sit quam cogitari possit (Anselm v. Canterbury, Prosligion)*: TheolSchrift 12 (1956) 337-346; D.HENRICH, *Der ontologische Gottesbeweis. Sein Problem und seine geschichte in der Neuzeit* (Tübingen 1960).

non ultra procedit, quam ut habeatur cognitio quaedam analogica, propria, ut dicitur, ex communibus, per relationem ad alia nobis notiora. Imo res altissimas, ut sunt divinae, vix possumus hoc modo cognoscere, nisi per plures notiones et praedicata; quia res huiusmodi, etsi eas ut simplicissimas agnoscimus, nequimus tamen intimius penetrare, nisi in quantum similitudinem quamdam habent cum multiplici perfectione creata. Haec autem praedicata, etsi obiective in re ipsa prorsus identificantur, non sunt mere synonyma, quia distinguuntur ratione ratiocinata, et cum magno fundamento in re, ob infinitam eminentiam divinitatis, prout respondet diversis conceptibus nostris¹.

Asserimus ergo: a) Vere mens humana potest aliquatenus cognoscere ESSENTIAM Dei, «quid Deus sit», in quantum efformare sibi potest expolitiorum ac distinctiorum notionem de divinitate. b) IMPERFECTA est haec cognitio, quia non assurgit ad notionem propriam ex propriis, sed tantum per remotam analogiam obtineri potest. c) Id mens obtinet assertis de Deo PLURIBUS ATTRIBUTIS, seu praedicatis de Deo pluribus notionibus; d) quae quidem attributa NON SUNT MERE SYNONIMA, seu non idem significant, sed quid formaliter diversum.

Cognitio naturalis essentiae divinae, quam tenemus, est, ut cognitio eius existentiae, mediata, seu ex rebus creatis hausta. De hac una agimus in thesi, hancque solam naturale agnoscimus, ut a.2 patebit. Quid illa contineat c.2 videbimus.

Haec quae de naturali cognitione divinitatis asserimus, etiam in cognitione per fidem locum habent, qua, etsi nova quaedam et mysteria de Deo affirmamus, non nisi secundum conceptus naturales quos de Deo habemus.

30. Adversarii. Eunomiani ausi sunt sibi adscribere comprehensionem divinitatis²; negabant etiam omnem distinctionem rationis in divinis.

Philosophi quidam arabes et iudaei medio aevo, praesertim MOYSES MAIMONIDES, agnosticismo praeludentes, dixerunt omnia nomina dici de Deo negative tantum et relative, seu secundum effectus quos causant³.

ECKARD negavit omnem praedicatorum distinctionem in

¹ V. FRANZELIN, th. 12.153; PESCH, 99; CH. DE MORÉ-PONTGIBAUD, *Sur l'analogie des noms Divins*: RechScRel 19 (1929) 481-512; 20 (1930) 193-223; 38 (1952) 161-188; 42 (1954) 321-360; eiusdem auctoris, *Du fini à l'infini. Introduction à l'étude de la connaissance de Dieu* (Paris 1956).

² DE EUNOMIANORUM doctrina v. th.6.

³ V. S.Th., I q.13 a.2; De pot. q.7. Agnosticisimum Maimonidis collatum cum recentiore huius erroris forma reperies apud CHOSSAT, *Agnosticisme*: DAFC 1,28-31.66ss. Cf. etiam LEVY, *La métaphysique de Maimonide* (Dijón 1906); GUTTMAN, *Moses ben Maimon* (Leipzig 1908) et auctores Historiae Philosophiae.

Deo; imo ipsum praedicatum bonitatis ei tribui non debere edixit⁴.

Quidam *nominales* omnia praedicata de Deo synonyma esse tenuerunt, aut non nisi secundum connotata aliquid significare⁵.

Moderni *agnosticici et modernistae, symbolismo*, ut aiunt, explicant nostras de Deo cognitiones; repraesentationes sc. de divinis non esse nisi symbola quaedam omni valore obiectivo destitutas; ideo propositiones de subiecto «Deus» non aliud significare quam «Deus est x vel y», quid ignotum⁶.

31. Doctrina Ecclesiae. Damnatae sunt propositiones Eckardi (D 523 524 528), et symbolismus modernista (D 2079 2087 2108). V. thes. I a Bautain subscriptam (D 1622). PIUS IX Litteris *Gravissimas inter* (D 1670), LEO XIII *Aeterni Patris* et PIUS X *Iucunda sane* possibilem asserunt demonstrationem attributorum Dei⁷.

Valor theologicus. Saltem *theologicæ certa*, quoad omnes partes.

Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae multa de Deo docent, nec solum ut revelata, sed etiam, ut naturaliter nota ex rebus creatis; sic Rom 1,20: *sempiterna quoque eius virtus et divinitas*; Sap 13, Ps 18,1 etc. Simul tamen asserunt Deum *lucem inhabitare inaccessibilem* 1 Tim 6,16; Deum non cognosci *nunc nisi ex parte, per speculum, in aenigmate* 1 Cor 13,9,12, quo manifeste excluditur perfecta et intima de essentia Dei cognitio.

32. Probatur ex traditione. SS. Patres utrumque etiam saepius declarant, atque impugnant eunomianos distinctiorem notitiam de rebus divinis per *conceptus* ratione ratiocinata *diversos* clare exponunt. S. BASILIUS: «Nullum quidem nomen est quod totam Dei naturam complexum sat eam possit enuntiare; plura vero et varia, singula in propria significatione, obscuram quidem omnino et perquam exiguam, si cum toto com-

⁴ H. DENIFLE, *Meister Eckharts lateinische Schriften und die Grundanschauung seiner Lehre* (Freiburg 1886): ArchLitKirschMt, 2,416-652.687; J. DANIELS, *Eine lateinische Refertigungsschrift des Meister Eckhart* (Münster 1923); A. THÉRY, *Commentaire de Maître Eckhart sur le livre de la Sagesse* (Paris 1928-1929): ArchHistDoctrLitMA 3,321-443; 4,233-294; O. KARRER, *Das göttliche in der Seele bei Meister Eckhart* (Würzburg 1928); J. KOCH, *Eckhart und die jüdische Philosophie* (Leipzig 1928); A. DEMPFF, *Meister Eckhart* (Leipzig 1934); S. DELLA VOLPE, *Il misticismo speculativo di Maestro Eckhart* (Bologna 1930).

⁵ G. BIEL, in 1 d.2 q.28.

⁶ Praeter supra notata, de agnosticismo modernistico v. CHOSSAT, l.c., 66ss; S. HARENT, *Expérience et foi*: Et 113 (1907) 221-250; A. GISLER, *Der modernismus* (Einsiedeln 1912); M. GRABMANN, *Der modernismus* (München 1908); C. PESCH, *Theologische Zeitfragen* 4 (Freiburg 1908); C. BRAIG, *Modernister Christentum und moderne Religionspsychologie* (Freiburg 1907).

⁷ V. supra, n.22.

paretur, nobis tamen *sufficientem intelligentiam* conferunt. Ex his enim duobus, et ex eorum quae adsunt confessione, et eorum quae absunt negatione, quidam Dei character nobis imprimitur» (R 936). S. GREGORIUS NYSSENUS: «Dictum est a nobis... divinae naturae confusam et perexiguam perceptionem nos habere per ratiocinia; per nomina tamen quae de illo pie dicuntur, sufficientem exiguitati nostrae facultatis scientiam colligimus. Omnium autem eorum nominum *non uniformem* esse significationem praedicamus... *Ex negatione* eorum quae non insunt, et *ex affirmatione* eorum quae de eo pie intelliguntur, quid sit apprehenditur... multis et variis cognominibus quoad ipsum usi sumus, appellationes secundum cogitationum differentiam accommodantes» (R 1047-1049). S. AUGUSTINUS: «Deus vero multipliciter quidem dicitur, bonus, sapiens, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur... et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse» (R 1666)⁸.

33. Ratio theologica. S. Thomas tota q.13 agnosticisimum Maimonidis, nominalium et modernistarum apprime refellit. Summa eius doctrinae haec est:

a) Deum cognoscimus ex creaturis, secundum *habitudinem principii* et per modum *excellentiae* et *remotionis*; intellectus ergo cognoscit Deum, secundum quod creaturae eum repraesentant. Sed creaturae imperfecte eum repraesentant. Sic igitur nomina quae ei tribuuntur divinam substantiam significant, sed imperfecte.

b) Deus quidem in se consideratus est omnino unus et simplex; sed tamen intellectus noster *secundum diversas conceptiones* ipsum cognoscit, eo quod non potest eum ut in se est videre.

c) Haec autem nomina *non sunt synonyma*, quia habent rationes diversas. Sicut autem diversis perfectionibus creaturarum respondet unum et simplex principium repraesentatum per diversas perfectiones creaturarum varie et multipliciter, ita variis et multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex, secundum diversas conceptiones imperfecte intellectum. Et ideo nomina Deo tributa,

⁸ PETAVIUS, l.1 c.5 n.5; THOMASSINUS, l.4 c.7-12, cuius tamen conclusiones admitti nequeunt (v. LE BACHELET, l. infra c.); SCHEEBEN, *Dogmatik* 1,478ss; POHLE-GIERENS, 1,50ss; MARÉCHAL, *Concordance des saints Pères de l'Eglise grecs et latins* (Paris 1739); SCHMIT, *Saint Irénée et les gnostiques*: Revue catholique de Louvain 13 (1885) 228ss; praesertim X. LE BACHELET, *Dieu, sa nature d'après les Pères*: DTC 4,1023-1020.1083-1094.1132-1142.1149-1151; de S. AUGUSTINO praeterea PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,1106-1116.

licet significant unam rem, tamen, quia significant eam sub rationibus multis et diversis, non sunt synonyma.

34. Agnosticisimus Maimonidis refellitur, quia est contra sensum communem, seu intellectum loquentium de Deo, et quia non potest assignari ratio quare quaedam nomina dicantur de Deo magis quam alia. Primum quidem, quia aliud intelligitur cum dicitur Deus vivens, quam mere quod sit causa vitae nostrae. Alterum, quia eodem modo Deus est causa bonitatis quam corporum, et tamen dicitur Deus bonus, non tamen corporeus⁹.

Hinc triplex illud stadium ad capessendam essentiam Dei, a Patribus et praesertim a Ps.Dionysio notatum: via *affirmationis*, qua attributa dicuntur de Deo; via *negationis*, qua limitationes et imperfectiones omnes ab eo excluduntur; via *eminentiae*, qua tandem explicite plenitudinem asserimus superexcellentissimae perfectionis divinae supra omne quod cogitare potest mens creata¹⁰.

35. **Obiectiones.** 1. *Lateranense IV* docet: «Inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda» (D 432). Ergo tollitur fundamentum ad praedicationem ullam positivam de Deo.

Verba Concilii Lateranensis damnant absurdam similitudinem inductam ab ABBATE IOACHIM inter unitatem divinarum personarum et unionem fidelium in Christo (D 431). Nihil ergo ad rem nostram. Sed admissio, ut patet, principio, *dist. cons.* Tollitur fundamentum ad asserendam Deo positivam ullam perfectionem, prout invenitur in creatis, *conc.*; secundum conceptum praecisum ab imperfectionibus, *nego*.

36. 2. Ipse S.THOMAS dicit: «De Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit» (q.3 prooem.) et saepe alias; quod a SS.Patribus, et ab auctoribus contemplativis et mysticis saepe profertur et ponderatur. Hinc theologia quam vocant negativam et «docta ignorantia» afferuntur, ut quae maxime attingunt Deum. Ergo non possumus, saltem via rationis, cognoscere essentiam Dei, utpote quid ignotum; sed tantum via affectus atque experientia quadam extra lineam intellectus.

Dist. antec. Haec dicuntur ut vividius exprimat imperfectio cognitionis nostrae de Deo, et quia non cognoscimus essentiam eius ex propriis, sed tantum ex notionibus communibus analogis, *conc. antec.*; quod nullo modo conceptum proprium et expolitorem de eo habeamus, *nego antec.*; ut patet ex probatis a S.THOMA (q.13 a.2 ad 3) et Patribus. Hinc theologia *negativa* recte intellecta, nempe supposita via affirmationis, optima est ad attingendum Deum, et quidem via intellectus, in quantum per negationem limitationum ac imperfectionum, quae essentialiter includuntur in notionibus e rebus creatis haustis, e quibus necessario ascendimus ad Deum, conceptum aliquem efformamus eius supereminentiae, *conc.*; quasi

⁹ V. De pot. q.7; CHOSSAT, l.c.; SUÁREZ, De Deo tr.1 l.1 c.11.

¹⁰ FRANZELIN, th.12; POHLE-GIERENS, o.c., 55-57; LENNERZ, 107-111; M.FAULHABER, Die drei Wege des Gotteserkenntnis (Würzburg 1924). Et in universum tractatus de Deo et Theologiae naturalis, v. th. de infinitate Dei. Textus Patrum de triplice via v. in R ind.theol. n.113-115.

in *docta ignorantia* intellectuale lumen exstingueretur, *nego*. Et *nego cons.*, quae non recte fluit ex solida et probata doctrina mystica¹¹.

Acute et vere notat PESCH: «Proprie igitur de Deo nihil *negamus*, nisi *negationes*, qui est modus affirmandi maxime emphaticus¹². Atque animadverti debet, ut saepe theologi praestant, auctores mysticos non loqui modo scientifico; unde nullo modo amplianda sunt eorum dicta, sed potius accurato examini subiicienda. Quid veritatis in his locutionibus luceat ita exponit FRANZELIN: «Quo perfectius Deum cognoscimus, eo perfectius intelligimus rationem cur nec comprehendi, nec ut in se est intelligi in hac vita possit; quae sc. ratio est ipsa infinita Dei perfectio, prae finito et imperfecto modo cognoscendi nostro. Ordine proinde inverso, quo profundius intelligimus hanc rationem nostrae *relativae ignorantiae*, eo verius et *profundius* intelligimus perfectionem Dei»¹³.

Argutiae et sophismata nominalium ac modernistarum ceterorumque agnosticorum soluta videri possunt in Theologia naturali et apud S.Thomam q.13. Principia generalia tanguntur in quaestione de simplicitate aliisque attributis divinis¹⁴.

ARTICULUS II

DE VISIONE DEI INTUITIVA

37. Cognitio Dei in superioribus ut possibilis asserta *naturalis* est, acquisita ab homine per sua naturalia, et *mediata*, utpote ex rebus creatis hausta. Nunc autem de perfectione quadam intelligentia rerum divinarum agendum est, quam *supernaturalem* esse statuimus. Ea autem duplex est: altera in via per *fidem*, altera in patria per *intuitionem* seu visionem Dei. Prior, ut patet, est etiam *mediata*, quippe quae non est nisi adhaesio intellectualis rebus a Deo per revelationem propositis. Eam possibilem esse in fundamentalibus probatur, eiusque natura abunde in tractatu de fide exponitur; nihil igitur de ea hic addendum videtur.

Visio intuitiva divinae essentiae proposita est in revelatione ut *finis ultimus supernaturalis* ad quem de facto natura rationalis elevata est; ideoque considerari potest, et ut *principium ordinis supernaturalis* et totius ordinis moralis, et ut praecipuum *constitutivum* aeternae *beatitudinis* creaturae rationalis;

¹¹ V. S.TH., In Boethium de Trinitate q.12 a.1, et probatos auctores de Theologia mystica.

¹² PESCH, 97.

¹³ FRANZELIN, 160.

¹⁴ Cf. GLOSSNER, Der spekulative Gottesbegriff in der neuen und neusten Philosophie (Paderborn 1894); J.GEYSER, Das philosophische Gottesproblem in seiner wichtigsten Auffassungen (Bonn 1899); VON WAHLTHOFEN, Die Gottesidee in religiöser und spekulativer Richtung (Wien 1901); C.NINK, Zur Frage des innergöttlichen Seinsbegründung: Schol 32 (1957) 198-325; A.LEONARD, La tentative de M.H.Duméry: RecScPhTh 43 (1959) 283-300; W.BRUGGER, H.Duméry und das Problem des Gotteserkenntnis: Schol 34 (1959) 233-239; E.FARLEY, The Transcendence of God (Philadelphia 1960); J.BAILLIE, Our Knowledge of God (New York 1961); F.VAN STEENBERGEN, Dieu caché (Louvain 1961); J.MURRAY, On the Structure of Problem of God: TheolStud 23 (1961) 1-26; G.BORTOLASSO, Ricerca razionale di Dio: CivCatt 113 (1962) 443-451.

sub priori consideratione agere de illa debet tractatio de Deo elevante et Theologia moralis; sub altera in tractatu de novissimis proprium locum habet. Verum de intuitione divina agi potest in quantum est *modus* quidam, et quidem excellentissimus, *attingendi Deum*. Ideo S.Thomas q.12 huius primae partis maximam partem illi tribuit eundemque ordinem et nos tenebimus, qui praesertim nostris diebus peculiari quadam ratione commendari videtur, cum vix possint quaestiones attacktae de naturali Dei cognitione penitus declarari, quin natura visionis divinae exponatur et accurate discernatur a fucatis quibusdam intuitionibus divinitatis, de quibus sermo frequens est. Cum vero intuitiva divinae essentiae visio creaturae possibilis in infinitum distet a perfecta ac plena comprehensione, de incomprehensibilitate Dei oportet simul sermonem facere.

Thesis 4. Intellectus creatus ad intuitivam Dei visionem elevari potest.

S.Th., q.12 a.1; SUÁREZ, *De Deo* tr.I l.2 c.18ss; FRANZELIN, th.15; MUNCUNILL, 211-237; BERAZA, *De Deo elevante* 133-147; LENNERZ, 123-136.

38. Nexus. Cum de cognitione Dei agatur adeo elevata supra conditionem naturalem intellectus creati, primum opus est inquirere in eius possibilitatem.

Notio VISIONIS INTUITIVAE DEI desumi debet ex documentis ecclesiasticis, quae eam beatis assignant; agimus enim de *vera et proprie dicta cognitione intuitiva essentiae Dei*, non de fucatis quibusdam modis attingendi Deum, quae hoc nomine forte decorentur, de quibus aliqua in scholiis huius articuli.

In definitionibus BENEDICTI XII «animae Sanctorum... vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente» (D 530) et CONCILII FLORENTINI «intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est» (D 693), dicitur visio intuitiva Dei *cognitio clara et distincta Dei unius et trini et essentiae divinae ut est in se; cognitio immediata*, nullo alio obiecto viso mediante, sed per praesentiam ipsius Dei se menti ostendens. Est ergo visio intuitiva Dei cognitio, quae *ad instar visionis ocularis* (e qua nomen translatum habet) perfectionibus gaudet oppositis imperfectionibus cognitionis mediatae et analogicae (I Cor 13,8-12).

Ideo, ut declarant theologi, a) est cognitio Dei praesentis, et *immediata*; b) est *conceptus proprius Dei*, ac proinde cognitio *quidditativa*, seu cognitio distincta Dei *quoad quid est*, ideo

dicitur *visio essentiae divinae*, estque *visio Trinitatis*; c) tandem gaudet peculiari illa *claritate et certitudine* qua mens de obiecti praesentia penitus certior fit, propria visionis ocularis.

Visio intuitiva proprie dicta, intellectualis, rei simplicissimae immediate praesentis necessario est *cognitio quidditativa* seu penetrativa essentiae illius; quia res ipsa immediate per se ipsam intellectui se offert, ideoque de illa cognoscuntur omnes proprietates essentiales eius, quae est cognitio quidditativa; quare non est superficialis ut est visio ocularis¹. Id effertur in definitione Benedicti XII: *divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis se ostendente*.

Hanc visionem intuitivam Dei *possibilem* esse intellectui creato, utique elevato, est doctrina catholica contenta in *facto revelato visionis beatificae* fine ultimo supernaturali creaturae rationalis, quidquid est de quaestione an detur aut possit dari in hac vita.

39. Adversarii. *Palamitae* seu *Hesychastae*, graeci separati s.XIV, ita dicti a GREGORIO PALAMA et a contemplatione semiquietista cui dediti erant². Docebant ii sanctos in caelo non intueri divinam substantiam, sed splendorem quemdam, increatum quidem, sed ab ipso Deo distinctum, similem lumini quo circumfusus apparuit Christus Dominus in transfiguratione. Hic error tribuitur etiam *armenis* in libello *Iam dudum* BENEDICTI XII³. Id iam fere docuerat THEODORETUS (R 2150); idemque tradere dicuntur aliqui *PP.graeci*, qui eunomianos impugnarunt; tamen eorum locutiones benigniorem interpretationem postulant, ut in solvendis obiectionibus apparebit.

Doctrina Ecclesiae continetur allatis definitionibus BENEDICTI XII (D 530) et *Concilii Florentini* (D 693).

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica, implicite* et a fortiori *definita* in facto visionis beatificae.

40. Probatum ex sacra Scriptura. I. Cor 13,8-12: *Caritas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognosci-*

¹ De cognitione quidditativa et intuitiva v. CAIETANUM, *In q.12 a.1*; SUÁREZ, c.18 n.4; LOSSADA, *Cursus philosophicus, Animastica* d.8 c.5 (ed.Barcinone 1883, v.9 p.210-215).

² De palamismo novo quodam modo instaurato apud Orientales separatos v. tractatus Theologiae orientalis, ut M.JUGIS, *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* (Paris 1926, 1933) I 433, II 93-94; A.AMANN, *Die Gottesschau im palamitischen Hesychismus* (Würzburg 1938); C.KERN, *Les éléments de la théologie de Grégoire Palamas: Irenikon* 20 (1947) 6-33; M.CANDAL, *Fuentes palamíticas: OrChristPer* 16 (1950) 303-357; B.SCHULTZE, *Die Bedeutung des Palamismus in der russischen Theologie des Gegenwarts: Schol* 26 (1951) 390-412; E.VON IVANKA, *Palamismus und Vätertradition* (Chevetogne 1955); C.JOURNET, *Palamisme et thomisme: RevThom* 60 (1960) 420-452.

³ Litterae *Iam dudum*: Msi 25,1196. Hunc errorem tenuisse non videntur ABÆLARDUS et ARNALDUS DE BRESCIA; cf. MOTTE, *Une fausse accusation contre Abélard et Arnaud de Brescia: RevScPhTh* 22 (1933) 27-46; IANSEN, *La cinquième erreur Arménienne: EphThLov* 16 (1939) 94-110.

mus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum⁴. Cognitio de Deo in caelo dicitur quid perfectum, exclusis imperfectionibus quas habent in via dona divina intellectualia, etiam suprema; quo tum *negative*, tum *positive*, cognitio Dei in patria dicitur *visio intuitiva*. Nam cognitio Dei in hac vita est ex parte, *obscura et mediata*, utpote per speculum in aenigmate, ac *superficialis*, ut est cognitio puerorum. E contra cognitio patriae est *intima, plena, immediata et clara*.

41. Apostolus hoc loco, ut commendat caritatem ut viam excellentiorem quam charismata 12,31, docet eam manere in caelo, cum venerit quod perfectum est v.10, ubi charismata intellectualia, etiam maxima cessabunt, ob eorum imperfectionem. Ut id ostendat opponit notas imperfectas, quas habet omnis nostra cognitio de Deo in hac vita, summae perfectioni cognitionis caelestis.

Cognitio in terra est ex parte v.9.12, obiectum cognoscitur quasi partialiter, sub hac vel illa ratione; cognitio autem Dei in caelo erit non ex parte, sed sicut *cognitus sum* a Deo v.10.12, ideo ἐπιγνώσομαι, *plene cognoscam*, eodem modo intuitivo quo Deus me cognoscit (non certe eodem gradu). Cognitio nostra est *superficialis*, ut est cognitio parvuli v.11, quod evacuabitur in caelo; haec ergo erit *penetrans, plena, quidditativa* nempe, ut aiunt scholastici. Radix vero huius imperfectionis est quod nunc videmus res divinas per speculum in aenigmate v.12; per speculum, quia nostra cognitio de Deo est mediata (th.1-3); in aenigmate, quia *obscura, obvoluta, analoga*. Cognitio autem in caelo erit *immediata, clara et propria*. *Negative* ergo, sc. per negationem imperfectionum declaratur perfectio cognitionis in caelo ut visio intuitiva.

Positive vero id exprimitur verbo *facie ad faciem* v.12, ex hebraico *panim-al-panim*, quae locutio addita verbis videndi significat visionem intuitivam, *videre ita ut facies sit faciei obversa, immediate, coram, et cognoscam sicut et cognitus sum*.

42. I Io 3,2: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*⁵. Duplici modo exponi potest: aut cum apparuerit τὸ «quid erimus» similes Deo erimus, quia videbimus Deum sicuti est; aut cum apparuerit *Christus* in tota gloria *parousiae* ut Deus-homo, similes ei erimus quia videbimus *Deum-hominem* sicuti est. Prior expositio probabilior videtur, ut cum contextu magis consona ac maiore vi pollens; at in utraque continetur visio Dei.

⁴ F.CEUPPENS, o.c., 105-107; F.ZORELL, *Lexicon graecum N.T.* (Paris 1931) 1308; J.SICKENBERGER, *Die Briefe des hl.Paulus an die Korinther und Römer* (Freiburg 1932) 63; J.HUBY, *La première épître aux Corinthiens* (Paris 1946) 310; DUPONT, o.c., 106-145; LENNERZ, 126.

⁵ CEUPPENS, o.c., 108-109; J.BONSIRVEN, *Les Epîtres de S.Jean* (Paris 1936) 164.

Alii textus adducti a Patribus sunt: Mt 5,8; 18,10; 2 Cor 5,6-8; Apoc 22,4.

43. **Probatur ex traditione.** Patres saepe, cum agunt de beatitudine et commentantur locos S.Scripturae clare asserunt beatam visionem Dei proprie dictam. Sint in specimen S.IRENAEUS: «Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, quibus vult et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus; visus quidem tunc per Spiritum prophetiae, visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno caelorum *paternaliter*; Spiritu quidem praeparante hominem in Filio Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in aeternam vitam, quae unicuique evenit ex hoc quod videat Deum» (R 236). Ubi notandus triplex gradus cognitionis; cum autem Patri approprietur peculiari modo divinitas, cognitio qua Deus videtur *paternaliter* non aliud significare potest quam visionem Dei stricte dictam.

S.AUGUSTINUS: «Illi quippe angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam praesentiam immutabilis veritatis, hoc est, Verbum eius unigenitum, et ipsum Verbum, et Patrem, et eorum Spiritum Sanctum; eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse substantiam, et tamen omnes non tres deos esse, sed unum Deum ita noverunt, ut iis magis ista quam nos ipsi nobis cogniti simus» (R 1752). «Sic iam facie ad faciem vident sancti angeli... Sicut ergo illi vident, et nos visuri sumus... Praemium itaque nobis visio ista servatur» (R 1786), ac saepe alias. S.GREGORIUS MAGNUS iam in antecessum errorem palamitarum refellit: «Fuere nonnulli qui Deum dicerent in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit, neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et aliud natura; sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est»⁶.

Ex Patribus qui eunomianos impugnant S.BASILIIUS (sive potius EVAGRIUS PONTICUS): «Cum autem non amplius Deum in speculis neque per aliena cognoscemus, sed ad ipsum veluti solum et unicum accedemus, tunc et extremum finem sciemus. Nam regnum Dei et Patris ferunt esse immateriale et ipsius divinitatis contemplationem» (R 913). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Quid dicitur quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis regiis aedibus ipsum regem conspiciere licebit, non ultra in

⁶ *Moralia* l.18 n.90: ML 76,93.

aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem, non ultra per fidem sed per speciem?» (R 1114). S.EPIPHANIUS (R 1106) etc.

44. Ratio theologica. 1. Sola *ratione naturali* non videtur probari posse *positive possibilis* visio intuitiva divinitatis cum probabilius sit mysterium stricte dictum. Quare rationes quae afferuntur, vel sunt *congruentiae*, quibus mens manuducatur ad eam ut revelatam accipiendam, ut est quam S.Thomas h.l. affert ex appetitu naturali videndi causam cognito effectu⁷; vel *negative* ostendunt non probari eam esse *impossibilem*, ut quod Deus ut est in se non est omnino extra obiectum intellectus, cum hic habeat capacitatem quamdam universalissimam, nec appareat clare repugnantia in visione obiecti superioris per potentiam inferiorem, si sufficienter a superiore iuvetur.

2. *Ratione vero theologica* bene probatur ex iis quae revelata sunt de donis supernaturalibus in via. Nam supposita fide de mysteriis divinitatis, mens non potest quiescere nisi in contemplatione ipsius deitatis. In universum vita divina, quae iam in terris nobis confertur, intelligi non potest, nisi ut anticipatio et arrhae supremae ipsius vitae Dei, ut ipsi textus Scripturae docent (1 Io 3,1-3).

45. Obiectiones. 1. In V.T. Gen 32,30; Ex 33,11; Num 12,8; 14,14 dicitur Deus *locutus* vel etiam *visus «facie ad faciem»* a Iacob, Moysse, populo hebraeo. Atqui tamen non videtur iis communicata vera visio intuitiva Dei. Ergo ex 1 Cor 13 non satis probatur thesis.

In primis argumentum non fit ex sola locutione *facie ad faciem*, sed ex tota doctrina illius loci. Deinde ex illis textibus V.T. sequeretur ut summum Iacob et Moysi concessam esse iam in via, licet transitorie, visionem Dei, quod contra thesim non est, ut patet. Tamen probabilius ex ipsa S.Scriptura Ex 33,20; Act 7,30ss; Gal 3,19; Hebr 2,2; Apoc 22,8.9 non docetur visio intuitiva *divinitatis* locis relatis, sed illae theophaniae videntur factae per angelos, qui nomine Dei et in eius persona loquebantur. Nec tamen deficit proprietas locutionis *facie ad faciem*, quia Iacob et Moyses vere videbant intuitive speciem angeli loquentis. Quare cum S.Paulus manifeste agat de ipso Deo, locutio facie ad faciem significat eo loco visionem intuitivam divinitatis⁸.

Secundum ordinem providentiae ordinariae visio Dei intuitiva non datur in hac vita mortali, q.12 a.11; nec sufficienter probatur eam aliquando communicatam esse, nisi interdum B.Mariae Virgini, ut pie censet Suárez⁹.

2. Patres qui expugnarunt eunomianos videntur negare beatis intuitionem divinitatis, quam solis divinis personis tribuunt. Ita S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: «Sed vident angeli non quemadmodum est Deus sed

⁷ De hac ratione v. Scholion th.seq. De probationibus ex ratione, cf. J.TERRIEN, *La grâce et la gloire* (Paris 1893) t.2 app.9.

⁸ PESCH, 66.

⁹ De mysteriis vitae Christi d.19 s.4 n.2-5; P.LAVAUD, *Moise et S.Paul ont-ils eu la vision de Dieu dès ici bas?*; RevThom 35 (1930) 75-83.252-256.

in quantum ipsi capiunt... solum videre potest, ut oportet, una cum Filio Spiritus Sanctus» (R 822); praesertim S.IOANNES CHRYSOSTOMUS saepe in homiliis «De incomprehensibili» (R 1123 1126 1128).

Ut locutiones Patrum probe intelligantur, notandum est eunomianos sibi adscribere perfectissimam Dei cognitionem, se cognoscere Deum tam perfecte quam Deus ipse se cognoscit, ut referunt CHRYSOSTOMUS, EPIPHANIUS et SOCRATES¹⁰. Absurdus huiusmodi deliramentis contradicunt PP. illis locutionibus quibus asserunt neque angelos in caelo videre Deum, negant sc. illis *perfectam comprehensionem divinitatis*, quod sufficienter exprimunt modis quibus definiunt sensum verborum, velut *ut oportet, perfectam comprehensionem* (ὡς χρῆ, ἀκριβῆ κατάληψιν); neque aliud sonant verba quibus asserunt Deum se attemperare conditioni creaturae ut possit videri pro eius modulo; S.THOMAS h.l. ad 1¹¹. Alii Patres qui interdum quid simile proferunt satis manifeste loquuntur vel de visione corporali, vel de visione in hac vita.

46. 3. Inter intellectum cognoscentem et obiectum cognitum debet dari proportio. Atqui nulla est proportio inter ens finitum et ens infinitum. Ergo impossibilis est visio intuitiva Dei.

Dist. mai. Inter intellectum modo connaturali cognoscentem et obiectum proportionatum debet dari proportio simpliciter dicta, *conc. mai.*; in cognitione supernaturali per auxilium divinum elicitam, *subdist.*: debet dari proportio proprie dicta, *nego mai.*; debet dari aliqua habitudo, seu proportio, ut dicitur, alicuius habitudinibus, *conc. mai.*; sufficit nempe ut obiectum non sit omnino extra sphaeram activitatis intellectus spiritualis, cuius obiectum adaequatum est ens universalissime acceptum.

Inst. 1. Obiectum infinitum attingi nequit immediate et clare ab intellectu finito.

Nego inst., nam non est idem, rem infinitam attingi immediate et clare, ac cognosci modo infinito. V. th.6.

Inst. 2. Minus distat oculus corporeus a re spirituali, quam intellectus creatus a Deo. Ergo si hic elevari potest ad videndum Deum, posset etiam ille attingere rem spiritualem.

Dist. antec. Oculus corporeus minus distat entitative a re spirituali, quam intellectus a Deo, *conc. antec.*; oculus corporeus potest habere habitudinem ad spiritualia attingenda, *nego antec.*, propter materialitatem.

S.AUGUSTINUS videtur interdum problematicam inquirere in a beati visuri sint Deum oculis corporeis (R 1786 1787). Optime videtur explicare eius mentem S.THOMAS: ita videri Deum per oculos sicut vita nunc per ipsos videtur, ut sensibile per accidens, «quod quidem a sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitiva» (q.12 a.3 ad 2).

Scholion. DE MODO VISIONIS INTUITIVAE.

47. 1. *De lumine gloriae.* Cum visio intuitiva Dei actus sit ultra vires eius naturales elicitus, ut in th.s. probatur, opus est confortatione aliqua, aut supernaturali auxilio ut possit haberi. Id in universum vocari potest lumen gloriae, quidquid illud natura sit. Hoc saltem sensu dici debet necessarium esse lumen gloriae ad videndum Deum, esse *de fide*, ex damnatione beguardorum (D 475)¹².

Verum sensu theologico lumen gloriae intelligitur non quodlibet *auxilium transiens* aut extra intellectum manens, aut *principium* veluti *obiectivum*

¹⁰ V. th.6.

¹¹ RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* d.7 s.6; PETAVIUS, *De Deo* 1.7 c.5.6; WIRCEBURGENSIS, 99; FRANZELIN, p.192-197; PESCH, 70; X.LE BACHELET, *Dieu, sa nature d'après les Pères*: DTC 1,1096; A.MICHEL, *Intuitive (Vision)*: DTC 5,2365-2367.

¹² V. th.5.

visionis, sed potius *principium subiectivum permanens*, ad modum supplementi virtutis intellectivae; neque qualitas quaedam, mere *dispositiva* potentiae, ut quidam intellexisse videntur, sed *virtus creata vere operativa*, «augmentum virtutis intellectivae» (S. THOMAS, q. 12 a. 5), *eliciens simul cum intellectu*, ut instrumentum divinitatis, *actum videndi Deum*. Exsistentia luminis gloriae hoc sensu intellecti, *certa saltem moraliter* traditur a theologis. Quod quidem facile statuitur; nam valde conforme est suavi dispositioni divinae providentiae intellectum creatum elevari modo permanenti ad eliciendam veluti *connaturaliter* operationem nobilissimam, in qua consistit primario *vita aeterna*.

Tenendum est, ut patet, visionem intuitivam esse *actum vitalem elicitum ab intellectu creato*, non actus ipse divinus increatus, neque actus creatus, a solo Deo effectus et intellectui infusus, neque actus revera immediate productus a solo lumine gloriae. Iam *lumen gloriae* ut quid solum *transiens* non congruit cum statu perfecto beatorum, cum iam in via infundat Deus principium permanens actuum supernaturalium. Qualitas mere *dispositiva* potentiae non influens in actum videndi non esset *augmentum* virtutis intellectualis. Neque id esset lumen gloriae conceptum veluti *obiective*, ad modum speciei impressae, quae aliunde iure non admittitur in visione Dei intuitiva¹³.

2. *De specie in visione intuitiva*. *Speciem* (creatam) quam *impressam* vocant scholastici communiter *negant* theologi locum habere in visione intuitiva Dei; nam Deus praesentia sua immediata se intellectui exhibet (q. 12 a. 2). Plures putant nec dari posse, quod satis probari videtur. Lumen enim gloriae, ut participatio modi divini intelligendi, facit videre Deum modo quasi-divino (neque aliter Deus videri potest!); ideoque proprie loquendo sine specie (cf. n. 164ss de modo intellectionis divinae). Ideo, sicut Deus determinatus est subiective sua essentia ad intelligendum, sine concursu obiectivo, ita suo modo per lumen gloriae intellectus beatus videt Deum sine specie. Non tamen sine causalitate Dei efficiente, et quidem principali, cuius instrumentum est lumen gloriae. Igitur non videtur essentia divina fungi in visione intuitiva munere causae quasi-formalis, quae notio satis difficilis apparet.

De specie expressa seu *verbo mentis* an detur in visione faciali divinitatis dissident theologi, quae disputatio tota quanta versari videtur in diverso modo concipiendi verbum mentis. Qui enim, ut THOMISTAE communiter, verbum mentis seu speciem expressam *distinguunt realiter a formali intellectione*, atque tenent esse *medium in quo res videatur*, iure negant dari in visione intuitiva. Si vero, ut SUÁREZ et plures alii tenent, species expressa *non distinguitur ab ipsa formali intellectione*, necessario admitti debet in visione intuitiva Dei, sicut in omni prorsus actu intellegendi. In omni tamen sententia *tenendum est visionem intuitivam esse assimilationem vitalem obiecti visi*, in ordine intentionali intellectuali seu representativo¹⁴.

¹³ SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c. 12-16; BERAZA, o.c., 189-206; FRANZELIN, th. 16; PESCH, 76-79; LENNERZ, 170-179; BAUTZ, *Der Himmel* (Mainz 1881) 31-58; E.COMMER, *Zur Theologie der visio beatifica*: DivThom (Fr) (1918) 288ss; J.PAQUIN, *La lumière de gloire selon Jean de Saint Thomas*: ScEcc 3 (1950) 5-66.

¹⁴ BERAZA, 163-186; LOSSADA, o.c., c. 3 (Barcinone v. 9, 178-187); PESCH, 80-81; LENNERZ, 180-184; ZYCHLINSKI, *Die species impressa et expressa beim beseligenden Schauakt nach dem hl. Thomas* (Breslau 1918).

Thesis 5. Visio intuitiva Dei est absolute supernaturalis.

S.TH., q. 12 a. 4; SUÁREZ, 1.2 FRANZELIN, th. 14; PALMIERI, *De Deo creante et elevante* th. 37-43; LENNERZ, 137-169; DE BROGLIE, *De fine ultimo humanae vitae* (Paris 1948) c. 2.

48. **Nexus.** Probata possibilitate visionis Dei intuitivae, eius praecipua proprietas in tuto collocari debet, eius nempe *supernaturalitas*. Quae disputatio magni momenti est, cum visio Dei sit fundamentum ontologicum totius ordinis supernaturalis.

Notiones. Quid VISIO INTUITIVA v. in th. 4.

ENS SUPERNATURALE absolute seu *simpliciter* dictum, ut in proprio tractatu exponitur et probatur, duo elementa includit: a) est aliquid excedens potentiam ac *vires activas* totius naturae creatae, operantis secundum modum connaturalem; b) est praeterea ens *ultra exigentias*, quae vocantur, totius iterum naturae creatae secundum propria constitutiva et providentiam ei debitam, ita ut in nulla hypothesi illud ens conferri debeat ulli creaturae, ne frustra haec sit in ordine naturali. Utrumque elementum esse prorsus essentiale in notione entis supernaturalis patebit ex ipsa disputatione¹.

Visionem Dei intuitivam esse absolute supernaturalem, cum sit actus elicitus ab intellectu creato, importat ergo: a) nullum intellectum creatum posse *per suas vires connaturaliter operantes* intuitive videre essentiam divinam; b) nullum intellectum creatum, secundum suam naturam et providentiam debitam, *exigere posse ut elevetur a Deo* ad sui visionem, ne quidem ad modum finis ultimi naturalis.

Quid nomine *debiti* aut *exigentiae naturalis* in tota hac quaestione intelligatur, pulchre et acute declarat S. THOMAS, 1.2 q. 111 a. 1 ad 2. «Non dicitur debitum propter hoc quod Deus creaturae obligetur, sed potius in quantum creatura debet subici Deo ut in ea divina ordinatio impleatur; quae quidem est ut talis natura tales conditiones aut proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur».

49. **Adversarii.** *Eunomiani* qui perfectissimam Dei cognitionem sub notione innascibilis et naturae sibi vindicabant traduntur ut adversarii, sed non videntur docere *visionem intuitivam Dei*². *Beguardi et Beghinae* damnati in Concilio Vienne (1311), visionem Dei, quae est beatitudo, naturaliter ac sine lumine gloriae ab intellectuali natura possideri dicebant³.

¹ Cf. DE BROGLIE, o.c., 142.

² LE BACHELET, *Eunomius*: DTC 5, 1510-1511; FRANZELIN, th. 10 p. 127; cf. th. 6.

³ A. VERNET, *Béghards, Béguines hétérodoxes*: DTC 2, 528-535; W. PREGGER, *Geschichte der deutschen Mystik im Mittelalter* (Leipzig 1874) 1; A. JUNDT, *Histoire du panthéisme populaire au moyen âge et au XVI siècle* (Paris 1875); MÜLLER, *Das Concil von Vienne* (Münster 1934) 577-587.

Baiani et Iansenistae, quorum principium fundamentale fuit finem de facto a Deo statutum naturae spirituali, visionem intuitivam divinitatis, debitam esse naturae innocenti⁴. Nec satis visionis intuitivae supernaturalitatem tueri videntur *augustinenses*, qui vocantur qui statuunt visionem Dei naturalem esse quoad destinationem, sed supernaturalem quoad assecutionem, et aliqui recentiores theologi, de quibus in scholio.

50. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Viennense* damnavit ut *haereticam sententiam Beguardorum* (D 475); PIUS V propositiones Baii 3 4 5 11 (D 1003 1004 1005 1011) directe huc pertinentes, ac plures alias, quae huius erroris consecutaria sunt, quaeque iterum in QUESNELLIO et in *Synodo Pistoriensi* damnatae sunt (D 1385 1387 1516). *Concilium Vaticanum* docet finem supernaturalem hominis humanae mentis intelligentiam omnino superare (D 1786 1808; cf. D 1669 1671). PIUS X carpit eos qui exigentiam supernaturalium statuunt (D 2103). PIUS XII in Litteris encyclicis *Humani generis* inter errores numerat quod «Alii veram gratuitatem ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autumant Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet»⁵.

Valor theologicus. a) Intellectum creatum non posse suis naturalibus viribus videre Deum habetur ut *de fide* ex damnatione Concilii Viennensis. b) Visionem intuitivam ut finem ultimum esse vere supernaturalem est etiam *de fide*; continetur enim doctrina catholica de oeconomia salutis, quae tota quanta gratuita est, et explicite traditur a Concilio Vaticano. c) Ideo nullam veram in natura visionis intuitivae exigentiam admitti posse certo constat, ex damnatione Baii et Encyclicis *Pascendi* et *Humani generis*.

51. Probatur thesis. Distinctis argumentis firmamus duplex elementum supernaturalitatis visionis intuitivae divinitatis.

A. VISIO INTUITIVA DEI EST ULTRA POTENTIAM ACTIVAM INTELLECTUS CREATI.

Sacra Scriptura magna ponderatione tradit Deum invisibilem esse creaturae; ideo ea ipsa quae de Deo naturaliter cognoscimus dicuntur *invisibilia Dei* (Rom 1,20); Deus dicitur habitare *lucem inaccessibilem* (1 Tim 6,16); *a nemine visus esse*

⁴ De doctrina BAII, v. SCHEEBEN, *Dogmatik* 2,629ss; LE BACHELET, *Baius, Baianisme*: DTC 2,41-47.64-110; F.JANSEN, *Baius et le Baianisme* (Louvain 1927, *Musaeum Lessianum* 15).

⁵ AAS 42 (1950) 570; D 3018.

(Io 1,18); imo visio Dei explicite asseritur quid connaturaliter *unis divinis personis* proprium (Mt 11,27; Lc 10,22)⁶: *Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Evidenter non agitur de cognitione mediata, sed de immediata, qua videtur quis sit Pater quis Filius. Idem refert Io 6,46; 1 cor 2,11.

52. Patres saepissime idem asserunt, tum cum de cognitione naturali Dei, tum cum de visione ipsius in caelo, tum cum de incomprehensibilitate agunt⁷. En unum alterumve textum: S.IRENAEUS: «Secundum magnitudinem quidem eius et mirabilem eius gloriam, nemo videbit Deum et vivet (Ex 33, 20); incapabilis enim Pater... Homo etenim a se non videt Deum» (R 236). ORIGENES: «Quia ergo mens nostra ipsum per se ipsam Deum, sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit» (R 451). S.ATHANASIUS: «Bonus et clemens Deus animarum quas creavit curam gerens, quia eius naturae est quae videri et comprehendi nequeat...» (R 747). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, incomprehensibilem, humanae linguae vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, angelis non vestigabilem, seraphinis invisibilem, cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem principatibus, potestatibus, virtutibus, ac simpliciter omni creaturae, a solo autem Filio et a Spiritu Sancto cognitum» (R 1125).

53. Probatur ratione argumento S.Thomae h.l.⁸ Tum *intelligibilitas* cuiuscumque rei, tum *modus cognoscendi*, etiam *obiectivus*, seu quoad vim repraesentandi, cuiuscumque intellectus, sequitur *modum essendi* entis. Atqui modus essendi Dei est ordinis infinite superioris ac essentialiter diversissimus a modo essendi omnis creaturae. Ergo impossibile est ut ullus intellectus creatus connaturaliter videat Deum per essentiam, quod importat visio intuitiva Dei.

Prob. mai. Intelligibilitas rei non est nisi ipsa essentia in ordine ad cognitionem. Modus autem operandi, ergo etiam modus cognoscendi, sequitur modum essendi. Non potest igitur modus, connaturalis saltem, cognoscendi assurgere ultra propriam naturam entis cognoscentis, etiam quoad vim repraesentativam seu obiectivam, quae est tota ratio operationis

⁶ H.DIEKMANN, *De revelatione* (Friburgi 1930) 691-696; J.KNABENBAUER, *In S.Matthaeum* (Paris 1922) 1,511-523; J.Bover, *El Evangelio de S.Mateo* (Barcelona 1946) 255-257; A.DURAND, *Evangelie selon Saint Matthieu* (Paris 1929, *Verbum salutis* 1) 213-216.

⁷ V. plures textus in R. ind.theol. 105.

⁸ Cf. SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.9 n.10-15; *Metaphys.* d.30 s.11 n.13.

cognoscitivae. Inde principium saepius a S. THOMA propositum: *Cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae* (q. 12 a. 4).

Minor evidens est, nam Deus est actus purissimus, omnis autem creatura est potentialis et composita. Inde

Prob. cons. Ergo omnis creatura res concipit connaturaliter per modum cuiusdam potentialitatis. Ergo nequit attingere intelligibilitatem propriam Dei, qui est esse subsistens, ita ut efformet conceptum proprium et quidditativum divinae essentiae.

Confirmatur experientia. Nam intellectus humanus, quia habet modum essendi in materia, nihil concipit conceptu proprio, nisi materialia; cetera tantum imperfecte et analogice ad modum materialium. Ergo a fortiori modus essendi potentialis importat modum cognoscendi potentialem, seu rem concipi ad modum potentialis.

B. VISIO INTUITIVA DEI EST ULTRA EXIGENTIAM CUIUSLIBET INTELLECTUS CREATI.

54. Probatur ex sacra Scriptura et SS. Patribus ⁹ ex hoc quod finis ultimus et beatitudo supernaturalis, quae maxime constat visione intuitiva divinitatis, est *divinizatio, filiatio Dei, participatio naturae divinae, similitudo intimior cum Deo*, ad quam parandam datur in via donum prorsus supernaturale, quod est gratia, ut habeat iam in via germen aut semen illius perfectionis beatificantis. Atqui divinizatio et participatio divinae naturae sunt evidenter supra exigentiam cuiuslibet creaturae. Sequitur etiam ex hoc quod visio Dei ponitur ut quid exclusive proprium divinarum personarum. Ergo nullo modo potest eam naturaliter exigere intellectus creatus.

COROLLARIUM. Excluditur ergo possibilitas *substantiae supernaturalis* ¹⁰. Ea dicitur a RIPALDA ens creatum subsistens cui connaturalis esset visio intuitiva Dei. Esse possibilem seu creabilem huiusmodi substantiam, non quidem statuitur a RIPALDA propria sententia, sed solum ait, nec temerariam esse hanc positionem, nec rationi evidenter repugnare. Communiter tamen impossibile iudicatur ipsis generalibus argumentis. Vide sequentem obiectionem.

55. Obiectiones. I. Adversus argumentum S. THOMAE pro prima parte multa obicit SCOTUS, quae videri possunt soluta apud SUAREZ. Unum proponimus:

⁹ V. tractatum *De Deo elevante*.

¹⁰ RIPALDA, *De ente supernaturali* d. 16 s. 3; SUAREZ, *De Deo* 1.2 c. 9 n. 10-15; *De gratia* 1.8 c. 3 n. 6 (iure miris SUAREZ traduci a MICHEL ut tenentem sententiam Ripaldinam, *Intuitive (Visio)* DTC 5, 2354, ex *De Deo* 1.2 c. 16 n. 5-7, ubi tantum dicit non absolute repugnare visionem Dei sine lumine gloriae permanenti creato); B. BERAZA, *De Deo elevante* 115-131; C. VON SCHAZLER, *Natur und Gnade* 21; ac tractatus *De Deo elevante*.

Nimis probat argumentum; nam probaret nec supernaturaliter per lumen gloriae posse elevari creaturam ad videndum Deum connaturaliter; lumen enim gloriae est etiam quid creatum.

Lumen gloriae comparari non debet quoad munus confortandi intellectum ad visionem intuitivam, cum entibus aut substantiis subsistentibus creatis. Nam lumen gloriae non est nisi instrumentum Dei principaliter operantis, velut eminentis participatio divini luminis, ac modum operandi habet ab ipso divino lumine participatum ad coefficientiam cum intellectu creato visionem Dei. Unde eius vis ac ratio non ex eo quod creatura est mensurari debet, sed ex potentia Dei. Neque doctrina de lumine gloriae affertur ut probetur possibilis visio intuitiva divinae essentiae. Tandem vis argumenti tota quanta vertitur in modum *connaturalem* operandi; ideo locum relinquit interventui Dei supernaturali, utcumque difficilis sit intellectus.

2. Contra secundam partem obicitur appetitus naturalis visionis intuitivae quem plures theologi admittunt. Ergo visio intuitiva non est ultra exigentias naturae.

Dist. antec. Admitti potest appetitus innatus, aut appetitus naturalis efficax visionis Dei proprie dictae, *nego antec.*; appetitus conditionatus et inefficax, aut etiam appetitus naturalis visionis Dei minus propriae dictae, *conc. antec.* De hac quaestione agimus in sequenti scholio.

56. Scholion. DE NATURALI APPETITU VISIONIS INTUITIVAE DIVINITATIS.

Cum haec quaestio multum disputetur nostris diebus ¹¹, praetermitti nequit; fieri enim potest ut modus quo hic appetitus statuatur in discrimen adducat supernaturalitatem visionis Dei. Quae hac in re tenenda videntur, saltem consecutione doctrinae, tribus capitibus comprehendi possunt.

I. VISIO INTUITIVA DEI EST MYSTERIUM STRICTE DICTUM ¹². Id constare videtur ex documentis ecclesiasticis P. IX, Epist. *Gravissimas inter* (D 1669 1671 1673); J. VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino* 3005; J. SESTILI, *De naturali intelligentis animae capacitate atque appetitu intuenti divinam essentiam* (Romae 1896); KIRFEL, *Das natürliche Verlangen nach der Anschauung Gottes*; DivThom (Fr) 1 (1914) 33-57.

¹¹ Ex scriptis ante recentes controversias v. SUAREZ, *De fine hominis* d. 16 s. 2, 3; RIPALDA, *De ente supernaturali* d. 9; PALMIERI, *De Deo creatante et elevante* th. 40; BERAZA, *De Deo elevante* 207-223; J. VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino* 3005; J. SESTILI, *De naturali intelligentis animae capacitate atque appetitu intuenti divinam essentiam* (Romae 1896); KIRFEL, *Das natürliche Verlangen nach der Anschauung Gottes*; DivThom (Fr) 1 (1914) 33-57.

¹² LENNERZ, 166169; *Kann die Vernunft die Möglichkeit der beseligenden Anschauung Gottes beweisen?*; Schol 5 (1930) 102-108; *Ist die Anschauung-Gottes ein Geheimnis?*; Schol 7 (1932) 208-232; CORVEZ, *Est-il possible de démontrer l'existence en Dieu d'un ordre de mystère strictement surnaturels?*; RevThom 37 (1932) 660-667; R. GARRIGOU-LAGRANGE, *La possibilité de la vision béatifique peut-elle se démontrer?*; RevThom 38 (1933) 669-688; VALLARO, *De naturali desiderio videndi essentiam Dei et de eius valore ad demonstrandum possibilitatem visionis Dei quidditative*; Ang 11 (1934) 133-170; *De naturali capacitate intellectus creati ad videndam divinam essentiam*; Ang 12 (1935) 192-216; MOTTE, *La possibilité de la vision béatifique*; BullThom (1935) 573-590; RAINERI, *De possibilitate videndi Deum per essentiam*; DivThom (Pi) 39 (1936) 201-228; G. DE BROGLIE, *Le mystère de notre élévation surnaturelle*; NouvRevTh 64 (1937) 377-377; *Le mystère de notre élévation surnaturelle* (Paris 1938); Autour du mystère de notre élévation surnaturelle; NouvRevTh 66 (1939) 401-433; A. GARDEIL, *Le désir naturel de voir Dieu*; RevThom 31 (1926) 381-410; E. BRISBOIS, *Désir naturel et vision de Dieu*; NouvRevTh 54 (1927) 81-97; M. CUERVO, *El deseo natural de ver a Dios y la apologética immanentista*; CiencTom 37 (1928) 310-340; 38 (1928) 332-349; 39 (1929) 5-36; 45 (1932) 289-317; F. TRANCHO, *Fundamento, naturaleza y valor apologético del deseo natural de ver a Dios*; CiencTom 44 (1931) 447-468.

ficae; secus non maneret caligine obvoluta¹³. Quod aliunde satis patere videtur ex summa difficultate, quam ratio reperit in conceptu visionis finitae entis infiniti, quaeque non nisi *negative* solvitur; atqui ad probandam positive possibilitatem rei adeo a nobis remotae, opus est ostendere positive eam non repugnare, per positivam solutionem difficultatum.

57. 2. NON POTEST DARI IN NATURA CREATA APPETITUS INNATUS PROPRIE DICTUS VISIONIS INTUITIVAE DIVINITATIS. Id certum omnino est.

Patet ex eo quod visio Dei est supernaturalis. Nam *appetitus innatus*, metaphora sumpta ab appetitu elicitio, dicitur a scholasticis quasi *pondus naturae* in propriam activitatem et finem. In ente rationali appetitus innatus manifestus fit ex tendentia innata et necessaria eius activitatis intellectivae et volitivae, quae maxime apparet in *appetitu elicitio universali ac necessario*. Ideo appetitus innatus proprie dictus alicuius naturae inducit veram *exigentiam* rei quae ita appeti dicitur (nisi quid obstat, vel in eodem ordine naturae, vel in actione libera contraria ipsius creaturae), cui satisfieri a Deo debet, ne seipsum neget. Iure ergo PIUS X in Encycl. *Pascendi* conqueritur incautos quosdam catholicos in natura humana non *capacitatem* solum et *convenientiam* admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem *apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam* (D 2103). Quibus verbis satis innuitur in natura non nisi capacitatem seu potentiam *obdientialem* (nisi haec nimis passiva tantum dicitur) ad visionem intuitivam poni posse.

Et iure quidem; nam in ente rationali appetitus necessarius proprii boni dari non potest, nisi in rem quae appareat ut possibilis, et ad finem ad quem destinata est natura secundum propria constitutiva. Ideo ad finem naturalem datur in natura inchoatio quaedam et proportio, ita ut in examen adductis eius tendentis ac modo operandi, appareat possibilis assecutio illius boni, modo utique operandi perfectiori, sed naturali¹⁴.

Ergo nequit dari in natura creata *desiderium efficax naturale visionis intuitivae*, cum, ut diximus, in hoc maxime ostendatur pondus naturae.

58. 3. POSSIBILITAS VISIONIS INTUITIVAE DIVINITATIS PROBARI NEQUIT POSITIVE EX NATURALI DESIDERIO SUMMAE AC PERFECTAE BEATITUDINIS.

Quia ex dictis, desiderium naturale beatitudinis non potest ferri in visionem intuitivam Dei, nisi per modum *velleitatis* ac voluntatis *inefficacis* ac mere conditionatae, si nempe possibilis est visio, quod ratio non videt. Atqui ex desiderio inefficaci, utcumque naturale dicatur, evidens est nihil posse deduci quoad suum obiectum¹⁵.

Imo vere, si ex desiderio beatitudinis probaretur positive possibilitas visionis intuitivae Dei, probaretur non solum posse naturam ad eam destinari, sed de facto destinatum esse. Nam ex tendentis naturae ad summam felicitatem apparet finem ultimum naturae esse summam perfectionem, quae possibilis sit, et quae ei ut possibilis appareat. Ideo haec positio induceret in natura veram exigentiam visionis intuitivae ac supernaturalitatem illius labefactaret¹⁶.

59. His positio iudicium ferre possumus de DIVERSIS MODIS, quibus appetitus naturalis visionis intuitivae inductus est.

1. *Augustinenses* (BERTI, NORIS, etc.)¹⁷ cum aliis quibusdam docuerunt finem ultimum naturalem esse *quoad destinationem*, sed supernaturallem *quoad assecutionem*; unde eruebant gratiam debitam esse naturae innocenti ex decencia Creatoris. Verum ista non stant cum vera notione supernaturalitatis, et prorsus falsa sunt; imo consectorium erutum internam systematis contradictionem ostendere videtur.

2. Plures optima notae antiqui THEOLOGI ex diversis scholis ponebant *naturalem* visionis Dei *appetitionem*, aliis pluribus eam negantibus¹⁸. Sed ut iam notabat RIPALDA¹⁹, disceptatio erat fere de modo loquendi. Omnes enim non solum admittebant visionem intuitivam Dei esse finem *improportionatum* naturae, sed praeterea, explicite aut implicite, tenebant naturam potuisse destinari *ad alium finem sibi proportionatum*, etsi saepe non vocabant eum perfectam beatitudinem, sed naturae accommodatam, quae nunc melius dici potest perfecta, non absolute, sed *relative*. Praeterea quidam ex illis non loquuntur nisi de appetitione *inefficaci*. Imo dubitari potest an de vera et proprie dicta visione intuitiva dicant. Sunt enim plures qui asserunt tantum naturaliter appeti visionem Dei ut est *ductor naturae*; iam vero haec cognitio vocari potest quasi visio, aut visio sensu ampliori, sc. cognitio clara et distinctior attributorum quae Deum ut causam primam definiunt, eo fere modo quo quidam philosophi loquuntur de visione essentialium; verum non est visio intuitiva essentialium divinae et Trinitatis personarum.

60. 3. G.DE BROGLIE²⁰ cum aliis pluribus contendit *posse probari philosophice* possibilitatem visionis intuitivae divinitatis, ex desiderio naturali perfectae beatitudinis; id tamen nullatenus obstat eius supernaturalitati. Quam sententiam multis scriptis propositam, quibus ab obiectionibus plurimorum vindicabat, tandem contraxit XII propositionibus²¹, quae in duplex agmen dispesci possunt: a) Datur *inclinatio naturalis et necessaria*, indita a creatore, in perfectam beatitudinem, quae consistit in visione Dei, in qua una naturale naturae desiderium quietari potest; quae quidem est *primum bonum naturaliter desideratum*, ex quo omnia cupimus; inde probatur possibilitas visionis intuitivae, quia desiderium naturae non est inane. b) Tamen hoc desiderium non est *appetitus innatus neque efficax*, sed mera *velleitas*, ex quo proinde non sequitur exigentia, cum in natura non sit nisi

¹⁷ L.BERTI, *Augustinensium systema de gratia ab iniqua Baianismi et Iansenismi erroris insimulatione vindicatum* (Romae 1747) 203ss; H.NORIS, *Historia pelagiana... additis Vindictis augustinianis...* (Patavii 1673); PALMIERI, *De Deo creatore et elevante* th.38; BERAZA, *De Deo elevante* 220.221; E.PORTALIÉ, *Augustinianisme*: DTC I, 2485-2501; DE BROGLIE, o. c., 181-184; A.TRAPÉ, *De gratitudine ordinis supernaturalis apud theologos Augustinenses*: *Analecta Augustiniana* 21 (1951) 218-265.

¹⁸ E.ELTER, *De naturali hominis beatitudine ad mentem Scholae antiquioris*: Greg 9 (1928) 269-306; V.DOUCET, *De naturali seu innato supernaturalis beatitudinis desiderio iuxta theologos a saec.XIII usque ad XX*: Ant 4 (1929) 167-208; V.CATHREIN, *De naturali hominis beatitudine*: Greg 11 (1930) 398-409; P.DUMONT, *L'appétit inné de la béatitude surnaturelle chez les auteurs scolastiques*: EphThLov 8 (1931) 205-224, 571-591; 9 (1932) 5-7; H.DE LUBAC, *Remarques sur l'histoire du mot surnaturel*: NouvRevTh 61 (1934) 225-249, 350-370; J.MARTINEZ GÓMEZ, *Notas sobre unas notas para la historia de la palabra sobrenatural*: ArchTG 1 (1938) 57-85; B.LAEMER, *De desiderio naturali ad visionem beatificam* (Roma 1948); D.ALSZEGHY, *La Teologia dell'ordine soprannaturale nella scolastica antica*: Greg 31 (1950) 414-450.

¹⁹ De ente supernaturali d.9 s.4; idque probat LANGE, *De gratia* 286.

²⁰ *De la place du surnaturel dans la Philosophie de Saint Thomas*: RechScRel 14 (1924) 193-246; 15 (1925) 5-53; *Autour de la notion thomiste de la Béatitude*: ArchPh (1925) 3, 2, 55-96; P.ROUSSELOT, *L'intellectualisme de St.Thomas* (Paris 1924) 180-188; J.MARÉCHAL, *Le point de départ de la Métaphysique*, 5; *Le thomisme devant la philosophie critique* (Louvain 1926) 306ss, 348ss; P.MULARD, *Désir naturel de connaître et vision béatifique*: RevScTh 14 (1925) 5-19; J.SESTILI, *De natura Deo subiecta in ordine ad supernaturalia*: DivThom (Pi) 30 (1927) 57-83; J.LAPORTA, *Les notions d'appétit naturel et de puissance obédientielle chez S. Thomas d'Aquin*: EphThLov 5 (1928) 257-277; VEUTHEY, *De naturali desiderio beatitudinis supernaturalis*: *Miscellanea Franciscana* 39 (1939) 207-223.

²¹ *De ultimo fine vitae hominis asserta quaedam*: Greg 9 (1928) 628-630.

¹³ Haec conditio entis supernaturalis non est recens inventa in Theologiam (DE BROGLIE, o. c., 99); eam iam clare proponit SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.7 n.12.

¹⁴ Ideo S.THOMAS saepe satis facere putat, ut supernaturale statuat, ut probet illud esse supra modum operandi naturae, ut q.12 a.4; cf. DE BROGLIE, o. c., 258.

¹⁵ V. omnino SUÁREZ, l. c., n.11; cf. MOLINA, *In 1 q.12 a.1*; BILLUART, *De Deo* diss.4 a.3.

¹⁶ V. quae bene disserit PESCH, 82, 83.

potentia obedientialis passiva ad eam recipiendam; quare *perfecta beatitudo non est finis ultimus naturalis, sed supernaturalis*; neque est unicus finis ad quem homo destinari potest.

Patet in hac positione secundo agmine thesium in tuto collocari supernaturalitatem visionis intuitivae divinitatis. Verum *nexus logicus* huius seriei cum prima deficere videtur. Nam si visio intuitiva est finis ultimus qui naturaliter desideratur et ex quo desideramus omnia quaecumque optabilia, nequit hoc desiderium dici mera velleitas ac voluntas inefficax, sed potius *desiderium firmum*, prorsus efficax ac naturale, ex quo manifestus fieret appetitus innatus visionis intuitivae Dei, et destinatio non solum possibilis sed actualis hominis ad illam; id est enim, ut notatum est, unde appetitus innatus entis rationalis maxime ostenditur²².

Nec probari potest ratione naturali hominem non posse perfecte beari, *perfectione relativa* et accommodata eius naturae, nisi visione intuitiva Dei. Et quidem mirum est ac incongruum, ut minimum dicam, totam intimam tendentiam naturae non ducere nisi in possibilitatem quamdam finis ultimi, cui posita natura, possit Deus pro lubitu obsistere; haec positio, quae poneret puram naturam absque fine per ipsa eius constitutiva determinato, certe non congruit cum notione teleologica naturae ac principio finalitatis, quae tantopere scholasticis cordi sunt²³.

61. Ulterius progreditur H. DE LUBAC, diversis scriptis, quibus titulus praefigitur historicae inquisitionis²⁴. Auctoris positio est gratuitatem ordinis supernaturalis explicari posse seclusa *hypothesi* naturae purae, nempe naturae humanae qualis est non destinatae ad visionem Dei; imo et melius, nam haec hypothesis, licet suo tempore utilis fuerit, suis non caret naevibus et quidem satis gravibus; est enim parum philosophica, anthropomorphismum redolet, materializationem quamdam spiritus sapit, ac finalismum non considerat; est praeterea «parum religiosa»; nam in dualistica theologia quam inducit, deest nexus ontologicus inter naturam et gratiam, quo supernaturale fit quid accidentale et superadditum; ideo extrinsecismum et laicismum fovet, cum non appareat cur debeat homo se subicere fini supernaturali, si in quantum est ens spirituale, alium habet finem ultimum naturalem.

Origo autem huius theoriae, quae constat in distinctione inter naturam in se et naturam historicam, in potentia mere obedientiali ad visionem Dei, et in negatione appetitus naturalis eiusdem finis supernaturalis, ex Caietano fere deducenda est, qui traditioni antiquiori prorsus adversatur; perfecta vero est in lucta contra Baium et Jansenium, e quibus manavit in theologos conceptus exigentiae ex iustitia; hanc enim putaverunt induci, si desiderium naturale visionis Dei asseratur.

Visio vero intuitiva Dei, quae vere supernaturalis est, destinationem tamen essentiali hominis continet, eo quod est spiritus, qui non est, ut naturae inferiores, in se quasi inclusus, sed tendit in bonum transcendens, nempe in bonum supernaturale; non enim datur transcendentia sine supernaturalitate. Appetitus igitur visionis divinae penitus absolutus et efficax

²² Id praesertim valet, si tendentia in visionem intuitivam ex intimo et necessario modo operandi eruat, ut faciunt illi ex his auctoribus, qui intellectum videntur definire facultatem attingendi Deum ut est in se, quae quidem definitio falso nititur fundamento.

²³ In recenti praeclearo opere *De fine ultimo vitae humanae* 189-198 vindicat sane auctor hanc sententiam ab obiectis; verum non clare apparet an positive ei adhaeret (cf. p. 190).

²⁴ Sententiam hanc proponimus verbis ipsis auctoris in opere *Surnaturel. Etudes historiques* (Paris 1946) p. 107, 110, 145, 150-154, 173-180, 251, 393-402, 427, 483-494. Vide etiam eiusdem auctoris, *Le mystère du surnaturel*: RechScRel 35 (1949) 80-121; H. RONDET, *Gratia Christi* (Paris 1948); *Le problème de la nature pure et la Théologie du XVI siècle*: Rech ScRel 35 (1949) 481-521; *Nature et surnaturel dans la théologie de saint Thomas d'Aquin*: RechScRel 33 (1947) 56-91.

est, et intimam spiritus essentiali constituit et ostendit. Haec thesis principium est auctori, quod totam historicam elucubrationem intime pervadit. Nec tamen quidpiam inde gratuitas et supernaturalitas visionis Dei detrimenti capit. Etenim exigentiae conceptus, qui monstrum quoddam est, prorsus exulat ab hac theoria. Nihil enim exigere potest creatura a suo creatore; sed debet humillime erga ipsum se habere, qui mera caritate et liberrima liberalitate ipsum naturale desiderium perpetua actione creativa nostrae naturae producit; imo vero creatura non nisi liberrimum Dei donum expectat, non aliquid ex iustitia exigendum.

62. Multa in his continentur quae consideratione digna sunt; multa quoque quibus connivere nullo modo possumus, quaeque neque theologicae, neque historice probari possunt²⁵. Pluribus aliis omissis, quae directe nostram quaestionem attinent, iam ipsa expositione patet stare non posse cum his quae supra exposita sunt (n.56-59). Et quidem praecipuum assertum non videtur post Encyclicas Litteras *Humani generis* sustineri posse; queritur enim Summus Pontifex de his qui «veram gratuitatem ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autumant Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eodem ad beatificam visionem ordinet et vocet»²⁶; nequit ergo dici visio Dei finis essentialis spiritus creati, cum Deus nequeat sibi contradicere. Id nempe, non aliud quid exprimitur cum negatur «exigentia ontologica» erga visionem Dei, et asseritur erga finem essentiali creaturae; nemo, ut arbitror, eam ad modum exigentiae iuridicae concepit. Accusatio ergo iuridismi in theologos a s.XVI iniusta «ne uno quidem textu inniti potest»²⁷; omnes enim plane consonant S.Thomae pulchre docenti: «Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quod Deus creaturae obligetur, sed potius in quantum creatura debet subici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur» (1-2 q.111 a.1 ad 2). Neque in Baio eiusque asseclis reperitur hic conceptus²⁸, qui unam exigentiam ontologicam supernaturalium propugnabant. Ea ergo quae uberius exponit auctor hac in re nullo modo excludunt quaestionem revera ponendam de exigentia ontologica, quae a vero ente supernaturali prorsus exulare debet, ut declarat S.Pius X in Encyclica *Pascendi* (l.c. n.57). Quod ergo auctori tam facile explicetur gratuitas donorum supernaturalium²⁹, ei theologicae non favet; statui enim

²⁵ Accurate haec theoria impugnata est ab aliis theologis, in quibus eminent DE BROGLIE, o.c. Appendix III, 245-264; BOYER, *Nature et surnaturel dans le «Surnaturel» du Père de Lubac*: Greg 28 (1947) 379-395, ubi in singularia quaedam philosophica iure animadvertit et L.MALLEVEZ, *La gratuité du surnaturel*: NouvRevTh 75 (1953) 561-586, 673-689, diligenti, et solida inquisitione theologica. Thesim historicam discutit, praeter DE BROGLIE, praesertim J.ALFARO, Cayetano y el problema de lo sobrenatural: ArchTG 12 (1949) 49-160; *Lo natural y lo sobrenatural. Estudio histórico desde Santo Tomás hasta Cayetano (1274-1534)* (Madrid 1952): v. etiam Greg 31 (1950) 63-99, 224-257. Iam antea, cum DE LUBAC plurima in hoc libro collecta publici iuris fecisset in art. *Remarques sur l'histoire du mot surnaturel*: NouvRevTh 61 (1934) 225, 249, 350-370, eum accurate et firmiter refellit MARTÍNEZ GÓMEZ, *Notas sobre unas notas para la historia de la palabra sobrenatural* supra n.18; ArchTG 1 (1938) 57-85, cuius tamen non meminit DE LUBAC in opere a.1946 edito.

²⁶ AAS 42 (1950) 570; cf. BOYER, l.c., 391-393; M.GAGNEBET, *L'enseignement du magistère et le problème du surnaturel*: RevThom 53 (1953) 5-27. Quod alicubi dictum est, non agi in Encyclica de homine concreto, sed de natura quadam rationali abstracta, quem sensum habebat nescio. Natura abstracta non differt quoad essentialia, ut est spiritus (de his agit in hac theoria), a natura concreta. Inde etiam apparet theoriam hanc non merè de homine historico agere, sed de natura humana in se, ut spiritualis est.

²⁷ DE BROGLIE, o.c., 248, ubi n.2 addit: *Ac tamen interpretatio praedicta eo magis confirmatione textuum indignisset, quod Scholastici saeculi XVI et XVII fere omnes eam explicite excludunt.*

²⁸ DE BROGLIE, o.c., 248 n.3; J.ALFARO, *Sobrenatural y pecado original en Bayo*: RevEspT 12 (1952) 3-75; J.DE ALDAMA, *Bayo y el estado de naturaleza pura a través de la refutación de Ripalda*: Salmant 1 (1954) 50-71.

²⁹ «Désir naturel du surnaturel: c'est en nous l'action permanente du Dieu qui crée notre nature, comme la grâce est l'action permanente de Dieu qui crée l'ordre moral... Le monstre de l'exigence n'était donc qu'un fantôme. On s'évertuait à résoudre un faux pro-

debet, praeter caritatem et liberalitatem quam continet creatio spiritus, cui de se responderet ordinatio in finem naturalem, alia infinite superior caritas ac liberalitas, qua ad filiationem adoptivam elevetur destinatione ad visionem intuitivam; quae certe eminentiore modo, imo et unico, sensu technico, gratuitas est.

Quod ergo attinet doctrinam de possibili natura pura, in quantum dicit potuisse creaturam spiritualem non destinari ad visionem intuitivam Dei, patet consecrarium esse doctrinae catholicae de supernaturalitate donorum gratiae; quare explicatio huius conceptus in meritis theologiae secundi saeculi aurei assignari debet, qua notio entis supernaturalis lucidius exposita est; et quidem ita ut conceptus relativus entis supernaturalis elaboratus sit ut sponte fluens ex eius conceptu absoluto participationis naturae divinae ac filiationis Dei adoptivae. Mittimus historicam evolutionem huius doctrinae ab auctore descriptam, quae non probanda videtur; nam «theoria Caietani haberi debet, non ut rupta, sed potius ut continuatio et ulterior progressus doctrinae Doctoris Angelici»^{29*}. Neque imago doctrinae de natura pura, quae ex historica expositione exurgit adamussim depicta est; nemo enim statuit naturam puram «in se clausam» et veluti quid absolutum versus Deum.

Tandem quae adversus doctrinam de possibili natura non elevata ad visionem Dei obiciuntur minime consistunt. Haec enim doctrina, etsi ex revelatione hausta vel deducta, maxime philosophica est et omnino in principio finalitatis innititur; dum e contra opposita doctrina finalitatem negligit creaturae spiritualis in sua essentia finita constitutae, neque explicare potest logice et finalitice cur gratia sit «nova natura», neque possibilitatem creationis hominis «in puris naturalibus» etiam sensu antiquorum intellectae. Quo vero fundamento «parum religiosa» dicatur doctrina de natura pura vix capi potest. Quid enim tam profunde et intime religiosum, quam quod creatura spiritualis plenissime atque humillime subici debeat omnipotenti simul et liberalissimae voluntati Dei, per dona additicia, ad filiationem sui adoptivam, ultra pondus naturae, eam vocanti? Vanus est timor extrinsecismi inter naturam et gratiam in communi theologia; nam gratia naturam supponit, intime cum ea conseritur eamque pervadit; estque sufficiens nexus ontologicus inter illas potentia obedientialis rite explicata. Quod si extrinsecismus vocatur quod gratia in natura non fundatur eiusque exigentias superat, id non est nisi eius essentia ut est ens supernaturalis^{29**}.

blème. En réalité la question de l'exigence ne se pose pas» (DE LUBAC, *Surnaturel* 487). Et tamen Ecclesia quaestionem ponit.

^{29*} J. ALFARO, *Lo natural...* 260-412; A. FINILI, *Nature and Supernature according to Cajetan and his Predecessors*: *DomStud* 6 (1953) 153-166; G. SOLERI, *Naturale e soprannaturale da S. Tommaso al Gaetano* (1274-1534): *Sophia* 3 (1955) 53-81; M. BENZO, *La pura naturaleza humana en la teología de Suárez* (Madrid 1955); J. MEJIA, *La hipótesis de la naturaleza pura y sus adversarios en los siglos XVI al XVIII*: *CiencFe* 2 (1955) 7-90; A. QUERALT, *El fin último natural en Luis de Molina*: *EstEcl* 34 (1960) 172-216.

^{29**} En quaedam alia scripta de hac re: M. DE GUILLOU, *Surnaturel*: *RevScPhTh* 34 (1950) 226-243; W. BRUGGER, *Das Ziel des Menschen und das Verlangen nach der Gottesschau*: *Schol* 25 (1950) 535-548; J. DONNELLY, *The gratuity of the beatific Vision and the possibility of a natural destiny*: *TheoSt* 11 (1950) 374-444; J. SIMON, *Transcendence et immanence dans la doctrine de la grâce*: *RevUnivOtt* 21 (1951) 344-369; L. RENWART, *La nature pures à la lumière de l'Encyclique «Humani generis»*: *NouvRevTh* 74 (1952) 327-354; E. GUTWENGER, *Natur und Uebernatur. Gedanken zu Balthasars Werk über die Barthsche Theologie*: *Zeit KathTh* 75 (1953) 82-97; B. WILLAERT, *Critische beschouwingen bij het problem van der natura pura*: *Coll BrugGand* 1 (1955) 478-491; F. DE RAEDEMAER, *Het Desiderium naturale videndi Deum*: *Bijdragen* 17 (1956) 56-80; R. BRUCH, *Das Verhältnis von Natur u. Uebernatur nach der Auffassung der neuere Theologie*: *TheoGlaub* 46 (1956) 81-102; J. EYMARD, *Le désir naturel du surnaturel*: *Et Franc* 7 (1956) 45-62; J. ALFARO, *Transcendencia e immanencia de lo sobrenatural*: *Greg* (1957) 5-50.

63. *De mente* S. THOMAE in quaestione de appetitu naturali videndi Deum multa in utramque causam disceptantur³⁰. Extra controversiam est S. Doctorum ubique tenere veram supernaturalitatem intuitivae Dei visionis.

Est autem in eius scriptis duplex series textuum, quin hoc factum possit veri aliqua specie evolutionem doctrinae arguere. Nempe 1 q.12 a.1; 1.2 q.3 a.8; 3 CG 50 ss. et alias, cum agit de beatitudine clare statuit in natura appetitum videndi Deum, et quidem ut argumentum ad probandum possibilitatem huiusmodi visionis, eo quod cognito effectu naturaliter excitetur desiderium videndi causam, quod desiderium naturae nequit esse inane.

Alias vero, semper sc. atque agit de gratia ac de virtutibus theologicis, de peccato originali, de ordine naturali in universum, ut 1 q.23 a.1; q.62 a.2; 1.2 q.62 a.1; q.109-114, praesertim q.114 a.2; *De ver.* q.14 a.2; q.22 a.7; q.27 a.2, non minus perspicue doctrinam tradit de duplici fine naturali ac supernaturali; atque ita quidem ut tantum ad naturalem detur inclinatio in natura, quia per ipsas vires naturales obtineri potest; consistit autem in quadam contemplatione divinorum, seu in beatitudine in universum³¹. Ad supernaturalem autem finem non datur potentia in natura, neque ad eum cogitandum, aut desiderandum.

64. Iam, quae secunda hac locorum serie tradit S. THOMAS, negant sat clare appetitum innatum et desiderium efficax beatitudinis supernaturalis: homini inditus est appetitus ultimi finis in communi (*De ver.* q.27 a.7); oportet quod homini detur aliquid per quod operetur in finem, vel per quod inclinetur appetitus eius in finem illud (*ibid.*, a.2). Visionem autem intuitivam Dei aequiparat, quod rationem mysterii attinet, Incarnationi: *Datur etiam per hoc* [Incarnationis mysterium] homini quoddam exemplum beatiae illius unionis, qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo coniungitur. Non enim restat incredibile quin intellectus creaturae Deo uniri possit eius essentiam videndo, ex quo Deus homini unitus est naturam eius assumendo (*Comp. Theol.* 201)³².

Ergo dicendum videtur argumentum ex appetitu naturali deductum pro possibilitate visionis intuitivae non esse S. THOMAE argumentum certum sola ratione naturali, sed solum argumentum probabile aut verisimile, ut sunt communiter argumenta solius rationis pro aliis mysteriis adducta. Nec iuvat ad roborandam vim huius argumenti ex mente S. Thomae provocare ad *Summam contra Gentes*, quae non accurate appellatur interdum *Summa philosophica*, est enim potius *Summa apologetica*, ut indicem capitulum legitime evidens est, in qua aguntur non tantum quaestiones philosophicae, sed omnia fere fidei mysteria; iam in ea, ut ipse S. Doctor animadvertit, rationes aliquae verisimiles... rationes demonstrativae et probabiles inducuntur (L.I c.9).

³⁰ Praeter plura scripta iam relata in notis II.12.18.20.24.25, I. O'MAHONY, *The désir of God in the Philosophy of St. Thomas Aquinas* (Cork 1928); ROLAND-GOSSELIN, *Beatitude et désir naturel d'après S. Thomas d'Aquin*: *RevScPhTh* 18 (1929) 193-222; CHARLIER, *Puis-sance passive et désir naturel selon Saint Thomas*: *EphThLov* 7 (1930) 639-662; FERNÁNDEZ, *Naturale desiderium videndi divinam essentiam apud D. Thomam eiusque scholam*: *DivThom* (Pi) 33 (1930) 5-28; E. BRISBOIS, *Le désir de voir Dieu et la métaphysique du vouloir selon S. Thomas*: *NouvRevTh* 68 (1936) 978-989.1089-1113; RITZLER, *De naturali desiderio beatitudinis supernaturalis ad mentem S. Thomae* (Romae 1938). V. etiam F. PELSTER, *Zur Frage der Möglichkeit einer beatitudo naturalis*: *Schol* 4 (1929) 255-260; GARRIGOU-LAGRANGE, *De Deo uno* 253-269; BERAZA, *De Deo elevante* 207-233; LANGE, *De gratia* 283-286; LENNERZ, 161-165; H. VAN DER MEULEN, *Adagium Appetitus naturalis non potest esse frustra in doctrina S. Thomae* (Gemert 1952).

³¹ Conatus deducendi haec S. Doctoris dicta ad finem nescio quem temporalem, vel etiam negandi S. THOMAM agere de fine totius vitae humanae (cf. LUBAC, o.c., passim); Duplex hominis beatitudo: *RechScRel* 35 [1949] 290-290) prorsus irriti dicendi sunt. Mirum revera fuisse, cum principium finalitatis tantopere S. THOMAE cordi fuerit, admittere possibilem creationem naturae in puris naturalibus sine destinatione ad finem simpliciter ultimum illi proportionatum.

³² V. LENNERZ, 158-169 accurate haec disserentem; ac iam saec. XVI SUAREZ, *De gratia prolegomenum* IV c.1.

Addiderim forte non esse extra mentem auctoris visionis nomen *duplici sensu* sumi: et pro visione *intuitiva* simpliciter dicta, et pro clariore *contemplatione* divinorum, quae fuisset finis ultimus hominis, in puris naturalibus constituti. Iam vero argumentum adductum ex desiderio videndi causam cognito effectu, habet vim demonstrativam, utpote efficax et appetitum innatum indicans, pro altera minus proprie dicta visione, et vim tantum probabilem et congruentiae pro visione intuitiva proprie dicta.

Ergo tandem *admitti potest appetitus quidam mere naturalis visionis intuitivae divinitatis*, per modum *velleitatis* ac voluntatis conditionatae, nempe si possibilis sit haec visio, quod tamen ipsum ratio sola non videt; non autem *appetitus naturalis efficax*, proprio modo ita dictus.

Thesis 6. Deus est omni intellectui creato incomprehensibilis.

S.Th., q.12 a.7; SUÁREZ, l.2 c.5 et 29; FRANZELIN, th.18; MUNCUNILL, 338-250.

65. Nexus. Cum quaestione de possibili visione intuitiva Dei arcte connectitur doctrina de eius *incomprehensibilitate*, qua et intra debitos fines illa clauditur, et difficilis contra eam obiectio solvitur, et tandem gradus in ea dari posse declaratur.

Notiones. Nomen *comprehensionis*, agendo de fine ultimo, duplici sensu in Theologia accipitur. Nam beati dicuntur *comprehensores*, in quantum Deum possident, quem in via insectantur, ut dicit S.Thomas: *Hoc modo comprehensio est una e dotibus animae, quae respondet spei ad 1.* Sed hac quaestione comprehensio sive COGNITIO COMPREHENSIVA illa dicitur qua obiectum perfecte cognoscitur, tantum sc. quantum cognoscibile est, ita nihil illius lateat videntem, ut notat S. Augustinus¹.

Quid ad *perfectam comprehensionem* requiratur ita fere declaratur a plurimis theologis. Comprehensio debet habere *tantum perfectionem in linea manifestationis quantum habet obiectum in linea cognoscibilitatis*, ita ut sit plene obiecto adaequata, habeatque modum perfectum ex parte cognoscentis quoad claritatem, certitudinem et proprietates manifestativas obiecti. Ideo requirunt theologo ad rationem stricte dictae comprehensionis, ut sit talis *intensitatis manifestativae* obiecti, ut vi illius manifestentur intelligenti clare et distincte *omnes habitudines et connexiones*, quas ex natura sua habet vel habere potest cum aliis quibuslibet rebus; seu ut non tantum ea quae in obiecto *formaliter* constant, sed etiam quae *virtualiter et eminenter continent*, vi illius distincte ac perspicue attingantur. Obiectum enim cognoscibile est quoad haec omnia; causa praesertim ac potentia, quae plene non cognoscitur, nisi attactis quoque terminis ad quos extendi potest.

¹ Epist. 147 c.3 n.21: ML 33,606.

Cum autem essentia et omnipotentia divina terminetur ad omnia possibilis, ut exemplata et producibilia, ea sola cognitio dicitur *comprehensio* divinitatis, quae attingat *distincte ac perfectissime non solum attributa quae formaliter de Deo dicuntur sed etiam omnia possibilis*.

Concertationes inter theologos de notione comprehensionis minoris momenti videntur esse. Quidquid est an vocari possit comprehensio alia cognitio minus perfecta, vel an staret comprehensio sine cognitione distincta et clara omnium possibilium in essentia divina (ita accipienda videtur divisio comprehensionis in *intensivam* et *extensivam*), dicendum est in hac hypothesisi hanc cognitionem esse minus perfectam; ideoque asserendam esse Deo quam descriptimus, eamque saltem incommunicabilem esse ulli intellectui creato, ac saltem hoc sensu dicendum Deum incomprehensibilem².

Deum esse vero quodam sensu incomprehensibilem cuilibet intellectui creato vel creabili, seu quod idem est nullum esse intellectum creatum, qui totam intelligibilitatem divinae essentiae, ne de potentia quidem absoluta, exhaustire possit, sententia est *omnium theologorum et doctrina catholica*, quidquid est de ulteriore expositione huius notionis.

66. Adversarii. Contrarium errorem docuerunt *eunomiani*, quorum sententiam his verbis referunt S. Ioannes Chrysostomus: *Ausus est homo dicere: tam novi Deum, ut ipse Deus se ipsum novit* (R 1124) et Socrates: *Sic ait ad verbum: De sua substantia Deus nihil ipsius amplius scit quam nos; nec illa ipsi quidem notior, nobis obscurior*³. Quo pacto tam crassus error concipi potuerit vix constat; res tamen ab omnibus Patribus qui cum ipsis certarunt asseritur.

Diversis modis error eunomianorum expositus est⁴. Alii putant eos confundere Deum ens perfectissimum cum ente universalissimo, ac quodammodo praeludere *ontologismo*. Alii existimant eorum errorem potius ex duobus capitibus ortum esse: et eo quod essentiam divinam hoc solo sensu acciperent quem vocant scholastici *essentiam metaphysicam*, quod nomine ἀγώνητος exprimebant, et quod nomina rebus imposita perfectissime earum essentiam denotant; iam quid sit *esse a se* aiebant se perfecte agnoscere.

67. Doctrina Ecclesiae. LATERANENSE IV, quod repetit VATICANUM in professione fidei dicit Deum *incomprehensibilem* (D 428 1782).

Valor dogmaticus. Contra *eunomianos*, saltem de facto non habere nos perfectam comprehensionem divinitatis est *de fide definita*. Imo sensu omnium fere theologorum *de fide*

² SUÁREZ, c.5; RUIZ DE MONTROYA, *De scientia Dei* d.6 s.4; LOSSADA, o.c., 215,216; FRANZELIN, 233; A.MICHEL, *Intuitive (Vision)*: DTC 5,2383.

³ *Historia ecclesiastica* l.4 c.7: MG 67,474.

⁴ FRANZELIN, th.10.128.129; LE BACHELET, *Eunomius*: DTC 5,1510.

quoque dici debet perfectissimam quamdam sui cognitionem Deo competere, quae sit prorsus *incommunicabilis* ulli intellectui creato⁵.

68. Probatur ex sacra Scriptura. Ier 32,19; *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu* ita in Vulgata; Rom 11,33, 1 Cor 2,10, Eph 3,10, S.Scriptura Deo tribuit cognitionem quamdam divinitatis ac divinorum attributorum, quae neque angelis in caelo ipsum videntibus communicata sit; quare non satis declarantur ii loci per solam connaturalitatem ipsius visionis. Quod si consilia et multiformem Dei sapientiam non attingunt, ut bene notant Patres quasi a fortiori, neque ipsam perfectionem intrinsecam divinitatis cognoscunt. Hoc attributum praeterea docet S.Scriptura ubi Dei infinitatem declarat, nam revera non est nisi infinitas relata ad intellectum.

Probatur ex traditione. Praesertim contra eunomianos, Sancti Patres magna ponderatione ac peculiaribus scriptis *De incomprehensibili* hanc veritatem multis modis versant. Sint in specimen: S.GREGORIUS NYSSENUS: «Doctrina veritatis Deum ponit sicut est, nec nomine, nec cogitatione, nec ulla mentis apprehensione comprehensibilem, non solum humana, sed etiam angelica» (R 1041). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS in eunomianos ita invehitur: «Haecine confutatione indigent?... An non satis haec solum verba proferre ut tota eorum impietas reveletur?» (R 1124); «... Ut ostenderemus neque principatus, neque dominationes, neque aliam ullam creatam virtutem esse, quae Deum perfecte comprehendat...» (R 1127); «Cur ergo Ioannes ait: Deum nemo vidit unquam? Ut ediscas eum de perfecta comprehensione loqui... id intellige, nullum esse qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat» (R 1128). S.AUGUSTINUS: «De Deo loquimur. Quid mirum si non comprehendis? Si enim comprehendis non est Deus... Attingere aliquantum mente Deum magna perfectio est; comprehendere autem omnino impossibile»⁶.

Probatur ratione a S.THOMA ex infinitate Dei⁷. Deus cuius esse est infinitum, infinite cognoscibilis est. Atqui nullus intellectus finitus, quantumcumque supernaturaliter adiuvetur, potest cognoscere modo obiectivo cognoscendi infinito. Ergo Deus est absolute incomprehensibilis.

69. Obiectio. Deus est simplicissimus. Ergo, si videtur, totus videtur. Ergo comprehenditur.

Resp. cum S.THOMA ad 2 et 3, Deus si videtur, videtur **TOTUS**, sed non necessario **TOTALITER**. Nempe visio Dei, qua cognoscuntur intuitive omnes divinae perfectiones, sive eius simplicissima entitas, non est necessario *tantae virtutis ac perfectionis intensivae ac manifestativae*, ut vi illius cognoscatur quantum cognoscibilis est. Signum et quasi mensura huius defectus est quod non illo cognoscantur a beatis omnia ad quae se extendere potest eius virtus. Nam quod Deus sine fine meliora et plura facere potest, provenit ex eius infinitate⁸. Ergo ille solus Deum comprehendit, seu perfecte cognoscit eius infinitatem qui omnia in eo possibilea cognoscit, id enim est cognoscere *totaliter*; hic autem solus est ipse Deus.

His contineri videtur quidquid de re ipsa dici potest in hac difficili quaestione, quae, si bene perpenditur, ostendit quantopere mysteriis plena sit visio intuitiva Dei simplicissimi et infiniti ab intellectu creato; cum ut supra dictum est, non sit cognitio aut visio quaedam *superficialis*, sed *quid-ditativa* et *penetrativa essentialis*. Ex alia vero parte incomprehensibilitatem Dei sequi eius infinitatem perspicuum est. Omissis ergo metaphoris, ac mera repetitione notionis comprehensionis, non aliter explicari posse videtur, saltem quoad nos, discrimen inter meram intuitionem ac comprehensionem, quam modo dicto⁹.

Corollarium. Ergo possunt dari gradus maioris vel minoris perfectionis in visione Dei intuitiva, quod est *de fide* ex Concilio Florentino (D 693). Haec diversitas procedit immediate a maiore vel minore perfectione *luminis gloriae*. Hinc plura vel pauciora cognoscunt beati *in Deo*, sive *in Verbo*, ut dicitur¹⁰.

Scholion. Reicienda sunt systemata omnia pseudointuitionistica circa cognitionem Dei.

70. Probavimus possibilem mediatam Dei cognitionem naturalem de existentia et natura Dei, et immediatam intuitionem divinae essentialis, omnino supernaturalem ac ponimus priorem, cum cognitione per fidem, in hac vita; alteram in beatitudine ac possessione finis ultimi. Posse quoque dari ac de facto datos esse per interventum supernaturalem, vel ordinarium vel extraordinarium, alios modos attingendi in hac vita res divinas, ut revelationes, experientiam quamdam Dei in statibus mysticis, illustrationes ordinis gratiae, ceteraque huiusmodi, ad alios tractatus theologicos et peculiariter ad Theologiam spiritualem mittimus.

Systemata vero quae alias vias cognoscendi existentiam Dei modo naturali statuunt, reiecimus (factum autem quod primam de Deo notitiam plurimi homines per traditionem et rectam educationem habeant evidens est), quatenus possibilitati cognitionis certae de existentia Dei mediatæ ex rebus crea-

⁵ V. accuratam huius qualificationis discussionem apud SUÁREZ, l.c.

⁶ Sermo 117 c.3 n.5: ML 38,663.

⁷ Cf. etiam 3 q.10 a.1 ad 2; 4 d.49 q.2 a.3; De ver. q.8 a.2; Comp. Theol. 106.216. Alios theologos refert FRANZELIN, p.235.

⁸ PESCH, 90; v. S.TH., q.12 a.6 ad 1; a.8 c et ad 3.

⁹ Cf. SUÁREZ, l.c., c.29, De Incarnatione d.26 s.155; RUIZ DE MONTOSA, l.c.; FRANZELIN, 237-239; MICHEL, l.c.

¹⁰ V. De novissimis th.7 (SUMMA, 4,111-124).

tis opponantur, eique substituantur. Nunc autem breviter, velut complementum doctrinae, iudicium ferimus de illis, an sc. illi modi *apti revera sint ad existentiam Dei modo certo et naturali asserendam*. Negamus ergo omnes istos modos quid solidum hac in quaestione afferre; quo tandem fit ut omnis naturalis de Deo cognitio in hac vita *mediata* sit.

In his autem systematibus diiudicandis, accurate distingui debet (ut iam innuimus n.19.26), *iudicium* ipsum de existentia aut natura Dei, ab *origine ideae* seu simplicis notionis de divinitate. Priorem quaestionem agimus, non alteram. Ideo systema *innatismi*, aut theoria *illuminationis*¹¹, quae augustiniana dicitur, quocumque tandem modo explicari debeat, si limitibus alterius quaestionis coarctatur, nullo modo theologice notari potest, estque quaestio pure philosophica. Ideo licet Sancti Patres has theorias revera tenuissent, dicendum esset speculationem philosophicam patristicam haec attingere, non res cum revelatione connexas.

71. Duplex agmen distingui potest horum systematum, alterum quod intuitionem Dei *intellectualem* statuatur, alterum quod ponat attingentiam Dei *via diversa* ab ordine simpliciter intellectuali.

A. *Ontologismus*¹² tenet intuitionem quamdam *intellectualem* divinitatis naturalem. Essentia huius systematis his fere propositionibus continetur: «1. *Immediata Dei cognitio* habitualis saltem intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectus. 2. *Esse illud*, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est *esse divinum*. 5. Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur» (D 1659 1660 1663). Tenent tamen ontologi immediatam hanc Dei cognitionem esse prorsus diversam a visione beatifica, cum sit obscura, nec per se reflexa, sed potius directa et spontanea, neque vitam Dei internam attingat, sed tantum esse divinum in quantum est exemplar creaturarum.

Ontologismum post MALEBRANCHE diversis formis plures professi sunt saec.XIX, ut GERDIL, GIOBERTI, UBAGHS, BRANCHEREAU, ROTHENFLUE. Similis est doctrina ROSMINIANA: «1. In ordine rerum creaturarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid *divini in se ipso*, huiusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat. 2. ... neque mens nobis est loqui

¹¹ Multa de hoc argumento scripta sunt, quae relata reperies apud LENNERZ, 70.85-89; cf. J.GONZÁLEZ-QUEVEDO, *Elementos constitutivos del iluminismo agustiniano. Ideas innatas e iluminación divina* (Comillas 1951). Idem problema discussum est in Congressu internationali augustiniano Parisiensi celebrato; v. *Augustinus Magister* (Paris 1954, 1955).

¹² De ontologismo v. auctores citatos n.19.

de *divino* quodam quod sit tale *per participationem*. 4. *Esse indeterminatum*, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur. 5. *Esse* quod homo intuetur necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est *Deus*... 7. *Esse indeterminatum intuitionis*, esse initiale, est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit *non realiter*, sed secundum rationem a Verbo» (D 1891 1892 1894 1895 1897)^{12*}.

72. Utraque ontologismi forma damnata est, prior a PIO IX, altera a LEONE XIII (D l.c.). Neque potest cohaerere hic error cum definitione *Concilii Viennensis* (D 475), saltem consequenter; quia vera intuitio entis simplicissimi nequit stare sine plena cognitione omnium quae cum Deo identificantur, neque potest esse obscura, aut quasi praecisiva, quod in terminis repugnare videtur. Oritur error ontologismi ex confusione inter *esse abstractum* et indeterminatum, quod de omnibus praedicatur, et *esse concretum* plenissime perfectum ac *per se subsistens*, quod est Deus; quo hoc systema viam parat pantheismo.

Similitudinem quamdam cum ontologismo praebere theoriam *dynamismi intellectualis*¹³, secundum quam omnis nostra affirmatio implicat affirmationem Dei, vix negari potest. Tamen non videtur haec theoria docere hanc affirmationem esse *intuitivam*, sed potius ex necessitate quadam subiectiva *a priori* ipsius intellectus prodire; quod tamen falsum dici debet.

73. B. Attingentiam aut quasi-intuitionem immediatam Dei *via non intellectuali*, sed affectiva, aut instinctu arationali, aut actionis, tenet nostris diebus ingens numerus systematum philosophiae et psychologiae religiosae (supra n.6.19), in quorum descriptionem immorari non vacat¹⁴. In universum aiunt nos experiri aut attingere immediate Deum, aut divinitatem, aut τὸ divinum, sive in indigentis subiectivis inconsciis, sive in experientia religiosa, sive in actu amoris, sive in processu totali vitae et actionis, sive libera quadam optione; quam experientiam formulis intellectualibus exprimimus, cum ex adiunctis plene consciae fiunt, aut supra illas reflectimus. Sic *vitalistae, modernistae, pragmatistae, BLONDEL, BERGSON, SCHE-*

^{12*} V.G. BOZZETI, Rosmini Serbati Antonio: *Encicl. cattolica* 10 (1953) 1359-1371; cf. bibliogr. n.189.

¹³ MARÉCHAL, *Le point de départ de la Métaphysique*, passim; v. DESCOQS, 1,57-114 ubi plura scripta reperies; HELLIN, th.3.

¹⁴ Praeter auctores recensitos in th.1 et 2, v. horum systematum descriptionem apud POHLE, 80-83, accuratam discussionem apud DESCOQS, 1 525-588.665-680; 2,273-311.333-478; HELLIN, 110-135.

LER, HESSEN, *existentialistae* qui theismum quemdam profitentur, etc.

Haec systemata ita describit ac reicit PRUS XII in Litteris encyclicis *Humani generis*¹⁵: «quod isti novatores contendunt: facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discurso cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis». Haec autem nova placita reicienda docet, quia in discrimen adducunt «duas philosophicas disciplinas, quae natura sua cum fidei doctrina arcte coniunguntur, theodiceam et ethicam; quarum quidem munus esse censent non aliquid certi de Deo aliove ente transcendentem demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis, cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere, ideoque omnibus amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus», additque adversari documentis LEONIS XIII et PII X et decretis *Concilii Vaticani*.

74. Et quidem plures ex auctoribus earum sententiarum parum solliciti sunt de vero Deo transcendentem attingendo, sed tantum de *fovendo*, ut aiunt, *sensu religioso*. Verum existentiam certam veri Dei, seu affirmationem immediatam obiective fundatam Deum personalem existere inde haberi posse negandum prorsus est. Id enim ad viam *cognoscitivam* pertinet, non ad affectivam, aut *appetitivam*, aut alius generis activitatis vitalis, quae non in recipienda obiectiva veritate, sed in tendendo erga alia consistunt. Conscientia ergo immediata de his actibus refert solummodo affectionem internam, nihil prorsus de obiectiva existentia obiecti in quem tendit. Falsae igitur et omni fundamento destitutae sunt analyses psychologicae ac theoriae his praedictis antiintellectualibus ductae, ac omnem vitalem activitatem permixte confundentes.

Neque cum his theoriis cognitionem habet argumentum ex tendentiis naturalibus in summam felicitatem, aut ex factis ordinis moralis et religiosi, quo probatio logica et rationalis pro existentia Dei construatur. An valorem apodicticum habeat hoc argumentum discutitur¹⁶, aliis negantibus, aut ut summum vim congruentiae ei adscribentibus, aliis concedentibus, nec sine prudentibus cautelis. Verum valde diversum est, ut patet, ipsis experienciis affectivis vim immediate appre-

¹⁵ AAS 42,574.

¹⁶ V. auctores *Theologiae naturalis*, ut HONTHEIM, LOINAZ, RAST, DESCOQS, HELLIN.

hensivam divinitatis adscribere. Prius concedi potest; alterum omnino abiciendum.

Neque quid in favorem earum speculationum erui potest ex factis experientiae mysticae, vel ex revelatione et illustratione prophetica. Haec enim supernaturalia sunt; et quidquid est de modo quo explicari debeant, constat in his omnibus peculiarem cognitionem divinitatis non via mere affectiva haberi, sed elementum simpliciter intellectuale numquam deesse. Aliunde quam difficile sit in singulis casibus horum phaenomenorum realitatem comprobare, ac quanta *discretione spirituum* ad hoc opus sit, constat ex falso mysticismo, et patet ex ipsorum vere mysticorum declarationibus.

CAPUT II

De essentia Dei

75. Vidimus th.3 contra agnosticos per rationem naturalem posse nos habere aliqualem cognitionem essentiae vel naturae Dei, eamque nos assequi pluribus notionibus ratione ratiocinata distinctis, quae cognitio, ut cognitio de eius existentia mediata tantum est, ut patet. Hanc naturalem cognitionem de essentia Dei firmavit ipse revelatione sua, ita ut omnia quae certo hac in re naturali ratione vestigari possunt in fontibus revelationis contineantur. Ex parte vero ipsius revelationis cum cognitio nostra per fidem sequatur etiam nostrum modum mediatum cognoscendi divina, non est mirum quae de natura Dei nobis revelata sunt maximam partem (intimioribus exceptis de mysterio Sanctissimae Trinitatis) materialiter eadem esse quae ratio naturalis agnoscere potest. Quod si de his scientifice agendum est, necessario caput hocce doctrinae theologicae de Deo maximam habet similitudinem, quod attinet conceptuum dogmaticorum declarationem et expositionem scientificam ac ulteriorem rationalem inquisitionem in revelata, cum Theologia naturali christiana, quae tandem a theologis hac parte praecipue vel omnino elaborata est. Imo, quod in omnibus fere e ratione desumptis probationibus notari potest, haec, ante theologos scientifice et systematice rem agentes, iam a SS.PP., vel plene propositae, vel saltem inchoatae, revera reperiuntur. Et licet in his influxus philosophicus non desit, non tamen SS.PP. philosophos agebant, sed ut quid e fonte revelato haustum, saltem quod radicem et substantiam

attinet, tenebant, iuste ac merito ea adversus haereses proponentes. Ea enim, ut legentibus patet, e Sacra Scriptura eruebant.

75 bis. Ideo clara mens est totius christianae traditionis Theologiam biblicam in revelatione de rebus divinis, principium vitae aeternae, quae tota est «ut cognoscant Te, solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum» (Io 17,3), esse revera «ontologicam», seu revera aliquid nobis dicere de Deo in sua natura. Quare prudenti cautela accipi debent quae de Theologia biblica ut «functionalis» circumferuntur¹. Ita vocatur doctrina de Deo in quantum dicit quid Deus erga nos egerit, sive in ordine naturali, sive in supernaturali. Certe, cum revelatio nobis facta sit ut religiosam vitam ducamus, vere potest dici substantialiter ac radicaliter Theologiam Sacrae Scripturae esse «historiam salutis». Erraret vero quam maxime qui haec non sensu mere assertivo, sed sensu exclusivo diceret, seu qui opponeret theologiam functionalem theologiae ontologicae, atque teneret theologiam biblicam esse mere functionalem, non ontologicam.

Id in primis non constaret cum fine revelationis; nam salus nostra in visione Dei est, utique in patria danda, sed iam in speculo et aenigmate nobis in via per fidem praeparata. Praeterea opera omnia divina erga nos gloriam Dei proclamant, et quam bonus in se sit multifariam multisque modis ostendunt, ut Sacrae Scripturae luculenter, singulis fere paginis proclamant, ut laudemus Deum quoniam bonus et cognoscamus eius divinitatem (Θεϊότην, Rom 1,20). Unde nobis tam eximie bonum se exhibet, nisi quia in se bonus est? Certe theologia biblica de Deo non dat nobis intuitionem divinitatis, sed tantum per conceptus analogos et ex operibus nobis proponitur; at inde nulla est ratio eam claudendi intra limites theologiae mere functionalis. Neque hac ex parte statui potest oppositio inter theologiam biblicam et theologiam naturalem; haec enim hoc sensu etiam «functionalis» esset. Est et aliud discrimen saepius notatum inter theologiam biblicam revelatam et theologiam scientificam naturalem: priorem non ad indaginem mere speculativam ordinatam esse, sed ad religiosam vitam ducendam. Verum id praestat notionem ipsam veram de Deo praestans, ut vita nostra in veritate fundetur, imo ut profundiori modo et supra quod rationalis cognitio attingere potest, divina nobis praebeat².

¹ Vide hanc rem accurate ac prudenter tractatam apud L.MALÉVEZ, *Nouveau Testament et Théologie fonctionnelle*: RechScRel 48 (1960) 258-290, qui notat functionalismi biblici, praesertim universalis, nullam afferri probationem, imo positive excludi pluribus textibus; e contra «Le Mystère chrétien s'est appliqué à éprendre le chrétien de Dieu lui-même dans sa super-essence». V. etiam J.GIBLET: «Mais pourquoi s'accrocher à cette fameuse distinction entre «êtres» et «agir», entre «théologie métaphysique et théologie fonctionnelle»? Une telle distinction en relève d'une mentalité étrangère à la tradition biblique». *La Sainte Trinité selon l'Évangile de St. Jean*: Lumière et Vie 29 (1956) 97.

Proponere autem doctrinam revelatam de Deo sub ratione speciali, ut «historiam salutis», putamus potius amandandum ad peculiarem disciplinam Theologiae biblicae. In Theologia dogmatica theses de Deo assumimus prout in symbolis fidei et documentis magisterii ecclesiastici fidelibus traduntur.

² Cf. K. RAHNER, *Theos im Neuen Testament. Schriften zur Theologie* I 91-168 (Zürich 1956): transl. hisp. (Madrid 1960) I 93-169.

ARTICULUS I

DE ESSENTIA PHYSICA ET METAPHYSICA ET DE ATTRIBUTIS TRANSCENDENTALIBUS DEI

S.Th., q.13; SUÁREZ, *De Deo* I.1; SCHEEBEN, I.96.5-70; FRANZELIN, th.20-24; DE SAN, *De Deo uno* 40-49.86-112; MUNCUNILL, 65-92.106-128; PESCH, 105-122.145-155; POHLE, 84-103.

76. **Notiones.** In scientifica et philosophica tractatione de natura rerum, vel quid res sint, distinguitur essentia rei ab attributis sive proprietatibus. ESSENTIA vel natura dicitur illud quod rem constituit intime et substantialiter, eamque in quodam ordine entium collocat et ab aliis rerum ordinibus radicaliter secernit. Proprietates vero vel ATTRIBUTA dicuntur quae rei iam in suo esse constitutae adveniunt, vel advenire concipiuntur. Duplici modo potest distinctio inter essentiam et attributa considerari, in ordine physico cum distinctione reali, et in ordine *metaphysico* posita inter illa distinctione rationis ratiocinatae. Ideo ESSENTIA PHYSICA alicuius rei defini potest: *status substantialis rei*, in oppositione ad accidentia, etiamsi sint necessario requisita. Ita essentia physica hominis est esse compositum substantiale ex corpore et anima, ac proprietates eius facultates seu potentiae accidentales, qualitates corporeae etc.

ESSENTIA METAPHYSICA dicitur *notio obiectiva aut complexus notionum*, quae primo rem illam substantialiter constituunt atque eam ab aliis ordinibus entium distinguunt, ac sunt radix ceterorum omnium quae de illa praedicantur, quae sunt proprietates eius. Ita essentia metaphysica hominis est animal rationale; essentia metaphysica animae humanae est spirituale quid forma corporis, eiusque proprietates, immortalitas etc.

Cum haec ad divina transferuntur, posita omnimoda simplicitate eius naturae, possumus quidem loqui de essentia physica Dei, non vero de attributis aut proprietatibus ab illa realiter distinctis. E contra, ob distinctionem rationis cum fundamento in re diversorum praedicatorum quae Deo tribuuntur, recte possumus essentiam metaphysicam Dei ab attributis distinguere.

77. ESSENTIA PHYSICA DEI recte constitui potest per complexum aut cumulum omnium perfectionum, sive tandem per *infinitatem*; omnes enim perfectiones divinae, etiam operativae, ad statum substantialem divinitatis pertinent.

Posita tamen distinctione personarum in Deo, quaestio

ponitur a theologis, an non solum attributa *absoluta*¹, sed etiam *relationes*, quae constituunt personas, ad essentiam physicam divinitatis pertinere dici debeant. Placet hac in re distinctio a Wirceburgensi KILBER² statuta in essentiam divinam *theologicè* ac *philosophicè* acceptam. Si primo modo essentia divina sumatur, dici non posse videntur relationes constituere essentiam physicam Dei; in Theologia enim trinitaria nomen essentiae accipitur pro complexu praedicatorum absolutorum, quae *communia* sunt tribus personis. Si vero nomen essentiae simpliciter usurpetur, ut in Philosophia sumitur, pro *statu reali substantiali* divinitatis, iure dicitur essentia divina complecti etiam relationes ad intra. Non quidem quod de iis noverit quidquam Philosophia, sed quia, posita doctrina revelata de Trinitate, recte intelligit eas in statu reali simplicissimae divinitatis necessario includi.

78. DE ESSENTIA METAPHYSICA DEI ulterior quaestio proponitur. Sed licet variae sententiae inter theologos et philosophos circumferantur, communior est, etsi diversis formulis proposita, quae eam in *aseitate* ponit, seu necessitate existendi, ita, ut quasi definitio Dei sit: *Ens a se*; quod exprimit S.Thomas, cum ait Deum esse *ipsum esse per se subsistens*. His formulis recte exprimitur essentiam metaphysicam Dei in ipsa ratione *entis* constare, qua, etsi analogice, analogia attributionis intrinsecae proprie dictae, cum ceteris entibus convenit, etiam in ratione *entis* in infinitum ab illis distat, ac quidem sine ulla, ne metaphysica quidem, compositione³. Nec inquirendum videtur, an necessarium sit isti simplicissimae notioni ulteriorem determinationem addere, qua essentia divina in gradu intellectuali constituta dicatur; nam et haec notio in aseitate radicatur, et licet non explicite concipiatur, per aseitatem sufficienter, imo magis essentialiter, Deum a rebus creatis distinguimus. Aliae vero sententiae propositae, aut non satis essentiam metaphysicam a physica distinguere videntur, aut tandem conveniunt cum communiore.

¹ Intelligimus nomine attributi absoluti omnia quae Deo ut uni competunt, ideoque communia sunt tribus personis divinis; v. infra, n.82.

² De Deo uno et trino d.1 c.2 a.3 n.51-55; ita etiam MENDIVE, De Deo uno d.1 c.2 n.3 et alii. Plures thomistae cum BAÑEZ, In 1 q.28 a.2 dub.3 ad 6, et VALENCIA, In 1 d.2 q.4 p.1 relationes includunt in essentia Dei. Theologi S.I. communius cum SUÁREZ, De Trinitate l.4 c.5 atque etiam SALMANTICENSES, De Trinitate d.5 dub.4 eas excludunt. V. tractatum De Trinitate th.43 schol.2 n.492.

³ Formulam *aseitatis* maluit PETAVIUS, BERTI, WIRCEBURGENSES cum multis theologis S.I. ac recentius FRANZELIN, th.20.23; MUNCUNILL, 66-77; DEL VAL, De Deo c.2 a.2 etc. Alii adhaerent potius formulae S.Thomae: *ipsum esse per se subsistens*, ut SUÁREZ, l.1 c.1 n.10 et alibi passim, BILLOT, q.3 coroll.2, et plures philosophi cum URRÁBURU, 82-88; HELLÍN, 358-369. De analogia v. HELLÍN, 430-460, et praeclarum opus ipsius auctoris, *La analogia del ser y el conocimiento de Dios en Sudrez* (Madrid 1947). Cf. M.G.BUENO, *Sobre el constitutivo de Dios estrictamente sobrenatural*: CiencTom 66 (1958) 199-202.

Intellectionem formaliter pertinere ad constitutum essentiae metaphysicae Dei tenent quidam thomistae, ut GODOY et BILLUART⁴. *Scotistae* plures potius in infinitatem inclinant, radicalem secundum FRASSEN⁵. *Nominales* videntur eam ponere in cumulo omnium perfectionum, seu non distinguunt essentiam metaphysicam a physica.

79. Ex Sacra Scriptura sententia proposita probari solet a theologis, ex hoc quod maxime conveniat cum revelatione, qua Deus proprium nomen suum dedit «Iahve», «ego sum qui sum», «qui est», ut refert Ex 3,13-15; 6,3. Et quidem traditionem patristicam et theologiam de aseitate Dei (n.80.81) his locis fulciri perspicuum est. Vident enim Patres et theologii exprimi his locutionibus, modo quidem arcano et mysterio pleno, *transcendentiam*, ut aiunt, seu superessentialem distinctionem Dei a ceteris omnibus rebus fundatam in ipsa ratione essendi, e qua omnia attributa divina profluunt, veluti explanationes illius plenitudinis, sitque primum quod de Deo dicitur; quod essentiam metaphysicam dicimus⁶. Neque omittunt animadvertere quaestionem de nominibus in V.T. non esse mere nominalem; «nomen» enim, praesertim a Deo impositum, dicit ipsam personam atque intimam rei notitiam dat^{6*}.

Nunc autem multa inquiruntur de propria et immediata significatione huius nominis «Iahve», et in diversas sententias exegetae abeunt, quae attingi hic pro dignitate nequeunt⁷. Quidquid vero in hac re tenendum tandem sit, vix potest omitti, et nomen ipsum, et adiuncta ac modum responsi divini, innuere saltem hanc summam eminentiam seu transcendentiam divini Entis (quae aliunde in tota revelatione Sacrae Scripturae plane traditur diversissimis modis), ita ut Deus «revelet suum modum unicum existendi»^{7*}.

⁴ De Deo uno d.2 a.2; IOANNES A S.Thoma, De Deo d.16 a.2; SALMANTICENSES, De scientia Dei tr.3 d.4 dub.1.

⁵ De Deo tr.1 d.1 a.3, ex SCOTO, Oxon. I d.13; 4 cl. 13; S.BELMOND, Dieu, existence et cognoscibilité (Paris 1913) 193-201; Z.VAN DER WOESTYNE, Cursus philosophicus 2 p.75.

⁶ FRANZELIN, th.22; PESCH, 108-114; F.HUMMELAUER, Commentarius in Exodum et Leviticum (Paris 1897) 47-52,70-74; F.PRAT, Iahvé: DB 3,1220-1234; E.MANGENOT, Dieu, sa nature d'après la Bible: DTC 4,954-962; M.HETZENAUER, Theologia biblica (Friburgi 1908) 374-382; F.CEUPPENS, Theologia biblica 1,23-27; P.HEINISCH, Teologia del Vecchio Testamento.

^{6*} Cf. S.Th. I q. 13; C.JOURNET, La portée des noms divins: Nova et Vetera 35 (1960) 150-154.

⁷ Cf. inter alios multos: M.J.LAGRANGE, El et Iahvé: RevBibl 12 (1903) 362-383; A.VACCARI, Iahvé e i nomi divini nelle religioni semitiche: Bibl 17 (1936) 110; M.VRIEZEN, Ehje aser ehje: Fests.A.Bertholet (1950) 498-512; W.ALBRIGHT, The Name Yahveh: JournBiblLiter 43 (1924) 370-378; P.VAN IMMSCHOOT, Théologie de l'Ancien Testament I (Paris 1954); A.DUBARLE, La signification du nom de Yahveh: RevScPhTh 35 (1951) 47-52; R.CRIADO, La Teologia de la historia en el A.T. (Madrid 1954); G.LAMBERT, Que signifie le nom divin YHWH: NouvRevTh 74 (1957) 897-915; M.ALLARD, Note sur la formule «Ehjev-aser-ehjev»: Rech ScRel 45 (1957) 79-86; R.ABBA, The divine Name Yahveh: JewBiblLit 80 (1961) 320-328; C.J.DE VOGEL: «Ego sum qui sum» et sa signification pour la philosophie chrétienne: RevScRel 35 (1961) 337-355; S.BARTINA, Jesús y los saduceos. El Dios de Abraham, de Isaac y de Jacob es «el que hace existir»: EstBibl 21 (1962) 151-160.

^{7*} «Cette liaison du nom divin avec l'histoire... ne doit cependant pas masquer l'aspect de transcendance que suggère la réponse de Dieu à Moïse... Dieu révèle sa façon unique d'exister, indépendamment de celui dont il se fait le Dieu». ALLARD, l.c. 85.

Quod si in expositione theologica huius nominis apud Patres saeculi IV et sequentibus aliqualis influxus nobilioris philosophiae hellenicae, cuius praecipui auctores altas de Deo speculationes valde similes protulerunt (licet erroribus admixtas), id nihil aliud infert, nisi consonantiam inter ordinem rationis recte ordinatae et divinam revelationem; quae obvia est, cum Deus auctor sit utriusque ordinis. Quare, ut per transnendum dictum sit, probari nequit oppositio quae ab aliquibus statuitur inter Deum, ut dicunt philosophiae, et Deum revelationis 7**.

80. Probatur ex traditione. Sancti Patres multa ac praeclara speculati sunt de nomine Iahve, ut a) quod indicet essentiam Dei, atque praecipua eius attributa contineat aut includat, praesertim infinitatem et aeternitatem; b) quod transcendentiam Dei denotet, ratione cuius Deus dicitur esse simpliciter, aut naturaliter, aut essentialiter (δντως) aut per se; cetera autem non nisi per participationem, ita ut proprie de se nihil sint; c) tandem quod ideo nomen universalissimum, quod est esse, sibi proprium Deus vindicavit, quia nihil ei tam proprium est quam esse⁸. Ita S.HILARIUS: «Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur» (R 857). S.AUGUSTINUS: «Sublatis de medio omnibus quibus appellari posset et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit; et tamquam hoc esset ei nomen, Hoc dices eis, inquit, Qui est misit me. Ita enim est, ut in eius comparatione ea quae facta sunt, non sint» (R 1489). Plures alios textus Patrum v. in R ind.theol.94, ut S.EPHRAEM (R 729), S.GREGORII NAZIANCENI (R 993), S.GREGORII NYSSENI (R 1046), etc.

Satis ergo videntur Patres quam Scholastici vocant essentiam metaphysicam Dei in ipso esse Dei ponere.

81. S.THOMAS q.13 a.11 docet nomen *Qui est* esse maxime Deo proprium a) quia significat esse Dei, quod est eius essentia; b) quia propter eius universalitatem aptum est ad nominandum pelagus essentiae; c) ex consignificatione temporis praesentis, quia esse Dei non novit nisi praesens, non praeteritum aut futurum⁹.

7** «C'est tout simplement une erreur que de croire—comme le font certains théologiens de nos jours—que «le Dieu des philosophes» est autre que Celui qui s'est révélé dans l'histoire. Il n'y a qu'un Dieu. Or, il s'est fait connaître à son peuple d'abord comme *Celui qui Est*, ensuite comme le Dieu d'Abraham, d'Isaac et de Jacob». VOGEL, l.c. 353.

⁸ FRANZELIN, th.33.

⁹ Ita saepe alias hanc doctrinam praeclare exponit, ut q.3 a.4; CG I 21,22, ubi vocat eam *sublimem veritatem*.

Per se patet aseitatem nullo modo intelligi posse sensu illo aseitatis *positivae*, quam statuit cum aliis SCHELL, quasi Deus esset *causa sui*¹⁰, quod absurdissimum est, ac non nisi eo modo intelligi aliquatenus posset, quo dici solet, adumbrata quadam distinctione rationis fere ratiocinantis, Deum existere *vi essentiae suae*. Potius igitur aseitas sumitur sensu modo significandi negativo, nempe Deus est et *non est ab alio*; quo tandem *positive* eminentiam Dei in ratione entis imperfecto nostro modo concipiendi exprimere conamur.

82. Scholion. De distinctione inter essentiam metaphysicam et attributa Dei, et inter ipsa divina attributa. Distinctio quae necessario inter illa poni debet est DISTINCTIO RATIONIS RATIOCINATAE proprie dicta, cum fundamento in perfectione Dei, quam nos necessario diversis conceptibus apprehendere debemus, secundum quod simplicissima entitas divina nostris conceptibus de rebus creatis analogice convenit. Alia genera distinctionis, quae a quibusdam inducta sunt, reici debent, ut ex probandis in tractatu de Trinitate a fortiori constabit¹¹.

Haec autem perfecta distinctio rationis, secundum communiolem sententiam, stat cum *inclusionem formalem implicitam* inter omnia praedicata absoluta quae de Deo dicuntur, in quantum omnia sunt formaliter infinita, et infinitas formaliter omnia complectitur¹².

Divina attributa diversis modis dividi possunt¹³. Triplex genus eorum apte distinguitur: 1. Attributa *transcendentalia*, quibus de Deo praedicantur quae enti ut sic conveniunt, veritas, bonitas, unitas. 2. Attributa *quiescentia vel negativa*, quae ita vocantur, quia esse divinum *statice* considerant, et per *negationes* imperfectionum quae in creatis adsunt, accuratius essentiam divinam nobis notificant, ut simplicitas. 3. Attributa *positiva et operativa*, quae ipso nomine perfectionem in creaturis inventam, praeter ipsum esse, nempe activitatem, de Deo asserunt.

Dividuntur quoque saepe ab auctoribus attributa divina in *absoluta et relativa*. Haec vero dicuntur non tantum relationes *ad intra*, quae Trinitatem constituunt, sed denominationes quae de Deo dicuntur in ordine ad

¹⁰ V. PESCH, 121; *Theologische Zeitfragen* (Freiburg 1900) I, 133-163; POHLE, 100.

¹¹ V. th.43. Distinctionis alia genera excogitata sunt: *realis* quaedam a GILBERTO PORRETANO inducta, *scotistica formalis ex natura rei et virtualis intrinseca*. Cf. DE SAN, 86-112; URRÁBURU, 89-104; MUNCUNILL, 106-128; HELLIN, 427-494.

¹² Ita maxima pars scholasticorum, v. PESCH, 150-154. Id tamen non admittunt CAPREOLUS, ARRIAGA, ARAUJO alique pauci (cf. URRÁBURU, 102). Propter hanc inclusionem formalem plures recentiores distinctionem inter attributa divina vocant *attributum minorem* (LECHER, 67). De momento huius quaestionis v. A. DONDAINE, *L'athéisme contemporain et le problème des attributs de Dieu*: EphTheolLov 36 (1960) 462-480.

¹³ FRANZELIN, th.21; PESCH, 145-148, qui notat has divisiones «multum pendere e subiectiva doctorum consideratione».

alia, ut creatoris, domini, cognoscentis, volentis, creantis, etc. Notandum tamen est haec attributa non importare in Deo relationes reales, ex sententia communissima, sed tantum *secundum dici*, atque in ipso Deo esse quid prorsus absolutum. Ideo etiam haec inter *absoluta* computanda ducimus, nomenque relativum solis relationibus ad intra reservamus.

83. De attributis transcendentalibus Dei. VERITAS ET BONITAS transcendentalis non sunt nisi ipsa perfectio vel entitas rei cuiuslibet, prout ad intellectum et appetitum relationem habet, in quantum sc. obiectum esse possunt intellectionis aut appetitionis; nec confundi debent cum veritate logica, aut cum veracitate, nec cum bonitate morali. Patet, quo perfectius sit ens, eo esse intelligibilius et amabilius¹⁴.

In fontibus theologicis sermo frequens est de DEO VERO ac de BONITATE illius, quibus in primis affirmantur haec attributa transcendentalia.

Quae de VERO DEO tradunt fontes id maxime intendunt Deum quem colit religio nostra esse unum ens quod verae notioni de natura divina respondeat, ceteros vero qui vocantur dii non esse deos, sicut loquimur de moneta vera in oppositionem ad falsam; ita *Lateranense IV* et *Vaticanum* (D 428 1782); *Ier* 1,8-10; *Io* 17,3; *I* Thess 1,9. Id autem affert veritatem transcendentalem maxime de Deo praedicari, imo Deum esse summam veritatem ontologicam ac primam veritatem, ut dicit S. THOMAS q.16 a.6, etsi haec locutio saepe addit rationem veritatis logicae divinae scientiae.

84. DE BONITATE DEI v. damnatam propositionem Eckardi (D 528), *Lc* 18,19, S. AUGUSTINUM (R 1671). Cum autem Deus perfectissimus sit, eius bonitas transcendentalis summa est; imo Deus est bonum per essentiam, ac cetera quae dicuntur bona non nisi per participationem ab ipso bona sunt, ut pulchre disserit, post *Mc* 10,18 et SS. PATRES, S. THOMAS q.6; quo continetur Deum esse summe appetibilem et sibi et aliis rebus, praesertim creaturis intellectualibus, quod est fundamentum doctrinae christianae de ultimo fine. Bonitas enim rei dupliciter dicitur, et in quantum res est simpliciter ens, quae est proprie bonitas *transcendentalis*, et peculiari modo quatenus est *perfecta* et nihil ei deest eorum quae eius natura requirit.

UNITAS transcendentalis non addit supra ens, nisi negationem divisionis, unum enim dicitur *indivisum in se et divisum a quolibet alio*, potestque dici *unitas interna* entis. Deus igitur non solum unus est, sed maxime unus (S. TH., q.11 a.4), cum

¹⁴ SUÁREZ, I.1 c.7.8; MUNCUNILL, 191-193; HELLÍN, 532-546; LERCHER, 74-76; POHLE, 126-144, ubi etiam de veritate logica et veracitate, ac de bonitate morali sub diversis aspectibus agitur.

simplicissimus sit, ut probabitur^{14*}. Aliud praeterea dicit unitas cum de Deo agitur, *unicitatem* sc. sive unitatem singularitatis, qua pluralitas entium eiusdem naturae penitus excluditur. De hac unitate peculiarem thesim statim tradimus.

85. De pulchritudine Dei. Cum attributis transcendentalibus Dei, prout summam unitatem, veritatem, et unitatem in perfectione infinita ei propria sunt, connexionem habet summa PULCHRITUDO, quam de Deo praedicant fontes revelationis, ac ipsa naturalis ratio ei tribuere debet¹⁵.

Pulchra sunt, ut dicit S. THOMAS, *quae visa placent* (q.5 a.4 ad 1), ad eamque requiruntur, et integra rei perfectio, et debita proportio elementorum vel attributorum quibus constat, et claritas qua haec omnia splendent (q.39 a.8). Quae eminentissimo modo Deo convenire patet. Ideo S. Scriptura verbis *gloriae, decoris, speciei, claritatis*, saepe divinam pulchritudinem celebrat. Sufficiat referre Sap 13,5: *quorum* [solis, lunae etc.] *si speciei delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator haec omnia constituit.* Vocem Patrum sonant S. AUGUSTINUS: «Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova» (R 1956), et versus BOETII: «pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens»¹⁶.

Thesis 7. Deus est unicus.

S. TH., q.11; SUÁREZ, *De Deo*, I.1 c.6; *Metaphys.* d.29 s.2; FRANZELIN, th.25; DE SAN, *De Deo uno* 61-69; MANGENOT, *Dieu, sa nature d'après la Bible*: DTC 963-1015.

86. Nexus. Primum attributum divinum theologicè tractandum est unicitas, cum religioni christianae *monotheismus*, post religionem V.T., dogma fundamentale sit.

Notiones. UNICITAS alicuius naturae excludit plura subiecta in quibus ipsa ita multiplicetur ut ex his possit conceptus universalis proprie dictus efformari; non autem excludit plura subiecta de quibus per identitatem, sed sine multiplicatione naturae, praedicetur, ut in Trinitate personarum. Secundum terminologiam scholasticam appellatur *unitas singularitatis*, seu *unitas numerica*.

*Monotheismum*¹ plus minus perfectum tenent, praeter religionem christianam, Iudaismus et Islamismus²; ac fortasse

^{14*} O. SEMMELROTH, *Gottes überwesentliche Einheit*: Schol 25 (1950) 209-234.

¹⁵ SCHEEBEN, 9,85; FRANZELIN, th.30; MUNCUNILL, 194-196; LERCHER, 77-78; POHLE, 145-149.

¹⁶ *De consolatione Philosophiae* 1.3 metr.9: ML 63,758-759.

¹ V. quae de his scripsimus in art. *Monotheismo*: Enciclopedia Espasa, 36,249-266.

² E. POWER, *L'Islam*, apud J. HUBY, *Christus, Manuel d'Histoire des religions* (Paris 1910) 788-790; GOLDZIER, *Vorlesungen über den Islam* (Heidelberg 1910); CARRA DE VAUX, *La doctrine de l'Islam* (Paris 1909); F. PAREJA, *Islamología* (Madrid 1952-1954).

intimo sensu, etsi non perfectum, insigniores philosophi helle-
ni, SOCRATES, PLATO ET ARISTOTELES³.

87. Adversarii. E regione singularitati divinitatis oppo-
nitur *polytheismus*, diversis formis cultus a sat magna parte
humanitatis luce revelationis orbatae; licet non desit apud
illos populos hierarchia quaedam in diis, quae unum super-
mum, ac logice unum proprium deum, tacite agnoscat⁴.

Henotheismus sive *monolatria*, ita dictus ab aliquibus re-
ligionis historiographis, et ab ipsis assertus quibusdam formis
hinduismi et populis semiticis, ipsique populo hebraeo ante
exilium, est adoratio unius dei *ut proprii*, admissis quoque
aliis diis, quos venerentur alii populi, vel etiam ipse populus
alio tempore⁵.

Dualismus religionis mazdeanae, qui duo prima principia,
alterum bonum, malum alterum, etsi proprie ditheismus dici
nequit, quia solum bonum colit, tamen eo ipso quoad quae-
dam attributa divinitatis, aseitatem et aeternitatem, principio
malo concedat, cum monotheismo stare nequit⁶. Eumdem
errorem professi sunt aliqui *gnostici*, MARCION, *manichaei* a s.III,
priscillianistae s.V et plures sectae similes quae s.XII et XIII
pullularunt.

Tandem tritheismum in Trinitate docuit s.VI PHILOPO-
NUS; eiusdemque erroris unus alterve insimulatus est in con-
troversiis trinitariis priorum saeculorum⁷.

88. Agnoscit sane critica rationalistica perfectionem magnam religio-
nis populi israelitici tempore prophetarum et post exilium babilonicum ac
miratur conceptionem religiosam, qua Deus unicus est non solum dominus
mundi, sed legislator et vindex ordinis moralis, ita ut eam habeat «phaeno-
menon unicum» in historia antiqua. Verum contendit mordicus hanc for-
mam religiosam, atque in primis monotheismum proprie dictum, non esse
primaevam inter hebraeos, sed potius terminum *evolutionis* longissimi tem-
poris, quo paulatim religio populi israelitici ex primitivo *polytheismo* ani-
mista et totemico, primum in *henotheismum* nationalisticum patriarcharum

³ C.PIAT, Platon, Aristote (Paris 1906, 1903); M.LOUIS, Doctrines religieuses des philosophes grecs (Paris 1909); K.RIETER, Platos Gedanken über Gott u. das Verhältnis der Welt u. de Menschen zu ihm: Archiv für Religionswissenschaft 19 (1919) 233ss; J.SOUILHÉ, La notion philosophique d'intermédiaire dans la philosophie des dialogues (Paris 1919); E.UGARTE DE ERCILLA, Anepifanía del Platonismo (Barcelona 1929); F.BRENTANO, Aristoteles und seine Weltanschauung (1911) (trans. hisp. in collect. Labor n.228).

⁴ Formas polytheismi tres affert liber Sapientiae 13-15: adorationem astrorum et virum naturae, cultum imaginum, adorationem animalium omniumque rerum. His si addas animismum (totemismus qui dicitur sub cultu animalium comprehendi potest) habes plenam divisionem polytheismi. De vestigiis monotheismi in polytheismo v. l.c. Enc. Espasa, 254-259; P.HEINISCH, Teologia del V.T. 56-59; K.PRÜMM, Die christliche Glaube und die altheidnische Welt (Freiburg 1935).

⁵ F.MAX MÜLLER, Introduction to the Science of Religion (London 1873); Guifford Lectures (London 1888-1892); Le monotheisme sémitique (transl. HARRIS, Paris 1872); F.CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE, Lehrbuch der Religionsgeschichte (transl. gallica, Paris 1904).

⁶ V. HENRY, Le parsisme (Paris 1905); A.CARNOY, La religion des Perses, in «Christus» 286-346; M.J.LAGRANGE, La religion des Perses (Paris 1904); E.HERZFELD, Die Religion der Achämeniden: RevHistRel 113 (1936) 21-41.

⁷ V. tractatum de Trinitate c.1 a.1.

et mosaicum, tandem non nisi saec.VIII ante Christum ope praedicationis propheticae devenisset in *monotheismum ethicum*⁸.

Cum vero in libris V.T. ubique manifeste tradatur agnitio unius veri Dei, historicitatem illorum negant; imo inde praecipuum fere argumentum assumunt ad notas theorias de compositione librorum V.T. ac praecipue Pentateuchi et librorum Iosue, Samuelis et Regum. Est ergo eorum sententia libros V.T., praesertim mosaici qui dicuntur, transferre in periodos primas historiae conceptus et doctrinas religiosas, quas revera non nisi tempore prophetico et postexilico iudaei tenuerunt. Radix huius theoriae est in primis apriorismus rationalisticus palam propositus, ideoque nec refutatione indigus. In nostro stadio dogmatico supponimus quae de autenticitate et historicitate Sacrae Scripturae in universum, ac in specie librorum V.T. Ecclesia et recta critica docet.

89. Doctrina Ecclesiae. In pluribus symbolis et professionibus fidei primus articulus est unitas Dei; ita in Apostolico (D 9ss), Lateranensi IV (D 428), Florentino (D 703), Tridentino (D 994), Vaticano (D 1782 1801). Dualismus reicitur a Concilio Bracarenensi (D 237ss), in symbolo LEONIS IX (D 348), in professione fidei Waldensium (D 421) et Michaelis Paleologi (D 464) et in decreto pro Iacobitis (D 706 707).

Valor dogmaticus. De fide divina et catholica, definita, ut patet.

90. Probatum ex Sacra Scriptura. A. VETUS TESTAMENTUM continet perpetuam revelationem unitatis Dei⁹. Narratio creationis Gen 1-2 ad id tendit, ut omnes agnoscant. Deus clare primis hominibus, patriarchis et Moysi se praebet ut Deum unicum, et quidem omnium omnino gentium, etsi peculiari modo suum habeat populum hebraicum, quem elegit; ita in historia diluvii et dispersionis gentium, Gen 9,1-17; 11,1-9; in punitione Sodomae et Gomorrhae Gen 18ss; in promulgatione decalogi Ex 20,1-11; mea, ait, est omnis terra Ex 19,5. Diversis quidem nominibus colitur, aut etiam se manifestat, quibus paulatim suam naturam clarius revelat, ut EL, ELOHIM, ELOAH, DEUS; ADON, ADONAI, ADONIM, DOMINUS; EL-SCHADDAI, παντοκράτωρ, Deus omnipotens, quo Deus patriarchis apparuit Ex 6,2; tandem IAHVE Ex 3,13-15; 6,3; at

⁸ A.KUENEN, De Godsdiens van Israel (Haarlem 1869); R.KITTEL, Geschichte des Volkes Israel (Leipzig 1932); B.STADE, Bibliche Theologie des A.T. (Tübingen 1905); K.MARTI, Geschichte der Israelitischen Religion (Strassburg 1907); B.BALSCHETT, Alter und Aufkommen des Monotheismus in der israelitischen Religion (Giessen 1938); L.KOEHLER, Theologie des A.T. (Leipzig 1936), etc. Contra hanc theoriam iam scripsit E.KONIG, Geschichte des Reiches Gottes bis auf Jesus Christus (Berlin 1908); G.BEER, Welches war die älteste Religion Israel? (Giessen 1927). V. praeterea M.LAGRANGE, Etudes sur les religions sémitiques (Paris 1905); V.ZAPLETAL, Der Totemismus und die Religion Israels (Freiburg 1901); J.NIKEL, La religion d'Israel, in «Christus» 813-951; F.KUGLER, In Bannkreis Babels (Münster 1910); F.CEUPPENS, Teologia biblica 1,81-102; P.HEINISCH, Teologia del Vecchio Testamento 51-56.

⁹ V. catholicos interpretes V.T.: LAGRANGE, NIKEL, KUGLER, CEUPPENS et HEINISCH l.c.; PRAT, Iahve: DB 3,1220-1234; A.BEA, De Pentateucho (Roma 1933); A.MILLER et A.METZINGER, Introductio specialis in V.T. (Roma 1946); L.PIROT, Adam et la Bible: DBS (1948) 1,88; F.KORTLEINER, Religio a Patriarchis Israelitarum exercitata (Friburgi 1936); etc.

evidens est ex ipsis locis unum eundemque esse unicum Deum, qui ineffabilem suam naturam distinctius ostendit.

In iterata decalogi et legis promulgatione Deut 6,4 ait Deus: *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.* In textu hebraeo legitur: *Audi Israel, Iahve Deus noster Iahve unus.* Quocumque loco verbum est interponitur, sensus idem est, *unus est Iahve Deus noster.* Atqui *ehad*, unus, adiectivum, semper unicitatem significat, atque haec ratio adducitur ut firmetur quare solum Iahve debeant israelitae adorare Deut 6, 10-15¹⁰. Ergo hic locus manifeste docet Iahve esse unicum Deum quod paulo ante affirmaverat Moyses: *ut scires quoniam Iahve ipse est Deus (haelohim) et non est alius praeter eum... scito quoniam Iahve ipse sit Deus in caelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius Deut 4,35.39; et postea: videte ergo quia ego, ego ipse, et non est deus (elohim) praeter me Deut 32,35.* Iahve enim est *Deus vivens* et vitam dans; dii gentium inanes sunt, dii *conflatiles (elilim, vanitates)* Lev 19,4; 26,1; non sunt nisi elementa naturae a Deo creata Deut 4,19, vel manu hominum fabrefacta Deut 4,28.

Toto fere tempore commorationis in terra Chanaan, et praesertim tempore exilii babylonici, prophetae totis viribus debuerunt unicitatem Dei defendere contra perversam indolem populi ad idololatriam proni et contaminationem ethnicorum inter quos versabantur. Id saepe praestant, ut Amos 1,3-23; 9,7; Isaias praesertim a c.40 v.42.43.44-46, eodemque modo prophetae posteriores et Psalmi, ut Ps 113 B (115) 4-8 (12-16). Et quidem in his non novum quid proponunt, sed doctrinam iam pridem traditam conservant et tuentur¹¹.

B. NOVUM TESTAMENTUM doctrinam de unicitate Dei, qui providentia sua omnia gubernat in memoriam revocat, data occasione, ut quid per se notum. In Evangeliiis Mt 5,34ss, 6,28-30; Mc 12,29; Io 17,3; S.Paulus saepe Act 17,24-29, Rom 3,29, 1 Cor 8,4-6, Eph 4,3-6, ita ut ethnicos dicat esse *sine Deo*, ἄθεοι, Eph 2,12; etiam 1 Petr 4,19; Apoc passim.

91. Probatur ex traditione. In re clarissima immorandum non est. SS.PATRES contra gentiles, tritheistas, gnosticos, marcionitas, manichaeos, statuebant ut principium *polytheismum atheismum esse dicendum.* Unicitatem Dei non solum *ex regula fidei* tenendam esse, sed etiam *ex eius natura et infinitate* probabant, ut quid omnino necessarium, et ab ipsis

¹⁰ CEUPPENS, o.c., 94-97; W.EICHRODT, *Theologia des A.T.* (Leipzig 1933); R.DE LANGUE, *Les textes de Ras Shamra-Ugarit et leurs rapports avec le milieu biblique de l'A.T.* (Paris 1945).
¹¹ CEUPPENS, l.c., 97-101; MANGENOT, o.c., 984; HEINISCH, l.c., 53, qui notat discrimen inter monotheismum zelantem et polytheismum facile condescendentem diis aliorum populorum.

philosophis revera agniti. S.IRENAEUS: «Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae disseminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem quae est in unum Deum...» (R 191); «Alterum deum praeter eum qui est non requiramus, impietas enim haec maxima est» (R 203); ita etiam TERTULLIANUS (R 290), S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS (R 824), etc. TERTULLIANUS: «Quod si Deus est, unicum sit necesse est... ita Hermogenes duos deos infert, dum materiam parem Deo facit» (R 322); «Deus si non est unus non est, quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit ut esse deberet. Deum autem ut scias unum esse debere, quare quid Deus sit, et non aliter invenies» (R 331). Idem affert S.EPHRAEM (R 728). LACTANTIUS: «Dii si plures sint, minus valebunt... Virtutis autem natura perfecta, in eo potest esse in quo tota est... Deus si perfectus est, ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia» (R 625).

Animadverti potest adeo esse firmam conscientiam christianam de unicitate Dei, ut haereses trinitariae a saec.II ad V parum aut vix in tritheismum declinarent, sed potius aut in modalismum aut in subordinatianismum, de quo revera suspecti erant qui de ditheismo aut de tritheismo quodam insimulabantur. Nempe *monarchia augustissima erat Ecclesiae Dei praedicatio*, ut dicit S.DIONYSIUS Romanus Pontifex (D 48).

92. Probatur ratione. S.THOMAS¹² h.l. probat: 1. *Ex aseitate Dei.* Deus existit vi essentiae suae, seu ex eo quod est a se. Ergo vi essentiae suae habet quidquid ad existendum requiritur. Atqui nihil existit a parte rei nisi singulare. Ergo unitas singularitatis est quid proprium essentiae divinae. Ergo Deus unicus est. «Illud enim unde Socrates est homo, multis communicari potest; sed id unde est hic homo non potest communicari nisi uni tantum... Hoc autem convenit Deo. Nam Deus est sua natura»¹³.

2. *Ex infinitate*, probata immediate ex aseitate. Quod infinitum est, unicum est unitate singularitatis in ea ratione qua est infinitum. Atqui Deus est infinitus in essentia. Ergo essentia divina est unica singularis. Maior patet, quia proprium est infiniti totam plenitudinem propriae rationis in se complecti. Ergo non potest secum compati aliud individuum quod univoce in essentia cum eo conveniat. «Si essent plures dii opererent eos differre. Aliquid ergo conveniret uni quod non alteri... et perfectio alteri eorum deesset».

¹² Septemdecim argumenta affert S.THOMAS in *Summa contra Gentes* l.I c.42; quae fere in tribus propositis in *Summa Theologiae* continentur.

¹³ Cf. CASAJONA, *De Deo uno* 18,19.

3. *Ex ordine mundi*, qui ad unitatem reducitur; oportet ergo quod «primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum».

93. **Obiectiones.** 1. In V.T. saepe Iahve ita dicitur Deus Israel, ac si aliis populis eorum dii permitterentur ut veri dii. Ergo potius in illo henotheismus quam verus monotheismus traditur.

Dist. antec. primam partem. Iahve dicitur ab auctoribus sacris Deus Israel ob peculiarem electionem, *conc.*; ita ut non agnoscat Deus omnium gentium, *nego*, et *nego secundam partem*, nam dii gentium passim dicuntur nihil esse nisi simulacra et opus fabri ac nominibus probrosis designantur, nihil valere, esse mendacia, res vanae ac eorum cultus stultitia dicuntur. Quod autem quidam hebraei ideas mere monolatricas aliquando habuerint, non disputamus; agimus de mente scriptorum sacrorum. Ita forte Iephte (Iud 11,24) putavit Chamos esse deum ammonitarum; verum neque id necessario concedere debemus; potuit enim eius dictum intelligi in sensu adversariorum¹⁴.

2. Nomen divinum *Elohim* plurale est. Ergo videtur innuere plures esse deos. Imo Deus inducitur alios alloquens prima pluralis persona Gen 1,26; 3,22; 11,7; Is 6,8.

Nego cons. Secundum indolem linguae hebraicae pluralia huiusmodi nomina aequivalent nostris abstractis, ut *adonim*, dominatio, *chamoth*, sapientia; ideo nomen *Elohim* idem valet ac divinitas aut numen. Quod autem hoc nomen adiectivis et verbis numero plurali coniungatur, non est quid inauditum. Id quod vocatur plurale maiestaticum, aut deliberationis, etiam in linguis occidentalibus usu venit¹⁵.

3. Malum non potest procedere a principio bono. Atqui datur malum in mundo. Ergo admitti debet principium a se malum.

Dist. mai. Malum non potest procedere a principio bono, neque intensive, neque permissive, *nego mai.*; intensive ut medium ad finem bonum, *subdist.*: malum physicum, *nego*; malum morale, *conc.* Malum non est quid per se stans ad modum substantiae, sed bonum cui adiungitur defectus. V. dicenda de providentia.

94. **Scholion.** 1. *De primitivo monotheismo*¹⁶. Constat revelatione primaevae formam religionis fuisse cultum unius veri Dei; ideoque polytheismum fuisse degenerationem ac corruptionem verae religionis naturalis ac revelatae; id quod S.Scriptura explicite docet Sap 13-15, Rom 1,18-32. Id confirmant recentiora studia de religione populorum qui primitivi dicuntur, seu inferioris culturae; hi enim, utcumque maximis superstitionibus

¹⁴ HEINISCH, o.c., 54-56.

¹⁵ CEUPPENS, o.c., 85-87, qui notat etiam in aliis linguis semiticis adhiberi formam pluralem ad significandam unam divinitatem, vel etiam unam personam humanam. An in his modis loquendi vestigium adsit mysterii SS.Trinitatis v. in proprio tractatu, c.1 a.2, schol. K.PRÜMM, *Christentum als Neuheitserlebnis* (Freiburg 1939) 3-33.

¹⁶ Multa de hoc argumento scripta sunt, quae accurate exposita et expensa reperies apud H.PINARD DE LA BOULAYE, *El estudio comparado de las religiones*, ed. hispana (Madrid 1940-1945). Praeclarus de religione primitivorum investigator post A.LANG, *The making of religion* (London 1900) fuit W.SCHMIDT, *Der Ursprung der Gottesidee* (Münster 1912, ed.4 1926 sqq. et gallica ab ipso auctore, *L'origine de l'idée de Dieu* (Paris 1910), qui scholam fundavit cum ephemeridibus *Anthropos* ad haec studia promovenda; v. etiam A.LE ROY, *La religion des primitifs* (Paris 1909); A.LEMONNYER, *La révélation primitive et les données actuelles de la science* (Paris 1910); GRAEBNER, *Die Methode der Ethnologie* (Heidelberg 1911); ANWANDER, *Die Religionen der Menschheit* (Freiburg 1927); BRUNSMANN, *A Handbook of fundamental Theology* (London 1928); E.DORSCH, *De religione revelata* (Innsbruck 1916); *Der ursprüngliche Gottesbegriff in der Menschheit*: ZkathTh (1924) 337-373, 473-799; V.CATHREIN, *Einheit des sittlichen Bewusstseins der Menschheit* (Freigurg 1914). Theoriae nomine scientiae decoratae his oppositae, sunt praecipue animismus a TYLOR inventus, manismus a SPENCER et MARETT, sociologismus a DURKHEIM et LÉVY-BRÜHL et totemismus a FRAZER excultus.

omnis generis implicati, servant tamen, maxime qui antiquiores habentur, memoriam ac venerationem quamdam supremi cuiusdam numinis prorsus boni et benefici, tamquam primaevae formam religionis. His autem investigationibus accurate perductis enervantur theoriae evolutionistae plurimum ethnologorum et religionum historiographorum, qui facta non ad normam verae scientificae inquisitionis, sed potius praeconceptionis suis praedictis interpretati sunt.

Scholion 2. *An pantheismus inter systemata adversa unicitati Dei computari debeat merito considerandum videtur*¹⁷. Renuunt forte ipsi pantheistae id concedere; imo et dicent se maximam quamdam unitatem Deo tribuere, cum non solum unum in linea divinitatis agnoscant, ut monotheismus, verum etiam ut unicum in tota latitudine entis, ut unicum ens. Verum hoc ipso satis patet larvatam esse hanc unitatem Deo tributam, sicut larvatus est conceptus divinitatis, qui tandem in atheismum logice vergit; nec potest consistere huiusmodi ficta unitas cum manifestissima entium pluralitate. Aliunde historicae connexiones inter pantheismum et polytheismum vix negari possunt. Religiones enim tendentiae pantheisticae, utcumque purioris cuiusdam speculationis larvam induere videantur, tandem in popularem polytheismum convertuntur, ut in hinduismo apparet. Imo formas priores polytheismi naturalistae et animistae radicitus ex conceptu pantheistico divinitatis ortas dixeris. Id tandem confirmant interpretationes philosophicae popularis polytheismi, quae iam in evhaemerismo et stoicismo prodierunt.

Ut pantheismus, ita etiam *emanatismus* et doctrinae de *intermediariis* ad originem mundi explicandam periculum afferunt verae unicitati Dei, ut in universum negatio aut simplex omissio ideae creationis¹⁸. Monotheismus enim logice consistere nequit nisi cum creatione proprie dicta omnium aliarum rerum ab uno Deo. Id quod historia idearum confirmat; ideoque iure narratio Genesis de creatione hunc scopum habere dicitur, ac momentum etiam philosophicum habet magnum.

ARTICULUS II

DE ATTRIBUTIS DEI QUIESCENTIBUS

Thesis 8. Deus est omniperfectione infinitus.

S.TH., q.4 et 7; SUÁREZ, *De Deo* l.2 c.1; *Metaph.* d.28 s.1; d.30 s.1 et 2; FRANZELIN, th.22-24; MUNCUNILL, 142-156.

95. **Nexus.** *Attributa quiescentia negativa* quidem sunt quoad modum significandi, quia per illa negamus de Deo imperfectiones inventas in rebus creatis. Verum eo ipso *positivam Dei eminentiam* maxime nobis innotescere faciunt; ideo per illa declaratur utcumque quoad nos *quid Deus sit*, sc. significato *quid non sit*. Ex illis prima logice tractanda videtur *infinitudo*, qua plenitudinem perfectionis Deo asserimus; quare, ut dictum est, vocari potest essentia physica Dei.

¹⁷ V. infra n.135-137.

¹⁸ De gnosticismo hac in re v. A.ORBE, *En los albores de la exégesis iohannea*: EstValent v.2 (Roma 1955).

96. **Notiones.** Attributo INFINITATIS intelligimus omnimodam et absolutissimam plenitudinem perfectionis divinae, conceptam per comparationem cum partiali et limitata perfectione rerum creaturarum, quam finitam et limitatam dicimus, quia recte intelligimus dari posse entitatis gradum perfectiorem, seu ulteriorem eo quem illae habent. Infinitas, secundum conceptum dogmaticum et theologicum, haec importat: a) Deus non potest concipi nec maior, nec perfectior quam est; b) eius ergo perfectio limitem non habet, quia possidet omnes perfectiones possibles, et omni gradu possibili, sine imperfectione; c) eius perfectio mensurari nequit perfectionibus finitis in ulla linea; d) imo summa et infinita perfectio divina radix est indefinitae multiplicationis possibilis in rebus creatis.

Hac declaratione, in qua cum Concilio Vaticano (D 1782) coniungimus omniperfectionem et infinitudinem divinam, continetur quidquid per distinctionem utriusque attributi explicari solet¹. Omniperfectus enim dicitur Deus, in quantum habet omnes perfectiones possibles et omni gradu possibili; infinitus, in quantum eius perfectio limitem non habet, seu est inexhaustibilis, veluti mensurata per creatas perfectiones. Conceptus ergo prior positive asserit summam divinam perfectionem; alter vero, modo significandi potius negativo, excludit limitem in perfectione et entitate; neque ab illo priore differt, nisi in quantum explicitum ponit, quod ille implicite continet; verum tandem haec negatio non est nisi iterata affirmatio positiva plenitudinis in divina perfectione.

97. PERFECTUM plenissimo sensu est cui nihil deest, quod plenam actualitatem habet, non mere privative (cui nihil deest quod natura sua postulat), sed negative, cui nihil sc. deest entitatis aut perfectionis. Hoc autem sensu dicitur Deus perfectus, sive omniperfectus. Deus igitur habet omnes perfectiones possibles et omni gradu possibili. Cum autem imperfectio est negatio perfectionis, et in creatis semper videmus perfectionem mixtam imperfectione, ita perfectiones omnes asserere Deo debemus, ut ab eo omnem imperfectionem excludamus.

Duplex est modus quo perfectiones omnes in Deo continentur, FORMALITER et EMINENTER. Formaliter in Deo continentur, quae sub proprio conceptu Deo insunt, cum nullam importent imperfectionem, ac praescindi possint ab imperfectionibus quibuscum in creatis immiscentur, ut sapientia, bonitas. Eminenter ac virtualiter contineri dicuntur in Deo eae perfectiones, quae cum ab imperfectione praescindi non possint, non insunt in Deo sub proprio conceptu; tamen Deus eas producere potest ut causa superior, et modo eminentiore

¹ V. SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.1 n.3-5; TOLEDO, *In 1 p.* q.7; SCHEEBEN, 1.74; in universum auctores Theologiae naturalis, ut URRÁBURU, HONTHEIM, SCHAAP, DESCOQS, HELLIN; praeterea O.ZIMMERMANN, *Ohne Grenzen und Enden* (Freiburg 1924); C.ISENKRAHE, *Untersuchungen über das Endliche und Unendliche* (Bonn 1920).

supplere potest quidquid illae praestant aut praestare possunt in ordine entis et activitatis; ita continentur in Deo perfectiones corporeae et creatae omnes ut tales. Priores sunt quae vocantur perfectiones purae, seu simpliciter simplices; aliae dicuntur perfectiones mixtae, seu non simplices, quatenus imperfectionem habent essentialiter adnexam².

98. INFINITUM actu simpliciter dictum est quod in perfectione limitem non habet. Limitem autem habere dicuntur creaturae in perfectione, quatenus ultra entitatis gradum quem habent, alii sunt possibles, et quidem sine fine. Ideo negatio limitationis seu infinitas non aliud importat nisi omniperfectionem. In perfectione autem possibili nullus gradus finitus assignari potest ultra quem nequeat esse ulterior gradus, cum quo maius est ens magis possibile sit; id est enim ens, quod potest esse.

In infinitate Dei fundatur doctrina de participatione entis creati³. Esse enim creaturae participatum dicitur, primo quidem quia est ab alio, in oppositione ad Deum ens per essentiam; sed etiam quia omnis perfectio creata et finita imitatio est ac deficientissima participatio plenitudinis divinae perfectionis. Quare ideo possibilis est sine limite ulterior perfectio creata, quia Deus est actu infinitus.

99. Adversarii doctrinae catholicae de infinitate Dei sunt ethnici, populares saltem; imo vix ab errore liberari possunt philosophi religionis antiqui, maxime stoici⁴. Recenter quidam philosophi (neocriticistae) et angli et americani loquuntur de Deo finito⁵, ut suo modo opponantur pantheismo.

Indirecte, male intellecto conceptu infinitatis, quae cum indeterminatione confunditur, plures alii negant conceptum ipsum divinitatis, quae infinita esse nequeat. Pantheistae omnis generis revera opponuntur omniperfectioni Dei infinitae proprie dictae. Modernistae ac pragmatistae nequeunt ex ipsis luteis fontibus, componere infinitatem Dei cum eius personalitate⁶.

² Perfectiones simplices non simpliciter, de quibus in tractatu de Trinitate, purae sunt, non mixtae; de his autem in comparatione cum creatis non est agendum.

³ V. S.THOMAS, *In lib. de causis* 1.16-19; *De pot.* q.3 a.5; HENRICUM GANDAVENSEM, *Quodl.* 1 q.9; SUÁREZ, *Metaphys.* d.28 s.1; KLEUTGEN, *Philosophie der Vorzeit* 1,110-118; DESCOQS, 2.51-55,640-662; HELLIN, 37-38; multa de hac doctrina scripta sunt, quae in tractatibus et ephemeridibus philosophicis prostant.

⁴ Videri possunt quae de sententia stoicorum refert CICERO 1.2, *De natura deorum*: C.HUIT, *Les notions d'infini et de parfait*: RevPh (1904) 730-757 (1905) 44-60; A.DEMPF, *Das Unendliche* (Münster 1927); R.EISLER, *Wörterbuch der philosophischen Begriffe* 3,306-321; F.ENRIQUES, *L'infini nella storia del pensiero*: Scientia (1933) 381-402; B.JANSEN, *Das Wesen und die Stellung Gottes in der Philosophie Platons*: Greg (1932) 109-123; R.ARNOUT, *Platonisme des Pères*: DTC 12,2264-2266; DESCOQS, 2.600-608,610-611.

⁵ Ita RENOUVIER, PARODI, BENDA, W.JAMES, A.McGIGGERT ac plures alii; de quibus BROSNAN, *Theologia naturalis*; DESCOQS, 2,611SS.

⁶ LE ROY, *Problème de Dieu* (Paris 1907); pragmatistae ALEXANDER, SCHILLER, JAMES, etc.

Doctrina Ecclesiae. *Concilium Vaticanum* s.3 cp.1 tradit Ecclesiam credere ac confiteri Deum *omni perfectione infinitum* ac super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt *ineffabiliter excelsum* (D 1782), atque in c.3 et 4 damnat sub anathemate diversas formas pantheismi (D 1803 1804) ⁷.

Valor dogmaticus. *De fide definita.*

100. Probatur ex sacra Scriptura. A. INDIRECTE et implicite infinitas continetur in aliis attributis, praesertim in incomprehensibilitate et ineffabilitate, quae revera non sunt nisi infinitas in ordine ad cognitionem entis finiti; in eo quod omnes perfectiones Deo adscriptae infinitae dicuntur; in modo quo magnitudo et perfectio Dei extollitur ut radix aeternitatis, immensitatis, scientiae et omnipotentiae, ut Ps 145,3, Ps 147,5.

B. DIRECTE sacra Scriptura infinitatem Dei in perfectione exprimit:

a) Cum Deo adscribitur quidquid perfectionis est in creatura ut eius causa in immensum illam excedens. Sap 13,3-4: *quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab his quoniam qui haec fecit fortior est illis.* Licet de solis astris directe auctor loquatur, principium generale statuit, Deum utpote creatorem, continere modo excellentiore perfectiones creaturarum, seu «quidquid perfectionis est in creaturis, hoc eminentiori modo in earum artifice in creatore haberi debet. Ratio igitur quare in Deo omnes perfectiones rerum ponere debemus est quia Deus est causa prima efficiens huius perfectionis; imo perfectiones non secundum eandem rationem sed modo eminentiori habet. Admisso principio generali, Sap 13, 3-4 enuntiatio, eadem doctrina de Dei perfectione deduci potest ex omnibus his locis in quibus Deus ut auctor rerum naturae proponitur. Porro doctrina de Deo causa prima efficiente omnium rerum, totum A.T. [et N.T.] pervadit» ⁸ (cf. Gen 1,1-2; 2 Mach 7,28; Is 37,16; 40,26; 44,24; Ier 10,10-16; Mt 11, 25; Io 1,3; Act 4,24; 14,14; 17,24 et cetera).

b) Cum expresse dicitur perfectio in Deo omnes limites excedere, nihil posse cum illa comparari, et maior quam quae

de his v. *Pragmatismo*: Enciclopedia Espasa; P. JOYCE, *Principles of natural Theology*; BROSNAN et DESCOQS, l.c.; A. DEMPF, *Das Unendliche in der mittelalterlichen Scholastik und in des Kantischen Darstellung* (Münster 1926).

⁷ Definitio attingit tam infinitatem in genere, quam infinitatem in singulis perfectionibus; cf. CL 7,102.236.

⁸ CEUPPENS, o.c., 1,38; E. TOBAC, *Les cinq livres de Salomon* (Paris 1926) 166; J. WEBER, *Le livre de la Sagesse* (Paris 1946) 487.

cogitari possit. Ps 144,3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis* (in nova versione: *Magnus Dominus et laudabilis valde, neque explorari potest magnitudo eius*); Is 46,9: *ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei*; 10,6: *Non est similis tui, Domine, magnus es tu et magnum nomen tuum in fortitudine*; Iob 36,22.36ss extollit magnitudinem Dei in fortitudine et in scientia: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus... Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inaestimabilis...*

101. c) Cum dicit *Deum solum habere aliquam perfectionem*, quam habent etiam creata. 1 Reg (Sam) 2,2: *Non est sanctus ut est Dominus; neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.* 2 Mach 1,24,25: *Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex, solus praestans, solus iustus et omnipotens et aeternus.* Mt 19,17 (Mc 10,18, Lc 18,24): *Unus est bonus, Deus.* 1 Tim 6,15,16: *Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem.* Ideo omnia creata sunt quasi non sint ante ipsum Is 40,17.

d) Infinitas Dei intelligitur a Patribus significata Ex 3,13ss nomine *Iahve*, «qui est» «ego sum qui sum», quod colligit S. THOMAS I.2 q.2 a.5 ad 2: «Esse simpliciter acceptum, secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi, praeminet vitae et omnibus perfectionibus subsequentibus».

e) Tandem Eccli 42,15-43,37 multis pulchre versat, complexus omnia haec puncta, infinitam Dei perfectionem, in sapientia 42,21ss, in potentia 43,5ss, atque ita concludit 43,29-37: *Multa dicemus et deficiemus in verbis... Gloriantes ad illum quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua... Glorificantes Dominum quantum potueritis, supervalebit enim adhuc et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, maior enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius. In v.29 ita hebraicum et graecum habent: *Multa dicemus de Deo et non pervenimus ad finem; uno verbo ipse est totum* (τὸ πᾶν); quod cum evidenter nequeat sensu pantheistico accipi, clarissime effert infinitatem Dei sub ratione plenitudinis in esse et perfectione ⁹.*

⁹ HEINISCH, o.c., 64-66; C. SPICQ, *Le livre de l'Éclésiastique* (Paris 1946) 798; CEUPPENS, o.c., 39.

102. Probat ex traditione. Sancti Patres multis versant infinitam Dei perfectionem¹⁰.

a) *In nomine Iahve* totam perfectionem essendi significatam vident, atque inde proprietatem huius nominis explicant. S.HILARIUS: «Ego sum qui sum... Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam Esse intelligitur» (R 857). S.GREGORIUS NAZIANCENUS dicit Deum nomen «qui est» sibi tribuere «quia totum esse (ὄλον τὸ εἶναι) in ipso collocandum est, a quo cetera habent ut sint»; «esse sane proprium est essentialiter Deo, et totum, neque alio priore aut posteriore... terminatum aut circumscriptum» (R 993); «universum esse in se ipso complectitur quasi pelagus quoddam essentiae infinitum et interminatum, omnem tum temporis tum naturae cogitationem superans... Infinitus (ἄπειρον) igitur est Deus et ad contemplandum difficilis, idque solum in eo comprehendi potest, quod infinitus (ἄπειρον) est» (R 1015). S.GREGORIUS NYSSENUS: «Illud solum divinum esse vere credendum arbitramur, cuius existentia aeterna et infinita apprehenditur, et quidquid in eo conspicitur semper eodem modo se habet, neque accedens neque deficiens» (R 1046). S.IOANNES DAMASCENUS repetit dicta S.Gregorii Nazianceni (R 2345).

b) In controversia cum eunomianis de incomprehensibilitate Dei eius infinitatem docent, ut obvium est, nam illud attributum non est nisi aspectus quidam infinitatis, seu infinitas in ordine ad intellectum. S.GREGORIUS NAZIANCENUS vocat Deum «supremam naturam» (R 1028); S.GREGORIUS NYSSENUS: «Si quis postulat divinae substantiae interpretationem aliquam aut descriptionem et enarrationem, ignaros nos esse talis scientiae non negabimus, hoc solum profitentes, quod infinitum secundum naturam conceptu aliquo vocum comprehendere nequit» (R 1042). Quod iam praestiterat CLEMENS ALEXANDRINUS: «Si... in eius infinitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis utcumque perveniamus, non ita tamen ut quod est, sed ut quod non est cognoscamus» (R 423). Inde nempe ex infinitate, id oritur quod melius negative quam positive de Dei natura aliquid scire possimus.

103. c) Infinitatem docent cum extollunt eminentiam Dei supra omne quodcumque cogitabile, transcendentiam, ut aiunt, divinam. S.IRENAEUS: «Et Deus quidem perfectus in om-

¹⁰ PETAVIUS, *De Deo* 1.6 c.7; FRANZELIN, th.23; LE BACHELET, *Dieu, sa nature d'après les Pères*: DTC 4,1023-1146.

nibus, ipse sibi aequalis et similis, totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia et fons omnium bonorum» (R 229). CLEMENS ALEXANDRINUS: «Quid etiam ideo est infinitum, non quod ita concipiatur ut pervadi non possit [sc. non infinitum in quantitate], sed quatenus nullam suscipit dimensionem et finem non habet» (R 424). S.AMBROSIUS: «Deus autem iustus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus» (R 1320). S.AUGUSTINUS: «Deus nec modum habere dicendus est, ne finis eius dici putetur... Si autem dicamus eum summum modum, forte aliquid dicimus; si tamen in eo quo dicimus summum modum, intelligamus summum bonum» (R 1712). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Intervallo infinito distamus... divinitas, quae perfecte simplex et non composita est, possidet in se omnem perfectionem, nihilque ei deest» (R 2081). Inde ortus est modus loquendi Ps.DIONYSII de supersubstantiali infinitate (ὑπεραπειρία), de *supersubstantia* divina etc. quae iam in S.ATHANASIO, DIDYMO, S.CYRILLO fundamentum habet¹¹.

Doctrinam Patrum colligit apprimè S.BERNARDUS: «Quis est? Non sane occurrit melius quam qui est... Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est Est. Si et centum talia addas, non recessisti ab Esse; si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris nihil minuisti. Iam si vidisti hoc tam singulare, tam summum Esse, nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse quam esse? Quid item Deus? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est et omnium Esse... ex quo omnia creabiliter, non seminaliter»¹².

104. Probat ratione¹³. 1. Posita *unicitate* Dei. Unicuique ens a se, cum sit causa prima omnis rei possibilis, debet continere hoc vel illo modo omnem perfectionem possibilem. Ergo infinitum est. «Primum principium activum oportet maxime esse in actu, et per consequens maxime perfectum» (q.4 a.1 a 2).

2. Immediate ex *aseitate*. Ens a se existit, ergo entitatem et perfectionem aliquam habet. Atqui haec perfectio limitari nequit, neque ab alio quia causam non habet, neque a se. Ergo est infinitum.

¹¹ FRANZELIN, l.c., 282.

¹² De *consideratione* 1.5 c.6: ML 182,795-796.

¹³ Argumenta rationis dici possunt etiam theologica, in quantum explicant et ostendunt quae a PP. docentur. Ut patet, propositio argumentorum, de quibus multa auctores Theologiae naturalis, praescindere debet a quaestionibus disputatis inter scholasticos, ut cordate statuit IOANNES A.S.THOMA, *In I d.5 a.1 n.7* (ed. Paris) p.696.

Prob. et declaratur min. quoad secundam partem. Omnis res quae, existit habet perfectiones substantiales quibus potitur ratione suae naturae sive quia est talis res; quod si aliqua caret perfectione, ea caret praecise et formaliter quia talis est. Ergo Deus existens necessario vi solius suae essentiae perfectiones quas habet, habet praecise et formaliter quia est a se, ac si aliqua perfectione careret, ea careret praecise et formaliter quia est a se. Atqui ratione aseitatis nulla perfectione caret; imo aseitas intime cum omni perfectione possibili in infinitum coniungitur.

Prob. min. Patet primum; nam notio aseitatis seu entis existentis a se, cum praeter existentiam ab alio, nihil neget, sed potius dicat tantum esse universalissimum, quod est formale omnium rerum, si est essentia metaphysica alicuius rei, nullam negat perfectionem possibilem. Cum autem in aliis rebus esse non sit earum essentia metaphysica, sed tantum actualitas aut positio extra causas illarum perfectionum quae illam essentiam constituunt, patet earum esse limitari ad illum gradum perfectionis et excludere alias perfectiones. Ideo earum esse est receptum in essentia; Deus autem est esse irreceptum. Ita S. THOMAS q.4 a.1 ad 3; q.7 a.1. Alterum etiam patet; nam omnis perfectio possibilis, ut talis sit, debet reperiri in ente a se ut in ratione sufficienti possibilis existentiae. Perfectionis autem possibilis limes nullus est; cum quo perfectior sit aliqua notio obiectiva, eo possibilior est, quia magis participat de ratione entis.

105. Obiectiones. 1. Infinitum est unicum in ordine quo est infinitum. Atqui ens a se esset infinitum in ordine entis. Ergo Deus est unicum ens, si est infinitum.

Conc. mai. Dist. min. Deus est infinitus in ordine entis, quod univoce conveniat omnibus entibus, *nego min.*; in ordine entis, quod analogice praedicatur, *conc. min.* Ideo Deus est unicum ens in ordine entis per essentiam; non autem excludit entia per participationem; imo est radix et ratio ipsorum et eorum possibilitatis.

2. Summa entis a se et entium ab alio maius quid efficit quam solum ens a se. Ergo hoc non est infinitum.

Nego antec., nam summa huiusmodi fieri non potest, cum elementa non sint homogenera, ac tota perfectio entis ab alio contineatur eminentiore modo in ente a se. Ideo entia ab alio sunt plura entia, sed non plus entis ac perfectionis quam ens a se. Exemplum poni potest auctoritas ecclesiastica; ubi potestas suprema, episcopalis et immediata Summi Pontificis vere cohaeret cum potestate episcopali sibi subordinata.

106. 3. Infinitum est quid indeterminatum. Imo in argumento rationis secundo transitus fit ab ente universalissimo, quod abstractissimum est et minimum dicit perfectionis, ad esse maxime determinatum et perfectissimum. Ergo infinitas Dei stare nequit cum eius personalitate.

Peccant frequenter hoc sophismate plures philosophi hodierni. *Dist. antec.* Infinitum in potentia est quid indeterminatum, *conc. antec.*; infinitum actu, *nego antec.* Ad obiectum contra argumentum rationis, *nego assert.*, vel si placet *dist.* Fit transitus illegitimus et immediatus, *nego*; transitus legitimus et mediatus, *trans.* Nam ab esse universalissimo, quod de omnibus omnino rebus illimitate dicitur, cum tamen nullius creatae rei essentia est, iure deducimus ens, cuius essentia sit esse, complecti in se omnes illas perfectiones de quibus esse praedicari potest, ut probatum est.

4. Sunt notae seu perfectiones aliquae vere tales, quae tamen videntur non posse cohaerere inter se, ut immutabilitas et libertas. Ergo Deus non potest habere omnes perfectiones posibles.

Dist. antec. Non constat, saltem negative, has perfectiones posse componi inter se, *nego antec.*; non constat positive, *subdist. antec.*: demonstrata a posteriori existentia entis a se seu aseitatis, quae revera bene pensata est perfectio difficillima captu intellectui nostro, *nego*; a priori, seu ante demonstrationem a posteriori, *conc. vel trans.* Imo iam a priori suspicari possumus, cum utraque perfectio magna sit, impossibilem quae nobis apparet earum conjunctionem, non in ipsa earum ratione fundari sed in difficultate eas abstrahendi ab imperfectionibus subiecti limitati unde eas notiones haurimus. Perfectiones non inter se pugnant, sed tantum ratione subiecti creati in quibus insunt.

De PANTHEISMO et de PERSONALITATE DEI v. notam ad finem articuli.

Thesis 9. Deus est simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis.

S. TH., q.3 et 9; SUÁREZ, *De Deo* l.1 c.4-5; l.2 c.3; *Metaph.* d.30 s.3-5-8; FRANZELIN, th.24. 27-35; DE SAN, *De Deo uno* 50-57-70-74; MUNCUNILL, 129-141.170-181.

107. Nexus. Probata omnimoda et infinita Dei perfectione, ad declarandum modum quo perfectiones Deus possidet, excludimus in primis *imperfectiorem compositionis*, saltem realis, quo simul *substantialitatem* et *spiritualitatem* naturae divinae statuimus. Simplicitati *immutabilitatem* adiungimus, verbis *Concilii Vaticani* (D 1782) quae revera cum simplicitate arcte coniungitur; quod enim mutatur simplex esse nequit.

Notiones. SIMPLICITAS compositionem excludit. Compositio autem est unitas distinctorum, in quantum distincta sunt, seu manentibus partibus distinctis. Ideo simplicitas est quoddam genus intimioris unitatis entis, multo perfectius quam unitas compositi. Compositio potest esse *realis* vel *rationis*. Realis est cum partes entis sunt res distinctae, ut compositio materiae et formae, compositio ex partibus integralibus, compositio substantiae et accidentis. Adest compositio rationis tantum, cum partes sola ratione distinguuntur, ut est compositio generis et differentiae specificae. Totidem modis potest dividi simplicitas.

108. Iam, cum de simplicitate divina agitur, excluditur praecipue a divina substantia *compositio realis* quaecumque, maxime compositio propria substantiae corporeae; ideo simul docetur Deum esse substantiam et purissimum *spiritum*. *Substantia* enim est ens per se stans, cui accidentia adiunguntur ut complementa sive in essendo, sive in operando. Accidens ergo non datur nisi in compositione cum substantia; ens ergo subsistens omnino simplex necessario est substantia. *Spiritus* est ens intrinsece independens a materia corporea et quanta, quae compositionem importat. Dicitur *spiritus purus*, qui non est

destinatus ad informandam materiam, ut est destinata anima humana. Patet ergo ens subsistens simplicissimum necessario esse purum spiritum, licet conceptus spiritualitatis et simplicitatis confundi nequeant.

Compositio rationis in tantum a Deo excludi debet in quantum imperfectionem importat. Quare necessario excluditur compositio rationis cuius fundamentum est imperfectio entis creati, ut est compositio essentiae et existentiae, naturae et suppositi, quae in contingentia entis finiti fundantur. Communius excluditur quoque compositio ex genere et differentia, et iure quidem, etsi non desunt qui nullam in ea imperfectionem vident.

IMMUTABILITAS est impossibilitas mutationis. *Mutatio* autem proprie dicta, *intrinseca* et *physica* vocatur, est transitus entis existentis ab uno statu reali in alium, per acquisitionem aut amissionem alicuius formae vel proprietatis realis. Ideo per attributum immutabilitatis exprimitur magis explicite possessio totalis et simultanea infinitae perfectionis divinae. Mutatio actuum intellectus et voluntatis, in quantum intentionales sunt, ut esset inceptio aut desitio alicuius cognitionis aut volitionis, dici solet *mutatio logica* et *moralis*. Ea quoque excluditur a Deo, etiamsi haberi posset sine mutatione physica. Missam facimus mutationem quam *extrinsecam* vocant, per denominationem mere extrinsecam a mutatione alius rei, quae cum priore relationem habet. Hoc modo accepta nulla est difficultas, ut patet, in admittenda in Deo mutatione extrinseca. Mutationem quam vocant *metaphysicam*, sive initium aut finem in existendo, excludimus a Deo per attributum *aeternitatis*.

109. Adversarii. Compositionem in divinis ponunt in primis *ethnici* populares, ac plures etiam philosophi, ut *stoici*, et pantheistae reales. Inter christianos adversantur simplicitati divinae *anthropomorphitae*, ut *audiani* s.IV¹, et quidam ignari monachi s.V qui Deum corporeum intellexisse dicuntur, quibus praelusit TERTULLIANUS. GILBERTUS PORRETANUS s.XII posuit distinctionem quamdam realem inter naturam et personalitates divinas². *Palamitae* seu Hesychastae, graeci schismatici s.XIV, distinguebant inter essentiam divinam et eius gloriam³.

Simplicitatem Dei nimis fortasse extulerunt, sive potius eius conceptum perverterunt, *neoplatonici*⁴, qui divinitatem

sensu nimis abstracto aut fere ad modum ideae concepissee videntur; hic autem conceptus cum vera substantialitate et subsistentia Dei vix consistere potest, sive Bonum, sive Unum quasi abstractum Deum vocaverint. Ideo dicuntur transcendentiam divinam modo incongruo intellexisse, imo et pervertisse, cum ut quid prorsus indeterminatum divinitatem conciperent. Quo etiam vitio infecti suo modo sunt agnostici arabes et iudaei medio aevo, similemque notionem apud idealistas posteriores forte reperias.

Qui tenent infinitatem et simplicitatem proprie dictam divinae naturae necessario Deum immutabilem habent. E contra illi qui haec attributa aut negant, aut pervertunt, immutabilitati quoque adversantur. Inter eos praecipue recensendi sunt ethnici ac pantheistae omnes, maxime qui Deum perpetuae evolutioni subiciunt.

110. Doctrina Ecclesiae. Praeter perpetuam et explicitam praedicationem Ecclesiae, *Toletanum* XV, *Lateranense* IV et *Vaticanum* (D 294 428 432 1782) docent omnimodam simplicitatem, spiritualitatem et immutabilitatem divinitatis. Immutabilitas de Filio seu Verbo divino definita est in *Nicaeno* et *Chalcedonensi* (D 54 148).

Valor dogmaticus et theologicus. Spiritualitas, simplicitas realis et immutabilitas physica Dei sunt *de fide catholica et definita*. Excludendam esse a Deo omnem compositionem rationis, quae imperfectionem importet, et mutationem mere logicam et moralem, est *theologica certum*.

III. Probatur ex sacra Scriptura. A. PURAM SPIRITUALITATEM AC SIMPLICITATEM DEI docent Sacrae Litterae V.T. a) Ex aliis pluribus attributis, immutabilitate, infinitate, immensitate, invisibilitate, quae cum ea connectuntur aut eam supponunt. b) Prophetiae irrident deos corporeos quos sibi finxerunt ethnici, quibus opponunt Deum vivum et verum transcendentem omne quod videri potest, ut Ier 10,1-11; 51, 15-19; Bar 6; Hab 2 etc.⁵ c) Prohibitio imaginum divinitatis Ex 20,4s; Deut 4,12-15; Is 40,18 etc., fundatur, praeter periculum idololatriae, in eo quod impossibile est imagine corporea exprimere divinitatem invisibilem et incorpoream. d) Is 31,3: *Aegyptus homo est et non Deus, et equi eorum caro et non*

¹ G.BAREILLE, *Anthropomorphites*, Audiens: DTC I,1370-1372.2266; DE SAN, 53.

² V. tractatum *De Trinitate* c.3 a.2; DE SAN, 55.

³ V. th.4; S.GUICHARDON, *Le problème de la simplicité divine en Orient et en Occident au 14 et 15 siècle* (Lyon 1933).

⁴ R.ARNOU, *Platonisme des Pères*: DTC 12,2264-2266.2270-2279. De neoplatonismo

relate ad naturam divinam difficile valde est iudicium ferre; cf. C.BAEUMKER, *Der Platonismus in Mittelalter* (München 1910); WITHELO: *BeitrGPhMA* (Münster 1908); H.MÜLLER, *Dionysios, Proklos, Plotinos*: *BeitrGPhMA* (Münster 1908).

⁵ PRAT, *Jehova*: DB 3,1237; qui notat Salomonem 3 Reg 8,27 dixisse caelorum ambitum Deum continere non posse.

spiritus, notat quidem debilem terrenam potestatem, sed ideo quod opponit corporeitatem hominis spiritualitati Dei⁶. e) In libris sapientialibus spiritualitas divina eiusque omnimoda simplicitas docetur ac supponitur. Eccl 12,7: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*. Sap. 1,7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et eo quo [hic qui] continet omnia scientiam habet vocis*. Sap 7, 22.25.27.29: *Est in illa [sapientia] spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, incoinquinatus... Vapor est enim virtutis Dei et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera... Et cum sit una omnia potest, et in se permanens omnia innovat... Est enim haec speciosior sole, et luci comparata invenitur purior...* Haec quidem, sive personificationes divinae sapientiae, sive ipsam aeternae Sapientiae personam designent, omnimodam simplicitatem et spiritualitatem divinam exprimere conantur.

In N.T. incorporeitatem et spiritualitatem divinam ut rem per se notam intelligi planum est. a) Ideo Christus in colloquio cum samaritana Io 4,24 ut naturam veri cultus divini eiusque independentiam ab adiunctis loci et temporis eam doceat, simpliciter dicit: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare*. Iam vero *spiritus carnem et ossa non habet* (Lc 24,39)⁷. b) Simplicitas omnimoda traditur cum Deus dicitur *ipsa vita* Io 1,4; I Io 1,2; *ipsa veritas* Io 14,6; *ipsa caritas* I Io 4,8.

112. B. IMMUTABILITAS DEI multis saepe effertur in S.Scriptura. Saepe traditur immutabilitas *moralis*. Num 23, 19: *Non est Deus ut homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur*; I Reg (Sam) 15,29: *Neque enim homo est ut agat paenitentiam [mutet mentem]*; Ps 32,11: *Consilium Domini in aeternum manet*; Mal 6,3: *Ego Dominus et non mutor [non sum mutatus]*, sc. non mutabit consilium puniendi Israel ob peccata eius⁸; Prov 19,21: *Multae cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini permanebit*.

Immutabilitas *physica* in plenitudine essendi nomine Iahve descripta Ex 3,14 includitur. Explicite autem traditur a) Ps 101, 26-28: *In primordiis terram fundasti et opus manuum tuarum est caelum. Ista peribunt, tu autem permanebis, et universa sicut vestis veterascent. Sicut vestimentum mutas ea et mutantur: tu*

autem es idem et anni tui non habent finem; caelum et terra quasi exemplar et typus stabilitatis habebantur, et tamen mutantur a Deo; veterascunt et peribunt; Deus autem permanet semper idem, *ve atthâ hou*. Implicite aliis quoque locis ubi de aeternitate agitur immutabilitas continetur⁹. b) Iac 1,17: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis adumbratio*. Pater luminum videtur dici Deus ut creator siderum; quae mutantur motibus suis et suis revolutionibus diversum lumen emittunt. Nulla e contra est apud Deum mutatio, ne quidem illa insigniorum creaturarum¹⁰.

113. Probatur ex traditione¹¹. A. SPIRITUALITATEM ET SIMPLICITATEM OMNIMODAM DEI magna ponderatione docent SANCTI PATRES a) contra *ethnicos* et in controversia cum *arianis* et cum *eunomianis* ut quid notissimum etiam hebetibus, ac eo quod sit a se et optimum quod cogitari potest, et creator spirituum; ac penitus reiciunt obiectionem arianorum contra generationem Verbi ac si haec induceret corporeitatem et compositionem in Deo. ARISTIDES (R 111), ATHENAGORAS (R 164), TATIANUS (R 152), S.IRENAEUS: «Deus... totus mens... totus substantia...» (R 229). CLEMENS ALEXANDRINUS (R 424). EVANGRIUS (Ps.BASILIUS): «Deum simplicem et incompositum fatentur omnes» (R 911). S.BASILIUS: «Variae quidem operationes [Dei] essentia vero simplex» (R 923). DIDYMUS: «Deus simplex et incompositae spiritualisque naturae» (R 1066). S.EPIPHANIUS: «Quomodo fieri potest ut visibile invisibili simile sit? Quomodo corporeum incorporeo?» (R 1105). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Deus simplex est» (R 1122), «incompositus et figurae expertus» (R 1128). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2066 2067 2081). S.AMBROSIVS: «Deus naturae simplicis est, non coniunctae atque compositae» (R 1266).

Praesertim ORIGENES: «Non ergo corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens» (R 451 452 472). S.ATHANASIVS: «Aliter procreantur homines et aliter Filius ex Patre nascitur... Nihil enim ex re incorporea et fluere, nihilve in eam... influere potest. Quocirca, cum Deus sit natura simplex, unius quoque ac solius Filii est Pater» (R 754 756 786). S.HILARIUS: «Primum intelligendum est Deum incor-

⁶ HEINISCH, o.c., 60; CEUPPENS, o.c., 31.

⁷ LAGRANGE, *Evangile de S.Jean* (Paris 1925) 114-115; F.BRAUN, *L'Evangile de S.Jean* (Paris 1935) 345; CEUPPENS, o.c., 35. Non arguimus ex 2 Cor 3,17 *Dominus Spiritus est, de quo in tractatu De Trinitate n.319*.

⁸ De hoc loco v. KNABENBAUER, *In parvos Prophetas* (Paris 1886) 473; HEINISCH, o.c., 71; CEUPPENS, o.c., 63.64.

⁹ J.CALÈS, *Le Livre des Psaumes* (Paris 1936) 249; E.PANNIER, *Les Psaumes* (Paris 1937) 401; CEUPPENS, o.c., 64-66.

¹⁰ J.CHAINED, *L'épître de S.Jacques* (Paris 1927) 23; A.CHARUE, *Les épîtres catholiques* (Paris 1938) 40; CEUPPENS, o.c., 66-68.

¹¹ FRANZELIN, o.c., 305-306; DE SAN, o.c., p.113-119.173-178.

poralem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, quibus unum corpus efficiatur, constare» (R 894).

b) MODUM SIMPLICITATIS DIVINAE ita declarant ut dicant perfectiones non esse in Deo per modum accidentis, aut alicuius advenientis essentiae divinae, sed ipsum Deum esse singulas perfectiones divinas, et inde inducunt modum loquendi quo Deus dicitur ipsa vita, veritas, caritas, abstractis nominibus pro concretis adhibitis¹², quod expresse de actibus intelligendi et volendi declarant, quo tandem efficitur Deum esse simplicissimam monadem aut unitatem, «ut sit ex omni parte *monàs* aut, ut dicam, *henàs*» (ORIGENES; R 451). S.AUGUSTINUS: «Sic intelligimus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum...» (R 1658). «Quae scientia Dei est ipsa et sapientia, et quae sapientia ipsa et essentia, sive substantia. Quia in illius naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse; sed quod est sapere est esse» (R 1676 1669).

II4. B. IMMUTABILITATEM DEI tradunt ut doctrinam Ecclesiae interpretantes textus S.Scripturae, in connexionione cum aliis attributis, simplicitate, infinitudine et plenitudine essendi, praesertim cum aeternitate, cuius elementum est immutabilitas. ARISTIDES: «Ad ipsa igitur elementa accedamus ut ea deos non esse demonstramus, sed corruptioni et mutationi subiecta, atque ex nihilo in ortum producta esse iussu veri Dei, qui incorruptibilis et immutabilis est» (R 111). S.IRENAEUS: «Deus... qui fecit semper idem est..., perfectus in omnibus, ipse sibi aequalis et similis» (R 229). S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS in catechesibus: «Deus unus est... immobilis, immutabilis» (R 814), «nec minuitur nec augetur, sed semper eundem et eodem modo se habens» (R 815). S.GREGORIUS NYSSENUS: «Quidquid in eo conspicitur semper eodem modo se habet, neque accedens, neque deficiens» (R 1046). S.AUGUSTINUS: «In Deo nihil secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est» (R 1660). «Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligat, quasi nova dilectione quae in illo ante non erat...» (R 1663). «Nec affici dicendus est tamquam in eius natura fiat aliquid quod ante non fuerit» (R 1758). «Esse nomen est incommutabilitatis. Omnia enim quae mutantur desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet nisi quod non mutatur... Quid est ergo: Ego sum qui sum, nisi mutari non possum?» (R 1493).

¹² V. S.TH., q.3 a.3 sed contra, ad 1, q.32 a.2; FRANZELIN, th.27-28.

II5. **Probatur ratiōe.** A. SIMPLICITAS divina duplici modo probari potest: 1. Excluduntur a Deo omnia genera compositionis realis et rationis quae imperfectionem important. Ita S.THOMAS, q.3 a.1.2.6.7.8. Ratio generalis est, omnem compositionem realem importare *potentiam* ad aliquid atque ideo imperfectionem, et in partibus, quae componunt totum, quia non sibi sufficiunt, et in toto, quod ex partibus et componente dependet. Atqui ens a se nullo modo est in potentia, nam a se est determinatum ad habendam omnem perfectionem. Ergo Deus *non est corpus*, nam corpus saltem est in potentia ad divisionem. Eadem ratione componi nequit *ex materia et forma*, neque *ex partibus integrantibus*, neque *accidentia* in compositionem cum eo venire possunt, neque ipse in *compositionem cum aliis*.

Compositio ex essentia et esse et ex natura et suppositalitate, licet mere rationis sint, excludi debent a Deo, quia fundantur in contingentia creaturae a.3.4. Idem dicendum est cum communiore sententia de compositione *ex genere et differentia*, quae praeterea excluditur ex transcendentia et analogia entis recte intellectis a.5.

2. Simplicitas est quaedam *unitas* intimior et magis intrinseca quam unitas compositionis, ratione cuius ens est maxime unum, ergo maxime ens. Ergo simplicitas deesse non potest enti infinito.

Hoc sensu intelligimus simplicitatem esse perfectionem simpliciter simplicem; nempe posita aequalitate veluti quantitativa perfectionis in duobus entibus, perfectus erit simplex quam compositus. Simplicitas enim considerari debet ut modus quo ens possidet perfectionem. Quo soluta videtur quaestio potius verbalis, quae de hac re inter scholasticos exoriebatur¹³.

N.B. *Relationes reales ad extra* excluduntur quoque a Deo sensu posteriorum theologorum. Nam quidquid est de natura et constitutivo relationis realis, relatio ad aliud ens importare videtur aliquid oppositum eminenti transcendentiae divinitatis. Ceterum praedicata quae maxime importare videntur relationem, recte suis locis explicantur de Deo sine illa¹⁴.

II6. B. IMMUTABILITAS PHYSICA probatur quia Deus est infinitus in perfectione simplicissima suae entitatis, seu habet a se et necessario quidquid perfectionis esse potest. Ergo nequit mutari ita ut adquirat aut amittat aliquid q.9 a.1.

Mutatio mere *moralis*, licet compossibilis concipiatur cum immutabilitate physica, admitti nequit in Deo. Nam haec inconstantiam, levitatem et imprudentem modum se gerendi in-

¹³ Quaestionem movisse videtur CAIETANUS, *In De ente et essentia S.Thomae c.2 contra Scotum*; cf. SUÁREZ, *Metaph.* d.30 s.3 n.3; URRÁBURU, n.124; FRANZELIN, 303.

¹⁴ Recentiores theologi unanimiter id tenent; cf. URRÁBURU, n.80-81; HELLÍN, 689-700; F.MITZKA, *Der philosophische Beweis für die moralische Unveränderlichkeit Gottes*; ZkathTh 59 (1935) 57-72.

ferret, posita infinitate scientiae divinae, quae imperfectiones non minus repugnant Deo quam mutatio physica.

Obiectiones. 1. Obici possunt frequentes in V.T. anthropomorphismi, quibus Deo tribui videntur membra et affectiones corporeae.

Ut etiam Patres notarunt, et clare apparet collatis diversis Scripturae locis, locutiones huiusmodi mere metaphoricæ sunt, ac pertinent ad loquendi modum fere necessarium, praesertim in linguis speculationibus et abstractionibus minus conformatis. V. Scholion.

2. TERTULLIANUS fecit Deum corporeum: «Quis negaverit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus est sui generis» (R 374).

Videtur TERTULLIANUS liberari posse ab errore anthropomorphistarum. Alibi enim dicit: «Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus eius. Omne quod est corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est» (R 355). Intelligit ergo nomine corporis, miro modo loquendi, substantiam rei cuiuslibet¹⁵.

3. Sap 7,24 dicitur Sapientia, quae Deus est, *omnibus mobilibus mobilior*.

Eodem loco v.27 ratio datur quia *cum una sit, omnia potest, et in se permanens omnia innovat*. Dicitur ergo mobilis, modo metaphoricæ, propter purissimam et infinitam activitatem, quae tamen non obstat quominus in se plene permanens sit; potius ergo significatur hoc loco immutabilitas Dei.

4. S.AUGUSTINUS dicit: «Spiritus creator movet seipsum sine tempore et sine loco»¹⁶.

Ita loquitur metaphoricæ de actione divina; immutabilitatem absolutam Dei S.Doctor et saepe alias, et eodem operis capite docet.

5. Deus necessario mutari debet moraliter, nam odio habet peccatorem, dum est peccator, eumque amat, cum convertitur. Ideo Scriptura dicit eum paenitere, mutare consilium Gen 6,6; Ezech 19,21ss.

Deus tota aeternitate actum habet odii et amore pro tempore quo homo est peccator et iustus. S.Augustinus ita rem declarat: «Sic ergo quando eum paenitet, non mutatur et mutat, sicut quando irascitur, non movetur et vindicatur»^{16*}.

Quo pacto distinctio personarum in unitate divinae essentiae compositionem non afferat, scientia Dei logice invariabilis sit, et libertas et actio ad extra in tempore stet cum simplicitate et immutabilitate v. suis locis. Attributa quiescentia nullam difficultatem simplicitati afferre possunt, ut est evidentissimum, cum nihil dicant nisi modum quo perfectio in Deo inest.

II7. Scholion. DE ANTHROPOMORPHISMIS V.T. Notum est factum, Deum exhiberi perpetuo fere in V.T. modo humano et corporeo. Ei tribuuntur membra corporis humani, vul-tum habet, oculos, aures, os, nares, linguam, labia, manus et brachium, pedes; loquitur, scribit, videt, audit, odoratur, ridet, sedet, ambulat et requiescit, descendit et ascendit. Affectiones humanas habet ac modo humano operatur; gaudet, tristatur, paenitet eum, odium habet, zelum, taedium, furorem, in-

¹⁵ Iam antiquitus de mente TERTULLIANI disputatum est, et adhuc PETAVIUS, *De Deo* l.2 eum in errore incidisse putat hac in re; communius recenter excusatur ab auctoribus, res tamen non plane liquet. Cf. DE SAN, 54; BAREILLE, *Anthropomorphites*: DTC 1,1370; LE BACHELET, *Dieu*: DTC 4,1060; D'ALÈS, *La théologie de Tertullien* (Paris 1905) 61ss.

¹⁶ *De Genesi ad litteram* l.8 c.20: ML 34,388.

^{16*} *De civ. Dei* l.12 c.17 n.2: ML 41,367.

dignationem, ut figulus fingit corpus humanum ex luto etc.¹⁷ Hinc non modo ignari illi monachi anthropomorphitae, sed etiam sublimiores quidam critici recentiores scandalum passi sunt, ac veram spiritualitatem Dei in V.T. doceri negarunt. Imo contendunt iam in prima Genesis pagina perspicue doceri eius corporeitatem, quia homo ad eius similitudinem factus est; ideo non esse mirum eum modo humano se praebere¹⁸.

Verum non solum Sancti Patres istos anthropomorphismos ut metaphoras explicabant, ac faciles huius loquendi modi rationes reperiri possunt, sed etiam in ipso V.T. elementa plus quam sufficientia adsunt ad hanc declarationem¹⁹. En, ut unum Patrem proferamus, verba S.CYRILLI ALEXANDRINI: «Quando divina Scriptura de Deo verba habens, de corporalibus partibus mentionem facit, ne mens audientium ad sensibilia se ferat, sed ex sensibilibus, tamquam ex similibus, ad intelligibilium pulchritudinem ascendat, et extra figuras et quantitatem et circumscriptionem et speciem et cetera quae corporibus connexa sunt intelligat Deum; est enim supra omnem intellectum. Humano modo de ipso loquimur, non enim aliter poteramus intelligere quae supra nos sunt» (R 2094).

1. In primis ratio generalis est quam indicat S.CYRILLUS, et refert S.THOMAS q.1 a.9, necessitas quam omnis homo experitur, utendi metaphoris ad res spirituales exprimendas. Id maxime in expositione rerum divinarum ad captum populi opus est; verum etiam, ut experientia (nimis forte) patet, in philosophicis ac scientificis disquisitionibus ab huiusmodi usu praescindi nequit. Quod hae metaphorae diversae sint secundum culturam cuiusque populi, aut multo frequentiores quam apud nos, rem non mutat, ut patet. Iam linguae semiticae maxime his indigent, quod naturae populi imaginatione magis ducti convenit. Ideo non ad modum humanum solum se praebet aut manifestat Deus, sed etiam ut leo, ut leaena, ut pardus, ut aquila, ut ignis, ut tempestas, ut levis aerae susurrus. Imo etiam de cornu Dei, ut de cornu hominum est sermo. Num existimabit serio cordatus criticus sacros scriptores revera existimasse homines cornutos? aut Deum esse verera simul hominem et leonem?²⁰

II8. 2. In ipsis narrationibus V.T., ac praesertim in complexu revelationis, etiam in diversis periodis historiae po-

¹⁷ HEINISCH, 628 recenset omnes fere locos ubi haec dicta sunt.

¹⁸ Ita H.GUNKEL, *Die Genesis* (1922); A.LOISY, *Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse* (Paris 1901); A.JEREMIAS, *Das A.T. im Lichte des alten Orients* (1930); cf. H.HEMPEL, *Die Grenzen des Anthropomorphismus Jahvehs in A.T.*: ZATWiss 57 (1930) 75-85.

¹⁹ VIGOUROUX, *Anthropomorphismes*: DB 1; PRAT, *Jehova*: DB 3,1328-1329; CEUPPENS, 31-34; HEINISCH, l.c., 63-64.

²⁰ P.DHORME, *L'emploi métaphorique des noms des parties du corps* (Paris 1925).

puli iudaici, indicia adsunt, quibus sensus his metaphoris expressus diiudicari possit. Diversi modi quibus Deus apparet transeuntes sunt, et ostendunt non esse quid eius naturae proprium, aut cum ea connexum, sed formae tantum quibus cum hominibus agat. Praesertim affectiones humanae quae alias adhibentur ad intimam Dei scientiam, voluntatem, potentiam, cetera exprimenda, aliis locis manifeste excluduntur ut in probatione vidimus. Tamen etiam prophetae et scriptores posteriores, cum transcendentiam et spiritualitatem divinam extollere volunt, ab his modis loquendi nullatenus abhorrent. Ceterum multa dicta quae membra Dei referre videntur sensum valde diversum habent. Ita *quaerere vultum (panim) Dei* significat velle gaudere de amore Dei, aut visere locum cultui destinatum, aut recurrere ad Dei adiutorium, aut quaerere eius propitiationem²¹. Quod similitudo cum Deo in qua creatus est homo ad animam non ad corpus referri debeat, ut omnes Sancti Patres explicant, evidens esse deberet ipsis criticis; eminentia enim et transcendentia divini esse primo capite Genesis perspicue docetur, ideoque ipsi critici eius compositionem ad postremam fere aetatem V.T. referunt.

3. Ratio tandem cur praecipue forma ac modo humano, et non abstractis notionibus Deus se homini manifestaverit, haec maxime videtur fuisse, Deum ut personalem et viventem voluisse se homini praebere, eiusque sensum religiosum fovere, quo cum Deo intime ac personaliter facilius ageret. Revelatio enim directe non facta est ad inquisitionem speculativam de rebus divinis fovendam, sed ad salutem omnium hominum provehendam. Neque omittendum est aliquos Patres animadvertisse, Deum hoc anthropomorphico modo de se locutum esse, ut mentes hominum pararet ad illud *ineffabile commercium* inter Deum et hominem, Incarnationem Verbi, quod vocari posset *maximus anthropomorphismus*²².

Thesis 10. Deus est aeternus et immensus.

S.TH., q.8 et 10; SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.2.4; *Metaph.* d.30 s.7.8; LESSIUS, l.4; l.2; FRANZELIN, th.31-34; DE SAN, n.113-134; SCHEEBEN, 76.77.88; MUNCUNILL, 157-169.182-190; POHLE, 266-276.

119. **Nexus.** Ut compleatur cognitio naturae divinae per exclusionem imperfectionum rerum creaturarum, opus est haec duo attributa, aeternitatem et immensitatem exponere, quibus peculiare limitationes temporales et spatiales a divina substantia arcentur.

²¹ F.NÖTSCHER, *Das Angesicht Gottes schauen* (Würzburg 1924); HEINISCH, l.c.

²² Cf. Phil. 2.7; HAEVERNICK, *Theologie des A.T.* (1863); PRAT, l.c.

Pars I. Deus est aeternus

Notiones. AETERNITAS stricte dicta est *duratio sive permanentia entis in esse sine principio, sine fine, sine successione ulla*, et quidem non solum de facto sed essentialiter. Ideo definita est a BOETIO: «Interminabilis vitae tota simul ac perfecta possessio»¹, in qua definitione signate dicitur esse Dei vitale, quod singillatim c.3 docemus. Aeternitas igitur opponitur *durationi creatae*, quae essentialiter importat inceptionem et finem existentiae, saltem possibilem (initium certe de facto habet omne ens creatum), ac successionem aliquam. *Successio* autem duplicis est generis; aut continua et *fluens*, tempus, propria motus et entis corporei; aut discreta et *stans*, aevum dici solet, propria spiritus puri. Utraque excluditur ab aeternitate.

120. Duratio seu permanentia in esse non est nisi ipsum esse rei, in quantum non desinit esse; sequitur ergo naturam rei². Datur igitur duratio permanens et duratio successiva, quae potest esse discreta et continua vel fluens. Duratio omnino permanens sine ulla successione est propria Dei, qui est immutabilis; duratio permanens substantialiter sed cum successione discreta accidentali propria est spiritus puri; duratio simpliciter fluens seu continua est propria motus. Iam vero cum ens quodcumque corporeum licet substantialiter quodammodo permanens sit coniunctum cum motu seu cum successione fluente, ideo duratio omnis a nobis concipitur per modum fluentis; verum diversae durationes prorsus diversae sunt.

Ideo, ut notat S.THOMAS, «in cognitionem aeternitatis oportet nos venire per tempus, quod non est aliud nisi numerus motus secundum prius et posterius. Cum enim in quolibet motu sit successio, et una pars post alteram, ex hoc quod numeramus prius et posterius in motu apprehendimus tempus... In hoc autem quod caret motu et semper eodem modo se habet, non est accipere prius et posterius...; igitur... in apprehensione uniformitatis eius quod est omnino extra motum consistit ratio aeternitatis... Quod vero est omnino immutabile, sicut nec successionem, ita nec principium nec finem habere potest [cum sit ens necessarium]. Sic ergo ex duobus notificatur aeternitas: 1.º ex hoc quod id quod est in aeternitate est interminabile, id est principio et fine carens, ita ut terminus ad utrumque referatur; 2.º per hoc quod ipsa aeternitas successione caret, tota simul existens» a.1. Quare, ut iterum animadvertit a.4, notio aeternitatis non ex sola carentia initii et finis in duratione declarari debet, sed vel maxime ex immutabilitate et essentiali exclusionem omnis successionis aut mutationis possibilis³.

Ex attributo aeternitatis, eo ipso quod sine initio et sine fine est, oritur necessaria *coexistentia* cuiuscumque alius durationis, sive temporalis, sive permanentis, *cum aeternitate*; et

¹ *De consolatione Philosophiae* 1.5 pros.6; ML 63,858.

² Confundit nequit duratio ipsa cum eius mensura; quare non adamussim videntur dicta quae disputat DE SAN, n.113.

³ SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.1 n.3.5; FRANZELIN, p.334-335; F.BEEMELMANS, *Zeit und Ewigkeit nach Thomas von Aquin* (Münster 1914); N.SASSE, *Aión*, in KLAUSER, *Reallexikon für Antike und Christentum*, 1938s.

ex eo quod aeternitas est tota simul, haec coexistentia dici debet esse cum tota aeternitate.

121. Adversarii. Carentiam finis in duratione divina ne ethnici quidem negasse videntur, qui deos immortales appellabant; initium vero essendi iis tribuerunt, nisi generationes deorum aeternas fecerunt. Philosophi antiqui ipsam materiam ab aeterno existere tenebant, a fortiori divinitatem. Sed veram aeternitatem agnovisse non videntur, ob negatam immutabilitatem, quod maxime de pantheistis evolutionistis dicendum est.

Doctrina Ecclesiae. Aeternitas Dei fuit semper in explicita praedicatione Ecclesiae. Continetur in Nicaeno de Filio Dei (D 54), in symbolo Quicumque (D 39) et definita est in Lateranensi IV et Vaticano (D 428 1782).

Valor dogmaticus. De fide catholica definita.

122. Probatur ex sacra Scriptura. Praedicatio aeternitatis divinae luculenter pervadit totam revelationem V.T., et quidem in manifesta oppositione ad theogonias aliorum populorum maximae culturae in antiquitate, ut fuerunt babylonii, aegyptii, foenices et graeci⁴.

a) Ipsum nomen divinum Iahve, «qui est», aeternitatem exprimit, ut unanimiter Patres docent.

b) Vocabula quidem hebraica quibus aeternitas exprimitur, praecipue *holam* (אלוה) non semper aeternitatem stricte dictam important; sed de se *totalitatem* durationis dicunt, quae non est limitanda, nisi natura rei de qua agatur id exigit. Dicitur enim de tempore antiquissimo Gen 6,4; Deut 32,7; Is 63,9; Amos 9,11; de collibus palaestinis Deut 33,15; de *servitute perpetua* Deut 15,17; 1 Reg (Sam) 1,22; de *morte et sepulcro* Ier 51,39; Eccl 12,5. Verum cum de Deo, qui est a se, praedicatur, manifeste intenditur exprimere eius durationem perpetuam sine initio et sine fine; cuius immutabilitas nota est. *Deus est aeternus (el Eterno)* Gen 21,33; in oppositione ad vitam corporalem, *Deus vivit in aeternum* Eccl 18,1; est *rex sempiternus* Ier 10,10; *rex saeculorum* Tob 13,6; *lux sempiterna* Is 40,19; Sap 7,26; ideo formula iurisiurandi a Deo adhibita *Vivo ego in aeternum* Deut 32,40.

c) Expresse et sine ambagine docetur divina aeternitas Ps 89,1-4; 101,28; Is 41,4; Eccl 42,41⁵.

⁴ HEINISCH, *Teologia del V.T.* 67-70; I.SCHMIDT, *Der Ewigkeitsbegriff in A.T.* (Münster 1940, Alt Abhand. 13,5).

⁵ CEUPPENS, *Theologia biblica* 1,71-76; A.VACCARI, *I Libri poetici* (Roma 1925) 157-167; J.CALES, *Le livre des Psaumes* (Paris 1936) 2,153; B.DUHM, *Die Psalmen* (1922) 341-367; *Israels*

Ps 89,1-4: *Domine, tu fuisti refugium nobis a generatione in generationem. Priusquam montes gignerentur et nasceretur terra et orbis, et ab aeterno et in aeternum tu es, Deus. Reverti iubes mortales in pulverem, et dicis: Revertimini filii hominum. Nam mille anni in oculis tuis tamquam dies hesternus qui transivit, et tamquam vigilia nocturna.* Deus est et manet refugium omnium et semper, quia priusquam antiquissima formarentur Deus est ab aeterno a parte ante, et in aeternum a parte post. «Non dicit tu fuisti, neque tu eris, sed tu es immutabiliter in aeternum»⁶. Nam tempore non mensuratur sed mille anni ante oculos eius tamquam dies hesternus sunt, qui transivit, et tamquam vigilia nocturna.

Ps 101,26-28 cum immutabilitate divina (v.n.112) aeternitatem tradit. *In primordiis (Gen 1,1-2) terram fundasti... ista peribunt, tu autem es idem et anni tui non habent finem; quae* Hebr 1,10 affert ad divinitatem Christi probandam.

Is 41,4: *Ego Dominus primus et novissimus ego sum; in hebraico legitur Ego primus et cum novissimis ego ipse* (idem omnino); id repetit propheta 44,6: *Ego primus et ego novissimus et absque me non est Deus; 48,12: Ego ipse, ego primus et ego novissimus.* In contextu prioris loci significat Deum solum operatum esse victoriam Cyri; rationem dat, quia ipse utpote aeternus est dominus omnium quae eveniunt, ipse solus historiam totius humanitatis dirigere potest.

Eccl 42,41: *Magnalia sapientiae suae decoravit, qui est ante saeculum et usque in saeculum, neque adiectus est neque minuitur, et non eget alicuius consilio.* In hebraeo nuper reperto haec habet: *Virtutem sapientiae suae firmiter stabilivit. Ipse est ab aeterno, nihil adiungi, nihil auferri potest, et ipse nullo magistro indiget.* Rationem igitur sapientiae divinae aeternitatem affert.

Aeternitatem a parte ante Sapientiae divinae docet Prov 8, 22-26.

123. In N.T. frequentissima est appellatio aeternitatis divinae. Interdum quidem vox *אלוה* dicitur etiam de toto praeterito aut futuro tempore (imo et de praesenti), ut ex contextu patet. In doxologiis autem plurimis aeternitas divina significatur emphatice locutione *in saecula saeculorum*: Rom 11,36; 16,17; 2 Cor 11,31; Gal 1,5; Phil 4,20; 2 Tim 4,18. Praesertim 1 Tim 1,17: *Regi saeculorum, immortalis (in corruptibili...) et invisibilis, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum.*

propheten 298; P.SYNAVE, *Psaumes (Le livre des)*: DTC 13,1119; A.CODAMIN, *Le livre d'Isaie* (Paris 1905) 248; M.HETZENAUER, *Theologia biblica* (Friburgi 1908) 394; H.HERKENNE, *Das Buch der Psalmen* (1936) 329.

⁶ S.AUGUSTINUS, *In Psalmos h.l.*: ML 37,1142.

Apocalypsis initio 1,8, et pluries postea, sollemniter affirmat aeternitatem Dei: *Ego α et ω, principium et finis* (id deest in graeco), *dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est* (ὁ ἐρχόμενος) *omnipotens* (ὁ παντοκράτωρ). Locutio *Ego α et ω* ex Isaia (cf. supra) desumpta est et iterum repetitur 21,6; 22,13. Hebraei habebant vocem *emet*, qua tres litterae hebraicae, *aleph, mem, tau*, prima, media et postrema colliguntur, quasi symbolum divinitatis, propter aeternitatem, quae praeteritum, praesens et futurum uniformiter ambit. Ideo S.Ioannes primam et postremam litteram alphabeti graeci assumpsit (mediam nequivit, quia 24 litteris constat) eadem ratione, addita explicita declaratione, *qui est, et qui erat, et qui futurus est*, quae 14,18 et 48 repetitur. Iam haec expressio ut indeclinabilis Deum designat, et manifeste refert Ex 3,14 *Ego sum qui sum*, in qua rabbini significationem aeternitatis per vocem *emet* videbant. Deus alias in Apocalypsi dicitur vivens in saecula saeculorum 4,9-11; 10,6; 15,7⁷.

Praeterea 2 Petr 3,18 refert Ps 98,4; 1o 1,61-2; 1 Io 2,13 etc.

124. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES aeternitatem Dei eiusque conceptum frequenter et accurate tractant, atque ex ipsa aseitate ostendunt, ideoque in nomine Iahve expressam, quod immediate per aeternitatem omnes fere declarant; tandem generationem Verbi aeternam tota contentione contra arianos defendunt (v. tract. de Trinitate). ARISTIDES: «Ipsam Deum esse dico qui... sine initio est immortalis... omnibusque perturbationibus et defectibus sublimior» (R 110). ATHENAGORAS (R 161 164). S.IRENAEUS: «Sine initio et sine fine, vere et semper idem et eodem modo se habens, solus est Deus, qui est omnium Dominus» (R 206). TERTULLIANUS (R 306). LACTANTIUS (R 628). S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: «Deus unus est solus ingenuus, absque initio, immobilis et immutabilis, nec alterum habens vitae successorem, et nec tempore vivere incipiens, nec unquam desinens» (R 814).

S.HILARIUS: «Eius esse in sese est, non aliunde quod est sumens, sed id quod est ex sese atque in se obtinens... semper ante aevum, quia tempus ab eo est... et cui est semper ut semper sit... aeternus... habens in se semper ut semper sit» (R 860). Et in loco supra n.80 adducto de nomine *Ego sum qui sum*, sequitur: «Non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur; quia id ipsum quod est neque desinentis est aliquando neque coepti; sed id quod cum incorruptae beatitu-

⁷ CEUPPENS, o.c., 77-81; B.ALLO, *L'Apocalypse* (Paris 1921) 59; A.GELIN, *L'Apocalypse* (Paris 1938) 596.607-608; J.ROHR, *Die geheime Offenbarung des hl.Ioannes* (1932) 92; U.JASSE, in *Theologische Wörterbuch zum N.T.* (1937) 1,197-209.

dinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse; quia divinum omne neque abolitioni neque exordio obnoxium est. Et cum in nullo a se Dei desit aeternitas, digne hoc solum, quod esset, ad protestationem incorruptae suae aeternitatis ostendit» (R 857). S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Deus et semper erat, et est, et erit, vel potius est semper. Nam erat et erit huius nostri temporis et fluxae naturae segmenta sunt; ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte Moysi oraculum edit. Universum enim esse in se ipso complectitur, quod nec principium nec finem habiturum est...» (R 1015). S.AUGUSTINUS: «Qui sunt anni qui non deficiunt, nisi qui stant? Si ergo ibi anni stant et ipsi anni qui stant unus annus est, et ipse unus annus qui stat, unus dies est... semper stat ille dies, et quod vis vocas illum diem; si vis anni sunt, si vis dies est: quodcumque cogitaveris stat tamen... Aeternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile; ubi nihil est praeteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi est» (frag. in R 1481). Ita saepe alias aeternitatem per immutabilitatem declarat⁸.

125. Probatur ratione. Deus necessario existit, ita ut hypothesis non existentiae eius plane repugnet. Ergo eius permanentia in esse nec principium nec finem habet. Praeterea Deus est omnino immutabilis. Ergo in eius duratione nulla datur successio. Ergo est aeternus (q.10 a.1).

Obiectiones. 1. S.Scriptura tribuit Deo dies et annos. Ergo et fluxum. Ergo Deus non est simpliciter aeternus.

Sunt locutiones metaphoricae, ut patet, cum iis addat appellativum aeternitatis. V. supra optimam declarationem S.AUGUSTINI.

2. Si Deus est aeternus, omnis duratio creata et finita cum tota aeternitate coexistit, nam haec simplex est. Ergo omnes durationes finitae simul essent. Atqui hoc falsum est, cum durationes finitae successivae sint.

Dist. antec. Omnis duratio coexistit cum tota aeternitate, sed non totaliter, *conc. antec.*; aliter, *nego antec.* Nempe omnis duratio creata ita cum tota aeternitate coexistit, ut etiam cum tota illa aliae durationes non simultaneae coexistant. Ideo relatio coexistentiae creaturarum cum Deo est successiva. Ideo *nego cons.*, nam non sequitur inde omnes alias durationes esse simul.

Quod aliqui auctores⁹ docent, res coexistere semper Deo *secundum physicam earum realitatem*, a pluribus theologis difficile intellectu videtur¹⁰; nam res non potest coexistere cum alia, nisi cum de facto permanet in esse;

⁸ Plures textus affert PETAVIUS, *De Deo* 1.3 c.3.4; et DE SAN, p.280-285.

⁹ ALVAREZ, *De auxiliis* 1.2 d.8 n.2; BILLUART, d.6 a.3; DE SAN, 286-290; referuntur etiam CAPREOLUS, FERRARIENSIS et CAIETANUS, atque etiam MOLINA, *Concordia* d.48 quid simile profert.

¹⁰ FRANZELIN haec ait: «Dummodo habeatur genuina notio divinae aeternitatis... haec res ita per se liquet, ut numquam debuisset in controversiam vocari» (o.c., 350; v. PESCH, 170).

atqui res creatae non semper existunt. Neque haec sententia sequitur ex simplicitate aeternitatis divinae, ut patet; neque S.Thomas q.14 a.13 loquitur nisi de praesentia obiectiva et internationali, nam hoc loco agit de scientia Dei.

Pars II. Deus est immensus

126. **Notiones.** Nomen IMMENSITATIS, licet in fontibus theologis aliquando aequivaleat fere infinitati in universum¹¹, tamen technice atque in communi acceptione populi christiani et in definitionibus Ecclesiae intelligitur *infinitas in ordine ad praesentiam localem*, seu eminentia divinae essentiae in oppositione ad limitationes et imperfectiones quibus gravatur praesentia localis rei cuiuslibet creatae; negat igitur terminum in substantiali praesentialitate Dei¹².

Cum conceptus metaphysicus immensitatis eiusque connexio cum praesentia Dei in spatio non uno modo ab auctoribus declararetur, praestat dogmaticae ac theologicae rem ordiri ab expositione praesentiae Dei in rebus, ita S.Thomas h.l., indeque immensitatis notionem eruere quae ratio est illius praesentiae.

Sunt enim qui formalem rationem praesentiae divinae in rebus creatis mere in operatione collocare videntur, eamque ab immensitate potius separare, quam cum illa coniungere, aut ut summum eam exponere per illimitationem praesentiae¹³. Alii immensitatem explicant per exclusionem omnis relationis spatialis; quo posito, nisi quid addatur, difficile videtur praesentiae Dei in rebus rationem reddere¹⁴. Alii tandem immensitatem ut radicem immediatam vel rationem formalem ex parte Dei eius praesentiae in rebus declarant¹⁵. Hanc ut multo saltem probabiliorem declarationem seligimus, qua intimus nexus inter immensitatem et ubiuitatem, qui satis evidenter ex fontibus admitti debet, accuratius exprimitur.

127. Triplex adsignari solet *modus quo Deus est in omnibus rebus, per essentiam, per praesentiam, per potentiam* (q.8 a.3). Relictis duobus postremis modis, qui non efferunt nisi scientiam et potentiam Dei¹⁶, nostra interest primus, qui dici potest *indistantia rei cuiuscumque a Deo, seu coexistentia omnium rerum cum Deo quoad locum*.

¹¹ Ita forte apud HERMAM (R 85), S.IRENAEUM (R 205), S.CYRILLUM ALEXANDRINUM (R 2116); in versionibus quibusdam latinis Patrum graecorum nomen ipsum *immensum* respondet interdum voci graecae *ἄπειρον*, quae potius infinitatem denotat (v. R 1015).

¹² SUÁREZ, *De Deo*, l.c., n.1.

¹³ V. infra, n.132; T.ÚRDÁNOZ, *La inhabitación del Espíritu Santo en el alma*: RevEspT (1946) 492.

¹⁴ FRANZELIN, o.c., 360-362, licet non renuat alium modum rem explicandi, *ibid.*, 358-359; PESCH, 171. Quae S.AUGUSTINUS saepe in hunc modum versat de immensitate veritatis, manifeste non nisi per modum comparationis sumi debent; nihil enim attingunt de substantiali praesentia Dei.

¹⁵ SUÁREZ, o.c., c.2 n.3; *Metaphys.* d.50 s.7 n.16. De sententia suareziana v. praecelam expositionem apud HELLÍN, *Sobre la inmensidad de Dios en Sudrez*: EstEcl 22 (1948) 227-263, ubi ait: «Suárez, pues, defiende un tomismo integral y no dimidiado» (248). V. etiam DE SAN, o.c., 121-125.

¹⁶ Nempe hi modi declarant aliquas rationes quibus locutio «Deum esse in rebus» exponi debet (v. prob. ex Scriptura); ratio enim loquendi «esse in» multa significare potest. V. A.FUERST, *An Historical Study of the Doctrine of the Omnipresence of God in Select Writings between 1220-1270* (Washington 1951).

Praesentia substantiae in loco triplex distinguitur: *circumscriptiva, definitiva et repletiva*. *Circumscriptiva*, sive per modum locati, est propria corporum, quorum partes extra partes collocantur, seu, ut dici solet, partes substantiae respondent partibus spatii, quas replent; ita ut, naturaliter saltem, alia corpora ab illis excludant; non autem, ut patet, res alio modo praesentes. Praesentia *definitiva* est propria spiritus creati, cuius simplex entitas adest tota in definito spatio corporeo, et tota in singulis eius partibus, ut adest anima in corpore, sed non extra illud. Praesentia *repletiva* est propria substantiae divinae, quae iterum tota, utpote simplicissima, se exhibet sine limitatione toti spatio creato, et tota singulis eius partibus sine ulla compositione; est nempe *ubiquitas*, qua Deus est ubique praesens (q.8 a.2).

128. *Immensitas* ergo, ut attributum absolutum divinitatis et radix aut fundamentum ex parte Dei actualis eius praesentiae in rebus, est *talis modus existendi*, seu dispositio divinae naturae, ut quantum est ex se sine mutatione, et *eodem modo permanens*, possit esse realiter et intime *indistans* ab omnibus rebus et corporibus, non solum existentibus, sed et possibilibus. Hanc autem dispositionem substantiae divinae non possumus nos concipere nisi per ordinem ad spatium, ut patet.

Ubiquitas vero, seu actualis praesentia Dei in rebus, addit concomitantiam aliarum rerum, quae eo ipso quod sunt, habent intra se substantiam divinam praesentem. Cum vero nulla alia res esse possit nisi a Deo existentiam habeat, evidens est praesentiam Dei in loco reali praesupponere actionem Dei, saltem creativam.

LESSIUS¹⁷ cum aliis Dei immensitatem definit quamdam veluti «diffusionem sui ubique et absque termino in omnem dimensionem, non per partes, sed per totalitates», quod innuit alicubi S.AUGUSTINUS¹⁸, dum vocat *Deum ubique diffusum, per cuncta diffusum*. GIL¹⁹ eam vocat «magnitudinem virtualemente Dei in ordine ad locum, quae habet modum proprium infinitatis». Qui modi loquendi in re difficili admitti possunt, cum revera rem ipsam ab imagine spatiali praescindere nequeamus, praesentia enim in loco est denominatio intrinsece includens spatium corporeum; secus evacuari videretur ipse conceptus.

129. **Adversarii.** Immensitatem et omnipraesentiam Dei negant fortasse, praeter populares ethnicos, aliqui antiqui phi-

¹⁷ *De perfectionibus moribusque divinis* l.2 c.1; v. HELLÍN, *Theologia naturalis* 619 n.1; HONTHEIM, *Theologia naturalis* 563 n.2.

¹⁸ *Epist.* 187 ad *Dardanum*: ML 3,836; in sequentibus corrigit S.Doctor pravam huius locutionis intelligentiam.

¹⁹ GIL (GILLIUS), *De sacra doctrina et essentia atque unitate Dei* l.2 tr.9 c.22.

losophi, gnostici quoque ac manichaei, et plures iudaei, qui Deum in caelo tantum et in templo praesentem putasse videntur. *Gnostici, manichaei*, teste S.AUGUSTINO²⁰ et *ariani* errabant praesentiam Dei limitantes. AUGUSTINUS STEUCHUS (EUGUBINUS) et VORSTIUS ut ariani, sola praesentia per scientiam et potentiam explicare volebant doctrinam christianam de praesentia Dei in rebus. Tandem CLARKE et NEWTON confundere videntur spatium ipsum cum immensitate Dei²¹.

Doctrina Ecclesiae. Immensitas Dei explicite traditur in symbolo *Quicumque* (D 39), in *Lateranensi IV* (D 428) et in *Vaticano* (D 1782), estque in perpetua Ecclesiae praedicatione.

Valor dogmaticus. *De fide catholica definita.*

130. Probatur ex sacra Scriptura. V.T. nomine praesentiae et locutionibus quibus ipsa significatur saepe de praesentia secundum scientiam et potentiam agit, saltem immediate. Ita Ps 113,5-6; Is 43,2; Am 9,1-6; Prov 15,3; Sap 1,7; 12,1; 7,23-27; 8,1. Verum etiam praesentiam per essentiam seu ubi-quitatem Dei manifeste docet, et quidem ita ut loco non limitetur, sed omnia repleat²². Iam haec ex eminentia naturae divinae immediate oriuntur, ut manifeste patet iisdem locis; Deus ergo immensus est. Inde eruitur ea quae de aliis modis praesentiae dicuntur cum immensitate connecti, eiusque signa esse.

3 Reg 8,27. In dedicatione templi orat Salomon: *Si enim caeli et caelum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi?* Quod dicit in oppositione ad opinionem ethniorum, qui deos putabant in propriis templis tantum inhabitare. Iob 11,8-9. Naturam divinam perscrutari nequit Iob quia *Excelsior caelo est..., profundior inferno..., longior terra mensura eius et latior mari*, quae quatuor partes constituiebant semitis mundum universum. Is 66,1: *Haec dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Ideo non indiget templo externo, sed mavult cultum internum. Ier 23, 23-24: *Putasne Deus e vicino sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in abscondito, et non video eum?*,

²⁰ *Contra epistolam Manichaei quam vocant Fundamenti* 23; ML 42,189.

²¹ V. BALMES, *Filosofia fundamental* 1,3 c.10, ubi in nota fragmenta affert disputationis de hac re inter CLARKE et LEIBNIZ. Cf. etiam A.STEICHEN, *Ueber Newtons Lehre vom Raum: Schol* 4 (1929) 390-401.

²² CEUPPENS, o.c., 52-59; *De libro Iob* (Romae 1932) 143-144; P.DHORME, *Le Livre de Iob* (Paris 1926) 145; L.DENNEFELD, *Le Livre d'Isaie* (Paris 1947) 229; E.PANNIER, *Le Livre des Psaumes* (Paris 1937) 540; F.GIESEBRECHT, *Das Buch Jeremia* (1907) 195; A.CONDAMIN, *Le Livre de Jeremie* (Paris 1936) 184; F.NÖTSCHER, *Das Buch Jeremia* (1934) 180.

dicit Dominus. Numquid non caelum et terram ego impleo? dicit Dominus. Ratio cur omnia videat est quia ubique est.

Insignis locus de omnipraesentia divina, etiam a rationalistis agnitus, est Ps 138,7-10: *Quo abeam procul a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendam in caelum, illic es; si apud inferos me sternam, ades. Si sumam pennas aurorae, si habitem in termino maris, etiam illuc manus tua ducet me, et tenebit me dextera tua.*

N.T. praeter ea quae ex incorporeitate et infinitate argui possunt, refertur Is 66,1 apud Mt 5,34-35; Act 7,49. Praesertim S.Paulus in oratione Athenis habita coram areopagitis docet ignotum Deum potuisse ab ipsis cognosci, quia *non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur et sumus*, Act 17,28; ubi particula *in* non debet sensu mere causativo sumi, sed significat Deum esse «elementum in quo vivimus, elementum quod ipsum nostrum esse pervadit ac sustentat»²³.

131. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES unanimi et constanti traditione immensitatem Dei ita docent, ut non tantum eam simpliciter asserant, sed et accurate dicta Scripturae de habitaculo caelesti divinitatis declarent, divinitatem Spiritus Sancti ex eius omnipraesentia probent, ac profunde in eius naturam inquirant, ita ut dicant non tam Deum esse in rebus, sed potius alia omnia esse in eo atque ab eo contineri.

THEOPHILUS ANTIOCHAENUS: «Dei altissimi et omnipraesentis et veri Dei est non solum ubique esse... nedum loco contineri, alioquin locus continens maius eo inveniretur... Deus autem loco non circumscribitur, sed ipse est omnium locus» (R 177). S.IRENAEUS (R 266). S.ATHANASIUS: «Homines, qui per se ipsi esse non possunt, loco circumscribuntur atque in Verbo Dei consistunt; at Deus, qui per se vere est, omnia continet et a nulla re ipse continetur» (R 754). S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: «Hic Pater D.N.I.C. non circumscribitur in ullo loco neque est minor caelo» (R 815). S.HILARIUS: «In- finitus, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia, semper extra locum, quia non continetur... Deus et ubique est, et totus ubicumque est» (R 860). «Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus aut spatiis divinae virtutis immensitas coarctatur. Adest ubique et totus ubicumque est; non pro parte usquam est, sed in omnibus visus est... Ubique est modo animae corporalis, quae in membris omnibus diffusa a singulis quibusque partibus non abest» (R 893). «Deus autem

²³ CEUPPENS, o.c., 60; E.JACQUIER, *Les Actes des Apôtres* (Paris 1926) 535; A.VAN DER HEEREN, *Actus Apostolorum* (1923) 306,307.

qui ubique et in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit» (R 894).

DIDYMU: «Nulla res creata implet orbem terrarum, aut continet omnia et in omnibus existit... quae vero dixi deitatis propria sunt. At vero Spiritus Sancti maiestas perpetua est, interminata, et ubique et per omnia et in omnibus semper existit, mundum quidem implens et continens secundum divinitatem, sed incapabilis secundum potentiam, et mensurans quidem, non mensurata» (R 1070). S.AMBROSIUS: «Deus... complens omnia, nusquam ipse confusus; penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus; ubique totus, eodemque tempore vel in caelo, vel in terris, vel in novissimo maris praesens» (R 1266). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Non in loco est divinitas, sed a nulla re prorsus abest; implet enim omnia et per omnia vadens et extra omnia in omnibus est» (R 2119). S.GREGORIUS MAGNUS: «Quia ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans; nec alia ex parte superior alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior, sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans» (R 2304)²⁴.

132. Probatur ratione. 1. Immensitas et omnipraesentia, prout declarata est, nullam includit imperfectionem, imo excludit omnem limitationem et compositionem in praesentia. Ergo asserenda est Deo infinito in perfectione.

2. S.THOMAS q.8, sequens Scripturae et Patrum vestigia, ostendit praesentiam et ubiuitatem Dei ex eius universali operatione. Potest autem haec ratio proponi, etiam omissio principio de impossibilitate actionis in distans²⁵, quia intelligitur perfectius agens quod ita adest suo effectui et coniungitur cum illo, ut plenissime ei dominetur. Saltem Deus potest esse ubicumque operatur; atqui ubique operari potest; ergo iam est ubique, et quidem necessario vi suae essentiae. Posita vero conservatione et concursu immediato Dei, patet praesentiam divinam esse operativam, et tot modis dici Deum rebus praesentem quot effectus in illis causat. Quare contactus Dei

²⁴ PETAVIUS, o.c., l.2 c.8 l.3; DE SAN, 133; M.FRICKEL, *Deus ubique totus. Untersuchungen zur allgemeinen gottgegenwart in Rahmen des Gotteslehre Gregors des Grossen* (Freiburg i.B. 1956).

²⁵ Hoc principium multis non satis evidens est; cf. HELLIN, o.c., 629-632.

cum rebus, qui ex immensitate sequitur, quique certe non est quantitativus, iure dici potest *contactus virtutis*.

Alia est quaestio, an *ratio formalis praesentiae Dei in rebus sit operatio*, secundum formulam plurium thomistarum²⁶. Et quidem ratio formalis metaphysica praesentiae non videtur dici posse operatio, nam sunt rationes formales diversae, et argumentum potius requirit praesentiam ut quid praevium ad operationem, praesertim si in impossibilitate actionis in distans fundetur. Ideo praestat rationem formalem actualis praesentiae Dei in re aliqua constitui in immensitate, ut fundamento ex parte Dei, et in eius operatione libera, ut conditione requisita ad existentiam illius rei cui adstat Deus.

133. Obiectiones. 1. Saepe in sacra Scriptura dicitur Deus esse praecise in caelo, aut in templo, venire, abire, recedere. Ergo non est ubique, nec immensus.

Ex ipsa ratione realis praesentiae Dei in rebus, prout declarata est, sequitur iure dici Deus peculiari modo praesens ubi quid novum operatur, aut singulari modo manifestatur. Ideo praesertim dicitur esse in caelo, in templo, in animabus iustis; at nullibi dicitur esse Deum in aliquo loco, ita ut non sit in alio. Singulari modo Deum esse in caelo (passim, ut Deut 26,15; Ps 2,4, etc.; 3 Reg 8,34; Is 63,15) ipse Christus nos intelligere voluit, cum nos orare docuit: *Pater noster, qui es in caelis*, Mt 6,9, ut declarat S.BERNARDUS: «Licet ubique esse Deus non dubitetur, sic tamen in caelo est, ut... nec esse videatur in terris. Propter quod orantes dicimus: Pater noster, qui es in caelis... si praesentiam illam cogitamus, qua beati angeli perfuuntur, videmur vix aliquam Dei protectionem et nomen habere»²⁷; voluit nempe Christus mentes nostras ad caelestia erigere, ubi Deus plene ut est se manifestat, et quidem maxime ut *Pater*, qui dat nobis *vitam aeternam*. In templo et in aliis sanctuariis et locis ubi se manifestavit, Bethel, Sichem, Silo, Gabaaon (Gen 28,16; Num 7,8; 3 Reg 8,10 etc.) quia sunt destinati ad cultum. In animabus iustis (Io 14,23; Rom 8,11 etc.) per dona gratiae (v. tractatum *De Trinitate* c.5). Hinc locutiones, quae Deum moveri localiter innuunt, pertinent ad anthropomorphicum loquendi modum haec exprimendi²⁸.

2. Patres interdum dicunt Deum non esse in loco corporeo, potius esse extra mundum. Ita ORIGENES: «Ne quis dicat in loco corporeo esse Deum, ad hoc enim consequitur et illum esse corpus» (R 472).

Dist. assert. Id dicunt ut declarent Deum non esse in loco per modum locati, sive circumscriptione, *conc.*; ut negent ullo modo esse praesentem, *nego*. Cf. S.CYRILLUM ALEXANDRINUM, n.131. Dubitatum quidem est an TERTULLIANUS, CLEMENS ALEXANDRINUS et LACTANTIUS erraverint in hac re; sed possunt recte intelligi, ut ostendit PETAVIUS²⁹.

3. Denominationes ac relationes spatiales sunt propriae et exclusivae corporum; inde antiquum proloquium «incorporalia non esse in loco»³⁰.

²⁶ IOANNES A S.THOMA, *In I p.* q.8 n.3; BILLUART, *De Deo* d.5 a.389⁸³; BILLOT, *De Deo uno* c.2 q.8. Cf. MUNCUNILL, 167; DE SAN, 134 n.1, ubi accurate expendit doctrinam S.THOMAE de hac re.

²⁷ *In Ps.* 90 s.1: ML 183,188-189. De praesentia Dei in vita spirituali v. F.CAYRÉ, *Les sources de l'amour divin. La Divine présence d'après St. Augustin* (Paris 1932), et tractatus asceticos et mysticos, ut LA PUENTE et RODRIGUEZ.

²⁸ Cf. HEINISCH, o.c., 85,86; G.WESTPHAL, *Jahwes Wohnstätten nach der Anschauungen der alten Hebräer* (Giessen 1908, Beihefte 15 ZaltW); CEUPPENS, o.c., 61 s. Videas nihilominus rationalistas inter se certantes de habitatione Iahve, quam GUNDEL vult solum esse caelum, STADE contra solam terram, et quidem diversis locis successive.

²⁹ *De Deo* l.3 c.7.

³⁰ Ex opusculo *Quomodo substantiae in eo quod sint bonae sint, cum non sint substantialia bona*, quod *De hebdomadibus* dicebatur, Boetio tributo (ML 64,1311), quodque GILBERTUS

Ergo potius dicendum est eminentiam divini esse excludere ab eo praesentiam in loco.

Dist. antec. Relationes spatiales strictius dictae, quae important praesentiam circumscriptionem, sunt propriae et exclusivae corporum, *conc. antec.*; quae stant cum praesentia definitiva aut repletiva, *nego antec.* Proloquium illud aliter admitti nequit, nisi secundum priorem sensum. Et *nego cons.*; nam eminentia divinae essentiae potius dici debet radix aut ratio exigens omnipraesentiam Dei, modo explicato.

134. DE PRAESENTIA DEI IN SPATIIS IMAGINARIIS. Haec quaestio, licet saepe dicatur fere de modo loquendi, discuti satis solet a theologis³¹. Id modo tenendum videtur. Si praesentia Dei in spatio intelligitur praecise realis coexistentia in loco cum reali extensione locali, evidens est eam non dari, si deficit terminus creatus. Verum vix probari posset locutio «Deus non est praesens, nisi in mundo de facto creato» quae expresse reprobata est a S.AUGUSTINO³²; sicut falso diceretur Deum non exstitisse ante creationem mundi, eo quod adverbium *ante* non haberet sensum extra tempus reale. Ratio est quia denominationes spatiales vix aut nullatenus concipere possumus ommissa connotatione spatii imaginarii (quod nullo pacto asseritur quid existens, ut patet); ideo non sine causa dici potest Deus suam praesentiam exhibere ubicumque corpus aut extensio aliqua adesse potest. Praeterea, ita explicari debet nova praesentia Dei in rebus, ut sine accessu ac mutatione fieri logice constet. Id autem, nihil aliud, volunt qui loquuntur de existentia Dei in spatiis imaginariis; est nempe modus, imperfectus, sed fere necessarius, exprimendi propriam rationem immensitatis divinae.

Corollarium doctrinae catholicae de essentia Dei.

135. PANTHEISMUS REICIENDUS EST.

Pantheismus, sive monismus pantheisticus³³, est doctrina diversis admodum modis proposita, quae, ut nomen indicat, tenet omnia constituta intrinsecus esse *unica substantia divina*, cuius cetera quae dicuntur non sint nisi *modi*, sive *manifestationes*, sive *emanationes*, sive *momenta evolutionis realis aut logicae*. Haec theoria pervertit notiones etiam primas et universales circa divinitatem, adeo ut pantheismus opponatur omnibus thesibus catholicis et philosophicis de natura Dei. Imo iure dici debet atheismus quidam larvatus, qui specie quadam theismi sensus fovet, quibus homines sibi de religione blandiantur. Ita pantheismus opponitur distinctioni ac essentiali

PORRETANUS et S.THOMAS commentati sunt; de eo v. M.GRABMANN, *Die Geschichte der scholastischen Methode* (Freiburg 1909) 1,173.

³¹ V. SUÁREZ, *Metaph.* d.30 s.7 n.28-38; URRÁBURU, 161s; MUNCUNILL, 168. Modum excedit DE SAN, *l.c.*, p.335, cum contendit «nullo prorsus ne improprissime quidem, sensus dici posse Deum esse in spatiis imaginariis».

³² *De civitate Dei* LII c.5; ML 41,321; ST.GRABOWSKI, *The All-Present God. A Study in St.Augustin* (St.Louis 1954).

³³ De pantheismo v. auctores Theologiae naturalis ut HONTHEIM, 465-509; HELLIN, 415-427. Doctrinae conspectum et uberem bibliographiam reperies apud F.KLIMKE, *Der monismus* (Freiburg 1911); SCHALCK, *Pantheisme*: DTC 11,1855-1873; [R. DE RAFAEL], *Panteismo*: Enciclopedia Espasa, 41,850-870, ubi peculiarem investigationem de pantheismo mediaevali. Interpretatio pantheismi spinoziani quam profert A.VALENSIN, *Pantheisme*: DAFc 3,1303-1333, quasi tantum vellet unionem veluti hypostaticam rerum omnium cum Deo, stare nequit.

eminentiae divinae supra omnes alias res; destruit dependentiam hominis a Deo; contradicit divinae simplicitati, immutabilitati, infinitati, cuius conceptum radicitus tollit, licet in ipsa fundari velit. Negat praeterea creationem, libertatem humanam etc.

Diversas formas pantheismi ac semipantheismi exponere ad Philosophiam pertinet. Sufficiat hic notare eas quae peculiari modo, praeter universalem erroris damnationem, ab Ecclesia proscriptae sunt. Saec.V et VI damnatus est *Priscillianismus*, qui animam humanam portionem Dei affirmabat (D 31 235). *Concilium Lateranense IV* saec.XIII proscripsit doctrinam AMALRICI DE BENE, qui cum DAVID DE DINANT Deum partem mundi dixit (D 433). IOANNES XXII (saec.XIV) et INNOCENTIUS XI (saec.XVII) ut haereticas reiecerunt propositiones *pantheismus sapientes* ECKARDI et MICHAELIS DE MOLINOS de transformatione animae iustae in Deum (D 510-513 1225).

PIUS IX pantheismus reiecit in *Syllabo prop.1* (D 1701). *Concilium Vaticanum* postquam in cp.1 s.3 (D 1782) docuit Deum praedicandum esse re et essentia a mundo distinctum, in c.3 et 4 *De Deo rerum omnium creatore* (D 1804 1805) anathemate damnat pantheismus in universum et tres eius formas peculiare, pantheismus emanatistam gnosticorum et PLOTINI, SCOTI ERIUGENAE et aliorum, pantheismus realem evolutionisticum scholae eleaticae, DAVIDIS DE DINANT, GIORDANO BRUNO, SPINOZA, et pantheismus idealismi transcendentalis, FICHTE, SCHELLING, HEGEL, etc. Tandem PIUS X in *Encyclica Pascendi* modernistas arguit quod eorum doctrina de symbolismo et immanentia in pantheismus ducat (D 2108).

Optima refutatio pantheismi habetur in complexu doctrinae theologicae circa Deum et creationem. Nec difficile est ostendere pantheismus opponi principiis metaphysicis contradictionis et causalitatis, et adversari factis psychologicis libertatis, unitatis personalis, factis experientiae distinctionis rerum ab aliis, ac tandem ordini morali.

136. **Scholion I. DE PERSONALITATE DEI.** Cum ut nota theologiae christianae adversus monistas et pantheistas, praesertim evolutionistas, statuitur Deum esse *personalem*, id maxime intenditur, naturam divinam esse *intellectualem* ac sui consciam, et quid omnino *fixum* ac *determinatum*, non evolutioni deditum, neque ulli indeterminationi subiectum. Quod, ut patet, est *de fide*, et theologia naturali probatum. Ulterior vero quaestio de conceptu personae in divinis, ac de modo quo Deo

convenit, propria est theologiae trinitariae; ibi proinde suus erit locus.

137. Scholion 2. DEUS EST ACTUS PURUS.

Haec notio actus puri, qua S.Thomas saepe effert omnimodam *eminentiam* Dei in oppositione ad *potentialitatem* creaturae, duplici modo intelligi potest. Prout actus purus opponitur essentialiter et omnimodo *potentiae obiectivae*, significat *aseitatem*, seu necessitatem existendi, estque prima notio Dei. Prout vero actus purus opponitur omni *potentialitati passivae et subiectivae*, denotat *perfectionem supereminentem*, quae per attributa negativa declaratur et probatur. Est ergo formula aptissima ad perfectionem divinitatis *synthetice* significandam.

Notio actus puri nullo modo opponitur potentiae activae ad extra, neque potentiae activitatis ad intra quam includunt divinae processiones. Quo vero pacto activitas divina, sive immanens, sive transiens, nullam secum ferat potentialitatem passivam, imo quo pacto, non solum in ordine quasi statico, sed etiam in ordine veluti dinamico, sit Deus actus purus, propriis locis declaratur ³⁴.

CAPUT III

De scientia Dei

Praeambulum de vita Dei in universum

S.Th., q.18; SUÁREZ, *Metaphys.* d.30 s.14; RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* d.1 et ult.; SCHEEBEN, 589; MUNCUNILL, 260-273; LERCHER, 130-40.

138. Adhuc esse Dei velut statice consideravimus; nunc autem ad eius *activitatem* tractandam accedimus. Activitas entis duplex est, immanens et transiens; utramque enti perfectissimo competere patet. Verum activitatem Dei ad extra peculiare tractatus theologici sibi propriam habent. Ideo de una activitate immanenti fere agendum nobis est.

Activitas immanens proprie dicta est *VITA*; vivum enim ens communi sensu id solum dicitur quod activitatem exercet in seipsum, quod actionem proferat in ipso agente receptam, qua se vel evolvat, vel perficiat, vel actuet se ipsum, sive in ordine ad se, sive etiam in ordine ad alia. Ideo vivens est *sub-*

³⁴ CG I,16; I q.2 a.3; q.3 a.2; q.9 a.1 et alibi passim. V. A. GARDEIL, *Acte pur*: DTC I,134-35; KLEUTGEN, *Die Philosophie der Vorzeit* 1,564-570; E. MIJON, *Der Begriff des 'actus purus' in der Scholastik und bei H. Schell*: JahrbPhTh (1910) 446-462.

stantia cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem, ut dicit S. THOMAS q.18 a.2.

Verum ex ipsa notione difficultas exurgit quo pacto possit vita Deo tribui, cum ex probata infinitate, immutabilitate ac simplicitate divina, nec motus, neque evolutio admitti in eo possit, aut nova ei perfectio advenire. Tamen tribui ei debet, nam per se notum est perfectius esse ens vivum quam non vivum. Ideo videndum est quae notae adeo essentialis sint conceptui vitae, ut necessario, etsi analogice cum vita creata, in vita increata reperiri possint.

139. Iam ad perfectionem vitae pertinet tantum ut sit *activitas immanens*, adeo ut quo perfectior sit activitas et perfectior immanentia, perfectior quoque erit vita. Imperfectam autem vitam creatam efficiunt, quod activitas sine motu ac sine causalitate exerceri nequeat, ac numquam a se ipso solo exercentur, et quod immanentia activitatis non sit plena ac perfecta. Id ostendit S. THOMAS a.3 discurrens per omnium viventium genera, in quibus apparet perfectiorem esse vitam quae minoris motus egeat, unde etiam perfectior habeatur immanentia; quo concluditur perfectissimam in creatis esse vitam entis spiritualis propriam, intellectionem et volitionem. Ideo ad perfectionem viventis pertinet quod *actuet se*; ad imperfectionem quod hoc habeat per causalitatem et cum distinctione inter actum primum et secundum, quod non est de conceptu prioris perfectionis. Perfectissima igitur erit vita entis quod *activitate gaudeat intelligendi et volendi plene secum identificata, seu sit activitas subsistens*, quo et perfectissima operatio sine mutatione, et operationis immanentia summa, nempe *metaphysica*, habetur ¹.

Quo apparet, ut per transennam sit dictum, quam absurde nostris diebus saepe conceptus vitae promoveatur, etiam in rebus theologicis, qui totam vitam ponat in una evolutione ac mutatione substantiali, quae propria est imperfectissimae formae viventis, vegetativae sc., quique necessario ad alia genera vitae superioris, spiritualis ac religiosae praesertim, aptari deberet. Id quidem non nisi ex quodam subiacente materialismo aut sensualismo explicari posse videtur.

N.B. Ratio naturalis in declaranda vita Dei non ultra procedere potest. Tamen ex revelatione scimus vitam divinam non iis concludi; sunt enim in vita divina processiones immanentes ad intra, secundum intellectum et voluntatem, quibus termini subsistentes procedunt, indentificati quidem cum substantia divina, sed inter se realiter distincti. V. tractatum de Trinitate.

¹ SUÁREZ, *Metaphy.* d.30 s.14 n.3.7.8.

140. «DEUM VIVERE» veritas est saepissime proposita in fontibus revelationis. Ecclesia in *Lateranensi IV* (D 428) exhibet vitales operationes Trinitatis; *Vaticanum* (D 1782) Deum intellectu et voluntate infinitum profitetur.

S.Scriptura ut nota veri Dei appellatione *vivi* eum signat, illum contraponens idolis vita carentibus Deut 32,39: *Videte quod ego sim solus et non sit alius deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam*. Ps 113,12-16; Ier 10,10: *Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivus et rex sempiternus*. Mt 16,16: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος). Act 14,14: *annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum*, etcetera; Deus ipse saepe dicit *Vivo ego* Deut 32,40, ita ut formula *Vivo ego, Vivit Deus* sit adhibita pro iureiurando 4 Reg 2,2; Mt 26,63. Vitam Dei exhibent Sap 7,22-8,1; Prov 8; Io 1,4; 5,26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso...*; 1 Io 1,1ss; 5,20. Ideo *Christus Deus-homo est vita*, et eius vitae participatio est nostra vita aeterna Io 6,40.55.59; 14,6.

Sancti Patres vitam divinam eiusque perfectionem multis modis pulchre declarant. S.CLEMENS ROMANUS: «Vivit Deus, vivit Dominus Iesus Christus, vivit Spiritus Sanctus, fides et spes electorum» (R 28) ². Dicitur Deus «vita ex se ipso» (αὐτοζωή), «viva natura sua» (ζωή κατὰ φύσιν) a S.GREGORIO NYSSENO ³ et S.CYRILLO ALEXANDRINO ⁴. S.AUGUSTINUS: «Tibi esse et vivere non aliud est; quia summe esse et summe vivere idipsum est» ⁵.

Ratio id dictat. Ex sensu enim omnium vita est perfectio pura, nam ex suo conceptu melius est vivere, quam non vivere, ergo non potest concipi perfectio maior non vitalis, quae eam eminenter contineat. Aliunde ex declaratis, potest dari vita sine motu et imperfectione.

Dices: Concipi nequit vita qua nihil producat. Ergo, saltem si praescindimus a processione Trinitatis, de quibus ratio nihil scit, Deus nequit dici vivens.

Nego antec., quod non bene probatur ex eo quod in creatis nequeat dari vita sine productione ipsius actus intelligendi et volendi, quae in divinis non datur; sufficit enim ut intelligamus intellectionem et volitionem esse actum, qui multo perfectius habetur, si identificatur cum substantia divina non producta.

² Ita vertimus ex graeco S.CLEMENTIS locum; non, ut habet translatio in R, «Sicut vivit...»

³ *C.Eunomium* 8: MG 45,397.

⁴ *In Ioann.* 2,4: MG 73,285.

⁵ *Confess.* 1.1 c.6 n.10: ML 32.

ARTICULUS I

DE SUBIECTIVA PERFECTIOE SCIENTIAE DEI

141. Vita entis spiritualis duplicem operationem complectitur, intelligendi et volendi; ex quibus ordine saltem rationis intelligentia prior est. Intellectio divina *scientia* a theologis nuncupatur, quia hoc nomine perfectissima humana cognitio significatur.

Quaestiones de scientia Dei tribus articulis attingimus: 1.^o de perfectione subiectiva scientiae Dei; 2.^o de eius obiecto; 3.^o de medio, ut aiunt, seu de modo scientiae divinae.

Thesis II. Deus est intellectio subsistens infinitae perfectionis.

S.TH., q.14 a.1.4.5; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.1; *Metaphys.* d.30 s.15; SCHEEBEN, 990; FRANZELIN, th.36-37; MUNCUNILL, n.260-275.293-307; PESCH, prop.26.28.

Nexus. Cognitio in universum est vitalis quaedam assimilatio obiecti alicuius; qui cognoscit enim aliquid cognoscit; ideo ex obiecto cognito et ex modo cognoscendi eius perfectio investigari debet. Tamen de cognitione divina quaedam iam in antecessum statuere possumus, et quidem maximi momenti, relate ad eius perfectionem, quae ex dictis de attributis divinis sponte fluunt, et viam parant ad eius obiectivam perfectionem attingendam; sunt autem quae in thesi asserimus.

142. **Notiones.** Deus scit, intelligit; sed eius intelligere non potest ei advenire ad modum accidentis, ob simplicitatem divinam, sed debet esse ipsa substantia Dei; ideo dicitur «DEUS EST INTELLECTIO SUBSISTENS» ⁶ potius quam *Deus habet scientiam*, etsi hic modus loquendi communiter adhibetur. Sequitur inde scientiam Dei non esse quid productum, neque dari in Deo *facultatem*, seu intellectum in actu primo, qui eliciat actum secundum intelligendi. Nihil tamen obstat quominus ratione nostra distinguamus in Deo intellectum veluti *rationem sufficientem subiectivam* intellectionis divinae, praesertim cum multa sint quae Deus intellegit uno simplicissimo actu.

PERFECTIO INFINITA intellectionis divinae considerari debet: a) ex parte *entitatis* intellectionis; b) ex parte *naturae cognitionis* ut talis; c) ex parte *proprietas* quae illi ut tali conveniunt, quae *logicae* vocantur.

⁶ Ita PESCH, prop.26. Cf. SUÁREZ, *De Trinitate* 1.1 c.6 n.9.14.

a) Cum entitas intellectionis divinae sit ipsa substantia divina, habet omnes perfectiones divinitatis, infinitatem, simplicitatem, immutabilitatem physicam, aeternitatem.

b) Scientia divina non est habitus, sed *actus*; non est mera simplex apprehensio, nec ratiocinium, quae imperfectionem dicunt, sed *iudicium seu affirmatio*, quod tamen non fit per compositionem et divisionem, sed per simplicissimam intuitionem *tendentiae formaliter assertivae*⁷; tandem cognitio divina non abstrahit aut distinguit quae in re unum sunt, neque universales conceptus efformat, sed est plena *intuitio et comprehensio* totius realitatis.

Potest tamen admitti in Deo scientia veluti *obiective* abstractiva, nempe scientia de obiecto mere abstracto, in illo signo rationis considerata⁸.

c) Proprietates logicae scientiae sunt *veritas, claritas, distinctio et certitudo absoluta*, seu plena, perspicua, distincta et firma conformatio cum obiecto, radicaliter exclusis falsitate, confusione, ignorantia, dubio, opinione ac probabilitate; tandem *invariabilitas logica*, etiamsi variatio pure logica consistere posset cum immutabilitate physica; Deus sc. non incipit aut desinit aliquid cognoscere, nec mutantur proprietates logicae intellectionis.

143. Sententiae. Inter catholicos nemo est qui doctrinam thesis non teneat, aut propositam explicationem in dubium vertat. Imo fuerunt qui ne ratione quidem nostra admitterent in Deo intellectum velut radicem intellectionis divinae⁹; id tamen communius dicitur, nam adest in re fundamentum. Unus AUREOLUS formalem ac distinctam rerum creaturarum cognitionem Deo denegavit.

AVERROES dixit creaturas non nisi abstracte et obscure a Deo cognosci. *Pantheistae evolutionistae* tradunt evolutione sui, unici entis, fieri Deum in dies sui et aliarum rerum conscium.

Doctrina Ecclesiae. Praeter *praedicationem universalem*, expresse intellectio infinite perfecta definita est in Vaticano (D 1782).

Valor dogmaticus et theologicus. Deum habere intelligentiam eamque infinite perfectam est *de fide divina, catholica, definita*. Intellectionem divinam esse subsistentem et perfectam, modo declarato, est saltem *theologicè certum*.

⁷ MUNCUNILL, 300. Id maxime notandum censemus, quo plures difficultates de scientia Dei evanescere videntur.

⁸ S.TH., *De ver.* q.2 a.9 ad 2; MOLINA, *In I p.* q.14 a.9; SUÁREZ, *o.c.*, s.15 n.39-40; RUIZ DE MONTÓYA, d.17 s.4 et 5; FRANZELIN, 395; URRÁBURU, *o.c.*, 15.

⁹ MUNCUNILL, 265; URRÁBURU, 2,10-12, ubi reperies auctores qui diverso modo loquuntur.

144. Probatur ex sacra Scriptura¹⁰. a) Deum esse *intelligentem* in singulis paginis Scripturae et verbis et factis dicitur; ac in thesibus sequentibus exponitur doctrina libro-rum sacrorum circa scientiam Dei de singulis rebus.

b) *Infinita perfectio* scientiae Dei diversis modis exprimitur. 1 Reg (Sam) 2,3: *Deus scientiarum Dominus est*, sc. Iahve est Deus qui habet profundam scientiam. Ideo de Deo saepe dicitur *sapientia*, et multis extollitur sapientia Dei, quae consideratur ut summus gradus intelligentiae et scientiae. Iob 12, 13: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam*, quod ipsa animalia proclamant (v.7). Ps 135,4: *qui fecit caelos cum sapientia*; in hebraico vox *tebunah* indicat sapientiam quae omnia penetrat et ad suum finem dirigit, ac in libris sapientialibus, qui toti sunt in laudibus sapientiae quae Deus est Prov 8,14-16 vel a Deo est, haec vox habetur ut synonyma *hokemah*.

c) Ad commendationem sapientiae et scientiae Dei pertinet quod Ps 146,4s: *definit numerum stellarum* (quod nemo potest Gen 15,5) et *singulas nomine vocat*; iam imponere rebus nomen adaequatum semitis signum est magnae scientiae; ideo *sapientiae eius non est numerus*.

d) Infinita perfectio scientiae divinae docetur magna ponderatione in scientia quam Deus *de homine* habet (quod valet de omnibus aliis rebus a fortiori). Ps 138,1-6: *Domine scrutaris me et novisti, cum sedeo et cum surgo, cum ambulo et cum recumbo, omnes vias meas*, sc. omnes omnino actiones meas, *intelligis, cogitationes meas*, et quidem *e longinquo*, antequam fiant, et *cum verbum nondum est super linguam meam, ecce iam nosti totum*; ideo *a tergo et a fronte complecteris me et ponis super me manum tuam*, et a te effugere nequeo. *Nimis mirabilis est mihi scientia haec, sublimis, non capio eam*.

e) S.PAULUS Rom 11,33-34 miratus consilia divina circa electionem et reprobationem iudaeorum ait: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei* (O abyssus misericordiae...) *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius etc.*

f) Ideo Deus est *veritas* Io 14,6; *lux et in eo tenebrae non sunt ullae* 1 Io 1,5.

145. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES perfectionem infinitam divinae intellectionis multis modis efferunt, ut

¹⁰ A.BEA, *De Pentateucho* (Romae 1933) 139; CALÈS, *Le Livre des Psaumes* 2,529,547,620; P.DHORME, *Le Livre de Iob* (Paris 1926) 158; P.SZCZYGIEL, *Das Buch Iob* (1931) 84; B.DUHM, *Die Psalmen* (1922) 456; S.PEETERS, *Das Buch der Psalmen* (1930) 341; E.PANNIER, *Les Psaumes* (Paris 1937) 538,563.

in sequentibus videbimus. Ita CLEMENS ALEXANDRINUS: Deus «simul omnia ac singillatim etiam unumquodque aspicit uno intuitu» (R 429). S.AUGUSTINUS: «Quae autem scientia Dei est ipsa et sapientia, et quae sapientia ipsa essentia sive substantia; quia in illa naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere aliud esse, sed quod est sapere hoc est esse» (R 1676). «Non possumus dicere Deum ignorata fecisse, et non nisi ea facta didicisse» (R 1803).

Ratione. 1. Deus est intelligens perfectissimum. Nam quo ens immaterialius est, eo perfectius intellegit. Atqui Deus est in summo gradu immaterialitatis (q.14 a.1). Intellectio praeterea est perfectio pura. Ergo Deo infinito deesse non potest.

2. «Necesse est dicere quod intelligere Dei est eius substantia... Nam intelligere est perfectio et actus intelligentis» (a.4). Atqui Deo simplicissimo et essentialiter infinito nequit advenire ulla perfectio.

3. Scientia Dei perfectissima esse debet, cum quidquid de Deo dicitur infinite perfectum est. Ergo excludi debent a scientia divina omnes imperfectiones; debet igitur habere in summo gradu perfectiones omnes scientiae, tam entitativas quam logicas.

146. Obiectiones. 1. Deus exhibetur in S.Scriptura veniens ut videat et sciat quid faciant homines Gen 11,5; 18,21 etc. Ergo non habet ex se perfectissimam et invariabilem scientiam.

Haec et similia pertinent ad anthropomorphicum loquendi modum, ut iam dictum est.

2. Cognitio est assimilatio obiecti. Atqui repugnat substantiam Dei assimilari alicui. Ergo cognitio divina non potest esse ipsa eius substantia.

Dist. mai. Cognitio necessario est assimilatio quodammodo physica obiecti, nempe entitas tota quanta producta ad assimilandum cognoscendum obiecto cognito, *nego mai.*; assimilatio mere intentionalis, *conc. mai. Contradist. min. Nego cons. Assimilatio intentionalis*, quae vocatur, si mere talis est, ut in divina scientia de obiecto creato, et nihil habet admixtum productae similitudinis physicae, nihil imperfectionis continet. Cognitio vero divina de se ipso habet similitudinem metaphysicam identitatis cum obiecto.

N.B. Ex dictis scientiam divinam esse ipsum absolutum esse Dei, sequitur eam non esse in sua essentia entitatem tantum ad hoc destinatum ut obiectum referat; ideo non dicit relationem realem transcendentalem ad illud, ut dicit cognitio creata. Cum autem nos concipere non possimus intellectionem nisi per relationem ad obiectum, ideo dici solet divinam scientiam addere supra essentiam divinam relationem rationis aut secundum dici.

3. Obiecta scientiae Dei variabilia sunt. Atqui scientia vera conformari debet obiecto. Ergo scientia Dei debet variabilis esse, saltem logice.

Conc. mai. Dist. min. Scientia vera debet repraesentare omnes variationes obiecti, *conc. min.*; debet ipsa variari, ita ut nequeat simul ab aeterno omnes variationes referre, *nego min.* In hac obiectione attingitur sophisma,

quo nuper fundatur relativitas, quae dicitur, seu potius variabilitas veritatis; quasi ex eo quod res variantur, iam veritas universaliter immutabilis esse non posset. Verum licet res sit contingens et variabilis, affirmabilitas eius ut contingens et variabilis, aut simpliciter affirmabilitas alicuius facti contingens in tempore, necessaria est et invariabilis ¹¹.

Corollarium. DEUS EST IPSA VERITAS IN ORDINE VERITATIS LOGICAE. LOCUTIO DEUS EST IPSA VERITAS non tantum significat rationem veritatis ontologicae, sed etiam veritatem in ordine logico et morali (de hac non agimus nunc). Est *ipsa veritas logica*; nam eo quod scientia divina est infinita, simplicissima, comprehensiva omnis veritatis, plenissime vera et certa, sine ullo possibili errore et ignorantia, scientia Dei est *plenitudo veritatis*. Iure igitur vocatur ipsa veritas. Imo omnis veritas logica in creatis est ab ipsa veritate divina, non solum ut a causa efficiente, quia veritas divina identificatur cum essentia divina, sed etiam ut a causa exemplari, ita ut omnis veritas intellectus creati sit imitatio quaedam deficientissima divinae veritatis. Ideo omnis veritas logica dici potest pendere a veritate divina ¹².

ARTICULUS II

DE OBIECTO DIVINAE SCIENTIAE

Thesis 12. Deus est omnisciens; singillatim Deus cognoscit se ipsum, possibile omnia et in universum res omnes de facto existentes in aliqua temporis differentia.

S.TH., q.14 a.2.3.5.6.9.11; SUÁREZ, *De Deo* l.2 c.1-3; *Metaphys.* d.30 s.15; FRANZELIN, th.37.41; MUNCUNILL, 277-292.

147. Nexus. Declarata perfectione subiectiva scientiae Dei, de obiectis quae attingit agere opus est; his namque perfectio obiectiva scientiae dignoscitur, quasi extensive, ex multitudine terminorum ad quos se extendit. Infinitudinem scientiae divinae ex hac parte significamus primo asserto generali: DEUS EST OMNISCIENTS, scit nempe omnia quae sciri possunt. Deinde *obiecta* cognita a Deo in quasdam *differentias* distribuimus, ut illa omnia asseramus a divina scientia attingi, iis perfectionis logicae notis ornata, quas supra descripsimus. Species autem obiectorum sunt: *Deus ipse*; *possibilia*; *creata omnia*, quae futura dici possunt respectu divinae aeternitatis, in quibus

¹¹ Cf. *Relatividad del conocimiento*: Enciclopedia Espasa 50,460-461.

¹² POHLE, 230-238.

peculiari modo agendum est de *futuris liberis*; tandem *continentia conditionate futura*. Duo postrema genera ad sequentes theses reicimus.

Notiones. POSSIBILE dicitur quod potest esse seu existere, licet de facto non sit. *Pure possibile* est quod nunquam de facto existet; *possibile non pure tale* quod nunc non est, sed aliquando erit. Cum praeter Deum nihil aeternum sit, omnia creata possunt dici fuisse possibilis antequam producerentur. Omnia a Deo cognosci asserimus, tam pure possibilis, quam non pure talia, et quidem in eodem signo rationis, sc. Deum cognoscere res omnes *ut possibilis*, in signo priori ad earum futuritionem; quae cognitio habet in Deo tendentiam formaliter *iudicativam*, Deus nempe *iudicat veras esse propositiones* quas nos efformamus de possibilibus. Cognitionem de possibilibus *formaliter* haberi in Deo intelligimus, non tantum emittenter.

DE SIGNIS RATIONIS. Cum hic et alias in Theologia frequenter de signis rationis sermo sit, iuvat hanc notionem breviter exponere. *Signa rationis* dicuntur diversi *status ideales* eiusdem rei, sive re (positive aut negative), sive ratione ratiocinata *distincti*, quorum alter alterum logice *praecedat*; res enim quae nunc est, erat futura antequam esset, et possibilis antequam esset futura. In divinis ordo signorum datur, supposita necessaria distinctione rationis, inter *intellectum et voluntatem*, et in ipsa intellectione et volitione, *quatenus diversa obiecta attingunt*, inter quae, cum fundamento in re, ordinem statuere debemus; distinctio enim sine ordine confusio esset. Ita cum nihil sit creatum sine voluntate Dei rationabili, debemus ratione nostra concipere priorem scientiam Dei de re ut possibilis, secundo voluntatem creandi illam, tandem scientiam de re existente. Certe ordo signorum, sicut ipsa praedicatorum distinctio formalis, opus est nostri intellectus (ideo vocantur *signa rationis*), qui aliter nequit de simplicissima entitate cogitare; nec Deo formaliter tribuitur; adest tamen fundamentum in Deo ad illum statuendum¹.

148. Adversarii. Catholici omnes, ut patet, thesim tenent. Sunt tamen qui *explicite* statuunt Deum cognoscere *pure possibilis*, nec tam solliciti videantur de cognitione omnium, etiam non pure possibilium, ut formaliter Deo asserta.

¹ Cf. SUÁREZ, *De Incarnatione* d.5 s.1 n.1sq., *Opusc.* 2.12 c.8 n.9; HELLÍN, 829. Immerito igitur communem doctrinam scholasticorum de signis rationis impugnavit M. DE LA TAILLE, *Sur diverses classifications de la science de Dieu*: *RechScRel* 13 (1923) 7-23. Quae autem theoria de scientia operaria ('science ouvrière') iis substituere nititur reicienda sunt; v. n.180.

An ARISTOTELES erraverit circa cognitionem divinam de rebus a se diversis non liquet². AVERROES certe distinctam earum notitiam Deo denegat, ait enim tantum sub ratione entis in communi a Deo attingi. Quid simile protulit AUREOLUS³.

Doctrina Ecclesiae. Thesis est doctrina in *praedicatione Ecclesiae* manifeste tradita, et implicite continetur in definitione VATICANI *Deum intellectione infinite perfectum esse* et in se beatissimum, et *omnia nuda et aperta esse oculis eius* (D 1782 1784).

Valor dogmaticus. De *fide divina et catholica*, si praescindimus a quaestione an scientia non pure possibilium formaliter in Deo poni debeat, quod tamen omnino affirmandum videtur.

149. Probatur ex sacra Scriptura. «Fides Dei omniscientis pervadit totum V.T.»⁴, nec minus N.T., ut patet. a) *Omniscientia* in universum, tam positive *Deus omnia scit*, quam negative *nihil absconditur ab eo*, saepissime effertur. Iob 28,24-27; Ps 138,5; Eccli 23,27-29; 42,19; Sap 9,11; 1 Io 3,20; uno verbo *Deus habet omnium scientiam. Nihil absconditur a Deo*: Iob 21,6; Prov 15,11; Eccli 39,24; Dan 2,22; 13,42; Hebr 4,13.

b) In specie *Deus cognoscit se ipsum* Ex 3,14 etc. dum loquitur de se et nomen sibi proprium dat. Imo sicut *quae sunt in homine nemo novit nisi spiritus hominis*, ita *Spiritus scrutatur etiam profunda Dei*: 1 Cor 2,9-11⁵; ac Mt 11,27 (Lc 10,22): *nemo novit* (ἐπιγινώσκει, cognoscit directe, immediate, plene) *Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater*; quae duae locutiones non separatae intelligendae sunt, ut patet⁶. *Deus est ergo sui conscius*⁷.

c) *Possibilium scientia*, etiam non pure talium, adest in Deo, *qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae*: Eph 1,11, et omnium providentiam habet, eique *omnia possibilis sunt*: Mt 19,26; Lc 1,37; 1 Reg (Sam) 2,1; *qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt*: Rom 4,17; cuique *antequam crearentur omnia sunt agnita*: Eccli 23,29⁸.

² V. DE SAN, 1478.

³ Impugnatus a CAPREOLO, In 1 dist.25 q.2.

⁴ HEINISCH, o.c., 87.

⁵ CEUPPENS, 146.

⁶ LEBRETON, *Histoire du dogme de la Trinité* 1,591-598; L. DE GRANDMAISON, *Jésus Christ* (Paris 1928) 60-62; PRAT, *Jésus-Christ* (Paris 1933) 2,17-18; G. BUZY, *Evangile de S. Matthieu* (Paris 1935) 148.

⁷ OTTEN, *Apologie des gottlichen Bewusstseins* (Paderborn 1897).

⁸ Hic locus non ad meram scientiam visionis aeternam referendus videtur; cf. infra n.158s.

d) Deus cognoscit omnes res mundi, etiam minutissimas: fines mundi, omnia quae sub caelo sunt: Iob 28,24; omnia terrena: 2 Par 16,9; Zach 4,10 etc.; omnes stellas: Ps 146,4 etc.; omnia volatilia caeli: Ps 49,10-11; Mt 6,26; omnes capillos capitis: Mt 10,29.

e) De caelo respicit Deus omnes filios hominum: Ps 32, 14; Ps 10,5; Ps 65,7; Ps 93,7ss; Os 5,3; bonos et malos: Ps 33, 16 (1 Petr 3,12); Prov 15,3; Sap 1,8; Ps 33,17; Ps 68,6; Eccli 17, 17; omnes vias et opera hominum: Iob 14,16; Eccli 15,20 passim; peccata: Gen 6,5 etc., eaque propterea punit⁹ ideoque in iudicio reddet unicuique secundum opera sua: Iob 34,11; Ier 17, 10; Mt 16,27; Rom 2,6 etc.

f) Deus cognoscit tenebras et quae non sunt: Ps 138,12; Rom 4,17.

g) Scientia Dei omnia tempora complectitur, est aeterna: Eccli 17,13.16; 39,25; 42,19; Ps 138,5; Dan 13,42; Act 15,8¹⁰.

150. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES iam ab initio, praesertim agendo de providentia et ut motivum bene agendi et vitandi peccatum, apertissime docent omniscientiam Dei. In omnibus fere paucis scriptis PP.APOSTOLICORUM omniscientia Dei praedicatur: quater aut quinque in CLEMENTE ROMANO qui Deum vocat παντεπότητην 55,6¹¹; ter in S.IGNATIO; item in POLYCARPO, 2 Clementis, et in Pastore Hermae 12. Eam saepe efferunt PP.APOLOGISTAE, ut S.IUSTINUS¹³, ATHE-NAGORAS¹⁴, THEOPHILUS (R 177).

Ex sequentibus Patribus in re perspicua quaedam dicta sufficiunt. S.IRENAEUS: «Nihil omnino horum quae facta sunt et quae fiunt et quae fient scientiam Dei fugit» (R 202). MINUTIUS FELIX: Deus «soli sibi tantus quantus est notus» (R 270); idem S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS (R 821); cf. dicta de incomprehensibilitate. S.HIPPOLYTUS: «Deus... utpote gnarus futurorum, est enim ei praescientia...» (R 397). CLEMENS ALEXANDRINUS: «Omnia ac unumquodque etiam singillatim aspicit uno intuitu» (R 429). ORIGENES: «Aggrediens Deus initium facturae mundi... percurrit mente unumquodque futurorum» (R 471). S.AUGUSTINUS: «In Dei sapientia omnium faciendarum rerum rationes sunt... Noverat ergo Deus omnia quae facit antequam faceret. Non enim possumus eum dicere ignorata fecisse et ea non nisi facta didicisse» (R 1803). Formaliter id continent quae de divina providentia traduntur¹⁵.

⁹ CEUPPENS, 156.

¹⁰ I.RABENECK, De Deo uno et trino fol.lithogr. 91-99.101-102.

¹¹ Epist. ad Corinthios 64,1; FUNK, Patres apostolici, 1,183; v. ind. op.

¹² FUNK, o.c., ind.

¹³ Dial. cum Tryphone 127,2; MG 6,770; cf. th.s. ¹⁴ Cf. th.s. ¹⁵ V. th.19.

151. Probatur ratione. A. In universum omniscientia Dei et quidem distincta et comprehensiva sequitur ex eius infinitate. Non enim est infinita scientia quae non attingit quidquid cognoscibile et quantum cognoscibile est.

B. In specie. Deus cognoscit seipsum. Ens enim maxime intelligens nequit non cognoscere ens maxime intelligibile: q.14 a.2 et 3.

Deus distincte cognoscit alia a se, praesertim quae existentiam sortiuntur in qualibet durationis differentia. Quidquid est, cognoscibile est, et quidem distincte prout est. Ergo a Deo infinito cognoscitur. Praeterea Deus est causa omnium quae extra se sunt. Atqui Deus non caece operatur ad extra. Ergo ea distincte cognoscit: a.5.6.11.

Deus possibilium cognoscit. Possibilia, etsi non sunt actu, sunt tamen potentia: a.9. Ergo ut talia cognoscibilia sunt. Ergo Deus ea cognoscit. Imo etiam eorum quae nullo modo sunt, ut impossibilia, ut etiam malorum et defectuum, Deus scientiam habet. Nam ea cognosci non est nisi iudicari ea esse nihil aut malum, aut defectus, quod ex hoc solo quod revera non sunt, aut sunt defectus, affirmari potest. Possibile tandem non pure talium scientia in Deo poni debet. Nam eorum scientia dirigit voluntatem divinam ea creandi; secus caece eorum existentiam decerneret. Cf. Quodl.11 a.3.

152. Scholion. AN DEUS COGNOSCAT INFINITA. Cum numerus possibilium indefinitus sit, et omnium singillatim Deus actu scientiam habeat, dicendum est Deum actu cognoscere infinita. Ita S.AUGUSTINUS¹⁶, et S.THOMAS, a.12. Inde tamen nihil sequi videtur, quo ad multitudinem actu infinitam possibilem argui possit. Nam Deum cognoscere actu infinitaabilia non est aliud quam Deum iudicare singulaabilia singillatim sumpta possibilium esse; unde tamen non sequitur eum iudicare eorum omnium collectionem actu totam poni posse, sive simul, sive successive. Id nempe Deus iudicabit, si possibile est; secus non iudicabit¹⁷.

Obiectiones. 1. In Scriptura dicitur Deus nescire malos (Hab 1,13; Mt 7,23; 25,12).

Dist. assert. Dicitur Deus malos nescire scientia approbationis, sc. probando malos, conc.; prorsus eos nescire, nego ex ipsis locis.

2. S.HIERONYMUS negare videtur Deum cognoscere quaedam minuta: «Absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat per momenta singula quot culices nascantur, quotve moriantur» (R 1377).

Is modus loquendi S.Doctoris nihil aliud exprimere vult, quam Deum non habere de iis providentiam singularem quam de homine habet. Ceterum alias ipse clare assertit «nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei»¹⁸.

¹⁶ De civ. Dei 1.12 c.18; ML 41,367,368.

¹⁷ Ergo ex scientia Dei solvi nequit discussa admodum possibilitas multitudinis actu infinitae. Cf. si placet LOSSADA, Curs. Philos. Physica tr.3 d.3 c.3 (ed.Barcinone 1883, t.6 p.260-266); FRANZELIN, 406-412; PESCH, 199-201; HELLIN, 744-754; POHLE, o.c., 287.

¹⁸ Comment. in Ieremiam 32,26; ML 24,895.

3. Scientia de possibilibus abstracta est, namabilia non sunt actu. Atqui Deus abstractiones non efficit, nec fingit. Ergo scientia possibilium formaliter Deo tribui nequit.

Dist. mai. Scientia terminata formaliter adabilia abstracta est abstractione obiectiva, sc. obiectum huius scientiae in suo signo est quid abstractum, *conc. mai.*; scientia de possibilibus necessario haberi debet per cognitionem subjective abstractivam, *nego mai.* *Contradist. min.* Cognitione subjective abstractiva non exhauriens totam cognoscibilitatem obiecti non datur in Deo, *conc. min.*; obiective abstractiva, in signo possibilium in quo non datur existentia, formaliter tribui Deo nequit, *nego min.* et *nego* hanc esse fictionem.

Inst. Sufficit Deo tribuere eminenter scientiam de possibilibus, saltem non mere talibus; sc. hanc esse perfectionem intuitionis divinae de re existente, ut eminenter aequivaleat cognitioni nostrae de possibilibus.

Nego inst., nam perfectio voluntatis divinae exigit ut cognitio rei ut possibilis intelligatur formaliter in Deo ordine rationis praevia ad formalem voluntatem.

Thesis 13. Deus cognoscit ab aeterno omnia futura libera.

S.TH., q.14 a.13; SUÁREZ, *Opusc.2* l.I c.1.9; RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* d.21; FRANZELIN, th.44; MUNCUNILL, 340-344.378-382.

153. **Nexus.** Peculiaris quaestio ponitur de cognitione divina actuum quos creatura libera in tempore exercet, etsi revera inclusi sunt in asserta thesi de scientia rerum omnium aliquando existentium, ob propriam rei difficultatem et adversarios quos haec doctrina catholica invenit.

Notiones. FUTURA LIBERA, sive CONTINGENTIA ABSOLUTE FUTURA, dicuntur *actus liberi a creatura rationali in aliqua temporis differentia elicit.* Dicuntur vera futura ratione aeternitatis divinae cognitionis, quae duratione praecedit omnem creatam existentiam. Ideo haec scientia vocatur *praescientia*¹. Non tamen inde sequitur Deum ea cognoscere *ut futura*, ut dicit S. THOMAS h.l., eo modo quo nos illa attingere possumus, sc. *abstractive*; imo, praecise ratione aeternitatis, potius ea immutabiliter noscit *intuitive*, ut *praesentia* suae aeternitati, quae totum tempus ambit.

Contingentia vocantur peculiari ratione ob libertatem, in oppositione ad futura quae in suis causis necessario continentur, quae ideo dicuntur futura *necessaria*. Tandem dicuntur *absolute* futura, in quantum revera erunt in tempore, in oppositione ad *conditionate* futura, de quibus in th.s.

Factum tantum huius scientiae asserimus; *modum* autem eius in articulo 3 investigabimus.

¹ Hoc nomen praescientiae valet etiam, ut patet, de aeterna cognitione futuri necessarii; ad peculiari modo dicitur de futuro libero, propter indifferentiam causae.

Adversarii. Plures fuerunt inter ethnicos qui, ut tuerentur libertatem creaturae, quam cum divina praescientia componere nesciebant, hanc negarunt, atque ita, ut dicit S. Augustinus de CICERONE: «Cum vult facere liberos fecit sacrilegos»². Referuntur quoque quidam haeretici, inter quos sociniani, et protestantes moderni plures, qui in Deo fallibilem hanc scientiam posuerunt. E contra alii, ut MARCION³, CELSUS, WICLEFF, eadem ratione libertatem negarunt, utpote determinatam per divinam praescientiam.

Doctrina Ecclesiae. Universalis Ecclesiae praedicatio hanc doctrinam tradit. *Concilium Valentinum* expresse eam docet, ac scientiam Dei libertati non nocere (D 321). SIXTUS IV damnavit errores Petri de Rivo de futurorum contingentium veritate (D 719 723). *Vaticanum*: «omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt» (D 1784).

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita*^{3*}.

154. **Probatur ex sacra Scriptura**⁴. Duo praesertim elementa continet probatio thesis ex S. Scriptura: a) Deus cognoscit omnes *actus* internos ac *liberos* creaturae, vel cum ipsis connexos; qui cum in tempore dentur, non in tempore, sed ab aeterno a Deo cognoscuntur; sunt ergo omnes *futuri*. b) Deus est *praescius futurorum*; quod speciali modo intelligitur de futuris liberis, sive sint ipsi actus interni voluntatis, sive effectus externi ex illis prodeuntes. Praescientia certe non ad illos limitatur; datur enim etiam praescientia aeterna de futuris necessariis; verum posita existentia creaturae liberae, haec intervenit sine dubio in ordine mundano, saltem intra quosdam limites; ideo praescientia generalis Dei includit necessario cognitionem futurorum liberorum. Utrumque saepissime docent Sacrae Litterae⁵.

a) Deus dicitur *scrutator cordium*: Sap 1,6; Rom 8,27; Apoc 2,23; *kardiognosthes* (qui novit corda): Act 1,24; 15,8. *Universas cogitationes hominum novit*: Deut 31,21; 1 Par 28,9; Ps 93,11 (1 Cor 3,20); Ps 138,3; Is 66,18; Ez 11,5; Mt 9,4; 12,25; Lc 5,22; 6,8; 9,47; 11,17. *Scit, novit, videt, intuetur corda, corda et renes* (quibus significantur in universum intima hominis): 1 Reg (Sam) 16,7; 3 Reg 8,38; Ier 20,12; Eccli 23,28;

² *De civit. Dei* l.5 c.9; ML 41,150. Refertur CICERONIS l.2 *De divinatione, De fato* c.1055.

³ TERTULLIANUS, *Contra Marcionem* 2,5; ML 2,270.

^{3*} Ex Actis Concilii Vaticani (CL 7 105) satis constare videtur intentio definiendi hanc veritatem; cf. GRANDERATH, *Constitutiones...* 76-77.

⁴ HEINISCH, o.c., 88; RABENECK, o.c., 100.112.

⁵ Probandae ergo non sunt exceptiones quas contra quosdam textus opponit CEUPPENS, o.c., 160s.

innumeris locis; *abscondita cordis*: Ps 43,22; et quidem *ipse solus*: 3 Reg 8,39; 2 Par 6,30. Deus *investigat, probat, scrutatur corda, inspector est cordis*: 1 Par 28,9; Ps 7,10; Ier 17,10; Eccli 42,18; Iob 23,10; Ps 16,3; Lc 16,15; 1 Thess 2,4 etc. Ideo Deus *consiliario non eget*: Is 40,13-14; Rom 11,34.

b) Deus *praescit futura*. *Praedicit enim multa et opere complentur*: Ex 3,19-22; 12,31ss; 14,1-4; Sap 19,1-3; Deut 31,21; 4 Reg 19,27 etc. Is 41,22s; 46,9ss falsos deos compellat Deus *ut ventura praedicent, si veri dii agnoscendi sunt*. Multa quoque in Evangelio. In hac praescientia fundatur *prophetia*: Am 3,7; Is 42,9; ideo, ut dicit Tertullianus, praescientia Dei tantos habet testes, quot fecit prophetas. Et S.Paulus: 1 Cor 14,24s, commendat charisma prophetiae ut signum Dei in nobis habitantis, quia *occulta cordis manifesta fiunt: Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus; occulta cordis eius manifesta fiunt; et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit*.

c) Haec omniscientia Dei *a solo malo et stulto negatur*: Ps 10,11; 72,11; 93,7.

155. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES praescientiam Dei perspicue tradunt, quin inde libertas detrimentum capiat. En aliqua eorum dicta. S.IUSTINUS: «Dei opus est, res antequam fiant praedicere, easque, ut praedictae fuerunt, ita facta exhibere» (R 116). ATHENAGORAS (R 162). CLEMENS ALEXANDRINUS: «Deus enim novit omnia... et singulares motus praevidens, intuetur omnia, et audit, et nudam animam aspiciens intrinsecus, uniuscuiusque ex singularibus etiam habet aeternam intelligentiam» (R 429). S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Non igitur praedictio eius scandala adducit, absit; sed ideo praedicit, quia eventura erant» (R 1175). S.HIERONYMUS acerime invehitur in MARCIONEM «et omnes haereticorum canes, qui vetus laniant testamentum» ob obiurgationes contra praescientiam, et tandem concludit: «Neque enim ideo peccavit Adam, quia hoc Deus futurum noverat; sed praescivit Deus, quasi Deus, quod ille erat propria voluntate factururus» (R 1405). S.AUGUSTINUS: «Et confiteri esse Deum et negare praescium futurorum, apertissima insania est... Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus» (R 1740; etiam R 1707 1742 1928). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2062), THEODORETUS (R 2152), S.FULGENTIUS (R 2258), S.IOANNES DAMASCENUS (R 2357) ^{5*}.

^{5*} Q.VAN GERVEN, *Liberté humaine et prescience divine d'après Saint Augustin*: RevPhil Lov 55 (1957) 317-330.

156. Probatur ratione. A. Intellectus infinitus nequit non cognoscere actiones liberae creaturae, quae utique cognoscibiles sunt; et intellectus *aeternus* nequit non ab aeterno eas videre. Nam Deus cognoscit futura «prout unumquodque actu est in se ipso». Atqui aeternitas immutabiliter ambit omne tempus. Ergo Deus videt ea «prout sunt in sua praesentialitate», ut dicit S.THOMAS h.l. «Sicut... ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam» (ad 3).

B. *Praescientia Dei stat cum libertate*, quia scientia ut talis nullam imponit necessitatem *antecedentem* suo obiecto. «Ea quae sunt scita a Deo oportet esse necessaria, secundum modum quo subsunt divinae scientiae» (ad 3). Atqui Deus videt ea prout sunt actu in se ipsis. Ergo praescientia divina non aliam imponit necessitatem, quam mere consequentem positionem actus.

Ceterum modus quo Deus haec noscit sine praeiudicio libertatis uberius in sequenti articulo declaratur.

Obiectiones ex capite libertatis praeoccupatae manent supra dictis. Huc tandem omnes reducuntur: Scientia Dei infallibilis infert necessitatem sui obiecti. Ergo cum homo ponit actum, necessario ponit, sive non potest illum non ponere, quod est contra libertatem.

Dist. antec. Scientia Dei infert necessitatem logicam, sive consequentiae, sui obiecti, et quidem mere consequentem, non aliam sc. quam infert ipsa positio actus, cum qua nequit stare non positio illius, *conc. antec.*; necessitatem antecedentem, quae determinet potentiam ad unum, *nego antec. Dist. cons. eodem modo.* Homo dum ponit actum non potest illum non ponere, impotentia antecedente ad oppositum, orta ex comprincipio illum determinante, *nego cons.*; necessitate consequente ipsam positionem actus, et necessitate logica seu infallibilitatis scientiae divinae, *conc. cons.*

Thesis 14. Deus certo ac distincte cognoscit omnia contingentia conditionate futura.

S.TH., *Quodl. 11 a.3*; SUÁREZ, *De gratia, prolegom.* 2, opus. I l.2 c.1-6; RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* d.61ss; FRANZELIN, th.45; DE SAN, n.183-190; MUNCUNILL, 383-388.393-396; PESCH, prop.32.

157. Nexus. Singularis *natura actus liberi* postulat singularem quoque quaestionem de scientia Dei, quae a pluribus saeculis iam distinctius tractatur, circa actiones liberae *conditionate futuras*, quae sine dubio inter possibilea recensendae sunt; tamen quid proprium habent; nam posita conditione, *duplex oppositum possibile est, sed conditionate futurum non est nisi unum*. Ideo videndum est an et quo pacto scientia Dei illas attingat. Haec autem quaestio, et difficilior videtur, et aliunde magnum momentum habet ad plures theologicas difficultates enodandas de providentia et praedestinatione. Ac-

curate autem distinguere oportet inter assertam scientiam divinam de contingentibus conditionate futuris, et *modum* hanc scientiam explicandi. In hac thesi priori tantum quaestioni respondemus.

Notiones. CONTINGENTIA CONDITIONATE FUTURA, sive *futuribilia*, dicuntur *actiones quae ab agente libero de facto ponentur, si in certis quibusdam conditionibus statueretur*. Dicuntur peculiari modo *contingentia*, utpote libera; *futura* in quantum sunt quid determinatum, sicut absolute futura; *conditionate futura* ut quid medium inter mere possibile et absolute futurum; in hypothesi v.gr. gratiae collatae Petro in his determinatis adiunctis, tam dissensus, quam consensus, disiunctive possibilis est, et tamen non utrumque accideret, sed *unum tantum*, et quidem unum *determinatum*; hoc autem non erit futurum *absolutum*, nisi purificata conditione.

Propositiones conditionales, quibus nos exprimimus futura conditionata, non sunt conditionales strictae seu *illativae*, ob libertatem agentis. Quare conditionatum non est cognoscibile, saltem certitudine metaphysica et absolute infallibili, in *conditione*, licet conditio exprimat aliquid conducens ad unum ex extremis possibilibus. Ideo vocari possunt propositiones conditionales *indicativae* seu *assertivae*, in quantum tantum indicant seu asserunt de facto fore ut posita conditione conditionatum sequeretur¹.

Distinguuntur futuribilia, ut *possibilia*, in *pure conditionate futura*, quae nunquam existentiam sortientur, quia conditio de facto non ponetur, et non pure seu *praecisive conditionate futura*; nam etiam futura absoluta, in signo priori ad futuritionem absolutam conditionis fuerunt conditionate futura.

Sententiae. Initio controversiae de auxiliis fuerunt quidam inter thomistas, ut LEDESMA, CABRERA, alii², qui coniecturalem tantum, non certam, scientiam Deo concederent de his conditionate futuris, quippe quae non aliter cognosci possent. Recenter JANSSENS³ et pauci quidam quoad rem idem

¹ SUÁREZ, o.c., c.5 n.8-10; FRANZELIN, o.c., 473; PESCH, 205. Quod si aliqui auctores in declaranda natura harum propositionum utuntur exemplo conditionalium disparatarum, id faciunt tantum ut declarent inconnexionem quam continent conditionis et conditionati, ob libertatem; non quod negent conducentiam unius ad aliud.

² Verba LEDESMAE clara sunt, *Tractatus de divinae gratiae auxiliis* (Salmanticae 1611) 574-590, eamque sententiam ei tribuunt ALBELDA et alii thomistae; ideoque sine fundamento eum excusant aliqui. V. SUÁREZ, *De gratia*, l.c., c.1; RUIZ DE MONTOYA, d.61 s.2; G. DE HENAO, *Scientia media historice propugnata* event.1; URRÁBURU, 2,98 n.1; PESCH, 207.

³ *De Deo uno* 2,5188, qui addit: «quoad rem patet nos accedere ad scholam priorum thomistarum, v.gr. LEDESMA et CABRERA». Recentius similem sententiam tenere videtur F. MARÍN-SOLA, *El sistema tomista sobre la moción divina*: *CiencTom* 32 (1925) 52.53 n.; clarius A. BANDERA, *Ciencia de Dios y objetos futuros*: *CiencTom* 75 (1948) 273-299; de quo v. J. SAGÜÉS, *Ciencia de Dios y objetos futuros*: *EstEcl* 23 (1949) 189-201. Scientiam futuribilem non absolutae certitudinis, sed inferioris ordinis tradit J. MANYÁ, *Theologumena*: 1. *De Deo operante* (Barcinone 1946) 43588.

tenent, licet verbis thesim nostram non reiciant. Aiunt enim Deum certo cognoscere vere futuribilia, ea nempe quae vel certo continentur in suis causis, vel de quibus Deus disposuit suis decretis; cetera vero quae nos fingimus ad modum futuribilem non cognosci a Deo, quia non sunt vere futuribilia.

Ceteri vero theologi omnes scientiam divinam de conditionate futuris omnibus omnino tenendam asserunt, quod iam in controversia de auxiliis propositum est⁴. Atque hanc scientiam *formaliter* Deo inesse dicimus, *non mere eminenter*, ut de possibilibus diximus. Fortasse tamen plures qui systema bannesianum tenent, tacite saltem, de solis puris futuribilibus thesim statuunt.

Valor theologicus. Est doctrina *certa*, tam philosophice, quam *theologicæ*.

158. Probatur ex sacra Scriptura. S.Scriptura quaedam *pure conditionate futura* a Deo certo agnita ostendit, quod iure ad omnia extendi debet⁵. Praecipui loci sunt: 1 Reg (Sam) 23,10-13 et Mt 11,21-23 (Lc 10,13).

In priori loco narratur Davidem venisse Ceilam et quaesivisse a Domino, num Saul ascensurus quoque esset, ac num ceilitae ipsum Davidem in manus Saulis tradituri essent; Dominum autem respondisse: *Ascendet, tradent*; iis auditis non remansisse Davidem ibi, quo factum est, nec Saulem ascendisse Ceilam, nec ceilitas tradidisse Davidem in eius manus. Est casus evidens de pure conditionate futuro, ac de scientia infallibili Dei, quam David per legitimum oraculum postulavit.

Mt 11,21-23 continet gravissimam obiurgationem Christi in civitates Galilaeae, proposita paenitentia conditionate futura sydoniorum et tyriorum, si apud eos facta fuissent signa, quae apud galilaeos Christus patravit; quae quidem obiurgatio non efficax fuisset, nisi illud certa scientia Christus dixisset.

Afferri quoque possunt Ier 38,17-23⁶, ubi «praedicuntur multi effectus contingentes... futuri sub conditione, quae impleta non est», et tamen «est prophetia ex infallibili scientia Dei»; similiter Act 22,18, et alii textus.

Saepe etiam, ut in argumento ex Patribus notamus, quae Scriptura de scientia futurorum profert ut ad providentiam pertinentia, *de scientia conditionate futurorum non pure talium* intelligi debent.

⁴ Ita ipse THOMAS DE LEMOS dicit in suis Actis; cf. URRÁBURU, l.c.

⁵ HEINISCH, 89: «Dio conosce le azioni libere future conditionate, cioè i futuribili».

⁶ SUÁREZ, o.c., c.2 n.17; HEINISCH, l.c.

159. Probatur ex traditione. A. Revera plurima esse testimonia PATRUM de scientia futuribilium patet ex quaestionibus quas ponunt in declaranda ac defendenda providentia divina. Quaerunt enim a) cur Deus angelos et Adam creaverit peccaturos; respondent autem *Deum hoc scire*, sed etiam eum scire de malis bona eruere; b) dicunt Deum *praescisse* obstinationem et casum Iudae; c) aiunt plures privari bonis temporalibus, aut affici malis huius vitae, aut rapi ex hoc mundo, quia *praevidentur* male bonis usuri, cum e contra mirantur mysteria providentiae in hoc quod aliquos non eruat ab hac vita antequam peccent, cum peccatum praescierit; quae omnia saepe recurrunt, praesertim apud S.AUGUSTINUM de praedestinatione tractantem.

En duorum Patrum testimonia: S.GREGORIUS NYSSENUS: «Consentaneum est eum, qui futurum aequae ac praeteritum cognoscit, progressum infantis ad adultam aetatem prohibere, ne malum perficeretur, quod in eo, si vita victurus fuisset, *vi praescia* cognitum est, atque ei qui tali voluntate libera victurus fuisset, nequitiae materia vita fieret» (R 1059). S.AUGUSTINUS: «*Praesciebat* quod eorum futura esset voluntas mala... Cur ergo creavit, quos tales futuros esse praesciebat? Quia sicut praevitidit quid mali essent facturi, sic etiam praevitidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus» (R 1707). «Certe poterat illos Deus, *praesciens* illos esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita» (R 1996).

Atqui haec scientia est, aut de *pure conditionate futuris*, aut de *futuris conditionatis non pure* talibus, seu de futuris in signo futuribilium. Nam est scientia *dirigens decreta Dei*, *ratio explicans permissiones divinas*, et sufficiens *ad impediendam creationem* aut alia facta, nisi alia bona his positae erui possent. Ergo haec dicta non de solis futuris absolutis intelligi possunt, quae decreta Dei praesupponunt. Ad hanc ergo scientiam etiam pertinent plurima quae *scientiam futurorum absolutorum* asserunt ⁷.

160. B. EX SENSU FIDELIUM ET ECCLESIAE facile etiam ostenditur thesis. Cum enim docente Ecclesia Deum oramus ut bona temporalia nobis concedat *sub conditione* quod iis non abutamur, vel quod proficua sint nostrae salutis, id facimus quia intelligimus eum certo praescire quid facturi essemus, si in his vel aliis adiunctis constitueremur. Id *Catechismus Romanus* clare docet.

⁷ V. RUIZ DE MONTAÑA, d.65 s.5 n.2ss. De sententia PP. praesertim S.AUGUSTINI v. accuratam expositionem apud SUÁREZ, o.c., c.3, et in universum theologos S.I.

S.THOMAS ⁸, etsi systematice non agit de scientia futurorum conditionatorum in quaestionibus de scientia Dei, manifeste illam intelligit ut *Sancti Patres*, semper atque tractat de providentia et praedestinatione: praescientia de futuris *dirigi Deum* in distribuendis bonis ac malis, in orationibus exaudientis, ac *primum signum praedestinationis* esse scientiam qua praevitidit Deus quid homo facturus sit. «In praedestinatione tria sunt consideranda, quorum duo praesupponit ipsa praedestinatione, sc. praescientiam Dei et dilectionem»: quodl.11 a.3; providentia «praesupponit praescientiam et voluntatem»: quodl.3; v. etiam 1 q.23 a.5 ad 1; q.63 a.7 ad 2; q.92 a.1; 2.2 q.165 a.1.

161. Probatur ratione. 1. Sine scientia conditionate futurorum nec *providentia* nec *praedestinatio* intelligi possunt modo Deo digno statuta; nam secus aut Deus caece ordinem mundi decerneret, aut vim inferret voluntati.

2. Undecumque id oriatur, *futurabilia habent determinatam veritatem*, nam suppositis adiunctis, unum ex extremis possibilibus determinate fieret; ergo futurabilia cognoscibilia sunt; Deus igitur ea noscit. Ideo qui propositionem de futuro conditionato profert, aut verum determinatum dicit, aut falsum. Ubi notandum est, aliud esse propositionem prolatam esse irrationabiliter et imprudenter, qui esset casus hominis sine fundamento eam dicentis, aliud non esse determinate veram aut falsam, quia revera erit talis, eo quod in casu unum determinate fieret.

162. Obiectiones. 1. Contra argumentum ex SACRA SCRIPTURA obicitur: a) 1 Reg 23,10-13 intelligi potest non de ipso facto ascensus Saulis et traditionis Davidis a ceilitis, sed de mente ac animi dispositione eorum. b) Mt 11,21-23 potest dici humano modo per quamdam coniecturam aut exaggerationem. c) Plures textus S.Scripturae qui videntur praescientiam conditionate futurorum docere, afficiuntur verbo *forsitan*. Ergo non probant scientiam certam ex parte Dei ⁹.

Ad a) *Nego assert.*, nam verba sunt perspicua de facto ipso; nec David aliud quaerebat ex oraculo nisi ipsum factum. Ad b) *Iterum nego assert.*, nam obiurgatio omnem vim amitteret. Ad c) Verbum *forsitan* Vulgatae non est saepe nisi translatio minus accommodata particulae graecae *ἄν* quae conditionem irrealium denotat; alias nihil illi in originali respondet; alias adest in locis, non adductis, ubi non exprimit Deus suam scientiam, sed vel finem praedicationis, vel spem exitus in se dubii, vel etiam malum successum. Tandem Patres saepe notant hunc loquendi modum adhibitum esse ne videatur Deus sua praescientia vim inferre libertati; ita S.HIERONYMUS: «Verbum ambiguum *forsitan* maiestati Domini non potest convenire, sed

⁸ SUÁREZ, o.c., c.6: I.STUFLEER, *Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante* (Innsbruck 1923) 178-188.

⁹ Has difficultates saepius clare a theologis et commentatoribus solutas (SUÁREZ et RUIZ, l.c.; MUNCUNILL, 350; PESCH, 214; LENNERZ, o.c., 257-258; A.VACCARI, *I Libri historici I* [1946] 224) iterum affert, nihil novum adducens, CEUPPENS, o.c., 162-164.

nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium, ne ex praescientia eius quasi necessitate facere quid vel non facere cogatur» (R 1408).

2. S.AUGUSTINUS negat praescientiam futuribilem: «Quid quod ipsa exinanitur omnino praescientia, si quod praescitur non erit? Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum quod non est futurum?»¹⁰ Alias verba Sap 4,7 *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius* intelligit dictum «secundum pericula huius vitae, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit quod futurum erat, non quod futurum non erat»¹¹.

S.AUGUSTINUS nunquam negavit scientiam futuribilem, sed illam saepius asseruit, imo ipsum nomen *praescientiae* ei tribuit¹². Interdum tamen, dum oppugnat abusum huius scientiae apud semipelagianos et praesistentialistas, id notat, proprie loquendo nomen praescientiae de futuris absolutis tantum valere. Locum Sap 4,7, quem in probatione ex Scriptura non adduximus, probabile est intelligi posse tantum «secundum pericula huius vitae»; tamen S.AUGUSTINUS saepe eum de ipsa scientia certa futuribilis eum interpretatur, ut in loco in probatione relato.

163. 3. Scientia futuribilem imperfecta est, quia est aut mere apprehensiva aut discursiva, et praeterea est praecisiva, cum praescindat a futureione absoluta. Ergo Deo tribui nequit.

Nego antec. et rationem adductam quoad primam partem; nam scientia futuribilem, ut in Deo datur, asserit factum sub conditione; ideo dici nequit, nec mere apprehensiva, nec discursiva, sed simpliciter assertiva. *Quoad secundam partem dist. rat. antec.* Scientia de futuris conditionatis potest dici *abstractiva* in quantum non attingit futureionem absolutam, quae non datur in suo signo, sicut de scientia possibilium dictum est, *conc.*; potest dici *praecisiva subiective*, quasi non exhauriret totam cognoscibilitatem sui obiecti, *nego*. Ergo *nego* ipsam esse imperfectam.

Inst. Scientia haec anthropomorphismum sapit; nam indignum Deo videtur ponere eum sibi fingentem infinitas conditiones in quibus possent homines versari, ut videat quid in singulis facturus sit.

Mirum videri potest hanc obiectionem serio proponi potuisse; aliud est enim ponere in Deo formaliter cognitionem de omnibus futuris conditionatis, aliud valde diversum Deo tribuere modum quo haec non necessario exprimimus, quod certe non intendunt theologi dum hanc scientiam in Deo necessariam statuunt.

4. Necessaria non videtur scientia de futurilibus non pure talibus ad divinam providentiam explicandam. Nam plures sunt theologi, qui putant etiam illa omnia recte declarari posse divinam providentiam. Ergo argumentum inde deductum non valet.

Resp. Verum SANCTI PATRES eam adhibendam putant, ut in probatione vidimus. Ipsi autem theologi de quibus sermo est in obiectione illam admittunt, aut admittere debent, si scientiam pure futuribilem asserunt, cum cognoscibilitas utrorumque in eodem signo eadem sit. Cum vero eam non adhibent ut rationem divinae providentiae explicent, theoriam statuunt quae admitti non posse nobis videtur. Verum haec potius spectant quaestionem de medio vel modo quo futura libera in universum a Deo cognoscuntur.

¹⁰ *De anima et eius origine* l.1 c.12 n.15: ML 44,483.

¹¹ *De praedest. Sanctorum* c.14 n.26: ML 44,979.

¹² V. passim theologos; inter alios ipsum GOTTI, *Scholastico-dogmatica Theologia* (Vetis 1786) I p.198.

ARTICULUS III

DE MADIO SCIENTIAE DIVINAE

164. Ut penitorem scientiae divinae cognitionem obtinerent, plurima investigarunt theologi catholici, per analogiam cum intellectione humana, demptis ab scientia Dei iis quae imperfectionem in creatis dicunt. Selectiora et quae nobis probabiliora videantur (multa enim sunt quae fines probabilis non excedunt, ac de quibus convertitur inter theologos) breviter attingemus, quae utilia esse possunt theologiae de providentia et praedestinatione tractationi.

I. *De specie in divina scientia.* SPECIES IMPRESSA, seu *medium quo*, affert pro cognitione creata elicienda concursum necessarium ex parte obiecti. Ratio praecipua ad eam, hoc vel illo modo intellectam, statuendam est finitudo et potentialitas intellectus creati, qui non continet virtualement similitudinem obiectorum quae cognoscere potest, et *determinandus est* obiective. Ideo effatum: «ex potentia et obiecto paritur notitia».

Iam, cum intellectio divina non sit producta, ac sit infinitae virtutis, patet proprie loquendo non esse locum speciei in divina intellectione. Ideo dicit S.THOMAS: «Et sic patet quod in Deo intellectus intelligens, et id quod [primario] intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere sunt unum et idem»: q.14 a.4.

Tamen agentes de scientia Dei communiter loquuntur scholastici de *specie impressa*, eamque collocant in *essentia Dei* formaliter ut tali¹.

Haec doctrina fundari potest in eo quod intellectus divinus ideo *determinatus* est per se ipsum ad omne verum cognoscendum, quia infinitus est; atqui infinitas est veluti *essentia* physica Dei; ergo in *essentia* ipsa divina habetur principium quasi determinans cognitionem divinam, quin ex parte obiecti quidquam per modum determinativi exspectandum sit. «In Deo, ait SUAREZ², sola *essentia* est ratio sufficiens cuiuscumque cognitionis possibilis, tam per modum potentiae, quam per modum speciei vel actus»: nec aliud intelligi debet ex parte obiecti quam eius cognoscibilitas, per modum conditionis requisitae, nam semper intelligibilitas obiecti praesupponitur cognitioni. Recte igitur dicitur *Deum omnia cognoscere per speciem propriam sui ipsius, nempe per suam essentiam*.

¹ S.TH., q.14 per totam; q.15 a.2 etc.; SUAREZ, *Opusc. 2 de scientia Dei* l.1 c.8 n.4; PESCH, 220-221; SCHAAF, *Institutiones Theologiae naturalis* (Romae 1906), ubi reperies dicta aliorum scholasticorum. V. quae scripsimus, *La ciencia de Dios, acto puro*: Miscell. Pérez Goyena, EstEcl 35 (extr. 1960) 95-112.

² L.C.; CASAJOANA, *De Deo uno* 150.

165. Verum nullo modo admitti posse videtur conceptus speciei in intellectu divino *per modum determinantis* illum *ad hoc* vel *illud particulare agnoscendum*, aut *repraesentantis* intellectui divino rem cognoscendam. Ex hoc capite aliqui³ impugnant doctrinam traditam, essentiam divinam quasi determinare intellectum divinum ad intelligendum omne verum, ac si ita solum diceretur Deum determinatum esse ad cognoscendum omne verum in communi. Quod quidem falsum est; non id dicimus, sed determinatum esse ad omne verum singillatim attingendum; imo in Dei scientia omnem prorsus determinationem ex parte obiecti, etiam ratione nostra, esse abiiciendam. Id autem putant, quia speciem, etiam in divinis, fingunt ad modum repraesentationis obiectivae.

Atqui hic modus concipiendi speciem in divino intellectu repugnare videtur. Nam ei subiacet conceptus cognitionis divinae «ad modum cognitionis potentialis creatae»⁴, qui conceptus falsus prorsus est, ac dari formaliter et proprie in Deo intellectum ut *facultatem*; iam vidimus proprie in Deo non dari nisi *intellectionem subsistentem* infinitae virtutis. Et licet admiserimus considerari posse intellectum ad modum *rationis sufficientis* subiectivae pro divina scientia, intellectus ut talis intelligi debet ut *infinitus* et *actus purus*; ergo nullo modo concipi potest ut indeterminatus, nisi adveniat aliquid quod eum obiective determinet; nam hoc esset ponere potentialitatem et passivitatem in actu puro, quod sub nullo aspectu admitti potest.

Continet ergo haec theoria quam impugnamus anthropomorphismum et univocationem quamdam inter intellectum creatum et divinum. Iam in hoc puncto maxime ponenda est *analogia* inter utrumque intellectum, in absoluta et plenissima *determinatione subiectiva* intellectus divini ad omne verum cognoscendum, praecisa quacumque determinatione obiectiva, quae ex eius infinitate necessario sequitur.

Manet igitur intellectionem divinam sufficienter, imo unice, explicari per *determinationem subiectivam* contentam in infinitate et in notione *actus puri*, quae sine dubio propria est singulis divinis attributis.

Sequitur ex dictis *principium* magni momenti in quaestionibus de scientia Dei: *pro cognitione divina omnia obiecta etiam ipsum Deum, habere solam rationem termini, non vero rationem obiecti determinantis et producentis divinam intellectionem*⁵, ne quidem ratione nostra; ac *divinam scientiam ferri immediate in res omnes visas*. Neque aliud quaerendum est, cum de divina scientia agitur, nisi an res intelligibilis sit, nam hoc posito intelligimus Deum subiectiva determinatione sufficientissime determinatum esse ad illam intelligendam.

166. II. Corollarium. ERGO PROPRIE LOQUENDO DEUS OMNIA NECESSARIO VIDET IMMEDIATE IN SE IPSIS AC SINE MEDIO OBIECTIVO; non solum quia visio divina rerum omnium terminatur *distincte* ad omnia singularia; sed etiam in quantum attingit omnia cognoscibilia *ex sola intrinseca et infinita determinatione subiectiva*. Quae quidem rerum cognitio in se ipsa

modo explicato, non solum nullam imperfectionem continet, sed potius pertinet ad *perfectionem infinitam* intellectus divini, ut est *actus purus*. Contrarium vero dicere est quamdam passivitatem ponere in actu puro.

Ideo omnia cognoscit Deus *immediate in se ipsis*, tam se ipsum, quam possibilis, et futura, tam necessaria quam libera, tam absoluta quam conditionata⁶.

Peculiari modo dicuntur *futura libera* a Deo cognosci in se ipsis. Ita S. THOMAS semper ac de illis agit⁷. Rationem autem affert, quia futura contingentia non subduntur certae cognitioni prout sunt in suis causis. «Deus autem cognoscit omnia contingentia non solum prout sunt in suis causis, sed prout unumquodque eorum est actu in se ipso»: q.14 a.13. Et licet futura libera absoluta cognoscantur a Deo etiam in se ipso, ut mox videbimus, non tamen in solo complexu causarum physice efficientium, ut futura necessaria.

Dices: Cognitione rerum in se ipsis est imperfecta; quia non est per altissimas causas⁸.

Nego assertum et nego, vel claritatis gratia *dist. rationem datam*. Si locutio *cognitio per altissimas causas* indicat medium vel rationem obiectivam necessariam cognitionis divinae, *nego suppositum*; imo imperfectio esset pro divino intellectu *actu puro* non posse ferri immediate in rem ipsam. Si vero sensus rationis obiectivae est cognitionem divinam *immediatam* de re ipsa in se non attingere omnes causas rei, etiam altissimas, *nego assertum*; nam omnis cognitio divina est comprehensiva; ideoque in re ipsa videt omnes connexiones quas cum suis causis habet.

Inst. Res creatae non sunt perfecte cognoscibiles in se ipsis, sed tantum in Deo.

Dist. assertum. Res creatae non essent perfecte intelligibiles in se ipsis, si attingendo illas non attingeretur etiam Deus ut causa earum, *conc.*; si etiam attingitur Deus ut terminus connexionis, *nego*. Res quaecumque *intelligibilis* est, id est *affirmabilis* est eo modo quo est (imo aut non est, quod etiam affirmabile est, eo praecise quod non est); et hoc sufficit ut sit comprehensibilis ab intellectu qui non egeat concursu obiectivo et sit infinitus. Patet hinc anthropomorphismus latens in his obiectionibus.

Tandem *dici* potest: Saltem superfluum est ponere in Deo cognitionem rerum in se ipsis, si aliunde admittitur etiam in se ipso ea cognoscere.

Non est superfluum, sed necessarium, asserere Deum omnem rerum cognoscibilitatem immediate attingere, quia est infinitus et actus purus; atqui res habent simpliciter cognoscibilitatem in se ipsis. Ceterum quousque admitti possit aut debeat Deum res *in se ipso* cognoscere in sequentibus attingimus.

⁶ Hanc sententiam, quam, ut fundatam in principiis ab omnibus admissis, ut probabilior tenemus, docent expresse TOLEDO, *In 1 q.14 a.5 tert. concl.* cum pluribus theologis S.I., inter quos ARRIAGA, d.19 s.4; I. DE LUGO, *In ms. in 1 p. d.4 s.2*; NICOLAUS MARTINEZ, *Deus sciens* d.6 s.1; VIVA, *De Deo* d.3 q.3; KILBER WIRCEBURGENSIS, n.119; CASAJANO, 156-169; MENDIVE, *De Deo* uno 145; MUNCUNILL, 312-333; URRABURU, 51-56, ut omittamus eos paucos, ut VÁZQUEZ, *In 1 p. d.60 c.3 n.10*, qui ipsa possibilis non nisi in se ipsis cognosci admittit.

⁷ *1 q.14 a.13*; *q.57 a.3*; *q.86 a.4*; *2.2 q.171 a.6 ad 2*; *q.174 a.1*; *1 CG 66.67*; *1 d.38 a.5*; *De ver. q.2 a.12*; *q.12 a.10*; *De malo q.16 a.7*; *Comp. Theol. 13,133.140*; *In Perihermenias 1.1 lect.14* etc.

⁸ Ita PESCH, 233 cum pluribus aliis. Nec clare apparet quo pacto haec difficultas cohaereat dictis a claro auctore locis supra relatis.

³ Ut BILLOT, *De Deo uno et trino*⁵ (Prati 1910) p.192.

⁴ Ita dicit LENNERZ, n.290. V. SCHAAP, 341. Non tamen recte asseri videtur nos non posse aliter agere de intellectione divina; imo si ita esset non possemus Deo formaliter tribuere quae hoc modo concipiuntur. Cf. CASAJANO, l.c.

⁵ PESCH, prop.27 n.182.221; cf. FRANZELIN, th.37 4.º p.387.

167. III. **De obiecto formali scientiae divinae.** OBIECTUM FORMALE alicuius habitus vel actus intentionalis dicitur obiectum *primarium* ac *praecipuum* peculiari modo aptatum illi, ita ut *propter se* et *ratione sui* ab illo attingatur, et sit *ratio cur alia ab illo attingantur* ⁹. In creatis, cum actus producat, obiectum formale est *motivum*, *determinativum* ac *specificativum* potentiae vel actus, nam in illius productionem *obiective influit*; ideo in actibus intellectus *obiectum formale est quod per speciem propriam cognoscitur*; cetera vero obiecta dicuntur *materialia* ac *mere terminativa*.

Obiectum formale ac primarium divinae scientiae esse ipsum Deum, sententia est communis ¹⁰; quae fundatur in eo quod intellectui infinito *obiectum ex se adaequatum* et illi veluti conformatum est *ens infinitum*. Praeterea, cum quasi species pro qualibet divina cognitione sit essentia divina, iure dicimus obiectum quod *per speciem propriam* a Deo cognoscitur, ac proinde obiectum formale intellectionis divinae, esse solum Deum. Tamen bene notat RUIZ DE MONTOYA, post diligentem inquisitionem, ex mente antiquorum theologorum «non esse munus obiecti formalis in Deo constituere obiecta materialia in esse verorum et intelligibilium» ¹¹, ut revera accidit in intellectu creato. Hoc etiam summopere advertatur opus est, cum in hoc iterum magnum discrimen sit inter intellectum creatum et divinum.

De *obiecto determinativo*, patet ex dictis de specie, non posse proprie sermonem fieri apud Deum, cum deficiat omnino praecipuum fundamentum huius denominationis. Est tamen modus loquendi plurium theologorum ¹², obiectum *formale* vocare etiam *determinativum*, qui propterea divisiones plures statuunt huius obiecti; hae locutiones admitti possunt, addito diminutivo *quasi*; praesertim dici potest Deum ipsum esse *obiectum specificativum* divini intellectus, extrinsece et quoad nos, ex notatis de obiecto formali q.14 a.5 ad 3.

168. IV. **De medio in quo divinae scientiae.** MEDIUM IN QUO cognitionis proprie dictum, seu *medium connexionis obiectivae* (alios sensus posibles huius locutionis attingemus in Scholio), dicitur *obiectum cognitum*, quod propter *connexionem* quam habet cum aliis, non potest plene ac perfecte cognosci quin haec alia attingantur *eadem cognitione*; ideo haec

⁹ Notio obiecti formalis diversis valde modis declaratur ab scholasticis atque ab obiecto materiali distinguitur; v. LOSSADA, *Cursus philosophicus. Logica* d.2 c.1 (ed.Barcinone 1883 v.1.168-177).

¹⁰ Ita dicunt plures auctores, praesertim recentiores, ut PESCH, prop.33. Et quidem sub nomine obiecti *primarii* et aliquo vero sensu *formalis*, sine dubio retineri debet. Verum ex diversis modis hoc definiendi diversae quoque sententiae proferuntur, in connexionem cum aliis denominationibus statim afferendis, quae videri possunt apud MUNCUNILL, 33455.

¹¹ *De scientia Dei* d.24 s.3 n.16.

¹² MUNCUNILL, 309.33455.

alia dicuntur videri in illo veluti in medio *in quo*. Ideo medium *in quo* semper est aliquid *prius* cognitum, ratione quadam, quam res *in eo* cognita ¹³.

Apprime notari oportet quaestiones de medio *quo* et de medio *in quo* in intellectu humano esse arcte inter se connexas. Nam illud quod *per speciem propriam* cognoscitur, seu cuius propria species est *medium quo* cognitionis, est diversis modis *medium in quo*, vel *ex quo*, vel *per quod* tandem pervenimus ad alia agnoscenda ¹⁴; et ratio est, quia *influxus obiecti*, necessarius ad cognoscendum, non nisi *per speciem* exercetur.

At vero in Deo, ob rationem oppositam, *quaestiones de medio quo et de medio in quo proprie dicto inconnexae sunt*. Nam ad aliquod obiectum cognoscendum, *nullo modo opus est* intellectui divino ut illud obiectum *connexum sit cum alio*, quod veluti *per speciem propriam* cognoscatur. Intellectus enim divinus omnia *per essentiam suam* veluti *per speciem propriam* cognoscit, non *praecise* eo quod essentia divina connexa sit cum aliis, aut quod egeat *concurso obiectivo*, sed eo tantum quod *essentia divina, utpote ipsa infinitas, plenissime determinat* omni ex parte *intellectum divinum ad omnia cognoscenda*, ut dictum est ¹⁵. Quare nullo modo solliciti esse debemus de *medio in quo* Deus hoc vel illud cognoscat, ut necessariam reddamus rationem de eius intellectione; potius quaestio ponenda est *unde obiecta formaliter et immediate intelligibilitatem habeant* aut affirmabilia sint; id autem non est nisi *ipsa res in se ipsa*, quae ex eo solo quod est (vel non est) affirmabilis est ut talis, saltem ab intellectu, qui non egeat concurso obiectivo.

169. Nec tamen negamus dari medium *in quo* pro divina intellectione; DATUR ENIM QUOTIESCUMQUE DATUR CONNEXIO OBIECTIVA INTER OBIECTA. Nam obiecta cognoscibilia sunt secundum hanc connexionem, ergo non potest eam non cognoscere intellectus infinitus. Sed si *connexio*, et quidem *metaphysica*, non datur inter aliquod obiectum et cetera, nihil tamen obstat quominus illud plene ac perfecte a Deo intelligatur. Ita tenemus *omnia possible et futura quaelibet absoluta*, sive *necessaria*, sive *libera*, cognosci a Deo, non tantum *in se ipsis immediate*, sed etiam *in ipso Deo*, secundum diversa attributa.

Possible omnia cognoscuntur a Deo in sua essentia et

¹³ Id bene advertit URRÁBURU, 51 (p.145.146).

¹⁴ Medium *in quo* proprie dictum importat unica cognitione *utrumque* obiectum intelligi, medium et obiectum quod in illo videtur; est casus comprehensionis et visionis specularis. Medium *ex quo* vel *per quod* habetur cum distinctis cognitionibus unum ex alio deducitur, ut in omni argumentatione.

¹⁵ RUIZ DE MONTOYA, d.61 s.1 n.7; PESCH, 188; ita fere FRANZELIN, 388.

omnipotentia, in quantum sunt termini infinitae imitabilitatis essentiae divinae et possibilitatis productivae omnipotentiae; quae nequeunt perfecte *comprehendi*, nisi hi termini distincte et perfecte in ipsa essentia et potentia divina intelligantur¹⁶. Haec sententia aptius defenditur, si statuitur *connexio* omnipotentiae cum possibilibus¹⁷.

Futura absoluta necessaria videt Deus in decreto suae voluntatis ponendi ea in tempore; nam voluntas divina, quae omnipotens est, absolute infert positionem sui obiecti.

Futura absoluta libera peculiari ratione dicuntur a S. THOMA cognosci in se ipsis, ut vidimus. Tamen, cum etiam circa illa versetur divina voluntas (nihil enim in tempore existere potest sine voluntate divina libere de illis aliquo modo, saltem permissive, decernente), quaeritur *quo pacto, illaesa libertate*, possit Deus illa in se ipso cognoscere. Id tenemus: *posita scientia media*, de qua statim thesim statuimus, *universaliter*, tam bona quam mala, *cognosci a Deo in complexu scientiae mediae et voluntatis libere decernentis positionem conditionum, sub quibus Deus futuribilia cognoscit. Actus bonos, salutare praesertim, cognosci etiam in eorum praedefinitione, sive formali, si admittatur, sive saltem virtuali*¹⁸.

De futuris conditionatis peculiarem quaestionem ponimus.

Thesis 15. *Contingentia conditionate futura in nullo medio absolute connexo cum determinato extremo libertatis attingi possunt. Ideo a Deo attinguntur tantum in obiectiva eorum veritate, sive in se ipsis.*

SUÁREZ, op.2 l.2 c.7; *De gratia, prolegom.* 2 c.7-10; RUIZ DE MONTOYA, d.71-77; FRANZELIN, th.45-46; MUNCUNILL, 383-431.

170. Status quaestionis. Quaeritur an pro scientia divina futuribilibus inveniri possit *medium proprie dictum*, sive connexionis obiectivae, in quo Deus illa videat. *Libertas* est potentia active indifferens ad utrumlibet ac se ipsa determinans ad unum, ut in propriis tractatibus stabilitum supponimus¹. Medium autem pro scientia metaphysice infallibili Dei, nequit esse nisi aliquid *metaphysice et absolute connexum* cum determinato extremo eorum ad quae voluntas determinare se posset. Id *negamus* reperiri posse.

¹⁶ Haec sententia ut positiva vere communis fere est; cf. SUÁREZ, *De Deo* l.3 c.2; URRÁBURU, 51.52. Opponentur NOMINALES et pauci aliqui cum VÁZQUEZ, *In* 1 p. d.60 c.3 n.10.

¹⁷ Ita communiter thomistae et plures Societatis theologici cum SUÁREZ, *De Deo* l.2 c.25 c.3 c.9; contra VÁZQUEZ, l.c. Hanc quaestionem quam recentiores negligere solent v. ample et diligenter tractatam a LOSSADA, *De causis* d.7 (ed.c. v.6,5-46); et apud URRÁBURU, 57-61.

¹⁸ Explicite id asserunt communiter theologo ac philosophi nostri, ut FRANZELIN, th.42; MUNCUNILL, 365-381; URRÁBURU, 86; MARXUACH, *Compendium Theologiae naturalis* 104-111; HELLÍN, re ipsa 828-844.

¹ De conceptu libertatis v. SUÁREZ, *De gratia prolegom.* I.

Ideo statuimus Deum immediate tantum in eorum obiectiva veritate cognoscere futura conditionata; sive tandem in se ipsis.

Thesim, quae *scientiam mediam* tuetur, tenent quoad rem, *theologi S.I.*² Consectario deducto repugnare videntur, saltem partim, aliqui ex illis, qui etiam futuribilibus applicant doctrinam generalem Deum omnia in sola sua essentia videre. De hac lite v.Scholion 1.

E contra *theologi Dominicani*³ a saec.XVI cum aliis tenent Deum omnia necessario videre in se ipso, ut in *medio in quo proprie dicto*; possibile in essentia et omnipotentia; futura in decreto creandi et dandi praemotionem physicam ad opus, quae pro futuris liberis est praedeterminatio. At cum in essentia divina formaliter sumpta non viderent necessariam connexionem cum futuris conditionatis, nec pro illis decreta simpliciter absoluta dentur, in quibus futuribile videri possit, ad eorum scientiam explicandam posuerunt *decreta praedeterminantia subjective absoluta*, utpote quae actu in Deo dantur, sed *objective conditionata*, quia praedeterminationem decernunt mere conditionate. Ponuntur autem haec decreta pro omnibus et singulis futuribilibus pure talibus; nam futuribilibus quae de facto ponentur sufficiunt decreta praedeterminantia simpliciter absoluta. Licet, initio praesertim et postea etiam, aliquibus ineptum visum sit tot decreta actu in Deo ponere pro rebus quae numquam existentiam habebunt, ideoque non desint qui systemati repugnent, facta est communis inter illos haec sententia.

² Infinitum esset recensere auctores qui hanc quaestionem tractant; omnes enim fere theologi et philosophi scholastici a saec.XVI eam agunt. Possunt etiam consuli recensiti auctores in quaestione de *efficacia gratiae* v.3 huius SUMMAE, n.301-317. Ideo satis esse putamus auctores quosdam praecipuos referre in quibus singulae sententiae accuratius vestigari queant. Iam de scientia media, post eius primos expositores, FONSECA, *Comment. in Metaphys. Aristot.* l.6 c.2 (Coloniae 1605) t.3, 11988, et MOLINA, *Concordia* d.52.53, praecipuus auctor et omnino consulendus est SUÁREZ, praesertim, o.c., *De gratia prolegom.* 2, *De scientia quam Deus habet de futuris contingentibus* op.2 l.2 (in ed.Vives t.7 p.46-129; t.II p.343-375); complectitur eius doctrinam P.DUMONT, *Liberté humaine et concours divin d'après Suárez* (Paris 1936) c.3; v. etiam J.SAGÜÉS, *Suárez ante la ciencia media: EstEcl* 22 (1948) 265-310, et F.STREGMÜLLER, *Zur Gnadenlehre des jungen Suárez* (Freiburg 1933), qui ostendit initio SUÁREZ non admisisse scientiam mediam. Praeter eum RUIZ DE MONTOYA, o.c., N.MARTÍNEZ, *Deus sciens*, et G.DE HENAO, *Scientia media historice propugnata* (Lugduni 1655), *Scientia media theologice defensata* (Lugduni 1674, 1676). Ex recentioribus theologis, cf. quos initio thesibus indicamus praeterea; M.PREMM, *Katholische Glaubenskunde* (Wien 1951) 162-167, et quos in sequentibus referemus. Inter philosophos v. URRÁBURU, 101-105; MARXUACH, 110-124; HELLÍN, 783-811.

³ Decreta praedeterminantia subjective absoluta obiective conditionata ad cognitionem futuribilibus aptasse prius videntur F.ZUMEL, *Opuscula* v.2 (Salmanticae 1608), D.ALVAREZ, *De auxiliis divinae gratiae* (1610), et D.BÁÑEZ, *Scholastica commentaria in 1 p. Divi Thomae* (ed.Matriti 1934). Inter expositores huius sententiae in primis conferri debent IOANNES A S.THOMA, *Cursus theologicus, De Deo* d.20 a.2 (ed.Paris 1931), SALMANTIGNÈS (ed.Paris 1874) t.1; BILLUART, *Summa S.Thomae* v.1 229-234 (ed.Paris). Ex recentioribus E.HUGON, *Tractatus dogmatici* t.1 (Paris 1920). Praedeterminationes reiecerunt ALBERTINI, DE VITA et PAPAGNI. Recentes quasdam modificationes in systemate thomistico affert MARÍN-SOLA, *El sistema tomista sobre la acción divina: CiencTom* 75 (1948) 273ss; F.MUSIZ, *Suma teológica de Santo Tomás de Aquino t.I, Apéndice II-III* (Madrid BAC 1947) 1005-1020; de his cf. J.SAGÜÉS, *¿Crisis en el Bañecianismo?*: EstEcl 22 (1948) 699-749.

In ponendis decretis divinis praedeterminantibus pro cognitione futurorum, licet nondum expresse attigerint quaestionem de futuribilibus, praelusisse videntur thomistis posterioribus (priores enim ad saec.XVI nusquam eorum meminerunt) SCOTUS fortasse, et satis certo scotistae plures, praesertim THOMAS BRADWARDINUS⁴. Posteriores vero scotistae admittunt post MASTRIUM decreta *condeterminantia*⁵, quo putant praecipuam difficultatem praedeterminationis abigere. Sed vox condeterminationis, si non indicat quid vere praevium, nequit designare medium in quo vere tale; concursus autem divinus non apte ita vocatur, cum determinans nequeat esse nisi unus.

171. **Valor theologicus.** Thesim multo *probabilior* habemus.

Probatur thesis iisdem argumentis quibus praedeterminationes reici solent ut oppositae libertati, quae in tractatu de gratia et alibi expenduntur⁶. In specie argui potest ex Mt 11, 21-23; nam supposita doctrina praedeterminationis, obiurgatio Christi adversus bethsaiditas et corozaitas haberet fere hunc sensum: si apud tyrios et sidonios factae fuissent virtutes quae apud vos factae sunt, paenitentiam egissent, quod quidem ego scio, quia decrevi praedeterminationem illis me daturum fuisse in hoc casu; quam quidem praedeterminationem vobis dare nolo.

IN UNIVERSUM probatur. Quodlibet medium ad cognoscenda futuribilia metaphysice necessario connexum cum determinato extremo libertatis, quod necessarium esset ad infalibilem eorum cognitionem in ipso, induceret necessitatem antecedentem. Atqui necessitas antecedens opposita est indifferentiae activae, quae est de conceptu libertatis. Ergo nulum reperiri potest huiusmodi medium in quo futuribilia cognoscantur.

Prob. mai. Cum *signum futuribilitatis* consideret praecise *relationem inter actum primum physicum libertatis eiusque ac-*

⁴ V. de his H.SCHWAMM, *Magistri Ioannis de Ripa O.F.M. doctrina de praesentia divina* (Romae 1930, *Analecta Gregoriana* 1); Robert Cowton O.F.M. *über das göttliche Vorherwissen* (Innsbruck 1931, *Philosophie und Grenzwissenschaften* III,5); *Das göttliche Vorherwissen bei Duns Scotus u. seinen ersten Anhängern* (Innsbruck 1934, *Phil.u.Grenzsw.* V 1-4). De THOMA BRADWARDINO v. PORTALIÉ, *Augustinisme*: DTC 1,2355-2359. De sententia auctorum de praesentia divina ad controversiam usque plura colligit DE SAN, 220-225, et LENNERZ, 296-335; cf. etiam DE SAN, 219-223, et L.BAUDRY, *La querelle des futurs contingents* (Louvain 1465-1475). *Textes inédits* (Paris 1950).

⁵ MASTRIUS, *Disputationes theologicae in Sententias* 1 d.3 c.3 a.8 (Venetiis 1757) p.131-135; FRASSEN, *Scotus Academicus* 1 (Roma 1900) tr.2 de.1 s.2 q.2; M. SCHMAUS, *Uno sconosciuto discepolo di Scoto intorno a la prescienza di Dio*: RivFilNeoscol 24 (1932) 327-355.

⁶ Videri possunt passim apud auctores molinistas; in hac SUMMA tract. *De gratia* v.3. BERAZA, *De gratia* 462-468.523-564; LANGE, *De gratia* 578-599.

tum secundum, quidquid illum actum primum *determinaret ad unum ex extremis libertatis*, induceret necessitatem antecedentem, ut patet. Atqui medium in quo necessariae connexionis absolutae cum actu secundo esset huiusmodi.

Confirmatur a contrario. Ideo pro futuro libero absoluto invenire possumus medium in quo Deus illud videat, quia *posita scientia media*, iam necessitas ex decreto orta est mere *consequens*.

CONSECTARIUM eductum e thesi facile patet ex dictis. Nam si nullum medium in quo proprie dictum inveniri potest, non restat nisi ut intelligamus futuribilia in se ipsis tantum videri.

Praeterea contingentia conditionate futura habent in se determinatam veritatem⁷. Nam posita conditione, unum ex extremis *determinatum* voluntas efficeret. Ergo futuribilia habent in se ipsis determinatam veritatem; possunt ergo in se ipsis immediate attingi ab intellectu divino, qui non eget concursu ex parte obiecti. Intuitus ergo divinus fertur immediate in rem ipsam, in *esse ipsum* quod res habitura esset suo tempore, si poneretur, nempe in *actu egredientem* a voluntate creata.

172. **Obiectionibus** pluribus solvendis quaedam notanda dabimus, cum brevitate consulentibus omnia singillatim perpendere non liceat⁸.

1. *Futurizio formalis* rei, sive *absoluta*, sive *conditionata*, in hoc simpliciter stat, quod *res nunc non est*, sed *erit*, vel *esset*. Ac falsam omnino ducimus notionem futuri formalis, quam plures thomistae tradunt: «futurum est quod *nunc* determinatum est ut habeat existentiam tempore futuro, vel haberet si ponerentur conditiones»⁹. Quidquid enim est de actuali determinatione, si *res erit*, est absolute futura; si *esset*, est conditionate futura.

2. Futurum ac futuribile *non est quid per statum* sed tantum per *ampliationem*, aut *alienationem*, ut dialecticorum more loquamur¹⁰; sc. cum verbum *est* dicitur de futuro vel futuribili, *ampliatur* vel *alienatur* a propria et formali significatione *temporis praesentis*. Ideo futuribile non dependet, nec causatur a Deo, sed *dependeret* et *causaretur*, si *esset*. Extra rem igitur vagatur appellatio ad *causalitatem* divinam ut explicetur scientia Dei de futuribilibus ac si nequiret intelligi sine causalitate actuali. Nec relate ad futura libera absoluta meminit eius S.Thomas q.14 a.13.

173. 3. **SIGNUM FUTURITIONIS CONDITIONATAE** pro scientia divina accurate definiiri debet. Ut in probatione innuimus, signum futuribilitatis est *signum praecisivum*, in quo mere consideratur *relatio inter voluntatem creatam et eius determinationem seu actionem, in signo priori ad decretum absolutum voluntatis divinae circa eam actionem*. Nempe actus voluntatis creatae procedit simul a causa prima et a causa secunda, sed ab hac ut *ab unica causa determinante* (ut supponimus contra praedeterminationem). Id co-

⁷ SUÁREZ, *De scientia Dei* l.1 c.2; l.2 c.5; v. URRÁBURU, 69-75.103.

⁸ Obiectiones omittimus, quae directe concursum attingunt, suis locis solvendas. Unum notamus: «determinismum circumstantialium, quem quidam inferunt ex molinismo, non nisi ex mala intelligentia huius doctrinae oriri potest; e regione enim opponitur indifferentiae activae, in qua iure collocamus essentiam libertatis».

⁹ Ita BILLUART, *De Deo* diss.6 a.1; cf. MUNCUNILL, 359-364.

¹⁰ Cf. LOSSADA, *Summulae*.

gnoscit Deus, sicut cetera omnia, uno simplicissimo actu. Sed, ut distinguimus in scientia et voluntate Dei *diversa signa* eaque ordinamus, ita iure consideramus hoc signum divinae scientiae de actu voluntatis *praecise ut egrediente ab ipsa ut ab unico determinante*; illudque signum iure collocamus in *instanti rationis praevio ad voluntatem divinam absolutam* circa illam actionem, utpote *dirigens et illuminans* decreta divina. Obiectum huius scientiae est *signum futurationis conditionatae*.

Ergo signum istud non est quid *completum*, quod ad ordinem idealem transferat totam realitatem de facto in actu secundo existentem; hoc est opus imaginationis nostrae, quae signum futuribilitatis tractat veluti realitatem habentem esse *per statum*. Signum ergo futurationis conditionatae non est nisi *actus voluntatis creatae, praecise prout est a voluntate creata libera, in quantum obiectum cognitionis divinae praecisive acceptae, quae, ut talis, praevia est decretis voluntatis circa illam versantibus*.

Ideo pro statu futurationis conditionatae non datur *praedefinitio* nec *providentia*; daretur utique pro statu *absoluto*, si poneretur de facto, et quidem sub directione *scientiae mediae*; neque ad illud signum intelligendum opus est alia scientia media; atque ita cessat difficultas processus in infinitum.

Dices: Ergo intelligitur in signo scientiae mediae quid homo sola sua innata voluntate facturus esset; quod contra MOLINAM saepe thomistae arguunt.

Dist. assert. Intelligitur quid homo facturus esset *praecise in quantum actus a sua innata libertate procedit, conc.*; praescindentium autem non est mendacium; intelligitur hominem *de facto* actum secundum *posse ponere sola sua innata voluntate, nego* prorsus, quod in terminis repugnat doctrinae molinisticae de concursu simultaneo¹¹.

174. Alias duas obiectiones breviter tangimus.

1. Ex parte conditionis certe intelligitur in futuribili concursus divinus conditionate collatus. Ergo Deus potest in illo videre futuribile.

Concursus divinus in actu primo est *indifferens*; ideo non est medium aptum ad actum determinatum cognoscendum. Concursus vero in actu secundo, vel non distinguitur ab actu libero creaturae, vel saltem, quocumque modo explicetur, non est *logice prior ipso actu libero*, unde non potest *prius cognosci*, quod requiritur ad rationem *medii in quo*.

2. Omnis veritas fundatur in Deo. Ergo etiam veritas futuribilis; potest igitur videri in Deo.

Dist. antec. Omnis veritas *obiectiva* (de hac agitur), seu ipsum esse rei ut intelligibile, etiam veritas futuribilis, fundatur in Deo *radicaliter, remote, causaliter, etc.*, sc. si daretur futuribile *fundaretur* in Deo, *conc. antec.*; veritas futuribilis *immediate et formaliter vel determinative* fundatur in Deo, quasi in Deo reperiri posset *ratio immediata* determinationis Iudae prodendi Christum v.gr., *nego antec.*; iam *id est futuribile, nihil aliud*. Nam sicut actio libera creaturae non habet aliud *determinans quam voluntatem creatam*, ita non aliud habere potest *immediatum fundamentum* suae veritatis et cognoscibilitatis in quantum est *determinatio* voluntatis. Futuribile igitur fundatur in Deo, ut potest fundari, sc. *radicaliter, remote, etc.*, in quantum Deus creat hanc sui participationem, quae est libertas; non immediate et formaliter, quia nequit. Supponit utique futuribile concursum divinum conditionate collatum (sc. si daretur futuribile, Deus *concurreret* immediate et simultanee), sed non ut *determinativum*; ergo non potest inveniri in illo *intelligibilitas determinationis ut talis*, nec pro statu conditionato; iam *haec sola ratio* attenditur in signo futurationis conditionatae, ut nuper notavimus. Praeterea concursus conditionate collatus non est *prior* sed simultaneus;

¹¹ Concordia d.52,3:17.

ideo non potest esse medium in quo actus cognoscatur. Iterum advertimus, quod n.173 statuimus, signum futuribilitatis esse *signum praecisivum*, in quo mere consideratur relatio inter voluntatem creatam, unicam causam determinantem, eiusque actum ut est determinatio; neque transferendam esse ad illud signum totam realitatem quasi *per statum*.

Tandem scientiam mediam, ut eam declaravimus, nullam continere imperfectionem, satis patet. Imo modus illius optime cohaeret cum intellectu divino ut est *actus purus*; ac praeterea ex ea explicari potest ordo providentiae et praedestinationis, ut c.5 videbimus. Omnipotentiae divinae nullum afferri detrimentum satis patet, cum thesaurus auxiliorum divinatorum inefficiens sit. Neque voluntas divina dat auxilium *praecise* quia videat hominem actum positurum si illud daret, sed simpliciter quia vult.

175. Scholion I. DEUM VIDERE FUTURIBILIA IN SE IPSO, VEL IN ESSENTIA SUA ab aliquibus theologis *aliter* statuitur, etiam negatis decretis praedeterminantibus et admissa *scientia media*.

a) Cum S.BELLARMINUS¹² et MOLINA¹³ dicunt Deum videre futuribilia in *sua scientia de ipsa voluntate creata*, vel in *supercomprehensione* illius, revera non videntur aliud significare quam id quod nos tenemus; aiunt enim hac scientia Deum videre *ipsum actum ut a voluntate egredientem*. Si vero futuribile videri intelligerent in solo actu primo voluntatis, manifeste medium ponerent insufficientes.

Quod pauci quidam innuere videntur, determinationem voluntatis non esse quid *re distinctum* ab ipsa voluntate¹⁴, difficulter capitur; aliud est enim actum voluntatis (determinatio non est quid ab eo distinctum) non esse quid subsistens, aliud valde diversum non esse quid reale, realiter distinctum a facultate volitiva, quae determinatur per illam ad unum videntur.

176. b) Recentiores quidam theologi¹⁵ non negant vero quodam sensu dici posse futuribilia *in se ipsis* videri a Deo; simul tamen asserunt simpliciter dicendum esse *Deum videre omnia*, etiam *futuribilia, in essentia sua cognita*, quod aiunt pertinere ad necessariam perfectionem divinae scientiae. Verum hi auctores non videntur attingere statum huius quaestionis, prout eam proposuimus. Non enim putant essentiam divinam connexam esse cum determinato extremo libertatis; ideo, vel addere solent *praesupponendam esse liberam determinationem voluntatis*, quo iam *essentia* non est *medium* illius primo cognoscendae; vel *concursum* conditionate collatum appellant, quod insufficientes est, ut in obiectionibus solvendis dictum est.

Addunt etiam essentiam, utpote *speciem* divinae scientiae, necessario *repraesentare* intellectui divino omnem veritatem, etiam futuribilis; ideo non cognosci haec a Deo, nisi in quantum in *essentia* divina repraesentantur. Hic vero modus loquendi reiiciendus est ex supra notatis de specie in Deo; praeterea proprie loquendo species est *medium* mere *quo*, non in *quo*; foe-

¹² De gratia et libero arbitrio l.3 c.8.15.

¹³ Concordia d.52; v. M.LEDRUS, La science des actes libres: NouvRevTh 56 (1919) 128-151.

¹⁴ Ita GREGORIUS DE VALENCIA, Commentaria in Summam S.Thomae t.I d.I q.14 p.5. de quo W.HENTRICH, Gregor von Valencia und der Molinismus (Innsbruck 1928, PhGrenzwiss II, 4-5), qui hanc explicationem Valencianismum vocat. Recentius hanc theoriam excitavit Th.DE REGNON, Bañes et Molina (Paris 1883), eamque sequuntur DE SAN, 83, et MÜLLER, De Deo uno (Innsbruck 1903) 615. Quid simile profert SCHEEBEN, Dogmatik 2 p.728.

¹⁵ Id ponunt cum philosophis HONTHEIM, 876ss; SCHAAF, 343ss. 367; RAST, 303ss; PESCH, prop.36 schol.1 n.235, prop.40 et n.282; LENNERZ, th.9,336-364; POHLE-GIERENS, 200. An his adnumerandus sit FRANZELIN non clare patet, etsi locutionem generalem habet th.38 *Deus omnia videt essentia sua*; non enim quaerit in ea determinationem ad cognitionem, ut faciunt ii auctores nec rem ex proprio tractat, ut recte notat LOINAZ, 685 n.6. Peculiarem expositionem affert BILLOT, p.2 c.1; de qua v. MUNCUNILL, 477-494.

cundat enim intellectum; neque necessario ad modum *similitudinis formalis* obiecti intelligi debet. Neque ipsis auctoribus sufficiens est haec explicatio; addunt enim *supponendam esse veritatem obiectivam futuribilis*; veritas igitur futuri conditionati *non fundatur formaliter et immediate in essentia divina*, neque est haec *medium prius cognitum in quo futuribile cognosci possit*.

177. Afferunt quidem hi auctores in suam sententiam plures auctores antiquos, imo aiunt eam esse *communissimam* et fere universalem. Sed id non satis probandum videtur, si dicta antiquorum in sensum proprium declarant, ut statim notabimus¹⁶. Praesertim nequit omnino adduci pro ea SUÁREZ, ut communiter hi auctores faciunt, si agitur universaliter de scientia Dei de omnibus rebus extra se, ac praesertim si volunt istam sententiam extendere etiam ad cognitionem futuribilem. Adducunt certe locum operis *De Deo*¹⁷. Verum hoc loco non agit SUÁREZ de omni Dei scientia sed tantum de scientia *possibilium*, ut in titulo capitis habetur: *De scientia, quam Deus habet de creaturis ut possibilibus*. Igitur certe scientia Dei de possibilibus est illi tantum *in Deo ipso*; etsi probabilitatem alterius scientiae eorum in se ipsis agnoscit. Verum nihil dicit de scientia Dei de futuris (nec de futuribilibus); de modo enim illius c.3 ad opusculum *De divina scientia* lectorem remittit; iam in illo non solum locutio *Deum videre futura in se ipso* nuspiam apparet, sed expresse excludit modos quibus id dici posset, ac tandem non nisi *in eorum obiectiva veritate* videri dicit.

c) Sunt quidem alii, qui cum RUIZ DE MONTROYA¹⁸ formulam *Deus cognoscit omnia in se ipso* retinent, quatenus mere significet rationem *obiecti formalis* pro Dei scientia esse ipsam *essentiam* Dei, quam quidem rationem explicant fere ut supra expositum est, sed nullo modo constituat *cognoscibilitatem futuri aut futuribilis*, quod putant contineri apud antiquos in praepositione in dicta de scientia, ut in Scholio 2 attingimus. Discrimen igitur inter hanc et nostram expositionem videtur esse tantum de modo loquendi.

178. Scholion 2. QUID SIT S.THOMAE DEUM OMNIA COGNOSCERE IN SUA ESSENTIA, VEL IN SE IP SO. Ita passim S.Doctor loquitur¹⁹; quid autem significet ipse exponit: *«In seipso quidem cognoscitur aliquid quando cognoscitur per speciem propriam adaequatam ipsi cognoscibili... In alio autem videtur id quod videtur per speciem continentis, sicut pars videtur in toto per speciem totius; vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri. Sic igitur dicendum est quod Deus seipsum videt per essentiam suam. Alia autem videt non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem [speciem] aliarum rerum»*: q.14 a.5. Idem ergo S.Thomae est aliquid videri *in se ipso*, atque cognosci *per speciem sui propriam*. Quidquid ergo non cognoscitur per speciem propriam dicitur *in alio* videri.

¹⁶ Id distinguit etiam LOINAZ, l.c.

¹⁷ *De Deo* l.3 c.2 n.16.19; eodem modo rem agit l.2 c.25 n.43ss et *Metaphys.* d.30 s.15 n.26.

¹⁸ *De scientia Dei* d.10; d.29 s.1; d.75 s.1 etc. In idem recidere videtur formula a LOINAZ adducta, *Deum alia a se non nisi dependenter a cognitione sui et quasi trans essentiam cognitam cognoscere* n.679.

¹⁹ I q.14 a.5.6; q.18 a.4, etc.; J.GROBLICKI, *De scientia futurorum contingentium* sec. S.Thomae eiusque primos sequaces (Krakan 1938).

Identitas utriusque locutionis «per speciem propriam», «in se ipso» patet q.15 a.1, ubi in 2 obiectione dicitur: «Deus in se ipso cognoscit omnia», et in responsione ad 2 dicit: «licet Deus per essentiam suam se et alia cognoscat...» Et q.84 a.5 dicit: «Aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in obiecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant... Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut *in cognitionis principio*; sicut si dicamus quod in sole videntur ea quae videntur per solem. Et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscat in rationibus aeternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale quod est in nobis, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes aeternae».

In explicanda autem hac formula S.THOMAE semper *speciem* meminit, numquam *connexionem obiectivam* rerum; quod quidem signum esse videtur eum non agere de medio *in quo obiectivae connexionis*. Cum autem S.Thomae agens de scientia Dei rationem causae primae affert, ut FERRARIENSIS notavit²⁰, rationem dat *cur* Deus cognoscat omnia, non ut *modum* declaret *quo* ea cognoscit. Ideo cum de futuris contingentibus absolutis agit, q.13 a.13 et alibi in modo veretur dicere ea *in se ipsis* a Deo cognosci, numquam, quod sciam, in se ipso; a fortiori hoc dixisset de *futuribilibus*, si de modo eorum cognitionis verba fecisset.

Accurate perpensis locis S.THOMAE et aliorum antiquorum Doctorum, ita concludit RUIZ DE MONTROYA: «In communi modo loquendi theologorum [antiquorum] cognoscere creaturas *in se ipsis*... est cognoscere creaturas *per species proprias* creaturarum...; propositio *in* denotat obiectum formale»²¹. Ac notandum est quod addit, quodque n.167 ex parte retulimus: «non esse munus obiecti formalis constituere obiecta materialia in esse *verorum et intelligibilium*, sed supposita eorum determinata veritate et intelligibilitate, determinare ad iudicandum de illis»²² (quod tamen, ex dictis non proprie de ipso obiecto formali, sed de specie quae illi adaequatur dici debet, agendo de intellectu divino).

²⁰ *Comment. in Summam contra Gentes* l.1 c.66 n.5 (ed. Leonianae op. S.Thomae 13, 186). «Adverte quod hoc loco non investigatur modus cognitionis non entium, sed absolutae eorum cognitionis». In vulgatis quibusdam editionibus CG 1 c.68 in titulo post verba «Oportet ostendere quod Deus cogitationes mentium et voluntates cordium cognoscat» additur «in virtute causae, cum ipse sit universale essendi principium», quae verba in critica editione Leoniana iure ommissa sunt (t.13). De mente S.THOMAE v. quae disserunt DE SAN, 224-229 cum n.1 p.590-745; MUNCUNILL, 452-476; STUFLE, *De Deo operante* 159-188.

²¹ *O.c.*, d.11 s.3 n.5.6.

²² *O.c.*, d.24 s.3 n.16.

At nostris diebus quaestio de medio *in quo*, ut notavimus, est praecise de *intelligibilitate* intelligibilium materialium et de fundamento veritatis illorum; immerito ergo affertur locutio antiquorum, quae hanc quaestionem non attingit, ad sententias novas firmandas.

Quare putamus contra nostram expositionem nullo modo afferri posse auctoritatem S. Doctoris; imo eam bene cohaerere cum eius explicita doctrina de scientia futurorum contingentium.

179. V. **Divisiones scientiae Dei**²³. Quatuor praecipuas divisiones scientiae Dei notamus, secundum distinctionem rationis cum fundamento in ipsa eius infinitate.

1. *Ratione obiecti cogniti dividitur* in scientiam *simplicis intelligentiae* et scientiam *visionis*: q.14 a.9. Prior est scientia possibilem; altera scientia rerum aliquando existentium. Scientia simplicis intelligentiae novit Deus, ex dictis, possiblem omnia, etiam non pure talia; aliqui tamen auctores eam ad pure possiblem limitare videntur²⁴.

Inter utramque scientiam aliud membrum constituimus scientiam quam ideo *mediam*²⁵ vocamus, quae est scientia contingentium conditionate futurorum sine medio connexionis. Nam etsi futuribile ut tale non sit nisi unum ex possiblem, tamen cum utrumque extremum libertatis possibilem sit, non est illud futuribile determinatum cognoscibile in signo possibilem; aliunde futuribile non est absolute futurum, ergo nec cognoscibile scientia visionis. Thomistis vero scientia futuribilem secundum *obiectum materiale* pertinet ad scientiam simplicis intelligentiae, nam non est quid aliquando exstiturum; secundum *medium cognitionis* ad scientiam visionis, quia fundatur in decreto subiective absoluto Dei.

2. Datur in Deo scientia *absolute necessaria*, quae est scientia de se ipso et de possiblem, et *scientia libera* de rebus creatis aliquando existentibus, quae praesupponit liberam voluntatis divinae determinationem, nec est *necessaria*, nisi hac suppositione, seu *hypothetice*.

Scientia futuribilem est quoque *media* inter utramque²⁶; nam non est absolute necessaria, quia creatura aliter determi-

²³ De his divisionibus, cf. auctores passim; ut URRÁBURU, 13-21.

²⁴ Ita thomistae plures, ut videtur, et DE LA TAILLE, l.c.; ipse S. THOMAS explicite certe de his agit.

²⁵ De hoc nomine multa dicta sunt, quae mere nominalem disputationem continere videntur. MOLINA certe primus videtur fuisse qui illud adhibuit, ut membrum alterius divisionis. Suárez raro utitur hoc nomine; cf. SAGÜÉS, *Suárez ante la ciencia media*: l.c., 275. Iure tamen admissa est. Imo nunc frequenter hoc nomine non tantum scientia media proprie dicta, sed in universum scientia futuribilem nominatur.

²⁶ Hoc sensu eam MOLINA distinguit a naturali et libera, l.c.

nare se potuisset; aliunde non praesupponit liberum decretum Dei; est ergo scientia media Deo *contingens*, sed non *libera*.

3. Distingui solet scientia *approbationis* et *improbationis*, prout eius obiectum placet aut displicet Deo, secundum modum loquendi S. Scripturae, quo Deus dicitur *scire* vel *nosse*, quae ab ipso approbantur, ac *nescire* quae improbantur: Ps 1,6; Mt 25,12; Rom 8,29; 11,2. Patet hanc divisionem scientiae statui prout habet voluntatem coniunctam: q.14 a.8.

4. Dividitur tandem scientia Dei in *speculativam* et *practicam*, secundum quod in sola veritatis contemplatione sistit, vel ad praxim ordinatur. Deus de se ipso speculativam tantum scientiam habet. De aliis vero et speculativam et practicam habere potest, secundum quod scientia divina consideratur ut mere veritatem attingens, vel e contra, et sit de re operabili, et de facto ad operationem ordinatur: q.14 a.16.

180. VI. **De scientia Dei causa rerum**²⁷. Scientia igitur Dei dicitur *practica* in quantum est *causa rerum*; ens enim intelligens operatur ad extra per *intellectum* dirigentem et *voluntatem* decernentem seu determinantem actionem. Ideo dicit S. THOMAS scientiam Dei dici practicam in quantum «habet voluntatem adiunctam», nam «forma intelligibilis non dicit principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, quae est per voluntatem»: q.14 a.8; *De ver.* q.2 a.14.

De *pure possiblem* ac de *pure futuribilem* non habet Deus nisi scientiam speculativam. De *existentibus* quibuscumque creatis habet scientiam et speculativam et practicam. Secundum notiones datas ex S. THOMA, dici debet scientiam *practicam* et *causam rerum* esse scientiam *de possiblem et futuribilem non pure talibus*; haec est enim quae dirigit et habet *voluntatem adiunctam*, quae illam ad operationem *inclinat*. Scientia *visionis* est speculativa de obiecto viso, scientia enim ex suo conceptu obiectum praesupponit, non facit; potest autem esse *practica* respectu alius obiecti. Neque admitti potest scientiam visionis esse practicam per se ipsam et imperium intellectuale²⁸, de quo nunquam meminit S. THOMAS, agens de scientia Dei, ac multo minus veluti potentiam exsecutricem²⁹. «Sciendum ta-

²⁷ Cf. de hac re omnes fere auctores qui quaestiones de scientia Dei attingunt. MOLINA inde opus *Concordia* orditur d.1. Ex SUÁREZ, v. *De Deo* l.3 c.4; prolegom.2 c.10. MUNCUNILL, 432-451; PESCH, 296-298. Thomistae volunt scientiam ipsam visionis ut talem esse quae vocatur causa rerum. Exponimus in textu explicationem quae evidenter fluit ex verbis S. Thomae, v. infra n.215, et HELLIN, 857-865.

²⁸ Ita IOANNES A S. THOMA, o.c., d.18 a.2; GONET, *Clypeus theologiae thomisticae* l.1 d.3 a.2; BILLUART, *De Deo* d.3 a.3 etc.

²⁹ Haec esset «science ouvrière» quam formaliter unam tribuit Deo M. DE LA TAILLE, l.c.; qui praeterea formalem quandam identificationem inter intellectum et voluntatem divinam inducere videtur.

men quod scientia in quantum scientia non dicit causam acti-
vam... et ideo a scientia nunquam procedit effectus nisi me-
diante voluntate, quae de sui ratione importat influxum quem-
dam in volita»³⁰.

Doctrina de scientia Dei *causa rerum* exprimitur saepe lo-
cutione: «non quia res sunt, ideo novit Deus, sed ideo sunt
quia novit»³¹. Cui contraria videtur locutio saepe etiam a PA-
TRIBUS adhibita, praesertim de futuris liberis: «Non propterea
aliquid erit quia Deus scit esse futurum, sed quia futurum
est ideo scitur a Deo»³². Sed nulla est oppositio; nam priori
modo loquendi exprimitur *causalitas* scientiae divinae; altero
prioritas logica obiecti respectu scientiae: q.14 a.8 sed contra
et ad 1.

De ideis divinis. Ideo quod Deus est causa rerum per
suam scientiam patet ponendas esse in intellectu divino *ideas*
rerum producendarum, quod ad eius causalitatem exemplarem
pertinet³³: q.15 a.1. Deus enim «in quantum cognoscit suam
essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut
propriam rationem et ideam huius creaturae»: a.2. Est ergo
idea in Deo cognitio quam Deus habet de possibilibus in sua
essentia. De ea agit S. Augustinus cum ait: «Non extra se quid-
quam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod
constituebat, nam id opinari sacrilegum est» (R 1553).

CAPUT IV

De voluntate Dei

Intellectum in vita entis spiritualis sequitur voluntas. Ideo
«post considerationem eorum quae ad divinam scientiam per-
tinent, considerandum est de his quae pertinent ad volunta-
tem divinam»¹. De voluntate Dei tria dabimus: existentiam
primum et obiectum volitionis divinae; libertatem qua vult alia
a se; divisiones tandem ac perfectionem moralem voluntatis
divinae; his ut complementum omnipotentiae divinae tracta-
tionem adiungimus.

³⁰ De ver. q.2 a.14; 1 q.25 a.1 ad 4; a.5 ad 1; v. infra n.212.

³¹ S. AUGUSTINUS, De Trinitate 1.15 c.13: ML 41,327.

³² ORIGENES, C. Celsum 1.2 n.20: MG 11,835; S. HIERONYMUS, In Jerem. 26,3: ML 24,

844, etc.

³³ V. tractatum De Deo create.

¹ S. TH., 1 prooem. ad q.19.

ARTICULUS I

DE OBIECTO VOLUNTATIS DIVINAE

**Thesis 16. Datur in Deo perfectissima voluntas, cuius
obiectum est ipse Deus et alia a se.**

S. TH., q.19; SUÁREZ, De Deo 1.3 c.6.7; Metaph. d.30 s.16; RUIZ DE MONTOYA, De voluntate
Dei d.1-6; SCHEEBEN, § 96; MUNCUNILL, 509-540.

181. Notiones. VOLUNTAS est facultas spiritualis prose-
cutiva boni et aversativa mali ab intellectu propositi. Eius
actus *volitio* eodem nomine voluntatis saepe designatur. Actus
circa bonum in universum *amor* dicitur; tendentia aversiva in
genere nomine *odii* significari potest. Cum asserimus dari in
Deo voluntatem, patet, ex his quae de vita et intellectu divino
diximus, eam non dari formaliter in Deo per modum *poten-
tiae*, sed tantum per modum *actus* identificati cum ipsa es-
sentia divina; et quidem ita ut licet diversa attingat obiecta
ac diverso modo, simplicissima sit ac unica, entitative spec-
tata. At quoniam tam multa sunt obiecta illius et diversa ten-
dentia illa attingit, opus nobis est de voluntate divina veluti
de facultate loqui, ut radice et *ratione sufficienti* divinae voli-
tionis, distinctione rationis, imperfecta quidem, sed fere ne-
cessaria. Iam in universum duplici modo voluntas afficitur
erga obiectum, aut per modum simplicis *affectus* complacen-
tiae vel displicentiae, aut ut *tendentia* practica, quae princi-
pium est operationis ad extra. Hoc modo voluntas divina est
causa rerum, ut determinans potentiam activam ad execu-
tionem: a.4².

PERFECTIO infinita voluntatis divinae, praeter rectitudinem
ac *sanctitatem*, exigit etiam eam esse *immutabilem*, non solum
physice, sed etiam moraliter; mutatio enim mere moralis, licet
consistere posset cum immutabilitate physica, excludi debet
a Deo³. Ad perfectionem tandem voluntatis divinae pertinet
plena efficacia, in his nempe quae absolute et omnimode vult
a.6; ideo *omnipotens* dicitur, seu coniunctam habet necessario
omnipotentiam.

182. OBIECTUM voluntatis dicitur, ut patet, id quod sub-
iectum volens vult, id erga quod afficitur, vel facere, vel pro-
ducere, vel acquirere vult, vel e contrario quod respuit. Dividi
solet in obiectum *formale* et mere *materiale*; formale quod

² Disputant auctores an in Deo ponendus sit appetitus innatus, sensu scholasticorum.
Cf. MUNCUNILL, 510,517; URRÁBURU, t.8,123-125; HELLÍN, 866-868.

³ SUÁREZ, Metaph. d.30 s.9 n.50-61, ubi etiam declaratum reperies discrimen inter
scientiam et voluntatem in hac quaestione.

propter se appetitur, materiale quod tantum appetitur propter aliud. Prius est *finis* voluntatis, ac vocari solet obiectum specificativum et determinativum illius; si mere materiale est habet rationem *medii*. Haec proprie accipiuntur cum agitur de voluntate producta, ut est creata; in voluntate divina non nisi ad modum *rationis obiectivae*, vel cum addito *quasi*. Cum enim voluntas divina non sit producta, nulla ei potest assignari *causa* a.5, neque efficiens, neque finalis. Potest tamen esse sermo de *fine* voluntatis divinae, ut de ratione obiectivae volitionis, quo dicitur Deus velle aliquid propter se vel propter aliud, quo fit ut res sint *propter finem* ut veram causam finalem⁴.

Obiectum voluntatis divinae est, tum ipse *Deus*, tum *alia a se* universa, quae tamen diverso modo attinguntur a divina voluntate. Disputant auctores an possit poni in Deo amor simplicis complacentiae erga pure possibilium⁵.

Deus est obiectum *primarium*, et vero quodam sensu obiectum *formale* et veluti specificativum divinae voluntatis, utpote illi commensuratum. Alia vero sunt voluntati divinae obiectum *secundarium*; non tamen, praesertim entia rationalia, rationem habent pro divina voluntate obiecti *mere materialis*, aut quasi *medii* proprie dicti, quod non videtur stare posse cum amore benevolentiae⁶. Latiore autem sensu, in quantum bonum in illis amatum fundatur in bonitate divina, vocantur a pluribus auctoribus obiectum *materiale*⁷.

Notandum vero, ut de scientia Dei tradidimus, imo *a fortiori*, rationem veluti determinativam voluntatis divinae proprie dictam, totam quantam in eius perfectione subiectiva, seu in essentia divina quaerendam esse, quamquam aliter. Tendentia enim voluntatis non est quasi receptiva, ut cognitio, sed potius impulsiva. Quod si nihilominus scientia divina, utpote actus purus, nequit intelligi determinata ab obiecto, multo minus id de voluntate sentiendum est, sed tenendum ipsam se ipsa veluti determinatam esse; quod S. THOMAS a.5 et saepe alias apprime effert.

Voluntas divina versatur etiam circa *mala* a.9. *Malum* quidem ut malum detestatur Deus, ac malum *morale* nullo modo, ne indirecte quidem, aut medium intendere potest; potest autem illud *permittere*. *Malum physicum* indirecte intendere potest, in quantum alicui bono coniunctum est⁸.

⁴ V. SUÁREZ, *Metaph.* d.23 s.9; URRÁBURU, 134-137.

⁵ MUNCUNILL, 551-558; URRÁBURU, 134-137.

⁶ LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* l.14 c.3; J.DALMAU, *La bondad divina y la gloria de Dios fin de la creación*: EstEcl 20 (1946) 509-553.

⁷ MUNCUNILL, 522-524; HELLÍN, 905-910.

⁸ TH.MOLINA, *Das Leiden in Weltplan* (Innsbruck 1929); POHLE, 327-330; URRÁBURU, 161-167; cf. infra n.198.199 et dicenda de providentia n.218.

183. Sententiae. Ex his qui Deum personalem admittunt nemo refertur qui ei voluntatem denegaverit. Doctrina quoque tradita de obiecto et perfectione voluntatis divinae communis est in substantialibus; si forte modum loquendi excipias quorundam theologorum de obiecto formali, quod non in solo Deo, sed etiam in aliis a se ponunt; hoc tamen dicto id solum intendere videntur, ne alia a se intelligantur ad modum mere *medii* strictius dicti a Deo amari⁹.

Doctrina Ecclesiae. Praedicatio universae Ecclesiae perspicue tradit thesim, quae manifeste continetur in doctrina pauciter universali de providentia ac gubernatione mundi. *Anathematismi Damasi et Lateranense I* (D 78 254) unam voluntatem in Trinitate docent. *Vaticanum* Deum voluntate infinitum profitetur (D 1782), additque: *Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario se amat*, a.s. (D 1805).

Valor dogmaticus. *De fide divina catholica et definita.*

184. Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae voluntatem Dei praedicant singulis fere paginis, nihilque eius voluntatem effugere: Ps 134,6. Christus voluntatem Patris perpetuo appellat: Mt 6,10; Lc 22,42; Io 4,34. Amor Dei erga se ipsum docetur cum finis Dei ad extra operantis dicitur ipse Deus: Is 43,7.25. Amorem divinum ad intra testantur Pater et Christus: Mt 3,17; 17,5; Io 17,24. Deus dicitur esse caritas: 1 Io 4,16. Amorem Dei in creata pulchre efferunt: Sap 11,25-27; Is 49,15; Ier 31,3; Io 3,16; 1 Io 4,9 etc.¹⁰

Sanctos Patres afferre supervacaneum est; in sequentibus quaestionibus plura adducuntur testimonia de voluntate et amore Dei.

185. Probatur ratione. I. Voluntas intellectum in vita entis intellectualis consequitur. Quaelibet enim res in bono suo quiescit cum habet, quaerit appetendo cum non habet. Ergo vivens intellectualiter in bonum apprehensum his modis tendit, quod est voluntas: a.1.

2. Ideo Deus necessario amat suam infinitam perfectionem: *ibid.* Alia autem a se ideo amat quia «condecet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare», in quantum possibile est «ut proprium bonum aliis diffundat»: a.2.

⁹ MUNCUNILL, l.c. In auctorum sententiis de hac re attendi debent notiones ab iis traditae de obiecto formali et materiali; non enim uniformiter ab omnibus describuntur, ut notat LOSSADA, *Cursus philosophicus* v.1,168-177.

¹⁰ CEUPPENS, o.c., 168-174.

3. Perfectionem divinae voluntatis, prout exposita est, probat eius necessaria infinitudo. In specie immutabilitas divinae voluntatis probatur quia mutatio voluntatis nequit rationabilis esse, nisi praesupposita mutatione ex parte cognoscentis. Atqui substantia et intellectio divina immutabilis est. Potest autem voluntas Dei immutabilis velle mutationem rerum, ut planum est: a.7.

Voluntatem divinam esse CAUSAM rerum probatur, quia agens quod per intellectum ut dirigentem agit, non nisi per voluntatem inclinatur ad opus: a.4¹¹.

Tandem obiectum *primarium*, formale et quasi specificativum voluntatis divinae esse ipsum Deum, patet quia voluntatis perfectione infinitae non aliud potest esse huiusmodi obiectum quam bonum infinitum.

186. Obiectiones. 1. Voluntas intelligi nequit nisi ut motio ipsius volentis. Atqui Deus nullo modo movetur. Ergo non potest tribui formaliter voluntas Deo, sed tantum eminenter.

Dist. mai. Nequit voluntas intelligi nisi ut motio metaphorica, *trans. mai.*; nisi ut motio realis, *subdist. mai.*: voluntas quae sit actus facultatis potentialis, *conc.*; voluntas quae sit volitio subsistens, *nego. Conc. min. et nego cons.*, nam volitio, utpote perfectio in se perfectissima nequit contineri in perfectione superiore, quae non sit formalis volitio. Imo quo perfectior est appetitus creatus, minus habet de motione reali et physica; ideo necessario in ente perfectissimo reperiri debet sine ulla motione: a.1 ad 3. Ideo iure dicit S.BONAVENTURA: «Voluntas in Deo est magis proprie et completiori modo quam in nobis»¹².

2. «Cuiusque volenti sufficit aliquid volitum, nil quaerit extra illud. Sed Deo sufficit sua bonitas, et voluntas eius ex ea satiatur. Ergo Deus non vult alia a se»: a.2,3.

Dist. mai. Cui sufficit aliquod volitum nihil ultra quaerit necessario, et ratione alius boni, *conc. mai.*; nihil ultra velle potest libere, et ratione suae bonitatis, quae diffundi potest, *nego mai.*: ad 3.

187. 3. Si voluntas Dei est omnino immutabilis, sequitur Deum per totam aeternitatem odio habere peccatorem, etiam conversum. Atqui hoc absurdum est, et S.Scripturae expresse contrarium Ier 28,7; Ez 18 etc. Ergo dici nequit voluntas Dei moraliter immutabilis.

Dist. mai. Ex immutabilitate Dei sequitur Deum per totam aeternitatem odio habere peccatorem pro tempore quo erat peccator, *conc. mai.*; pro tempore quo conversus est, *nego mai. Contradist. min.*, nam non est id magis absurdum quam Deum videre per totam aeternitatem peccatorem peccantem eo momento quo peccat. Locutiones S.Scripturae indicant modo anthropomorphico perfectam et plenam remissionem peccati ex parte Dei, qui simul etiam per totam aeternitatem amat peccatorem pro tempore quo non est peccator:

Inst. Atqui manet absurdum. Nam absurdum est manere tendentiam aversivam in rem, cum res bona est; paritas ergo cum intellectu stare non videtur. Aliunde mutatio moralis stare potest cum immutabilitate physica,

¹¹ Cf. dicta de scientia practica et causa rerum n.180 q.14 a.8.16.

¹² In I d.45 a.1 (ed.Quaracchi 1,779).

ex dicendis de constitutivo libertatis divinae. Ergo potius dici debet voluntas Dei moraliter variabilis pro obiectorum varietate.

Nego inst. et rationem additam dist. eodem modo. Absurdum est manere tendentiam aversivam pro tempore quo bona est, *conc.*; pro tempore quo non erat bona, *nego*; sicut non est absurdum simul cum aeterna tendentia aversiva stare aeternam pariter tendentiam prosequitivam pro tempore quo peccator conversus erit. Quidquid est an cum mutatione morali stare possit immutabilitas physica, cum intellectus divinus, ut in probatione dictum est, utramque rationem ab aeterno perfectissime repraesentet, imperfectum esset voluntatem non eodem modo aeternam et immutabilem esse.

ARTICULUS II

DE PROPRIETATIBUS DIVINAE VOLUNTATIS

Thesis 17. Deus liberam habet voluntatem quoad alia a se.

S.TH., q.19 a.3.10; SUÁREZ, *Metaph.* d.9.16; *Relectio de libertate Dei* op.5; RUIZ DE MONTOYA, d.788; MUNCUNILL, 541-591; KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* I,4.

188. Nexus. Proprietas voluntatis divinae, quae praecipue exponi et defendi debet, est libertas qua intendit ac vult res a se diversas.

Notiones. LIBERTAS proprie dicta, sive libertas *indifferentiae*, est illa proprietas voluntatis qua subiectum volens ita tendit in rem aliquam ut simpliciter potuerit in illam non tendere; est igitur *volitio* non necessaria, *antecedenter non determinata ad illud volendum*, neque ratione obiecti, neque interna qualibet necessitate. Libertas igitur importat *indifferentiam quamdam activam* in voluntate, quae non nisi per se ipsam determinetur ad unum¹.

Amor Dei in se et suam bonitatem necessarius est, ut diximus. Neque potest esse liber summo bono amor complacentiae in bonum ac displicens aversio in malum. Libertas igitur divina intelligi nequit nisi in voluntate *relate ad res a se diversas*. Ideo dici solet Deum esse liberum in *operationibus ad extra*. Quod quidem intelligi nequit ac si sola actio ad extra vel formale exercitium omnipotentiae esset liberum², sed simpliciter volitionem ipsam divinam ut est actus immanens esse liberam. Libertati divinae non officit, ut patet, necessaria voluntas ex suppositione alius voluntatis liberae; ideo libertas divina defendi debet praecipue in voluntate *creandi*. Tamen, etiam crea-

¹ V. SUÁREZ, *De gratia, Prolegomenon* 1.

² Id tamen visus est dicere VÁZQUEZ, *Commentariorum ac disputationum ac disputationum in primam partem S.Thomae* (Compluti 1958) t.1 d.80 c.1 n.1 p.643 (cf. GÓMEZ HELLÍN, op. infra n.1 2 referendo p.231).

tione posita, amplius omnino campus relinquitur libertati divinae, res hoc aut illo modo disponenti, tum in ordine naturali, tum vel maxime in ordine supernaturali.

Ulteriore rei declarationem dabit scholion de constitutivo libertatis divinae.

189. Adversarii. Plures sunt errores oppositi divinae libertati. *Fatalismus* omnis cosmicus et pantheisticus, ut *Stoicorum* et *SPINOZAE*, cui adhaeserunt alii quoque philosophi antiqui, libertatem divinam negat³. *ABAEIARDUS* asseruit Deum non alia potuisse facere quam quae reapse fecit⁴. *WICLEFF*, *BUCERUS* et *CALVINUS* necessitate naturae Deum operari dixerunt⁵. *LEIBNIZ* suo optimismo divinam libertatem in discrimen vocavit⁶. *HERMES* et *GÜNTHER* libertatem Dei in sola independentia divinae operationis ab omnibus externis, non in vera indifferentia electiva constituerunt⁷. *ROSMINI* moralem necessitatem in Deo ponit, quae locum non relinquit libertati bilateralis⁸.

Doctrina Ecclesiae. Praeter communem praedicationem et sensum populi christiani, Ecclesia explicite damnavit errores oppositos libertati Dei, eamque clare definivit. *Concilium Senonense* probatum ab *INNOCENTIO* II damnavit propositionem *Abaelardi* (D 374), *PIUS* IX doctrinam *Günther* (D 1655) et *S.Officium* sententiam *Rosmini* (D 1908). *Concilium Florentinum* profitetur Deum creasse mundum quando voluit (D 703), et *Vaticanum* «liberrimo consilio» creaturas creasse (D 1783), ac quemlibet damnavit qui Deum diceret «non voluntate ab omni necessitate libera» creasse (D 1805). *PIUS* XII in *Encyclica «Humani generis»* reprobatur doctrinam asserentem necessariam creationem ex necessitate liberalitatis divini amoris (D 3017).

Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita.

190. Probatur ex sacra Scriptura. Saepe tam in A.T. quam in N.T. operatio et voluntas divina ad extra omnino

libera statuitur. Sint aliqua in specimen. Ps 134,6: *Quaecumque vult Dominus facit in caelo et in terra*; quae verba modo loquendi apud omnes gentes usurpato liberam plane voluntatem denotant. Electio populi Israel, et in specie electio ad regnum unius tribus prae aliis, plane libera est Ps 77,67.68.70: *Et reiecit tabernaculum Ioseph et tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit... Et elegit David servum suum*. Omnia sunt in manu Dei sicut lutum in manu figuli: Ier 18,1-10; Eccli 33,10-15. Mt 20,1-6 parabola de operariis in vinea libertatem Dei in bonis suis distribuendis vindicat, quam magna contentione proponit S.Paulus Rom 9,20ss adhibita similitudine figuli. Eph 1,11: *In quo et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum (πρόθεσιν) eius qui operatur omnia secundum consilium (βουλήν) voluntatis (θέλημα) eius*; ubi βουλή deliberationem rationis et θέλημα determinationem activam liberam significat⁹.

Probatur ex traditione. *SANCTI PATRES* libertatem divinam in universum saepe tradunt; opus praeterea creationis, redemptionis, ordinem gratiae eiusque distributionem libero consilio divino prodiisse docent. *S.IRENAEUS*: «Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere omnia» (R 196 205). *S.HILARIUS*: «Deus extra corporalis naturae necessitatem liber manens, quod vult et cum vult, et ubi vult, id praestat ex sese»¹⁰. *S.AUGUSTINUS*: «Deus ipse numquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?»¹¹ «Sunt autem stulti qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem?... Quibus dicimus: Poterat omnino, sed si aliter faceret similiter vestrae stultitiae displiceret» (R 1577).

Ratio multis modis libertatem Dei demonstrat a.3. Sufficiat duo argumenta innuere. 1. Deus nulla re extra se indigere potest, ac sua bonitate sibi sufficientissimus est. Ergo nulla necessitate alia a se, sed liberrima voluntate, esse vult. 2. Infinitis aliis modis, praeter actu existentes, divina bonitas participari potest. Atqui eorum prae aliis positionis, nulla alia ratio assignari potest, nisi libera Dei voluntas.

191. Obiectiones. 1. Deus creaturas amat in quantum se ipsum amat. Atqui se necessario amat. Ergo etiam creatura.

Dist. mai. Ratio amandi creaturas est amor Dei in se ipsum, *conc. mai.*; eadem tendentia se ac creaturas amat, *nego mai.*

⁹ *CEUPPENS*, 175-177; *SUÁREZ*, *Relectio de libertate Dei*; *F.ZORELL*, *Lexicon graecum N.T.* (Paris 1921) 458; *L.FONCK*, *Die Parabeln des Herrn* (Roma 1909) 355-357; *A.MÉDEBIELLE*, *Épître aux Ephésiens* (Paris 1938).

¹⁰ *De synodis* 44: ML 10,514.

¹¹ *De civitate Dei* 1.22 c.30: ML 41,802.

³ Cf. de his Philosophiae historiographos, ut *KLIMKE*.

⁴ *PORTALIÉ*, *Abélard (articles condamnés)*: DTC 1,46.

⁵ Eorum errores v. apud *BELLARMINUM*, *De gratia et libero arbitrio* 1.3 c.15.

⁶ De optimismo v. scholion 2 n.196.199.

⁷ *KLEUTGEN*, l.c.; *H.HURTER*, *Nomenclator litterarius theologiae catholicae* (Friburgi 1912) 5,1098-1101.889-906; *K.FECKES*: LTK 4,991-993; *A.TOUVENIN*, *Hermes*: DTC 6,2296-2297; *K.ECHSWEILER*, *Die zwei Wege der neueren Theologie* (Augsburg 1926) 81ss; *P.GODET*, *Günther*: DTC 6,1992-1993; *E.WINTER*, *Die geistliche Entwicklung A.Günthers und seiner Schule* (1931); LTK 4,748-749.

⁸ *G.CORNOLDI*, *Il Rosminianismo, sintesi dell'ontologismo e del panteismo* (Roma 1881); *A.DYROFF*, *Rosmini* (Mainz 1908); *F.PALHORIÉS*, *Rosmini* (Paris 1908); *M.MORANDO*, *Esame critico delle XL proposizioni rosminiane* (Lodi 1906); *A.MICHEL*, *Rosmini, Propositions condamnées*: DTC 13,2398; *C.CAVIGLIONE*, *Rosmini-Serbati*: *Enciclopedia italiana* Treccan 130, 123-126.

2. Optimus artifex necessario optimum opus facit. Atqui Deus est optimus artifex. Ergo non est liber ad optimum non eligendum.

Dist. mai. Optimus artifex necessario opus facit absolute optimum, *nego mai.* et *nego suppositum*, id esse possibile; optimum relative tale, *subdist.*: si hac formula intelligitur tantum Deum mundum ordinatum debere fecisse, *conc.*; si sumitur sensu cuiusdam optimismi mitigati, *iterum dist.*: artifex creatus, *trans.*; increatus, nulla re indigens et dominus manifestationis suae perfectionis, *nego*. V. Scholion 2.

3. Hermes et Günther arguunt ex falsis suppositis libertatem oriri sive ex affectionum pugna, sive ex possibilitate eligendi inter bonum et malum.

4. Si actus voluntatis divinae est liber, contingens est, ac potest abesse a Deo, saltem potuit ab aeterno non fuisse. Atqui omnia Deo intrinseca necessaria sunt. Ergo Deus formaliter liber esse nequit, sed tantum eminenter.

Dist. mai. Actus liber essentialiter contingens est *entitative* spectatus, *nego mai.*; saltem *terminative*, *conc. mai.*; sc. in Deo actus liberi *entitas* prorsus *necessaria* est, sed *contingenter terminatur ad suum obiectum*, ita ut potuerit non terminari ad illud, ut in scholio exponitur.

192. Scholion I. DE CONSTITUTIVO DIVINAE LIBERTATIS. Difficultas nuper proposita conciliandi libertatem divinam cum eius immutabilitate, aut potius cum eius simplicitate, in maximis totius Theologiae merito computatur; nec verentur magni theologi ingenue fateri nihil adhuc repertum esse quod positive eam solvat; ad eam vero expediendam quaestionem ponunt de *constitutivo* actus liberi Dei in quo sc. praedicato proprie consistat quibusve elementis constet¹². Quid probabilius tenendum videatur breviter attingimus.

a) In primis tenendum est actum liberum Dei esse quid Deo simpliciter *intrinsicum*, nempe idem esse Dei, nec posse constitui per aliquod elementum Deo extrinsecum. Nam denominatio volentis aliquid est penitus intrinseca subiecto volenti, ut quae est actus eius immanens. Ideo reici debet sententia AUREOLI¹³, qui docuisse videtur Deum liberum dici per denominationem extrinsecam ab operis positione. Ait enim Deum liberum esse, quia per volitionem necessariam quam habet potest ponere vel non ponere actum externum creationis. Quod praeterea reiciendum est, quia nullo modo est verum ontologice Deum velle quia aliquid facit, sed e contra ideo aliquid facit quia vult.

In idem fere recidit VÁZQUEZ¹⁴, quem secuti sunt ARRÚBAL¹⁵, TORRES¹⁶ aliique¹⁷. Censent enim actum liberum Dei constitui quidem per ipsam entitatem Dei, sed etiam per habitudinem quamdam ad res creatas, sive ad earum productionem quam ut constitutum intrinsecum connotat, ita ut ipsa habitudo Deo conveniat «non intrinsece, sed extrinseca solum denominatione, quam Deo convenire et non convenire non est absurdum». Quidquid est enim de doctrina circa hanc relationem aut habitudinem, sub-

¹² Auctorum sententias vide recensitas et expositas apud MUNCUNILL, 572; et praesertim apud URRÁBURU, 172-186, et L. GÓMEZ HELLÍN, *La libertad divina según los primeros teólogos jesuitas*: ArchTG 6 (1943) 217-267, qui ibidem 268-342 primo edidit tractatum CARD. I. DE LUGO, *De actu libero Dei*.

¹³ In I Sent. d.47 q.1 a.1; de eo, cf. CAPRELOUS, *Defensiones theologicae divi Thomae Aquinatis* in h.l. (Turinibus 1900) t.2 580-582; URRÁBURU, 172.

¹⁴ In I p. d.80 c.2 p.645-647; GÓMEZ HELLÍN, 230-232.

¹⁵ *Commentarium ad disputationem in primam partem D. Thomae (Matriti 1619)* t.1 d.54 p.343-347; de eo I. DE LUGO, *Disputatio de voluntate Dei* ed. GÓMEZ HELLÍN, l.c., 277-284.290-342; cf. o.c., 241-243.

¹⁶ *Diversorum opusculorum Theologiae* t.1 (Lugduni 1621) op.5 d.4.

¹⁷ GÓMEZ HELLÍN, 243-246; URRÁBURU, 172, qui recte animadvertit diversis modis proponi hanc sententiam a suis patronis. Singularis est positio I. DE LUGO, qui ei non adhaeret, sed eam exponit ut faciliorem in defensione; cf. GÓMEZ HELLÍN, 253-255.262-267.

tiliores distinctiones a patronis huius sententiae invectae propositas supra difficultates non solvunt.

193. b) Deinde actus liber, ut immanens in Deo, realiter *identificatur cum essentia divina*, neque ullo modo dici potest perfectio in sua entitate separabilis ab illa; id enim postulat simplicitas Dei. Quare merito ab omnibus fere exploditur sententia CAIETANI¹⁸, qui actum Dei liberum constituit in quadam perfectione intrinseca Deo, quae abesse potuit; est autem perfectio, ut ait, *extensiva*, quae amorem necessarium quo Deus se amat extendit ad alia; iam carentia illius in Deo imperfectionem non arguit. Haec, si ut sonant intelligi debent, magnam veram imperfectionem arguunt, nempe alicuius realitatis Deo intrinsecae, quae abesse ab illo potuerit.

Similis ei videtur sententia quam tuentur FONSECA¹⁹ et SALAS²⁰; etsi enim negant se ponere in Deo perfectionem quae abesse potuerit, statuunt tamen actum liberum constitui per quamdam extensionem actus necessarii ad creaturas, quae est quidam *modus* se habendi ad creaturas. Quae quidem, si de actu libero entitative spectato interpretari debeamus, ut videtur, admitti nequeunt.

194. c) Standum igitur communiori²¹ declarationi, quam praeclara P. SUÁREZ²² expositione proponimus. Velle divinum, utpote *infinite* in linea volitionis, habet sua simplicissima entitate quidquid determinationis intrinsecae necessarium est ut sit volitio huius aut illius rei, necessario si volitio necessaria est, libere si libera. Id quidem, utcumque mysterium est maximum, necessario postulat infinitas divinae volitionis, quae non est actus productus, neque speciem sumit ab obiecto, neque est entitas ex se solum habens quod sit tententia in obiectum. Haec certe in volitione creata necessario locum habent, sed manifestam imperfectionem important, quae Deo inesse nequit.

Neque aliunde prorsus necessaria sunt ad notionem libertatis. Quod enim necessarium est ad liberam volitionem obiecti intelligendum, non est praecise ipsum actum sua entitate contingentem esse, sed voluntatem *contingenter terminari ad hoc obiectum*. Id quidem in creatis nequit haberi nisi per entitatem contingentem actus, quae nequit non terminari ad obiectum; in Deo e contra habetur necessario per ipsam suam necessariam entitatem, quae contingenter terminatur ad obiectum. Ergo discrimen inter libertatem creatam et divinam in hoc est, quod creata libertas importat necessario indifferentiam *potentiae* ad entitatem actus; libertas vero divina importat indifferentiam *actus puri* ad hoc ut terminetur vel non terminetur ad obiectum.

En sensus distinctionis propositae in solutione difficultatis; libertas divina *entitative* spectata est quid necessarium; *contingenter autem terminatur ad obiectum*, cum potuerit non terminari ad illud.

¹⁸ In I q.19 a.2 et 3; in edit. Leoniana op. S. Thomae, 4,233-236. De ea cf. SUÁREZ, l.c., n.7-28; URRÁBURU, 175, ubi diversos sensus quos potest habere haec explicatio.

¹⁹ *Commentarium in libros Metaphysicorum Aristotelis* (Lugduni 1605) t.3 l.7.

²⁰ In *primam-secundae Divi Thomae* (Barcinone 1607) t.1 tr.3 p.673-676; v. URRÁBURU, 176; GÓMEZ HELLÍN, 232-234. An his annumerandi sint PALLAVICINUS et SYLVESTER MAURUS non liquet, URRÁBURU, 174.

²¹ Longam seriem auctorum v. apud URRÁBURU, 178, qui tamen non omnes eadem perspicuitate hanc sententiam proponunt. Satis clare eam docere videntur TOLEDO, In *Summam S. Thomae enarratio* (Romae 1869) I q.19 a.2 p.252-254; S.R. BELLARMINO, *De gratia et libero arbitrio* l.3 c.17; GREGORIUS DE VALENCIA, *Commentarium Theologicorum* (Ingolstadt 1591) t.1 q.19 p.3.404SS; ALBERTINI, BECANUS, TANNER, ZÚÑIGA, de quibus v. GÓMEZ HELLÍN, 235-239; RUIZ DE MONTAÑA, d.11SS etc. Eam tenent communiter recentiores theologo et philosophi scholastici, qui hanc quaestionem attingunt; cf. MUNCUNILL, URRÁBURU, l.c.; HELLÍN, 650-668.

²² *Metaph.* d.30 s.9 n.35-61.

Dices: Ergo actus liber ponitur forma quaedam in se necessaria, quae tamen non confert necessario suum effectum formalem primarium. Atqui id concipi nequit.

Dist. mai. Actus liber Dei ponitur forma proprie dicta, nempe entitas quaedam tota quanta ad hoc destinata ut det hunc effectum formalem, ut est actus liber creaturae, *nego mai.*; ipsa entitas absoluta Dei id habet ob eminentiam descriptam ut sit veluti forma denominans Deum id aut illa pro lubitu volentem, *conc. mai. Contradist. min.* Concipi nequit forma proprie dicta quae non conferat suum effectum formalem primarium, *conc. min.*; concipi nequit entitas absoluta Dei quae illum effectum quasi formalem seu illam denominationem contingenter conferat modo descripto, *nego min.*

195. N.B. 1.^o Eminentiam divinae libertatis vix aliter exprimere possumus nisi per modum cuiusdam *relationis* ad obiectum, quam tamen mere *secundum dici* aut *rationis* esse communis et vere dicitur. Nec tamen ideo proprie dici potest libertas divina *constitui* per relationem rationis ad obiectum; nam ratio rationis nihil est in Deo. Referuntur tamen plures auctores qui id stituisse dicuntur²³; verum magnam saltem partem non id intendere videntur, sed tantum hoc quod dicimus *terminari ad obiectum* esse modum loquendi relativum a quo non possumus praescindere.

2.^o Distinctionem *virtualem intrinsecam* inter volitionem necessariam et liberam in Deo posuerunt ESPARZA²⁴, VIVA²⁵ et forte aliqui alii auctores²⁶. At, etiam omissa repugnantia huius distinctionis, parum iuvare videtur in hac quaestione; nam illa distinctio vix permittere videtur aliquid virtualiter distinctum ab alio in divinis posse deficere, ut volitio divina libera deficere posset. Neque solum nomen distinctionis *virtualis* hocce genus distinctionis necessario significare videtur, nam saepe talis dicitur distinctio rationis ratiocinatae. Ideo paritas cum mysterio Sanctissimae Trinitatis, quam acute versat I. DE LUGO²⁷ in hac re, non videtur significare illam virtuales intrinsecam distinctionem, neque intimum divinae libertatis constitutum revera attingere; sed id unum efficit, quod omnes admittunt, contradictionem excludi per distinctionem rationis ratiocinatae inter actum entitative et terminative spectatum, cuius fundamentum aliud non est nisi eminentia et infinitas divinae libertatis.

196. Scholion 2. DE OPTIMISMO. Evidens est Deum subjective *optime* agere et velle. Sed optimismus dicitur doctrina quae tradit etiam *obiective* Deum necessario optimum velle et operari; ex quo sequitur mundum creatum de facto a Deo esse optimum. Diversis modis haec theoria proposita est.

a) LEIBNIZ²⁸ dicit Deum simpliciter teneri ad optimum, secus ageret sine ratione sufficienti; mundum igitur esse revera optimum possibilem, nempe in complexu et harmonia partium, nam singulas res in se consideratas perfectiores esse posse iam admittit. Hic modus evidenter pugnat cum divina libertate; nam in hac sententia Deus non posset non producere mundum, et quidem hunc quem produxit. Nec libertatem tuetur LEIBNIZ ex eo quod Deus cognoscat alios mundos in se esse posibles, aut in se non

²³ SUÁREZ, l.c., n.4788; URRÁBURU, 177.

²⁴ De Deo uno q.22.

²⁵ De Deo uno d.4 a.2.

²⁶ V. quos recenset URRÁBURU, 180 ex diversis scholis.

²⁷ Cf. GÓMEZ HELLÍN, l.c., 256-261 s.4 et 5,298-333.

²⁸ Principia Philosophica 9,55; Theodicaea; idem docet MALEBRANCHE, *Entretiens sur la métaphysique* 9 et alii. Cf. F.OLGIATI, *Il significato storico de Leibniz* (Milano 1930); J.MARÉCHAL, *Précis d'Histoire de la Philosophie moderne* 1 (Louvain 1933) c.7.

repugnare quod non creetur mundus; nam si Deus eos facere nequit, aut non producere mundum, non est liber.

b) RUIZ DE MONTOYA²⁹ docet Deum non nisi moraliter teneri ad optimum eligendum, ita ut secus irrationabiliter ageret; manet tamen in eo perfecta libertas physica ad oppositum. Verum haec quoque sententia falsa dici debet et consequenter saltem nocere libertati divinae; nam evidens est Deum simpliciter non habere libertatem ad operandum inconvenienter et irrationabiliter. Ideoque ab omnibus fere reicitur.

197. Neque verum est Deum non eligentem optimum agere irrationabiliter aut sine ratione sufficienti; nam sufficiens ratio eligendi minus bonum est bonum quod in eo est, quod non deficit ex eo quod aliud maius sit. Praesertim cum voluntas divina non specificetur nec sumat perfectionem ex obiecto, ut declaratum est, sed perfectissima sit ex necessitate intrinseca subiectiva; ideoque quodcumque velit optima voluntate vult. Ex quo sequitur quidem Deum nullo modo velle posse malum; non tamen eius voluntatem perfici volitione bonorum.

Neque ex parte gloriae extrinsecae quam Deus finem habet (ut finem saltem *quo*) in operibus ad extra, inferri potest Deum teneri ad optimum. Nam cum Deus nullo modo ea indigeat, eam vult eo modo ac gradu quem vult; est enim plene dominus manifestationis suarum perfectionum. Hae quidem infinitae sunt; sed praecise ob hanc rationem nequeunt infinite manifestari, cum manifestationes externae finitae sint.

198. c) *De facto* tamen Deum voluisse optimum, ita ut mundus creatus optimus sit, plures auctores, etiam Patres et Doctores stituisse dicuntur³⁰, non tamen omnes eodem modo. Qua in re haec tenenda videntur³¹.

1.^o Mundus est *valde bonus* Gen 1,31, in se utique, non praecise optimus seu melior aliis possibilibus. Nam continet omnia genera diversissimis modis et pulchritudine maxima; in ordine supernaturali optima in suo genere, Incarnationem Verbi, divinam maternitatem, visionem beatificam, gratiam supernaturalem. Et quidem optimus seu valde bonus est etiam in ordine ad finem a Deo intentum, ac positus entibus quae de facto creare voluit.

2.^o Sed mundus non est *optimus possibilis*, neque status huius mundi ita optimus est ut non potuerit melius ordinari. Satis patere videtur; nam tum intensive, tum extensive, particulae perfectiones augeri possent, quin pulchritudo et ordo universi quidquam detrimenti caperet, imo vero et maxime auferetur.

3.^o In mundo multa sunt *mala*, quae quidem ordinari possunt, et de facto ordinantur sapientissima providentia, in bonum totius; secus nec posset a Deo permitti. Verum haec multo pauciora et minora esse potuissent. Neque ullo modo ea per se ad ordinem et pulchritudinem universi necessario conferunt, ita ut sine illis non esset mundus adeo bonus; praesertim *mala moralia*; nam mala mere physica, quae talia sunt relate ad entia particularia, directe ut media intendi possunt ad bonum aliorum. Etenim satis absurdum videtur dicere malum morale esse quid necessarium ad pulchritudinem universi; nam Deus non potest nisi permittere illud, eo quod posito illo possit Deus aliud bonum (non praecise maius) inde eruere. Neque hoc quadrat cum his quae de primaria intentione Dei in constitutione mundi et de elevatione ad ordinem iustitiae originalis tradita sunt.

²⁹ De voluntate Dei d.9; eum secuti sunt GRANADO, MAURUS et VIVA.

³⁰ Cf. BERAZA, *De Deo creante* 129-131.1317-1348.

³¹ MUNCUNILL, *De Deo creante* 71-72; HELLÍN, 881-892.

199. Nec valet ratio quae adduci solet, mala moralia necessario permittenda esse ut manifestentur quaedam attributa divina, ut longanimitas et iustitia vindicativa, ac ne impediatur plura bona, quae inde consequuntur, ut virtutes constantiae et patientiae sanctorum, martyrum fortitudo et similia, ideoque et gloria quae Deo his modis datur. Nam nulla est necessitas ut talia attributa manifestentur ad extra, neque ad hoc ut manifestentur opus est ut exerceantur, nam aliis modis obtineri potest eorum manifestatio, nempe cognitio et laus Dei ob illa; imo vero nec potest Deus primaria intentione ante praevium peccatum velle actualem illam eorum attributorum manifestationem. Augmentum vero virtutis in sanctis et gloria Dei inde resultans potest aliis modis per intensiorem caritatem obtineri. «Qui ita arguit comparat domum, in qua paterfamilias quotidie debet condonare vel punire vel tolerare scelera filiorum et uxoris, cum alia domo in qua paterfamilias nunquam deberet reprehendere aut punire aut tolerare mala propter obedientiam et submissionem uxoris et filiorum, et dicit priorem illam domum esse meliorem quam est haec secunda»³².

Afferuntur quidem dicta SANCTORUM PATRUM et S.THOMAE quae id significare videntur. Verum omnibus perpensis haec dici debent scripta in ordine ad iustificandam providentiam actualem; non quod in universum putent revera meliorem esse mundum his defectibus plenum quam sine illis³³. S.THOMAS expresse ait, quod nunquam postea retractavit: «Quaedam vero mala sunt quae si non essent universum perfectius esset: illa scilicet quibus maiores perfectiones privantur quam in alio acquirantur, sicut praecipue est in malis culpa, quae ab uno privant gratiam et gloriam et alteri conferunt bonum comparationis, vel aliquam rationem perfectionis, qua etiam non habita posset perfectio ultima haberi... Unde si nullus homo peccasset, universum genus humanum melius foret; quia etiam etsi directe salus unius occasionetur ex culpa alterius, tamen sine culpa salutem consequi posset; nec tamen haec mala per se ad perfectionem faciunt universi; quia perfectionum non sunt causae, sed occasiones»³⁴.

200. De divisionibus voluntatis divinae.

Variae traduntur ab auctoribus divisiones voluntatis divinae, quae fere ad declarandam eius *efficaciam* pertinent. Quaestio enim exoritur: ex una parte voluntas Dei omnipotens est, ut in sacris Litteris manifeste dicitur: *Omnis voluntas mea fiet* Is 46,10; *Non est qui possit tuae resistere voluntati* Esth 13,9; ex altera vero parte multa sunt quae Deus vult, nec tamen fiunt: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* 1 Thess 4,3; *Deus vult omnes homines salvos fieri* 1 Tim 2,4; Deus vult praecipua sua servari etc. Quomodo haec componi possint his divisionibus ostenditur^{34*}.

Divisiones divinae voluntatis sunt, ut patet, opus *rationis* nostrae, sed cum fundamento in re, in quantum simplicissimus actus divinus, utpote infinitus, sicut pro lubitu haec vel alia attingit, sic diversa obiecta diversa tendentia attingere potest; iure ergo veluti de diversis voluntatibus divinis loqui possumus.

³² HELLÍN, 887.

³³ Ita videtur, si caute expenduntur loci qui afferri solent, ut quos BERAZA refert 1321-1329.

³⁴ In I d.46 q.1 a.3 ad 6.

^{34*} FRANZELIN, th.47.48; MUNCUNILL, 619-623; PESCH, 316-321.

201. Ab HUGONE DE S.VICTORE³⁵ primum statuta dicitur divisio in VOLUNTATEM BENEPLACITI et VOLUNTATEM SIGNI. Eam declarat S.THOMAS, a.11: voluntas beneplaciti est voluntas proprie dicta; voluntas signi est voluntas metaphorica metonymice dicta «eo quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur». Est igitur in universum voluntas signi *signum voluntatis divinae*, quae signa quinque solent poni: prohibitio, praeceptum, consilium, operatio et promissio: a.12. Per se non necessario opponuntur membra huius divisionis, nam optime cohaeret, imo omnino oportet, Deum aliquid revera velle, illamque voluntatem manifestare. Verum divisio haec ideo statuta est, ut intelligatur voluntati beneplaciti, vere in Deo existenti, opponi voluntatem *mere signi*, quae revera non sit in Deo, saltem ut per signum apparere videtur. Id positum est ut explicentur quaedam facta in S.Scriptura narrata, ut praecipuum iniunctum Abrahae holocausto offerendi filium suum Isaac Gen 22, ubi apparet non eam fuisse revera voluntatem Dei, quae videbatur significata illo praecepto. Nempe Deus tentans Abraham, probans sc. eius caecam obedientiam quam volebat, modo humano erga hominem se habens, significat se velle aliquid, quod postea ipse missione Angeli impedivit ne fieret. Voluntas signi hoc modo intellecta extendi non debet ultra ea quae ex Scriptura hoc modo explicari debere constat. Ut patet, nihil habet commune haec doctrina cum blasphemia Calvini, qui docet Deum nullo modo revera velle ut homines praecipua divina servent, sed potius contrarium³⁶.

202. VOLUNTAS EFFICAX ET INEFFICAX. In creatis voluntas *efficax* dicitur quae seria est, ac proportionata media ponit ut effectus obtineatur, licet de facto illum non sortiatur; *inefficax* fere cum velleitate confunditur, est enim quae media non satis quaerit apta ad finem. Cum vero Deus omnipotens sit, voluntas in Deo efficax est quae de facto obtinet effectum; et inefficax quae illum revera non obtinet, utcumque seria sit, et media statuatur ex se sufficientia, ut est voluntas qua Deus vult ut peccator servet mandata quae de facto non servat.

VOLUNTAS INTENTIVA, AVERSIVA ET PERMISSIVA. Voluntas *intentiva* vel *approbativa* est quae in obiecto sibi complacet, seu habet tendentiam prosecutivam circa illud, sive efficax, sive inefficax sit, ac vocatur saepe beneplacitum. Voluntati *intentivae* opponitur voluntas *aversiva*, qua Deus detestatur

³⁵ Sive potius ab auctore *Summae Sententiarum* tr.I c.13: ML 176,65-67, de quo satis disceptatur; cf. DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du XII siècle* (Paris 1914) 117-122; M.CHOSSAT, *Le Somme des Sentences oeuvre de Hughes de Mortagne* (Louvain 1923); O.LOTTIN in recensione huius operis: *RevNeoscholPh* 28 (1926) 284-302.

³⁶ FRANZELIN, t.48, scholion; PESCH, 317.

malum, sive efficaciter, sive ineffaciter. Voluntas aversiva inefficax est voluntas *permissiva* mali, quae in Deo importat positivam voluntatem concurrendi cum creatura, sed sine ulla mali intentione.

VOLUNTAS ABSOLUTA ET CONDITIONATA. *Absoluta* est voluntas quae simpliciter aliquid vult aut non vult, sive efficaciter, sive ineffaciter, independenter sc. a conditione, vel saltem ea praecisa, ut detestatio peccati, amor boni, voluntas creandi mundum. Voluntas *obiective conditionata* (subiective conditionata esset *velleitas*, quae in Deo non datur), est quae aliquid vult supposita aliqua conditione, ut est voluntas salvandi homines, si moriantur in gratia, eos damnandi, si in peccato moriantur. Conditio autem e qua pendet voluntas conditionata non potest se habere ex parte solius Dei, sed primario ex parte voluntatis liberae creaturae. Voluntas conditionata, verificata conditione transit in absolutam, et quidem efficacem; quare saepe voluntas efficax dicitur absoluta.

203. VOLUNTAS ANTECEDENS ET CONSEQUENS. S.IOANNES CHRYSOSTOMUS et S.IOANNES DAMASCENUS (R 1202 2358) vocant voluntatem *antecedentem* seu principalem et *beneplacitum* (θέλημα προηγούμενον, πρῶτον, εὐδοκία) quam Deus habet *ex se* et ex bonitate sua salvandi omnes homines. Secundam autem, *consequentem* et *permissionem* (δέυτερον, ἐπόμενον, παράχωρησις) quam habet ex causa nostra damnandi eos qui peccant. Secundum hanc expositionem, qui salvantur, salvantur ex voluntate Dei antecedente; qui damnantur, damnantur ex voluntate Dei consequente.

EX DAMASCENO desumpsit hanc divisionem S.THOMAS, q.19 a.6 ad 1; *De ver.* q.23 a.2, qui dicit voluntatem antecedentem eam esse quae versatur circa bonum in se *praecisis quibusdam adiunctis*; consequentem, quae rem considerat *cum omnibus adiunctis*; ita bonum est hominem salvari, et hoc vult Deus antecedenter; sed non est bonum peccatorem salvari sed damnari, et hoc vult consequenter. Et animadvertere oportet S.Thomam, sicut Damascenum, explicite semper voluntatem consequentem de peccatore ponere.

Inde scholastici communiter voluntatem antecedentem *praecisive* sumunt, eam nempe esse qua Deus vult omnes homines salvos fieri in universum et in quantum homines sunt; voluntatem autem consequentem eam quam *absolute* et efficaciter habet salvandi bonos et praedestinos, et damnandi malos et reprobos. Quinam sit *terminus* respectu cuius voluntas Dei antecedens vel consequens dicitur, quod fere de vo-

luntate salvifica agitur, in propria thesi proponetur. Semper tamen voluntas consequens supponit libertatem creaturae³⁷.

VOLUNTAS DEI LEGISLATORIS spectari potest, vel prout simpliciter est **VOLUNTAS PRAECIPIENS**, vel prout simul est **VOLUNTAS SANCIENS** legem praemiis et poenis. Primo modo non semper impletur; secundo autem modo invicta est. «Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem relabitur in illam secundum alium»: q.19 a.6.

VOLUNTATEM SANCTIFICATRICES distinguit S.AUGUSTINUS prout spectatam secundum omnia auxilia quae sunt in Dei deopostate, vel secundum auxilia quae de facto conferre vult. Priori modo nemo ei resistere potest; altero multi resistunt³⁸.

Ita patet quo sensu vere dicatur voluntas Dei semper impleri, nullumque ei resistere posse: a.6; nempe hoc intelligitur *simpliciter de voluntate efficaci*, quae modo loquendi *antonomastico*, qui frequens est agendo de voluntate, saepe simpliciter voluntas dicitur. De voluntate antecedente, legislatoris etc., quae verissima est voluntas ac beneplacitum, licet non sit efficax, ideo verum est, in quantum qui ab illa libere recedunt, ac a servitio divino voluntarie alienantur, incidunt in subiectionem coactam poenis, a qua nulla potentia liberari possunt.

204. De affectibus et perfectione morali voluntatis divinae.

Plures affectus in sacra Scriptura et in Ecclesiae praedicatione Deo tribuuntur, e quibus alii formaliter et proprie voluntati Dei insunt, alii secundum quid aut tropice tantum³⁹.

AMOR, GAUDIUM, ODIUM, proprie Deo tribui debent, quia nullam in se imperfectionem aut limitationem dicunt. Pulchre de his disserit S.THOMAS, q.20. DESIDERIUM, si mere denotat voluntatem antecedentem respectu creaturae, et IRA in quantum per hoc nomen significatur tantum iustitia vindicativa, proprie etiam Deo insunt; non autem si his verbis significantur *passiones* proprie dictae, quae sicut aliae huiusmodi affectiones tristitiae, spei, desperationis ac timoris, secundum propriam rationem praescindi non possunt ab imperfectione, quae

³⁷ In c.5 iterum de hac re agendum est.

³⁸ FRANZELIN, t.48 eas distinctiones exponit.

³⁹ Multa de his habentur in S.Scriptura (cf. *Concordantias*), CEPPENS, 202-219; HEINISCH, o.c., 92-109, in Sanctis Patribus et in scriptis asceticis et mysticis; in quibus referre iuvat S.FRANCISCUM SALESIUM, in *Tractatu de amore divino*, et P.L.DE LA PUENTE, *Meditaciones spirituales* p.6.^a; similia habentur in LESSIO, *De perfectionibus moribusque divinis* 1.8.9.12.13, atque inter theologos recentiores v. SCHEEBEN, 9,96-102, et LERCHER, 201-234. Theologi scholastici plura inquisierunt de affectibus et virtutibus divinis ac de modo quo ea compeant Deo, quae diligenter indicata cum suis auctoribus v. apud URRAURU, 167-225. Ratio disceptationis erat quod cum in Scriptura et Patribus saepe in his designandis adsit loquendi modus metaphorice ac tropicus, vix ex fontibus possunt plura definiri; unde ratio potius decidi debet an et quomodo affectus huiusmodi ac virtutes possint omnino ab imperfectionibus praescindi, quibuscum apud creatam voluntatem necessario commixtae sunt.

cum summa Dei beatitudine ac potentia componi nequeunt; igitur locutionibus quibus haec Deo tribuuntur sensus subest metaphoricus aut metonymicus.

Deus est infinita SANCTITAS seu perfectio moralis; ideo ut *Sanctus* a beatis spiritibus praecipue laudatus manifestatur Is 6; hanc sanctitate *exemplar* est et *auctor* nostrae perfectionis: Mt 5,48, *legislator* et *vindex ordinis moralis*, ut iam in primaeva revelatione ostenditur: Gen 2,16; 3,9ss; 4,4-12; 6,18.20-32. IMPECCABILITAS absoluta Dei, quam sensu communi eius sanctitas includit, optime declaratur a S.THOMA, q.63 a.1, ex eo quod «divina voluntas sola est regula sui actus, quia non ordinatur ad altiorem finem», unde repugnat in terminis quod eius voluntas opponatur normae moralitatis. Inter particulares morales perfectiones divinae voluntatis maxime celebrantur in sacris Litteris *veracitas, fidelitas, liberalitas, iustitia et misericordia*: q.21.

205. De IUSTITIA agitur ut est *constans voluntas suum cuique reddendi*. Ex iustitiae speciebus quae recenseri solent, nulla est difficultas *distributivam, remunerativam* et *vindicativam* secundum proprium conceptum, seclusis omnibus imperfectionibus, Deo tribuendas esse, ut summo rerum omnium provido gubernatori. De *legali* aliquantum disputatur. Tandem de *commutativa* relate ad creaturas id dicendum videtur, omisa controversia fere de modo loquendi: si iustitia commutativa intelligitur praecise ut respicit *aequalitatem* inter utramque partem, manifestum est non posse Deo tribui; verum si hoc elementum non adeo essentialia ponitur ad conceptum iustitiae commutativae, proprie potest haec de Deo praedicari, supposita certe benignitate Creatoris aut institutoris ordinis supernaturalis; nam reddere cuique *praemium et mercedem operis* et coronam iustitiae, quod saepissime in sacris Litteris traditur, ad iustitiam commutativam vero sensu pertinet, estque fundamentum meriti bonorum operum⁴⁰.

MISERICORDIA tandem, licet nequeat importare in Deo ullam alienae miseriae tristitiam, bene et formaliter, et quidem maxime Deo convenit, secundum proprium conceptum *promptae voluntatis subveniendi alienis malis*. Quantopere in S.Scriptura et in ecclesiastica praedicatione divina misericordia celebratur notum est, et iure quidem, cum effectus illius patentissimi sint. Statui autem debet, secundum sensum Scripturae et rationem theologiam, illam *primatiam* quamdam supra ius-

titiam obtinere; quia «misericordia est ex divina bonitate proximae et immediate, iustitia autem praesupponit aliquid ex parte hominis. Item iustitia hoc modo supponit misericordiam; non enim potest Deus esse debitor, nisi supponatur misericordia eius»⁴¹.

Cum utrumque attributum misericordia et iustitia in Deo infinitum sit, amice omnino et perfectissime inter se *componuntur*. Quo vero pacto id sit, potest nobis esse ignotum relate ad aliqua, nisi ex revelatione innotescat, quae fortasse non datur, ex sapienti consilio divino. In universum opus est animadvertere manifestationes externas tam iustitiae quam misericordiae non posse esse infinitas, ac Deum dominum absolutum esse modi ac gradus quo utramque perfectionem ostendat.

ARTICULUS III

DE OMNIPOTENTIA DIVINA

Thesis 18. Deus est omnipotens, seu Deo competit potentia activa ad extra, quae ad omnia intrinsece possibilia extenditur.

S.TH., q.25; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.9; *Metaph.* d.30 s.17; MUNCUNILL, 627-665.

206. **Nexus.** Post attributa quae proprie ad vitam divinam pertinent, de attributo operativo ad extra breviter agendum est. Etsi enim in operationibus et effectibus ad extra exponendis peculiare tractatus incumbunt, tamen generalis conceptus et quasi mensura divinae potentiae hic omitti non potest, cum sit attributum valde connexum cum divina voluntate, et proxima tractatio de divina providentia omnipotentiam praesupponat.

Notiones. OMNIPOTENS dicitur qui omnia facere potest; ideo habet *potentiam* operandi. *Potentia activa* ad extra est virtus productiva effectus extra subiectum agens, et vera *causa efficiens*. Toto ergo caelo distinguitur a potentia *passiva*, licet eodem nomine potentiae significetur, neque ullam ex se passivam potentialitatem importat¹. Est ergo potentia activa perfectio *simpliciter simplex*, et immediate radicatur in perfectione naturae.

⁴¹ SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.7 a.16; S.TH., q.21 a.4.

¹ Id maxime attendi debet in omnibus quaestionibus de potentia activa; adeoque nomen potentiae aequivoce fere dici de utraque potentia activa et passiva.

⁴⁰ SUÁREZ, *Disputatio de iustitia qua Deus reddit praemia meritis et poenas pro peccatis. Varia opuscula theologica* op.5; E.ELORDUY, *La justicia de Dios en Suárez*: Boletín de la Universidad de Granada (1942) 21-61; MUNCUNILL, 612-616; URRÁBURU, 206-218.

Actuatio potentiae activae est *actio* proprie dicta, seu causalitas, quae ut talis non est nisi ipsa *productio rei*, estque ex suo conceptu *extrinseca agentis*, tam si in termino importet potentiam passivam, quam secus; ideo actus potentiae activae ut talis non est formaliter perfectio *agentis sed passi vel termini*. Quod si potentia operandi *immanenter* effectum producit qui est perfectio agentis, id accidit quia talis actio recipi debet in ipso agente, ex natura et tendentia eius; ideo in Deo non datur potentia operandi immanenter actum intelligendi et volendi, sed tantum actus, ut notatum est ².

Perfectio potentiae activae mensuratur ipsa *natura* agentis, quae est principium remotum saltem operationis; ideo enim ceteris paribus plura vel pauciora efficere potest, quia natura perfectior aut minus perfecta est. Inde *extrinsece* et quasi *extensive* mensuratur ex numero et perfectione effectuum aut terminorum quos producere potest. Ideo potentia activa Dei, quae infinita est, ad omnia possibilea extendere se debet, seu Deus facere potest quaecumque intrinsece non repugnant ³. Non tamen opus est ut effectus actu infinitos efficiat, nam etiam omnia impossibilitate infinitae multitudinis, omnis manifestatio ad extra attributorum Dei ex eius libera voluntate oritur. Patet etiam, cum Deus sit ens intellectuale, operationem ad extra fieri ab eo *per intellectum et voluntatem*, ut causam dirigentem et determinantem executionem.

207. Adversarii. Adversantur omnipotentiae Dei philosophi quidam *ethnici, manichaei, WICLEFF, SPINOZA* et *pantheistae* omnis generis, e quibus alii potentiam activam Dei limitant, alii eam prorsus negant. *ABAEARDUS* quoque errasse videtur hac in re (D 374).

Doctrina Ecclesiae. *Symbola fidei* primum articulum tradunt Deum Patrem «omnipotentem»; ita *Apostolicum* (D 2ss), *Nicaenum* (D 54), *Quicumque* (D 39), *Lateranense IV* et *Vaticanum* (D 428 1782), quae duo Concilia addunt Deum mundum creasse «sua omnipotenti virtute» (D 428 1790). Ideo in explicita praedicatione Ecclesiae omnipotentia Dei ut fundamentale dogma habetur.

Valor dogmaticus. *De fide divina, catholica et definita.*

208. Probatur ex sacra Scriptura. S.Scriptura iam in primis libris omnipotentiam Dei innumeris modis celebrat et extollit. *a)* *Nomen est Dei El Saddai*, graece παντοκράτωρ, latine communiter *omnipotens*: Gen 17,1 etc.; Ex 6,3; Is 13,6;

² Ita tenendum putamus ex *Metaphysica*; cf. SUÁREZ, d.48. Atque apprime distingui debet actio transiens ab immanentibus quibuscumque necessario in nobis coniunctum est exercitium potentiae activae.

³ Vide, si lubet, dubia antiquorum quorundam auctorum de conceptu omnipotentiae apud SUÁREZ, *Metaphys.* d.30 s.17 n.6-23.

Iob 5,17 saepe alias. *b)* Significatur omnipotentia pluribus *figuris*: verbi et imperii: Gen 1,1; 2,4; Ps 148,5; Mt 8,8; brachii vel manus, dexterarum: Ex 15,6; Ps 43,2-4; 88,14; Is 33,2; 53,1; halitus vel spiritus: Gen 1,2; Iob 26,13; Ps 32,6. *c)* Ostenditur *factis*: in primis creatione: Gen 1; Eccli 18,1; diluvio: Gen 6ss; plagis aegyptiacis: Ex 3,20; 7-12,15; dominatione in omnia elementa naturae: Gen 7,12; 19,24; Ex 3,2; 13,21; 19,16-18; 24-17; Iob 9,4-12; 38,42. *d)* Disserte omnipotentia Deo tribuitur, nihil enim impossibile est ei: Gen 18,14; Lc 1,37; Ps 113,11; Is 55,11; Esth 13,9-11; ideoque solus potens dicitur 1 Tim 6,15, et omnium miseretur quia omnia potest: Sap 11,24; 12,16-18 ⁴.

Probatur ex traditione. SANCTI PATRES in expositione symboli, ut S.IRENAEUS (R 191 194) et alias frequentissime divinam omnipotentiam praedicant. Sint in specimen: TERTULLIANUS irridet HERMOGENEM statuentem materiam infectam «Grande beneficium Deo contulit... nisi quod iam non omnipotens, si non est hoc potens, ex nihilo omnia proferre» (R 323). LACTANTIUS: «Deus facit sibi ipsi materiam, quia potest, posse enim Dei est; nam si non potest, Deus non est» (R 628). S.AUGUSTINUS: «Recte omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quaedam non potest, quia omnipotens est» (R 1741).

209. Ratione ita probat S.THOMAS. 1. Datur in Deo potentia activa. «Unumquodque secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius... Deus est actus purus et simpliciter et universaliter perfectus... Unde maxime convenit ei esse principium activum»: a.1.

2. Potentia Dei est infinita. «Secundum hoc potentia activa invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est. Esse autem eius est infinitum... Unde necesse est quod activa potentia Dei sit infinita»: a.2.

3. Deus est omnipotens. Omnipotens dicitur quod potest omnia possibilea, nempe «quidquid habet vel habere potest rationem entis». «Esse autem divinum super quod ratio divinae potentiae fundatur est infinitum, non limitatum ad aliud genus entis, sed prae habens in se totius esse perfectionem... Quaecumque igitur contradictionem non implicant potest facere Deus. «Ea vero quae contradictionem implicant

⁴ CEUPPENS, 279-284.

convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit ea facere»: a.3.

210. Obiectiones. 1. Qualibet potentia melior est actus. Ergo in Deo non potest poni formaliter potentia activa, sed tantum actus.

Dist. mai. Potentia passiva melior est actus, *conc. mai.*; potentia activa, *nego mai.* «Potentia activa non dividitur contra actum entitativum sed fundatur in eo; nam unumquodque agit secundum quod est in actu... Unde potentia activa non excluditur a Deo»: a.1 ad 1.

2. «Omnis potentia manifestatur per effectum, alias frustra esset. Si igitur potentia Dei esset infinita, posset facere effectum infinitum, quod est impossibile»: a.2,2.

Dist. antec. Potentia univoca, *trans. antec.*; potentia agentis non univoca cum effectu, *nego antec.* «Manifestum est autem quod Deus non est agens univocum... Etiam si nullum effectum produceret, non esset frustra Dei potentia. Quia frustra est quod ordinatur ad finem quem non attingit; potentia autem Dei non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed ipsa magis est finis suo effectui»: ad 2. Eadem ratione solvitur principium in quo fundari vult optimismus.

211. Scholion 1. DE POTENTIA DEI ABSOLUTA ET ORDINATA. Distinctio inter potentiam Dei absolutam et ordinatam a.5 ad 1, duplici sensu intelligi potest: altero absurdo, quo abusi sunt aliqui *nominales* atque *augustinenses*, ac si Deus de potentia absoluta posset aliquid facere contra sapientiam et sanctitatem suam, quia «nihil potest esse in potentia divina quod non possit esse in voluntate iusta ipsius et in intellectu sapiente eius»; altero sano et recto, quem ita exponit S. THOMAS: «Quia voluntas non determinatur ex necessitate ad haec vel illa, nisi forte ex suppositione..., neque sapientia et iustitia determinatur ad hunc ordinem..., nihil prohibet esse aliquid in potentia divina quod non vult et quod non continetur sub ordine quem statuit rebus... Quod attribuitur potentiae secundum se consideratae dicitur Deus posse secundum potentiam absolutam... Quod autem attribuitur potentiae divinae secundum quod exsequitur imperium voluntatis, hoc dicitur secundum potentiam ordinatam», praesertim quod operatur secundum leges generales naturae vel providentiae, sive naturalis sive supernaturalis⁵.

212. Scholion 2. DE FORMALI CONSTITUTIVO POTENTIAE DEI ACTIVAE. Quaeritur inter theologos in quo formaliter reponi debet in Deo potentia operandi ad extra, seu *principium formaliter activum*. In qua quaestione plures sunt qui potentiam activam identificant formaliter cum *actibus immanentibus*, sive cum intellectu, sive cum voluntate, sive cum utroque⁶. Probabilior tamen aestimamus sententiam *formaliter distinguentem* potentiam activam ab illis actibus⁷, cui manifeste favet S. THOMAS: «Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum sc. potentia importat rationem principii *exsequentis* id quod voluntas *imperat* et ad quod scientia *dirigit*»: a.1 ad 4⁸; idem repetit a.5 ad 1: «potentia intelligitur ut *exsequens*, voluntas autem ut *imperans*, et intellectus et sapientia ut *dirigens*»: q.19 a.4 ad 4, et alibi saepe.

⁵ V. URRÁBURU, 231-232.

⁶ Diversos modos quibus haec sententia proponitur v. ex.gr. apud URRÁBURU, 233.

⁷ Ita SUÁREZ, l.c., n.455; MUNCUNILL, 640-651; PESCH, 437; HELLÍN, 936-945, atque eam sententiam ait RUIZ DE MONTOYA, *De voluntate Dei* d.15 s.4, teneri ab antiquis theologis.

⁸ Quae in editionibus adduntur: «Vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae...» iam Sylvio non authentica visa sunt. In editione autem Leoniana (t.4 p.291) haec nota apponitur: «Omittuntur codices...» V. P. BAARD, *La puissance de Dieu* (Paris 1960).

Ratione quoque commendatur haec sententia, nam Deus non ideo est *immediate et formaliter activus* ac potens ad extra quia intelligit, vel quia vult, sed quia essentia eius infinita continet eminenter omnium possibilitium perfectionem; ideo potius in natura ipsa Dei constitui debet eius potentia, sicut in universum *natura est principium operationis*. Quod autem in creatis habeatur *facultas* distincta ab essentia immediate operativa ad extra, quae certe non est ad actus vitales, neque actuatur actibus immanentibus, ad eorum naturae imperfectionem pertinet. Sententia contraria videtur confundere *rationes formales* rerum et formale obiectum diversarum facultatum. Nec quidquam valent quae opponi solent, ut facile constare potest, si modo conceptus potentiae activae et eius actus accurate declarentur. Quod vero attinet quaedam dicta S. Scripturae et Patrum, ipse VÁZQUEZ⁹ propugnator sententiae oppositae agnoscit infirmum esse argumentum; nihil aliud probant nisi Deum operari dirigente intellectu et voluntate imperante. Praeterea nostrae opinioni conformior est communis appropriatio omnipotentiae personae Patris, intellectus personae Filii et voluntatis personae Spiritus Sancti.

CAPUT V

De divina providentia, praedestinatione et reprobatione

213. Post consideratam in se scientiam et voluntatem divinam, opus est agere de his «quae respiciunt simul intellectum et voluntatem. Huiusmodi autem est providentia quidem respectu omnium; praedestinatio vero et reprobatio... respectu hominum, specialiter in ordine ad aeternam salutem». Ita S. THOMAS in prooemio ad q.22. Hunc quoque ordinem tenemus; licet cum pluribus auctoribus quaestiones de praedestinatione et reprobatione agi possent in tractatu de gratia, ob intimam rerum connexionem.

⁹ In I d.102 c.3 p.1010.

ARTICULUS I

DE DIVINA PROVIDENTIA

Thesis 19. Universa quae condidit Deus providentia sua gubernat; eamque non effugiunt mala, nec physica, nec moralia.

S.TH., q.22; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.10; RUIZ DE MONTOYA, *De providentia Dei*; LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* 1.11; MUNCUNILL, 666-686; BERAZA, *De Deo creatore* 1228-1357.

214. Notiones. PROVIDENTIA definitur a S.THOMA «ratio ordinandorum in finem»: q.22 a.1; gubernatio autem «executio ordinis»: a.1 ad 2. Deus creavit omnia ut ens intelligens et volens; praestituit ergo finem rebus a se creatis. Iam *ordo et dispositio rerum ut in finem ordinatae sunt*, in mente Dei praeexistens, est providentia. Providentia complectitur scientiam et voluntatem divinam, cum sit sapiens rerum ordinatio, non mere possibilis, sed efficaciter constituta, quae ideo essentialiter volitionem includit; ideo a S.THOMA ponitur in intellectu practico.

Quaestio frequenter discussa an providentia formaliter pertineat ad intellectum, an ad voluntatem, minoris momenti esse videtur¹. Providentiam in intellectu reponunt communiter thomistae ut GONET et BILLUART², quod videtur dicere S.THOMAS, et plures theologi S.I., TOLEDO, MOLINA, BELLARMINUS, VALENCIA, RUIZ DE MONTOYA, BERAZA³ etc. Nec tamen eodem modo declarant in quo actu intellectus poni debeat. Plures cum thomistis loquuntur de imperio intellectuali, qui sit actus non proprie cognoscens, sed imperans. Id autem merito ab aliis reicitur, cum videatur esse contra tendentiam propriam intellectus, atque in Deo quemdam anthropomorphismum sapere; quare alii imperium vocant meram expressionem intellectualem actus voluntatis divinae⁴; aut providentiam formaliter collocant in actu divino cognoscente ordinem quem voluntas decernit. SCOTISTAE cum S.BONAVENTURA et SCOTO⁵ providentiam formaliter in voluntate reponunt. Tandem alii cum SUÁREZ⁶, ut MUNCUNILL⁷, utrumque actum ad essentiam providentiae formaliter pertinere dicunt, quam sententiam STRUGGL⁸ dicit suo tempore fuisse communiorem.

215. Postremam sententiam probabilior ducimus, imo eam continere veram S.THOMAE mentem, cum ait providentiam pertinere ad intellectum practicum, qui non est, eius sententia, actus quidam formaliter distinctus ab actu intellectus speculativo et a voluntate sed potius quid utrumque com-

¹ «Haec controversia [in simili quaestione de praedestinatione] multum habet de usu vocum vel de nomine» (SUÁREZ, *De praedestinatione* 1.1 c.17 n.13). Id notat etiam LESSIUS, *De perfect. mor. div.* 1.11 c.1 n.2.

² GONET, *Clypeus theologiae thomisticae* 1 tr.4 d.8; BILLUART, *De Deo uno* diss.9 a.1.

³ TOLEDO, MOLINA, VALENCIA, *In* 1 q.22; BELLARMINUS, *De gratia et libero arbitrio* 1.2 c.9; RUIZ DE MONTOYA, *De providentia* d.3 s.9; BERAZA, *De Deo creatore* 1237-1246.

⁴ Ita RUIZ DE MONTOYA, *l.c.*, n.2.7; et in id inclinat BERAZA, *l.c.*

⁵ *In* 1 d.40 q.2 et 1. Eam sententiam tenet HELLEN, 1102-1114.

⁶ Etsi rem in medio relinquit, ita revera explicat *l.c.*, n.14.15, ac pro ea sententia referri solet.

⁷ *O.c.*, 666; etiam LOINAZ, *Theologia naturalis* 1195-1197.

⁸ *De Deo uno* d.5 q.3.

plectens, quod patere videtur ex q.14 a.8 et 16⁹. In a. namque 8 dicit intellectum per se non esse practicum, et inclinationem ad effectum, quae necessaria est ad hoc ut sit causa rerum, haberi per voluntatem; ideoque scientiam Dei esse causam rerum «in quantum habet voluntatem coniunctam». Iam in a.16 postquam declaravit quomodo scientia debeat esse practica ex parte obiecti et modi sciendi, ait tandem simpliciter esse practicum «cum ordinatur ad finem operationis», quae ordinatio fit per voluntatem coniunctam. Neque obstat, sed potius idem confirmat, quod providentia ponatur pars prudentiae 2-2 q.49 a.6, quae est in vi cognoscitiva q.47 a.1; nam a.2 expresse dicit prudentiam pertinere ad rationem practicum. Ideo providentiam videtur concipere quasi ipsam scientiam de ordine quodam possibili, in quantum determinata per voluntatem ut sit ordinatio practica; quod satis clare indicat utrumque elementum esse de ratione formali eius.

Ratio autem id suadere videtur. Nam providentia ex suo conceptu includit dispositionem sapientem et ordinatam mediorum ad finem, quod satis clare dicit formaliter quid in intellectu existens; et ex alia parte hanc dispositionem esse determinatam ad effectum, quod formaliter actu voluntatis habetur. Consistit ergo providentia in complexu scientiae simplicis intelligentiae, qua videt Deus ordinem quo res ad finem ordinari sapienter possunt (addita scientia media, ut videtur), et voluntatis qua determinat efficaciter illum ordinem in effectum perducere.

216. UNIVERSA quae condidit attingit Deus providentia sua, etiam minima, nec solum in universum, sed etiam singularia et quidem immediate. Id tamen non impedit quominus speciale providentiam de quibusdam rebus habeat. Providentia enim naturis rerum creatarum respondet, quae diverso modo et momento in finem universalem tendunt. Aliunde vero providentia non ita arctatur naturis quas condidit, quin nequeat diversis modis res ad finem ordinare, vel etiam iis superiorem finem, quam qui natura ex se postulet, statuere. Ideo singulariorem providentiam habet Deus de entibus rationalibus et liberis, quae per se in individuum ordinantur ad finem universalem, quam de aliis, quae non nisi per illa priora ad illum plene tendunt, et mere necessario agunt. Potest tandem Deus res omnes ad peculiare supra consuetum ordinem manifestationes divinarum attributorum in quibusdam casibus ordinare. Etsi providentia in se omnia et singula immediate attingit, gubernatio potest eam exsequi, partim saltem, per causas secundas.

Cum MALUM sit aliquid in mundo existens, quod videtur obstare universali providentiae, quae bonum sectatur, peculiari ratione notamus ipsum quoque providentiae subici. Malum in universum est privatio perfectionis debitae, non mera limitatio aut carentia superioris perfectionis, etsi saepe limitatio rerum est veluti origo quaedam naturalis mali. Malum morale formaliter tale est deviatio libera entis rationalis in ordine

⁹ V. supra de scientia Dei causa rerum n.180.

morum, seu in immediata relatione ad finem ultimum. Cetera mala vocantur mala *physica*; ea quae cum malo morali arctius colliguntur dici solent mala materialiter moralia.

Mala physica providentia divina attingere potest ut medium ad aliquem finem, sive universalem, sive particularem. *Malum vero morale* non nisi permissive, et in quantum illo posito vel praeviso Deus ad bonum aliquod illud ordinare potest, ut crudelitatem persecutorum ad patientiam martyrum, vel ordinem restituere per poenam inflictam. Bonum tamen inde sequens non est nisi *conditio praevia*, sine qua Deus permittere malum non posset; et licet saepe Deus ex malis permissis maiora bona eruat, non tamen id requiri videtur ad illius permissionem.

217. Adversarii. Doctrinae catholicae de universali Dei providentia adversantur qui Deum personalem non agnoscunt, ut *atheï, pantheistae et monistae* omnis generis et *dualistae* manichaei. Vocari solet *fatalismus* sententia omnes mundanos eventus caecae cuidam necessitati subici, cui similis est astrologismus quem priscillianistae docuerunt. Demum *deismus* admittit quidem Deum auctorem mundi, non autem providum ¹⁰.

Doctrina Ecclesiae. Semper fuit haec veritas in praedicatione explicita universae Ecclesiae. *Concilium Bracarense* fatalismum priscillianistam damnavit (D 239). INNOCENTIUS III in professione fidei Waldensibus praescripta universalem omnium providentiam ad fidem pertinere docet (D 421). *Vaticanum* definit: «Universa vero quae condidit Deus providentia sua gubernat» (D 1784).

Valor dogmaticus. *De fide divina, catholica et definita.*

218. Probatum ex sacra Scriptura. S.Scriptura dici potest tota quanta *historia providentiae divinae*. Antiquum Testamentum exhibet providentiam peculiarem in populum electum, sed commixtam cum providentia erga alios populos atque erga totam naturam, ut explicite notat liber Sapientiae; Novum Testamentum providentiam praecipue supernaturalem per redemptionem et Ecclesiam. Sunt praeterea innumerae et pulcherrimae attestations de providentia universali Dei, etiam in minima, de providentia speciali erga homines, de providentia tandem circa mala physica et moralia ¹¹.

¹⁰ Cf. BERAZA, I.C., n.1247.

¹¹ Plures textus collectos dabit L.WALKER, *Providence: The Catholic Encyclopaedia* 12, 511-512; v. A.LEMONNIER, *Providence, La Providence dans la Sainte Ecriture*: DTC 13, 935-940; CEUPPENS, 224-237.

a) *Providentia erga naturam.* Deus naturam condidit ac leges et ordinem evolutionis ei constituit Gen 1,7.12 etc., ita ut *Deus* dicatur *facere* quod natura facit Gen 2,5 ac saepe alias. Ideo Ps 147,8-9 laudat providentiam Dei, *qui operit caelum nubibus et pluviam terrae parat, qui producit in montibus gramen et herbam ut serviat homini, qui dat iumentis escam eorum, pullis corvorum qui clamant ad eum.* Idem dicitur Ps 103.144.155s, Iob 38,41; 39,1-8.13-18, Liber Sapientiae, quae *attingit a fine usque in finem fortiter et disponit omnia suaviter*: Sap 7,27, et *omnia cum mensura, numero et pondere disponit*: Sap 11,21, multis providentiam in omnes res praedicat, ac concludit: *Tua autem Pater providentia cuncta disponit*: Sap 14,3. Christus pulchre paternam Dei erga homines providentiam commendat ex ea quam habet de liliis, de passeribus, de sole et pluvia in beneficium omnium hominum Mt 6,25-30; 10,28-31: *Respicite volatilia caeli... Nonne duo passeris asse veneunt... Apostoli quoque eam providentiam Gentibus praedicant*: Act 14,16-17; 17,26-28.

219. b) *Providentia Dei erga homines et populos in re morali.* Deus curat vitam hominis physicam et moralem Gen 2 et 3,6ss; eligit alios prae aliis passim. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*: Prov 21,1; *Pusillum et magnum ipse facit et aequaliter cura est illi de omnibus*: Sap 6,8-9; *Quasi lutum figuli in manu illius... sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum iudicium suum*: Eccli 33,13-14. Innumeris locis docetur providentia divina in praemio dando et in puniendo iniquitatem: Ps 1,1-6; 33,22; 36,13; 111,1-9; 112,7-8 etc. Praesertim liber Sapientiae 10-19 dum exponit providentiam Dei in populum electum, eam laudat plenam iustitia et misericordia, quam in punitione Aegyptiorum et Chanaanaeorum habuit 11-12; quae etiam in comminationibus prophetarum adversus Assyrios, Babylonios, Philistaeos, Syrios ostenditur. Providentiam hanc generalem erga populos ethnicos docet S.Paulus Rom 1-2; Act 14,16-17; 17,26-28.

c) *Providentiam Dei non effugere mala physica et moralia* locus est frequens in S.Scriptura. Ioseph in Aegyptum venditus ait suis fratribus: *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum certis, et salvos faceret multos populos*: Gen 50,19-20. Liber Iob et Tobiae, Ecclesiastes, Ps 36 et 72, Sap 1-6 haec longius agunt. In N.T. Act 2,22ss, Rom 9,11; imo tota Christi doctrina id ma-

xime effert quomodo ex divina providentia, quae videntur mala viam esse qua sapientia Dei in rerum dispositione ostendatur.

220. Probatur ex traditione ¹². Providentia divina est caput doctrinae catholicae, quo vix aliud saepius ac diligentius tractatum in Sanctis Patribus. Non solum eam simpliciter *affirmant* saepissime, ut S.IRENAEUS (R 202), S.GREGORIUS NAZIANCENUS (R 1014), S.IOANNES CHRYSOSTOMUS (R 1134); sed a) *ex ea demonstrant existentiam Dei*; eam autem *demonstrare non est opus*, ut ait CLEMENS ALEXANDRINUS: «Sunt etiam quaedam digna quae puniantur; cuiusmodi est quaerere an sit providentia» (R 422); b) *providentiam ita cum divinitate coniunctam esse dicunt, ut negare providentiam sit negare Deum*, ut ATHENAGORAS ¹³, LACTANTIUS: «Quid tam dignum, tam proprium Deo quam providentia? Sed si nihil curat, nihil providet, amisit omnem divinitatem» ¹⁴, et S.AMBROSIIUS addit fore summam crudelitatem hominem creare et ei non providere ¹⁵; c) ideoque hoc est *primum quoddam elementum doctrinale religionis cuiusque*, ut notat S.AUGUSTINUS ¹⁶. Ideo Sancti Patres, allekti momento huius doctrinae et impugnationibus fatalismi, plures egregios peculiare tractatus scripserunt de providentia in universum et in specie circa mala mundi, ut S.GREGORIUS NAZIANCENUS, *Carmina* 5 et 6 ¹⁷; S.GREGORIUS NYSSENUS, *Dialogus contra fatum* ¹⁸; S.IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Ad Stagirimum* etcetera ¹⁹; THEODORETUS optimas *Orationes 10 de providentia* ²⁰; SYNESIUS ²¹; LACTANTIUS, *De ira Dei* ²²; S.AUGUSTINUS totum opus *De civitate Dei* ²³; S.PROSPER, *Carmen de divina providentia* ²⁴; SALVIANUS, *De gubernatione mundi* ²⁵, et alii.

221. Probatur ratione. I. In universum providentia divina omnia et singula attingens probatur ex tribus attributis infinitis, sapientia, bonitate et omnipotentia, in quibus illa fundatur.

2. S.THOMAS a.I et 2 providentiam, et quidem immediatam de omnibus, probat ex ordine mundi, qui bonum quod-

¹² H.SIMONIN, *La providence selon les Pères grecs*; A.RASCOL, *La providence selon Saint Augustin*: DTC 13,941-984; BERAZA, 1252-1286.1276.1285.1298.1301.1308-1313; M.PREMM, *Glaubenskunde* 177-178.

¹³ *De resurrectione mortuorum* 18: MG 6,1009.

¹⁴ *De ira Dei* 4: ML 7,86.

¹⁵ *De officiis* l.I n.48: ML 16,37.

¹⁶ *De moribus Ecclesiae* l.I n.10: ML 32,1315.

¹⁷ MG 37,424-438.

¹⁸ *Contra fatum, seu disputatio cum ethnico philosopho*: MG 45,145-174.

¹⁹ MG 47,423-494.

²⁰ MG 83,555-774.

²¹ *De providentia*: MG 66,1209-1280.

²² ML 7,79-148.

²³ MG 41.

²⁴ ML 51,617-638.

²⁵ ML 53,25-158.

dam est et a Deo creatum, cuius ideo ratio praeexistere debet in mente divina.

3. Mala quoque sine voluntate divina, saltem permissiva, fieri nequeunt; «Non ergo fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo», ut dicit S.AUGUSTINUS ²⁶; ergo neque illa providentiam Dei effugiunt.

Obiectiones. I. S.Paulus dicit: *Numquid de bobus cura est Deo?* I Cor 9,9. Ergo negare videtur universalem providentiam.

Dist. cons. Negat providentiam particularem quam de homine habet Deus, *conc. cons.*; providentiam generalem, *nego cons.*

2. Providentia divina infallibilis esse debet. Ergo necessitatem rebus imponit. Atqui Deus dicitur hominem reliquisse in manu consilii sui Eccli 15,14. Praeterea providentia universalis et infallibilis Dei inutilem facit humanam industriam.

Conc. antec. Dist. cons. Necessitatem consequentem, *conc. cons.*; antecedentem entibus liberis, *nego cons. Dist. min. subs.* Homo relinquitur in manu consilii sui in quantum libere agit, *conc.*; ita ac si ipse usus liberi arbitrii dominio ac providentiae Dei non subdatur, *nego.* Providentia Dei nullo modo industriam humanam inutilem facit; imo eam praevidet ac exigit ut ordinem stabilitum in executionem sua parte ducat.

3. Si providentia Dei mala attingit, circa illa non mere permissive se habet, sed ea positive causat, quod Scriptura dicere videtur: *Si est malum in civitate quod non fecerit Dominus*: Amos 3,6.

Nego assert. ex declaratis. Locutiones Scripturae redolent, ut par est, indolem linguae hebraicae, quae omnem cuiuscumque generis divinam causalitatem iisdem fere verbis exprimit. Aliunde Deus et physice concurrat ad opera mala, nec sine voluntate eius permissiva accidunt.

222. 4. Si esset providentia divina, deberet esse perfectissima. Atqui non est ita, cum multa sint mala et inordinationes, quae videntur facile vitari potuisse.

Dist. mai. Providentia debet esse perfectissima subiective, *conc. mai.*; obiective, *subdist.*; absolute, *nego*; relative secundum finem intentum et gradum ac modo intento, *conc. Contradist. min.*, et *rationem additam dist.* Sunt multa mala quae potuerunt facillime a Deo vitari absolute et in se, *conc.*; relative ad gradum et modum ordinis exsequendi, *nego.* Poterant quidem vitari haec mala, sed ad id Deus nullo attributo tenebatur; ideo potuit Deus statuere *hunc gradum et modum finis obtinendi, in quo haec mala suum locum habent.*

Fundamentalibus hac in re tenenda haec fere sunt: a) Deus nullo modo tenetur ad aliquem determinatum gradum manifestationis suae gloriae ad extra, sed eum seligit ex infinitis possibilibus qui sibi placet. b) Fines particulares saepe ignoramus, cum neque ex natura rei neque ex revelatione constant; ideo iure succenset S.AUGUSTINUS: «In officina non audet homo vituperare fabrum, et audet in mundo vituperare Deum» ²⁷; cum quae in universum aut de particularibus quibusdam novit abunde sufficienter humili ac prudenti intellectui ut sapientissimam Dei providentiam agnoscat Rom 11,32. c) Maxime animadverti debet ordinem divinae providentiae in terris nullo modo aestimari debere ut quid per se independens a fine ultimo in beatitudine obtinendo et a glorificatione divina. d) Adeo splendet divina providen-

²⁶ *Enchiridion* 95; ML 40,276; cf. F.ZIGON, *Providentia divina et peccatum*: EphThLov 10 (1933) 597-617; B.BARTMANN, *Unser Vorsehungsglaube* (Paderborn 1931); F.JANSEN, *La divine providence*: NouvRevTh 60 (1933) 97-116.

²⁷ In Ps 148 n.12; ML 37,1946.

tia in permissione mali, ut magni doctores putasse visi sint illam veluti necessariam ad perfectionem universi, in quantum secus multa bona impedirentur; ita S. THOMAS q.22 a.2 ad 2; q.23 a.5 ad 3. Quod non ita intelligendum est, ac nisi malo permissio perfectio universi aliter obtineri non poterit²⁸; neque ac si haec bona veluti primaria intentione a Deo intenta sint, secus enim malum fieret medium intantum ad finem, quod non esset mera mali permissio; sed tantum ita: praevidens Deus possibilem extrinsecam ordinationem mali ad bonum, potuit simpliciter eligere hunc ordinem, qui valde perfectus est, etsi non optimus, in quo haec bona hoc modo obtinentur, et sine mali permissione non obtinerentur.

ARTICULUS II

DE PRAEDESTINATIONE

Praeambulum de voluntate salvifica universali Dei.

223. In providentia Dei supernaturali primum signum intelligi debet voluntas generalis Dei de fine ultimo ad quem hominem destinavit, salutem aeternam supernaturalem. Cumque omnes homines ad illum destinaverit, ita ut finis ultimus mere naturalis de facto non detur, quem homo possit consequi, voluntas salvifica Dei necessario debet esse universalis, etsi ex mera caritate ac misericordiae liberalitate concepta. Ex hac vero voluntate sequitur necessario liberalis quoque gratiarum sufficientium effusio, universalis etiam, saltem in aliquo gradu, quod certe non officit multiforimi ac inaequali et liberrimae earum distributioni. Quae universalis voluntas salvifica etiam post lapsum generis humani praevisum manet, imo maxime manifesta fit opere redemptionis per Verbum incarnatum, quod est primus ac munificentissimus effectus illius voluntatis.

Posita vero praedestinatione ac reprobatione, patet sola voluntate salvifica universali Dei non explicari providentiam supernaturalem, sed plura alia intelligenda esse, in specie voluntatem electivam praedestinatorum et reprobativam damnatorum; est tamen illius voluntatis generalis consideratio totius tractatus necessarium praebulum, et quidem maximi momenti in doctrina catholica.

²⁸ V. supra de optimismo, n.196-199. Praeterea, inter alia multa, M.VERDE, *Il problema del male secondo la dottrina dell'Aquinate* (Roma 1958); E.BORNÉ, *Le problème du mal* (Paris 1959); C.JOURNET, *Dieu et le mal. Aspect métaphysique du problème*: RevThom 59 (1959) 213-269; *Le mal. Essai théologique* (Bruges 1961); G.HARKNESS, *The Providence of God* (New York 1960); J.NICOLAS, *La permission du mal*: RevThom 60 (1960) 509-546; R.VERNEAUX, *Problèmes et mystères du mal* (Paris 1961); PLURES AUCTORES, *La Providence. Dieu a-t-il toujours raison?*: VieSpir 106 (1962) n.479-480.

Thesis 20. Deus vult omnes homines salvos fieri; parvulis non exceptis qui sine baptismate moriuntur.

S.TH., q.19 a.6 ad 1; SUÁREZ, *De Deo* tr.2 l.4; RUIZ DE MONTOYA, *De voluntate Dei* d.19-21; FRANZELIN, th.49-53; DE SAN, *De Deo uno* p.4 c.2-4; MUNCUNILL, 690-719; LANGE, *De gratia* th.25; LENNEZ, 391-411.

224. **Notiones.** Sensus thesis patet ipsis verbis. Est nempe in Deo vera et seria VOLUNTAS salutis supernaturalis hominum, quae est finis ad quem omnes destinavit; OMNIUM omnino hominum nullo excepto, et quidem in praesenti statu humanitatis lapsae, quam totam reparare voluit per Christum, qui adeo propter omnes mortuus est. Natura huius voluntatis in adiuncto scholio uberius declaratur.

In secunda parte explicite negamus exceptionem de parvulis iis qui sine baptismo moriuntur, cum peculiaris controversia ac difficultas de hoc puncto suscitata sit.

Sententiae. Omnium catholicorum sententia est in Deo ponendam esse voluntatem salvificam universalem vero quodam sensu, et quidem *actuosa*, ita ut ex ea conferantur auxilia sufficientia ad salutem; etsi, ut in scholio videbimus, aliqua diversitas in ea explicanda negari nequit. Parvulos qui nequeunt baptizari in illa non includi, vel saltem argumenta non adeo urgere circa illos, sententia fuit paucorum quorundam theologorum, inter quos VÁZQUEZ¹; in solvenda vero gravi difficultate quae hic occurrit variae sunt sententiae.

Adversantur prorsus universali voluntati salvificae Dei praedestinatiani qui vocantur, probabiliter LUCIDUS et alii s.V, GOTTESCHALCUS s.IX; et a s.XVI plures protestantes, praesertim calvinistae, et iansenistae, quorum errores exponuntur et directe impugnantur in quaestione de reprobatione². Ii omnes in universum tenent Deum nolle revera salutem omnium hominum, sed tantum salutem electorum, sc. eorum qui de facto salvantur ex praedestinatione ad vitam, cum alii sint antea antea antea et positive praedestinati ad mortem aeternam. «Non posse statui, ait Iansenius, voluntatem quamdam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos salvos fieri»³.

225. **Doctrina Ecclesiae.** Praedestinatianismus damnatus est in Concilio Araelatensi (a.475) et in Carisiaco et Valentino in causa Gotteschalchi (D 318 319 321). Christum pro

¹ In 1 partem d.96 c.3 n.10 (ed. Complut. 1597 p.940).

² V. thesim 25.

³ De gratia Christi c.10 n.2.

omnibus mortuum esse recolitur *Tridentinum* (D 795). Propositio 5 IANSENII damnata est ut *haeretica*, praeter alias censuras, «intellecta hoc sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit» (D 1096): ergo docet Ecclesia ad fidem pertinere Deum velle salutem *aliquorum saltem* praeter praedestinos. Aliae plures iansenistarum propositiones negantes *universalitatem* voluntatis salvificae damnatae sunt, sive voluntatem salvificam restringant ad fideles (D 1294), sive unicum voluntatem salvificam efficacem erga praedestinos admittant (D 1362 1380). In *praedicatione Ecclesiae* manifeste traditur universalitas voluntatis salvificae.

Valor theologicus. In universum thesis dici debet *de fide divina* ut clare contenta in S.Scriptura; saltem est *proxima fidei* et definibilis. Ex documentis Ecclesiae, ut vidimus, *implicite de fide* est voluntatem salvificam non posse restringi ad solos praedestinos, quo fundamentum unicum adversariorum ruit. De parvulis non videtur posse statui nota theologica maior quam *certa*, saltem *moraliter*, cum nulla expressa de hac re habeatur declaratio.

226. Probatur ex sacra Scriptura. Textus classicus ac praecipuus est 1 Tim 2,1ss, unde verba thesis desumpta sunt. *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*⁴. Ibi sine ulla ambagine docet Apostolus voluntatem salvificam universalem Dei. Estque *haec voluntas vera et seria* (θέλει), ex ea namque Christus est redemptor, et fiunt orationes ut adimpleatur; est circa *omnes homines*, nullo excepto, ut expresse dicit S.Paulus qui quasi emphatice ter repetit ὑπὲρ πάντων, πάντας. Id declarant *rationes adiunctae*, quia Deus unus omnium est, et unus redemptor et mediator; ideoque manet voluntas salvifica post praevium peccatum. Est tandem circa *salutem supernaturalem* hominis, nam ut hanc nobis restitueret venit Christus, et per eum ad agnitionem veritatis hic inchoatam et in gloria perfectam pervenimus. Idem repetit Apostolus in eadem epistola 4, 10: *qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*.

Alias saepe in S.Scriptura diversis modis traditur voluntas salvifica universalis Dei. Ez 33,11: *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (cf. 18,23). Sap 11,24-12,18 describit

⁴ PRAT, 2,92-93; G.BARDY, *Les épîtres pastorales* (Paris 1938) 211-213; CEUPPENS, 183-185.

providentiam Dei in puniendis paulatim chanaanais et aegyptiis ut resipiscerent, quia *miseretur omnium quos fecit*. 2 Petr 3,9: *nolens aliquos perire sed omnes ad poenitentiam reverti*. 1 Io 2,2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum sed etiam pro totius mundi*. Rom 5,12ss, ubi manifeste eadem est universalitas effectus mortis Christi ac peccati originalis, saltem secundum aliquam efficientiam. Etiam Mt 18,11; Rom 8, 32; 2 Cor 5,14: *unus pro omnibus mortuus est*⁵.

Nulla est difficultas quod alias dicatur Christus mortuus pro pluribus, sive potius pro multis, ὑπὲρ πολλῶν: Mt 20,28 (Mc 10,45); Mc 14,24; Hebr 9,28; aut pro suis ovibus: Io 10, 15. Nam revera prius non negat Christum mortuum esse pro omnibus, qui certe multi sunt. Praeterea nihil obstat ut hi alii loci, si opus est, intelligantur sensu restrictiore de voluntate et redemptione efficaci.

227. Probatur ex traditione. Ex SANCTIS PATRIBUS 200 testimonia affert PASSAGLIA⁶, in quibus expresse haec veritas ut inconcussa traditur; quo etiam pertinent quae de gratia sufficienti, de adhortandis peccatoribus ad poenitentiam, de procuranda salute infidelium etc. tam frequenter dicuntur.

Principia a PP. statuta hac in re haec fere sunt: a) Voluntas salvifica est *ex bonitate divina*, qua vult bonum, voluntas autem damnandi ex solis hominum peccatis; ita SANCTI IOANNES CHRYSOSTOMUS et IOANNES DAMASCENUS (R 1202 2358)⁷. b) Deus vult salvare omnes quorum est *creator* et quorum Christus est *redemptor*; S.AMBROSIIUS: «Ille omnes suos vult esse quos condidit et creavit; utinam tu homo non fugias et te abscondas; ille etiam fugientes requirit et absconditos non vult perire»⁸. c) Salus aeterna et cruciatus Christi sunt *generale beneficium*; S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Communes sunt lex, prophetae ipsique cruciatus Christi»⁹; S.AMBROSIIUS: «Mysticus autem sol ille iustitiae super omnes ortus est, omnibus venit... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat» (R 1313). d) Cur non omnes salventur universale responsum est, quia *multi nolunt*; v. pulchrum locum S.GREGORII NYSSENI (R 1053).

228. Speciali modo ex S.AUGUSTINO thesis probari debet, cum ex illo difficultates moveantur a iansenistis. Etiam in libris scriptis contra pelagianos universalem Dei voluntatem sal-

⁵ CEUPPENS, 185-195.

⁶ *De partitione divinae voluntatis* (Roma 1851). Plures textus vide apud LENNERZ, 399-403.

⁷ V. supra n.203.

⁸ In Ps 39 n.20: ML 14,1066.

⁹ Or. 33 n.9: MG 56,226.

vificam docet; ut *De spiritu et littera* 10: «Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut iis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt...; nec ideo tamen eam vincunt... experturi in suppliciis potestatem eius...» (R 1735). *Contra Iulianum* 11 ut cogat adversarium admittere universalitatem peccati originalis, magnam vim facit in hoc quod secundum Apostolum *unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*. In sermonibus vero et operibus ad populum erudiendum semper id asserit vel supponit: «Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici et non resistant misericordiae suae, misit Unigenitum Filium suum» 12; «Jesus est sol illuminans omnem hominem» 13; «Iudicabit orbem terrarum, non partem, quia non partem emit, totum iudicare habet, qui pro toto praetium dedit» 14; «Quantum in medico est sanare venit aegrotum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te iudicaberis» 15. Quae quidem adeo obvia sunt, ut qui aliunde volunt Augustinum negare voluntatem salvificam universalem in controversia pelagiana, tandem concedant reperiri in illo oppositionem inter theoriam et praxim, et inter opera theoretica et pastoralia 16.

Vera S. Augustini sententia probatur ex eius discipulis. S. PROSPER inter mendacia tributa S. Augustino a suis adversariis semipelagianis recenset quod «Deus nolit omnes homines salvos fieri» (R 2030); ubi eadem prorsus sunt quam quae PP. graeci tradunt. Liber *De vocatione omnium gentium*, cuius auctor probabiliter est ipse S. PROSPER 17, totus est in voluntate salvifica universali Dei declaranda et concilianda cum praedestinatione et omnipotentia Dei: «Quaeritur utrum Deus velit omnes homines salvos fieri, et quia hoc negari non potest,

10 *De spiritu et littera* c.35 n.59: ML 44,238. De momento huius loci, v. DALMAU, *Notas críticas sobre la interpretación de la doctrina agustiniana de la gracia: EstEcl 17 (1943) 1-31*. v. Q. CHENÉ, *St. Augustin enseigne-t-il dans le De spiritu et littera l'universalité de la volonté salvifique de Dieu: RechScRel 47 (1959) 214-274*.

11 *Contra Iulianum* l.6 c.4: ML 44,825; *Opus imperfectum contra Iulianum* l.2 c.144.175: ML 45,1201-1217; *De nuptiis et concupiscentia* l.2 c.16 n.31: ML 44,454.

12 *De catechizandis rudibus* n.52: ML 40,345.

13 *Sermo* 78 n.2: ML 38,490.

14 *In Ps 95* n.15: ML 37,1236.

15 *In Iohannem tr.* 12 n.12: ML 35,1490.

16 Ita IANSENIUS, *De gratia Christi* l.3 c.20. Simile quid dicit O. ROTTMANNER, *Der Augustinismus* (München 1892) 27-29. V. I. FAURE, *Enchiridion S. Augustini notis et assertionibus illustratum* (ed. Passaglia, Neapoli 1847) n. in c.41-47 et in c.120 p.83-94.222-226; FRANZELIN, *th.51; DE SAN, 2,25-26*.

17 M. CAPPUYNS, *L'auteur du De vocatione omnium gentium: RevBen 39 (1927) 198-226; L. PELLAND, S. Prosperi Aquitani doctrina de praedestinatione et voluntate salvifica* (Montreal 1936) 144-154. De doctrina S. Prosperi, v. etiam F. WÖRTER, *Prosper von Aquitain über Gnade und Freiheit* (Freiburg 1867); E. PORTALIÉ, *Augustinisme: DTC 1,205-228*.

cur voluntas omnipotentis non impleatur inquiritur» 18; et alias 19 distinguit inter benignitatem generalem et specialem misericordiam.

229. Ratio theologica. Haec veritas, quae est sensus communis christiani, probatur efficaciter ex aliis definitionibus et symbolis Ecclesiae, quorum doctrinam omnes homines profiteri debent. In *Nicaeno*: «propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis» (D 54). Ex *Arausicano* c.25 omnes possunt et debent adimplere praecepta et salutem procurare (D 200). Ex *Tridentino* Deus vult salutem omnium quos adoptat in filios (s.6 c.11 D 804), qui non sunt soli praedestinati (c.17 D 827); omnes firmissimam spem salutis in Deo collocare debemus (c.13 D 806). Atqui haec impossibilia et absurda essent, si Deus non haberet voluntatem seriam de salute omnium hominum. Praeterea Deus habet *providentiam supernaturalem* qua homines destinat ac dirigit ad ultimum finem; atqui primus actus providentiae, vel necessarium praepositum est seria finis voluntas.

Haec omnia argumenta valere etiam de PARVULIS evidens est, nam sunt etiam homines: «Numquid homines non sunt, ut non pertineant, ad id quod dictum est: omnes homines?» 20 In libro *De vocatione omnium gentium* 21 multis haec veritas asseritur ac declaratur.

230. Obiectiones. 1. Locus ex 1 Tim 2 non videtur agere de salute aeterna, nam v.2 dicitur fieri orationes *ut quietam et tranquillam vitam agamus*.

Haec ratio datur pro peculiaribus orationibus quae inducuntur pro regibus, et civili auctoritate, quia eo tempore coepit christianos vexare.

2. Saltem pro pueris non valet ratio v.4: *ad agnitionem veritatis venire* 22; ergo apostolus agit tantum de adultis.

Pueri possunt venire ad agnitionem veritatis in gloria. Praeterea, si forte quaedam verba secundum capacitatem subiecti restringenda essent, non ideo voluntas salvifica limitari debet, nam rationes apostoli universales sunt, et valent etiam de parvulis.

3. S. AUGUSTINUS in lucta contra pelagianos videtur saepe negare voluntatem salvificam universalem Dei; nam diversas interpretationes proponit locutionis apostoli «Deus vult omnes homines salvos fieri», quibus tandem efficitur ut voluntas salvifica restringatur ad solos praedestinos; ut quod intelligi possit Deum *velle nos velle salutem omnium*, vel quod *nemo salvatur nisi quem Deus vult salvari*, vel quod «omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quascumque differentias distributum», ne «cogamur credere aliquid Deum omnipotentem voluisse facere factumque non esse» (R 1457 1927 1962 1964 1983).

18 L.1 c.1: cf. c.12.16 etc.: ML 51,640ss.

19 L.2 c.19ss: ML 51,706ss.

20 S. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum* l.4 c.8: ML 44,758.

21 L.2 c.20-24: ML 51,707-710.

22 Ita Vázquez, l.c.; cf. Prosch 348.

Dist. assert. S. Augustinus negat universalitatem voluntatis salvificae de omni voluntate divina, etiam antecedente et conditionata, *nego*; de voluntate efficacia et absoluta, *conc.*; unde *antonomastice* loquendo, ut notavimus agendo de voluntate Dei, aliquando negat Deum velle salutem omnium. Interpretationes propositas affert ut unicam, *nego*; nam ipse loco adducto in probatione litterale docet; eas affert ut aliquomodo cogat pelagianos et semipelagianos admittere praeter voluntatem salvificam universalem, aliam esse et quidem efficacem restrictam ad praedestinos, *conc.*; Ecclesia in damnanda propositione 5 Iansenii evidenter intelligit non ideo damnari veram doctrinam S. Augustini.

Ut autem positio S. Augustini hac in re intelligatur opus est animadvertere pelagianos et semipelagianos abusos esse veritate de voluntate salvifica universali Dei, ut negarent praedilectionem omnem erga praedestinos, omnemque aliam voluntatem efficacem erga illos. Ideo S. Augustinus pro modo polemico ei proprio, et admissa possibilitate diversorum sensuum S. Scripturae, illas alias interpretationes satis incongruas affert. Verum non ideo mentem mutat circa voluntatem salvificam universalem, etsi eam negligere videatur. Ideo in *Enchiridio* ²³ ubi totam hanc quaestionem multis versat, agens de casu omnino simili voluntatis praecipit, cum totus sit in defendenda voluntate Dei invicta et omnipotente, septies ait esse voluntatem Dei quae non impleatur, etsi nihilominus invicta sit, quia tandem qui eam non faciunt incidunt in voluntatem Dei in tota sua amplitudine consideratam. Quare concludit intelligendum esse S. Paulum quocumque modo non cogamur credere omnipotentem Deum voluisse fieri quod factum non est (R 1927), quod est tacite confirmare quod in probatione attulimus ex libro *De spiritu et littera* (R 1735), ubi recte totam doctrinam tradit. Itaque distinctiones a theologis stabilitae rectam praebent interpretationem mentis Sancti Doctoris ²⁴.

4. Si Deus serio vellet salutem omnium, omnes salvarentur, cum eius voluntas est omnipotens. Atqui non omnes salvantur.

Dist. mai. Si Deus vellet efficaciter et omnino absolute salutem omnium hominum, omnes de facto salvarentur, *conc. mai.*; si Deus vult eorum omnium salutem voluntate antecedente et aliquomodo conditionate, nempe nisi ipsi nolent, quae voluntas accommodata est eorum naturae liberae, *nego mai.* ²⁵.

231. 5. Haec solutio applicari nequit parvulis. Ergo cum multi non salvantur, Deus non vult eorum salutem.

Dist. antec. Nequit explicari voluntas salvifica universalis ut dependens a voluntate ipsorum parvulorum, *conc. antec.*; nequit explicari ut antecedens aliquomodo ex concursu plurium causarum etiam liberarum, *nego antec.*

Ut solverent hanc difficultatem ²⁶ aliqui theologi dixerunt non necessario pertinere ad providentiam supernaturalem Dei, ut generalis provisoris, et posito peccato originali, attingere casus singulares a quibus pendet collatio baptismatis pueris carentibus usu rationis ²⁷. Verum id prorsus falsum

²³ *Enchiridion* c.95-103: ML 40,275-281.

²⁴ V. hanc quaestionem accurate discussam apud FAURE, L.C.; FRANZELIN, th.52; DE SAN, c.4. Cf. PETAVIUM, *De Incarnatione* l.13 c.3-4; O.PFÜLF, *Zur Praedestinationslehre des hl. Augustinus*: ZkathTh 17 (1803) 483-495; PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2407-2408; A.D'ALÈS, *Praedestination*: DAF 4,213-216; LENNERZ, 385; DALMAU, L.C.

²⁵ V. Scholion n.233-234.

²⁶ Ponimus certo tenendum unicum salutis remedium his infantibus esse baptismum re ipsa susceptum; nequeulla probabilitate donatos conatus quosdam ad de voto parentum, ut de nescio qua illuminatione, aut unione totius humanitatis cum Christo per ipsum factum redemptionis, etiam sine subjectiva applicatione meritorum Christi per sacramentum. V. F.SOLA, *De sacramentis baptismi et confirmationis in hac SUMMA* t.4,63-65.

²⁷ Apud WIRCEBURGENSES, 202.

est, et idem est ac negare universalem voluntatem salvificam post peccatum originale, ac simul perverse concipere providentiam divinam, quae omnia et singula etiam minutissima attingit.

Alii putant sufficere recursum ad causas naturales, nam Deus non teneret miracula facere ut omnes parvuli baptizari possint, praesertim cum ordo causarum naturalium per originale peccatum immutatus sit ²⁸. Verum solus recursus ad causas necessarias non sufficit, nam hic tandem in solam voluntatem divinam refunditur; ergo si post peccatum originale manet voluntas salvifica circa hos parvulos, opus est ut per ipsam solam non stet quominus hi non salventur.

Ideo ad *aliquem interventum causarum liberarum* recurri debet ut divina voluntas de parvulorum salute declaretur ²⁹. Iam vero multiplex revera habetur interventus voluntatis liberae aliorum hominum circa hos infantes, qui proxime vel remote in cursum naturae relate ad eorum possibile baptismum influit. Hoc posito potest dici Deus providisse de salute eorum *secundum cursum naturae*, quin ex voluntate salvifica teneatur hunc cursum immutare. Nullo tamen modo intendimus determinare quisnam sit in casibus singularibus interventus a quo pendeat salus huius infantis; neque dicimus hunc interventum necessario esse meritorium aut demeritorium; neque per se constare potest alligatum esse baptismum huius infantis alicui determinatae actioni. Probabiliter possumus appellare cum auctore *De vocatione omnium gentium* ³⁰ actus parentum et eorum quorum curae hi pueri commissi sunt, quod quidem congruum est naturae, cum his pueris necessario in omnibus fere per liberam voluntatem eorum provisum sit. Huic explicationi non obstat quod aliquando festinantibus parentibus tamen non sit locus baptismi parvuli, quia nullo modo rem in particulari determinare intendimus.

6. Posita communiore doctrina de limbo puerorum qui sine baptismo moriuntur, cum iis non negetur felicitas quaedam naturalis, non videtur insistendum esse in voluntate salvifica relate ad illos.

Nego assert. Ex hac doctrina recte intellecta sequitur quidem nullam iis pueris iniuriam fieri si bonis omnino indebitis etiam sine culpa personali priventur. Sed vere sunt damnati et exclusi a fine ad quem a Deo destinati sunt, ac posito peccato originali pro iis mortuus est Christus-redemptor qui ad hoc praecipue venit ut salutem supernaturalem homini perditio restitueret; ergo ad illos quoque extenditur voluntas salvifica universalis Dei.

232. Scholion. DE NATURA VOLUNTATIS SALVIFICAE UNIVERSALIS DEI.

1. *Voluntas salvifica universalis Dei est vera et seria voluntas.* Id notamus, non solum contra errores calvinistarum et iansenistarum, sed etiam contra modum loquendi quorundam theologorum, inter quos BAÑEZ ³¹, qui aiunt voluntatem salvificam antecedentem dicendam esse potius velleitatem aut meram complacentiam, aut non esse voluntatem beneplaciti, sed tantum signi, aut non esse formaliter in Deo sed tantum eminenter. Differunt tamen essentialiter hi auctores a iansenistis, quia admittunt omnibus suo modo paratas esse gratias sufficientes ³², quod iansenistae negant.

²⁸ *Ibid.*, 201.

²⁹ WIRCEBURGENSES, 203-207; MUNCUNILL, 708-711; PESCH, 348-352; FRANZELIN, th.53; DE SAN, c.3; A.STRAUB, *Zur Erklärung des göttlichen Heilswillen bezüglich der Kinder*: ZkathTh 11 (1887) 282-237; 12 (1888) 562-579; W.STOCKUMS, *Das Los der ohne Taufe sterbenden Kinder* (Freiburg 1923). Singulare prorsus sententiam CARD.TOLEDI, v. apud A.SEGOVIA, *Un tratado del Card.Toledo sobre la voluntad salvifica de Dios*: ArchTG 3 (1940) 39-106.

³⁰ *De vocatione omnium gentium* l.2 c.23: ML 51,709-710.

³¹ *In primam partem* q.19. Iis praeverant, modo saltem loquendi auctor *Summae Sententiarum*: ML 175,65-66; DURANDUS, *In 1 d.47 q.1*; HERVAEUS, *In 1 d.46 q.2*; BIEL, *ibid.*, q.1. Recentiores thomistae id communiter recipiunt; cf. E.HUGON, *Tractatus dogmatici* 2,227; GARRIGOU-LAGRANGE, *De Deo uno* p.410.

³² V. tamen LANGE, *De gratia* 670; S.GONZÁLEZ, *De gratia* in hac SUMMA t.3,127.

Probatur assertio iisdem argumentis quibus thesis demonstrata est. Praeterea collatio vel praeparatio gratiae sufficientis non potest intelligi nisi ex voluntate vere in Deo existente, et vero intentiva et prosecutiva salutis hominum. Sententia contraria est contra S. THOMAM: «voluntas de Deo proprie dicitur, et haec est voluntas beneplaciti, quae per antecedentem et consequentem distinguitur»³³.

233. 2. *Voluntas salvifica universalis est antecedens*³⁴. Ut declaratum est in expositione divisionum voluntatis Dei, voluntas antecedens ab scholasticis praecise sumitur, ea sc. est qua Deus vult aliquid praecisus quibusdam adiunctis, et voluntas consequens illa quae omnia adiuncta attendit quae in re inveniuntur. Iam Deus vult universaliter omnes homines salvos fieri in quantum sunt homines, et in hoc signo aequaliter circa omnes se habet. Voluntas vero qua vult iustos salvare est consequens, quia illos respicit secundum omnia adiuncta quae eos circumstant.

Haec voluntas salvifica antecedens est vere *intentiva* et *prosecutiva* salutis et beneplacitum, atque hoc modo vocari potest absoluta. Tamen communiter dicitur *conditionata* saltem aequivalenter, quoad efficaciam salutis de facto obtinendae, quia non vult salutem omni modo quo potest eam velle, cum in illo signo praescindat ab efficacia, et non sit simpliciter efficax, sed sub aliqua conditione, nisi homo nolit. Est tamen *efficax quoad media sufficientia* ad salutem omnibus praebenda; secus non esset seria; non autem quoad auxilia efficacia (saltem se sola), quia ex hac voluntate non obligatur Deus ad salutem procurandam quantum possit.

Quod voluntas salvifica universalis, ut primum signum providentiae supernaturalis, sit antecedens et conditionata sensu declarato, rationi congruit, quia talis voluntas conformis est naturae liberae hominis, qui finem naturaliter obtinere debet ut praemium bonorum operum. Quare voluntas efficax absoluta de salute omnium hominum, ut antecedens, esset minus accommodata naturae hominis et fini obtinendo.

234. 3. *Terminus prae quo voluntas salvifica universalis antecedens dicitur est absoluta praevisionis status finalis hominis, in gratia vel in peccato*³⁵. Cum voluntas divina dicitur antecedens vel consequens respectu alicuius termini, seu praecisus vel consideratis quibusdam adiunctis, quaeritur quisnam sit terminus iste, seu quanam sint adiuncta quae considerantur in voluntate consequente, et a quibus praescindit antecedens.

ALVAREZ³⁶ et cum eo plures qui doctrinas Bañesianas sequuntur dicunt terminum prae quo voluntas salvifica universalis antecedens dicitur non esse praevisionem operum hominis, sed necessariam manifestationem iustitiae divinae in reprobis et maioris misericordiae in electis, ne impediatur pulchritudo universi. Putamus tamen *certum* terminum prae quo in universum voluntas Dei antecedens et conditionata, vel consequens et absoluta dicitur, esse *praevisionem actuum liberorum creaturae*; in specie terminum prae quo voluntas salvifica universalis est antecedens, esse *absolutam praevisionem status finalis creaturae rationalis, in gratia vel in peccato*.

PROBATUR I.^o ex S. THOMA. Doctor Angelicus semper atque agit de voluntate antecedente et consequente ait adiuncta quae considerantur in vo-

³³ De ver. q.23 a.3. Quod vero I q.19 a.6 ad I velleitatem hanc voluntatem per transenam vocet non potest doctrinam clare propositam infirmare; v. P.MANNENS, *Disquisitio in doctrinam S.Thomae de voluntate salvifica et de praedestinatione* (Lovanii 1883). Abstinentium tamen est ab hoc modo loquendi.

³⁴ SUÁREZ, tr.2 l.4 c.2 alique auctores communiter. Cf. PEREÑA, *Andlisis de la voluntad antecedente*: Salmant 7 (1960) 631-636.

³⁵ Hanc quaestionem vide apud SUÁREZ, l.c.; FRANZELIN, th.47; DE SAN, c.1; PESCH, 329.

³⁶ De auxiliis d.24 n.3. Id etiam nunc profert GARRIGOU-LAGRANGE, o.c., p.426. Cf. LIMBOURG, *Zur Praedestinationslehre*: ZkathTh 3 (1879) 2018; LENNEZ, 422-423.

luntate consequente et a quibus praescindit voluntas antecedens, esse bonam vel malam voluntatem hominis: voluntas consequens «praesupponit praesentium operum»: I d.46 a.1; voluntas consequens «respicit opera et dispositiones»: I d.47 a.1; voluntas consequens est «ex nostra causa», Deus vult aliquem damnari voluntate consequente «propter peccata quae in eo inveniuntur»: De ver. q.23 a.2 c. et ad 2; sicut iudex iustus vult consequenter homicidam suspendi, Deus «vult quosdam damnari secundum exigentiam suae iustitiae»: I q.19 a.6 ad 1. Neque ullo modo I q.23 a.5 ad 3, ut videbimus agendo de reprobatione, explicandus est de voluntate absoluta salutis et damnationis praevia ad praescientiam operum³⁷.

2.^o Voluntas seria antecedens et conditionata non potest poni in Deo, nisi sub conditione quae non a solo Deo poni debeat, secus non esset vera voluntas, sed opus est conditionem pendere a libera creaturae voluntate. Et quidem argumenta quibus probatur voluntas salvifica universalis Dei et praeparatio gratiae sufficientis pro omnibus hominibus, etiam peccatoribus obduratis et infidelibus, ostendunt Deum velle sincere salutem omnium hominum, non solum ante praevisionem peccatum originale, sed etiam illo praeviso ac post praevisa peccata actualia; omnes enim peccatores ad paenitentiam vocantur ac debent habere spem, et pro iis fit oratio, ita ut ratio volendi damnationem sit unice peccatum perseverans usque ad mortem.

235. *Obiectionibus solvendis, quae valerent etiam contra voluntatem praeventivam boni et prohibivam ac detestativam peccati*³⁸, haec tenenda sunt ex declaratis.

a) Voluntas obiective conditionata supponit conditionem non pendere a sola libera voluntate Dei, quo posito nulla ostenditur in ea repugnantia; quin potius conformis est liberae naturae hominis ut dictum est. Ideo potest esse omnino seria et actuosa, licet praevideat salutem non esse futuram ex defectu creaturae.

b) Licet Deus posset facile dare medium efficax prae inefficaci, non tamen ad id tenetur ex voluntate salvifica seria et actuosa, cum inefficacia nullo modo oriatur ex natura medii neque ex intentione dantis. Ideo nulla est paritas cum medico, qui conferret remedium inefficax, cum inefficacia remedii non pendet ex mera voluntate aegroti. Praeterea sanitas corporalis non praebet infirmo ut praemium, ut salus aeterna hominibus. Medicus tandem tenetur ex officio et caritate ad consulendum aegrotum quantum potest; Deus autem nullo modo tenetur ad manifestandam bonitatem suam nisi eo gradu quem vult, cum sit dominus absolutus suae gloriae ac suorum bonorum.

c) Deus non habet voluntatem antecedentem damnandi homines sensu explicato, licet dici possit habere voluntatem damnandi homines si in peccato decedunt; quia in voluntate antecedente Deus ad salutem afficitur et ad ipsam conditionem, eamque serio vult; ex adverso nullo modo antea denter afficitur ad damnationem hominis, sed e contra eam non vult, neque ad conditionem afficitur, sed ab ea multis ac potentissimis modis homines deterret.

³⁷ V. MANNENS, o.c.; F.STEGMÜLLER, *Die Lehre von allgemeine Heilswillen in der Scholastik bis Thomas von Aquin* (Freiburg 1929).

³⁸ Id evidens est; at non satis attendi videtur ab iis auctoribus qui nebulis quibusdam obumbrant voluntatem salvificam Dei. Verum si ferendum minime est dicere voluntatem detestativam omnis mali non esse formaliter in Deo, cum tamen non sit efficax, cur ob solam hanc rationem dici possit de voluntate salvifica?

§ I. Notio, existentia et certitudo praedestinationis

Thesis 21. Admitti debet praedestinatio omnium qui salutem consequuntur; quae obiective certissima est, non autem subiective.

S.Th., q.23 a.1.4.6.7s; q.24; SUÁREZ, tr.2 l.1 c.1-7.17-20; MUNCUNILL, 720-729.794-809; PESCH, 353-369.397-405.

236. Notiones. PRAEDESTINATIO dicitur in theologia catholica providentia divina circa eos qui salutem supernaturalem consequuntur, et definitur a S.THOMA «ratio transmissionis creaturae rationalis in finem ultimum, praesistens in mente divina»: q.23 a.1; et a S.AUGUSTINO «praesistentia et praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur» (R 2000). Quare praedestinatio catholica non est nudum decretum dandi gloriam, sed etiam praeparatio beneficiorum gratiae quibus electi salvantur.

Praedestinatio, ut providentia in universum, complectitur actus intellectus et voluntatis divinae; ac, ut in simili de providentia notavimus, minoris momenti videtur esse quaestio, an de formaliter dicat alterutrum elementum, an utrumque¹. Imo cum quaestiones de praedestinatione versentur circa voluntatem in ea contentam, saepe practice accipitur praedestinatio pro voluntate divina absoluta et firma perducendi aliquem in vitam aeternam². Haec voluntas vocatur etiam ELECTIO, praesertim prout attingit ipsam salutem, maxime ab iis qui praedestinationem ponunt formaliter in intellectu. Unde qui salvantur dicuntur praedestinati et electi, quia sunt obiectum praedestinationis et electionis divinae. Modo loquendi in Theologia frequentiore dicitur Deus praedestinasse homines ad gratiam et ad gloriam; at saepe etiam gratia et gloria dicuntur praedestinata³.

Divisio praedestinationis. Ordo transmissionis creaturae rationalis in finem supernaturalem complectitur collationem plurium gratiarum actualium efficacium, ita ut cum de praedestinatione ad gratiam sermo est, intelligi solet ad gratiam efficacem; praeterea collationem gratiae habitualis, peculiarem providentiam, donum perseverantiae, et tandem vitam aeternam. Ideo distinctio in praedestinationem complete et incom-

¹ Magnum e contra momentum in hac quaestione ponit BILLOT, o.c. p.268, cum putet inde salvari posse suam de electione ante praevisa merita sententiam sine reprobatione negativa; licet incassum ut videtur; cf. n.252.259.273. Tamen etsi in re quaestio minoris sit momenti, modus loquendi singulorum auctorum ob oculos haberi debet in expendendis diversis sententiis. V. R.VELASCO, *Providencia y predestinación*: RevEspTeol 21 (1961) 125-152.

² SUÁREZ, *De Deo* tr.2 l.1 c.17 n.15; VÁZQUEZ, *In 1 p.* q.23 d.91 c.1 n.1 p.829.

³ Haec patebunt ex textibus in sequentibus afferendis.

plete sumptam. Complete sumpta dicitur praedestinatio cum consideratur ut attingens per modum unius totalem ordinationem hominis ad gloriam. Incomplete vel praecise sumitur cum consideratur ut attingens unum particularem effectum, ut primam gratiam, aliquas gratias singulares, perseverantiam, gloriam⁴.

237. *Vocabula praedestinationis et electionis in fontibus theologicis vario sensu accipiuntur*⁵. Id, quod nobiles theologi ut BÁÑEZ⁶ et MOLINA⁷ notant, facile constat. Ideoque in thesibus de hac re stabilendis apprime perpendere opus est quid textus allatus revera significet.

In S.Scriptura N.T. saepe praedestinati, electi, vocati, vocati secundum propositum dicuntur omnes christiani (omnes saltem qui vivebant tempore Apostolorum). Ita Rom 11,5ss *electi* (*electio* in abstracto pro concreto) qui *salvi facti* sunt per electionem gratuitam sunt iudaei conversi. Eph 1,3ss: *Elegit nos ut essemus sancti... praedestinavit nos in adoptionem filiorum*. 1 Thess 1,4: *Scientes fratres electionem vestram*. Mt 22,14: *pauci electi* sunt qui venerunt ad nuptias e quibus unus reiectus est. Act 13,48: *Crediderunt quotquot erant praedestinati* (in graeco τεταγμένοι) in vitam aeternam. Rom 8,38: *Quis accusabit adversus electos Dei* (cf. Rom 8,1). 2 Tim 2,10: *Omnia sustineo propter electos*. 1 Petr 1,1: *Electis advenis dispersionis*. Iac 2,5: *Elegit pauperes*, etc.

Atqui in Scriptura non supponitur omnes christianos esse efficaciter electos ad gloriam, sed potius subindicatur fieri posse ut aliqui vel plures ad illam non perveniant. Ex multis enim adhortationibus et monitis apparet eosdem qui electi dicuntur excidere posse a gratia et a gloria. Rom 11, 20-23: *Si permanseris, alioquin et tu excideris*. 1 Cor 10,12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Mt 22,11ss ex electis ad convivium unus est reiectus. Etiam Hebr 6, Apoc 2 et 3.

Ergo saepe haec verba in Scriptura non significant praedestinationem complete sumptam, neque praedestinationem ad gloriam, prout nunc ea adhibemus; sed potius praedestinationem incompletam ad gratiam efficacem fidei et iustificationis, qui est sensus frequentissimus in S.Paulo, et in universum in N.T. Haec quidem praedestinatio ex intentione Dei ordinatur ad gloriam; sed an haec intentio sit absoluta, seu an electio ad gratiam connectatur infallibiliter cum electione ad gloriam, non dicitur, ac potius contrarium fieri posse supponitur.

SANCTI PATRES interdum nomen praedestinationis accipiunt de quacumque Dei ordinatione. Patres graeci et latini Augustino antiquiores fuerant de praedestinatione ad gloriam loquuntur, ut S.HILARIUS⁸, S.AMBROSIIUS (R 1272), THEODORETUS (R 2162)⁹. S.AUGUSTINUS verba praedestinationis saepe intelligit de praedestinatione complete sumpta, ut in libris *De correptione et gratia* et *De dono perseverantiae* (R 1948 1949 2000); at etiam saepe de praedestinatione ad gratiam, praesertim in libro *De prae-*

⁴ Hanc distinctionem, quae communissima est inter theologos, impugnat BILLOT, l.c. p.269 ut inutilem et contra notionem praedestinationis. Si praedestinatio sumitur tantum pro totali ordinatione in finem ultimum, et quidem ut praecise in intellectu existentis, clarum est eam non nisi complete accipi posse. Sed si, ut notavimus, accipitur practice pro voluntate efficaci circa gratiam et gloriam, de qua sola quaestiones sunt, prorsus fundata est et magnum habet momentum.

⁵ PESCH, pop.53.353ss; FRANZELIN, th.56; DE SAN, 38-40.

⁶ In 1 p. q.23 a.5.

⁷ Concordia q.23 a.4 et 5 d.1 (ed.Paris p.425).

⁸ In Ps 64 n.5; ML 9,415.

⁹ V. infra th.23.

destinatione Sanctorum (R 1985 1989), ubi in n.34 (R 1988) si verbum *praedestinavit* de praedestinatione complete sumpta aut ad gloriam intelligeretur, doceret S. Augustinus apertam haeresim, non vocari nec iustificari nisi solos praedestinos ad gloriam, atque etiam in *De dono perseverantiae* (R 1994 2003); interdum de praedestinatione ad gloriam ut in eodem libro (2005) et *De peccatorum meritis et remissione*¹⁰. Verba *electionis* in libro *Ad Simplicianum* intelligit de electione ex iustitia ad gloriam, quam duplicem statuit alteram aeternam, alteram temporalem, quae est executio decreti aeterni (R 1570); alias electionem gratiae seu gratuitam intelligit eodem fere modo quo praedestinationem. *Vocationem secundum propositum* interdum vocat simpliciter gratiam efficacem (R 1987 1991); saepe gratiam efficacem praedestinatorum (R 1948 1949 1999). Etiam *discretio, vas misericordiae* etc. diversis modis dicuntur ut in *Epistola ad Optatum* n.9 (R 1447), in libro *De dono perseverantiae* n.21, alias¹¹. S. PROSPER et S. FULGENTIUS eadem varietate loquuntur (R 2032 2033 2246 2254 2255).

THEOLOGI MEDII AEVI praedestinationem sumunt complete; eam tamen etiam considerant prout diversa obiecta attingit q.23 a.5¹².

238. CERTISSIMA OBIJECTIVE dicitur praedestinatio; nempe praedestinati ad gloriam infallibiliter salvabuntur. Ideo *numerus* praedestinatorum certus ac definitus est; nec tantum *formaliter*, sc. quot sint praedestinati, sed etiam *materialiter*, quinam sint. Haec certitudo repeti debet non ex sola praescientia divina, qua ab aeterno videt quidquid futurum est, sed etiam ex eius voluntate, qua beneficia gratiae et gloriae praedestinatim praeparavit efficaci dilectione.

Praedestinatio e contra **SUBIECTIVE INCERTA** est; sc. nemo potest scire certo, certitudine infallibili, se esse in numero praedestinatorum, nisi ex speciali revelatione id ei constiterit. Adsunt tamen quaedam signa plus minus probabilia praedestinationis; et aliunde constat nos posse perseverantiam «suppliciter emereri».

239. Adversarii. Praedestinationem catholice intellectam negarunt *pelagiani* et *semipelagiani*. Non quidem negarunt decretum aeternum dandi gloriam iis qui moriuntur in gratia; verum ex eorum erroribus contra necessitatem et gratuitatem gratiae factum est ut adversarentur doctrinae catholicae de praedestinatione in quantum est «ordo transmissionis creaturae rationalis in suum finem» a Deo libera voluntate praeparatus. Hi errores exponuntur in thesi 22. **AMBROSIVS CATHARINUS**¹³ distinxit duos ordines eorum qui salvantur, alios praedestinos,

¹⁰ L.2 n.47: ML 44,179.

¹¹ V. infra th.23, ubi textus S. Doctoris referimus. Iure notat PORTALIÉ, l.c., 2404.2406, opus esse pro interpretatione S. Augustini quasi *Lexicon augustinianum* conficere, quo semotis aliis, haberemus quid verba in singulis locis, spectato contextu significant; cf. DALMAU, «Praedestinatio», «Electio» in el libro «De praedestinatione Sanctorum». Augustinus Magister (Paris 1954) I, 127-136.

¹² P. DUPLESSIS D'ARGENTRÉ, *De praedestinatione ad gloriam et reprobatione commentarium historicum* (Paris 1710) c.10 § 1; PESCH, 367; D'ALÈS, *Prédestination*: DAFIC 4,251-253.

¹³ *Summa doctrinae de praedestinatione* (Roma 1550). Idem fere docuerant OCKAM, In I d.41 q.1, et BIEL, *ibid.*, q.2, et postea YSAMBERT, In I p. q.23 d.3.

alios non praedestinos. Videtur tamen ab errore absolvi posse mirus hic modus loquendi; nomine enim praedestinationis videtur intelligere *electionem gratuitam praecise ad gloriam*, quam aliis tribuit, aliis non; non autem intendit negare praedestinationem *ad gratiam*, seu id quod hoc nomine ceteri theologi intelligunt.

Certitudinem obiectivam praedestinationis negarunt *pelagiani* et *semipelagiani*¹⁴; praesertim, consequenter ad suos errores, eam ut summum *soli praescientiae* divinae tribuerunt, nullo modo voluntati.

Subiectivam certitudinem praedestinationis postulabant protestantes, maxime CALVINUS, cuius sunt haec verba: «Vere fidelis non est, nisi qui divinae erga se benevolentiae promissionibus fretus indubitam salutis expectationem praesumit»¹⁵.

240. Doctrina Ecclesiae. Doctrina de praedestinatione palam constat in praedicatione ecclesiastica. HADRIANUS I refert verba S. Fulgentii: «Opera misericordiae et iustitiae praeparavit Deus in aeternitate incommutabilitatis suae... praeparavit ergo iustificandis hominibus merita; praeparavit iisdem glorificandis et praemia... Haec est aeterna praedestinatio futurorum operum Dei, quam... fiducialiter praedicamus» (D 300). *Concilium Carisiacum* c.1: «Deus autem bonus et iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum praescientiam suam quos per gratiam praedestinavit ad vitam et vitam eis praedestinavit aeternam» (D 316). *Concilium Valentinum* c.3: «Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam» (D 322). *Concilium Tridentinum* s.6 c.12: «Nemo quamdiu in hac mortalitate vivit de arcano praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest quos Deus sibi elegerit» (D 805); c.15: «Si quis dixerit hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero praedestinatorum, a.s» (D 825). His continetur et factum praedestinationis, et eius subiectiva incertitudo, et implicite obiectiva certitudo.

Valor theologicus. Exsistentia praedestinationis in universum est *de fide*. Solos praedestinos salvari est saltem *theologice certum*. Idem dicendum est de certitudine obiectiva praedestinationis. Incertam subiective esse praedestinationem

¹⁴ PROSPER in ep. ad Augustinum dicit de his: «nec acquiescent praedestinatum electorum numerum nec augeri nec minui posse» (ML 44,951). Idem refert HILARIUS ad Augustinum n.7: «Inde est quod et illud pariter non accipitur ut eligendorum reiciendorumque esse numerum definitum velint» (ML 44,957).

¹⁵ *Institutio christiana* l.3 c.2 n.16; v. PESCH, 403.

de fide esse videtur ex definitione Tridentini, saltem est certum theologice.

241. Probatur ex sacra Scriptura. Mt 25,34: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* His verbis sententiae iudicialis exhibetur vita aeterna omnibus iustis parata ab aeterno; ergo datur praedestinatio omnium qui salutem aeternam consequuntur¹⁶.

Certitudo praedestinationis: Io 10,28: *Oves meae... non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* 2 Tim 2,19: *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt eius.* Christus discipulis suis dixit Lc 10,20: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis.* Aliunde haec veritas implicite continetur in generali doctrina de infallibilitate scientiae et voluntatis efficaciae Dei.

Subiectiva incertitudo patet ex adhortationibus plurimis ad vigilantiam et sanctum timorem. Rom 11,20: *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* 1 Cor 10,12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Phil 2,12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Apoc 3,11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

242. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES graeci et latini Augustino antiquiores praedestinationem ad gloriam perspicue docent, cum commentantur Mt 25,34, Rom 8,28-30 et alibi, ut S.IRENAEUS, S.IOANNES CHRYSOSTOMUS, S.EPIPHANIUS, S.CYRILLUS ALEXANDRINUS, S.HILARIUS, S.AMBROSIUS, S.HIERONYMUS¹⁷; ac praedestinationem ad gratiam implicite aut virtualiter in his quae tenent de necessitate gratiae. S.AUGUSTINUS eiusque discipuli S.PROSPER et S.FULGENTIUS, ac postea tota traditio, totalem praedestinationem ut ad fidem pertinentem firmissime asserunt. «Hoc scio neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse... Ac per hoc praedestinationis huius fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit»^{17*}. S.PROSPER: «praedestinationem Dei nullus catholicus negat»¹⁸. S.FULGENTIUS (R 2258).

Certitudo obiectiva et subiectiva incertitudo praedestinationis locus est frequentissimus in iisdem Patribus. S.AUGUSTINUS: «Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus» (R 1949). «Haec est praedestinatio sanctorum, nihil aliud: praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur» (R 2000). «Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?» «Haec de iis loquor, qui praedestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur iis quisquam nec minuatur ex iis» (R 1959). S.PROSPER: «Praedestinatio Dei etsi apud nos, dum in praesentis vitae periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quae futura sunt incommutabilis permanet»^{18*}.

243. Ratio theologica. 1. Providentia divina omnia attingit, maxime quae pertinent ad vitam moralem ac speciali modo supernaturalem hominis, qui habet finem a Deo dandum per media ab ipso solo praestanda. Ad finem, ait S.THOMAS q.23 a.1, ad quem «non potest aliquid virtute sua pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittario mittitur in signum. Unde... rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa. Cuius quidem transmissionis ratio in Deo praeexistit... Unde ratio praedictae transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae praedestinatio dicitur. Nam praedestinare est mittere».

2. Praedestinatio est certa non solum ex parte intellectus divini, sed etiam ex parte voluntatis: q.23 a.6,7. Nam etiam in universum certitudo providentiae ex utroque capite habetur; a fortiori ergo praedestinatio, in qua beneficia gratiae et gloriae praeparantur efficaci dilectione; unde voluntas contenta in praedestinatione est voluntas consequens, quae semper est efficax. Ita omnes theologi; in specie MOLINA et LESSIUS¹⁹.

3. Praedestinatio nobis incerta est, nisi ex speciali revelatione. Nam libera Dei decreta nobis innotescere non possunt nisi ex facto aliquo cum illis connexo, aut ex revelatione. Atqui prius nullum est, neque revelatio generalis, sed potius opposita. «Non convenit ut reveletur omnibus, quia sic illi qui non sunt praedestinati desperarent, et securitas in praedestinati negligentiam pareret»: q.23 a.1 ad 4. Attamen cum ista incertitudine, quae humilitatem, sanctum timorem et assiduitatem fovet, bene componitur quod spem firmissimam in Deo ponamus, qui «non deserit, si non deseratur»²⁰; constat autem nos perseverantiam «suppliciter emereri» posse²¹.

¹⁶ KNABENBAUER, in h.l. cum tota traditione. Locum Rom 8,28-30 expendemus in th.23.

An in V.T. praedestinatio doceatur v. apud CEUPPENS, 231-239.

¹⁷ V. textus in th.23.

^{17*} De dono perseverantiae n.48-65: ML 45,1023-103.

¹⁸ Resp. ad cap. gallor. c.1: ML 51,157.

¹⁹ MOLINA, Concordia q.23 a.4-5 d.1 m.12 (ed.Paris p.533-538); apud PESCH, 400 vide iustam querelam adversus GONET; LESSIUS, De praedestinatione s.6 ass.5.

²⁰ S.AUGUSTINUS, De natura et gratia c.26 n.29: ML 44,261; Concilium Tridentinum s.6 c.13 (D 806).

²¹ S.AUGUSTINUS, De dono perseverantiae n.10: ML 45,999 (R 1993).

244. Huc pertinent quae de signis probabilibus praedestinationis pie theologi disserunt ex doctrina Patrum²², nam ipse Spiritus testimonium reddidit spiritui nostro quod sumus filii Dei (Rom 8,16). Inter haec notari possunt: perpetua observantia mandatorum (Mt 19,17); spiritus et constantia orationis; frequens Sacramentorum receptio; abnegata et constans caritas erga proximum (Mt 25,35ss); praesertim octo beatitudines (Mt 5,3ss); perseverantia in vita religiosa et perfectionis (Mt 19,20); perfecta abnegatio et ardens desiderium patendi pro Christo et pro Ecclesia; zelus fervens salutis animarum; peculiaris et solida devotio in Beatissimam Matrem Dei et Sanctissimum Cor Iesu, quae promissiones fide dignas habere videntur. Ceterum hac in re prudens et «practica vitae sapientia»²³ est consilium THOMAE A KEMPIS: «Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris»²⁴.

DE NUMERO ELECTORUM, dicit S. THOMAS a.7, simpliciter standum esse iis quae dicit Ecclesia: «Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus». Neque est ulla stabilis traditio circa paucitatem praedestinatorum. Atque inutili quaestioni si pauci sunt qui salvantur, respondit Christus: *Contendite intrare per angustam portam: Lc 13,23s*²⁵.

245. **Obiectiones.** 1. Praedestinationis doctrina opponitur libertati hominis in adsecutione sui finis. Nam posita praedestinatione aliquorum, praedestinati necessario salvantur, non praedestinati salvari nequeunt.

Nego assertum; nam infallibilitas providentiae in universum non nocet libertati: a.6. *Dist. rationem additam*: necessario salvantur aut non salvantur necessitate antecedente, *nego*; necessitate consequente, *conc.* Id, posita scientia media (saltem in executione) sufficienter explicatur, quia necessitas quae ex ea sequitur non est antecedens, cum indifferentia sint omnia comprincipia actus liberi in executione.

2. Liber vitae idem est ac praedestinatio. Atqui dicitur Ps 68,29 *delectantur de libro viventium*. Ergo praedestinatio non est certa.

Quidquid est de sensu huius textus²⁶, dicendum est librum vitae, sicut ipsam praedestinationem posse intelligi vel de praedestinis simpliciter completa praedestinatione, vel de praedestinis ad gratiam, quam potest homo dum est in hac vita amittere²⁷.

§ 2. De causa praedestinationis

246. Declarata existentia et natura praedestinationis, de eius causa ex parte hominis inquiritur. In hac quaestione, ut notat S. THOMAS q.23 a.5, agitur de *voluntate absoluta et efficaci* in praedestinatione contenta. Cum autem voluntas Dei causam proprie dictam habere nequeat, quaestio de sola *ratione* divinae voluntatis intelligi potest, qua posita illud quod est eius ratio vere est *causa effectus praedestinationis*. Agitur ergo de *causa morali*, sive meritoria, sive impetratoria, sive dispositiva, quae importat *aliquid conferri a Deo, ac proinde ab illo*

²² A. VEGA, *Expositio decreti Tridentini de iustificatione* c.12 n.11-19; PESCH, 403-405; PREMM, o.c., 226.

²³ PREMM, l.c.

²⁴ *De imitatione Christi* l.1 c.25.

²⁵ V. A. MICHEL, *Elus (nombre des)*: DTC 4,2350-2378.

²⁶ V. CEUPPENS, 238.

²⁷ *De libro vitae* v. S. TH., q.24; CEUPPENS, 237-239.

decerni, intuitu alicuius operis ab homine positi, seu opus ali-quod esse rationem cur Deus velit illi hoc donum conferre. Ideo «hoc est quaerere, utrum Deus praedeterminaverit se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua». Hoc sensu quaeritur an praedestinatio sit gratuita an ex aliquo merito. Cum autem effectus praedestinationis multiplex sit, et voluntas Dei, licet simplicissima, omnia et singula eius elementa distinctissime attingat, ac forte non eodem modo, inquirere oportet in causam praedestinationis diverso modo spectatae, sive complete, sive incomplete.

Animadverti debet in vestiganda causa praedestinationis attendi tantum merita *absolute futura*, non mere conditionate futura, quod posuerunt semi-pelagiani, «ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, et praedeterminavit se ei daturum, quia praescivit eum bene usurum gratia», ut dicit S. Thomas h.l.

Thesis 22. Praedestinatio ad primam gratiam, et praedestinatio adaequate spectata est prorsus gratuita.

S. TH., q.23 a.5; SUÁREZ, *De Deo* tr.2 l.2 c.7.20; BELLARMINUS, *De gratia* l.2 c.9-14; FRANZELIN, th.58; DE SAN, *De Deo* p.4 c.6.

247. **Notiones.** PRAEDESTINATIO AD PRIMAM GRATIAM idem est in hac quaestione ac *voluntas* divina *decernens* efficaciter conferre *primam gratiam* supernaturalem. Ut constat ex tractatu de gratia, in pueris haec est iam gratia habitualis in baptismo recepta; in adultis est gratia efficax quae datur ad initium fidei. Est haec praedestinatio prorsus GRATUITA; sc. prima gratia non praedestinatorum homini intuitu alicuius operis praevii, quod non posset esse nisi naturale.

PRAEDESTINATIO COMPLETE SUMPTA, seu adaequate spectata est etiam GRATUITA; sc. voluntas divina praedestinans, quatenus considerata ut efficaciter decernens per modum unius totum ordinem transmissionis alicuius creaturae rationalis in finem ultimum, gratis prorsus ac liberaliter a Deo concipitur, non veluti intuitu alicuius operis naturalis.

248. **Status quaestionis et adversarii**¹. Posita voluntate salvifica generali Dei, constat eos salvari qui salvari volunt, eosque tantum damnari qui nolunt salvari. Verum *pelagiani* id ita intellexerunt, ut arbitrarentur nullam aliam voluntatem divinam efficacem circa salutem intelligi posse, nisi meram *voluntatem iudicalem* salvandi eos qui bene operati essent sola sua libertate; negabant enim, saltem consequenter et virtualiter, praeter necessitatem gratiae, omnem *providentiam specia-*

¹ Historicum conspectum textibus allatis dat LENNERZ, 377-431.

lem de electis, in qua includitur voluntas dandi gratiam efficacem. *Semi-pelagiani* substantiam huius erroris retinuerunt; nam ex eorum doctrina de *initio fidei*, totus ordo praedestinationis, ac tandem consecutio vitae aeternae penderet ab aliquo merito aut dispositione mere naturali; negata vero *gratia efficaci in actu primo et dono perseverantiae*, totum tandem ordinem quo iustificatus ad salutem pervenit, ita in manu unius libertatis constituebant, ut eius executionem *speciali providentiae et praedilectioni subtraherent*. Inde factum est ut quaestio cum pelagianis et semi-pelagianis ad *praedestinationem* devolveretur. Quod etiam contigit, quia semi-pelagiani, ut suos errores firmarent, ad Patres antiquos confugiebant, qui nomine praedestinationis unice egerant de voluntate aeterna dandi gloriam iustis ex meritis, sed quae ex gratia proficiscerentur².

249. Contra hos errores S.AUGUSTINUS doctrinam catholicam de PRAEDESTINATIONE GRATUITA³ defendit, quae his continetur: 1.^o *Praedestinatio ad primam gratiam* est prorsus gratuita. 2.^o Inde iam *praedestinatio complete sumpta* est etiam gratuita. 3.^o In ordine gratiarum quae homini ad salutem conferuntur, aliqua dantur ex merito, sive de condigno, sive de congruo, sive impetratione, aut aliqua dispositione, sed ita ut omnia haec quae homo confert sint ex gratia supernaturali, ac specialem gratuitatem contineat *decretum dandi gratiam efficacem* prae mere sufficienti. 4.^o Peculiari ratione ipsa *perseverantia* gratis praedestinata est, in quantum non datur ex merito de condigno, etsi certe «suppliciter» ex gratia «emereri» potest. 5.^o Inde *praedestinatio ad gloriam virtualiter est gratuita*, ut pendens a praedestinatione gratuita ad seriem gratiarum; ac nullo modo est ex ipsis meritis sensu pelagiano, sc. ex meritis naturalibus.

In thesi defendimus *primum* ac *secundum* punctum huius doctrinae, quae *praecipua sunt* in hac materia; tertium et quartum in tractatu de gratia probantur; tandem de praedestinatione ad gloriam in sequenti thesi agemus.

Valor theologicus. Thesim *ad fidem pertinere* vel *certissimam* esse ab omnibus tenetur. Prima pars *implicite* continetur in doctrina de *fide* circa initium fidei. Secunda non est nisi *corollarium prioris*. Haec est enim substantialis doctrina S.AUGUSTINI ab Ecclesia probata.

² SUÁREZ, *De gratia prolegomenon* 5 c.4-6; PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2380-2383,2398; *Augustinisme*: DTC 1,2519-2520; F.WÖRTER, *Dogmengeschichte des Semipelagianismus* (Paderborn 1898; Münster 1900); J.TIXERONT, *Histoire des dogmes* 3 c.8; E.AMANN, *Semi-pelagiens*: DTC 14,1796-1850; K.RAHNER, *Augustin und der Semipelagianismus*: Zeit KathTh 62 (1938) 171-196.

³ PORTALIÉ, *l.c.*, 2399-2400.

250. **Probatur prima pars** iisdem argumentis quibus in tractatu de gratia probatur necessitas gratiae ad initium fidei et gratuitas gratiae⁴. Id praestat S.AUGUSTINUS, *Ad Simplicianum* l.I q.2⁵ et toto libro *De praedestinatione Sanctorum*⁶ (R 1569ss 1978 1985ss); idem enim est primam gratiam gratuito dari ac gratis praedestinari; atque haec est ratio cur omnes iusti vocentur electi.

Altera pars est iam *corollarium* prioris. Si enim prima gratia gratis praedestinata est, ergo tota series gratiarum et ipsa gloriae consecutio quae ab illa pendent, gratis etiam praedestinata est. Praedestinatio praeterea complete sumpta includit plura etiam dona peculiari ratione gratuita, ut gratias efficaces et perseverantiam. Ex hac parte id probat S.AUGUSTINUS *De correptione et gratia*⁷ et *De dono perseverantiae*⁸ (R 1947-1949 1994 1999 2000 2003).

Consentiunt omnes theologi⁹, qui rationem exponunt quam affert S.THOMAS h.l.: «Alio modo potest considerari totus effectus praedestinationis in communi. Et sic impossibile est quod totus effectus praedestinationis in communi habeat causam ex parte nostra, quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam».

Posita *scientia media* declaratur hoc modo: Deus per scientiam simplicis intelligentiae et scientiam mediam videt diversos ordines posibles providentiae, et eligit libere hunc ordinem in quo praevidet hos salvandos esse, per ordinem gratiarum quae his conferendae sunt; cum alium ordinem eligere potuisset in quo non salvarentur. Atqui electionis huius ordinis prae alio nulla est causa ex parte hominis. Ergo praedestinatio completa electorum, in hac electione inclusa, est plene gratuita.

Ideo gratuitas praedestinationis complete sumptae significat nullum ex donis quae nos ducunt ad vitam aeternam, ne ipsam quidem gloriam, praedestinatam esse ex meritis vel operibus *naturalibus*, seu ex *meritis non inclusis in ipsa praedestinatione*. Inde tamen non sequitur omnia dona praedestinationis in particulari ita gratis praedestinata esse, ut non

⁴ BERAZA, *De gratia* 194-207,357-395; LANGE, *De gratia* 56-69,191-246; S.GONZÁLEZ, *De gratia* in hac SUMMA 3,17-26,80-108.

⁵ ML 40,111-128.

⁶ ML 44,959-992; cf. DALMAU, *o.c.*

⁷ ML 44,915-946.

⁸ ML 45,993-1034.

⁹ MOLINA, *Concordia* q.23 a.4 d.1 (ed.Paris 439.456.509); VÁZQUEZ, *In 1 p. d.92 c.2,3 ed. Complut.* 881-885; PESCH, 364-366.

praedestinentur intuitu aliorum operum quae in ipsa praedestinatione contineantur, seu ex gratia factis.

Obiectiones semipelagianorum solvuntur in tractatu *De gratia* in quaestionibus de *initio fidei* et de *gratuitate gratiae*, atque in a.3 de *reprobatione*.

Thesis 23. Praedestinatio praecise et formaliter ad gloriam consequens est absolutam praevisionem meritorum.

S.TH., q.23 a.5; VÁZQUEZ, *In I p.* d.89; LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* l.14; FRANZELIN, th.59-63; DE SAN, *De Deo uno* p.4 c.7-13; MUNCUNILL, 713-775; LENNERZ, 460-511; cf. 377-431; LERCHER (ed.2 1934), 285-302.

251. **Nexus et status quaestionis.** In thesi superiore praedestinationem complete sumptam consideravimus, sc. voluntatem divinam praedestinantem ut attingentem per modum unius totum eius effectum, et hoc modo gratuitam esse diximus, idque pertinere ad doctrinam catholicam.

Verum haec consideratio aliquatenus incompleta est. Voluntas enim divina, ut notavimus, non *confuse* attingit omnia dona praedestinationis per modum unius, sed *distinctissime* omnes et singulas eius partes; et fieri potest, ac revera ita est, ut non eodem modo illas attingat; nam certum est primam gratiam omnino gratis conferri; in ceteras saltem aliquam rationem haberi collaborationis voluntatis humanae, ex gratia quidem ac diversae pro diversis gratiis, ac tandem gloriam dari adultis ut praemium meritorium.

Id S.THOMAS dilucide exponit: «Dicendum est ergo quod effectum praedestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari; et sic nihil prohibet aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius; posteriori quidem prioris, secundum rationem causae finalis; *priorem vero posterioris*, secundum rationem causae meritoriae, quae reducitur ad dispositionem materiae; sicut si dicamus quod *Deus praedestinavit se daturum alicui gloriam ex meritis*, et quod praedestinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari praedestinationis effectus in communi...»

Ideo ex thesi superiore sequitur quidem praedestinationem ut terminatam ad gloriam esse, ut diximus, *virtualiter* gratuitam. Verum adhuc potest poni specialis quaestio de illa praecise ac formaliter in se considerata, sc. de praedestinatione sumpta **PRaecise** pro absoluta voluntate decernente **gloriam** salvandis, **FORMALITER** in se spectata, non ut connexa cum praedestinatione ad gratias a quibus pendet, et quae illam exigunt. Nulla enim est difficultas in eo quod voluntas decernens glo-

riam sit virtualiter gratuita, et formaliter ex meritis per gratiam acquisitis.

Igitur haec quaestio inquit tandem quomodo *ordinanda sint signa voluntatis divinae praedestinantis*; signa enim haec distinguuntur et ordinantur, sive ex diversitate obiectorum, sive ratione causalitatis vel rationis, sive finalis, sive meritoriae aut dispositivae. Nempe cum Deus praedestinavit hominem, an nostro modo concipiendi cum fundamento in re primum decreverit: «*volo absolute salvare hunc hominem*» et postea selegerit gratias quibus salutem infallibiliter consequeretur; an potius primum selegerit gratias, postea merita et tandem decreverit gloriam ei conferre¹.

252. **Sententiae.** A s.XVI quo distincte haec quaestio proposita est, duae sunt sententiae praecipuae inter theologos.

Theologi medii aevi agunt de praedestinatione complete sumpta, neque expresse attingunt quaestionem nostram²; ideo eos non recensemus. Verum id non obstat quominus aliquid proferant quod in favorem alterutrius sententiae adduci possit. SCOTUS³ praesertim iam quaestionem ponit, ac principium statuit quo praecipue innititur sententia de praedestinatione ante praevisa merita, eumque eius discipuli secuti sunt, aliis theologis contradicentibus.

CATHARINI⁴ doctrinam de praedestinatione interpretari solent auctores, ita ut duplicem ordinem salvandorum admiserit; eorum quos Deus elegerit praecise ad gloriam ante praevisa merita atque eorum quos non nisi consequenter ad praevisa merita praedestinaverit. Quod si ita revera est, nec de praedestinatione complete sumpta theoriam suam proposuerit, permitti posset, licet non modus loquendi quem adhibet. Omittimus vero hanc sententiam, cum communiter auctores intelligant eodem modo omnes salvandos praedestinos esse.

Sunt quidam auctores qui praedestinationem tantum ut completam considerant, aut unico formaliter actu divinae voluntatis explicant. Ita MOLINA⁵ cum aliis theologis e S.I. et recentius BILLOT⁶. Verum in posteriore expositione alterutri ex sententiis propositis revera consentiunt. BILLOT enim ante praedestinationem proprie dictam, quam intelligit ordinationem mediorum ad finem, *electionem gratuitam ad gloriam* statuit; ideoque cum prima

¹ Thesis agit, ut patet, de adultis. De praedestinatione puerorum quid simile statuendum est, eos non praedestinari ad gloriam, nisi praeviso baptismo re suscepto et morte in gratia, ne reprobatio negativa antecedens ceterorum admitti debeat.

² P.DUPLESSIS D'ARGENTÉ, *De praedestinatione ad gloriam et de reprobatione commentarium historicum* (Paris 1710) 207-212; J.SANTELER, *Die prädestination in der Römerbriefkommentaren des 13. Jahrh.*: *KathTh* 52 (1928) 1-30.183-202; P.STEGMÜLLER, *Die Lehre vom allgemeinen Heiswillen in der Scholastik bis Thomas von Aquin* (Roma 1929); D'ALÈS, *Prädestination*: *DAFC* 4,230-234; P.VIGNAUX, *Justification et prédestination au XIV^e siècle* (Paris 1934); STEGMÜLLER, *Francisco de Victoria y la doctrina de la gracia en la escuela de Salamanca* (Barcelona 1934) et auctores relatos n.258.

³ *Opus Oxoniense* *In I d.*41 q.un. (ed.Quaracchi 1912 l.I 1257-1260); P.MINGES, *Die Gnadenlehre des Duns Scotus* (Münster 1906) 3188; J.KLEIN, *Der Gottesbegriff des Iohannes Duns Scotus* (Freiburg 1913) 20788; LENNERZ, 405-410; *De historia principii «Omni ordinate volens prius vult finem quam ea quae ad finem sunt» ad probandam gratuitatem praedestinationis ad gloriam*: *Greg* 10 (1929) 238-266.

⁴ *De praedestinatione Dei ad Patres Tridentinos* l.2 c.ult.; l.3 c.9-10.

⁵ *Concordia* q.23 a.4-5 d.I m.8 (ed.Paris p.483-490) et alibi; v. GÓMEZ HELLÍN, op. infra n.254 referendo, 42-46; X.LE BACHELET, *Prédestination et grace efficace* (Louvain 1931) I p.34.

⁶ *De Deo uno et trino* th.32 p.231.286ss.

sententia omnino convenit. MOLINA e contra qui praecipue sollicitus est in hac questione de stabilenda scientia media ut conditione necessario praecognoscenda ad praedestinationem, voluntatem praedestinantem ita semper explicat ut effectus attingat eodem modo et ordine quo in tempore conferuntur. Iure ergo inter praecipuos assertores praedestinationis ad gloriam post praevisa merita annumerari solet.

253. Thomistae⁷, Scotistae⁸ communiter et plures e S.I. saec.XVI et XVII, ut SUÁREZ⁹, S.ROBERTUS BELLARMINUS¹⁰, RUIZ DE MONTOYA¹¹, qui congruistae vulgo vocantur, docent praedestinationem sive electionem ad gloriam esse prorsus gratuitam et ante praevisa merita, hancque voluntatem esse primum signum voluntatis praedestinantis, vel eam praecedere, et causam totius praedestinationis ad gratiam. Auctores huius sententiae solent distinguere duplicem voluntatem efficacem dandi gloriam electis, alteram *ordinis intentionis*, quam diximus, alteram *ordinis executionis* post praevisa merita (quae confundi non debet cum temporali executione praedestinationis). Sunt tamen inter illos qui unum admittant ordinem intentionis in praedestinatione. In hac sententia electio ordinis providentiae facta est ut hi soli salventur. Ideo communiter admittunt signo voluntatis electivae ad gloriam pro praedestinatis respondere pro reprobis reprobationem negativam antecedentem; pauci tamen cum BILOT¹² eam negant.

TOLEDO¹³, MOLINA¹⁴, VALENCIA¹⁵, VÁZQUEZ¹⁶, LESSIUS¹⁷,

⁷ Cf. IOANNES A S. THOMA, *Cursus theologicus* in I p. d.8; BILLUART, *De Deo uno* d.9 a.4; R.GARRIGOU-LAGRANGE, *Prædetermination V.VII(V).VIII: DTC 12,2395-2958,2383-3022; La prædetermination des Saints* (Paris). Iis fere adhaerent L.JANSENS, *De Deo uno* q.23 a.5 (Friburgi 1900); F.DIEKAMP, *Dogmatik*; J.VAN DER MEERSCH, *Tractatus de Deo uno et trino* (Brugis 1917); L.CIAPPI, *La predestinazione* (Roma 1954).

⁸ V. LENNERZ, *Historia principii...* 246-249; B.MASTRIUS, *In I Sent.* d.5 q.2 (ed.Venetis 1757) 216ss. Tamen C.FRASSEN, *De Deo uno* tr.2 d.3 a.2 tenet alteram sententiam; W.PANNENBERG, *Die prædeterminationslehre des Duns Scotus* (Göttingen 1954).

⁹ *De Deo*, tr.2 l.1 c.8-12; *Opusc.* l.3 c.16.18s. Cf. E.ELORDUY, *La predestinación en Suárez, controversias con Vázquez, Salas y Lesio*: ArchTGT 10 (1945) 5-150; LE BACHELET, o.c., passim; N.KARBACH, *Der allgemeine Heiswille Gottes und seine Stellung in Prädestinationsproblemen* (Simpelved 1937); I.RABENECK, *Francisci Suárez iunioris de causa praedestinationis doctrina*: EstEcl 31 (1957) 5-16.

¹⁰ *De gratia et libero arbitrio* l.2 c.9-17; S.TROMP, *Tractatus S.Roberti Bellarmini iuvenis de praedestinatione. Progressus doctrinalis in tractatibus S.Roberti Bellarmini de praedestinatione*: Greg 14 (1933) 248-268,313-355; LE BACHELET, o.c., passim.

¹¹ *De providentia, De praedestinatione* passim.

¹² L.c.

¹³ *In I p.* q.23. Etsi eam sententiam omisit in commentario in Rom 8,28-30, non tamen oppositam retinere videtur. Cf. F.CERECEDA, *En el cuarto centenario del nacimiento del P.Francisco Toledo*: EstEcl 13 (1934) 90-110; GÓMEZ HELLÍN, o.c., 25-27; in hoc opere notantur sententiae plurium theologorum S.I. de praedestinatione.

¹⁴ L.c.; *Epitome de praedestinatione* edita a F.STEGMÜLLER, *Geschichte der Molinismus 1: BetrGPhMA 32* (Münster 1935) 326-355; LENNERZ, 427-429; DE SAN, in nota p.295-299; I.RABENECK, *Docuente Molina praedestinationem ad gloriam «antes» vel «post» eorum praevisa merita?*: MiscCom 18 (1952) 9-26; I.RABENECK, *Grundzüge der Prädestinationslehre Molinas*: Schol 31 (1956) 331-369.

¹⁵ *In I p.* q.23 (Ingolstadt 1591); *De praedestinatione et reprobatione liber unus* (Paris 1599); W.HENTRICH, *Gregor von Valencia und der Molinismus 95*; LE BACHELET, *Bellarmin avant son cardinalat* (Paris 1911) 272ss; GÓMEZ HELLÍN, o.c., 30-31.

¹⁶ *In I p.* d.89,90 (ed.Complut. 777-826); STEGMÜLLER, *Die Prädestinationslehre des jungen Vázquez* (Münster 1935); CRISÓSTOMO DE PAMPLONA, *Critica de un argumento en contra de la teoría vasqueciana de la predestinación*: EstFranc 59 (1949) 101-107.

¹⁷ *Opusc. De praedestinatione et reprobatione angelorum et hominum* (ed.Paris 1878) t.2;

et postea communius theologi S.I., cum aliis, inter quos S.FRANCISCUS SALESIIUS¹⁸, tenent praedestinationem ad gloriam sensu explicato esse post praevisa merita, seu voluntatem electivam ad gloriam esse ultimum signum praedestinationis. Reiciunt itaque duplicem ordinem intentionis et executionis diverso modo se habentem in praedestinatione, et generatim tenent *beneficia praedestinationis eodem modo praeparari ab aeterno, quo in tempore conferentur*.

254. Auctores utriusque sententiae conveniunt in lineamentis essentialibus. Discrimina inter tenentes eandem sententiam non directe hanc quaestionem spectant, sed alias plus minus connexas cum ea. Praecipua diversitas inter thomistas et congruistas ac molinistas pertinet ad explicacionem efficaciae gratiae, quam priores in praedeterminatione reponunt, posteriores ex scientia media declarant. Aliae attingunt essentiam praedestinationis, praedefinitionem actus salutaris, et naturam scientiae practicae.

Est etiam quaedam diversitas in *ordinandis signis praedestinationis*, quae partim provenit ex diverso modo concipiendi necessarium fundamentum ad statuendas divisiones voluntatis divinae¹⁹. His accidentalibus omissis, ordo signorum ita in utraque sententia substantialiter concipitur.

In prima sententia, praesupposita scientia simplicis intelligentiae, et scientia media secundum congruistas, ac suo modo etiam voluntate salvifica universali²⁰, in *ordine intentionis primum signum* est absoluta et efficax voluntas Dei eligendi quosdam singillatim numero determinato ad gloriam; sive haec electio intelligitur facta ante praevisum quodcumque peccatum, sive post praevisum peccatum originale. Huic signo respondet reprobatio negativa non electorum, ceterorum nempe hominum. In *secundo signo* voluntate absoluta Deus praedefinit formaliter actus salutare a creaturis ponendos et merita quibus gloriam consequi possint ut coronam iustitiae, in illo gradu constituto in signo primo. In *tertio signo* distribuit gratias efficaces et inefficaces, ac providentiam ordinat, ut voluntas absoluta praedestians et praedefiniens effectum infallibiliter sortiatur, in specie decernit electis dare donum perseverantiae. Sequitur *scientia visionis*, qua effectus intenti praebentur divino intellectui infallibiliter futuri. *Ordo vero executionis* inverso modo procedit; primo decernit Deus dare gratias et ordinem providentiae; dein vult actus salutare libere et meritorie a creatura positos; decernit postea donum perseverantiae; tandem gloriam, partim ut praemium meritorum, partim ut respondet gratiae obtentae ex opere operato.

Secunda sententia ita substantialiter rem concipit. Praesupponitur scientia simplicis intelligentiae et scientia media, ac voluntas salvifica universalis, quae sunt elementa prorsus essentialia praedestinationis; ex ordinibus providentiae possibilibus, unum determinatum eligit efficaciter Deus, in quo *primum* vult ordinem gratiarum efficacium et mere sufficientium cum aliis elementis providentiae; *secundo*, hoc ipso Deus intelligitur praedefinire vir-

LE BACHELET, o.c.; G.SCHNEEMANN, *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii condordia initia et progressus* (Friburgi 1881) 302ss,357ss.

¹⁸ *Epist. ad P.Lessium; Traité de l'amour de Dieu* l.3 c.5 (oeuvres ed.Anncy 1894, 1912) t.4,184-188; t.18,273; A.MINON, *St. François de Sales et la prédestination*: RevEcl Liège 46 (1956) 220-237. Cf. apud LENNERZ, 430, verba PII XI in eius laudem. Hanc sententiam praefert SCHEEBEN, *Die mysterien des Christentums* 617-642, de quo cf. D'ALÈS, l.c., 254-255; POHLE, et praesertim PREMM, *Glaubenslehre* 208-223.

¹⁹ Cf. LANGE, *De gratia* 648-649; LENNERZ, 464-468.

²⁰ Eam certe admittunt hi auctores, ut th.20 vidimus; at illis nullum habere videtur momentum in causa praedestinationis; ideo SUÁREZ illam remittit ad l.4, *De providentia erga reprobos*.

tualiter actus bonos salutare a creatura ponendos ac donum perseverantiae; tandem quos Deus videt per scientiam visionis ad finem vitae perventuros in statu gratiae iis decernit absolute et efficaciter gloriam aeternam; quos autem videt in peccato morituros decernit damnare; ac non nisi in hoc signo voluntas salvifica universalis antecedens transit in absolutam et consequentem, sive salutis, sive poenae aeternae. Sunt certe aliqui qui actuum salutarium praedefinitionem ponant formalem aut quasi-formalem, sed parum congruenter, ut in th.24 exponemus.

Mediam quandam viam inter Suárez et Vázquez ingressus est post P.ARRÚBAL 21, I. DE LUGO 22. Admittit peculiarem praedilectionem antecedentem erga electos, sed aut formalem, aut virtualementem (in quo ait fere convenire utramque sententiam). Electorum vero triplicem ordinem constituit: aliquibus vult Deus gloriam independentem a meritis; pluribus gloriam vult dependentem a gratis efficacibus occurrentibus; tandem sunt quorum praedestinatio et salus pendet etiam a peccatis, sive propriis, sive alienis, permissis; hos autem Deus nequit eligere formaliter ad gloriam ante praevisa merita. Quidquid est de hac acuta exquisitione, satis in praedestinationem post praevisa merita vergere videtur 23.

255. Valor theologicus. Secundam sententiam amplectitur ut *probabiliorem*. Eius probabilitas agnoscitur a cordatioribus sententiae oppositae theologis ut SUÁREZ 24 et BELLARMINO 25, eamque commendat S.FRANCISCUS SALESIUS ut «antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam... Dei misericordiae et gratiae magis consentaneam, veriorum et amabiliorem» 26.

Probatur ex sacra Scriptura et doctrina catholica in universum. Vita aeterna proponitur ut bravium et corona bonorum operum, etiam quidem ut haereditas, sed sub conditione quod Christo compatiamur, quod gratiae cooperemur etc., omnibus quidem, et per cohortationes ut certent et sic ad coronam perveniant; ita ut electio absoluta ad vitam aeternam exhiberi videatur quasi suspensa et incerta, donec impleta intelligatur conditio bonorum operum, nec certa sit nisi ob aeternitatem praescientiae et praedestinationis divinae ad gratiam. *Vide ergo bonitatem et severitatem... in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris: Rom 11,22. Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam (βεβαιον, firmam) vestram vocationem et electionem faciatis:*

21 In primam partem D.Thomae (Madrid 1619) d.65 c.2 t.1,394.

22 In lectionibus ms. ineditis, de quibus L.GÓMEZ HELLÍN, *Praedestinatio apud Ioannem Cardinalem de Lugo, Doctrinae de electione ad gloriam in theologia S.I. saec.XVI et XVII historica evolutio: AnalGreg 12 (Romae 1938).*

23 Existimat GÓMEZ HELLÍN, o.c., 153ss, opinionem Card. de Lugo influxum sat magnum habuisse in propaganda sententia de praedestinatione post praevisa merita. Singularem sententiam P.RIPALDA, v. apud A.ARBELOA, *La doctrina de la predestinación y de la gracia eficaz en Juan Martínez de Ripalda* (Pamplona 1950).

24 *Op. de auxiliis* l.3 c.16 n.8.

25 *De gratia et libero arbitrio* l.2 c.15. De hac censura v. DALMAU, *Breves notas criticas: EstEcl 21 (1947) 361-363.*

26 *Epist. ad P.Lessium* l.c. 26 aug. 1618.

2 Petr 1,10 27. *Sic currite ut comprehendatis... Ne forte cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar: 1 Cor 9,24-27. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: Apoc 3,11 etc.* Ergo certum est eum velle dare gloriam ex meritis praevisionis, ac nisi contrarium probetur, dicendum est non habere voluntatem absolutam decernentem gloriam ante praevisionem meritorum.

Praesertim probatur ex sententia iudiciali Christi Mt 25, 34ss: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare...* In hac sententia ostenditur *praeparatio ad regnum facta propter merita*. Nam obvio sensu verborum, cum unica locutione exhibeatur executio et praeparatio, ratio allata debet utrumque afficere. Id confirmatur ex membro parallelo de damnatis Mt 25, 41ss: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare...*; nam damnatio neque angelis neque hominibus parata est nisi ob demerita. Atque hoc modo locum declarant Sancti Patres.

256. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES quasi sponte, exponentes Mt 25,34; Rom 8,28-29 et alias, electionem ad gloriam ponunt consequentem praevisionem meritorum ita ut Patres Augustino antiquiores nomine praedestinationis intellexerint electionem ad gloriam ex meritis. Ex graecis: S.IRENAEUS: «Deus omnia praesciens utrisque aptas praeparavit habitationes» 28. S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Antequam enim essetis, inquit, iam vobis parata erant, quia tales vos esse futuros sciebam» 29; «In caritate nos praedestinavit, sed etiam ex nostra virtute, nam si a caritate sola, oporteret omnes esse salvos» 30. S.EPIPHANIUS: «Non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, paratum vobis erit a Patre meo» 31. S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Quos multo ante praevidebat quinam futuri essent eos praedestinavit» 32; «Praemium iis deferri aequius est quibus praescientia Patris ob virtutum excellentiam hoc praeparavit» 33.

Ex latinis: S.HILARIUS: «Non res indiscreti iudicii est electio,

27 BOVER ita vertit: *Por lo cual más bien, hermanos, procurad ahincadamente asegurar vuestra vocación y elección;* in nota addit: «la adición de la Vulgata, apoyada por numerosos códices griegos, por medio de buenas obras, es una excelente glosa» (*Sagrada Biblia*, versión BOVER-CANTERA² [Madrid 1951] 2004). Ex his quae diximus supra non facimus vim in verbo electionis.

28 *Adversus haereses* l.4 c.40: MG 7,1112.

29 *In Mt hom.* 80 n.2: MG 58,719.

30 *In Eph hom.* 1 n.2: MG 62,13.

31 *Panarion haer.* 69 n.58: MG 42,293.

32 *In Rom hom.* 8,30: MG 74,828.

33 *Thesaurus assertionum* 26: MG 75,415.

sed ex meriti delectu facta discretio est»³⁴. S.AMBROSIUS: «Non ante praedestinavit quam praescivit, sed quorum merita praescivit eorum praemia praedestinavit» (R 1272). S.HIERONYMUS: «Hoc [possidete paratum vobis regnum] secundum praescientiam Dei accipiendum, apud quem futura iam sunt facta»³⁵.

257. Ex S.AUGUSTINO. S.Augustinus in controversia de praedestinatione de una necessitate et gratuitate gratiae sollicitus est, quae quidem ad gloriam ordinatur; ideoque praedestinationem completam gratuitam defendit, ac propterea praedestinationem ad gloriam virtualiter esse etiam gratuitam; verum nostram quaestionem directe non discutit. Tamen ex illo possumus argumenta non spernenda pro nostra sententia afferre³⁶.

a) Principium generale, *dona Dei ad salutem eodem modo ac ratione praedestinata esse quo in tempore conferuntur*, manifeste applicat in tota controversia cum semi-pelagianis; nam ex eo quod gratia gratis confertur arguit esse gratuito praedestinatum; imo diversitatem inter praedestinationem ad primam gratiam et praedestinationem ad perseverantiam finalem statuit ex eo quod diversimode in tempore conferuntur. «Imo cum constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus praeparasse, sicut usque finem perseverantiam...»³⁷ Atqui id non congruit cum praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita, ex qua, secundum eius patronos, sequitur aequalis prorsus et eodem gradu gratuita praedestinatio omnium gratiarum. Secundum S.Augustinum: «Inter gratiam porro et praedestinationem hoc tantum interest quod praedestinatio est gratiae praeparatio; gratia vero ipsa donatio»³⁸. Iure ergo deducere possumus, donec contrarium probetur, ex mente S.Augustini, etiam gloriam eodem modo praedestinatum esse, quo in tempore confertur, ex meritis gratiae.

b) Ideo *Ad Simplicianum*³⁹, qui unicus est locus in quo manifeste agit S.Augustinus de sola electione ad gloriam, po-

³⁴ In Ps 64 n.5: ML 9,415.

³⁵ In Mt 25,34-39: ML 26,189.

³⁶ Omnes auctores qui de praedestinatione agunt doctrinam S.AUGUSTINI attingunt. V. PORTALIÉ, Augustin (Saint), *La prédestination augustinienne*: DTC 1,2398-2408. Inter antiquiores qui eam, textibus accurate expensis, nostro sensu interpretantur, conferri possunt VÁZQUEZ, o.c., d.89 c.6-8; TH.STAPLETON, *Antodotapostolica*, in Rom 8; LESSIUS, o.c., s.2 c.4; C.TRICASSINUS, *De praedestinatione hominum ad gloriam potissimum ex doctrina S.Augustini et Angelici Doctoris* (Paris 1673) 460ss; L.ALTICOZZI, *Summa augustiniana* (Roma 1744) 6 a.3.4; WIRCEBURGENSES, n.231-242. Inter recentiores theologos eam accuratius examinant FRANZELIN, th.61-63; DE SAN, 100-171; MUNCUNILL, 736-750-765. Praeterea v. J.SCHWANNE, *Dogmengeschichte* p.3 c.2 § 71-75; J.BALTZER, *Die heiligen Augustinus Lehre über Prädestination und Reprobation* (Wien 1871); PORTALIÉ, l.c., D'ALÈS, l.c., 205-216; C.CREVOILA, *La interpretación dada a San Agustín en las disputas de auxiliis*: ArchTG 13 (1950) 5-171.

³⁷ De dono perseverantiae c.22 n.60: ML 45,1029.

³⁸ De praedestinatione Sanctorum c.10 n.19: ML 44,974.

³⁹ De diversis quaestionibus ad Simplicianum l.1 q.2: ML 40,115.

nit eam post praevisa merita. «Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quae eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet ut iustificet credentes, ideo invenit opera quae eligat ad regnum caelorum. Nam nisi esset electio, non essent electi... Non tamen electio praecedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab eo qui reicitur. Unde quod dictum est, quia elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi praescientia» (R 1570). Hoc loco, postquam clarissime asseruit propositum gratuitum iustificationis, agnoscit duplicem *electionem ex iustitia* (quam solam hic admittit), alteram temporalem, alteram aeternam, quae posterior est ex praescientia, quia prior est ex meritis⁴⁰. Quae autem in hoc libro scripsit postea non mutavit, ut patet ex magnis commendationibus quibus de doctrina huius libri loquitur, non solum in *Retractationibus*, sed vel maxime in libris contra semi-pelagianos.

c) Cum S.PROSPER proposuisset S.Augustino obiectionem adversariorum ex Patribus antiquis, qui intellexerunt praedestinationem ex praescientia et non gratuitam, respondet S.Doctor: Patres antiquos parum egisse de gratia, cum non essent errores de hac re; sed cum intelligerent praedestinationem ad gloriam ex meritis gratiae, nomine *praescientiae* eos revera tenere *praedestinationem ad gratiam*, quam S.Augustinus praedicabat^{40*}. Ideo implicite probat quae illi Patres dixerunt, ac patet quam sit falsum quod vult IANSENIUS, in hac re testimonia aliorum Patrum negligi posse.

d) Ideo discipuli S.Augustini S.PROSPER et S.FULGENTIUS sat clare docent praedestinationem ad gloriam ex praevisis meritis. Prior ait: «Et quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati. Essent autem praedestinati, si essent reversuri et in sanctitate et veritate mansuri» (R 2033). S.FULGENTIUS: «Quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate» (R 2246). «Quibus sicut per misericordiam praeparavit gratuitum iustificationis donum, ita per iustitiam praeparavit aeternae glorificationis praemium»^{40**}.

⁴⁰ Hic locus difficilis visus est adversariis, cf. SUÁREZ, op.1 l.3 c.18 n.3-5, ac BELLARMINUS, l.c., putavit hanc doctrinam postea a S.Augustino derelictam esse. Difficile expositionem totius operis v. apud T.SALGUEIRO, *La doctrine de Saint Augustin sur la grace d'après le traité Ad Simplicianum* (Porto 1925).

^{40*} S.PROSPER, *Epist. ad Augustinum* n.8: ML 44,953; S.AUGUSTINUS, *De praedest. Sanct.* n.27: ML 44,980. Cf. FRANZELIN, th.61.

^{40**} De veritate praedestinationis l.3 c.5: ML 65,655.

Dices: Quae ex Scriptura et Patribus allata sunt intelligenda esse de ordine executionis, non de ordine intentionis; nihil ergo probant in favorem thesisi.

Resp. 1.^o De hac distinctione inter ordinem intentionis et executionis in praedestinatione nullum est indicium in fontibus; ergo sine fundamento dicitur haec valere tantum de ordine executionis. Imo posita hac distinctione rueret argumentum S. Augustini contra semipelagianos.

2.^o Utique distinguitur intentio seu praedestinatio ab eius executione temporalis. Sed ponere in voluntate divina duplicem illum ordinem anthropomorphismum sapit, qui quibusdam etiam auctoribus contrariae sententiae non placet, ut RUIZ DE MONTOYA⁴¹.

258. THEOLOGI SAEC. XII et XIII praedestinationem complete sumptam tractant⁴². Sed in ea explicanda ea dicunt quae eorum mentem de praedestinatione ad gloriam ex meritis satis exprimunt. Aiunt enim voluntatem salvandi esse *voluntatem consequentem, cum praescientia quod bene usuri sunt gratia, quia respicit aliquid in opere nostro*. Ita ALEXANDER HALENSIS⁴³, S. ALBERTUS MAGNUS⁴⁴, S. BONAVENTURA, qui addit: «Si enim non esset alia ratio quare Deus istum elegit et illum non, nisi quia placet, certo iam non occulta dicerentur divina iudicia, sed manifesta, cum quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, sed potius voluntaria»⁴⁵. Ex S. THOMA verba satis clara retulimus h.l., qui praeterea h.q. *sed contra* idem principium generale statuit, ac voluntatem consequentem «quae includitur in intellectu praedestinationis» (I q. 41 a. 1 a. 3 ad 5), dicit praesupponere praescientiam operum (I q. 46 a. 1). Ideo «praedestinatio respectu ultimi effectus habet rationem iustitiae distributivae, sc. respectu gloriae; et ideo possumus dicere quod Deus... vult quod iste habeat et non ille, quia iste dignus est et non ille» (I q. 41 a. 3)⁴⁶.

259. Ratione theologica REICITUR PRAEDESTINATIO AD GLORIAM ANTE PRAEVIDA MERITA.

1. *Ex voluntate salvifica universalis.* Praedestinatio aliquorum ante praevisa merita coniunctam habet reprobationem negativam antecedentem, aut aliquid omnino aequivalens circa reprobos, sc. *voluntariam non electionem* aut *omissionem electionis* illorum. Atqui haec nequeunt componi cum voluntate seria

⁴¹ De praedestinatione d. 12 s. 7. Cf. LENNERZ, 476.

⁴² DE SAN, 172-178; N. SCHUPP, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus* (Freiburg 1932) 110-152; STEGMÜLLER, *Die Lehre des allgemeinen Heilswillens in der Scholastik bis Thomas v. Aquin* (Roma 1929); SANTELER, l.c.

⁴³ Summa theologica p. 1 tr. 5 m. 3 c. 1 (ed. Quaracchi t. 1 [1924] p. 322).

⁴⁴ Summa theologica I tr. 16 q. 63; In I d. 40 a. 11.

⁴⁵ In I d. 41 a. 1 q. 2 (ed. Quaracchi t. 1 1882) 733; LIMBOURG, *Die Praedestinationslehre des hl. Bonaventura*: ZkathTh 16 (1892) 581-652.

⁴⁶ FRANZELIN, th. 64; MUNCUNILL, 766-775, et praesertim longam dissertationem apud DE SAN, 179-271, et MANNENS, *Disquisitio in doctrinam S. Thomae de voluntate salvifica et praedestinatione* (Lovanii 1883). V. etiam E. LESERTEUR, *Saint Thomas et la prédestination* (Paris 1888) et D'ALÈS, l.c., 227-230.

universali antecedente salutis omnium hominum. Ergo praedestinatio ad gloriam ante praevisa merita admitti nequit.

Mai. admittitur communiter ab adversariis, qui reprobationem negativam expresse statuunt. Pauci ut BILLOT⁴⁷ qui eam respuunt, non possunt non admittere reprobos voluntarie non elegi, quod sufficit ad vim argumenti. Praeterea quod ipse ait, reprobationem non respondere signo electionis, est expresse contra S. THOMAM, qui ait: «reprobatio directe non opponitur praedestinationi, sed electioni» (*De ver.* q. 6 a. 1 ad ult.).

Min. prob. Ex sententia impugnata sequitur reprobos non obtinere salutem ex parte voluntatis divinae, quia circa illos non fuit voluntas quaedam divina omnino antecedens praevisionem demeritorum, et quidem voluntas immediate de ipsa salute, ex parte Dei libere statuta ut necessaria ad salutem. Atqui manifestum est haec non posse componi cum seria voluntate de salute omnium. Praesertim cum inde sequatur, quod illi auctores explicite tradunt, electionem ordinis providentiae ac selectionem gratiarum pendere ab ipsa voluntate electiva et opposita reprobatione negativa. Ergo in collatione gratiae sufficientis reprobis non manet serius ad eorum salutem affectus. Ergo in hoc signo cessat voluntas salvifica universalis *antecedens*.

260. 2. *Ex ordinata Dei voluntate*⁴⁸. Deus vult absolute dare gloriam ex meritis. Atqui non bene decernitur dandum ut praemium seu ex meritis, quod iam antecederet ad eorum praevisionem absolute et formaliter decernitur aliquibus dandum, praesertim si illis tantum decernitur dandum ut praemium, qui independenter a meritis electi sunt. Quae repugnantia moralis inter utramque voluntatem non tollitur, ut patet, ex eo quod Deus potentissimus sit ad obtinenda infallibiliter merita hominis. Ergo si natura rerum postulat non prius decerni absolute praemium ante praevisionem meritorum, ita a Deo constitutum esse dici debet. Exemplum obvium poni potest in certamine.

Ut vim argumenti vitarent plures cum SUÁREZ⁴⁹ dixerunt Deum velle gratuito dare gloriam ex meritis ita ut gratuita sit tantum *subiectiva*, non *objectiva*, seu objective non praescindat a meritis.

Verum in hac formula, intellecta sensu praedestinationis ante praevisa merita, clarius apparet contradictio. Nam contradictorium est unam eam-

⁴⁷ O.c., 288-289.

⁴⁸ Hoc argumentum maxime promovet VÁZQUEZ, l.c., d. 89 c. 9.

⁴⁹ De Deo tr. 2 l. 1 c. 8 n. 26. 27, op. 1 l. 3 c. 19; RUIZ DE MONTOYA, l.c., etc. Notari potest plures auctores inter arguendum sensum transitum facere a praedestinatione complete sumpta ad praedestinationem formalem ad gloriam, v. DE SAN, 10388.

demque voluntatem, circa idem obiectum, eodemque modo absolute et efficaciter, moveri et non moveri meritis. Atqui id statuit formula proposita. Nam voluntatem gratuito concipi est eam non moveri meritis; velle dare gloriam ex meritis est eam moveri meritis. Haec igitur formula nullo modo exprimere potest sententiam adversariorum; sed apta est ad significandam voluntatem salvificam universalem, aut praedestinationem complete sumptam.

Ideo dicendum est in sententia praedestinationis ante praevisa merita voluntatem electivam nullo modo respicere gloriam ut coronam iustitiae; quod aliunde satis intendunt plura argumenta quibus utuntur eius patroni.

Dices tamen: Nullo modo repugnat gloriam dari duplici titulo, ex gratia et ex iustitia. Potest etiam quis gratuito velle benefacere alicui per venditionem equi.

Dist. assert. Non repugnat gloriam dari virtualiter ex gratia, et formaliter ex iustitia, *conc.*; utroque titulo formaliter, *nego*. Exemplum allatum potius retorquetur: nam si, ut supponitur, non vult aliquis benefacere alii nisi per venditionem equi, voluntas ut absoluta et efficax, fertur immediate in venditionem equi, non in eius donationem.

261. Obiectiones. 1. Ex S.Scriptura arguunt saepe adversarii ex solo nomine electorum, quo vocantur praedestinati. Praeterea ex Rom 8, 28-30 et 9.

Ad primum, nullum est argumentum ut notatum est (v. n.237), quia in S.Scriptura fere semper electi sunt omnes christiani. Neque Mt 24,22-24 *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi... sed propter electos breviabuntur dies isti*, certum est agi de praedestinitis sensu theologico, sed potius, ut alias, de omnibus christianis tempore antichristi; quod si de praedestinitis intelligenda essent, tamen non dicit Christus nisi executionem temporalem praedestinationis, quae quomodo facta sit non explicatur. Praeterea praeter electionem gratuitam datur etiam electio ex iustitia, ut notatum vidimus apud S.AUGUSTINUM⁵⁰.

Ad secundum breviter respondere possumus *negando suppositum*, agi his locis de praedestinatione, ad gloriam praecise et formaliter sumpta⁵¹. Rom 8,23-30 non est evidens agi de praedestinatione sensu theologico, nam Apostolus vult erigere spem omnium fidelium saltem iustorum⁵². Quod si ageret de illis, potius ex interpretatione plurium Patrum arguere possemus pro nostra sententia, cum praesentia ponatur ante praedestinationem. Cum igitur sensus huius sectionis incertus sit, vix potest theologus certum aliquod aliqua verisimilitudine in quaestione nostra et illa eruere, nisi forte hanc negativam; contextu considerato, non posse inde statui praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita. In c.9 evidenter non agitur nisi de praedestinatione ad gratiam fidei; v. thesim 25 de reprobatione.

2. Ex PATRIBUS afferunt S.AUGUSTINUM⁵³, cuius sententia praefenda est dictis aliorum Patrum.

⁵⁰ Cavillos quorundam auctorum v. si lubet apud PESCH, 386-389.

⁵¹ Hic difficilis locus diversimode ab interpretibus intellectus est; cf. CORNELY, LAGRANGE, in h.l.; BOVER, *La Teologia de San Pablo* 223-233; praesertim PRAT, 1,284-299 et n. F.H. 508-513, 519-532. Cf. LANGE, 655; LENNERZ, 483-485; D'ALÈS, l.c., 197-199; SANTELER, l.c.; PLATZ, *Der Romerbrief in der Gnadenteleologie Augustins*. In exegesi huius loci immorari non possumus in hac Summa; aliunde eam supponimus accurate traditam in schola S.Scripturae.

⁵² CEUPPENS, o.c., 265-276, qui hanc difficultatem contra suam expositionem videt et proponit, eam insolutam relinquere videtur.

⁵³ Praeter theologos contrariae sententiae v. O.ROTTMANNER, *Der Augustinismus* (München 1892); M.JACQUIN, *La question de la prédestination au V^e et VI^e siècles*: RevHistEcll 5 (1904) 265-283, 725-754; 7 (1906) 269-300; TIXERONT, *Histoire des dogmes* 2,504ss; J.SAINT-MARTIN, *La pensée de St. Augustin sur la prédestination gratuite à la gloire d'après ses derniers écrits* (Paris 1930) et *Prédestination* 3; DTC 12,2832-2896. PETAVIUS, postquam per plura capita De Deo 1.9 c.6ss ostendit se velle dixerit secundum S.Augustinum gloriam praedesti-

Negamus donec probetur S.Augustinum tenuisse praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita, imo potius contrarium probabilius verum est, ut in probationibus innuimus. Ut diximus S.Augustinus in controversia contra pelagianos sollicitus non est nisi de gratuitate gratiae, et de his quae cum illa connexa sunt. Quae ex ipso afferuntur nullo modo rem probant, si in contextu et scopo S.Doctoris intelligantur. Apprime notari debent quae dicit: «impediri potius atque subverti hac praedestinationis praedicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari»⁵⁴. Ideo licet aliquando dixisset gloriam praedestinatum esse gratuito, id intelligendum esset virtualiter, non formaliter; aut etiam praedestinationem ad gloriam non esse ex meritis naturalibus, ut pelagiani et semi-pelagiani stantebant. In his nullo modo connumeratur praesens quaestio, quae gratuitatem gratiae illaesam servat. Neque sententiam aliorum Patrum corrigit sed eam complet, ac tacite illam potius confirmat. Quae ex doctrina de massa damnata et de reprobatione tradit, v. in thesi 25.

262. 3. S.THOMAS q.23 a.4 et alibi docet praedestinationem praesupponere electionem. Atqui electio ex S.Thoma est voluntas efficax gloriae, praevia ad ordinationem mediorum. Ergo docet electionem ad gloriam esse ante praevisa merita. Quae autem dicit a.5 intelligenda sunt de ordine executionis.

Dist. mai. Praedestinatio praesupponit electionem, sicut electio dilectionem, quae tamen non sunt duae voluntates formaliter diversae, *conc. mai.*; eam praesupponit quasi praedestinatio contineret novam voluntatem circa media, seu ut signum rationis adaequate diversum, *nego mai.* *Dist. min.* quoad primam partem: electio ex S.Thoma est voluntas *finis tantum, nego*; est voluntas *finis et mediorum simul*, et quidem *unica voluntas praedestans, conc.* Secundam partem *pariter dist.* Voluntas efficax gloriae est praevia ad voluntatem efficacem mediorum, *nego*; est praevia ad ordinationem mediorum *formaliter sumptam*, quae est in *intellectu practico, conc.* De duplici ordine intentionis et executionis nihil ille dicit.

Praedestinatio sumitur a S.Thoma complete, ac constituitur in intellectu practico, qui, ut notavimus, non est nisi scientia speculativa determinata per voluntatem, quasi compositum ex utroque elemento, et *logice posterius illis*, idque vocat formalem ordinationem hominis ad finem ultimum per media. Ideo electio, quae est voluntas inclusa in praedestinatione (a.5 c) habet pro obiecto non solum gloriam, sed etiam gratias, ut expresse dicit S.Doctor: «Et sic in collatione gratiae et gloriae attenditur electio»: a.4 ad 1. Quare ordinatio hominis ad finem, seu formalis praedestinatio, non est concipienda ad modum *consultationis* et *determinationis* mediorum, posita voluntate efficax finis, ut ponit sententia quam impugnamus, quod expresse agnoscunt nobiles thomistae⁵⁵. Quod autem electio dicatur voluntas finis, non obstat quominus sit etiam voluntas mediorum, quia tota motuum coordinatio recipit nomen ab ultimo motu⁵⁶.

Quae ex a.5 ad 3 obici possent v. in thesi 25 de reprobatione. Cetera quae ex S.Thoma afferuntur manifeste loquuntur de praedestinatione completa.

natam esse gratis, tandem concedit c.15 n.1 se «verius» putare ex Augustini sententia «gloriam non praecise absoluteque, sed tamquam praemium atque ex meritis, quae certo futura praesciunt, pendendum et cum illis ordinatam destinasse Deum»; v. FRANZELIN, th.64,687-688.

⁵⁴ De dono perseverantiae n.42: ML 45,1019; cf. auctores relatos supra n.257.

⁵⁵ Ita GONET, *Clypeus theologiae thomisticae. De praedestinatione* d.I a.3 n.53-54.

⁵⁶ Cf. auctores relatos n.258; praesertim MANNENS, 151-153.

263. 4. Qui ordinate vult, prius vult finem quam media. Atqui gloria est finis et gratiae sunt media. Ergo prius decernitur absolute gloria et postea gratiae ut gloriam obtineat ⁵⁷.

Dist. mai. Qui ordinate vult, prius vult finem voluntate seria et intentiva, *conc. mai.*; voluntate absoluta et efficaci, *subdist.*; si finis obtinendus est ab ipso volente et praesertim mediis physicis, *conc.*; si finis est quid dandum ut praemium alii, ob merita eius, *nego*; cf. dicta in probationibus. Finis absolute intentus a Deo, eius gloria, et quidem modo et gradu ab ipso intento, semper obtinetur. Quaero praeterea ex quo fine velit Deus gratias efficaces datas reprobis ⁵⁸.

5. Admitti debet praedilectio Dei in electos. Atqui nequit haec explicari nisi ex electione gratuita ad gloriam ipsam. Ergo admitti debet praedestinatio ad gloriam ante praevisa merita.

Dist. mai. Admitti debet praedilectio *concomitans* totam praedestinationem, *conc.*; praedilectio antecedens, *subdist.*; praedilectio contenta in praedestinatione gratiae, *conc.*, ut th.24 attingemus; praedilectio antecedens respectu gloriae, *nego*, ex argumentis thesis; talis enim praedilectio statui debet, quae non noceat benevolentiae generali erga omnes, ut est quae oriretur ex praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita; nam «praedestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi», ut ait S. PROSPER (R 2033) ⁵⁹.

Quae ex connexionione praedestinationis ad gloriam cum perseverantia finali obiciuntur solum probant eam esse virtualiter gratuitam ⁶⁰.

§ 3. De praedefinitione actus salutaris

Thesis 24. Deus omnes actus salutare praedefinit; non tamen praedefinitione formali, sed generatim praedefinitione mere virtuali.

MUNCUNILL, 776-793; BERAZA, *De gratia* 603.635-642; LANGE, *De gratia* 645-658.

264. **Nexus.** Ad ordinem salutis, quo homo perducitur ad suum finem supernaturalem, pertinent, praeter dona gratiae et gloriae, etiam *actus salutare*, qui ab homine libere positi, proportionem habent cum vita aeterna, et sunt, aut dispositiones quibus se praeparat positive ad iustificationem, aut actus iustificati meritorii augmenti gratiae et gloriae. Eos propterea attingit quoque divina *praedestinatio*; haec autem, vel *voluntas* in illa inclusa, prout versatur circa actus salutare, vocatur a s.XVI *praedefinitio*. De illa agitur etiam in tractatu de gratia in declaratione gratiae efficaci.

⁵⁷ De hac ratione quam fundamentalem et efficacissimam vocant adversarii, cuique praecipue nituntur, v. LENNERZ, *De historia applicationis principii...* Greg 10 (1929) 238-266. Ibi ostenditur hoc principium primo applicatum fuisse huic quaestioni ab Scoto, quem sui discipuli secuti sunt, aliis contradicentibus; nec S.Thomae tributum esse nisi s.XVII, repugnante ipso BAÑEZ; CRISÓSTOMO DE PAMPLONA, *La prioridad de la volición del fin con respecto al medio en la cuestión debatida de la predestinación*: EstFranc 56 (1955) 421-429.

⁵⁸ V. FRANZELIN, th.60,650-654.

⁵⁹ LESSIUS, *De praedestinatione* s.5 et 6; FRANZELIN, *l.c.*, 654-657.

⁶⁰ Omittimus plura, quae oratorio potius quam scientifico modo in hac quaestione proponuntur.

265. **Notiones.** PRAEDEFINITIO potest definiri cum S.AUGUSTINO *praedestinatio actus salutaris*; estque *voluntas divina vero quodam modo efficax de positione actus salutaris, antecedens praevisionem absolutam liberae determinationis creaturae*. In universum praedefinitio duo includit elementa: a) voluntatem divinam vere *intentionem actus boni* a creatura ponendi; b) voluntatem divinam ab aeterno *scienter ac libere reddentem hunc actum infallibiliter futurum*. Qualis sit ea intentio, et quo pacto Deus faciat actum infallibiliter futurum, diversimode explicatur in praedefinitione formali et in virtuali.

Praedefinitio formalis est actus voluntatis divinae *directe, immediate et efficaciter* intendens actum salutarem; posito hoc decreto, Deus decernit dare gratiam efficacem, qua actus infallibiliter fiat. Potest intelligi praedefinitio formalis, vel *independens omnino a scientia media*, ut eam ponunt qui hanc scientiam non admittunt, vel *dependens ab ea, saltem in executione*, ut ponunt qui ex hac scientia explicant gratiam efficacem ¹.

In praedefinitione *mere virtuali directe et immediate* decernitur a Deo *gratia* quae in scientia media praevidetur efficax, et quidem *cum affectu efficaciae*, sed *non praecise quia praevidetur efficax*, qua voluntate posita actus infallibiliter futurus est; hic *vero actus* pro priori ad decretum dandi gratiam intenditur quidem, sed non efficaciter sed *simplici affectu*; quibus positus *actus praedefinitus est virtualiter*, nam habetur in Deo *vera intentio actus et voluntas reddens illum infallibiliter futurum*. Ideo praedefinitio virtualis non est actus divinus formaliter simplex, ut est praedefinitio formalis, sed *complexus trium elementorum*, voluntatis salvificae, scientiae mediae et voluntatis absolutae dandi gratiam cui Deus praevidit hominem consensurum si detur.

Aliqui auctores addunt aliud inter utrumque genus praedefinitionis, quod tamen logice ad alterutrum ex membris dictis reducendum videtur.

Haec media sententia, quae diversis modis designatur et propugnatur, intentionem quamdam ponit antecedentem actus salutaris, sed ita dependentem a scientia media, ut intra quasdam tantum gratias versetur, non secundum totum thesaurum omnipotentiae. Haec tamen parum congruenter dicta videntur cum omniscientia divina, quae prior intelligitur eius

¹ Dicuntur interdum hi auctores qui congruistae stricti appellantur statuere praedefinitionem omnino independentem a scientia media. Verum expresse monet SUÁREZ (*Op.* 1.2 c.7 n.3) admitti non posse praedefinitionem nisi supposita scientia media, ut conditione requisita in ordine executionis. Id tamen verum est in hac sententia, decretum praedefiniens non illam respicere ut *rationem voluntatis divinae*; quod etiam admittitur ab iis qui tenent praedefinitionem mere virtualem.

voluntati; quidquid est de dictis quibusdam anthropomorphis, quae in auctoribus ecclesiasticis interdum reperiuntur².

266. Sententiae. Praedefinitionem formalem defendunt omnes qui docent praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita³. Eam, aut sententiam illam mediam inter utrumque genus, tenent quoque aliqui theologi S.I., qui praedestinationem ad gloriam ponunt post praevisa merita, ut VIVA, PLATEL et WIRCEBURGENSIS KILBER⁴.

Praedefinitionem mere virtualem ponunt communius qui postremum hoc systema de praedestinatione ad gloriam defendunt, ut MOLINA, VÁZQUEZ, LESSIUS⁵ et maior pars theologorum S.I.

Sunt inter illos qui omnem formalem praedefinitionem renunt, ut cum libertate impossibilem, ut VÁZQUEZ et MUNCUNILL⁶. Sed cum ea non obstare libertati videatur, si modo ponitur ut dependens a scientia media in executione, ut revera eam ponunt theologi S.I., non ex hoc capite eam reicimus; imo admittimus eam in casibus specialibus posse dari; non tamen ut *regulam generalem*, nempe nullum actum salutarem poni nisi formaliter praedefinitum; imo tenemus generatim *actus salutares, etiam praedestinatorum, mere virtualiter praedefiniri a Deo*.

OMNES ACTUS SALUTARES VERO quodam modo PRAEDEFINIRI A DEO omnes theologi admittunt, exceptis fortasse qui systema sorbonicum sequuntur in explicatione gratiae efficaci.

Valor theologicus. Prima pars est *certa*. Altera *probabilior*.

267. Probatur prima pars. Ex Scriptura et Patribus iis argumentis quibus usus est S.AUGUSTINUS contra semi-pelagianos, qui «divino adscribere operi Sanctorum merita reformedant», ut ait S.PROSPER⁷. Deus enim promittit nobis opera bona, ea praeparat et donat, ad ea nos eligit et adducit. *Faciám ut in praeceptis meis ambuletis: Ez 36,27. Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus: Eph 2,10. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti: Eph 1,4. Ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit?: Rom 2,4.* Quae de hac praedestinatione actuum salutarium interpretatur Au-

² BERAZA, 603.635. De possibili origine huius sententiae in decreto P.AQUAVIVA (1613), v. LANGE, 650.657.658. De hoc decreto ac de historia eius declarationis a P.VITELLESCHI (1616), v. LE BHACELET, *Prédestination et grace efficace. Controverses dans la Compagnie de Jésus aux temps d'Aquaviva* (Louvain 1931).

³ SUÁREZ, *De Deo* tr.2 l.1 c.13; *Op.1* l.2 c.7; l.3 c.17; *De gratia* l.5 c.50.

⁴ D.VIVA, *De Deo* l. p. d.4 q.2; I.PLATEL, *Synopsis, De Deo* c.4; WIRCEBURGENSIS, 209ss.

⁵ MOLINA, *Concordia* q.23 a.4 d.1 m.13; VÁZQUEZ, *In 1 p. De q.99 c.7 et alibi*; LESSIUS, *De praedestinatione* n.112; *De gratia efficaci* c.4.

⁶ VÁZQUEZ, l.c.; MUNCUNILL, 783.

⁷ Epistola ad S.Augustinum n.6: ML 44,951.

GUSTINUS, qui ideo saepe repetit «praeparatur voluntas a Domino». «Quod ait Apostolus... creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est; quod autem sequitur, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus, praedestinatio est»⁸. «Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse praedestians nos ut tales per gratiam eius essemus» (R 1938).

Probatur ratióne. a) Deus intendit sine dubio actus bonos qui a creatura ponuntur, saltem simplici affectu, nam etiam eos qui non ponuntur intendit. b) Deus reddit libere hos actus infallibiliter futuros; nam saltem praelucente scientia media, qua scit quid in quibuscumque conditionibus sit futurum, libere determinat ordinem causarum et gratiarum; ergo libere facit hunc actum infallibiliter futurum. Ergo, ex data descriptione, Deus omnes actus salutares praedefinit.

268. Probatur secunda pars. 1. Praedefinitio formalis ut lex generalis stare nequit cum voluntate salvifica et benevolentia generali Dei. Nam si ex lege generali statuitur nullum actum bonum poni nisi formaliter praedefinitum, tota ratio seligendi gratias efficaces aut inefficaces esset efficacia et inefficacia, utpote medium necessarium ad exsequendum decretum praedefiniens hos solos actus bonos a creatura ponendos. Ergo revera videretur Deus seligere de industria gratias efficaces quia efficaces, et inefficaces quia inefficaces.

2. Sufficenter explicatur per praedefinitionem virtualem praedestinatio actus salutaris et ratio beneficii formalis in gratia efficaci. Nam Deus intendit vere efficaciam gratiae, quae omnino conformis est voluntati salvificae; eaque supposita, vere virtualiter intendit efficaciter efficaciam gratiae, ac proinde actum ipsum salutarem. Ergo Deus hoc modo vere praedefinit actum salutarem.

269. Obiectiones. 1. In praedestinatione mere virtuali, Deus ita dispositus est, ut si videret per scientiam mediam hominem non consenturum huic gratiae, non ideo aliam quaereret. Ergo non haberet specialem affectum ad actum bonum.

Conc. antec. Nego cons. An si quis pauperi largitur eleemosynam, posita quadam conditione ex parte pauperis, paratus eam non dare nisi conditio detur, non confert illi speciale beneficium, praesertim si certo sciat conditionem positum iri?

2. In systemate praedefinitionis virtualis nulla adsignatur ratio selectionis gratiarum efficacium prae inefficacibus.

Nego assert. Adsignatur enim unica ratio adsignabilis, libera nempe voluntas Dei, quae inter diversa bona eligit sanctissime et liberrime quae vult. Quaero quatenam sit ratio eligendi hos homines prae aliis, aut hos actus prae aliis, aut praedefinitionis actuum salutarium quos reprobi eliciunt.

⁸ De praedestinatione Sanctorum c.10 n.19: ML 44,974.

ARTICULUS III

DE REPROBATIONE

270. **Notio** ¹. REPROBATIO proprie vel simpliciter dicta est *PARS illius providentiae supernaturalis, quae versatur circa eos qui non consequuntur salutem*: q.23 a.3; unde potest dici pertinere ad providentiam supernaturalem inefficacem, sc. ad illam quae non pervenit ad terminum intentum a Deo, qui est salus hominum. Ideo reprobatio, prout opponitur praedestinationi strictae, *non complectitur nisi eos actus qui versantur exclusive circa damnatos*, non eos qui omnibus sunt communes, ut est voluntas salvifica universalis et praeparatio gratiae ex se sufficientis, imo et plurimum gratiarum efficacium.

Reprobi enim dicuntur qui a fine supernaturali deficiunt, et damnantur, quatenus a Deo *reiectioni*; nam eorum damnatio non subtrahitur providentiae Dei. Verum Deus etiam circa illos habet providentiam supernaturalem beneficam, qua illis sincere vult finem et media; haec autem non pertinent ad reprobationem. Nam reprobatio pertinet ad providentiam *non per se*, sed ex suppositione alicuius mali non intenti a Deo, nempe peccati. «Malum [culpa], ait S. THOMAS, non subiaceat providentiae ut causatum, sed solum ut praevium et ordinatum» (I d.40 q.4 a.1).

Reprobatio CONTINET iudicium de merito malo hominis et *voluntatem retribuendi quod illi debetur*; PRAESUPPONIT autem voluntatem permittentem malum culpa. Sed unica voluntas *intentiva* in reprobatione est voluntas dandi poenam post culpam praeviam. Ideo reprobi dicuntur *praesciti*, non praedestinati proprie loquendo, et reprobatio sumitur fere, aut saltem principaliter, pro *voluntate damnationis* ². Unde reprobatio est *voluntatis consequentis* praevisionem demeritorum, vel in genere praevisionem mortis in statu peccati mortalis, sive personalis, sive originalis.

Haec est reprobatio quae admitti debet ut *de fide implicita* (cf. *Concilia Carisiacum et Valentinum*: D 316 322) ³, quae est *positiva*, seu voluntas damnandi, et *consequens* praevisionem

¹ S. TH., I q.23 a.3 c. et ad 2; I d.40 q.4 a.1; SUÁREZ, *De Deo* tr.2 l.5 c.1; c.4 n.11. In notione reprobationis enucleanda implicentur aliquantum auctores quidam, qui tenent reprobationem antecedentem, quam reicimus. Ideo eas notas ei adscribimus, quae reprobationem revera admittendam constituunt, ac negamus omnino collationem gratiae sufficientis esse effectum reprobationis ullius.

² TOLEDO, *In I p.* q.23 a.3. Quarta conclusio.

³ *Valentinum* reprobationem vocat adhuc praedestinationem ad mortem cum aliis antiquioribus; verum iure hoc nomen soli electioni ad bona salutis et ad vitam aeternam reservatum est.

mali culpae usque ad mortem perseverantis. Facile patet ex doctrina revelata de damnatione eorum qui in mortali peccato moriuntur, ac diversis modis exponitur in N.T., ut in sententia ultimi iudicii Mt 25,32-41; peccatores dicuntur *filius gehennae*: Mt 23,15, ac *vasa contumeliae apta ad interitum*: Rom 9,21s; Iudas dicitur *filius perditionis* Io 17,12 ⁴.

Thesis 25. Nulla datur reprobatio antecedens, neque positiva, neque negativa.

S. TH., q.23 a.3; TOLEDO, *In I p.* q.23 a.3; FRANZELIN, th.54,55; MUNCUNILL, 815-841; PESCH, prop.60-63; LENNERZ, 391-399.412-419.

271. **Nexus.** Ut recte intelligatur doctrina de praedestinatione et reprobatione et in universum providentia supernaturalis Dei circa salutem hominum, opus est reicere sententias quae nomine reprobationis antecedentis circumferuntur, quaeque voluntatem salvificam universalem vel negant vel non recte explicare videntur.

Notiones. Reprobatio antecedens dicitur esse *absoluta voluntas divina excludens aliquos a gloria, antecedenter ad praevisionem peccati usque ad mortem perseverantis*. Reprobatio antecedens *positiva* dicitur *voluntas damnandi*; *negativa* dicitur *voluntas excludendi a gloria, vel non eligendi ad gloriam* aliquos ante praevisa eorum demerita, in oppositione ad voluntatem absolutam antecedentem eligendi alios ad eam ante praevisa merita. Non ideo dicitur negativa eo quod sit *omissio* voluntatis divinae, nam est *actus positivus*, sed eo quod obiectum eius non est positiva damnatio, sed mere *exclusio a gloria, vel negatio efficaciae electionis ad illam*.

272. **Adversarii.** Reprobationem antecedentem positivam statuit *praedestinatianismus* qui vocatur, reiectus a SS. Prospero et Fulgentio, quem tribuebant S. Augustino semipelagiani. Praedestinatianismus tenet damnatos praedestinos esse ad malum et ad poenam aeternam ante praevisa demerita; ideoque negat voluntatem salvificam universalem, saltem post praevium peccatum originale; gratiam vero esse necessitantem, nec dari nisi praedestinitis ad vitam. Hanc doctrinam revera tenuisse videntur LUCIDUS presbyter qui libellum subiectionis obtulit *Concilio Arelatensi*, et pauci quidam saec.V ⁵. Eam renovasse videtur saec.IX GOTTESCHALCUS, qui docuit dupli-

⁴ V. CEUPPENS, 277-279.

⁵ LANGE, 669; LENNERZ, 388-389; PORTALIÉ, *Augustinisme*: DTC 1,2522-2524; D'ALÈS, *Prédestination*: DAFc 4,217-218, ubi de antiqua controversia suscitata ex edito libro *Praedestinitus* a I.SIRMOND.

cem praedestinationem ad vitam et ad mortem aeternam, eodem modo se habentem, ac voluntatem salvificam universalem negavit⁶. THOMAS BRADWARDINUS saec. XIV, e quo WICLEF et HUS errorem sumpserunt, statuit reprobationem positivam antecedentem et praedeterminationem necessitantem⁷.

Idem tenuerunt plures protestantes, CALVINUS praesertim, qui ait reprobis praedeterminatam esse mortem aeternam et ad dictos esse culpae a Deo, «ad gloriam eius sua damnatione illustrandam»⁸. Inter calvinianos, alii duce GOMMARIO sunt *antelapsarii*, alii cum ARMINIO *postlapsarii*; priores enim putant divisionem inter praedestinos et reprobos factam esse ante praevium omne peccatum, posteriores post praevium peccatum originale⁹. IANSENIUS tenet reprobationem positivam antecedentem *postlapsariam*, quia quos Deus non separat a massa peccato originali damnata per electionem gratuitam ad gloriam, vult positive damnare; quare consequenter negat voluntatem salvificam antecedentem post praevium peccatum originale¹⁰.

273. Theologi fere omnes qui docent praedestinationem vel electionem ad gloriam ante praevia merita, consequenter admittunt *reprobationem negativam antecedentem*. SCOTUS quidem et BILLOT¹¹ cum aliis paucis eam renuunt, et aiunt in signo electionis ad gloriam Deum negative se habere circa reprobos; adest tamen non electio eorum.

Inter modernos THOMISTAS triplex fere est modus quo reprobatio negativa ponitur¹²: a) Plures cum ALVAREZ, IOANNE A S. THOMA et SALMANTICENSIBUS eam definiunt voluntatem *excludendi a gloria* vel non admittendi ad illam, in quantum est beneficium indebitum, eamque *antelapsariam*. b) GONET, GOTTI, MASSOULIÉ et alii ponunt eam *postlapsariam*, sed antecedentem praevisionem peccatorum personalium, aiuntque consistere in iusta *derelictione in massa damnata*. c) Alii tan-

⁶ HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles* 4, 137-235; H. SHRÖRS, *Hinkmar von Rheims* (Freiburg 1884); PORTALIÉ, l.c., 2527-2530; D'ALÈS, l.c., 221-223; B. LAVAUD, *Prédestination, La controverse au siècle IX*: DTC 12, 2901-2935; LANGE, l.c., LENNERZ, 393-396; G. MORIN, *Gottschalk retrouvé*: RevBén 43 (1931) 303-312; C. LAMBOT, *Oeuvres théologiques et grammaticales de Godescalc d'Orléans*: SpicSacrlouv 20 (Louvain 1945).

⁷ K. WERNER, *Des Augustinismus der späteren Mittelalters* (Wien 1883); PORTALIÉ, l.c., 2536-2542; G. HAHN, *Thomas Brandwardin und seine Lehre von der Willensfreiheit* (Münster 1905); LENNERZ, 412; LANGE, l.c.

⁸ CALVINUS, *Institutio religionis christianae* 1.3 c.21; v. eius verba apud PESCH, 490; LENNERZ, 418; LANGE, l.c.; H. OTTEN, *Calvins theologische Anschauungen von der Prädestination und Reprobation* (München 1940); E. BUSS, *Für Prädestinationslehre Kard Barths* (Zürich 1955).

⁹ PESCH, 419-420; LENNERZ, 410; W. BREUNING, *Neue Wege des protestantischen Theologie in der Prädestinationslehre*: TrierThZchr 68 (1959) 193-210.

¹⁰ Augustinus t.3 l.3 c.20-21; 1.10; cf. J. CARREYRE, *Iansenisme, II L'Augustinus*: DTC 8, 397-399-441-447; PORTALIÉ, l.c., 2546-2549; PESCH, 412.

¹¹ L.c., in thesi 23.

¹² GAZZANIGA, 2 diss.6 c.9; PESCH, 419-425; ubi textus auctorum reperies.

dem cum GOUDIN, GRAVESON et BILLUART, negato utroque modo eam concipiendi, dicunt reprobationem negativam non esse nisi meram voluntatem *permittendi culpam*, ita tamen intellectam ut sit voluntas *excludendi ab electione efficaci ad gloriam* ut a beneficio indebito, quod fit permittendo hominem suae fragilitati.

Theologi S.I. qui eam admittunt alii sunt *antelapsarii*, ut SUÁREZ¹³, alii *postlapsarii* cum BELLARMINO¹⁴; omnes autem eam intelligunt ut meram non praedestinationem, seu *non efficacem electionem ad gloriam*; explicite tamen addunt reprobationem negativam esse suo modo causam aut rationem non dandi reprobis media quae agnoscuntur congrua et infallibilia ad gloriam assequendam.

274. **Doctrina Ecclesiae.** *Reprobationem positivam* antecedentem damnavit Ecclesia. *Concilium Arelatense* (D 160*), *Arausicanum* epil.: «Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum mali credere vellent, cum omni detestatione illis anathema dicimus» (D 200). *Concilium Carisiacum* c.1: «Ceteros autem, quos iustitiae iudicio in massa perditionis reliquit, perituros praescivit, sed non ut perirent praedestinavit; poenam autem illis, quia iustus est praedestinavit aeternam» (D 316). *Concilium Valentinum* c.3: «In damnatione autem periturorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium... in malis vero ipsorum malitiam praescivisse, quia ex ipsis est, non praedestinasse, quia ex illo non est» (D 322)¹⁵. *Tridentinum* (s.6 c.17): «Si q.d... reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinos ad malum, a.s.» (D 827).

De *reprobatione negativa* iudicium non protulit Ecclesia.

Valor theologicus. Prima pars est *de fide*. Altera *probabilior*.

275. **Probatur prima pars.** Reprobatio antecedens positiva est contra frequentissima dicta S. Scripturae, ut Ez 18, 23ss; Sap 11, 24ss; Mt 23, 37; Lc 19, 41s, et directe opponitur voluntati salvificae universali. Haec doctrina facit Deum mendacem, iniustum et crudelem; nam in ea prior est voluntas damnandi, postea sequitur voluntas ut peccent, ut finis ille obtineatur, quae proinde non est mera peccati permissio.

¹³ *De Deo* tr.2 l.1 c.8-12; 1.5 c.4 n.8; c.5.

¹⁴ *De gratia et libero arbitrio* l.2 c.9.15.

¹⁵ V. in D 320 n.1 de doctrina utriusque Concilii Carisiaci et Valentini et opera in nota 6 relata de Gottschalco.

Ex sanctis Patribus. Praeter adducta in probanda voluntate salvifica universali, expresse praedestinianismus gravissimis verbis reiectus est a S.AUGUSTINO, et ab eius discipulis PROSPERO et FULGENTIO, ut calumnia magistro iniusta. S.AUGUSTINUS: «Bonus est Deus, iustus est Deus... non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est» (R 1901); «qui est et illis quos praedestinavit ad aeternam mortem iustissimus supplicii retributor» (R 1882). S.PROSPER: «Et quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati. Essent autem praedestinati, si essent reversuri et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc praedestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi» (R 2033). S.FULGENTIUS: «Ut autem ex bonis fiant homines mali, aut ex iustis iniqui, si divinae praedestinationis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda iustitia. Quinimo nec iustitia iusta dicitur, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicitur... Maior vero erit iniustitia, si lapso Deus retribuit poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam... non autem promisit [Deus] sed praedixit supplicium quo punientur iniusti. Neque vero, sicut praedestinavit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic praedestinavit iniquos ad eandem iustitiam amittendam... pravitatis autem operator numquam fuit... Nec discessurum Deus praedestinavit, quamvis discessurum cognitio divina praescierit» (R 2257 2258).

276. Ratio theologica. 1.^o Praedestinianismus est contra voluntatem salvificam universalem.

2.^o Reprobatio antecedens positiva *antelapsaria* reicitur, quia Deus non potest velle manifestationem iustitiae vindicativae, nisi praesupposito peccato; secus vellet peccatum ut medium, ac proinde intenderet illud.

3.^o Contra *postlapsariam* arguitur ex Rom 8,1 et Tridentino s.5 c.5 (D 729): «In renatis nihil odit Deus». Atqui secundum reprobationem *postlapsariam* reprobi baptizati reprobantur antedenter ad peccata personalia ob solum peccatum originale. Ergo Deus, secundum hanc sententiam, perseverat in odium quo primo oderat illos ob peccatum originale. Nempe peccatum originale non potest esse causa reprobationis ullius hominis, saltem positivae, praecise ut contractum, sed tantum ut perseverans usque ad mortem.

277. Probatur secunda pars. 1. Reprobatio antecedens, etiam negativa, opponitur voluntati salvificae universali, quia, ut ostensum est in th.23, non stat cum voluntate salvifica voluntas excludens a gloria, vel non eligens ad gloriam anteceder

denter ad praevisa mala (imo et mera omissio talis voluntatis, si modo ponitur nova voluntas electiva immediate et efficaciter ad gloriam, ut omnino necessaria ad salutem). Ergo in hoc signo cessat affectus serius salutis circa reprobos. Ergo gratia sufficiens collata reprobis non est beneficium formale, quia non potest procedere ex serio affectu salutis.

CONFIRMATUR haec ratio. Reprobatio negativa, ut admittere solent eius auctores, et re ipsa negari nequit in eorum systemate, est causa vel ratio cur negentur reprobis auxilia congrua, quibus infallibiliter salvarentur. Ergo revera auxilia incongrua quae illis conferuntur, dantur *quia* sunt inefficacia; nam inefficacia auxiliorum est medium prorsus necessarium ad consequendam exclusionem a gloria, decretam immediate (aut omnino consequenter) in reprobatione negativa.

278. 2. Reprobatio negativa in aestimatione morali *aequivalet positivae*, quia non est medium inter salutem et damnationem. Ideo PROSPER et FULGENTIUS, cum excludere volunt reprobationem antecedentem positivam, iis utuntur locutionibus quae manifeste excludunt etiam negativam (v. supra n.275). S.PROSPER ad septimam *obiectionum vincentianarum*, quas vocat «ineptissimarum quorundam blasphemiarum prodigiosa mendacia»: «Quod Deus quibusdam filiis suis... ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt a massa perditionis praesentia Dei et praedestinatione discreti», respondet: «ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt... illos ruituros propria ipsorum voluntate praescivit, et ob hoc a filiis perditionis nulla praedestinatione discrevit... eum non praedestinavit quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevitit»¹⁶. Perspicue ergo *omnem non praedestinationem* ad praesentiam demeritorum defert.

279. 3. Contra reprobationem negativam *antelapsariam*, saltem prout eam ponunt thomistae, argui potest ex eo quod ponant eam ut exclusionem a beneficio indebito *ut possit manifestari iustitia vindicativa Dei*. Atqui mera exclusio a beneficio indebito non est apta ad manifestandam iustitiam vindicativam, nisi *in quantum illa infert culpam*; nam iustitia vindicativa manifestari nequit nisi in punitione culpae. Ergo in hac sententia quaereret Deus ad finem manifestationis iustitiae, per illud medium, reprobationem negativam, *culpam* hominis ad hoc ut posset manifestari. Neque ex alia parte potest dici ullo modo bonum ac Deo expetendum quod aliquis excludatur

¹⁶ ML 51,158.160.167.

a gloria, etsi est beneficium indebitum, nisi ob culpam illius, si omnes homines ordinavit ad gloriam ut finem ultimum, et quidem ut unicum finem.

Haec quae nervose arguit BILLUART¹⁷ contra explicatio- nem ALVAREZ, valent etiam contra illum (qui, ut ipse tandem fatetur, non dissidet ab illis nisi in modo loquendi), nam etiam ille ponit Deum ex intentione manifestandi iustitiam excludere aliquos ab electione efficaci ad gloriam et ita permittit eos eorum fragilitati.

280. Contra reprobationem negativam *postlapsariam* potest argui eodem modo ac contra positivam ex Rom 8 et Tridentino. Nam etiam in hac sententia ex odio in peccatum originale iam remissum reprobandentur renati. Multa certe remanent ex peccato originali in renatis, concupiscentia et mala vitae huius; sed, ut declarat *Tridentinum* l.c., remanent *ad agonem* et coronam obtinendam; ad quod certe pertinere non potest reprobatio negativa, quae a salute excludit. Ergo posita redemptione, ac voluntate salvifica manente post praevium peccatum originale, hoc *ut contractum* nulli potest esse causa vel ratio immediata reprobationis ullius.

Non inutile est notare omnes istos modos reprobationis negativae alios ab aliis thomistis acriter impugnari, ut oppositos S.THOMAE, qui certe nusquam reprobationis negativae meminit.

Iuvertit tandem animadvertere in systemate praedestinationis formalis ad gloriam ante praevia merita et reprobationis antecedentis negativae, voluntatem salvificam universalem Dei tanto pondere praedicatam in Ecclesia, esse elementum prorsus inutile in declaranda providentia Dei supernaturali; praedestinatam enim tota ratio salvationis constituitur in voluntate efficaci electiva; reprobis autem tota ratio providentiae devolvitur in reprobationem negativam antecedentem.

281. Obiectiones. Contra PRIMAM PARTEM arg. I. S.Petrus (I Petr 2,7s) dicit: *Non credentibus... lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt.*

Non dicitur positos esse a Deo, sed a semetipsis, ut recte exponit OECUMENIUS: «Ad quod positi sunt, non dicitur quasi a Deo, quasi a Deo ad hoc essent destinati... sed qui seipsos aptaverunt vasa irae, eos secuta est et infidelitas, et in quem ordinem seipsos praeparaverunt, in hunc sunt positi»¹⁸.

2. Arguitur maxime ex Rom 9.

Nego suppositum, nam in hoc capite non agitur de reprobatione a gloria¹⁹. Sententia generalis huius capituli, quod interpretandum est coniunctim

¹⁷ De Deo diss.9 a.9 § 2.

¹⁸ In h.l.: MG 119,534. «El haber sido destinados a ello se refiere no a la indocilidad, sino al tropiezo» (BOVER-CANTERA, *Sagrada Biblia*, in h.l.)

¹⁹ Cf. TOLEDO, CORNELY, LAGRANGE, in h.l.; PRAT, I,300-321; V.WEBER, *Kritische Geschichte der Exegese des 9 Kapitels*, resp. der Verse 14-23, bis auf Chrysostomus und Augustinus einschliesslich (Würzburg 1889); BOVER, *La Teologia de San Pablo* 234-251; *La reprobación de Israel en Rom 9,11*: EstEcl 25 (1951) 63-82; CEUPPENS, 232-253; A.CHARUE, *L'incredulité des juifs dans le N. T.* (Paris 1929); LANGE, 561, ac theologos initio notatos.

cum 10 et 11, est non esse contra fidelitatem Dei promittentis, nec contra iustitiam Dei, quod iudaei ut *populus* non venerint ad fidem. Id probat Apostolus diversis locis V.T., quibus typice ostenditur *efficacem electionem ad gratiam N.T. esse opus pendens ex gratuita Dei misericordia*, non ex iure descendentiae, aut ex operibus legis sine gratia, quam efficacem aliis largitur, aliis non; ideo hi dicuntur indurari a Deo, permissive sc. Indurationem vero tandem in ipsorum iudaeorum culpam refert Apostolus 9,30-32 et 10; quia noluerunt recipere iustitiam ex fide, sed eam ex operibus legis ut talis habere voluerunt.

Verum apprime animadvertere opus est quod c.11 dicit S.Paulus, reiectionem Israel neque esse universalem, neque absolutam, neque perpetuam, quia *populus Israel tandem ad Christum veniet*. Ideo iure 11,22 ait: *Concluit enim Deus omnia [iudaeos et graecos] in incredulitate, ut omnium miseretur*. Ergo quae dicit Apostolus directe aptari non possunt ullo modo reprobationi individuorum, quae certe nulla ratione pertinent ad misericordiam erga eos.²⁰ Hoc tamen non impedit quominus possint principia hic ab Apostolo statuta ad providentiam supernaturalem erga singulos homines applicari. Sunt autem haec praecipua: a) initium salutis ex Deo est, qui liberrime sua dona confert; b) ante merita Deus nemini quidquam debet; c) post demerita potest omnino libere vel iuste punire, vel misericorditer ignoscere²¹.

Iam quaedam hoc capite dicta ita explicantur: a) Iacob et Esau v.11-13 sumuntur ut typi electorum ad gratiam fidei et iudaeorum tunc ad eam non venientium; ante merita utriusque Iacob eligitur ad promissiones prae Esau (Gen 25,23); post demerita Iacob gratis misericorditer diligitur, Esau iuste punitur terra sterili (Mal 1,2-3). b) *Ergo cuius vult miseretur, quem vult indurat* v.18 permissive sc. conferens gratias et quidem magnas v.17,22, sed praevias inefficaces ob culpam hominis. c) *An non potest figulus facere ex eadem massa aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Non dicit S.Paulus ita Deum facere; sed si ita figulus facit, Deus non potest libere de donis suis disponere?, qua comparatione utitur saepe V.T. ut commendet humile obsequium erga Deum. d) In v.22 *vasa irae apta in interitum*, a semetipsis sc., *sustinuit Deus in multa patientia*, ut in ordinationem tandem illud deordinatum reducat; v.23 et (quod deest in Vulgata) *vult ostendere divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam gratiae suae* (intensive utique in gloriam caelestem, sed non dicit praecise efficaciter; quod si ita intelligi debet, non significatur quomodo haec ordinatio fiat); supplendum est *si hoc facere Deus vult, quid respondere potest homo?* v.20.

282. 3. S.AUGUSTINUS saepe docet totum genus humanum factum esse per peccatum originale massam quamdam damnatam; ex hac vero quidam liberantur seu separantur gratuita praedestinatione, ceteri in ea relinquuntur puniendi iusto Dei iudicio, eoque explicat reprobationem omnium damnatorum. Ergo docet reprobationem antecedentem *postlapsariam*²² (v.ex.gr. R 1447 1946 1949 2000).

Nego S.Augustinum tradere unquam reprobos omnes reprobari propter solum peccatum originale ut contractum, seu ob illud reprobari illos quibus aliquando dimissum est²³. Loci qui adducuntur agunt de iis qui adhuc

²⁰ CEUPPENS, 243; BOVER, l.c., 234; PRAT, 300.

²¹ BOVER, l.c., 239-241; J.GONZÁLEZ RUIZ, *Justicia y misericordia divina en la elección y reprobación de los hombres*: EstBibl 8 (1949) 365-377.

²² Ita multi post IANSENIUM; v. ROTTMANNER, o.c., de quo DALMAU, *Notas críticas sobre la interpretación de la doctrina agustiniana de la gracia*: EstEcl 17 (1943) 1-31; E.AMANN, *Lucidus, Prædeterminationisme*: DTC 9,1020-1024; 12,2804-2808.

²³ I.FAURE, in *Enchiridion S.Augustini*, notae in c.24,53,98 p.57,114,187, ubi accurate comparat doctrinam et interpretationem Iansenii cum authentica doctrina agustiniana; POR-

infecti sunt peccato originis. Cum vero ut explicet reprobationem iustificationum recurrit ad doctrinam de massa damnata, eosque iuste dicit in ea derelictos, eam sumit ut principium argumentandi contra semi-pelagianos, ne quaerantur de Deo cur alios eligat, alios non (R 1447); nam si poterat Deus sine iniustitia omnes homines in illa relinquere, non debemus conqueri quod alios extrahat omnino a massa damnationis, alios vero non nisi ad tempus, et sinat illos in illam quodammodo relabi, nempe non praecise in massam damnatam ob peccatum originale, sed simpliciter in massam damnatorum, quae iuste damnata erat ob solum originale; rationem enim positivam huius permissionis «inscrutabiliora» ait esse «iudicia Dei» (R 1949). Indicatur propterea non causam moventem reprobationis istorum, sed causam de se sufficientem, ut sufficit pro parvulis mortuis sine baptismo; nec dicit in odium peccati originalis iam dimissi negari iis gratias efficaces, sed posita non collatione gratiae efficacis quam posset dare, eos permanere in odium peccato debitum.

Praeterea peccatum originale vere est *causa remota* reprobationis, «inde incipit omnium reproborum damnatio», ut ait Bellarminus²⁴; quia ex concupiscentia, quae manet in renatis etiam post remissum peccatum originale, oriuntur plura peccata hominum, atque ex ea fit ut secundam ordinariam providentiam multae ac magnae gratiae, quae conceduntur, inefficaces sint. Unde ex damnatione, orta saltem remote ex peccato originali, non sunt *penitus discreti* nisi praedestinati; ceteri permittuntur eius effectibus.

283. Contra secundam partem. I. S. THOMAS q.23 a.5 ad 3 doce praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita et reprobationem antecedentem; ait enim: «Voluit Deus in hominibus quantum ad aliquos quos praedestinat suam bonitatem repraesentare per modum misericordiae parcendo, et quantum ad aliquos quos reprobatur per modum iustitiae puniendo... sed quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem».

Nego assertum. Et quidem si hoc loco doceret reprobationem antecedentem, eam poneret non negativam, sed positivam, nam dicit Deum *velle punire*. Evidens est S. Thomam agere de praedestinatione complete sumpta, et de reprobatione prout in genere illi opponitur, ut patet ex toto articulo et fine responsionis: «Hoc enim esset contra iustitiae rationem, si praedestinationis effectus ex merito redderetur, et non daretur ex gratia. In his enim quae ex gratia dantur, potest aliquis pro libitu suo dare cui vult plus minus. dummodo nulli subtrahat debitum, absque praedicio iustitiae». Ergo non agit de voluntate electiva ad gloriam praecise et formaliter accepta, nec de reprobatione antecedente. Dicit igitur Doctor Angelicus rationem generalem seu conditionem requisitam ad hoc ut Deus potuerit aliquos reprobare, esse quod Deus potuit in iis repraesentare suam bonitatem per modum iustitiae puniendo, consequenter sc. ad eorum demerita (cf. a.3); quod autem elegerit hunc ordinem in quo hi salventur et illi damnentur, non habere rationem nisi divinam voluntatem.

284. 2. Argumenta adducta contra reprobationem negativam retorqueri possunt contra nos. Nam posita praedestinatione gratuita ad actus salutares ipsaque praedefinitione virtuali, quibus negatur gratia efficax, nequeunt salvari ex voluntate Dei antecedente praevisa demerita. Difficultas ergo ex voluntate salvifica urgetur contra praedestinationem quolibet modo intellectam.

TALIÉ, 2375-2376.2398-2408; WIRCEBURGENSES, 254, et theologos ante relatos; A.MICHEL, *Jansénius et Calvin ont-ils-tiré leurs doctrines prédestinatiennes de S. Paul ou de S. Augustin?*; *Ami Clergé* 70 (1960) 615-619.

²⁴ De gratia 1.2 c.16.

Nego antec. et rationem datam dist. In nostra explicatione quibus negatur (potius non datur) gratia efficax nequeunt salvari ex voluntate Dei antecedente, quae versetur circa ipsam gloriam, *nego*; ex voluntate antecedente quae versetur circa gratiam efficacem *subdist.*: ex voluntate absoluta antecedente, quae aequaliter aut virtualiter dici possit intendere inefficaciam, et opposita sit voluntati salvificae antecedenti, *nego*; ex voluntate antecedente, quae quatenus absoluta et efficax est, tantum statuit dare hanc gratiam quae de se ad consensum allicit, licet praevideatur dissensus futurus ex sola mala voluntate hominis, *conc.*

Inst. Medium unice aptum ad salutem de facto obtinendam est gratia efficax. Atqui etiam in nostra sententia haec negatur reprobis, saltem aliquae, ante praevisa demerita. Ergo neque nostra expositio cohaereret cum voluntate salvifica.

Dist. mai. Gratia efficax ab intrinseco est medium unice aptum ad salutem, *nego mai. et nego suppositum*, dari talem gratiam; gratia efficax ab extrinseco et per relationem ad consensum praevium (etsi non ex consensu ut in tractatu de gratia docetur), *conc. mai. Dist. min.* Negatur gratia efficax cum intentione ne quidem virtuali aut aequivalenti inefficaciae, *nego min.*; datur gratia cum sincera intentione consensus et mera permissione dissensus, *conc. min.*; ideoque proprie *negatur gratia efficax. Nego cons.*, nam voluntas salvifica tantum postulat ut in collatione gratiae sufficientis nullo affectu opposito, antecedente praevisa demerita, sive formaliter, sive virtualiter et aequaliter, obruatur.

Dices: Cur ergo Deus non dat omnibus gratias efficaces, cum possit; et quaenam est ratio distributionis gratiae efficacis aut inefficacis?

Resp. Ad 1 quia Deus est dominus suorum donorum et manifestationis suae gloriae. Ad 2 quia vult et voluntas eius sanctissima est, nec revelavit consilia sua; *O altitudo... quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?*: Rom 11,33s.

285. Corollarium. Admitti nequit reprobatio a gratia efficaci; neque permissio peccati includi debet in reprobatione ut eius elementum, sed tantum ut quid praesuppositum.

Aliqui ex auctoribus qui tenent praedefinitionem formalem aut quasi-formalem actuum salutarium, loquuntur de reprobatione quadam a gratia efficaci²⁵. Plures tenentes reprobationem negativam illam constituunt in permissione peccati²⁶. Tandem interdum sermo est de subtractione gratiae efficacis in poenam peccati, sive personalis, sive etiam originalis. Verum haec non recte dicta videntur; cum his modis loquendi aliqua intentio inefficaciae subiaceat, quae cum mera permissione peccati stare nequit, ac sanctitati divinae non congruit.

Permissio itaque peccati ita explicari debet, ut Deus in conferenda gratia quam praevidet inefficacem, mere permissive se habeat circa eius inefficaciam. Igitur voluntas intentiva efficax in hac permissione est tantum conferendi hanc gratiam in his adiunctis; et quidem intendendo affective ipsam efficaciam; secus gratia sufficiens non esset beneficium formale. Ideo Deus nunquam negat gratiam efficacem qua efficacem.

Quod autem aliqui Doctores dicunt Deum in poenam peccati negare gratiam efficacem, ita tantum intelligi debet: Deus ob poenam peccati personalis maiores aut potiores gratias negat, quas praevidet utique efficaces futuras; sed eas non negat quatenus efficaces sunt, sed quatenus in sua entitate maiores sunt. Similiter, non quidem in poenam peccati originalis iam remissi, sed ob reliquias eius, accidit secundum cursum ordinarium naturae

²⁵ WIRCEBURGENSES, 255-260.

²⁶ BILLUART, l.c.

qui remansit ut n.282 notavimus, ut plures gratiae inefficaces sint; poterat quidem Deus extraordinario modo huic malo subvenire, sed ad id non tenetur ex providentia ordinaria etiam supernaturali.

Tandem manifestatio iustitiae vindicativae ac cetera bona quae permissio peccato oriuntur, sunt quidem *finis* quem ex eius permissione intendit, sed non *finis antecedenter et primario efficaciter intentus*; secus Deus tandem intenderet culpam ut medium, ut arguebamus n.277. Itaque res hoc modo concipi debet: antecedenter ad permissionem culpae, quod Deus possit illam ordinare ad aliquod bonum non est nisi *conditio praerequisita*, non ratio quasi-motiva voluntatis divinae; finis vero manifestationis iustitiae, vel alia bona, *non efficaciter intenduntur nisi post praeviam culpam*.

286. *Mysterium* quidem est praedestinatio et reprobatio, «arcanum» vocat Tridentinum (D 805), quod homo perscrutari non potest, ideoque non debet (D 1645). Verum oportet non illud difficilius facere quam revera est. Maiorem autem hanc difficultatem invenimus in theoria reprobationis negativae et praedestinationis formalis ad gloriam ante praevisa merita, eo quod repugnantiam ponat inter duplicem voluntatem divinam, alteram salvificam universalem, alteram praedestinativam et reprobativam, quam consequentem solo nomine, non re, statuere videtur; eoque tendit praecipue nostra argumentatio in th.23 et 25.

Non itaque ex capite libertatis hanc theoriam oppugnamus, cum libertas indemnis maneat, iam ex ratione generali, quod providentia divina necessitatem rebus non imponat, quod saltem per scientiam mediam sufficienter explicari potest. Ideo huic difficultati, quae vulgo percellere homines videtur, facile respondet illud proloquium: «si non es praedestinatus, fac ut praedestineris», quod quidem prout sonat absurdum plane est; verum non aliud est quam paradoxon ad hoc aliud verissimum exprimendum: «fac quod in te est, et es praedestinatus». Nempe homini sufficit scire se, nisi libere cadat, quod cum gratia Dei, quae illi non deest, semper potest, si nempe oret et perseverantiam perseveranter petat, esse praedestinatum. «Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere» (*Arausicanum* epil. D 200); «cum Deus... pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat» (D 1677). Idque S.AUGUSTINUS saepe docet: «Aliis paratum est: et vos alii estote, et vobis paratum est»²⁷. «Vult et ipse eligi? Fiat minor»²⁸, ac in media controversia cum semi-pelagianis: «Quanto minus

²⁷ In Ps 126 n.5: ML 37,1671.

²⁸ In Ps 136 n.18: ML 37,1772.

se liberabunt qui dicturi sunt: perseverantiam non accepimus... quoniam potest dici: homo, in eo, quod audieras et teneras, in eo perseverares si velles»²⁹ (R 1945).

Tandem nostra sententia congruit naturae rationali et voluntati salvificae universali antecedenti. Ideoque ostendit providentiam divinam maxime accommodatam naturis rerum, ita ut manifestentur ut sunt; ordo etiam supernaturalis naturam non mutat, sed elevat et perficit; idque eam connaturaliter cognoscere possumus posita hac providentia.

²⁹ De correptione et gratia n.14: ML 44,923.

LIBER II

De Deo trino secundum personas

CAPUT I

De existentia mysterii Sanctissimae Trinitatis

ARTICULUS I

ERRORES OPPOSITI ET DOCTRINA ECCLESIAE

287. Notio mysterii Sanctissimae Trinitatis. Prima et simplicissima enuntiatio mysterii Sanctissimae Trinitatis id statuit: cum *unicus sit Deus*, ita ut repugnet dari plures deos sicut dantur plures homines, tamen *tres sunt, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, realiter distincti, qui sunt unicus ille Deus per identitatem realem*. Cum autem id quo aliquid constituitur in quodam ordine entium vocetur *essentia, substantia et natura*; subiectum vero naturae intellectualis distinctum ab aliis vocetur *persona*, ideo in formulis fidei exprimitur mysterium hoc modo: IN DEO DATUR UNA ESSENTIA VEL NATURA, ET TRES PERSONAE; VEL DEUS EST UNUS IN NATURA, TRINUS IN PERSONIS. Nomen autem TRINITAS (graece τριός) a s.II et III iam usurpatum¹, designat simul quasi collective *tres personas in unitate essentiae*. Alios terminos, qui in declaratione et explicatione mysterii occurrunt, sequentia dabunt.

Cum ultiores propositiones ac definitiones dogmatis trinitarii propositae sint praecipue ut erroribus pullulantibus via clauderetur, opus est prius de iis agere.

288. Haereses et errores contra Trinitatem possunt ita distribui, ut patet ipsa enuntiatione mysterii: 1. Negatur vel destruitur, sive aperte sive indirecte, unitas naturae divinae, quo habetur quidam *tritheismus*. 2. Negatur vera Trinitas personarum in Deo. Id vero duplici modo valde diverso effici potest: a) vel quia negatur distinctio realis personalis inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, retenta tantum distinc-

tione quadam minore, modali vel merae rationis; id proficitur *monarchianismus et modalismus*; b) vel quia negatur explicite vel implicite, aperte vel larvate, vera divinitas secundae et tertiae personae, quae propterea subordinantur primae, quae una sit verus Deus; id *subordinatianismus*.

Oriuntur quidem hi errores ex ipsa difficultate mysterii et ex omnimoda confusione inter naturam et personam. Tamen de facto coniuncti sunt cum falsis notionibus de ipsa divinitate. Primis enim saeculis christianis pervulgatae erant doctrinae emanatae de *eonibus* atque intermediariis inter Deum et res creatas, ex philosophia stoica et neo-platonica partim derivatae, quas gnostici haeretici conati sunt aptare dogmati christiano². Ex iis plures errores, non solum contra Trinitatem, sed etiam contra simplicitatem Dei et contra creationem orti sunt; adeo ut una doctrina trinitaria orthodoxa veram notionem Dei, ratione ac revelatione cognitam, indemnem servaverit.

Cum autem revelatio mysterii Sanctissimae Trinitatis maxime et praecipue in Christo Deo-homine et per ipsum facta sit, non mirum est *primas haereses trinitarias esse simul christologicas*, ac praecipuas controversias circa Verbum, secundam personam, versari³. Nefas esse inde deduci circa solum Filium rem agi, quasi merum *dualismum* in divinis christiani profiterentur, ut quidam recentiores rationalistae ausi sunt pronuntiare, satis sola expositione patebit⁴.

Ceterum errores istiusmodi diverso valde modo ac saepe satis confuso propositi sunt; quod non est mirum, quia mysterium Sanctissimae Trinitatis, impervium licet rationi humanae, revelationis luce clarissime propositum est. Ideo haereses et errores, qui secundum naturalem rationem potius obvii viderentur, cito evanuerunt; dum molestiores ac diuturniores fuerunt controversiae, vel de sententiis quibusdam, aut illogis, aut cum falsis philosophicis theoriis colligatis, vel de terminis adhibendis in expositione mysterii adeo captum mentis creatae excedentis. Quo tamen factum est, ut Spiritu Sancto gubernante, accuratior ipsius mysterii intelligentia in Ecclesia obtineretur.

289. Series chronologica errorum. Iam sub finem *saec.I* divinitatem Christi iudaizantes quidam negarunt, ut *CE-*

² V. Historias dogmatum a catholicis scriptas; J.LEBRETON, *Histoire du dogme de la Trinité* (Paris 1927-1928) in introductione utriusque voluminis.

³ LEBRETON, l.c.

⁴ Quae ex *Pastore HERMAE* eruuntur pro identificatione Filii et Spiritus Sancti nullo modo apodictica esse v. apud LEBRETON, 2,383 cum nota 2; J.TIXERONT, *Histoire des dogmes* (Paris 1915) 1,127; P.GALTIER, *De Sanctissima Trinitate in se et in nobis* (Paris 1933) 80 nota 2.

¹ Nomen graecum τριός reperitur apud THEOPHILUM ANTIOCHENUM, *Ad Autolyicum* 2,15; MG: MG 6,1077 (R 180); latinum Trinitas adhibuit iam TERTULLIANUS, *Adversus Praxeam* 2: ML 2,156 (R 371).

RINTHUS et EBIONITAE. Eodem tandem plures Gnosticici saec. II reciderunt. Gnosticismus, magna haeresis quae primaeavam Ecclesiam molestia affecit, licet proprie non sit trinitaria, magnum in historia huius dogmatis momentum habet, cum et inductis inter eones Verbo, Christo et Paraclito testis sit doctrinae trinitariae ecclesiasticae, et theologiae evolvendae suis speculationibus momentum maximum habuerit⁵. MARCION, dualismum inter Deum V. et N. Testamenti inducit et, aliunde accusatur a S. Dionysio Romano quod «in tria principia monarchiam secat et dividit» (D 48).

Exeunte saec. II et per saec. III pervulgatus est diversis formis MONARCHIANISMUS, ita dictus quia eius quasi tessera erat: «monarchiam tenemus», unicitatem nempe divini principii salvare volentes, quam cum personarum Trinitate componere nesciebant. Theodotiani, asseclae utriusque THEODOTI, coriarii et numularii, qui adoptianistae nunc a pluribus vocantur⁶, negabant divinitatem Iesu; affirmabant autem in eo inesse virtutes quasdam divinas, Christum ac Spiritum, impersonales, seu personaliter a Patre indistinctas; ideo eorum systema iure monarchianismus dynamicus dictum est.

Monarchianismum odalisticum tenuerunt patripassiani, PRAXEAS, NOETUS et KLEOMENES, ita dicti quia unam personam dicebant Patrem ac Filium, ideoque Patrem in Christo passum esse. Notior modalista est SABELLIUS⁷, a quo sabelianismi nomine modalismus in posterum fere dictus est. Modalismo Pater, Filius et Spiritus Sanctus non sunt nisi tres modi quibus se manifestat unica persona divina, ut creator, ut apparet in Christo, et ut datur Ecclesiae et apostolis. PAULUS SAMOSATENUS maxime scientifice, ut videtur, modalismum cum negatione divinitatis Christi composuit; statuit enim in Deo unica persona distingui posse quodammodo rationem et sapientiam; ideoque Verbum quidem a Deo proferri, verum impersonale ut est verbum humanum, quod in Iesu puro homine peculiari unione habitaverit⁸. Eodem tempore exstitisse quosdam tritheistas et subordinatianos constat ex epistola S. DIONYSII PAPAE; subordinatiani suspecti multis sunt quidam adversarii modalismi, ut HIPPOLYTUS et NOVATIANUS.

⁵ De gnosticismo, praeter auctores Patrologiae et Historiae dogmatum et Encyclopedias theologicas, v. LEBRETON, 2 81-121 et praesertim A. ORBE, Estudios Valentinianos, I, II et III: Hacia la primera teología de la procesión del Verbo, La unión del Verbo (Roma 1958-1961).

⁶ Ita post HARNACK multi, ut TIXERONT, 1,349; NOVATIANUS vero, De Trinitate 30: ML 3,94, inter monarchianos eos recenset; cf. I. PUIG DE LA BELLACASA, De divinitate Iesu Christi ex N. T. (Barnicione 1918) 7.

⁷ L. DUCHESNE, Origines chrétiennes 282; TIXERONT, 1,353-356; G. BARDY, Monarchianisme: DTC 10,2194-2209; J. HEYNS, Die Grundstruktur van die modalistiese Triniteitsbeskoning (Kempelen 1953).

⁸ Opera praecipua de PAULO SAMOSATENO sunt: F. LOOFS, Paulus von Samosara: TU 44,5 (Leipzig 1924); G. BARDY, Paul de Samosate: SpicSacL 4 (Louvain 1929).

290. Saec. IV ineunte prodiit strictior SUBORDINATIANISMUS. ARIUS, e quo nomen arianismi, negavit directe Verbum divinum esse verum Deum, sed illud esse dixit primum ens creatum; ante saecula factum, sed initium habens durationis, in ordine ad creationem mundi; ideoque non genitum esse nec aeternum⁹. Eius posteriores asseclae, EUSEBIUS NICOMEDIENSIS, AETIUS et EUNOMIUS, anomaei dicti sunt, quia Verbum dissimile Patri dicebant. Arianismo in Concilio Nicaeno damnato, ex eius reliquiis iterum surgentibus prodiit etiam SEMI-ARIANISMUS, qui totus in oppugnando verbo consubstantialitatis (ὁμοουσίον) consistit¹⁰. Inter semi-arianos, plures fuerunt revera subordinatiani, saltem initio, cum negarent Verbum esse perfecte Patri aequale, sed tantum ei consimile (ὁμοιούσιον); alii vero de verbo tantum, ut videtur, litigabant.

In media lucta ariana PHOTINUS modalismum instauravit, docens Verbum insitum plane identicum cum Patre, diversum vero a Verbo prolatitio, qui est Christus¹¹.

Ex semi-arianis vere dictis prodiit subordinatianismus circa personam Spiritus Sancti, quem a Verbo creatum posuerunt PNEUMATOMACHI, duce praesertim MACEDONIO¹². Omnes hi errores in Concilio Romano (380) a DAMASO PAPA (D 83), et in Constantinopolitano I (381) damnati sunt.

In Hispania saec. V reliquiae sabelianismi a PRISCILLIANO¹³ inducti coexistunt cum arianismo visigothorum. Saec. VI monotheletae quidam et philosophi semi-christiani, ut IOANNES PHILOPONUS, tritheismum professi sunt, dicentes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse tria individua generis divini, sicut tres homines generis humani¹⁴.

291. Saec. XI et XII in controversia de universalibus errarunt circa Trinitatem nominalistae ROSCELLINUS et ABAELARDUS. Prior tritheismum, alter modalismum invexit; tenuit enim ille tres personas esse tres substantias, sicut tres homines, vocari tamen unum Deum ob perfectam eorum identitatem;

⁹ X. LE BACHELET, Arianisme: DTC 1,779-1799; TIXERONT, 2,14-31; PETAVIUS, De Trinitate l.1 c.78; J. NEWMAN, The arians of the fourth Century (London 1876); J. GWATRIN, Studies of arianism (Cambridge 1882); J. SCHWANNE, Dogmengeschichte (Freiburg 1892) t.1 § 24, t.2 § 88; HEFELE-LECLERQ, Histoire des Conciles (Paris 1908) t.1 et 2.

¹⁰ LE BACHELET, l.c., 1799-1849; SCHWANNE, HEFELE, l.c.; J. GUMMERUS, Die Homousianische Partei bis zum Tode Konstantins (Leipzig 1900); G. RASNER, L'homousianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie: RevHistEcl 4 (1903) 189-206.411-431.

¹¹ S. EPIPHANIUS, Panarion haer 61: MG 42,373-382; TIXERONT, 2,41; M. CHENU, Marcel d'Ancre: DTC 9,1993-1998; TH. ZAHN, Marcellus von Ancre (Gotha 1867); quae hic auctor profert accuratiori criticae subici debent.

¹² TIXERONT, 2,47-48; BARDY, Macédonius et les Macédoniens: DTC 9,1464-1478.

¹³ LE BACHELET, l.c., 1799-1849; KÜNSTLE, Antipriscilliania (Freiburg 1905); TIXERONT, 2,231-243; Z. GARCIA VILLADA, Historia eclesiástica de España t.1 p.2 (Madrid 1929) 91-145; BARDY, Priscillien: DTC 3,391-399; D'ALSÈ, Priscillien: RechScRel 23 (1933) 1-44. 129-175; J. RIVERA, Doctrina trinitaria en el ambiente heterodoxo del primer siglo mozárabe: RevEspT 4 (1944) 195-210.

¹⁴ GALTIER, 9.

hic autem, appropriationes cum personalibus proprietatibus confundens, docuisse visus est Patrem, Filium et Spiritum Sanctum non esse nisi tria attributa divina potentiae, sapientiae et bonitatis. Inter realistas GILBERTUS PORRETANUS, distinctione reali statuta inter naturam et personalitatem, de quaternitate in divinis incusatus est. ABBAS IOACHIM DE FIORE unitatem mere collectivam et similitudinariam ponebat inter divinas personas¹⁵.

Etsi praecipui protestantes doctrinam catholicam de Trinitate professi sunt, prodiit *saec. XVI* inter eos unitarismus et arianismus; ita SERVET, LAELIUS et FAUSTUS SOCINUS, e quo sociniani dicti sunt, ac plures in Transilvania, atque aliqui in Anglia¹⁶.

Saec. XIX rationalistae ac protestantes liberales reiciunt, ut patet, dogma de Sanctissima Trinitate; praecipue vero negant fidem Ecclesiae primaevam catholicam esse.

GÜNTHER evolutionismo hegeliano Trinitatem explicare conatus est, quo errores antiquos fere omnes confuse permiscuit, ac unitatem tantum formalem seu organicam inter personas admisit, quae tamen proprie non sunt in eius systemate nisi una persona absoluta¹⁷. Mira quaedam protulit ROSMINI de persona Verbi et Spiritus Sancti, quae damnata sunt¹⁸. Modernistae tandem *saec. XX* rationalistis prorsus consentiunt; nec Trinitas personarum in Deo, nec divinitas Christi, retineri possunt, nisi in quantum per has formulas affectus religiosus foveatur¹⁹.

292. Documenta ecclesiastica de Sanctissima Trinitate. Superabunde constat doctrinam de Trinitate esse *de fide divina, catholica et definita*, ac semper proposita in symbolis et professionibus fidei. Praestat praecipua saltem ecclesiastici magisterii documenta referre.

¹⁵ T. DE RÉGNON, *Études de Théologie positive sur la Sainte Trinité* 2 (Paris 1892) 54-108; PORTALIE, *Abaelard*: DTC 1,44-48; F. VERNET, *Gilbert de la Porrée*: DTC 6,1350-1358; P. FOURNIER, *Études sur Joachim de Fiore et ses doctrines* (Paris 1909); DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du XII^e siècle* (Paris 1914) 108-109, 159-163; A. LANDGRAF, *Untersuchungen zu den Eigenlehren Gilberts de la Porrée*: ZkathTh 54 (1930) 179-213; RUF-GRABMANN, *Ein neuaufgefundenes Bruchstück der Apologie Abaelards* (München 1930); I. RÖZYCKI, *Doctrina Petri Abaelardi de Trinitate* (Posnan 1938); A. CROCCO, *La teologia trinitaria di Gioacchino da Fiore*: Sophia 25 (1957) 218-232.

¹⁶ LE BACHELET, l.c., 1859-1860; GALTIER, 11; PUIG DE LA BELLACASA, l.c., 10-11; ST. DUNIN-BORKOWSKI, *Die Gruppierung der Antitrinitarier des 16 Jahrhunderts*: Schol 7 (1932) 481-523; A. MICHEL, *Trinité*: DTC 15,1766-1802.

¹⁷ FRANZELIN, th.18; PESCH, 604; KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* t.1 (Münster 1865) 331-350, 363-379, 435-461; E. WINTER, *Günther* (Anton): LTK 4,748-749.

¹⁸ D 1916; MICHEL, *Rosmini-Serbati* (Antonio): DTC 13,2317-2552.

¹⁹ *Decretum Lamentabili* et *Encyclica Pascendi*: D 2026-2031 2078-2079 2088-2090; PUIG, l.c., 11-17; ARNOU, 15. De theologia trinitaria orientalium «orthodoxorum», v. B. MONSEGÚ, *Sergio Bulgakov y sus teorías trinitarias*: RevEspTeol 17 (1957) 47-77. De Theologia hodierna protestantica, C. Welch, *The Trinity in contemporary Theology* (London 1953), de quo Ch. DUQUOC, *Lumière et vie* 30 (1956) 841-851. Modalismus tinitarium importare theorum theologiae functionalis apud Cullmann ostendit L. MALEVEZ, *Nouveau Testament et Théologie fonctionnelle*: RechScRel 48 (1960) 285-290.

DEFINITIONES PROPRIE DICTAE. *Concilium Nicaenum* definit consubstantialitatem Filii Dei cum Patre, per additionem symbolo verbi *homousion* et anathema arianismi (D 54); anathematismi S. DAMASI (D 58-82); damnatio macedonianismi contra Spiritum Sanctum et aliorum errorum contra Trinitatem in *Concilio Constantinopolitano I* cum additionibus in symbolo de tertia persona (D 85 86); canon *I Concilii Lateranensis* sub MARTINO I (D 254); definitio *Lateranensis IV* sub INNOCENTIO III (D 428 431-432); definitiones de processione Spiritus Sancti ab utroque in *Concilio Lugdunensi II* (D 460) et in *Florentino* (D 691 703-705).

SYMBOLA ET PROFESSIONES FIDEI. *Universalis* sunt *Apostolicum* (D 155), *Nicaenum* (D 54) ac *Nicaenum-Constantinopolitanum* (D 86)²⁰, *Quicumque* Athanasianum vulgo nuncupatum²¹ (D 39 40); professio fidei *waldensibus* proposita (D 420 421); symbolum LEONIS IX (D 343 346); professio fidei *Tridentina* (D 994); professiones fidei *orientalibus* indictae (D 1083 1084 1459 1461 1468).

Symbola *particularia* in universa Ecclesia recepta. Expositio fidei S. GREGORII THAUMATURGI (R 611); symbolum EPIPHANII (D 13 14); plura symbola gallica et hispanica adversus arianos et priscillianistas, ut FIDES DAMASI dicta (D 15), CLEMENS TRINITAS (D 17 18), symbolum *Concilii Toletani I et II* (sive *Libellus Pastoris* D 19 38). *Toletanum XI* (D 275 284), *XV et XVI* (D 294 296)²², et anathematismi *Concilii Bracarenensis* (D 231 232).

DAMNATIONES peculiarium errorum: ABAELARDI (D 368-370 381), GILBERTI PORRETANI (D 389-392), ABBATIS IOACHIM (D 431 432), *Socinianorum* (D 993), *Iansenistarum* (D 1595-1597), GÜNTHER (D 1655), et ROSMINII (D 1897 1915-1918).

Tandem praeclaras expositiones dogmatis trinitarii tradunt epistola S. DIONYSII ROMANI PONTIFICIS in causa S. DIONYSII ALEXANDRINI (D 48-51) et LEO XIII in Litteris encyclicis *Divinum illud de Spiritu Sancto*²³.

Ob magnum rei momentum, probationes positivas doctrinae catholicae de Trinitate, eiusque ad rationem naturalem relationem, distinctis thesibus et articulis proponemus.

²⁰ De symbolis apostolico et Nicaeno, v. infra th.27,29.

²¹ De origine et auctore huius symboli plura scripta sunt, quin quiddam certum statui possit; v. TIXERONT, *Athanase* (*Symbol de Saint*): DTC 1,2178-2187; B. ALTANER, *Patrologie* (vers. ital. Torino 1940) 185.

²² Post HAHN, *Bibliothek der Symbole* (Breslau 1897) et KÜNSTLE, *Antipriscillianiana* (Freiburg 1905); *Eine Bibliothek der Symbole Forschungen* 1 (Mainz 1910); conferrī debent GARCÍA VILLADA, o.c., t.2 p.2,150-160; J. DE ALDAMA, *El Símbolo «Clemens Trinitas»*: Greg 14 (1933) 485-500; Id., *El Símbolo Toledano I: Analecta Gregoriana* 7 (Roma 1934); J. MADAZO, *Le Symbole du XI^e concile de Tolède*: SpicSacrLov 19 (Louvain 1938); *La Teología de la Trinidad en los símbolos toledanos*: RevEspT 4 (1944) 457-477.

²³ ASS 29 (1897) 644-658. Praecipua capita huius encyclicae affert F. CAVALLERA, *The-saurus doctrinae catholicae* (Paris 1920) 608-610, 540-548, 810 et D (ed.32) 3325-3331.

ARTICULUS II

MYSTERIUM SANCTISSIMAE TRINITATIS IN SACRA SCRIPTURA

Cum mysterium Sanctissimae Trinitatis dictum sit a Sanctis Patribus «substantia Novi Testamenti», quod Ecclesia explicitis verbis accipit, ac revelatio clara illius per Christum ad N.T. pertineat, praecipue ex eo probationem sumimus. Quid de revelatione illius in V.T. tenendum videatur in scholio tradimus.

Thesis 26. Trinitas personarum in unitate divinae essentiae probatur ex N.T.

FRANZELIN, *De Deo trino* th.2-3; *De Incarnatione*, th.8ss; GALTIER, *De SS.Trinitate* 33-36; *De Incarnatione* 12-67; LEBRETON, *Histoire du dogme de la Trinité* t.1; CEUPPENS, *Theologia biblica* v.2 B; G.BARDY, *Trinité*: DTC 15,1571-1615; R.ARNOUT, *De Deo Trino* c.2; et catholicos S.Scripturae interpretes. *La Mystère de la Sainte Trinité*. I. *Données bibliques*: Lumière et Vie 29 (1956); J.ISAAC, *La révélation progressive des personnes divines* (Paris 1960); H.LAVLETTE, *Dreifaltigkeit*: LexThk 3,546-548.

293. **Praenotanda.** Vel leviter percurrenti N.T. evidens est ibi in divinis reponi, praeter Deum Patrem, Verbum seu Filium et Spiritum Sanctum. Nomina quibus divinae personae designantur haec sunt. Prima dicitur *Pater, Deus, Deus Pater, Deus et Pater, Dominus Deus noster*. Secunda *Filius, Verbum, Iesus, Christus, Iesus Christus, Dominus, Dominus Iesus, Dominus Iesus Christus, Dominus noster, Filius hominis, Filius Dei*. Tertia *Spiritus, Spiritus Sanctus, Spiritus Dei, Spiritus eius qui suscitavit Iesum, Spiritus Christi, Spiritus veritatis promissionis sanctus, Spiritus sapientiae et revelationis, Paraclitus, Promissus Patris*.

Nomen *Patris* de Deo adest quinquages in Synopticis (locis parallelis omissis) et centies ac bis in Ioanne. In Synopticis saepe nomen *Patris* relationem dicit ad homines, sive omnes, sive praesertim iustos (quod etiam in aliis libris N.T. habetur); haec autem revelatio momentum non parvum habet ut praeparatio clarae revelationis mysterii SS.Trinitatis; nam paternitatem Dei adoptivam erga nos effert intimam dependentiam habere ab unione cum Filio Dei naturali¹. Praeterea saepe etiam in Synopticis Deus peculiari modo dicitur *Pater Christi*; atque ita ut numquam in eadem linea collocentur *Christus* et homines relate ad divinam paternitatem. Ideo a S.Paulo dicitur *Deus et Pater D.N.Iesu Christi* Eph 1,3 etc., quod etiam affert S.Petrus 1 Petr 1,3.

Significationem filiationis naturalis ac divinae locis quibus *Christus* dicitur *Filius Dei* probabimus singillatim.

Nomen *Spiritus* non est exclusivum tertiae personae, nam, ut usu patet, interdum significat ventum, animam humanam, angelum, interdum naturam divinam Io 4,24. Etiam cum addito *Sanctus* non semper solam personam

divinam denotat, sed etiam eius dona creata, quod ex contextu fere patere potest. Frequentius tamen in divinis est nomen proprium tertiae personae.

294. Non solum saepissime de his in N.T. singillatim agitur, verum etiam frequenter, plus quam quadragies, simul connumerantur². Praecipui *textus trinitarii* sunt: Mt 3,16-17 (Mc 1,10-11; Lc 3,22) Theophania in baptismo Christi. Mt 28,19 mandatum baptizandi. Lc 1,35 annuntiatio Incarnationis. Io 14,16.17.26; 15,26; 16,7-11.13-15 promissio Spiritus Sancti in sermone caenae. Act 2,33.38.39; 5,31.32 priores sermones Petri. Rom 8,9-11.14-17; 1 Cor 2,10-16; Eph 1,17; 2,18-22 actio divina in corde iustorum. 1 Cor 6,15-20 christiani templum Dei. 1 Cor 12,3-6 distributio carismatum. 2 Cor 13,13 benedictio et salutatio. Gal 4,4-6 missio Christi. Eph 3,14-19 oratio Pauli. Eph 4,4-6 unitas Ecclesiae. Tit 3,4-6 regeneratio nostra. Hebr 9,14 sacrificium Christi. Hebr 10,29-31 malitia apostasiae. 1 Petr 1,1-2 salutatio et benedictio. 1 Petr 4,14 exprobatio in nomine Christi. 1 Io 4,11-16 caritas. Hac sola recensione apparet quantopere reveletur tota religio et vita christiana connexa cum mysterio Sanctissimae Trinitatis, quamque verum sit quod ex Patribus retulimus doctrinam de Sanctissima Trinitate esse «substantiam N.T.»

Verum non contendimus ex his solis textibus singillatim sumptis, vel etiam ex illis praecipue probare revelatum esse mysterium Trinitatis. Praestat enim probare in complexu N.T. clare atque explicitè diversis modis eius revelationem contineri; nempe posito *unicum esse Deum*, quod iam in tractatu de Deo uno probatum est, a) *Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse tres personas realiter distinctas*, et b) *unumquemque eorum esse verum Deum*. Tandem aliquot textus trinitarios perpendemus.

295. Contineri in N.T. revelationem Trinitatis doctrina est omnium catholicorum et omnino in ecclesiastica praedicatione semper asserta et declarata. Sufficit verba S.AUGUSTINI et S.THOMAE in memoriam revocare. «Omnium, dicit S.Augustinus, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinatorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus; quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus et ideo Pater non sit qui Filius est;

² Textus trinitarios S.Pauli, v. apud PRAT, *Théologie de Saint Paul* 27,157-165, et BOVER, *Teología de San Pablo* (Madrid 1946) 168-179.

1* LEBRETON, 261; CEUPPENS, 71.

Spiritusque sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris ac Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem»³. Doctor vero Angelicus ait: «Tempore gratiae ab ipso Filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis»: 2.2 q.174 a.6.

Adversarii. Negant thesim, ut planum est, *haeretici* qui illi opponuntur. Praesertim nostris diebus *rationalistae* et *modernistae* doctrinam trinitariam alienam prorsus a N.T. contendunt, eique diversissimas origines imponunt, ac praecipue in divinitatem Christi, utpote primum revelationis mysterii gressum, impetum faciunt⁴. Quasdam eorum theorias in thesibus sequentibus breviter attingemus.

Doctrina Ecclesiae. Nulla quidem explicita definitio de revelatione mysterii Sanctissimae Trinitatis in N.T. edita est, quippe quae non est necessaria; in praedicatione autem catholica perpetuo asseritur, unde perspicua est mens universalis Ecclesiae. Propositiones *modernistarum* de divinitate Christi, in Decreto *Lamentabili* 27.28.31.62, explicitae damnatae sunt (D 2027s 2031 2062).

Valor theologicus. Thesis est *critice et historice certa*, ac de *fide implicite* saltem *divina* (qui revelat implicite dicit se revelare) *et catholica*.

296. Probatur thesis. Duplicem partem continet probatio:

A. PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS SUNT TRES PERSONAE REALITER DISTINCTAE;

B. UNUSQUISQUE EORUM EST VERUS DEUS, QUI UNICUS EST.

Probatio mysterii Sanctissimae Trinitatis ex N.T. duplici modo proponi potest: a) complexive et quasi-syntheticae, propositis his quae de elementis quibus constat mysterium continet N.T.; b) singillatim et analytice, expensis quae diversi auctores, sive complexus auctorum de mysterio tradunt, Synoptici, S.Paulus, S.Ioannes, ceteri auctores. Hic alter modus, qui magis proprius est Theologiae biblicae et Historiae revelationis aut dogmatis, frequens est hodie. Priorem sequemur, ut aptiorem et congruentiorem tractioni in SUMMA doctrinae theologiae.

³ De Trinitate I.1 c.4: ML 42,824.

⁴ M.NICOLAU, *De revelatione christiana*, in hac *Sacrae Theologiae Summa* 1⁵ (Matriti 1962) 428-446; R.ARNOU, *De Deo trino* 15 refert quae in vulgus spargebat J.TURMEL sub falso nomine COULANGE et KRÜGER.

A. Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personae realiter distinctae.

Distinctio personalis includit realem distinctionem suppositorum sive subiectorum, et naturam eorum intellectualem; ideo utrumque probandum est: et Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse *realiter distinctos*, et esse *supposita* seu subiecta *naturae intellectualis*⁵.

DISTINCTIO PERSONALIS INTER PATREM ET FILIUM clara est ipsis nominibus quibus significantur. Sed quoniam Filius est Christus, qui vocatur etiam Verbum, et in eo duplex est natura, divina et humana, opus est ostendere distinctionem realem personalem inter ipsum et Patrem dari non tantum ratione humanae naturae Christi, sed etiam secundum elementum divinum quod in eo est. Id autem praestatur in tractatu de Verbo Incarnato, cum probatur unica in Christo persona, eaque divina⁶. Verum praecipua probationis documenta hic etiam tradere debemus. Probamus igitur Christum secundum elementum divinum, sc. FILIUM AUT VERBUM, ESSE REALITER AC PERSONALITER DISTINCTUM A PATRE.

1. Christus est *unicum subiectum*, de quo divina et humana praedicantur. Atqui manifeste Christus exhibetur ut persona et subiectum distinctum a Patre. Ergo Filius seu Verbum est in divinis persona distincta a Patre. Aliunde Patrem esse personam probatione non eget.

Prob. mai. Io 1,18 *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* et divina enarrat, est Christus homo ubi «identitas personalis inter Verbum praeevens et Christum firmiter affirmatur⁷. Io 8,58 dicit Christus: *antequam Abraham fieret ego sum*. Io 17,5: *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te*. Phil. 2,6 Christus Iesus erat *in forma Dei*.

Min. patet ex toto N.T. et ex ipso nomine Filii.

2. Christus est Filius Dei proprie dictus, seu naturalis, quod in secunda parte probationis in demonstratione divinitatis Christi ostenditur. Atqui filius naturalis in quacumque natura est suppositum distinctum a Patre. Secundum lectionem probabilem Io 1,18 habetur *μονογενής θεός*, unigenitus Deus⁸.

3. Verbum est persona distincta a Deo (Patre). Nam Verbum erat apud Deum, *πρὸς τὸν θεόν*, Io 1,1⁹, quod in-

⁵ ARNOU, 17-20.

⁶ J.SOLANO, *De Verbo Incarnato*, in hac *Summa* 3⁴ (Matriti 1961) 35-37; I.MUNCUNILL, *De Incarnatione* (Matriti 1905) 166-175.

⁷ LEBRETON, 1,507.

⁸ CEUPPENS, 226.

⁹ LEBRETON, 419; CEUPPENS, 212; J.BONSIRVEN, *Épîtres de St.Jean* (Paris 1936) 79.

dicat communionem vitae intimae cum Patre, ergo de duabus personis agitur. Praeterea *Verbum caro factum est* Io 1,14, ita ut nomen Christi sit Verbum Dei Apoc 19,13 et Verbum vitae 1 Io 1,1; atqui Christus est persona distincta a Deo Patre. Ergo.

297. SPIRITUS SANCTUS EST PERSONA DISTINCTA A PATRE ET A FILIO. Ad hoc probandum sufficit ostendere Spiritum Sanctum esse re distinctum a Patre et a Filio, et esse ens personale, seu subiectum se exhibens et operans ut ens naturae intellectualis. Neque opus est ut habeat operationes exclusive proprias; ut autem clarius eius distincta personalitas manifestetur, quaedam divina opera ei appropriantur.

Probatur. 1. Ex connumeratione adeo frequenti cum Patre et Filio, qui sunt personae distinctae, in textibus trinitariis, ut Mt 28,19; 2 Cor 13,13, qui indubii sunt.

2. Ex S.IOANNE. Distinctio personalis Spiritus Sancti luculenter docetur in sermone caenae Io 14-16¹⁰.

Spiritus Sanctus est persona. Nam operationibus quae ei tribuuntur manifeste proditur ens personale, eodem prorsus modo atque Christus. Ita dicitur *Paraclitus* (passim) et quidem *alius* 14,16, qui locum teneat Christi; *mittitur*, sicut missus est Christus 14,6.16; 16,13, et *accipit scientiam* 16,14; *Spiritus Sanctus docebit, suggeret, testimonium perhibebit, arguet, inducet in omnem veritatem, loquetur, audiet* (loquitur, audit), *annuntiabit omnem veritatem, clarificabit* 14,26; 16,8.13-15 (cf. Io 5,6), quae omnia dicuntur de Christo 3,11-13; 8,38; 17,4; 5,19ss; 7,16; 8,26.40; *testimonium perhibebit* ut Apostoli 15,26-27, quo postremo loco apparet Spiritum Sanctum testantem alium esse ac apostolos testantes.

Spiritus Sanctus est distinctus a Patre et Filio. Nam datur a Patre, *mittitur a Patre* rogatu Filii et ab ipso Filio, et quidem cum Filio redierit ad Patrem; *docebit* quae dixit Filius et *testimonium perhibebit de Filio, ipsum clarificabit, de ipso accipiet, arguet mundum de peccato in Filium, procedit a Patre* 14,16-26; 15,26; 16,7-11.13-15.

298. 3. Ex S.PAULO eodem fere modo ostenditur¹¹. Spiritus Sanctus est persona. Etenim *testimonium reddit, adiuvat infirmitatem nostram, postulat pro nobis, desiderat* Rom 8,16.26.27, *clamat* Gal 4,6, *manifeste dicit* 1 Tim 4,1, *scrutatur profunda Dei* 1 Cor 2,10, *distribuit carismata prout vult* 1 Cor 12,

4-6, *contristari potest* Eph 4,30, *mittitur in corda nostra* Gal 4,6, *habitat in nobis nosque sumus templum eius* Rom 8,9.11; 1 Cor 3,16; 6,19; 2 Tim 1,14; quae de eo dicuntur ut de Christo et de Deo Rom 8,10.34; 1 Cor 3,16; 14,25; 2 Cor 6,16.

Est *distinctus a Patre et Filio.* Nam est *a Deo* 1 Cor 2,12, *mittitur a Deo* Gal 4,6, *diffunditur a Deo per Iesum Christum* Tit 3,6, dicitur saepe *Spiritus Dei* 1 Cor 2,14; 3,16.11; 7,40; 12,3; 2 Cor 3,3; Eph 3,16; Rom 8,9, et *Spiritus Christi*, interdum iisdem locis ut Rom 8,9; Eph 3,16; et alibi 2 Cor 3,17s; Gal 4,6; Phil 1,19; qui modus loquendi complexive sumptus, et supposito agi de ente personali, manifeste prodit distinctionem personalem ab utraque persona cuius Spiritus dicitur.

4. Ex ACTIBUS APOSTOLORUM, qui liber dictus est *Evangelium Spiritus Sancti*, et describit actionem eius in corpore Ecclesiae, ut S.Paulus quam exercet in vita interiori supernaturali.

Personalitas Spiritus Sancti perspicue exprimitur dum describitur ut *auctor et rector totius activitatis Ecclesiae primariae*¹². Ipse *dat eloqui* apostolis 2,4; *mentiri Petro est mentiri Spiritui Sancto* 5,3-4; est *testis simul cum apostolis* 5,32; *locutus est per os David* 1,16 et per Isaiam 28,15; *dicit* 21,11; ipse *dirigit missionem Philippi, dicens* 8,29.39; de Cornelio dixit Petro: *ego misi illos* 10,19-20; 11,12; in missione Pauli et Barnabae dixit discipulis 13,2, et *mittit illos* 13,4; iis *vetat* et non permittit praedicare quibusdam locis 16,6-7; *protestatur* Paulo 20,23; ipse *ponit episcopos* 20,28; *decretum Hierosolymitanum dat Spiritus Sanctus cum discipulis* 15,28.

Distinctio Spiritus Sancti a Patre et a Filio docetur ubi vocatur *Spiritus Domini et Iesu* 5,9; 8,39; 16,7, et dicitur *dari a Deo* 5,32; *effundi a Christo* 2,33; *Deum unxisse Christum Spiritu Sancto* 10,38; *Spiritum ponere episcopos regere Ecclesiam Dei* (Christi) 20,28; tandem ubi dicitur Spiritus Sanctus *obiec-tum doctrinae specialis ante baptismum* 19,1-7.

5. Ex EVANGELIIS SYNOPTICIS.

Spiritus Sanctus exhibetur ut *persona*. Simeon enim accepit *responsum* ab illo Lc 2,26; Christus *exsultat Spiritu Sancto* Lc 10,21; *Spiritus loquetur in discipulis* Mt 10,20; Mc 13,11; *docebit* quae debent loqui Lc 12,12; *blasphemia in Spiritum Sanctum confertur cum blasphemia in Christum* Mt 12,31-32 (Mc 3,28-30).

Distinctio a Patre et Filio satis apparet in baptismo et tentatione Christi Mt 3,16; 4,1 (Mc 1,10.12; Lc 3,22; 4,1, *Iesus plenus Spiritu Sancto agitur a Spiritu*).

¹⁰ LEBRETON, 534; GALTIER, 57-59.

¹¹ P.VAN IMSCHOOT, *Bibelsch Woordenboek* (1941); v. *Geest* (heilige).

¹² BOVER, 179-197.202-204; LEBRETON, 435-437; GALTIER, 40,43.

299. Loci adducti ex formula baptismali, ex S.Ioanne et ex Actibus Apostolorum indubii sunt omnibus catholicis pro distinctione personali Spiritus Sancti a Patre et a Filio. Verum sunt auctores, quibus res non adeo pateat apud S.Paulum et apud Synopticos¹³. Tenendum tamen est ex his etiam certum argumentum fieri posse.

a) S.Paulus 1.^o distinctionem inter Spiritum Sanctum et Patrem et Filium clare statuit locis adductis¹⁴. *Spiritus enim Dei et Christi*, qui a Deo mittitur, qui *testimonium reddit* spiritui nostro quod sumus filii Dei et cohaeredes Christi Rom 8,9.11.16-17, manifeste distinctus est a Patre et a Filio. 2.^o Dicta de Spiritu Sancto nequeunt intelligi de mera personificatione virtutis divinae, neque de solo dono creato, neque de intellectu Patris. Non primum, nam personificatio poni non debet, nisi clare constet, ut de peccato aut lege Rom 7,17-23, neque adeo frequens est; iam Spiritus Sanctus saepissime et in adiunctis valde diversis inducitur ut persona. Non alterum, nam etsi verum est saepe nomen Spiritus significare etiam donum creatum, haec non quadrant cum *distributione* donorum, nec cum *missione*, quae de Spiritu Sancto dicuntur. Non tertium, nam comparatio instituta 1 Cor 2, 10-11 cum spiritu humano non adducitur ad modum declarandum quo Spiritus se habeat ad Deum, sed tantum ut explicetur Spiritum *profunda Dei* scrutari posse¹⁵. 3.^o Tandem formulae Trinitariae frequentes sunt apud S.Paulum 1 Cor 12,4-6; 2 Cor 13,13 etc.; iam in ipsis distinctio personalis perspicua est, atque in ipsis eadem distributio munerum seu actionum inter divinas personas traditur, quam exhibent alii textus qui de solo Spiritu agunt. Quae vero rationalistae obiciunt pro identificatione Spiritus et Christi in solvendis difficultatibus attingemus.

b) Synoptici loquuntur, etsi minus frequenter, ut S.Ioannes, Mt 10,20; Mc 13,11; Lc 12,12, iique textus quoque trinitarios habent; eodem ergo modo intelligi debent. Locus praesertim de blasphemia in Spiritum Sanctum, Mt 12,24-32; Mc 3,22-30; Lc 11,15-22; 12,10, manifeste prodit notam personalem Spiritus ut distincti a Christo et a Patre; ac Beelzebub, in cuius nomine blasphemabantur iudaei Christum signa operari ac daemonia eicere, quid apud iudaeos erat plane personale.

B. Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt verus Deus.

300. PRIMAM PERSONAM, PATREM ESSE VERUM DEUM probatione non indiget.

Dicitur Pater *Deus vivus* Mt 16,16; ille est *solus (unus) verus Deus* Io 17,3; *Dominus caeli et terrae* Mt 11,25; ei omnia praedicata divina tribuuntur et quae de divina natura revelata sunt in V. et N.T.; in solo sermone montano Mt 5-7 docetur summa Patris *perfectio, omniscientia, paterna erga omnes providentia, necessitas implendi eius voluntatem* ut ad vitam possit quis ingredi, *ad eum orationes dirigendi* etc.

Imo nomen *Dei*, ὁ θεός, ita specialiter Patri tribuitur, praesertim in scriptis apostolicis, etiam in textibus trinitariis, ut de Eo per *appropriationem* dicatur, quod, ut suo loco nota-

¹³ Cf. LEBRETON, 374-377; GALTIER, 36-39.

¹⁴ CEUPPENS, 176, ait «nullum dubium circa characterem personalem Spiritus Sancti remanere potest».

¹⁵ GALTIER, 44.

tur¹⁶, in eo fundatur quod Pater est in divinis principium aliarum personarum; quare in Eo manifestatur peculiari modo ratio divinitatis, qua Deus est principium aliarum rerum.

301. DIVINITAS CHRISTI pervadit revera totum N.T., paedagogice quidem ac diversis modis proposita ab ipso Christo homine dictis et factis, ac testimoniis apostolicis. Neque sola propositio abstracta *Iesus Christus est verus Deus* asserenda erat (etsi neque haec abest); sed plures ac ineffabiles relationes quas Christus habet, ut Deus et ut homo, ad Patrem et ad homines, propter quos redimendos ac sanctificandos humanitatem habet, vivido modo ac vitae religiosae informandae et fovendae accommo proponi debebant; quo vividior multo ac luculentior est manifestatio Christi de se ipso ac de sua divinitate. Animadverti quoque debet strictissimus monotheismus qui proprius est revelationis V.T., qui utique in N.T. confirmatus est. Ideo excluditur a limine tam e Sacra Scriptura quam a mente iudaeorum quaecumque divinitatis minorata aut degradata participatio, quam systemata philosophico-religiosa intrudebant, et qua polytheismum religionis popularis scientificè explicabant.

Notat S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: «Si enim statim dixisset: Audistis quia dictum est antiquis: Ego Dominus Deus tuus, et praeter me non est alius; ego autem dico vobis, ut me adoretis sicut et illum, id effecisset ut omnes illum quasi furentem habuissent»¹⁷. Testimonium vero Christi de se ipso eo maiorem valorem habet, quod humillimus ac demississimus erga Patrem et erga homines se semper praebuerit. Pulchre et vere advertit Lagrange: «Evangelium non intelliget, qui non conetur profundam Iesu humilitatem penetrare»¹⁸.

Cum in tractatu *De revelatione christiana*¹⁹ critique et apologetice expensum sit testimonium Christi de sua divinitate, illuc lectorem remittimus pro hac praecipua parte probationis, breviter eam complectentes.

302. Probatur. I. EX EVANGELIIS SYNOPTICIS.

a) Christus exhibetur ut *centrum ac finis vitae religiosae et moralis*, quod est proprium solius Dei. Ipse enim sibi *potestatem* tribuit *legislativam aequalem divinae*, perficiens legem a Deo datam, atque ex ea aliquid revocans, ut repudium et legem talionis; *Ego autem dico vobis* Mt 5,21-42; est *dominus sabbati* Mt 12,8; est *iudex vitae moralis et religiosae*, imo *iudex universalis* Mt 9,3-6; Lc 7,48-50; Mt 13,41SS; 25,31SS; 26,64; est *centrum amoris et obiectum vitae religiosae omnium exigens renuntiationem* Mt 10,27-39; 16,24 (Lc 14,26-27); peccatrici

¹⁶ V. infra n.552. Ceterum etiam θεός sine articulo in N.T. significat veram et unicum divinitatem, CEUPPENS, 212.

¹⁷ In *Matthaeum homilia* 17,1: MG 57,255; cf. LEBRETON, 480.

¹⁸ *Evangile selon Saint Marc* 140.

¹⁹ M.NICOLAÛ, *De revelatione christiana*, l.c., 428-445.

dimittuntur peccata quoniam dilexit Iesum Lc 7,47; *exigit sibi fidem sub poena damnationis* Mt 10,33; *beatus est qui maledictus sit propter eum* Mt 5,11²⁰.

b) *Christus scientiam divinam sibi tribuit, novit enim Patrem, sicut Pater eum novit* Mt 11,27; Lc 10,22, qui locus a rationalistis *ioannaëus* dictus est. Id est magnum mysterium quod *Pater revelavit parvulis, omnia tradita esse Filio a Patre* Mt 11,26-27, Lc 10,21-22²¹.

c) *Christus est Filius Dei proprius, carissimus, verbo naturalis* 22.

Id *Pater sollemniter declaravit* in baptismo et in transfiguratione Mt 3,17; 17,5; Mc 1,11; 9,7; Lc 3,22; 9,35: *hic est (tu es) Filius meus dilectus, ó υἱός μου, ó ἀγαπητός*. Haec locutio numquam in N.T. de filio dicitur latiore sensu, aut de filio adoptivo, sed tantum de filio naturali, atque aequivalet voci hebraicae *iahid, unicus, unigenitus* 23. Lectio quae Lc 3, 22 in paucissimis codicibus irrepsit ex Ps 2,7 *ego hodie genui te*, sensum non mutat, ut patet ex locis N.T. ubi revera adhibetur Act 13,33; Hebr 1,5; 5,5. Hoc autem nomen, et quidem eadem propria significatione *sibi tribuit Christus*; qui certe saepe docet discipulos Deum eorum esse Patrem, at numquam se illis in filiatione coniungit, sed semper *ab illis se distinguit* dicens Deum *Patrem suum* Mt 7,21; 10,32; 11,27; 12,50; 15,13; 16,17; 18,10-35; 20,23; 25,34; 26,53; Lc 2,49; 10,22; 22,29; 24,49²⁴.

Verum adsunt peculiare Christi declarationes de sua divina filiatione.

303. Mt 16,16-17 confessio Petri *Tu es Christus Filius Dei vivi, οὐ εἶ ὁ χριστός, ὁ υἱός τοῦ θεοῦ, τοῦ ζῶντος* laudatur a Christo ut *ex revelatione Patris accepta* 25. Manifestum est testimonium Petri non esse de sola, ut aiunt, *messianitate*, nempe de sola ratione legati divini, quam sine dubio apostoli iam agnoverant, quin peculiarem Patris revelationem expectarent (cf. Mt 8,29; 9,1-8; 14,33 ac locos parallelos), sed de *vera filiatione Dei naturali et proprie dicta*, quae revera inclusa erat ex revelatione V.T. in dignitate Messiae, etsi non adeo clare proposita. Iudaei enim noscere po-

²⁰ I.PUIG DE LA BELLACASA, *De divinitate Iesu Christi ex N.T.* (Barcinone 1919) 39-41; GALTIER, *De Incarnatione* 29-33.

²¹ NICOLAU, 437; L.DE GRADMAISON, *Jésus-Christ*: DAFC 2,1351; LEBRETON, 307-308: «Cette parole suffirait à elle seule à déterminer le dogme chrétien...», not. D 501-508; H.SCHUMACHER, *Die Selbstoffenbarung Jesu bei Mt. 11,27* (Lc 10,22) (Freiburg 1912).

²² P.RICHARD, *Fils de Dieu*: DTC 5,2390-2395; H.LESETRE, *Fils de Dieu*: DB 2,2253-2355; B.JANSEN, *Die Gottheit Christi bei der Synoptiker*: Zkath Th 33 (1909) 248-272; P.BATIFOL, *L'enseignement de Jésus* (Paris 1910); LEBRETON, 300-330; H.SCHUMACHER, o.c.

²³ R.KITTEL, *Theologisches Wörterbuch zum N.T.* 113-129; L.MARCHAL, *Evangile de S.Luc* ed.Pirot (Paris 1935) 60; LEBRETON, 268; CEUPPENS, 59-60.

²⁴ GALTIER, *De Incarnatione* 34-59; PUIG DE LA BELLACASA, o.c., 42-44.

²⁵ NICOLAU, 439-440; LEBRETON, 316; BOVER, *El Evangelio de San Mateo* (Barcelona 1945) 328-332; L.KÖSTER, *Unser Christusglaube, Das Heilandsbild der katholische Theologie* (Freiburg 1937); PRAT, *Jésus-Christ* (Paris 1933) 1,460; H.DIECKMANN, *De revelatione* 697-699; CEUPPENS, 79-95.

tuerunt ex V.T. Messiam esse verum Deum; tamen id de facto non perceperunt. Ideo Messiam non appellabant Filium Dei, saltem communiter, sed potius *filium David*, aut *regem Israel*, aut *prophetam* 26. Ideo sensus confessionis Petri est: *Tu es Messias, qui est Filius Dei viventis*. Id confirmant adiuncta omnia et consequens paulo post theophania in transfiguratione.

In *parabola de vinitoribus* Mt 21,33-46; Mc 12,1-12; Lc 20,9-19 Christus in domo Dei se praebet ut in familia filius unicus carissimus, τὸν υἱόν μου, τὸν ἀγαπητόν, in oppositione ad prophetas, quos servus dicit (omnis creatura essentialiter est serva Dei), qui tamen filii Dei erant sensu latiore 27.

In *iudicio coram Caipha* Mt 26,62-66; Mc 14,60-64; Lc 22,66-71 adurationi iudicis *Adiuvo te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti*, affirmative respondet Christus, addens gloriam *sedentis ad dexteram Dei* (Ps 109,1) *et venientis in nubibus caeli*. Ubi notandum est ex Lc in iudicio matutino duplicem esse distinctam Caiphae quaestionem: *Si tu es Christus dic nobis*, et, postquam Iesus locutus est de sede a dextris virtutis Dei, *Tu ergo es Filius Dei?* Id summae blasphemiae mortis dignae tribuerunt sanedritae; atqui sola dignitatis messianicae attributio tam horribilis blasphemiae notam ne apparetur quidem habere poterat 28; nec nomen Filii Dei mere messianicum erat; et Caiphae interrogatio significationem perspicuam secum ferebat dictorum Christi in controversia nuper in templo habita Mt 22,41-46; Mc 12,35-37; Lc 41,44, cum silentium imposuit iudaeis, interposito Ps 109,1, ubi *David in Spiritu vocat Messiam Dominum, cum sit filius eius* 29.

d) Tandem iam apud Synopticos reperiuntur dicta de Christo *quae in V.T. de Iahve clare agunt*. De Ioanne Baptista ut praecursore Christi dicuntur Mt 3,3; Mc 1,2s; Lc 7,27; Mt 11,10; Lc 3,4s; quae Is 40,3 et Mal 3,1 de eo *qui parare debebat viam Domini*; Christus est ergo Iahve. Ipse Christus in quaestione de ieiunio Mt 9,14s; Mc 2,18-20; Lc 5,33-35 vocat se *sponsum*; iam in V.T. sponsus populi Israel est Deus 30.

304. 2. Ex S.PAULO. S.Paulus luculenter divinitatem Christi proponit iisdem doctrinae capitibus 31.

a) Christus est centrum vitae religiosae. Est enim *vita fidelium* Col 3; Gal 2,20; per *baptismum in nomine Christi* Act 19,5, id est per consecrationem ad Christum, *Christum induunt* Gal 3,27. Vita religiosa est *in Christo Iesu*, qua formu-

²⁶ Quod mordicus tenebant prius rationalistae et modernistae, nomen Filii Dei non significare nisi terrenam messianitatem (cf. LOISY, *L'Évangile et l'Église* 1908, 74) egregie in antecessum refutaverat FRANZELIN (*De Verbo incarnato* th.3), et cum eo melioris notae catholici; tandem eventitia nimia constrictus agnosce debuit ipse Loisy falsitatem suae prioris sententiae (*Les Évangiles synoptiques* 1923 2,3-4) cum HOLTZMANN, DALMAN et aliis; neque aliud iam reperit effugium quam desperatum negandi authentiam textus.

²⁷ LAGRANGE, *Évangile de S.Marc* (Paris 1911) 291; J.HUBY, *Évangile de S.Marc* (Paris 1924) 271; S.Gozzo, *Disquisitio critico-exegetica in parabolas de perditis vinitoribus* (Roma 1930) 66-87; CEUPPENS, 95-99.

²⁸ Cf. H.STRACK-P.BILLERBECK, *Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch* (1922) 1,1017; LEBRETON, *La vie et l'enseignement de J.C.* (Paris 1935) 2,380; KÖSTER, o.c., 134-135; CEUPPENS, 99-103.

²⁹ LEBRETON, 328.

³⁰ PUIG DE LA BELLACASA, 45.

³¹ De hoc argumento consuli possunt omnes fere catholici auctores qui de S.Paulo egerunt.

la 164 locis idem significat ac esse in *Spiritu*, quem esse quid divinum manifestum est.

Ut notum est, nomen *Iahve* tetragrammaton nolebant iudaei ob reverentiam pronuntiare; ideoque ubique legebant *Adonai*, *Dominus*. Inde factum est ut nomen *Dominus* notam nominis divini haberet, cum de rebus religiosus sermo erat. Ergo quod hoc nomen simpliciter ut nomen Iesu Christi proprium perpetuo a S. Paulo adhibeatur (86 locis)³², ut iam in Actibus Apostolorum reperitur, manifestum est testimonium verae divinitatis in eo agnitae.

Relationes hominis ad Deum in V.T. dicuntur ab Apostolo relationes ad Christum, ut *invocare nomen Domini* Ioel 3,32; Rom 10,9.13; ideo summa praedicationis apostolicae et confessionis fidei salutaris est *Christus Dominus* Act 16,31; Rom 10, 9; 2 Cor 4,5³³.

b) *Attributa et operationes divinae* de Christo praedicantur: *praeexistebat* ante mundi creationem, ac *in eo omnia sunt condita eaque conservat* Col 1,15-17; Hebr 1,2.3.10-12, ubi de Christo dicit Ps 101,26-28 manifeste divina; *missus est* a Deo cum *ex muliere* factus est Gal 4,4-5; *adoratur* ab angelis Hebr 1,6; *coram eo omne genu flectitur* Phil 2,10-11; *rex universi supra angelos a dextris Dei sedet* Hebr 1,13 (Ps 109,1)³⁴.

305. c) *Christus est Filius Dei proprius et naturalis*: nomen Filii Dei ita proprium Christi est, ut nomen Dei sit *Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi* 1 Thess 1,1.10 ac ita passim; est autem *Christus Filius proprius* Rom 8,32, in oppositione ad eos qui per ipsum fiunt filii Dei adoptivi Rom 8,15; Gal 4,5; *Filius est splendor Patris et figura substantiae eius* Hebr 1,3 adeo supra angelos ut *Filii nomen ei uni datum sit* Ps 2,7; tandem est *primogenitus omnis creaturae* Col 1,15, genitus nempe ante omnem creaturam et ut dominus creationis, ut heres ac primogenitus in familia totius universi³⁵.

Testimonia haec adeo illustra sunt, ut iure dicat LEBRETON prologum S. Ioannis vix clariorem esse pro divinitate Christi³⁶. Praesertim c.1 *Ad Hebraeos* demonstrationem praebet iudaeorum menti valde accommodatam, quae in controversia cum arianis magnum habuit momentum.

Incipit auctor asserens veram divinitatem et filiationem naturalem Christi; v.2 *Christus est Filius*, quod nomen *υἱός* est illi quasi nomen proprium, sicut *Dominus Κύριος* in ceteris epistolis. Est *heres* seu dominus

³² PRAT, 2,137-147; LEBRETON, 405-412; cf. accuratam inquisitionem de nomine Domini, *ibid.*, 354-369.

³³ ARNOU, *De Deo trino* 21-23.

³⁴ PRAT, 2,155-156.

³⁵ Cf. BOVER, *Teologia de S. Pablo* (Madrid 1946) 307-311, qui harmonice coniungit interpretationes A. DURAND, *Le Christ «premier-né»*: *RechScRel* 1 (1910) 56-66, et F. PRAT, 1,400-401; 2,196-197.

³⁶ PRAT, 1,436-444; LEBRETON, 445-448; BOVER, *o.c.*, 297-307.

universorum. Eius natura et origo v.3 describitur. Est *splendor gloriae ἀπάγουσα τῆς δόξης* (cf. Sap 7,26), irradiatio maiestatis radiantis Dei (lumen de lumine), quod consubstantialitatem et aeternam generationem continet, et *figura substantiae eius χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* sigillum substantiae seu esse divini, ut imago perfecta Dei, ubi distinctio a Patre docetur; ac notandum est dicere S. Paulum *Filium esse*, non *habere*, impressionem substantiae divinae³⁷. Tandem *actiones divinae* Filio tribuuntur: *per quem fecit et saecula* v.2; creatio sc. est a Patre sed per Filium, qui a Patre accepit naturam et activitatem; demum conservatio v.3 *portansque omnia verbo virtutis suae*, seu verbo suo potenti (*omnia in ipso constant* Col 1,17). Ideo honores divini ei tribuuntur, *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis* (Ps 109,1), aequalem habens gloriam ac Deus.

Eam comprobatur ex V.T. ob eminentiam supra angelos. Iam v.4s ex nomine *Filii* Ps 2,7 et 2 Reg 7,14, quorum sensum aut litteralem aut typicum exponit. Dein ex eo quod *adorandus sit ab angelis* v.6, ubi locum plane divinum Ps 96,7 dicit de Christo. Tandem ex officio, angeli sunt *ministri* v.7,14, cum Christus sit *Rex et Deus sedens a dextris Dei* Ps 44,7-8; Ps 109,1 ubi *Deus ὁ θεός* in vocativo bis applicatur Christo v.8s: *Ad Filium autem: Thronus tuus Deus... propterea unxit te, Deus, Deus tuus...* Ideo attributa divina, creatio, aeternitas et immutabilitas, expressa Ps 101,26-28, transcribuntur ut simpliciter dicta Filio.

306. d) Tandem, etsi nomen Dei Paulus Patri appropriat³⁸, tamen variis locis Christum Deum proprie dictum appellat. Christus est *Deus qui acquisivit Ecclesiam sanguine suo* Act 20,28. Christus est *super omnia Deus benedictus in saecula* Rom 9,5; Tit 2,14 dicit S. Paulus nos exspectare *epiphaniam magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi*; Christus tandem ante Incarnationem erat *in forma Dei*; ius habebat ad honores divinos quibus se voluntarie exspoliavit, atque eos Deus Pater restituit illi, constituens eum, ut *Dominum in gloria sua*, Phil 2,5-8.

Christus est super omnia Deus Rom 9,5. Hoc loco, qui vocatus est crux rationalistarum³⁹, ubi S. Paulus incipit agere de reprobatione Israel, commemorat primo praerogativas populi electi, e quibus maxima et praecipua est quod ex eo natus est Christus secundum carnem, *qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός εἰς τοὺς αἰῶνας Ἀμήν*. Manifesta est *appositio*, qua is qui dicitur *super omnia Deus* est Christus.

Ut autem vim argumenti effugerent rationalistae, duplicem interpunctionem diversam proposuerunt, punctum apponentes vel post verbum Christus, vel post super omnia, atque ita efficerent nomen Deus dici de Patre, hancque locutionem *Qui est super omnia Deus, aut Deus benedictus in saecula. Amen*, esse doxologiam ad Patrem. Verum patet utramque interpunctionem arbitrarie exquisitam esse, et contra concinnitatem sermonis; ideoque, praeter unum TISCHENDORF, omnes editores critici recentiores eam reiciunt et traditionalem adhibent. De doxologia vero ad Patrem hic cogitari nequit. Omnes enim doxologiae verbo *Benedictus* Εὐλογητός inchoantur. Praeterea

³⁷ BOVER, *o.c.*, 304-307.

³⁸ BOVER, 287-288.

³⁹ POHLE, 378; GALTIER, *De Incarnatione* 24; V. MACNABB, *Essais sur la christologie de St. Paul*: *RevBibl* 42 (1933) 321-327, etc.

hoc loco repugnat plane contextui psychologico huius pericopae, ubi Paulus amara tristitia repletur v.2s ob reiectionem iudaeorum⁴⁰.

Tit 2,14 dicit S.Paulus nos *expectare adventum* ἐπιφάνειαν gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Appositio sine repetito articulo, τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ manifeste indicat agi de una eademque persona; cum S.Paulus vult distinguere inter Deum Patrem et Filium, clare id praestat ex.gr. Tit 1,4. Titulus praeterea magni Dei, ut Rom 9,5 *super omnia Deus*, nullo modo quadrat modo loquendi Apostoli de Deo Patre. Tandem manifestatio ἐπιφάνεια semper a Paulo de Christo dicitur, cum sit gloria secundi adventus 1 Tim 6,14; 2 Tim 4,1-8, numquam de Patre. Titulus autem Dei Salvatoris divinus est Tit 1,3; 3,4, quem sibi arrogabant eo tempore reges et imperatores ethnici⁴¹.

307. Phil 2,5-8 docet S.Paulus *Christum praexistentem in natura divina; ei debitos esse honores divinos; post humiliationem exaltatum esse ut Dominum in gloria Patris*.

In hac sublimi pericope, quam mirantur auctores⁴² quasi per transenam inici in media morali adhortatione (quod certe implicat doctrinam traditam notam ac familiarem esse fidelibus), ut caritatem commendat philippensibus, exemplum proponit abnegationis et exaltationis Christi.

V.6 *Cum in forma Dei esset, ὡς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων*. Participium ὑπάρχων in oppositione ad γενόμενος v.7, indicat statum *permanentem* «cum esset ac sit» (Estius); Christus igitur praexistebat ante Incarnationem. Μορφή θεοῦ est, ut PP. graeci declarant, *natura divina*, modus essendi divinus; in oppositione ad *habitum* σχῆμα v.7, aspectum externum, ut eodem v.7 forma servi μορφή δούλου denotat naturam humanam essentialiter servam. Ergo *Christus erat Deus ante Incarnationem*, ac permanet Deus, ut obvium est.

Tamen non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, οὐχ ἄρα γμὸν ἠγάσαστο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Haec locutio τὸ εἶναι ἴσα θεῷ significat potius *se habere ad instar Dei*, habere honores divinos, quos eius natura de se postulabat, «pariari Deo» vertit Tertullianus. Vocem ἀραγαγμὸν PP. latini sumunt active, ac transferunt *non putavit rapinam aut furtum aequalitatem divinam*, sc. *non existimavit se sibi arrogare quod suum non esset dicendo se esse aequalem Deo*; verum communiter nunc interpretes cum PP. graecis sumunt eam sensu passivo *non reputavit honores divinos esse veluti praedam avidè retinendam*, etsi ei debiti erant. Haec autem interpretatio melius concinnitati sermonis et contextui cohaeret, cum de abnegatione et humilitate commendanda agatur. Sensus tamen theologicus pro divinitate Christi idem est: *Christus ius habebat ad honores divinos*.

V.7 *Sed semetipsum exinanivit, ἐκένωσεν*, evacuavit, exspoliavit, *formam servi accipiens, μορφήν δούλου λαβών*, nempe naturam humanam, quae essentialiter ut omnis natura creata sub dominio absoluto Dei est; *similis in natura ceteris hominibus*. Atque *inventus habitu* σχήματι, etiam in apparentia externa ut homo, v.8 magis adhuc humiliavit semetipsum usque ad cru-

⁴⁰ PRAT, 2,150-152, qui iure despicit interpretationes oppositas huius loci: BOVER, 270-275; A.VIARD, *Épître aux romains* ed.Pirot (Paris 1938) 254; de unanimi Patrum exegesi agit A.DURAND, *La divinité de Jésus-Christ dans St. Paul*: RevBibl (1903) 350-370.

⁴¹ PRAT, 2,152 notat ipsos acatholicos ad traditionalem exegesim redire, ut GODET, *Introduction au Nouveau Testament I* (Paris 1893) 65-66; FRANZELIN, *De Verbo incarnato* th.5; GALTIER, *De Incarnatione* 18; BOVER, 294-297; CEUPPENS, 164-166; M.MEINERTZ, *Die Pastoralbriefe des hl.Paulus* (1931) 11-12; G.BARDY, *Les épîtres pastorales* ed.Pirot (Paris 1938) 254.

⁴² PRAT, 1,371-378 n.1,533-543, ubi exegesis Patrum expenditur; LEBRETON, 416-421; BOVER, 275-293, ubi egregia reperies critica et exegetica de hac pericope; CEUPPENS, 156-164; PUIG DE LA BELLACASA, 29-31; H.SCHUMACHER, *Christus in seiner Präexistenz und Kenose* (Roma 1921) 2,211-239; P.JOUON, *Notes sur Phil* 2,6,11: *RechScRel* 28 (1938) 223-233; MEINERTZ, *Die Gefangenbriefe des hl.Paulus* (1931) 140-142; J.HUBY, *Les épîtres de la captivité* (Paris 1947) 307; L.DE GRADMAISON, *Jésus-Christ*, 2 (Paris 1927) 205-210.

cem. Κένωσις ergo consistit in assumptione naturae humanae, conditione et aspectu externo ceterorum hominum, abiectis divinis honoribus. Non ergo exspoliavit se natura divina, ut «stultae» elucubrations plurimum protestantium imaginatae sunt⁴³.

V.9-10 *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*, sc. potestatem ac maiestatem divinam, secundum sensum qui hebraice subiacet voci nomen. *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, tribuat ei cultum divinum; *et omnis lingua confiteatur eum esse Dominum*, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, *nomen divinum Iahve*, existens in gloria Dei Patris. Hoc modo ei honores divini redditi sunt.

308. 3. Ex S.IOANNE. S.Ioannem docere Christum esse vere ac proprie Deum in confesso est, et in toto eius Evangelio ac in prima Epistola manifestissime apparet. Imo divinitas Christi apud S.Ioannem non aliquibus tantum textibus elucet, sed totam eius expositionem doctrinae et vitae Christi intime vivificat⁴⁴.

a) Quisnam fuerit *scopus quarti Evangelii* ipse auctor prodit 20,31 *haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei*, ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, quod de vero et naturali Filio intelligendum esse evidens est; haec enim dicuntur post narratam confessionem Thomae Io 20,20 *respondens Thomas dixit ei: Dominus meus et Deus meus*, ὁ κύριος μου καὶ ὁ θεός μου, a Christo approbatam ut confessionem fidei in se ipsum, ubi perspicue agit Thomas de vera Christi divinitate⁴⁵.

Hunc eundem scopum manifestat Ioannes in fine primae epistolae, quae est quasi introductio Evangelii 1 Io 5,20, ubi in graeco legitur: ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν, καὶ ἐν τῷ ἀληθινῷ ἔσμεν, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός καὶ ζωὴ αἰώνιος, *ut cognoscamus verum, et simus in vero, in Filio eius Iesu Christo; hic est verus Deus et vita aeterna*. Quod pronomen *hic* referatur ad Filium, ut ad substantivum immediate praecedens, concinnitas sermonis exigit, et tota dicendi ratio S.Ioannis apprime confirmat; nam ὁ ἀληθινός, *verus*, cum articulo et ζωὴ αἰώνιος, *vita aeterna*, nomina sunt personalia Christi (Apoc 3,7; 19,11; 1 Io 11,25; 14,16; 1 Io 1,2; 5,11-12); neque scopum Ioannis erat ostendere Patrem esse verum Deum (quod praeterea iam dixerat), sed Christum Filium esse Deum⁴⁶.

309. b) Divinitas Christi splendet *primis Evangelii verbis* in sublimi prologo ubi doctrina revelatur de Verbo divino, qui locus «totius doctrinae de divina persona Iesu Christi fastigium simul ac compendium» est⁴⁷.

⁴³ Ita eas vocat «folles elucubrations», PRAT, 1,534, ubi si placet eas recensitas reperies; cf. A.GAUDEL, *Kenose*: DTC 8,2339-2349.

⁴⁴ Cf. LEBRETON, 474-499, ubi praeclearam habes introductionem in S.Ioannis Evangelium.

⁴⁵ PUIG DE LA BELLACASA, 21; cf. MALDONADO, in h.l.

⁴⁶ BOVER-CANTERA, *Sagrada Biblia* (Madrid BAC 1951) 2017 n. in h.l.; POHLE, 379-382.

⁴⁷ FRANZELIN, *De Verbo incarnato* th.8; MALDONADO, KNABENBAUER, LAGRANGE in prol. S.Ioannis; LEBRETON, 490-496; ARNOU, 57-58.

V.1 In principio... docetur distinctio Verbi a Patre (cf. supra n.296), eius aeternitas ac divinitas. Ἐν ἀρχῇ refert, ut videtur, creationem mundi (Gen 1,1); cum igitur Deus creavit mundum iam *Verbum erat* ἦν, non factum est; praeexistebat ergo in immutabili divina aeternitate. Nomen *Verbum* ὁ λόγος hoc tantum capite, et 1 Io 1,1, et Apoc 19,13 reperitur ut nomen proprium, estque v.14 *factum homo, Unigenitus a Patre* v.18, *qui habitavit inter nos*, nempe *Iesus Christus* v.17⁴⁸. Et *Deus erat Verbum*, θεὸς ἦν ὁ λόγος, Verbum (subiectum) erat Deus (praedicatum), quod emphatice et ut modus servetur constructionis totius versus, praepositur subiecto, quia divinitatem Verbi praecipue doceri intenditur. θεὸς autem sine articulo naturam divinam, seu habentem eam significat⁴⁹.

Ideo v.3 *Omnia per ipsum facta sunt*. Verbum nempe est *creator* ut Pater, ubi πάντα dicit omnia et singula creata esse per ipsum; δι' αὐτοῦ quia Deus «per intellectum operatur»⁵⁰. Eadem ratione v.4 *in ipso erat vita et lux*, quam qui recipiunt *fiunt filii Dei*, τέκνα θεοῦ, *ex Deo nati; gratia enim et veritas* v.17 *per Iesum Christum facta est, de cuius plenitudine omnes nos accepimus*.

V.18 Verbum est *Unigenitus a Patre, Unigenitus Filii*, vel secundum probabilem lectionem *Unigenitus Deus*, μονογενῆς θεός, qui factus homo enarravit divina, *quae nemo creatus vidit unquam*, quia *in sinu Patris erat*. Ubi titulus μονογενῆς, ut proprius Filii naturalis, eum distinguit ab iis qui per participationem fiunt τέκνα θεοῦ; gloria autem Christi ea est *quae convenit Unigenito a Patre*⁵¹.

Haec iterum S.Ioannes summa repetit in prima epistola 1,1-3 (cf. Io 3,18). *Verbum vitae, vita aeterna, quae erat apud Patrem, apparuit nobis, ut societas nostra sit cum Patre et Filio eius Iesu Christo, qui 4,9 est Filius Dei Unigenitus*.

310. e) In toto decursu praedicationis Christi a Ioanne descriptae multis ac diversis modis *divinitatem* suam ipse vindicat et *unitatem naturae, vitae et operationis* cum Patre.

Eadem sibi ac Patri postulat: cultum sc. *fidei, omnis qui videt Filium et credit in eum habet vitam aeternam* 6,40, *non morietur in aeternum* 11,26; *credit in Deum, et in me credite* 14,1; 17,3; spei, in qua fundatur oratio, quod petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam 14,13-14; 15,5-7, ut in me pacem habeatis 15,33; caritatis, qui diligit me diligitur a Patre meo... 14,21-28;

⁴⁸ PRAT, Logos; DB 4,323-329; P.FOUARD, *Vie de Jésus-Christ* t.I app.2; W.WANDENSPERGER, *Der Prolog des vierten Evangeliums* (Freiburg 1898) etc.

⁴⁹ Ita etiam WESCOTT in ed. I Io 165-167 notat ὁ θεός significare personam, θεός sine articulo naturam divinam.

⁵⁰ CEUPPENS, 212-214.

⁵¹ CEUPPENS, 221-227.

et honores divinos, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium non honorificat Patrem 5,22-23⁵².

Praeexistentiam suam aeternam pluribus affirmat Christus. Ipse descendit de caelo 3,13; 6,38-41.50-51.62, quod iam Ioannes Baptista saepe affirmaverat 1,27-30; 3,31-32. Acram cum iudaeis disputationem c.8 perficit Christus sollemni protestatione: *amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* 8,58, ubi notanda contrapositio inter *Abraham fieret, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι*, et *ego sum, ἐγώ εἰμι*, quod refert ipsum nomen divinum Iahve prima persona positum; ideo iudaei voluerunt eum lapidare quia se Deum faciebat. Eiusdem praesistentiae aeternae apud Patrem meminit Iesus in oratione sacerdotali; *clarifica me tu, Pater, apud te ipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te* 17,5 (cf. 16,28; 17,8)⁵³.

Operationem Christus habet divinam atque *unam cum Patris operatione*. Id docet Christus in disputatione cum iudaeis; 5,17 *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; ideo iudaei ipsum accusabant quia *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* 5,18; quibus respondet iterum ipsum affirmans, *quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit* 5,19; imo *omne divinum iudicium Pater transfert in Filium*, ut honores divinos habeat 5,22-23. In sermone caenae unitatem inter se et Patrem in processione et missione Spiritus Sancti repetitis vicibus asserit 14,15-16.26; 15,26; 16,7.13-15, quia omnia quae habet Pater mea sunt⁵⁴.

311. Vindicat tandem sibi Christus *unitatem naturae cum Patre*. Coram iudaeis in templo 10,24-38, contententibus ut palam diceret an esset Christus, exprobrata primo eorum incredulitate, et appellatione facta ad testimonium operum Patris sui, atque asserta summa potestate sua ac Patris supra oves suas, ait Christus: *Ego et Pater unum sumus, ἐγὼ καὶ ὁ πατήρ ἓν ἐσμεν* 10,30⁵⁵. Unitas intelligi debet simpliciter *unitas in natura* eorum qui distincti sunt in personis; quia hoc dicto rationem dat Christus unitatis potestatis iam saepe affirmatae et iterum repetitae 10,28-29, qua fit ut *nemo rapiat oves de manu sua, quia Pater maior omnibus est*⁵⁶. Volentibus autem iudaeis eum lapidare ob blasphemiam, quia *tu homo cum sis facis te ipsum Deum* 10,33, reicit primo scandalum verbale 10,34-36, ubi dicit *vos dicitis quia blasphemus quia dixi Filius Dei sum; atque iterum opera Patris sui appellat ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre* 10,38. Ubi triplicem locutionem aequivalentem profert Iesus ad hanc naturae unitatem declarandam: *Ego et Pater unum sumus* v.30; *Filius Dei sum* v.36; *Pater in me est et ego in Patre* v.38; priore consubstantialitas seu *unitas naturae* in duabus personis, altera *filiiatio naturalis*, tertia *mutua inexistencia* immediate significatur.

⁵² LEBRETON, 526.

⁵³ BOVER, *Comentario al sermón de la cena* (Madrid 1951) 181-186; ARNOU, 59-60; CEUPPENS, 232-237.

⁵⁴ MALDONADO, in h.l.; LAGRANGE, 130-145; CEUPPENS, 245-249.

⁵⁵ MALDONADO, in h.l.; PUIG DE LA BELLACASA, 20.

⁵⁶ BOVER-CANTERA, o.c. in d. ad h.l. p.1748.

Coram discipulis in sermone caenae 14,7-11, cum dixisset Christus *si cognovistis me et Patrem meum cognoscetis* (ita probabilis in graeco, εἰ ἐγνώκατέ με, καὶ τὸν πατέρα μου γνώσεσθε) v.7, cupienti Philippo maiorem et immediatam Patris ostensionem v.8, respondet Iesus: *Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum* v.9, quia *ego in Patre et Pater in me est* v.10-11, ubi ait *Pater in me manens ipse facit opera*; nempe ob unitatem naturae et inexistentialitatem mutuam, et verba Christi a Patre sunt, et Pater manens in Filio facit opera eius. Ideo discipuli intelligere poterant quae Iesus Christus saepius affirmaverat 5,17; 14,8.15.17.23. «Difficile quid expressius circa unitatem Patris et Filii in N.T. inveniri potest»⁵⁷.

Tandem in oratione sacerdotali 17,20-23 unitatem perfectissimam inter Patrem et Filium in natura, *sicut tu Pater in me et ego in te, sicut et nos unum sumus*, exemplar proponit unitatis omnium christianorum inter se et cum Christo⁵⁸.

312. His persensis testimoniis mirum non est Evangelistam Ioannem 12, 37-41 ut explicet iudaeos non credidisse Christo praedicanti et tot signa facienti, referre Is 53,1 ac theophaniam visionis inauguralis eiusdem prophetae Is 6, addens: *Haec dixit Isaias quando vidit gloriam eius et locutus est de eo* v.41.

Apocalypsis ut opus ioannaicum Christum Deum saepe tradit; tribuuntur Christo tituli divini 1,17-18: *Ego sum primus et novissimus* (Is 44,6) et *habeo claves mortis et inferni*; 22,13: *Ego sum α et ω (principium et finis)*, et honor adorationis 5,8.12-14, quae soli Deo competit 22,9.

In ceteris scriptis apostolicis adsunt etiam explicita de divinitate Christi testimonia. Nomen Dominus Κύριος et Act 20,28 supra attulimus. 1 Petr 2,3; 3,15 Christo applicantur textus V.T. de Deo; ac plura repetuntur quae in Synopticis habentur. 2 Petr 1,1 Christus est *Deus noster et salvator*; epistola autem finitur doxologia in *Dominum nostrum et salvatorem Iesum Christum* 3,18. Iac 2,1 Christus est *Dominus gloriae*. Iud 5-6 Iesus dicitur *salvasse populum Israel de Aegypto et damnasse angelos peccantes*; quo quid expressius pro vera divinitate Christi dici nequit.

313. DIVINITAS SPIRITUS SANCTI manifeste exhibetur in N.T.; adeo enim ut quid divinum describitur, ut potius distincta eius personalitas probanda sit. Ubi vero haec traditur, perspicua est etiam divinitas⁵⁹. Nam.

1. Quae Io 14,16 dicuntur de Spiritu Sancto eum constituunt in vitae communitate cum Patre et cum Filio; eique tribuitur complementum et perfectio operis Christi modo plane

⁵⁷ CEUPPENS, 257; BOVER, *Comentario al sermón de la cena* 45-49.

⁵⁸ BOVER, o.c., 216-218.

⁵⁹ In probatione divinitatis Spiritus Sancti longius procedunt Patres saec. IV, dum de eius distincta personalitate stabilienda parum solliciti videntur. Hic autem diversus procedendi modus fundatur in adversariorum contra quos dimicabant diversa positione. Pneumatomachi namque distinctionem Spiritus Sancti a Patre et a Filio ultra admittebant, imo ultra limites eam producebant, nam naturae diversitatem illi tribuebant; veram autem eius divinitatem impugnabant. Cf. ARNOU, 77.

divino. Spiritus Sanctus *a Patre procedit* 15,26 et *a Filio accipit scientiam aeterna processione* 16,13; *mittetur a Patre rogatu Filii, et ab ipso Filio*, cum hic iam fuerit glorificatus, et *manebit in aeternum cum apostolis* 14,16; est *Spiritus veritatis, qui docebit omnem veritatem* 14,17.26, etiam ea quae non possunt nunc portare apostoli 16,15⁶⁰.

2. Actio Spiritus Sancti in vita spirituali est prorsus divina. Vita divina hominis est fructus Spiritus Rom 8,6-11; Gal 5,19-23 *propter inhabitantem Spiritum Dei in nobis*; sumus in Christo et filii Dei per Spiritum Sanctum Rom 8,14; Eph 1,13; omnia quae in Christo fiunt, fiunt etiam in Spiritu, *iustificatio, sanctificatio, signatio* 1 Cor 6,11; Rom 15,16; Eph 1,13; 4,30 et alibi passim; ipse *distribuit carismata* 1 Cor 12,4-6, qui locus a quibusdam interpretibus intelligitur totus de Spiritu Sancto, qui etiam Deus et Dominus diceretur; quod si, ut probabilis videtur, textus est trinitarius, manifeste in eodem ordine divino collocatur Spiritus Sanctus ac Pater et Filius. Inde fit ut simus *templum Spiritus Sancti* 1 Cor 6,19-20: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo? Glorificate et portate Deum in corpore vestro*; ubi vel Spiritus Sanctus vocatur Deus, vel (si v.20 ad Patrem referri debet) saltem Spiritus Sanctus templum habet, quod est quid divinum. Etiam actio Spiritus Sancti in corpore Ecclesiae in Actibus descripta est omnino divina, libera et independens⁶¹.

314. 3. Spiritui Sancto tribuuntur tam a S. Paulo, quam in Actibus attributa divina⁶². Spiritus scrutatur profunda Dei, seu habet scientiam divinam 1 Cor 2,10-11; sicut enim quae sunt hominis nemo scit, nisi eius spiritus, ita *quae sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei; Deus autem ea revelat per suum Spiritum*; qui persona quaedam est distincta a Patre, nam proprium personae distinctae est scrutari profunda alius. Spiritus Sanctus inspirat prophetis ac per eos loquitur Act 1,16; 21,11; 28,15; 2 Petr 1,21. Carismata Spiritus Sancti signa sunt inhabitantis Dei inter fideles 1 Cor 14,24-25: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus; occulta cordis eius manifesta fiunt; et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit*. Act 5,3-4 cum Ananias mentitus esset Petro,

⁶⁰ De his locis in probanda processione Spiritus Sancti tractabitur.

⁶¹ ARNOU, 31-32. Inde maxime Patres graeci divinitatem Spiritus Sancti probant, ex opere sanctificationis, quod ei adscribitur. Complectuntur breviter praecipua capita demonstrationis S. GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio* 31,29-30: MG 36,165-170; DIDYMU, *De Trinitate* l.2 c.25: MG 39,747-750.

⁶² LEBRETON, 434.

dixit ei Petrus: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Cum Paulus iudaeis romanis praedicaret Christum, illique non crederent, dixit Act 28,25-27: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros dicens: ...aure audietis et non intelligetis...* referens Is 6,9-10, ubi haec verba a Domino dicuntur.

3. Quae in Synoptics dicuntur de Spiritu Sancto ostendunt eius divinitatem. Tribuitur enim illi *Incarnatio* Lc 1,35; Christus ipse *missionem suam* ad illum ut in ipso requiescentem refert Lc 4,18, sicut etiam Hebr 9,14 sacrificium eius *per Spiritum Sanctum* factum esse dicitur; in Spiritu Sancto et in eius virtute *daemonia eicit* Mt 12,28; imo *blasphemia in Spiritum Sanctum* gravior est quam blasphemia in Christum hominem Mt 12,32. In symbolis Apocalypsis 22,1 dicitur Spiritus Sanctus *fons aquae vivae procedens a throno Dei et Agni.*

4. Tandem ipsa *connumeratio* cum Patre et Filio in textibus trinitariis manifesta est descriptio divinitatis Spiritus Sancti ⁶³.

315. Probatur mysterium Sanctissimae Trinitatis ex textibus trinitariis.

Probato mysterio ex N.T. in universum, iam satis elucet hanc doctrinam contineri in textibus trinitariis initio allatis; nam tandem non sunt nisi complexus revelationis alias in libris N.T. diversis modis traditae. Nunc autem peculiarem probationem quodammodo independentem ex quibusdam ex illis afferre intendimus; quo clarius eluceat intentio divina revelandi mysterium trinitarium ut talem; ita ut formulae postea in symbolis et in praedicatione Ecclesiae elaboratae, non sint nisi ulterior nova explicatio doctrinae iam ut trinitariae clare in N.T. propositae. Ad id seligimus quatuor ex supra notatis: praeeptum baptizandi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Mt 28,19; theophaniam in baptismo Christi Mt 3,13-16 (Mc 1,10-11; Lc 3,22); carismatum distributionem 1 Cor 12,4-6; benedictionem 2 Cor 15,13 ⁶⁴.

316. PRAECEPTUM BAPTISMI. Mt 28,19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Nullus est textus N.T. qui adeo magnum momentum habeat in controversiis trinitariis, quod maxime

⁶³ POHLE, 382-388.

⁶⁴ His adnumerari debent loci Io 14-16 de Spiritu Sancto, quos agendo de tertia persona expendimus; iure enim habentur ut clarissimae expositiones unitatis naturae et distinctionis personarum in divinis; cf. LAGRANGE, *Evangile de S.Jean* 423; A.WIKENHAUSER, *Das Evangelium nach Ioannes* (1948) 244.

cohaeret cum connexionione quam habet cum ritu baptismali. Eum Patres frequentissimi invocant contra arianos et pneumatomachos ⁶⁵. De authenticitate vero huius versus qui in omnibus prorsus codicibus et versionibus uniformiter reperitur, nullus est ambigendi locus. Suspicio F.CONYBEARE ⁶⁶, contraria omnibus criticae regulis, cito obsolevit, ab ipsis rationalistis fere omnibus derelicta.

a) *Distinctio personalis* inter Patrem et Filium perspicua est. Tertiae vero personae distinctio ex connumeratione cum aliis elucet. In graeco autem notatur distinctio repetito articulo et coniunctione: εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Praeterea quod implicatur formula *baptizari in nomine* alicuius competere nequit nisi enti personali ⁶⁷.

b) Pater, Filius et Spiritus Sanctus *divinam naturam* ac potestatem habent. Nam baptizari in nomine alicuius ut ritus religiosus significat devoveri, consecrari, in cultum illius, ex auctoritativa eius potestate ad sanctificandum (Rom 6,3-13, 1 Cor 1,12-15 etc.). Praeterea Pater est Deus; ergo et Filius et Spiritus Sanctus qui in eadem linea constituuntur ⁶⁸.

c) *Unicitatem naturae* in tribus, ideoque perfectam eorum aequalitatem, quae alias nota est, expressam vident Patres in verbo *in nomine* singulariter posito, quo significatur ex lingua hebraica essentia et potentia ⁶⁹.

317. THEOPHANIA IN BAPTISMO CHRISTI. Mt 3,16-17; Mc 1,10-11; Lc 3,22. Baptizato Christo a Ioanne *aperti sunt caeli et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba et vox de caelo audita est: hic est (tu es Mc, Lc) Filius meus dilectus, ὁ υἱὸς μου ὁ ἀγαπητός, in quo (in te) mihi complacui.* Manifestantur Pater voce de caelo allata, Filius in propria persona, Spiritus Sanctus sub specie columbae. Atqui in hac manifestatione revelatur mysterium Sanctissimae Trinitatis.

a) Pater et Filius sunt personae realiter distinctae, ut patet. Spiritus Sanctus est *persona realiter distincta a Patre et a Filio.* Clara est enim intentio manifestandi eum, ut quid distinctum a Patre et a Filio, ac simul quid in eodem ordine ac eodem modo se habens ac Pater et Filius; qui manifestan-

⁶⁵ Iam TERTULLIANUS et HIPPOLYTUS contra monarchianos; postea S.ATHANASIUS, S.HILARIUS, S.BASILIIUS, uterque GREGORIUS, DIDYMUUS, S.HIERONYMUUS, S.AUGUSTINUS, etc.

⁶⁶ *The eusebian form of text* Mt 28,19: ZNeutWiss 2 (1901) 275-288. Hanc suspicionem v. plane confectam a LEBRETON, n.E 599-610; ARNOU, 50-57; CEUPPENS, 62-66; decretum COMMISSIONIS BIBLICAE 1911 (D 2154); G. ONGARO, *L'autenticità e integrità del domma trinitario in Mt 28,1-9*: Bibl 19 (1938) 269-279.

⁶⁷ Ita iam TERTULLIANUS, *Adversus Praxeum* 26: ML 2,213; S.BASILIIUS, *Epist.* 210 4: MG 32,773.

⁶⁸ STRACK-BILLERBECK, *Kommentar* 1,1054-1055; ARNOU, 52.

⁶⁹ S.ATHANASIUS, *Epist.* 3 ad Serapionem 6: MG 26,634; S.AUGUSTINUS, *De Trinitate* 1.15 n.51: ML 42, 1097-1098.

tur Pater per vocem corporalem, quam non habet, et Filius in natura assumpta; ergo manifestatio Spiritus Sancti per columbam nihil officit personalitati eius, sed pertinet ad designandam corporaliter eius actionem in Christum. Praeterea persona est Spiritus Sanctus qui *ducit Iesum in desertum* Mt 4,1, et *dirigit missionem Christi* Lc 4,18.21.

b) Haec manifestatio est *theophania*, similis theophaniis V.T.; ergo qui manifestantur habent *naturam divinam*. Aliunde Pater est Deus; Filius declaratur Deus ex filiatione naturali hic asserta. Ergo etiam Spiritus Sanctus est Deus, qui perspicue exhibetur ut quid divinum⁷⁰.

318. DISTRIBUTIO CARISMATUM. I Cor 12,4-6. *Divisiones ergo gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministratum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Gratiae seu carismata χαρίσματα, ministrationses seu servitia διακονίαι, et operationes ἐνεργήματα, aut significant diversa dona divina, aut potius eadem dona sub diverso aspectu gratiae gratis datae, ministerii in Ecclesia et operationis miraculosae; sub priore aspectu tribuuntur Spiritui Sancto, sub altero Christo Domino, sub tertio Deo Patri; cum tamen multa sint, unum habent auctorem Deum, nam carismata sunt opera divina.

Ergo tres, Spiritus, Dominus et Deus ad ordinem divinum pertinent. Cum autem *Dominus et Deus* sint in S.Paulo nomina personalia *Patris et Filii*, videtur omnino hic agi de tribus personis, non de una persona *Spiritus Sancti* diversis nominibus. Docentur ergo tres personae distinctae in natura divina, quae perspicue una est⁷¹.

BENEDICTIO. 2 Cor 13,13 *Gratia Domini Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

Dona immediate divina optantur; ergo tres quibus tribuuntur pertinent ad *divinitatem*. *Distinctio* trium personarum clara est ex diversa attributione. Perfecta trium *aequalitas*, qua etiam Spiritus Sanctus est persona sicut Pater et Filius, patet etiam ex eo quod alias aliis personis haec tribuuntur; caritas Filio et Spiritui Sancto Rom 8,35; 15,30; gratia Patri Rom 3,24; communicatio Filio I Cor 1,9⁷².

⁷⁰ LAGRANGE, *Evangile de S.Marc* 15; de *S.Luc* 115; HUBY, *S.Marc* 12; MARCHAL, *S.Luc* 60; J. KNACKSTADT, *Manifestatio SS. Trinitatis in Baptismo Christi*: VerbDom 38 (1960) 76-91.

⁷¹ BOVER, 173-175; PRAT, 2,160; LEBRETON, 435; CEUPPENS, 125-127; POHLE-GIERENS, 245.

⁷² P.GÄCHTER, *Zum Pneumabegriff des hl. Paulus*: ZkathTh 53 (1929) 345-408; LEBRETON, 436; H.LIETZMANN, *An die Korinther* (Leipzig 1931) 159, putat salutationem trinitariam pertinere ad usum liturgicum in Ecclesiis paulinis.

N.B. **COMMA IOANNAEUM:** *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* I Io 5,7 in textu Vulgatae, formula est trinitaria exprimens unitatem naturae in tribus personis distinctis; quae alias constat ex unicitate Dei, et explicitè dicta est a Christo de se et de Patre Io 10,28. Argumentum tamen scripturasticum ex eo afferre opus non est, cum huius loci genuinitas non satis constet; ex declaratione enim S.OFFICII 1927 circa decretum a.1897 (D 2198) patet quaestionem non esse definitam ab Ecclesia⁷³.

319. Obiectiones fieri possunt, vel contra characterem personalem Spiritus Sancti, eiusque realem distinctionem ab aliis duabus personis, vel contra divinitatem Christi.

A. CONTRA PERSONALITATEM DISTINCTAM SPIRITUS SANCTI.

1. Spiritus Sanctus dicitur, praesertim a S.Paulo, *dari, effundi*, esse quod *fructificat*, quod *extingui potest*, alia huiusmodi Rom 8,15; Gal 5,22; Eph 5,28; 1 Thess 5,19 etc. Atqui haec opponuntur verae personalitati, et potius indicant virtutem aut vim impersonalem, aut etiam donum creatum.

Nego min. Etiam Filius vera persona dicitur *dari* Io 3,16, et *indui* a nobis ut vestimentum Rom 13,14. Spiritus Sanctus revelatur nobis maxime per effectus creatos quos in nobis producit, gratiam ac cetera dona; ideoque modo loquendi praegnanti proprio S.Pauli significatur per modum unius cum his effectibus. Id eo magis fieri potuit, quod ipse Spiritus Sanctus revera se nobis communicat, ut Pater et Filius, non sola dona creata⁷⁴.

2. Multis iudiciis patere videtur Paulum non distinguere Spiritum Sanctum a Christo. Nam a) idem est S.Paulo esse *in Christo* ac esse *in Spiritu* I Cor 6,11 collato cum Gal 2,17; Eph 1,13 cum 4,10; 2,21-22 etc. b) Christus *praedestinatus est Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis* Rom 1,4; ergo Spiritus non est nisi elementum divinum Christi, persona Verbi. c) Sicut *primus Adam factus est in animam viventem*, ita *novissimus Adam in Spiritum vivificantem* I Cor 15,45; ergo Spiritus Sanctus non est nisi anima Christi quatenus habet virtutem sanctificatricem. d) 2 Cor 3,17 dicitur clare *Dominus autem Spiritus est, ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν*, ubi ex duplici articulo expressa videtur identitas inter Christum et Spiritum Sanctum.

Nego assertum. Ad probationes: ad a) *Nego cons.* Ex his locis sequitur tantum unicitas operationis et effectus quasi-formalis utriusque personae, quam necessario importat unitas naturae divinae. His S.Paulus loquitur de Christo mystico, cuius caput est Christus Deus-homo et anima Spiritus Sanctus; ideoque ex utroque est, sed diverso modo, vita spiritualis membrorum⁷⁵.

Ad b) Aliqui exegetae, ut CORNELY, Spiritum sanctificationis intelligunt naturam divinam Christi; sed potius de Spiritu Sancto cum eius donis dici debet. Nempe Christus declaratus est Filius Dei secundum mensuram gratiae et sanctitatis, quam Spiritus Sanctus in eum effudit, quae apparuit in resurrectione per gloriam externam propriam divinam filiationis⁷⁶.

Ad c) I Cor 15 totum est de resurrectione mortuorum. Iam S.Paulus, ut probet posse dari *corpus spirituale* sc. dotibus corporis gloriosi ornatum, dicit: sicut primus Adam factus est anima vivens, ita novissimus Adam factus est εἰς πνεῦμα ζωοποιόν, vivificatus et vivificans per Spiritum Sanctum; id est habet plenitudinem vitae supernaturalis in Spiritu Sancto,

⁷³ PESCH, 462-467; LEBRETON, n.K 645-652; T.AYUSO, *Nuevo estudio sobre el «Comma Iohannaicum»*: Bibl 28 (1947) 83-112.216-235.

⁷⁴ ARNOU, 35-36.

⁷⁵ ARNOU, 36-37.

⁷⁶ BOVER, 77; PRAT, 2,512-513.

quae in resurrectione manifestata est, et potestatem nobis eam communi-
candi, tota plenitudine, quae includit vivificationem corporis mortalis ad
exemplar corporis Christi gloriosi, *propter inhabitantem Spiritum eius in*
nobis Rom 8,11.23; Phil 3,20-21 77.

Ad d) Locus 2 Cor 3,17 in contextu declarari debet; iam ibi agit
Paulus non de natura Christi, sed de suo ministerio, quod eo quod est N.T.
contraponitur *vetustati litterae* legis. Locutio autem metonymica est, sicut
Christus pax nostra Eph 2,14, *vita nostra* Col 3,4 etc., ac significat Christum
accepisse plenitudinem Spiritus Sancti, qui est principium vitae in corpore
mystico; id autem est tota substantia novae oeconomiae, oppositae litterae
veteris legis. Distinctio vero personalis Spiritus Sancti a Filio apparet v.18,
ubi ut alias dicitur Spiritus Domini 78.

320. B. CONTRA DIVINITATEM CHRISTI.

1. Doctrina S.Ioannis de Verbo desumpta est ex PHILONE. Atqui in
hoc auctore nec personalitas, nec divinitas Verbi definita est. Ergo ex ea
non probatur vera divinitas Christi.

Nego mai. Haec assertio, quae multis celebrabatur a rationalistis et mo-
dernistis ante 50 annos, iam fere in oblivionem transit, ita ut ipse HAR-
NACK dixerit nihil fere commune esse Verbo Ioannis et Verbo Philonis, nisi
merum nomen 79. Verum omnino est quod in minore dicitur, Philonis
Verbum neque personale esse, neque verum Deum; quo ingens discrimen
inter utrumque auctorem palam fit. Erat quippe iudaeus Philo monotheista;
sed infectus theoriis philosophiae ethicae alexandrinae, religionem V.T.
commisicuit modo incongruo cum doctrinis de entibus intermediis inter
Deum ultratranscendentem et mundum, in creatione, et in cognitione di-
vinitatis ab homine. Λόγος est illi idea maxima, vel locus aut complexus
idearum, mundus intelligibilis, exhibens quasi archaetypa exemplaria in
mente Dei; inde nobis revelat Deum. Dicta vero quae Verbo personalita-
tem quamdam praebere videntur, allegorismi sunt, quos ipse Philo exte-
nuat, sicut et appellativum Deum, quem bis ei adscribit. Ex alia parte
Verbum Ioannis apertissime est Deus, et persona distincta a Patre; et ipse
Loisy fatetur Christum ioannaicum esse divinum 80.

2. Christus ipse videtur suam filiationem a divinitate alienare; nam ut
tollat scandalum iudaeorum dicit Io 10,34-36 *secundum Scripturas vocari deos*
illos ad quos sermo Dei factus est.

Nego assertum. Hoc loco non solum non alienat se Christus a vera di-
vinitate, nec respondet se non vocasse seipsum Deum, quod respondendum
simpliciter erat, si se Deum esse verum non significasset, sed potius probat
se merito Deum appellari. Argumentum autem est a minore ad maius; si
illi vocari potuerunt dii, quod sufficit ad tollendum scandalum verbale,
multo magis *quem Deus sanctificavit et misit in mundum*; ubi rationem dat
cur se vocet Filium Dei, nempe in caelo praeexistens erat Filius Dei; ac
tandem v.37-38 opera appellat ut credant mutuam Patris et Filii inexisten-
tiam 81.

77 GALTIER, 48; PRAT, 2,204-208. S.THOMAS ita declarat locum: «Sicut Adam consecutus
est perfectionem sui esse per animam, ita Christus et perfectionem sui esse, in quantum homo,
per Spiritum Sanctum. Et ideo cum anima non possit nisi proprium corpus vivificare, ideo
Adam factus est in animam non vivificantem, sed viventem tantum; sed Christus factus est
in spiritum viventem et vivificantem» (*Commentarium in epist. S.Pauli in h.l.*)

78 Ita BOVER, 197-202. De interpretationibus huius loci v. PRAT, 2 n.T. 522-529; LEBRE-
TON, n.F. 611-615; GALTIER, 47; CEUPPENS, 179; ARNOU, 37; B.SCHNEIDER, «Dominus autem
Spiritus est» (1 Cor 3,17a) (Roma 1951).

79 *Lehrbuch der Dogmengeschichte* 1,109. Hac de re v. in primis quae exhaustive disserit
LEBRETON, de logo hellenico et Philonis 56-84,209-251, et de eius discriminate a doctrina Hebr
I et Io I n.G 615-627, n.J 636-644; PUIG, 22-28; CEUPPENS, 228-232.

80 *Simples reflexions* (1908) 158.

81 MALDONADO, in h.l.; GALTIER, *De Incarnatione* 52-53; PUIG, 29-30; ARNOU, 67; CEUP-
PENS, 253.

Inst. Christus dicit *vitam aeternam consistere in hoc quod cognoscant Pa-
trem solum verum Deum, et quem misit Iesum Christum* Io 17,3. Ergo se a
vera divinitate alienat.

Sensus loci est: ut cognoscant te, qui es unicus verus Deus, οὐ τὸν μόνον
ἀληθινὸν θεόν; excludit ergo a vita aeterna cognitionem alius dei; sed non
se excludit a divinitate. Imo eam affirmat; nam se iungit Patri ut obiectum
cognitionis in qua consistit vita aeterna. Paulo vero post v.5 ait: *Clarifica
me tu, Pater, apud te ipsum claritate quam habui priusquam mundus esset
apud te* 82.

321. 3. Christus saepe, etiam vel maxime apud S.Ioannem, se exhi-
bet Patri subordinatum, *rogat Patrem, accipit mandatum a Patre; non potest
Filius a se facere quidquam; Pater omnia demonstrat Filio, ac iudicium illi dat*
Io 14,16; 10,18; 5,19.23.30 etc.; imo dicit *Pater maior me est* Io 14,28.

Haec omnia ut homo, secundum humanitatem dicit. Innuunt tamen
haec verba c.5 originem a Patre, quae humano modo loquendi per verba
dependentiae designari potest, nisi obstat periculum perversae intelligenti-
ae. Postremus autem locus a Patribus pluribus inter maxime orthodoxos
etiam de Filio secundum divinitatem intellectus est, ad originem relatus; sed
ex contextu potius de humanitate dictus videtur 83.

4. Christus iuveni eum appellanti *magistrum bonum* respondit: *Quid
me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus* Mc 10,18. Ergo negat se esse
Deum.

Hoc responso Christus iuvenem illum solam humanam benignitatem
attendentem, ad fontem bonitatis Deum adducit, a quo uno vitae aeternae
iter quaeri debet. At statim discipulis suis dixit: *omnis qui reliquerit domum...
propter me... vitam aeternam possidebit* Mt 19,29; quo se Deum proclamant 84.

5. Christus Filius ignoravit diem iudicii Mc 13,32. Ergo Filius non
est Deus.

Dist. antec. Christus, Filius ignoravit simpliciter diem iudicii, sive ut
Deus, sive ut homo, *nego antec.*; dicit diem iudicii se nescire ut homo vel
Filius, ut missus, *conc. antec.* «Dominus noster Iesus Christus, ait S.AUGUS-
TINUS 85, etiam Filium hominis dixit nescire illum diem, quia in eius ma-
gisterio non erat unde sciretur a nobis». Christus nempe, modo humano
saepe adhibito, sibi denegavit, seu a se non esse dixit, quidquid non erat
proprium suae missionis: *non veni ut iudicem mundum* Io 12,47. Imo etiam
divina, ut a Patre per aeternam generationem accepta, poterat modo hu-
mano dicere se *non habere*, nempe a se. Alias, ut vidimus, Mt 11,27 (cf. Col 2,
3) perfectam aequalitatem scientiae cum Patre sibi vindicavit 86.

322. Scholion. De revelatione Sanctissimae Trinitatis in V.T. 87

Cum V.T. sit praeparatio plenae revelationis N.T., quaestio sponte
oritur, an et quomodo attingat manifestationem primarii fidei nostrae mysterii
Sanctissimae Trinitatis. Ad suavem enim dispositionem divinae providen-
tiae pertinebat ut primum homines docerentur perspicue quae pertinent ad
unitatem divinae essentiae, positis praesertim aberrationibus polytheismi,
quibus magna pars humanitatis obvoluta iacebat. Verum oportebat etiam
ut revelatio Trinitatis non ita nova videretur, ut difficilis nimis fieret eius
acceptio, cum iam ex se adeo mentis humanae captum excedat.

82 MALDONADO, in h.l.

83 ARNOU, 62-67, ubi dicta Patrum; LEBRETON, 522; LERCHER, 3,327.

84 GALTIER, 57; HUBY, *S.Marc* 230-231; LAGRANGE, *S.Marc* in h.l.

85 In Ps 36, 1: ML 36,355.

86 MALDONADO, in h.l.; MUNCUNILL, *De Incarnatione* 123; GALTIER, 333-347; LAGRAN-
GE, HUBY, in h.l.; LEBRETON, 306-312 et n.C 559-590, ubi expositiones Patrum et theologorum.

87 FRANZELIN, th.68; PESCH, 468-475; GALTIER, *De Trinitate* 1932; LEBRETON, 100-142;
CEUPPENS, 9-54; HEINISCH, *Teologia del Vecchio Testamento* 109-138.

Dicimus ergo: mysterium Sanctissimae Trinitatis non ita proponitur in V.T. «ut ad communem fidem populi Israel pertineret»⁸⁸, at certe in eo praeparatur ad revelationem N.T. recipiendam; adeo ut N.T. optimam praebeat expositionem doctrinae in V.T. revera contentae, saltem quoad aliqua eiusdem elementa. Praesertim divinitas Messiae ut personae a Deo Patre distinctae clare alicubi traditur; «secunda persona, ait FRANZELIN, sine dubio revelata est»⁸⁹; ita ut doctrina N.T. quoad hoc caput non simpliciter tamquam nova revelatio veritatis numquam dictae, sed tamquam revelationis antecedentis explicatio et distinctior determinatio habenda sit. Haec tandem videtur esse mens Sanctorum Patrum, qui ex una parte saepe dicunt Trinitatem revelari tantum in N.T., et ex alia parte plures afferunt attestaciones V.T. ad illud probandum⁹⁰. Huc quoque recidunt sententiae omnium fere catholicorum theologorum et exegetarum.

Distinguendae sunt adumbrationes vel insinuationes totius mysterii trinitarii, ab assertis quibusdam, quae vel sub lumine N.T. vel simpliciter in ipso textu V.T. ad mysterium pertinent. Qua in re attendi praecipue debent textus ab auctoribus N.T. adducti, atque etiam loci quidam communi Patrum saec. IV consensu in controversiis cum haereticis de Trinitate intellecti. Cum enim Christus ipse adduxerit V.T. ad probandam suam divinam filiationem, et apostoli et Ecclesia accepterint carisma intelligentiae S. Scripturae, dicendum est his allegatis non ampliari sensum doctrinae revelatae in V.T., sed simpliciter exponi aut declarari, ubi sc. clare pateat mens scriptoris N.T. aut consensus Patrum et auctoritas Ecclesiae.

323. 1. Ad primum genus referri possunt a) probabiliter forma pluralis quo Deus nominatur Elohim, aut inducitur secum ipse loquens, ut Gen 1,26 *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; Gen 3,22 *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; Gen 11,7 *descendamus et confundamus linguas eorum*, plura similia quibus pluralitas quaedam personarum subindicatur. Patres enim sat frequenter inde argumentantur ac contrarias expositiones ut falsas reiciunt⁹¹. Res tamen non est mere exegetice sufficienter comprobata, nam his modis loquendi subiacere potest pluralis de liberationis aut maiestatis; at nullo modo exclusa est, ut patet.

b) Numerus ternarius in rebus divinis aliquoties adhibitus, ut *trisaegion* Is 6,3. Hic autem locus, etiam ommissa repetitione ternaria, seu potius tota *theophania* contenta in visione inaugurali Isaiae, in N.T. refertur ad Christum Io 12,41, et ad Spiritum Sanctum Act 28,25-27, ut supra vidimus; ideo admittendum videtur hanc theophaniam continere manifestationem Sanctissimae Trinitatis^{91*}.

c) Theophanias V.T. in universum, praesertim per *Angelum Iahve*⁹², plures Patres antiquiores *Verbo* adscribunt, nec soli antenicaeni, sed etiam Patres graeci saec. IV; at haec expositio derelicta videtur a S. AUGUSTINO et post eum ommissa est⁹³. In textibus V.T. per se consideratis quis sit *Angelus Iahve* non clare patet; aliquando enim cum *Iahve* identificatur, ut Gen 16,7-13; 31,11-13 ubi dicit Iacob se esse *Deum Bethel*, Ex 3,2-6 in

⁸⁸ FRANZELIN, 88.

⁸⁹ L.c., 97.

⁹⁰ LEBRETON, 552; F. SCHMID, *De adumbratione SS. Trinitatis in V.T. secundum S. Augustinum* (Mundelein 1942).

⁹¹ S. AUGUSTINUS, *Contra sermones arianorum* 16: ML 42,695; *De civitate Dei* 1.16 c.6 n.1: ML 41,484; S. EPIPHANIUS communem vocat hanc explicationem, *Panarion* haer. 23 n.1: MG 41,383. V. apud LEBRETON, 553 n.1 longam seriem Patrum de hac re.

^{91*} Ita S. GREGORIUS NYSSENUS, *Adu. Eunomium* 2,2: MG 45,534,657.

⁹² *De Angelo Iahve* multa scripta sunt, quae recensita v. apud LAGRANGE, *L'ange de Iahve*: RevBibl (1903) 212ss.; TOUZARD, *Ange de Iahvé*: DBS 1,42ss.; J. RUBINSKY, *Der Mal'ah Iahvé* (Paderborn 1930).

⁹³ FRANZELIN, 91; D. LEGEAY, *L'Ange et les Théophanies dans la sainte Ecriture d'après la doctrine des Pères*: RevThom 10 (1902) 138-185,405-420.

apparitione Moysi in rubo, Iud 6,22 in historia Gedeonis; at alias aperte distinguitur a Deo Gen 24,7; Ex 23,20-23 *ecce ego mitto angelum meum*, 2 Reg (Sam) 24,16 etc. Interpretatio de Verbo, quod his apparitionibus praeluderet Incarnationi, fundari potuit in nomine *magni consilii Angelus*, quo Messias vocatur Is 9,5 secundum LXX. At ex N.T., Act 7,30-35,53; Gal 3,19; Hebr 1,1,2; 2,1-3; 13,2 constare sat clare videtur omnes illas apparitiones, etiam sollemnissimas, ipsum quoque foedus sinaiticum, factas esse immediate per angelos, qui nomine Dei et in eius persona loquebantur; ita ut privilegium sit N.T. quod nobis Deus per Filium loquatur. Huius autem locutionis angeli in persona Dei habemus clarum specimen in Apocalypsi 22. Hinc admittenda videtur interpretatio S. AUGUSTINI et S. THOMAE, quam scholastici secuti sunt⁹⁴.

d) *Spiritus Sanctus* ut quid divinum evidenter proponitur Is 11,2; Sap 1,6ss; distincta eius personalitas non adeo clare⁹⁵; at vero effusio Spiritus in Messiam Is 61,1-2; et in omnem carnem Ioel 2,28, tertiae personae adscribitur Lc 4,17-20 et Act 2,16ss.

e) Tres personae designari videntur Sap 9,1-17; ac Ps 32,6 *Verbo Domini caeli facti sunt, et spiritu oris eius omne agmen eorum saepe Patres et Liturgia* explicant de secunda et tertia persona; at non satis patet an sint merae accommodationes aut applicationes.

324. 2. Ad alterum genus pertinent quae de secunda persona, ut *Messias* et *Sapientia genita*, traduntur.

c) Messias ex V.T. est verus Deus, sed persona distincta a Deo Patre, ut verus Filius eius⁹⁶. Messias quidem est homo missus a Deo; at iam Is 35,4 dicitur *Deus ipse veniet et salvabit vos*, et 40,3-10, *parate vias Domini... ecce Dominus Deus in fortitudine veniet*, quod refertur Mc 1,3 (loc. parall.); Is 7,5; Ps 44,7-8; 109,1 adducuntur Mt 1,14; Hebr 1,8 et Mt 22,41-46 (loc. parall.). Praesertim probatur ex Is 9,5 et Ps 2,7 (Act 13,13; Hebr 1,5). Nomina quae in priore loco traduntur Messiae non nisi Deo convenire possunt, maxime *Deus fortis*, *El-gibbor*⁹⁷, nomen semper vere divinum; atque etiam alia, *admirabilis consiliarius* et *princeps pacis*, quae de nullo homine dicuntur, et *Pater futuri saeculi*, seu *Pater in aeternum* qui solus est Iahve. Ps 2,7 *Filius meus es tu*, quod iam ex natura rei, et ut dictum ab una persona alteri, non nisi proprio filio dici potest, neque alii dicitur unquam a Deo; *ego hodie genui te*, quod verbum generandi iterum uni personae dictum non nisi generationem proprie dictam denotat et bis tantum reperitur, hic et Prov 8,22-25. Id etiam traditur implicite Mich 5,1 et secundum lectionem probabiliorum Ps 109,3⁹⁸.

b) Descriptiones Sapientiae genitae in libris sapientialibus ut merae poeticae personificationes exponi nequeunt, sed ibi clara proponitur nota personalis Sapientiae, et quidem ut quid divinum, et a Deo distinctum atque ab eo procedens. Prov 8,22ss.9,1ss. *Dominus possedit me*, in hebr. *kanani, procreavit me, generatione possedit* (cf. Gen 4,1 nomen impositum Cain ab Eva), et quidem in aeternum; *ante colles ego parturiebar, cum eo eram cuncta componens*; dat vias et disciplinam hominibus; vocat eos et dat vitam. Eccli 24,5ss. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam... ego in altissimis habitavi... ab initio et ante saecula creata sum* (sc. ut Prov 8,22 *producta*) mysteriosam originem Sapientiae ut a Deo procedentis, et

⁹⁴ S. AUGUSTINUS, *De Trinitate* 1.3 c.11; ML 42,881; S. THOMAS, 1-2 q.151 a.2 et cetera; SUÁREZ, *De angelis* 1.6 c.20, ubi diligenter tota quae totius tractatur.

⁹⁵ HEINISCH, 1248ss.; LEBRETON, 111ss.

⁹⁶ V. inter plurima de hoc argumento praesertim HEINISCH, 383-385; A. VACCARI, *De Messia Filio Dei in V.T.*: VerbDom 15 (1935) 48-55,77-86.

⁹⁷ Hic locus nullo subterfugio eludi potest (VACCARI, l.c., 84).

⁹⁸ De Ps 2,7 et Ps 109,3, v. infra n.394 de generatione Filii.

ad divina perducentis multis metaphoris describit, quae limites personificationis excedunt. Sap 7,21-8,1,3 pulcherrime natura spiritualis et divina Sapientiae docetur, ut personae per se stantis a Deo emanatae, quae creat, regit, dat scientiam hominibus. *Omnium artifex est, spiritus intelligentiae, sanctus, incoquinatus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, vapor virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius, et cum sit una omnia potest, speciosior sole et luci comparata invenitur purior, attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter... omnium Dominus dilexit illam.* Quae quidem ea sunt, ut merito dictum sit ibi non deesse nisi explicite dicere *Deus erat Sapientia*, sicut Ioannes dixit *Deus erat Verbum*⁹⁹.

Haec si non solum in se ipsis considerentur, sed sub lumine unanimes traditionis Ecclesiae a saec.IV, ubi in disceptationibus cum arianis simpliciter ab omnibus ut clare dicta de Verbo intelliguntur, dici debet revera hunc esse sensum doctrinae his locis revelatae. Ideo Pius IX in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* de immaculata Conceptione B.M.V., iure simpliciter dicit: «Ipsissima verba quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant...»¹⁰⁰.

ARTICULUS III

MYSTERIUM SANCTISSIMAE TRINITATIS IN TRADITIONE

325. Ab initio saec.V perpetuam esse fidem Ecclesiae de Trinitate personarum in unitate naturae divinae res est adeo evidens, ut nemo eam in dubium vertere ausus sit: sufficit legere symbola et professiones fidei et Patres a S.AUGUSTINO et S.CYRILLO ALEXANDRINO. Quo iam dogmaticum habetur argumentum praescriptionis plus quam sufficiens de revelatione mysterii Sanctissimae Trinitatis, ob infallibilitatem Ecclesiae. Verum cum rationalistae recentiores multis impetant traditionem priorum saeculorum atque asserant non solum ante Concilium Nicaenum, sed etiam toto saeculo IV, doctrinam Ecclesiae non eam fuisse quam nunc catholica fides proficitur, opus est in re tanti momenti, quae dogma tangit fundamentale christianae religionis, vindicare perpetuam atque sinceram fuisse fidem Ecclesiae in Trinitatem.

Tribus thesibus id efficiemus. Prima positiva argumenta de fide antenicaena, altera difficultates quae contra eam obiciuntur, tertia tandem doctrinam Patrum saec.IV perpendemus.

⁹⁹ HEINISCH, 120. De locis ex libris sapientialibus, cf. maxime hunc auctorem 115-124; *Die personliche Weisheit des Alten Testaments in religionsgeschichtliche Bedeutung* (Münster 1923), et LEBRETON, 122-131; v. infra n.394-426.

¹⁰⁰ *Acta Pii IX* I, 600.

Thesis 27. Trinitas personarum in unitate divinae essentiae constat perpetua ac sincera Ecclesiae traditione ante Nicaenam Synodum.

FRANZELIN, th.8.10; GALTIER, 68-89; D'ALÉS, *De Deo trino* 58-74; LEBRETON, 2; TIXE-RONT, *Histoire des dogmes* v.1; ARNOU, *De Deo Trino* 78-102.

326. Status quaestionis. In *Concilio Nicaeno* a.325 damnatus est arianismus et editum est symbolum, in quo addita sunt symbolis antiquis ea quae ad consubstantialitatem Filii et ad eius generationem ex substantia Patris pertinent, anathematizatis modis loquendi arianorum (D 54). Quo facto in tuto collocata est doctrina trinitaria contra errores subordinatianos aliosque oppositos orthodoxiae. De Spiritu autem Sancto non erat controversia, ac posita vera divinitate Filii, nulla erat difficultas in admittenda tertia persona in divinis, cum Spiritus Sanctus, ut vidimus, tam clare quid divinum appareat in S.Scriptura; ideo cum ortus est macedonianismus statim reiectus est sub finem saec.IV. Praecipue igitur de traditione trium priorum Ecclesiae saeculorum agendum est.

327. Adversarii. In omnem partem sese verterunt *rationalistae*, ut originem dogmatis trinitarii alibi, praeter verum fontem revelationis, reperirent. Comparatistae historiographi omnes fere notas religiones, alias aliis coacte neglectis, appellarunt¹. Apotheosim Christi, sive ipsi cultui imperiali, sive praesertim syncretismo philosophico-religioso primaeva Ecclesiae aetate per romanum imperium grassanti, tribuunt².

Modernistae intimam fidei christianae evolutionem a Christo historiae puro homine ad Christum fidei, per theoriam transfigurationis et defigurationis vitae religiosae quae in homine Iesu se ostendebat, explicabant³.

Dogmatis historiographi scholae liberalis, ut HARNACK⁴, contendunt ante Concilium Nicaenum nullam exstitisse doctrinam definitam ac fixam in Ecclesia de Trinitate, sed mentes christianorum vagatas esse inter monarchianismum plus minus conscium et definitum, quem praesertim aiunt viguisse in Occidente—ita ut aliqui non vereantur asserere modalismum fuisse saec.III quasi doctrinam officialem in Ecclesia romana sub forma praesertim doctrinae de Trinitate *oeconomica*—, et subordinatianismum, quem po-

¹ Medio saec.XIX saepe in indica «trimurti», aut in triadis babilonicis aut aegyptiacis originem dogmatis trinitarii ponebant rationalistae; A.VICHEROT, *Histoire critique de l'école d'Alexandrie* (Paris 1846); H.RITTER, *Geschichte der Philosophie* (1865); H.HAVET, *Le christianisme et ses origines* (Paris 1878); adhuc S.REINICH, *Orpheus* (Paris 1909); J.FRAZER, *The Golden Bough* (London 1912).

² R.REITZENSTEIN, *Poimandres* (Leipzig 1904); F.PICAVET, *Hypostases plotiniennes et Trinité chrétienne* (Paris 1917-1919); A.NIELSEN, *Der dreieinige Gott in religionsgeschichtliche Bedeutung* (Berlin 1922), et passim historiae dogmatum rationalisticae.

³ Methodum criticam modernistarum vide apprimè descriptam in Encyclica Pascendi S.PII X (D 2072-2080 2097); eorum doctrinam de divinitate Christi apud PUIG DE LA BELLA-CASA, *o.c.*, 11-17.

⁴ A.HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*⁴ (Tübingen 1909) 1; LOOFS, KRÜGER, etc., in suis *Dogmengeschichte*.

tius tenebant Ecclesiae orientales, non tamen sine mixtione obscuri cuiusdam modalismi, et plures etiam scriptores occidentales, modo tamen vario ac parum definito. Tota doctrina trinitaria orta est in Christianismo ex diversis causis nullo modo religiosis, et contra mentem Iesu, partim ut formulis iudaicis novum quid opponerent⁵, partim ex multiplici influxu religionum et philosophiae ethnicae in periodo syncretismi. Inde paulatim facta est saec.II apotheosis Filii seu Verbi, cui saec.IV addita est divinatio Spiritus Sancti ut hypostasis distinctae.

328. Doctrina catholica. Haec gratuita prorsus asserta confutarunt iam ante sexdecim saecula Patres saec.IV, cum universalem et perpetuam fuisse traditionem priorem Ecclesiae conceptis verbis asseruerunt. Ita S.ATHANASIVS: «Videamus similiter hanc ab initio traditionem doctrinamque ac fidem catholicae Ecclesiae, quam sc. Dominus tradidit, apostoli praedicavere, et patres servavere... Itaque Trinitas sancta et perfecta est quae in Patre et Filio et Spiritu Sancto agnoscitur» (R 782). S.EPIPHANIUS: «Consubstantialiam esse confitentur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres hypostases, unam essentiam, unam divinitatem, quod quidem vera fides est quae a maioribus tradita est, et prophetica, et evangelica et apostolica est, quam professi sunt patres nostri et episcopi qui in Nicaena Synodo collecti sunt» (R 1107). S.AUGUSTINI locum (R 1650) supra tulimus. Theologi vero et catholici dogmatis historiographi, post diligens studium, critice erronea esse talia commenta ostendunt: «Huiusmodi hypothesis, ait Lebreton⁶, frangitur contactu antiquissimorum auctorum christianorum, librorum in primis N.T., sed etiam Patrum Apostolicorum».

Tenemus nempe Ecclesiam credidisse mysterium Sanctissimae Trinitatis secundum elementa essentialia, unum esse Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas re distinctas. Peculiariora testimonia de fide in unitatem Dei, quae in tractatu de Deo uno tacta est, occurrunt etiam in locis afferendis.

Valor theologicus. Thesis est *critice et historice certa omnino*; dogmatice saltem *theologicæ certa*.

329. Probatum 1. EX ARIANISMO EIUSQUE DAMNATIONE IN CONCILIO NICAENO.

a) Ex quo prodiit arianismus facta est commotio magna in Ecclesia, et ariani de nova blasphemia arguebantur. «Quis unquam talia audivit?» clamabat S.ALEXANDER ALEXANDRI-

⁵ Iure haec hypothesis dicta est «gratuita, inefficace et bizarra»; J.DE GHELLINCK in cursu lithographico *Histoire du dogme de la Trinité* 28.

⁶ *O.c.*, 2 intr.17. V. J.DANIÉLOU, *Trinité et Angéologie dans la Théologie judeo-chrétienne*: RechScRel 95 (1957) 5-41.

NUS⁷; et S.ATHANASIVS increpabat eos: «Vos vero, o novi Iudaei et Caiphae discipuli, quos Patres qui vestris oculis faverint exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis» (R 757). Revera patrociniū antiquitatis non ante a.350 quaerere coeperunt, ut ipse S.ATHANASIVS dicit⁸. Cum autem divinitatem Spiritus Sancti pneumatomachi negare coeperint, statim eos Athanasius atheos dicendos esse aiebat.

b) Ariani ex philosophia et ratione argumentabantur, et ex quibusdam locis Scripturae sensu perverso intellectis, quibus argutiis simplices ad se trahebant. Ideo conati sunt in ipso Concilio Nicaeno ne novae fidei formulae conficerentur quibus perspicue eorum insidiis obstaretur.

c) Ideo opus fuit addere antiquis symbolis particulas *consubstantialiam*, ὁμοούσιον et *ex substantia Patris*, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, quibus et *vera Filii divinitas* asserebatur, et propria ratio *generationis processionis illius, et unitas divinitatis in Patre et Filio ex generatione sine divisione substantiae*. Quo omnes arianorum suspiciones de ditheismo, de modalismo et de divisione substantiae divinae excludebantur⁹. Evidens est ergo sensus verbi *homousion* in Nicaeno, quod fuit, ut dicit S.ATHANASIVS, «stelographia contra omnes haereses»¹⁰, «quodque fides antiqua pepererat», ait S.AUGUSTINUS¹¹.

CONF. ex gnosticis et haereticis saec.II¹². Gnostici ut suos errores in Ecclesiam inducerent, Christum, aut Verbum, et Paraclitum superadnumeraverunt inter *eones* divini pleromatis; quo testes sunt et divinitatis Christi, et distinctionis a Deo Patre, quam tenebat fides Ecclesiae primaeva. Haeretici vero, praeter cerinthianos et ebionitas semi-iudaeos, tantopere divinitatem Christi agnitam a christianis viderunt, ut aut *doctae* negarent veram eius humanitatem, aut ut MARCION ipsum haberent Deum N.T. oppositum Deo V.T., aut ut *patrippassiani* et *modalistae* eum cum Patre confunderent. Quo facto iam NOVATIANUS pro fide Ecclesiae in Trinitatem arguebat¹³.

330. Probatum 2. TESTIMONIUM COMMUNIS FIDEI exhibetur:

a) In *liturgia baptismali*, tum ex forma «in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti», tum ex trina immersione ut testantur *Didache* (R 4), S.IUSTINUS (R 126), S.IRENAEUS¹⁴, unde arguunt TERTULLIANUS¹⁵, S.CYPRIANUS (R 596) et ORI-

⁷ *Epistola 2 ad omnes Episcopos* 4: MG 18,574.

⁸ *De sententia Dionysii* 1: MG 25,480. Ita etiam S.AMBROSIVS, *De Spiritu Sancto* c.7: ML 16,820, et THEODORETUS, *In 2 Cor* c.7: MG 83,420.

⁹ *De decretis Nicaenae Synodi* 19: MG 25,460.

¹⁰ *Ad Afros* 11: MG 26,1049.

¹¹ *Contra Maximinum* 2,14: ML 42,722.

¹² GALTIER, 74; in primis A.ORBÉ, o.c.

¹³ *De Trinitate* 23: ML 3,931-932.

¹⁴ *Epidexis* 3,7: RechScRel 6 (1916) 373.

¹⁵ *De baptismo* 5: ML 1,1314.

GENES¹⁶; in ea fideles aetate iam adulta videbant vitam religiosam initiari consecratione in tres personas¹⁷.

b) In *symbolo baptismali*¹⁸ et *regula fidei*, quae illud exponebat; quod referunt saepissime et explicant Patres, ut S. IRENAEUS (R 191), TERTULLIANUS qui illud opponit monarchianis (R 371), S. GREGORIUS THAUMATURGUS (R 611) etc.

c) In *oratione*, quae communissime quidem ad Patrem dirigitur (ut etiam nunc in usu liturgico), sed inseparabiliter fere a Filio et Spiritu Sancto; hoc facto NOVATIANUS¹⁹ probabat Trinitatem, cum praesertim Filius invocaretur non solum ut mediator, sacerdos aeternus, sed etiam ut Dominus, magister et Salvator.

Verum deferebantur etiam orationes directe ad Christum, ut testantur ipsi ethnici: PLINIUS in epistola ad Traianum «quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo dicere quasi Deo»²⁰; LUCIANUS, qui irridet christianos quod «sophistam illum suum crucifixum adorent»²¹; CELSUS conqueritur de christianis quod adeo monotheismum profiteantur, cum hominem quem eius Filium dicunt etiam adorent, cui ORIGENES respondet: «Si Celso perspectum fuisset illud: Ego et Pater unum sumus, et aliud quod Filius Dei dixit: Sicut ego et tu unum sumus, non sibi induxisset in animum alium a nobis coli quam summum Deum»²². Exemplo sunt *Hymnus vespertinus graecorum*, Φῶς ἰλαρόν (R 108), et oratio CLEMENTIS ALEXANDRINI (R 414).

d) Peculiari modo in *doxologiis*, quae cultum latreuticum exprimunt, et in quibus pluribus formulis habetur expressa fides in Christum Deum et in totam sanctam Trinitatem. Ita in martyrio POLYCARPI (R 80), in *actis SS. Perpetuae et Felicitatis*²³, in celebratione Eucharistiae, ut testatur S. IUSTINUS²⁴, in benedictionibus, secundum regulam S. HIPPOLYTI²⁵, apud

¹⁶ De principiis 1,3,2: MG 11,147.

¹⁷ Momentum liturgiae baptismalis in fide primaevae christianae aetatis v. apud LEBRETON, 138-140.

¹⁸ Symbolum dictum apostolicum ortum videtur ex fusione duplicis primaevi symboli trinitarii et christologici, Romae elaborata sub finem saec. II. De hac origine quae recentior investigata sunt reperies apud P. BATIFFOL-A. VACANT, *Apôtres (Symbol des)*: DTC 1,1660-1680; E. VACANDAR, ib.: DAFIC 1,274-279; H. LITZMANN, *Symbolstudien*: ZNeutWiss 21-26 (1921-1927); J. DE GHELLINGCK, *L'histoire du Symbole des Apôtres*: RechScRel 18 (1928) 11885; *Les origines du symbole des Apôtres après cinq siècles de recherches*: NouvRevTh 67 (1945) 186-201; *Les recherches sur l'origine du symbole des Apôtres*: Muss. Less. sect. hist. n.6 (Bruxelles 1949); J. LEBRETON, *Les origines du symbole baptismal*: RechScRel 20 (1930) 9785; J. RUIZ GOYO, *Los orígenes del Símbolo apostólico*: EstEcl 13 (1934) 316-337.

¹⁹ De Trinitate 14: ML 3,909.

²⁰ Epist. X 96,7.

²¹ Peregrinus 11,13.

²² Contra Celsum 8,12,14: MG 11,1533-1536.

²³ ML 3,60-62.

²⁴ Apologia prima 65: MG 6,427.

²⁵ CONNOLLY: Journal of Theol. Stud. 24,144-146; Texts and Studies VIII 4,154.

ORIGENEM saepe et S. DIONYSIUM ALEXANDRINUM²⁶ et frequenter in praedicatione homiletica; eratque in usu in remota antiquitate utraque doxologia, maior «Gloria in excelsis» et minor, duplici forma: «Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto» et «Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto», et quidem, ut notavit S. BASILIUS²⁷, haec postrema expressio antiquior fuit.

Id argumentum liturgicum pro communi fide iam ipse S. BASILIUS proponebat contra pneumatomachos: «Ut baptizamus ita et credimus, ut credimus ita et glorificamus... Spiritum Sanctum una cum Patre et Filio glorificantes, eo quod persuasum sit nobis illum a divina natura non esse alienum; neque enim eorumdem honorum esset particeps, quod alienum foret secundum naturam»²⁸.

331. Probatur 3. EX AUCTORITATE ECCLESIAE CONTRA HAERETICOS.

Monarchianos et sabellianos damnaverunt Romani Pontifices SS. VICTOR, ZEPHYRINUS et CALLISTUS, qui praeterea etiam caverunt ne eorum impugnatores in oppositum extremum devenirent, ut patet ex his quae refert HIPPOLYTUS²⁹, ZEPHYRINUS enim profitebatur unum Deum, Christum Deum, at Patrem non esse mortuum; CALLISTUS vero Patrem et Filium unum esse Deum, sed non unam personam. *Concilium Antiochenum* damnavit PAULUM SAMOSATENUM a.260³⁰. Praesertim S. DIONYSIUS ROMANUS PONTIFEX in causa S. DIONYSII ALEXANDRINI³¹ dilucide omnes errores anti-trinitarios damnavit, ac doctrinam de Trinitate optime proposuit (D 48-51).

332. Probatur 4. EX TESTIMONIIS SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

Omnes fere scriptores ante-nicaeni testes sunt praeclari fidei trinitariae, quam plures scientificè exponunt ac defendunt adversus ethnicos et haereticos illius temporis. In eorum scriptis, praeter assertiones communis doctrinae, haec notari

²⁶ «Deo autem Patri et Filio Domino nostro Iesu Christo cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen» (MG 32,202).

²⁷ De Spiritu Sancto 29,71: MG 32,199.

²⁸ Epist. 159: MG 32,619. De his, cf. LEBRETON n.A 618-630.

²⁹ *Philosophumena* 9: MG 16,3379-3386. Haec novimus ex una narratione Hippolyti aestu passionis plena in Zephyrinum et Callistum. Dubitari itaque potest an verba fideliter descripta sint; sed quidquid est, etiam permisso tenore verborum, sensus planus et orthodoxus indubius est. Cf. de tota hac re FRANZELIN, th.10 p.134-135.143; GALTIER, 80-81; D'ALÈS, *La Théologie de Saint Hippolyte* (Paris 1906) 10-12; B. CAPPELLE, *Le cas du Pape Zéphyrin*: RevBen (1926) 321-330; H. DIECKMANN, *Lehrscheidungen römischer Bischöfe nach Hippolyt*: ZkathTh 48 (1924); 320-322; K. PREYSING, *Echtheit und Bedeutung der dogmatischen Erklärung Zephyrins*: ibid., 52 (1928) 225-230; P. RICHARD, *Fils de Dieu*: DTC 5,2429.

³⁰ HEFELÉ-LECLERCQ, *Histoire des Conciles* 1,1055 et opera relata n.289 LOOFS et BARDY; v. etiam GALTIER, *Ὁ ἡμοούσιος de Paul de Samosate*: RechScRel 2 (1922) 30-45; H. DE RIEDMATTEN, *Les Actes du procès de Paul de Samosate* (Fribourg 1952).

³¹ Causae huius historiam novimus ex S. ATHANASIO, *De sententia Dionysii*: MG 25, 479ss, et *De decretis Nicaenae Synodi*: DTC 15,1645-1649.

debent: tenent firmissime *unicitatem Dei*; *personarum distinctionem*, quam adversus oppositos modalismi errores firmare debebant, substantialiter *ex sola processione* derivant, ac praecipua *arianismi capita* iam in antecessum refellunt. Pauca quaedam afferemus testimonia.

Cum de fide trinitaria priorum Ecclesiae scriptorum agitur, oblivioni dandum non est eos habere in manibus Sacram Scripturam, ubi vivide expressam reperiebant doctrinam revelatam, ita ut vix indigerent novo modo eam exprimere, paucis illis scriptis quae servata sunt, nisi cum occasione errorum qui exoriebantur opus erat revelationis verum sensum defendere ac intellectualiter elaborare.

S.CLEMENS ROMANUS: «Vivit Deus, et vivit Dominus Iesus Christus, et Spiritus Sanctus, fides et spes electorum» (R 28), quae est formula iuramenti et obsecrationis ex V.T. ³² S.IGNATIUS: «Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus in morte vita vera, ex Maria et ex Deo... Dominus noster Iesus Christus» (R 39); «Deus noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei, ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto» (R 42).

S. Ignatius testis est praeclarissimus divinitatis Christi, ita ut mirum videatur hac de re a quibusdam criticis dubitatum esse; adeo enim in ea insistit, ut potius aliis criticis visus sit Episcopus Antiochenus monarchianismo praelusisse ³³; verum, ut iure dicit LEBRETON ³⁴, in locutionibus S. Ignatii nihil est nisi consubstantialitas.

ARISTIDES (R 112) trium personarum divinitatem exprimit. S.IUSTINUS personarum distinctionem ac divinitatem, et generationem Verbi sine abscissione declarat (R 117 137); de Filio haec tradit: «Qui Filium Patrem esse dicunt, hi arguuntur quod nec Patrem sciunt, nec Filium esse universorum Patri agnoscant. Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est» (R 127). ATHENAGORAS: «Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant?» (R 164). THEOPHILUS ANTIOCHENUS primum nomen τριός adhibuit: «Tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, τῆς τριάδος, Dei, eius Verbi, eiusque Sapientiae» (R 180); «Verbum semper existens et in corde Dei insitum... cum Deus sit et ex Deo genitum...» (R 182) ³⁵.

³² Momentum et characterem huius testimonii, v. apud LEBRETON, 249-250.277-280; cf. R 23.

³³ LEBRETON, 296-313.

³⁴ «Du II^e siècle au IV^e la langue théologique a changé, mais la pensée est la même» (*ibid.*, 311); cf. S.EMERI, *Il Logos nel pensiero dei Padri Apostolici*: Studia patavina I (1954) 401-424.

³⁵ De apologistis v. TIXERONT, 245-248; P.RICHARD, *Fils de Dieu*: DTC 5.2414-2417.

S.IRENAEUS insignis est in doctrina Trinitatis exponenda ³⁶; reicit suspectas theorias de *prolatione Verbi*, defendit *aeternam eius generationem* ac de *Spiritu Sancto* eadem expresse docet quae Patres saec.IV (R 191 200 235 etc.); «Hic Pater Domini nostri Iesu Christi per Verbum suum qui est Filius eius... Semper autem coexistens Filius Patri...» (R 205); «Unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnes, et per omnes et in omnibus. Super omnes quidem Pater et ipse est caput Christi; per omnes autem Verbum et ipse est caput Ecclesiae; in omnibus autem nobis Spiritus et ipse est aqua viva» (R 256).

333. TERTULLIANUS *technicismum latinum* fere praeformavit, licet non perfectum: nomen *Trinitatis* et *personae*; *unitatem substantiae*; *consubstantialia*; tres sunt *unum, non unus*; nam sunt alius et alius, non separati *ob processionem*, non *diversitate* nec *divisione*, sed *distributione* et *distinctione*; Pater et Verbum sunt *unus ambo*. In *Apologetico*: «Hunc [Filius] ex Deo prolatum dicimus et *prolatione generatum*, et ideo *Filium Dei* et *Deum* dictum, ex *unitate substantiae*... Ita et quod de Deo profectum est, Deus est et Dei Filius et *unus ambo*» (R 277). *Adversus Praxeam*: «Quasi non sic quoque unus sint omnia [Pater, Filius et Spiritus Sanctus], dum *unum* sint omnia, per *substantiae* sc. *unitatem*..., tres autem non statu sed gradu, nec *substantia* sed *forma*, nec *potestate* sed *specie*, *unius* autem *substantiae* et *unius* status et *unius* potestatis, quia *unus Deus*, ex quo et gradus isti et *formae* et *species* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur» (R 371); «Quaecumque ergo *substantia* Sermonis fuit illam dico *personam* et illi nomen Filii vindico» (R 374); «Ecce enim dico *alium* esse *Patrem* et *alium Filium* et *alium Spiritum Sanctum*... non tamen *diversitate* *alium Filium* a *Patre* sed *distributione*, nec *diversitate* *alium* sed *distinctione*... Sic et *Pater* alius a *Filio*... dum *alium qui generat*, *alium qui generatur*» (R 376); «*Qui tres unum sunt, non unus*, quomodo dictum est: *Ego et Pater unum sumus*, ad *substantiae unitatem*, non ad *numeri singularitatem*» (R 378).

S.HYPPOLYTUS eadem profert: «Deus solus cum esset... ipse *solus multus erat*... Eorum autem quae facta sunt *ducem*, *consiliarium*, *operarium* generabat Verbum» (R 391). «Atque ita *astitit ei alius*. Cum *alium* dico, *non duos deos* dico; sed *tamquam lumen ex lumine*, et *aquam ex fonte*, aut *radium a*

³⁶ Cf. LEBRETON, 614; totum studium de S.Irenaeo 517-614 fructuose leges; v. etiam TH.RÜSCH, *Die Entstehung der Lehre vom Heiligen Geist bei Ignatius v. Antiochia, Theophilus v. Antiochia u. Irenäus* v. Lyon (Zürich 1952); J.MAMBRINE, «Les deux mains de Dieu dans l'oeuvre de saint Irenée: NouvRevTh 79 (1957) 335-370.

sole» (R 392). «Huius Verbum solum ex ipso; ideo et Deus, substantia cum sit Dei» (R 398). «Christus est Deus super omnia» (R 399).

NOVATIANUS: «Non sic de substantia corporis ipsius [Christi] exprimimus, ut solum et tantum hominem illum dicamus, sed ut divinitate Sermonis in ipsa concretionem permixta, etiam Deum illum secundum Scripturas teneamus» (R 605). «Urgendo illos [haereticos] uti Christum hominis filium hominem, intelligant quoque Dei Filium, et hominem Dei Filium, id est Dei Verbum (sicut scriptum est) Deum accipiant» (R 606). «Hic [Spiritus Sanctus] ... semen quoddam divini generis» (R 607). *Generatione et processione conciliat unitatem Dei cum pluritate personarum: «Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens post Patrem, qua Filius, sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus. Si enim natus non fuisset, innatus comparatus cum eo qui est innatus, aequatione in utroque ostensa, duos faceret innatos, et ideo duos faceret deos»* (R 608).

334. CLEMENS ALEXANDRINUS: «Ambo [Deus et Verbum] unum sunt, nempe Deus» (R 409); «Cum dicit quod erat ab initio generationem tangit sine principio Filii cum Patre simul exstantis... Verbum enim (hoc est Filius) quod secundum aequalitatem substantiae unum cum Patre consistit, sempiternum est et infectum» (R 442).

ORIGENES terminologiam graecam de Trinitate magna ex parte definivit, expositionem orditur a praedicatione apostolica (R 445), et quae postea ariani docuerunt magna vi reicit, eaque S.ATHANASIUS (R 757) contra eos affert³⁷: «Non enim dicimus, sicut haeretici putant, partem aliquam substantiae Dei in Filium versam, aut ex nullis substantibus Filium procreatum a Patre, id est extra substantiam suam, ut fuerit aliquando quando non fuerit... supra omne autem tempus, et supra omnia saecula et supra omnem aeternitatem intelligenda sunt quae de Patre et Filio et Spiritu Sancto dicuntur» (R 470). «Deum Patrem non ita dixit esse unum Deum, ut Deus Filius non credatur... Unus autem uterque est Deus, quia non est aliud Filio divinitatis initium quam Pater, ipsius unius paterni fontis, sicut Sapientia dicit, purissima est manatio Filius. Est ergo Christus Deus super omnia... Non enim post Patrem est ipse, sed de Patre. Hoc idem autem Sapientia Dei etiam de Spiritu Sancto intelligi dedit... Evidenter ostenditur naturam Trinitatis et substantiam unam esse, quae est super omnia» (R 502). «Illa enim natura [divina] soli sibi cognita

³⁷ PRAT, *Origène* (Paris 1907) 29-67.

est. Solus enim Pater novit Filium et solus Filius novit Patrem, et solus Spiritus Sanctus perscrutatur etiam alta Dei»³⁸. *Consubstantiale* indicat: «Sic et Sapientia ex eo [Deo] procedens ex ipsa substantia Dei generatur. Sic nihilominus et secundum similitudinem corporalis aporrhoeae esse dicitur aporrhoea gloriae omnipotentis pura quaedam et sincera. Quae utraeque similitudines manifestissime ostendunt communionem substantiae esse Filio cum Patre. Aporrhoea enim hominibus videtur, id est unius substantiae cum illo corpore ex quo est aporrhoea vel vapor» (R 540).

335. Praeclaras mysterii expositiones tradunt discipuli Origenis ADAMANTIUS³⁹: «Deum unum... esse credo; Deumque Verbum, qui ex eo natus est eique est consubstantialis... Credo etiam Spiritui Sancto, qui semper est» (R 541); THEOGNOSTUS: «Non enim extrinsecus adinventum est Filii substantia, neque ex nihilo educta, sed ex Patris substantia nata est... Neque rursus aliquid est alienum, sed est aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen ut nullam divisionem eadem Patris substantia sit perpessa» (R 545); S.DIONYSIUS ALEXANDRINUS: «Numquam fuit quando Deus non erat Pater... Cum Filius sit splendor lucis aeternae, et ipse omnino aeternus est... Nam si genitor est, et Filius... Atqui ambo sunt, et semper sunt... Sic Pater et Filius unum sunt» (R 609 610); praesertim S.GREGORIUS THAUMATURGUS: «Unus Deus, Pater Verbi viventis, perfectus perfecti genitor, Pater Filii Unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri Dei... aeternus ex aeterno. Et unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit hominibus... Trinitas perfecta, gloria et aeternitate et regno non divisa, neque abalienata. Neque creatum quid aut serviens in Trinitate neque superinductum, quasi antea non fuisset et postea supervenisset. Neque ita defuit unquam Filio Patri, neque Filio Spiritus; sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper» (R 611).

Clara est ergo et sine ambagine professio fidei trinitariae in omnibus scriptoribus antenicaenis, cum testes agunt doctrinae Ecclesiae, quod iis praecipuum munus est⁴⁰.

Thesis 28. Sincerae et universali Ecclesiae Traditioni non obstant quae ex quibusdam ante-nicaenis scriptoribus obiciuntur.

FRANZELIN, th.11; GALTIER, 90-112; D'ALÈS, 75-100; LEBRETON, II; TIXERONT, v.I, 244-257.303-310.390-403; ARNOU, *De Deo Trino* 102-111.

336. Nexus. Haec thesis non est nisi solutio difficultatum quae superiori opponuntur ex modis loquendi et theoriis propositis ab aliquibus auctoribus antenicaenis de re trinitaria.

³⁸ *De principiis* 4,35: MG II,409.

³⁹ Recentius tenet B.ALTANER (*Patrologie* 180), Adamantium non esse discipulum Origenis.

⁴⁰ Cf. quae de apologistis notat LEBRETON, 395-404. V. etiam ARNOU, 92-102; GALTIER, 90-99.

Difficultates ad duo capita reduci possunt.

i. Adsunt in pluribus ex iis scriptoribus *modi loquendi* qui *subordinatianismum* redolent, quibusque ariani et semiariani abusi sunt.

a) Patrem dicunt *superiorem* Filio et Spiritu Sancto, qui *secundo et tertio* loco coluntur. S.IUSTINUS: «Iesum Christum... veri Dei Filium esse edocti, et ipsum secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine...» (R 117). TERTULLIANUS: «Sic et Pater alius a Filio, dum Filio maior... dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo» (R 374 376). Ita saepe ORIGENES et alii.

b) TERTULLIANUS Verbum vocat *derivationem* aut *portionem* totius: «Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio» (R 376).

c) ORIGENES vocat Patrem τὸν θεόν, Filium vero θεόν sine articulo, secundum Deum, δεύτερον θεόν, ut etiam alii.

d) Generationem Verbi *voluntariam* dicunt. TATIANUS: «Voluntate simplicitatis eius prosilit Verbum» (R 153). NOVATIANUS: «Hic ergo quando Pater voluit, processit ex Patre» (R 608).

e) Filius *ministravit* Patri in creatione, eiusque voluntati obsecutus est. THEOPHILUS ANTIOCHENUS: «Hoc Verbo usus est administro operum suorum» (R 179). HIPPOLYTUS: «Iubente Patre fieri mundum singula Verbum perficiebat placens Deo» (R 398). ORIGENES: «Verbum autem ut ei iussum fuerat fecisse omnia» (R 518).

337. 2. Cum expositionem dogmatis tradunt, *theorias* proferunt, quae *subordinatianismo*, vel etiam *modalismo*, infectae videntur.

a) *Generationem* Verbi explicant in ordine ad creationem mundi. Distinguere enim videntur *Verbum internum* (insitum aliqui vocant) in mente ipsius Dei, et *Verbum prolatum* ad modum sermonis externi; hancque prolationem generationem, vel perfectam generationem, vocant. Ita apologetae saec.II, ut THEOPHILUS: «Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum, genuit illud cum sua sapientia proferens ante omnia» (R 179); et theologi saec.III ut TERTULLIANUS: «Haec est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit. Conditus ab eo primo ad cogitatum in nomine sophiae... dehinc generatus ad effectum» (R 373).

b) Theologi occidentales, TERTULLIANUS, HIPPOLYTUS et NOVATIANUS vocant Trinitatem «*oekonomiam*, dispensationem, dispositionem, monarchiae administrationem» (R 371 377), quam quidem notionem monarchianis opponunt, verum ea est quae non satis teneat personalitatem Verbi et Spiritus Sancti, aut subordinatianismo indulgeat, quatenus participationem tantum divinitatis iis concedat.

c) *Theophanias* V.T. communiter ad Filium referunt, quod *Pater invisibilis* sit ratione immensitatis, *Filius* vero *visibilis* secundum operationem propriam. THEOPHILUS: «Verbum... assumens Patris et Domini universorum personam veniebat in paradysum sub persona Dei et cum Adamo conversabat» (R 182). TERTULLIANUS: «Filius visibilis est ante carnem, eo modo quo dicit ad Aaron et Mariam»¹.

d) ORIGENES Filio *non plenam simplicitatem* tribuere videtur, quia ideas continet rerum creandarum², ac *minore scientiam* quam Pater habet³.

¹ *Adversus Praxeam* 14: ML 2,170.

² *In Ioannem* 2,12: MG 14,56.

³ *De principiis* 4,35: MG 11,410.

operationem Filii et Spiritus Sancti arctioribus limitibus circumscribit: «minoris Filii quam Patris, attingens tantum rationalia, adhuc minoris Spiritus Sancti solos sanctos agniti»⁴; proprie *solum Patrem orandum* dicit: «non oportere orare genitum... sed solum Patrem quem ipse orabat»⁵.

338. *Sententiae*. *Rationalistis* haec indicio sunt labilis et confusae mentis christianae prioribus saeculis de Trinitate; ad normam enim harum expositionum, quas coniunctissimas censent syncretismo philosophico-religioso illius temporis, interpretantur testimonia fidei christianae in probatione adducta, quae revera illis nullius momenti sunt.

Catholici theologi et historiae dogmatis scriptores haec consecretaria, ut patet, reiciunt, ac statuunt, quidquid est de imperfecto loquendi et speculandi modo de Trinitate, fidem Ecclesiae sinceramque eius traditionem non labefactari. Imo neque ipsis auctoribus qui vitiis huiusmodi infecti sint, negandam esse substantialiter rectam dogmatis professionem.

Verum in iudicio de iis scriptoribus formando satis variant catholici interpretes. Sunt enim qui eos revera *subordinatianismo infectos* dicant, eorumque doctrinas contrarias esse dogmati trinitario⁶. Verum alii arbitrantur has theorias et modos loquendi, utcumque imperfectas, benigniorem fere postulare interpretationem⁷.

Quam caute in doctrina trinitaria ante-nicaenorum perpendenda procedi debeat, ostendunt non tantum diversa iudicia a diversis criticis prolata, sed vel maxime diversa ab uno eodumque auctore diversis temporibus dicta, ac mitigationes iudicii prius expositi in successiva rei tractatione. Qua in re exemplo praestit Petavius, qui libro I de Trinitate acerbissima censura omnes fere ante-nicaenos notaverat; at operi praefixit praefationem postea scriptam, in qua omnia fere quae damnaverat ad imperfectam loquendi rationem ducit⁸. Similem sententiam mutationem videmus apud Tixeront, qui

⁴ *De principiis* 1,35: MG 11,150.

⁵ *De oratione* 15,1: MG 11,464.

⁶ Ita post PETAVIUM, *De Trinitate* 1.1 in corpore libri, HUET, *Origeniana* (de Origene): MG 17,709-796; NEWMAN, *The arians of the fourth century* (1833); J.SCHWANE, *Dogmengeschichte* 1 p.; L.DUCHESNE, *Les témoins antenicéens du dogme de la Trinité* (Amiens 1833); O.BARDENHEWER, *Geschichte des altkirchliche Literatur*² (Freiburg 1913) 1 et 2; A.FEDER, *Justins des Martyrs Lehre vom Jesus Christus* (Freiburg 1906); J.PFAETISCH, *Der Einfluss Platons auf die Theologie Justins des Martyrs* (Paderborn); A.d'ALÈS, *Prima lineamenta tractatus dogmatici de Deo Trino* (Paris 1934) 75-100, qui tamen in peculiari scriptis *Théologie de Tertullien, Théologie de St.Hippolyte, Novatien*, mitius de his iudicium protulerat, etc.

⁷ G.BULL., *Defensio fidei Nicaenae* (Oxford 1685), contra Petavius; BOSSUET, *Advertisements aux protestants* (ed.Paris 1827) v.358; P.MARAN, *S.Iustini et aliorum PP. opera*: MG 6,2388; BALTUS, *Défense des saints Pères accusés de platonisme* (Paris 1711); FRANZELIN, th.11; PRAT, *Origène* (Paris 1906); LEBRETON, II de scriptoribus saec.II; GALTIER, 101-117; TIXERONT, cit. ed.7 1,244-254,303-310,390-403, cf. alios infra citandos, cf. PETAVIUS in praefatione.

⁸ De quo v. GALTIER, *Petau et la préface de son De Trinitate*: RechScRel 21 (1931) 462-476; LEBRETON, 14-18. Ideo plurimum auctororum, recentiorum praesertim, iudicia minus definita sunt, et sat frequenter attenuationibus pluribus mitigata; ut J.RIVIÈRE, *S.Justin et les apologistes du II siècle* (Paris 1907); FREPPEL, *Tertullien* (Paris 1864), *Clément d'Alexandrie* (1865), *Origène* (1868); J.STIER, *Die Gottes und Logoslehre Tertullians* (1893); PH.MONCEAUX, *Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne* 1,18088; A.PUECH, *Les apologistes grecs*; P.RICHARD, *Fils de Dieu*: DTC 5,2418-2443; G.BARDY, *Trinité*: DTC 15,1616-1645; R.ARNOUT, *De Deo Trino* 102-111; cf. articulos DTC de singulis scriptoribus antenicaenis; A.ORBE, o.c., J.DANIÉLOU, *Message évangélique et Culture hellénistique* (Tournai 1961).

ab editione 7.^a operis *Histoire des dogmes* omnes auctores ab errore defendit, quos antea impugnaverat.

Alteri sententiae adhaerendum videtur⁹; thesim autem duabus propositionibus distinguimus:

A. LICET VERUM ESSET ALIQUOS EX IIS AUCTORIBUS ERASSE IN EXPLICANDO ET DEFENDENDO DOGMATE DE SANCTISSIMA TRINITATE, NULLUM INDE DETRIMENTUM PASSA EST FIDES ECCLESIAE.

B. OMNES FERÉ TUM MODI LOQUENDI, TUM THEORIAE DE TRINITATE EO TEMPORE A CATHOLICIS PROPOSITAE, ETSI NON PERFECTE EAM DECLARENT, AB ERRORE IMMUNES VIDENTUR.

Valor theologicus. Prima pars *historice et theologice certa* est; altera *probabilior*.

339. Probatur prima pars. 1. Fides Ecclesiae primaevae non iis solis auctoribus, neque iis primario, constat. Ii enim de quibus dubitari potest non fuerunt Patres Ecclesiae proprie dicti, imo plures alias haeretici aut schismatici sunt, ut Tatianus, Tertullianus, Hippolytus, Novatianus, et forte Origenes. Imo suspiciones adversus eorum doctrinas eo tempore exortae sunt, quo facto firmatur sincera Ecclesiae fides. Ita S.IRENAEUS apologistarum theorias de prolatione Verbi reprehendere videtur. Tertullianus et Origenes satis indicant non omnia a se dicta probari. Hippolytus ipse refert Pontifices ZEPHYRINUM et CALLISTUM de quodam ditheismo eum accusasse.

2. Ex principiis catholicis certum est in Ecclesia inerranti semper distinctam exstitisse catholicam intelligentiam dogmatis adeo principalis, saltem secundum essentialia elementa, veram unicam Dei, realem personarum distinctionem, earumque veram divinitatem¹⁰.

3. Ipsi auctores potuerunt sincere omnino profiteri fidem de Sanctissima Trinitate, eamque substantialiter recte intelligere, ac simul tradere explicationes et speculationes circa illam, quae logice non satis cum illa stare viderentur. Id quidem alias quoque accidit. Verum non possunt errores iis adscribi, qui ipsam mysterii substantiam immediate negarent.

340. Probatur secunda pars. 1. *Modi loquendi* horum auctorum in se inspecti declarari *possunt* ut formulae forte minus aptae ad *ordinem originis* inter personas divinas declarandum, aut *metaphorice* intelligendae. Imo nisi quid aliunde

⁹ FRANZELIN, GALTIER, l.c.

¹⁰ Ita FRANZELIN, th.10 p.146-149; quae omnino tenenda videntur; ideoque admitti non posse putamus quae contra disserit A.AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la filosofía y del dogma* (s.a.) t.5 c.8 p.317-326.

obstet, ita declarari *debent*, posita mira firmitate qua simul iidem auctores tradunt fidem universae Ecclesiae; cum praesertim in re altissima omnes fere modi loquendi de se imperfecti sint; quare donec termini quidam praefixi fuerunt, non potuit exigi ab iis scriptoribus ut ea cautione loquerentur, quae postea stabilita est¹¹.

Nulla ergo iure ariani et semi-ariani vere subordinatiani his priorum locutionibus abutebantur¹². Hoc tamen abusu explicantur acerbiora iudicia in aliquos ante-nicaenos praesertim in ORIGENEM ab aliquibus Patribus, ut S.HIERONYMO¹³ et S.EPIPHANIO¹⁴, prolata, aliis, ut S.ATHANASIO¹⁵, eos defendentibus. Exemplo potest esse casus S.DIONYSII ALEXANDRINI in usu vocis *ποίημα* agendo de Verbo, quam quidem se non adhibuisse dicit in sua defensione, sed posse defendi¹⁶.

Percurramus modos loquendi supra notatos:

a) Verbum coli secundo loco, aut esse secundum a Patre, potest dici simpliciter *ex ordine in loquendo necessario* adhibendo.

b) Patrem maiorem aut superiorem Filio meram *originis prioritatem* significare potest, hancque rationem loquendi adhibent etiam Patres saec.IV¹⁷.

c) Ipsa TERTULLIANI vox *derivatio* originem sonat, eodemque sensu adhibita dicenda est vox *portio* singulari prorsus illius auctoris terminologia.

d) Quod Pater dicatur ab ORIGENE ὁ θεός, aut αὐτόθεος, Filius vero θεός aptum est ad designandam Patris *innascibilitatem*; ipsumque *secundum Deum*, δεύτερος θεός, apud auctores stricte monotheistas non alium designare potest nisi *secundum habentem divinitatem*.

e) Voluntaria generatio Verbi dici potest, non quia libere, sed quia *non coacte*, sed propensissima voluntate a Patre gignitur, ut etiam Patres saec.IV saepe dicebant¹⁸.

f) Denique Verbum ministrasse Patri atque eius voluntati obsecundasse in creatione *metaphora* est a S.IRENAEO¹⁹ usurpata ac declarata; Verbum enim cum sit *idea Patris*, qui per ipsum omnia fecit, eius quasi minister et consiliarius dicitur.

341. 2. In *theoriis* apologetarum saec.II et theologorum saec.III diiudicandis, in primis notandum est eos non philosophos agere, licet philosophi fuerint, sed apologetas ac dogmatis expositores ac defensores adversus ethnicos et haereticos modalistas, aut Sacrae Scripturae interpretes. Illae vero theoriae, utcumque similitudinem prae se ferant cum syn-

¹¹ Cf. PETAVIUM in praefatione.

¹² GALTIER, 113-115.

¹³ *Ad Avitum epist.* 124: ML 42,1059-1072; *Apologia contra Rufinum*: ML 33,397-402.

¹⁴ *Panarion haer.* 64: MG 41,1068-1200.

¹⁵ *De decretis Nicaenae Synodi* 27: MG 25,465, et alias.

¹⁶ Cf. S.ATHANASIVM, *De sententia Dionysii* 20-21: MG 25,509-512.

¹⁷ Patres saec.IV, ut th.26 notatum est, saepe de Christo secundum divinitatem intelligunt dicitur: *Pater maior me est*.

¹⁸ Ita S.ATHANASIVM, *Contra arianos* 3,66: MG 26,462.

¹⁹ *Contra haereses* 4,7: MG 7,993.

cretismo ethnico illius temporis, revera doctrinam continent toto caelo diversam²⁰.

His positis:

a) *Generatio Verbi* veluti *temporalis* in ordine ad creationem mundi, ita ex mente antenicaenorum declarari potest, duplici comparatione adhibita, et cum *verbo mentali* et *orali*, et cum *humana generatione*, cuius duplex est momentum, *conceptio* et *nativitas*; idque afferunt ut Scripturam explicent, et ut Verbi divini subsistentem personalitatem asserant, nempe non esse quid accidentale aut flatum vocis.

Et quidem Verbum insitum et Verbum prolatitum *non distinguuntur*, ac si prior esset cognitio Patris, et solum Verbum prolatitum esset persona generata. Nam satis patere videtur haec non esse nisi *duos status* unius eiusdemque Verbi; nam Patrem dicunt *numquam fuisse sine Verbo*, quod in suis visceribus ab aeterno consiliarium habuit²¹; et *aeternitatem generationis Verbi* ab illis dissertissime traditam vidimus; quare evidentiter loquuntur de Verbo etiam pro priori stadio ut de aliquo *distincto* ac *vere generato*.

Ideo nomine generationis duo valde diversa designare videntur, et *aeternam generationem Verbi* ad modum conceptionis, et *eius manifestationem temporalem* in ordine ad creationem mundi ad modum nativitatis, prout creatio in Scripturis dicitur facta per Verbum et per ipsum praeparata: *quando praeparabat caelos aderam...* Prov 8²².

Neque obstat quod haec temporalis generatio dicatur *perfecta* quodammodo in oppositione ad priorem, aut quod praecipue de ea loquantur; hoc enim *ex duplici comparatione* dicta oriri potest: cum verbo humano, quod propria non est perfectum nisi cum externe profertur, et cum generatione humana, quae in externa nativitate perficitur; quare, si, ut constat ex Scripturis, Verbum est genitum ut Verbum, dici potest plene generari cum ad extra profertur.

Ergo quae expresse docent hi auctores de generatione Verbi saepe *non directe* et *expresse* attingunt aeternam processionem ac vitam internam Dei, etsi eam praesupponunt (aut etiam affirmant), sed eius manifestationem temporalem et quasi missionem²³.

342. b) Ita explicatur *oeconomia* in Trinitate²⁴. Haec vox apud TERTULLIANUM sonat quamdam dispensationem vel communicationem unitatis, quae *unitatem non dividit*, sed *disponit* in Trinitatem; hoc sensu eam vocem aeternae generationi aptare potest. Verum plene ac perfecte non nisi in eius manifestatione consistit; estque veluti *distributiva manifestatio activitatis divinae ad extra secundum characteres personales uniuscuiusque personae*,

²⁰ In diversis iudiciis de iisdem scriptoribus antenicaenis prolatis influit saepe, quod alii eos potius ut philosophos ac philosophiae coeavae revera cedentes tractant; dum alii existimant omnino aequitas theoriarum eorum philosophicas vix esse nisi «vestem» qua doctrinam fidei suis aequalibus praebant. En quae recte adnotat LEBRETON de S. Iustino: «les spéculations philosophiques dont il se sert ne sont que le vêtement de sa foi, elles n'en sont pas l'ame. Une étude attentive de sa théologie nous le fera bientôt constater» (o.c., 429).

²¹ THEOPHILUS, *Ad Autolyicum* 2,10,22 (R 179 182); HIPPOLYTUS (R 398); cf. GALTIER, 108,108 bis; ARNOU, 105.

²² TERTULLIANUS, *Adversus Praxeam* 7 (R 373).

²³ FRANZELIN, 166-168; GALTIER, 108,104, ubi notat Hippolyto generationem esse «osten sionem».

²⁴ Vox ista οκονομία, quae saepe applicatur a Patribus mysterio Incarnationis, de Trinitate dicitur primo a TATIANO, ac frequenter a TERTULLIANO, qui ei servat formam graecam (R 375S), HIPPOLYTO et NOVATIANO qui dispensationem eam vertit; postea disparet; v. D'ALÈS, *Novatien* 115 n.2; *De Deo trino* 89-94; GALTIER, 107 n.1; W.BENDER, *Die Lehre über den heiligen Geist bei Tertullian* (München 1961); B.PIAULT, *Tertullien a-t-il été subordinatien?* *RevScPhTh* 47 (1963) 181-204; H.WEYER, *Novatianus. De Trinitate, über den dreifaltigen Gott* (Düsseldorf 1962).

inter quas habetur hierarchia et ordo originis. Quare potius his doctrinis innui videtur quaedam forma missionis vel attributionis cuiusdam diversae modalitatis in actionibus ad extra, quae perfectiori modo a Patribus graecis posterioribus exculta est, vel etiam appropriationis. Hic etiam apparet cur generationem Verbi *voluntariam* dicant; et eo quod Verbum voluntatem creandi habet acceptam a Patre per generationem, dici potest ab ipso mandari, ipsunque obedire²⁵.

c) Simili quodam modo explicari potest doctrina de *Theophaniis* Verbo adscriptis. Non enim dicunt Verbum visibilem nisi secundum humanam naturam assumptam, vel secundum *formas quibus apparebat* ut missum a Patre et nobis se et Patrem *revelans*, quod *munus* est veluti *proprium Verbi* ut manifestativi; ideoque putant de facto in praesenti providentia non apparere nisi personam missam²⁶.

343. d) ORIGENIS theoriae certe difficiles sunt²⁷. Tamen etiam omnia querela de interpolationibus in suis operibus ab haereticis factis, ac posito neque illum mere philosophum agere, plura eaque difficiliora probabilem expositionem admittere videntur. *Minor simplicitas* Filio adscripta ut ideas Patris complectenti metaphorica videtur; id vero in quo fundatur appropriativum est. Pius ab ipso dicta de Filio homine intelligi possunt, ut quae de *minore eius scientia* tradit. Alia ad appropriationes referri possunt, ut quae de *operationis divinae distributione* inter divinas personas disserit²⁸; vel ad expositionem usus liturgici, ut theoria de *oratione*²⁹. Tandem in illo iudicando regula S.ATHANASII aequo iure attendi debet: in laborioso Origene distinguendum est id quod dicit disputans et inquirens, et id quod dicit fidenter affirmans et definiens³⁰.

N.B. Quae maxime reicienda in iis auctoribus primo obtutu videri possunt, aequius esse iudicanda, et accuratiore et prudenti inquisitione bono sensu accipi, illustrari potest duobus miris dictis S.HIPPOLYTI: «Verbum Filium vocavit, quia futurum erat ut ortum acciperet... Neque enim Verbum sine carne et per se perfectum erat Filius, licet fuerit perfectum Verbum, unigenitus» (R 393). Nempe, dicit Hippolytus: «Et cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines, τὸ κοινὸν ὄνομα τῆς εἰς ἀνθρώπους φιλοστοργίας, accepit» (ibid.)³¹. Nomen igitur Filii sensum humanum habet, Et alibi: «Nam si deum te voluisset facere poterat; habes Verbi exemplum» (R 398). Verum sequitur: «hominem volens hominem te fecit; sin vero vis et deus fieri, obedi ei qui te fecit...» «Quaeri enim potest num hoc exemplum ducatur ex mera Verbi qua Verbi generatione, an potius ex Incarnatione, in qua homo sua ad Verbum adsumptione factus est Deus... In subsequentibus enim late agitur de illo homine quem Verbum assumpsit et gestavit»³².

²⁵ GALTIER, 112.

²⁶ GALTIER, 111, cum n.2.

²⁷ Quot fuerint, et sint, controversiae circa doctrinam Origenis notum est; cf. PRAT, *Origène* 9-63, 188-213. Eius opera modo fragmentario et versionibus non semper fidelibus ad nos pervenerunt; ideo accuratum de eo iudicium ferre laboriosum valde est.

²⁸ PRAT, o.c., 64.

²⁹ PRAT, 60; ARNOU, 106-108; GALTIER, 111; LEBRETON, *Le désaccord de la foi populaire et de la théologie savante dans l'Eglise chrétienne du III^e siècle*: *RevHistEcl* 20 (1924) 19-33.

³⁰ *De decretis Nicaenae Synodi* 27: MG 25,466; cf. TIXERONT, 304-310; BARDY, *Origène*: DTC 11,1518S; P.NEMESHEGYI, *Le Dieu d'Origène et le Dieu de l'A.T.*: *NouvRevTh* 80 (1958) 495-509; *La paternité de Dieu chez Origène* (Paris 1960); E.POLLEND, *Logos and Son in Origène, Arius and Athanasius*: T.u.U. 64 (1957) 282-294.

³¹ Cf. B.CAPALLE, *Le Logos Fils de Dieu dans la Théologie d'Hippolyte*: *RechThAncMed* 9 (1937) 109-124.

³² GALTIER, 104 n.1.

Thesis 29. Sincera prorsus et catholica est sententia Patrum saec.IV de consubstantialitate Trinitatis.

FRANZELIN, th. 9; GALTIER, 118-160; TIXERONT, 2,67-89; ARNOU, 112-129.

344. **Nexus.** Vindicanda tandem est sincera fides trinitaria Patrum saec.IV adversus suspensiones rationalistarum.

Status quaestionis. Damnato arianismo ac definita consubstantialitate Filii Dei in Concilio Nicaeno (325), incipit paulo post magnus motus *anti-nicaenus*, qui et arianismum redivivum et *semi-arianismum* parit, ac toto fere saec.IV Ecclesiam perturbat¹; magnam quidem partem ob arianorum perfidiam imperatorum Constantii et Valentis auxilio fretam; sed etiam ob difficultatem in mysterii ulteriore intelligentia et in terminologia de Trinitate adhibenda. Arianis strictioribus (*anomaeis* dictis, quia dicebant Verbum esse Patri dissimile) EUSEBIO NICOMEDIENSI, AETIO, EUNOMIO, adiuncti sunt in oppugnando homoúsio, *homaeani* (Verbum simile Patri), et *semi-ariani*, qui *homoúision* (consimilem seu omnino similem) dicebant Filium Patri. Ex his quidam erant vere subordinatiani, ut EUSEBIUS CAESARIENSIS et BASILIUS ANCYRANUS, atque ex hac parte orti sunt *pneumatomachi*; verum plures alii, saltem post medium saec.IV, non nisi de voce litigare videntur, commoti nimis obiurgationibus adversariorum, ac metuentes periculum sabellianismi in homoúsio, qui revera revixit in PHOTINO eiusque asseclis.

Plures synodi hoc tempore coactae sunt, ac multa nova symbola proposita; unde confusio potius oriebatur. SS.ATHANASIVS et HILARIUS ex exilio reduces morte Constantii (362), ut pacem in Ecclesia constituerent et homoesusianos reducerent toti incubuerunt. Tunc florere coeperunt PATRES CAPPADOCES, eorumque opera, sicut et priorum, haeresis macedoniana expugnata est, et doctrina trinitaria nova luce perfusa in Oriente, quod in Occidente S.AMBROSIVS et S.DAMASUS in Conciliis romanis etiam praestiterunt; donec a.381 *Concilium Constantinopolitanum I* damnavit pneumatomachos et iterum consubstantialitatem Verbi adseruit.

Quaeritur ergo quaenam revera fuerit toto hoc tempore mens Patrum Ecclesiae de *consubstantialitate* divinarum personarum, quam totis viribus propugnabant. Respondemus cum omnibus catholicis, omnes orthodoxos eam intellexisse de consubstantialitate stricte dicta, unius numero divinitatis.

¹ X.LE BACHELET, *Arianisme, II La réaction anti-nicéenne*: DTC 1,1779-1830; Cyrille de Jérusalem (Saint): DTC 3,2527-2577; GALTIER, 120-122; J.LEBON, *Saint Cyrille de Hiérusalem et l'arianisme*: RevHistEcl 20 (1924) 181-210,357-384.

345. **Notio consubstantialitatis.** Consubstantialitas denotat communionem seu unitatem substantiae et essentiae eorum quae alias realiter distincta sunt. In creatis consubstantialitas nequit esse nisi *specificata*, nam singula individua habent propriam naturam seu substantiam realiter distinctam ab aliis; ideo consubstantialitas eorum minus proprie dicta est, unitas enim et communitas substantiae est tantum rationis. At in divinis consubstantialitas non potest esse mere *specificata*, ob unicatem naturae divinae; ideo consubstantialitas divinarum personarum est earum unitas realis in natura, ac proinde ut magis stricta retinet simpliciter nomen *consubstantialitatis*².

Graece consubstantiale dicitur *ὁμοούσιον* et sub hac ratione definita est divinitas Filii contra arianos in *Concilio Nicaeno*. Vox *ὁμοούσιον* dicitur communionem *οὐσίας* seu essentiae, ac strictim sumpta significat, ut latinum consubstantiale, unitatem naturae divinae in Patre et Filio realiter distinctis. Atque hic est sensus plenus et perspicuus definitionis Nicaenae, ut constat ex controversia cum arianis, et ex historia definitionis, quam describit S.ATHANASIVS³. Agebatur enim de firmanda in professione fidei vera Filii divinitate contra verusitas haereticorum, qui in antiquis formulis suos errores inducebant; quare quaesitum est vocabulum, quod clare et sine ambagine errori viam praecluderet.

Haec autem vox iam antea adhibita erat in divinis declarandis, licet non semper uno eodemque sensu, propter diversa philosophorum placita de essentia et de communionem seu unitate plurium in una ratione⁴. Ab gnosticis et neoplatonicis usurpata, sensum quemdam parum definitum induerit *derivationis* aut participationis naturae divinae in eonibus et entibus quae inter Deum et creatas res fingeantur, at in his speculationibus conceptus divinitatis a veritate aberrabat. Id tamen usui fuit christianis orthodoxis, quod consubstantiale alteri diceretur id *quod a Deo procedens eandem naturam cum eo haberet*, modo simili ac filius in humanis communionem naturae habet cum generante; cum e contra res creatae diversam habent substantiam ac Creator⁵. Idcirco Verbum dictum est iam ante

² H.QUILLIET, *Consubstantialité*: DTC 3,1604-1615; FRANZELIN, th.8 ad fin., th.9; GALTIER, 118-123.

³ In operibus *De decretis Nicaenae Synodi*: MG 25,415ss; *Epistola ad Afros*: MG 26, 1029ss, etc. Auctor adhibenda formulae *ὁμοούσιον* sat probabiliter habetur OSTIUS episcopus Cordubensis, qui Concilio praefuit, ut innuere videtur Athanasius; cf. G.BARDY, *Trinité, Le concile de Nicée*: DTC 15,1654-1657; QUILLIET, l.c., 1609-1611; DALMAU, *Les formules dogmatiques à Nicée*: AnalSacTarrac 2 (1926) 336-342. F.CAVALLERA, *Saint Athanase* (Paris 1908) 167-188; HEFELE-LECLERQ, *Histoire des Conciles* t.I c.2,431ss; L.BOUYER, *Omoúsios. Sa signification historique dans les symboles de foi*: RevScPhTh (1941) 52-62.

⁴ Sensus vocis *ὁμοούσιον* investigat F.LOOFS, *Das Nicaenum, Festgabe für Karl Müller* (Tübingen 1922) 69-71; cf. QUILLIET, l.c., 1605-1607; BARDY, *Paul de Samosate* (Louvain 1929) 326-328; I.ORTIZ DE URBINA, *El símbolo de Nicée* (Madrid 1947); L.MENDIZÁBAL, *El homoúsios preñico extraeclesidístico*: EstEcl 30 (1956) 147-196.

⁵ In Ecclesia latina adhibebatur *consubstantiale* saltem medio saec.III (ut constare videtur ex casu Dionysii) ex Tertulliano derivatum; in Oriente reperitur apud Origenem eiusque discipulos (v. supra n.334s), idque clare confirmat EUSEBIUS, *Epistola ad Caesarienses*: MG 20,1541; cf. QUILLIET, l.c., 1610-1613; BARDY, o.c., 328-332; DALMAU, l.c., 344ss.

Nicaenum ὁμοούσιον, consubstantiale Deo; idque expresse negavit ARIUS⁶. Hic autem sensus, ut declarat S.ATHANASIVS, retentus est etiam in definitione Nicaena, in qua vera Filii generatio, quam reiciebat Arius, atque ex hac vera eius divinitas stabilita est, cum symbolo additum est «natum ex Patre, id est ex substantia Patris», ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς. Quare Filius est consubstantialis Patri eo quod ab illo ad intra procedit et generatur. Ac notari potest in modo loquendi Patrum dici consubstantialem alicui personam ab illo procedentem, non vice-versa.

Postea applicatum est vocabulum consubstantiale Spiritui Sancto⁷; ac tres personae divinae simpliciter dictae sunt consubstantiales⁸.

Medio saec.IV dictum est ὁμοούσιον reiectum esse in Concilio Antiocheno a.269 contra PAULUM SAMOSATENUM. Inde plura quaesita sunt de sensu sabelliano, quo forte haec vox adhibita sit a Samosateni, ut postea a Photino et aliis. Res tamen adhuc sat obscura manet⁹.

346. Adversarii. Rationalistae plures, ducibus ZAHN et HARNACK¹⁰, Patribus saec.IV imputant novam de consubstantialitate explicationem, quam *neo-nicaenismi* nomine decorant. His auctoribus quo sensu intellectum sit verbum *homouision* in Concilio Nicaeno est valde obscurum¹¹; etsi revera conceptus Verbi consubstantialis immanentis in unico Deo (in oppositione ad conceptum oeconomicum), licet ob eius absurditatem non nisi paulatim in Ecclesia receptus sit, videtur ab aliquibus vere acceptus, praesertim ab occidentalibus. Ita in lucta quae post Concilium exarsit, qui *paleonicaeni* ab ipsis vocantur, homouision defendunt sensu identitatis numericae naturae divinae in Patre et Filio; ita SS.ATHANASIVS et HILARIUS ante medium saec.IV.

Verum paulo post in controversiis cum semi-arianis oritur inter orthodoxos nova quaedam interpretatio consubstantialitatis, quae revera intelligit eam sensu cuiusdam *homoeusianismi*, nempe de *consubstantialitate mere specifica*, aut quasi specifica: en neo-nicaenismum. Huius motus prodromi fuerunt, licet non satis consci, ipsi ATHANASIVS et HILARIUS. Qui vero eam no-

⁶ In Thalia apud S.ATHANASIVM, *De synodis* 15; MG 26,705-708.

⁷ QUILLIET, 1613-1615.

⁸ Ita iam in Concilio Constantinopolitano a.382; cf. Toletanum XI (D 276).

⁹ Multi de hac re egerunt, quos recenset BARDY, *Paul de Samosate* 325; v. ipsum, 333-351; GALTIER, *L' ὁμοούσιος de Paul de Samosate*: *RechScRel* 12 (1922) 30-45; recenter PRESTIGE, o.c., edit.2.^a (1952) 204, ex opere cit. RIEDMATTEN, negat damnationem, asseritque nullum esse s.III testimonium sensus sabelliani in voce *homouision*; J.DALMAU, *El homoeusios en el Concilio de Antioquia de 268*: *MiscComillas* 34-35 (1960) 324-340.

¹⁰ TH.ZAHN, *Marcellus von Ancyra* (Gotha 1867); A.HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*⁴ (Tübingen 1910) 2,184.260-275; F.LOOFS, *Der authentische Sinn des nizanischen Symbols* (Leipzig 1905); *Das Nicaenum* (Tübingen 1922); *Leitfaden der Dogmengeschichte* (Halle 1906); SEEBERG, *Lehrbuch der Dogmengeschichte* (Leipzig 1907) 2,248s; GWATKIN, *Studies of Arianism* (Cambridge 1900) 274-260; J.GUMMERUS, *Die homousianische Partei bis zum Tode des Konstantins* (Leipzig 1900); J.TURMEL sub fucato nomine COULANGE, *Métamorphose du consubstantiel*: *RevHistLittRel* (1922) 168-214, etc.

¹¹ LOOFS, *Das Nicaenum* 82 audent dicere Concilium consulto elegisse terminum prorsus ambiguum: «Was also ist der ursprüngliche Sinn des Nicänums?—Ein absichtlich vieldeutiger»; H.KRAFT, «Ὁμοούσιος»: *ZeitKirchS* IV, 66 (1955) 1-24; G.KRETSCHMER, *Studien zur frühchristlichen Trinitätstheologie* (Tübingen 1955).

tionem omni vi defenderunt, ac omnibus tandem, brevi tamen tempore, in Oriente imposuerunt, fuerunt Patres Cappadoces, maxime SS.BASILIVS et GREGORIVS NYSSENUS, formula praesertim de *una essentia et tribus hypostasibus, μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις*; ita ut hoc sensu in Concilio Constantinopolitano *homouision* intellectum esse videatur. Verum interea mens latina, absurdus iam assueti, ad classicum consubstantialitatis conceptum omnium mentes convertit, ut a S.AUGUSTINO propositus est.

Absurda haec theoria nova non est. Iam saec.XVII ab aliquibus anglicanis (CUDWORTH, CLERICUS) proposita et a FAYDIT et abbate STÜRMER admissa, reiecta est a WIRCEBURGENSIBUS¹², et saec.XIX a GÜNTHER excitata, nervose et solide a FRANZELIN confecta¹³. Ei consentiunt, ut patet, catholici recentiores scriptores¹⁴.

Valor theologicus. Thesis est *historice et dogmatice* prorsus certa.

347. Probatur thesis. Ad probandam sinceritatem traditionis postnicaenae saec.IV tria statuimus, quae superabundant patent¹⁵.

I. CONSUBSANTIALITAS PATRIS ET FILII INTELLECTA EST AB OMNIBUS DE UNITATE NUMERICA (ut scholastici loquuntur) SEU SINGULARITATIS NATURAE DIVINAE IN DUABUS PERSONIS REALITER DISTINCTIS, NON DE UNITATE UNIVERSALITATIS, AUT QUASI-UNIVERSALITATIS SUBORDINATIONAE.

Hoc, quod ex natura rei patet, omnes enim Patres erant stricte monotheistae, nec admittebant deos inferiores, neque aliud quid simile, et ex historia synodi nicaenae apprime constat, probatur speciatim ex SS.ATHANASIO et HILARIO, qui expressis verbis omnes suspensiones excludunt¹⁶.

S.ATHANASIVS saepius, ut alii Patres postea, ad consubstantialitatem designandam verbo *identitatis essentiae* vel divinitatis ταυτότης τῆς οὐσίας usus est. Filii enim non solum

¹² WIRCEBURGENSES (KILBER), *De Deo uno et trino* 357.

¹³ Th.9.

¹⁴ F.CAVALLERA, *Le schisme d'Antioche* (Paris 1905) 300-323; O.BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* (Freiburg 1912) 3 c.2; TIXERONT, 2,818s; G.RASNEUR, *L'homoeusianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie*: *RevHistEcl* 4 (1903) 180-206; GALTIER, 125-158; ARNOU, *De Deo trino* 112-129; BARDY, *Trinité*: DTC 1659-1681; J.LEBON, *Le sort du consubstantiel nicéen*: *RevHistEcl* 47 (1952) 428-529,48 (1953) 632-682, etc. Etiam anglicanus J.BETHUNE-BAKER, *The meaning of 'homoeousios' in the «Constantinopolitan» Creed, Texts and Studies VII* 1 (Cambridge 1901); G.PRESTIGE, *God in patristic Thought* (London 1936), de quo A.SEGOVIA, *El pensamiento trinitario de los Padres, a propósito de un libro reciente*: *ArchTG* 1 (1930) 129-151.

¹⁵ Probationem v. abunde et accurate propositam a GALTIER, 125-158. De S.Cyrillo Hierosolymitano v. J.LEBON, *La position de Saint Cyrille de Jérusalem dans les luttes provoquées par l'arianisme*: *RevHistEcl* 20 (1924) 180-210, 357-386. De S.Gregorio Nazianceno J.PLAGNIEUX, *S.Grégoire de Naziance théologien* (Paris 1952).

¹⁶ GALTIER, 132-151; RASNEUR, LEBON, l.c.

similis est Patri, sed *idem et inseparabilis ab illius essentia, quae quidem sine compositione est*, et ideo Filius est alius a Patre sine divisione; nam generatio divina non implicat essentiae divisionem nec separationem. Ideo non inducuntur duo dii, cum *forma et divinitas Patris hoc ipsum sit quod est Filius*, et «ipse et Pater unum sunt *eadem et una divinitate*»; alioquin complures dii inducerentur, si extranea, ξένης, excogitaretur divinitas, praeter Patris divinitatem» (R 768 769)¹⁷.

348. S.HILARIUS iisdem formulis utitur, et eodem modo corrigit comparisonem cum generatione humana, nam in divinis *non est transfusio unius in alium*, sed *unitas eiusdem in utroque naturae*: «Nativitatis hoc est sacramentum ut Pater et Filius in unitate naturae sint», non est mysterium quo «dividatur spiritus», Dei substantia; Deus Pater in Filio est, quia *quod ipse est id etiam per nativitatem in Deum natum est* 18 (cf. R 866). «Cum idcirco Deus unus sit (cum et Pater Deus sit, et Filius Deus sit) quia innascibilitas sola penes unum est. Filius autem idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus existit» (R 880).

Ideo cum de *reconciliandis homoeusianis orthodoxis*, qui vindicabant Filio divinitatem proprie dictam, et querebantur de homoúsio ob possibilem sensum sabellianum, permittit ATHANASIUS ut omittant homoúision, dummodo admittant *ex substantia Patris*, quia *ὁμοιούσιον, aequale omnino aequalitate unius naturae*, simul cum *ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς* idem est atque catholicum homoúision. Et S.HILARIUS recipit *ὁμοούσιον* si ad unitatem substantiae referatur; «sit una substantia ex naturae genitae proprietate, quae non sit «aut ex portione [divisione], aut ex unione [unitate personali sabelliano sensu], aut ex communionem [naturae distinctae logice communi]» (R 881).

349. 2. CONTRA PNEUMATOMACHOS PROPUGNATA EST VERA DIVINITAS SPIRITUS SANCTI EIUSQUE CONSUBSTANTIALITAS CUM PATRE ET FILIO; QUO TOTA DE SANCTISSIMA TRINITATE DOCTRINA PLENIS DECLARATA EST.

Ex quo pneumatomachi prodierunt, statim oppugnati sunt a S.ATHANASIO, et postea a PATRIBUS CAPPADOCIBUS, DIDYMO aliisque propriis tractatibus, ubi copiose Spiritus Sancti divinitas probatur ex Scripturis, et maxime ex opere sanctifica-

¹⁷ L. ATZBERGER, *Die Logoslehre des hl. Athanasius* (München 1880); LE BACHELET, *Athanasius (Saint)*: DIC 1,2171-2173; A. BECK, *Die Trinitätslehre des hl. Athanasius* (Mainz 1903); CAVALLERA, *Saint Athanasie* (Paris 1908); E. WEIGL, *Untersuchungen zu Christologie des hl. Athanasius* (Paderborn 1914); CH. HAURET, *Comment le défenseur de Nicée a compris le dogme de Nicée?* (Bruges 1936).

¹⁸ De Trinitate 7,28; 8,52-54: ML 10,221.276-277; cf. S. PALUMBO, *Unità e distinzione in Dio secondo S. Hilario de Poitiers* (Napoli 1940); P. SMULDERS, *La doctrine trinitaire de St. Hiltaire de Poitiers*: AnalGreg 32 (Roma 1944).

tionis quod ei tribuitur; quibus statuunt eius absolutissimam naturae similitudinem et aequalitatem cum duabus aliis personis, et consubstantialitatem et essentiae communionem cum illis¹⁹.

Hac occasione indivisionem et unitatem totius Trinitatis egregie exponunt. Ita S.ATHANASIUS, qui haec habet: «*Indivisa namque est Trinitas*, et una eius divinitas, et unus Deus super omnia, per omnia et in omnibus» (R 782 784). S.BASILIIUS: «*Itaque operationis identitas in Patre et Filio et Spiritu Sancto perspicue ostendit absolutissimam naturae similitudinem*. Quare etiamsi divinitatis nomen naturam indicet, proprie tamen appellationem illam *Sancto quoque Spiritui aptari essentiae communio demonstrat*» (R 920). «*Ut omnino unitas servetur in unius deitatis confessione*» (R 926). S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «*Individua in dividuis*, ut uno verbo dicam, est divinitas» (R 996 997). S.GREGORIUS NYSSENUS: Spiritus Sanctus «*nec intervallo, nec naturae alietate a Patre vel Unigenito separatur*» (R 1040), et utitur iisdem loquendi modis athanasianis unitatis deitatis, naturae et essentiae.

Id etiam clare patet ex *documentis Ecclesiae contra macedonianos*: anathematismis S.DAMASI (D 61 74 78 82) susceptis in Concilio Constantinopolitano, et *Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano*²⁰, in quo retento homoúsio de Filio, addita sunt quae ad divinitatem Spiritus Sancti pertinent: vox *Dominum*, nomen divinum Christi, *ex Patre procedentem* contra pneumatomachos, qui dicebant Spiritum Sanctum creatum per Filium, «cum Patre et Filio *coadorandum et conglorificandum*» (D 85); tandem *Concilium Constantinopolitanum* a.382 loquitur de Trinitate consubstantiali.

350. 3. FORMULA UNA ESSENTIA, TRES HYPOSTASES, μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις, INTELLECTA EST DE VERA UNITATE SINGULARITATIS NATURAE DIVINAE, NON DE MERA UNITATE SPECIFICA, AUT QUASI-SPECIFICA SENSU HOMOEUSIANO HETERODOXO.

Formula «tres hypostases»²¹ proposita est ab ORIGENE, et

¹⁹ S.ATHANASIUS, *Epistolae IV ad Serapionem*: MG 25,529SS (R 777 784); S.BASILIIUS, *De Spiritu Sancto*: MG 32,67-218 (R 934 954); S.GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio 31, theologica 5*: MG 36,153-172; S.GREGORIUS NYSSENUS, pluribus operibus: MG 45,1SS; DIDYMUS, *De Trinitate, De Spiritu Sancto*: MG 39,269-992.1034-1086 (R 1064 1076); v. A.PALMIERI, *Esprit Saint, La Divinité*: DTC 5,717-750; TH.SCHERMANN, *Die Gottheit des hl. Geistes nach der griechischen Vätern des IV Jahrhunderts* (Freiburg 1901); BARDY, *Didyme l'aveugle* (Paris 1910).

²⁰ Dubitatum est an Concilium Constantinopolitanum I ediderit hoc symbolum; saltem a tempore Concilii Chalcedonensis secundae oecumenicae Synodi tribuitur et est in usu Ecclesiae universae; cf. J.LEBON, *Les anciens symbols dans la définition de Chalcedoine*: Rev HistEcll 32 (1936) 809-877.

²¹ S.GONZÁLEZ, *La fórmula μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις en San Gregorio de Nisa*: AnalGreg 21 (Roma 1939); *Introducción 1. Evolución histórica de la fórmula 1-9*; GALTIER, 143-147. Omnes fere auctores relati de hac formula agunt.

DIONYSIO ALEXANDRINO contra sabellianos, qui vel confunde-
bant tres personas, vel propriam personalitatem Verbi et Spi-
ritus Sancti negabant. Sed ea abusi sunt ariani; semi-ariani
eam opponebant homoúsio; ac pluribus difficilis erat, prae-
sertim latinis, qui hypostasim vertebant *substantiam*, quo no-
mine essentiam significabant. Medio saec.IV iterum in Orien-
te propugnata est, ut occurreretur periculo intelligendi homoúsio
sensu sabelliano, ut a Photino et Appollinari intellectum
est. Cumque multum de illa formula disceptaretur, in *Conci-
lio Alexandrino* a.362²², interrogati homoesuiani orthodoxi quo
sensu illam intelligerent, dixerunt se eam proferre ut pro-
fiterentur *Trinitatem non nomine tenus, sed vere subsistentem*,
nullo tamen modo se tolerare tres deos, *sed unam divinitatem*
unumque principatum; ii vero qui de una hypostasi loque-
bantur volebant significare in Deo *unam indivisam essentiam*
esse admittendam. Quare damnatis iterum sabellianis et ari-
anis, utraque formula permissa est.

Constat ergo formulam «una ousia, tres hypostases» intel-
lectam esse in Ecclesia de vera individuali unitate divinae natu-
rae indivisae, non de mera unitate specifica. Nam *ousia* huius
formulae aequivalebat sensu *hypostasi* alterius; iam hypostasis
nunquam designavit substantiam secundam, abstractione tan-
tum unam, sed solam *substantiam primam* singularem.

Postea vero, opera praecipue Patrum Cappadocum, inva-
luit in Oriente, et tandem etiam in Occidente, formula de tri-
bus hypostasibus, quae revera optima est, et quidem eodem
sensu, ut patet ex eorum doctrina²³.

351. S.BASILIIUS explicite *excludit consubstantialitatem mere
quasi specificam*: ait enim «ne insanis quidem» in mentem venire
posse «Deum velut communitatem quamdam, ratione sola intel-
ligibilem, quae in subiecta dividatur» ut «homo dividitur
in Petrum, Paulum et Ioannem»²⁴. «Ne scindaris in multitu-
dinem deorum, unam in utroque essentiam confitere. Unus
Deus et Pater, unus Deus et Filius, non dii duo, cum Filii
identitatem ταυτότητα habeat cum Patre...» (R 970). «Sed
cum essentiam unam dico, cave intelligas duo ex uno divisa...
At identitas essentia est ταυτότης τῆς οὐσίας» (R 971). Adeo
est Basilio una et simplicissima essentia tribus communis ut
ne mente quidem possit in illa discerni distinctio: «Noli velut
unius rei indivisae partes, tres animo tibi fingere»²⁵. Imo cla-

²² LE BACHELET, *Arianisme*: DTC 1,1832-1834.

²³ K.HOLL, *Amphilochium vom Ikonium in seine Verhältnis zu den grossen Kappadoziern* (Tübingen 1904).

²⁴ *De Spiritu Sancto* 17,45: MG 32,144.

²⁵ *Homilia contra Sabellianos et Arianos* 4-5: MG 31,609.

rius quam antea propositum fuerit distinguit duas personas
ex una proprietate geniti et ingeniti²⁶.

S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Deum cum dico uno lumine
perstringimini ac trino: trino quidem quantum ad proprietates
sive hypostases... sive personas, uno quantum ad substantiae
sive divinitatis rationem... Distinguitur enim indistinctum, ut
sic loquar, et distinctis connectitur. Unum enim in tribus
divinitas est, et *tria unum*, ea inquam in quibus divinitas est,
vel ut magis proprie dicam *quae divinitas est*» (R 1008)²⁷.

S.GREGORIUS NYSSENUS dicit mysterii profunditatem esse
«quomodo idem et sit numeratum et numerationem fugiat,
... et distinguatur hypostasi et non separetur subiecto» (R 1029).
«Naturam absque varietate profitentes, non negabimus causae
et causati discrimen, in quo solo alterum ab altero distingui
apprehendimus» (R 1038), «cum natura divina simplex et im-
mutabilis respuat omnem quoad essentiam distinctionem, ita
ut sit una, non admittit in se ullam pluralitatis significationem»,
quasi «divisione essentiae subiectorum»²⁸.

352. Obiectiones, seu fundamenta theoriae neo-nicaenismi.

1. In genere arguunt saec.IV viguisse magnam idearum confusionem
circa Trinitatem, ut probant luctae quae contra Concilium Nicaenum secu-
tae sunt.

Potius historice constat illas luctas arguere quidam partim difficultatem
technicis in re difficillima ex se, et quae difficilior fieri poterat, tum ex
diversis doctrinis philosophicis, tum ex insidiis arianorum (haec tamen non
una nec praecipua fuit radix controversiae); sed nullo modo vacillasse no-
tionem mysterii, sed e contra esse valde claram. Id notant Patres, ut HILA-
RIUS (R 881) et GREGORIUS NAZIANCENUS (R 1008).

Praecipua confusio fuit in diversis acceptionibus terminorum *ousia*,
hypostasis et *prosopon* apud orientales²⁹. *Ousia*³⁰ significabat, vel substan-
tiam secundam, communem et universalem, vel substantiam primam indi-
vidualem; quare optima erat ad denotandam *naturam divinam communem
simul et singularem*. Verum aliquibus sonabat quid non subsistens, cum

²⁶ *Epistola* 38,4: MG 32,332; cf. infra c.3,5. NAGER, *Die Trinitätslehre des hl. Basilios des Grossen* (Paderborn 1912); L.LOHN, *Doctrina S.Basilii de processionibus divinis*: Greg 10 (1929) 492-500; A.GRANDSIRE, *Nature et hypostases divines dans St.Basile*: RechScRel 13 (1923) 130-152; LEBON, o.c.

²⁷ J.HERGENRÖTHER, *Die Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit nach der hl.Gregor von Nazianz* (Regensburg 1850).

²⁸ Ad Ablabium: MG 45,133. Cf. F.DIEKAMP, *Die Gotteslehre des hl.Gregor von Nyssa* (Münster 1896); S.GONZÁLEZ, o.c., 31-33,47-70, etc.; G.ISAYE, *L'unité de l'opération dans les écrits trinitaires de St.Grégoire de Nyssa*: RechScRel 27 (1937) 422-439; M.GOMES DE CASTRO, *Die Trinitätslehre des hl.Gregor von Nyssa* (Freiburg 1938); E.HAMMERSCHMIDT, *Die Begriffs-entwicklung in der altkirchlichen Theologie*: TheolRev 51 (1955) 145-154.

²⁹ R.ARNOUT, *Unité numérique et unité de nature chez les Pères après le Concile de Nicée*: Greg 15 (1934) 242-254; L.MARTÍNEZ GÓMEZ, *El problema de la unidad y trinidad divina en los Padres*: EstEcl 20 (1946) 347-398; A.SEGOVIA, *Equivalencia de fórmulas en las sistematizaciones trinitarias griega y latina*: EstEcl 21 (1947) 435-454; Th.DE REGNON, *Études de Théologie positive sur la Sainte Trinité* (Paris 1892) 1,129-163,242-254; J.TIXERONT, *Mélanges de Patrologie et d'Histoire des dogmes* (Paris 1921) 210-227; M.SCHMAUS, *Die Psychologische Trinitätslehre des hl.Augustinus* (Münster 1927) 10-22.

³⁰ C.PASSAGLIA, *De ecclesiastica significatione τῆς οὐσίας* (Roma 1850) theor.1; PETAVIUS, *De Trinitate* 1.4 c.1.

substantia secunda ut talis non existat a parte rei; eiusque composito hominibus abusi erant sabelliani.

HYPOSTASIS³¹ adhibebatur ad significandam substantiam primam, atque etiam suppositum, seu distinctum in natura communi. At latinis, qui eam vertebant e verbo *substantiam*, videbatur aptius dici de natura divina, idque graeci quoque plures existimabant; verum, determinata praesertim significatione vocis *ousiae*, optima erat ad divinas personas denotandas, ut tenebant multi orientales.

PROSON³², qua voce vertebant graeci latinum *persona*, parum arridebat orientalibus ob originem vocis, qua abusi erant modalistae antiquiores; sed reiecto errore, maxime apta erat et a multo tempore iam in usu Ecclesiae romanae.

353. 2. Ex S.ATHANASIO et S.HILARIO arguunt eos non urgere contra arianos nisi consubstantialitatem specificam, qualis est in humana generatione, quo exemplo saepe utuntur. Ideo intelligitur cur faciles se praebuerint in recipiendis semi-arianis, qui homoiouion tantum profitebantur.

Nego assertum. Neque enim ullus est locus ubi Patres dicant se contentos esse consubstantialitate mere specifica in natura divina. Contra anomaeos, qui Verbum dicebant creatum ac diversae naturae ac Patrem, arguebant ipsum esse genitum, ideoque *vere consubstantiale Patri*, sicut in universum generati sunt consubstantiales generantibus. Urgebant ergo contra illos veram consubstantialitatem, quae ex natura rei satis nota, cum ageretur de natura divina *immultiplicabili et simplicissima*, non poterat esse nisi quam *numericam vocamus*^{32*}. Evidens erat illis Patribus comparisonem non tenere in omnibus. Imo eam expresse corrigunt, ut vidimus in probatione, cum *generatio divina excludat fluxum substantiae, ac proinde divisionem individuorum* in quibus natura multiplicetur; quae centies recurrit in operibus Patrum, praesertim S.ATHANASII, contra obiectiones arianorum.

Modus agendi Athanasii et Hilarii cum semi-arianis potius probat optimum sensum criticum quo perspexerunt, quod critici rationalistae non vident, semi-arianismum esse doctrinam omnino instabilem, nam homoiouion, aut erat larva arianismi, aut non aliud in re subiecta quam verum homoiouion significare poterat. Nec tamen sine cautelis semi-arianos susceperunt, ut vidimus in probatione.

Nec tenet quod supponere videntur rationalistae, rationem similitudinis inter divinas personas arguere distinctionem essentiae; nam ad illam sufficit distinctio personalis, qua habetur summa et eminentissima similitudo, similitudo quoad omnia, quam exiebat Hilarius, nempe identitas³³.

354. 3. Patres Cappadoces BASILIUS et GREGORIUS NYSSENUS docent essentiam divinam esse quid commune ad modum quo natura humana communis est pluribus hominibus, quo exemplo saepius utuntur. Imo Gregorius Nyssenus in declaranda unitate detatis in tribus hypostasibus eo pervenit, ut dicat, secundum placita platoniorum, abusive dici tres homines, cum proprie non sit nisi una natura humana, neque plures dici nisi

³¹ A.MICHEL, *Hypostase*: DTC 7,371-385; PETAVIUS et REGNON, *l.c.*; F.STENTRUP, *Zum Begriff der Hypostase*: ZkathTh I (1877); F.ERDIN, *Das Wort Hypostase, seine bedeutungsgeschichtlichen Literatur bis zum Anschluss der Trinitärischen Auseinandersetzungen* (Freiburg 1939); CAVALLERA, *Le schisme d'Antioche* 199-205; E.HAMMERSCHMIDT, *Eine Definition von Hypostasis und Ousia während des 7.allgemeinen konzils Nikaia II* (787): OstStud 5 (1956) 52-55.

³² BRAUN, *Der Begriff «Person» in seiner Anwendung auf die Lehre von der Trinität und Incarnation* (Mainz 1876); MICHEL, TIXERONT, PETAVIUS, *l.c.* V. infra c.4.

^{32*} Ideo etiam in Concilio Chalcedonensi (451) voce «consubstantialis» adhuc utroque sensu adhibetur: «consubstantiale» Patri secundum divinitatem, consubstantiale eumdem nobis secundum humanitatem (D 148).

³³ GALTIER, 138-140; ARNOU, *De Deo trino* 122-124, et opera relata in notis 17 et 18.

propter diversitates accidentales quae in hominibus adveniunt naturae communi.

Ex dictis in probatione patet Patres Cappadoces, nominatim S.Basilium, qui dicitur maxime neo-nicaenismo indulsisse, «explicitè et data opera excludere theoriam quae ei obtruditur»³⁴. Igitur comparisonem cum natura humana communi inducunt ut in universum distinguant conceptus *ousiae* et *hypostasis*, qui deinde singulis naturis applicentur secundum propriam cuiusque rationem; iterum comparatio non tenet in omnibus.

Idem dici debet de explicatione allata a S.Gregorio Nysseno per modum tentaminis philosophici³⁵. In ea est error philosophicus realismi extremi, sed nullus error theologicus de unitate mere specifica naturae divinae, quam expresse excludit ipsa theoria, haec enim *unitatem substantialem omnimodam et plus quam specificam inducere vult*. Nec comparisonem in omnibus urget, imo eam data opera corrigit ex *unitate operationis divinae*: «In multitudinem operantium nomen operationis non dividitur» et ex *simplicitate naturae divinae* (R 1037 1039); imo contra anomaeos aequalitatem personarum probat ex unitate. Ubi esset mysterium Trinitatis, quod tantopere ponderat?

355. 4. Mirum est etiam quod S.BASILIIUS saepius noluerit nomen Dei tribuere Spiritui Sancto. Neque illud adhibetur in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano.

Quod S.BASILIIUS praeclarus defensor divinitatis Spiritus Sancti omiserit saepe non semper, nomen Dei ipsi tribuere, factum est, ut explicat ipse in epistola ad S.Epiphanium³⁶, et S.GREGORIUS NAZIANCENUS³⁷ in oratione panegyrica, ex prudenti oeconomia ne ariani, qui tempore Valentis volebant eripere Ecclesias Cappadociae, turbas excitarent ac eum Ecclesia pellerent novitatis praetextu; quare rem exiebat etsi verbum taceretur. In Constantinopolitano iterum res ipsa clare docetur. Et quidem rationalistae inique agunt; si enim nomen Dei taceretur, arguunt negari divinitatem; si vero profertur, aiunt esse divinitatem diminutam.

5. In Concilio Constantinopolitano omissa est formula «id est ex substantia Patris», quae tantopere cordi erat Athanasio, ut eam omnino a semi-arianis exigeret.

Nullam suspicionem afferre potest omissio huius formulae, quae in ipso Nicaeno additio quaedam superabundans est «id est...» contra arianum «ἐξ οὐκ ὄντων», iam postea non necessaria. Certe non omissa est ob homoianismum, nam semi-ariani orthodoxi iam a viginti annis eam admiserant. S.Athanasius eam quidem postulabat a semi-arianis, qui nolabant admittere homoiouion, quia illa coniuncta cum homoiouion aequivalerat homoiouio; iam hoc retentum est in Constantinopolitano³⁸.

Ceterum nullum est argumentum, ut patet, centies loqui de *formula homoianiana trium hypostaseon*, ac si haec formula non haberet etiam sensum orthodoxum homoianum, quem tenuerunt Sancti Patres³⁹.

N.B. EVAGRIUS PONTICUS (eius enim dicitur esse epistola ad Caesarienses, octava sub nomine Basilii) praecise ut respuat triheismum, dicit: «unum nos Deum non numero, sed natura confiteri. Quidquid enim unum numero dicitur, id vere unum non est, neque natura simplex; Deum vero simplicem et incompositum confitentur omnes» (R 911). Nempe vocat unum numero, nec incongrue, unum compositione, in oppositione ad unum sim-

³⁴ GALTIER, 149-152; ARNOU, 117-152, et notam 26.

³⁵ GONZÁLEZ, 37-52, 134-136; ARNOU, *Platonisme des Pères*: DTC 12,2258-2392; M.CHERNISS, *The Platonism of Gregor of Nyssa* (Berkeley 1930): v. notam 28.

³⁶ Epistola 71: MG 32,436-440; cf. GALTIER, 158 D.

³⁷ Oratio 43,68-69: MG 36,587ss; cf. PESCH, 470.

³⁸ GALTIER, 153-159; CAVALLERA, *o.c.*, 306-313; HOLL, *Amphilochius...* 116-119.

³⁹ CAVALLERA, *o.c.*, 314.

plex, quod est maxime unum, atque unitatem Trinitatis, ut alii Patres, ex simplicitate derivat. Ergo apud ipsum unum numero non significat singulare in oppositione ad unum unitate merae universalitatis, ut apud scholasticos⁴⁰.

ARTICULUS IV

RATIO NATURALIS ET MYSTERIUM SANCTISSIMAE TRINITATIS

Thesis 30. *Mysterium Sanctissimae Trinitatis, quod est mysterium stricte dictum, rationi naturali non repugnat.*

S.TH., q.32 a.1; q.28 a.3 ad 1; SUÁREZ, *De Deo* tr.3 l.1 c.11,12; l.4 c.3; RUIZ DE MONTOYA, *De Trinitate* d.41.43; FRANZELIN, th.17.18.20; MUNCUNILL, 912-946; PESCH, 488-504; GALTIER, 162-202.

356. Nexus. Demonstratio ex fontibus revelationis existentiae Trinitatis personarum in unitate divinae essentiae compleri debet studio habitudinis huius doctrinae revelatae ad rationem naturalem. Haec autem habitudo duplex est: ex una parte ratio suis viribus nullo modo potest illud mysterium attingere: at ex alia parte illi repugnare nequit.

Notiones. MYSTERIA stricte dicta intelligimus, ex *Vaticano* s.3 cp.4 et c.1 illa quae «suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine connecta et quasi caligine obvoluta maneant», ideoque nullo modo possunt «per rationem rite ex cultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari» (D 1796 1861). Unde, ex declaratione theologorum, per rationem naturalem eorum neque *existentia*, neque *essentia* seu possibilitas potest *positive probari*. Potest tamen ratio, posita praesertim revelatione, eiusque ductu, rationes aliquas probabiles inducere, quibus mens facilius ad illorum fidem manuducatur; potest etiam, ut patet, terminos quibus exprimuntur sufficienter intelligere, analogiis aliquatenus declarare, et scientificè illorum quidditatem proponere; potest tandem ac debet ostendere rationi naturali non repugnare, quod praestat *negative*, ut dicitur, nempe ostendendo rationes oppositas non esse certas.

Id explicite proponimus duabus thesis partibus:

1.^a DOCTRINA DE SANCTISSIMA TRINITATE EST MYSTERIUM STRICTE DICTUM;

2.^a HOC MYSTERIUM RATIONI NATURALI NON REPUGNAT.

⁴⁰ Hunc modum loquendi alii quoque Patres usurpant; cf. ARNOU, 115-116. Pro traditione orientali sequenti v. inter alia B.FRIGNEAU, *Julien. Un traité anonyme sur la Sainte Trinité attribué à Saint Cyrille d'Alexandrie*: *RechScRel* 49 (1961) 188-211, 386-405; E.HAMMERSCHMITT, *Usia, Hypóstasis und verbandte Begriffe in den Bekehrnisschriften des Petrus Moghilas und des Dositheus von Jerusalem*: *OrChrist* 42 (1958) 77-91.

357. Adversarii. Primae parti adversari videntur medio aevo ABAELARDUS, RICHARDUS A S.VICTORE et RAIMUNDUS LULLIUS, et saec.XIX HERMES, GÜNTHER, ROSMINI et SCHELL. ABAELARDUS probat Trinitatem ex tribus divinis attributis potentiae, sapientiae et bonitatis¹. RICHARDUS ex caritate et summa felicitate divina, quae non nisi inter personas distinctas dari potest². LULLIUS ex necessaria Dei communicatione seu bonificatione³. HERMES ratione generali suae methodi contendit omnia christiana mysteria ratione naturali probari debere. GÜNTHER id efficere conatus est ex processu evolutionis τοῦ ἐγὼ conscii⁴. ROSMINI tenet post revelationem Trinitatem pertinere ad philosophicas disciplinas, eamque probavit ex tribus formis esse, subiectivitate, obiectivitate, et unitate utriusque, quae in esse absoluto non possunt concipi nisi ut tres personae subsistentes (D 1915s). Tandem SCHELL Trinitatem exigit ex aseitate positiva, qua Deus est causa sui⁵.

Secundae parti opponuntur haeretici qui Trinitatem negant, ac deistae et rationalistae omnis generis.

Theologi catholici, ut patet, unanimi consensu thesim asserunt, et gravibus censuris sententias contrarias afficiunt.

Doctrina Ecclesiae patet ex damnatione sententiae Hermetis, Günther et Rosmini (D 1618-1619 1639 1642-1645 1655 1915-1916), et ex *Vaticano* (D 1796 1816), ubi conceptis verbis asseritur esse in revelatione mysteria stricte dicta; iam ex sensu Ecclesiae, si quod est mysterium, Trinitas maximum est. Ex altera parte explicite definit «nullam esse posse oppositionem inter fidem et rationem» (D 1797).

Valor theologicus. *Prima pars* saltem est *theologicè certa*, secundum plures theologos *proxima fidei*. *Altera de fide*, saltem *implicite*, ex ipsa revelatione mysterii, et ex *Vaticano*.

358. Probatum prima pars. S.Scriptura, in oppositione ad ea quae de Deo naturaliter cognosci possunt (Rom 1,19s), quae ad mysterium Trinitatis pertinent uni divinae revelationi tribuit (Mt 11,27; 16,17).

¹ *Theologia christiana* 1,2: ML 178,1123ss. Cf. DE REGNON, o.c., 1,65-87; PORTALIÉ, *Abaelard (Pierre)*: DTC 1,45-46 et opera relata n.291 in nota 15.

² *De Trinitate* l.3 c.2: ML 116,916-917; cf. DE REGNON, 2,315ss.

³ Multa de sensu quem apud Lullium habeant «rationes necessariae» scripta sunt; v. E.LONGPRÉ, *Lulle (Raymond)*: DTC 9,1124-1125; ulteriorem bibliographiam apud F.KLIMKE-COLOMER, *Historia de la Filosofía* (Barcelona 1953). De valore argumentorum quae Lullius profert v. VÁZQUEZ, *In 1 p. de.133*.

⁴ J.KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* (Münster 1867) 1,435-451; FRANZELIN, th.18, 260-268; PESCH, 494-495.

⁵ PESCH, 495 nota 1. Cf. M.SCHEEBEN, *Los misterios del cristianismo* § 5-8 I p.26-51.

Sancti Patres magna ponderatione ineffabilitatem mysterii Trinitarii docent. Iam S.IRENAEUS: «Irrationabiliter autem in flatu audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis... Inenarrabilis itaque generatio eius cum sit, quicumque nuntur generationes et prolationes eius enarrare non sunt com-potes sui, ea quae inenarrabilia sunt enarrare promittentes» (R 204). Ex sequentibus sufficit adducere S.HILARIUM: «Im-mensum est autem quod exigitur, incomprehensibile est quod audetur, ut ultra praefinitionem Dei sermo de Deo sit. Posuit naturae nomina Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Extra signi-ficantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intel-ligentiae conceptionem, quidquid ultra quaeritur; non enun-tiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit... intelligentiae capacitatem quid-quid fine nullo continetur excedit» (R 859), et S.GREGORIUM NYSSENUM: «Qui diligenter profunditatem mysterii considerat... nequit sermone manifestare ineffabilem illius mysterii profun-ditatem: quomodo idem et sit numeratum et numerationem fugiat, et divisim cernatur et in unitate comprehendatur, et distinguatur hypostasi et non separetur subiecto» (R 1029).

359. Ratio Theologica. a) Ratio naturalis non potest Trinitatem *demonstrare*: «Homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest nisi ex creaturis. Crea-turae autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in cau-sam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci pot-est, quod competere ei necesse est secundum quod est omnium entium principium... Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati [D 428 703]. Unde pertinet ad unitatem essen-tiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quae pertinent ad uni-tatem essentiae, non autem ea quae pertinent ad distinctionem personarum»: q.32 a.1.

360. b) Nec potest ratio naturalis *positive ostendere pos-sibilitatem Trinitatis*.

1. Natura completa et essentia singularis non potest nat-uraliter positive intelligi nisi incommunicabilis ut talis, ac proinde ut suppositum (persona in natura intellectuali). Atqui Trinitas est mysterium naturae singularis realiter communica-tae tribus personis. Et licet detur rationis distinctio inter nat-uram et suppositum, non apparet rationi naturali posse dari personas realiter distinctas in eadem natura, nam non videt posse perfectionem dicere communicationem realem unius nat-urae pluribus personis, sive multiplicationem personarum sine

multiplicatione naturae; praesertim ob magnas difficultates quae occurrunt ex principiis quae evidentia ratione videntur.

2. Infinitas ipsa et simplicitas naturae divinae, prout a nobis naturali-ter notae, potius difficultatem creant, cum mentem perducant et quidem vere, ad singularissimam unitatem, quae quomodo componi possit cum Trinitate positive non apparet; licet ex alia parte infinitas sit revera ratio communicabilitatis naturae divinae, et simplicitas exigit generationem sine abscissione et communicationem totius naturae singulis personis.

3. Tentamina ad probandam ratione Trinitatem, vel ex falsis principiis procedunt, vel dogma ipsum pervertunt; ideo iure dixit S.Thomas: «Qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei... derogat» (l.c.). Ita ABAELARDUS larvatum sabellianismum inducit et erronee appro-priationes cum proprietatibus personalibus confundit. Rationes RICHARDI, in divinis saltem, propter infinitatem, falsae sunt. Argumentum LULLII (quidquid est de eius mente) secundum quod Trinitas est perfectum bo-nificativum, bonificabile et bonificare, si quid efficeret, absolveret Trini-tatem una processione, et tertiam personam faceret productionem secundae. Idem conficeret ratio GÜNTHER, secundum quam subiectum cognoscens, obiectum cognitum et identitas utriusque subsistentia ac distincta sunt; qui praeterea gravissime errat tum in concipienda ipsa cognitione divina ut producta, tum in conceptu personae ut conscientiae sui, quo divina unitas constituitur in quadam relativa unitate trium absolutorum qui conceptus e diametro opponitur doctrinae catholicae. Assertum ROSMINI eodem modo erroneum est, ac consectorium Spiritum Sanctum esse Verbum ipsum qua-tenus amatum, e regione opponitur rectae doctrinae. Neque penitus pericu-lum effugiunt tentamina alia cuiusdam quasi-demonstrationis, quibus con-fundi videtur Verbum et Spiritus Sanctus cum ipsa intellectione et volitione formali divina.

361. Probatur secunda pars. 1. *Nulla potest esse vera oppositio inter fidem et rationem*, «cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indi-derit; Deus autem negare se ipsum non potest, nec verum vero contradicere». Ita Vaticanum (D 1797).

2. *Ex incomprehensibilitate Dei.* Ut ratio probare posset repugnare Trinitatem personarum in unitate divinae essentiae, ostendere deberet id repugnare proprio modo essendi Dei, aut saltem principiis universalissimis rationis, prout omni omnino enti legitime conveniunt. Atqui ratio id praestare non potest. Non primum; nam proprium modum essendi divinum non cognoscimus ratione naturali, nisi in quantum analogice et per conceptus negativos asserimus summam eminentiam entis di-vini supra quodlibet cogitabile. Non secundum; nam analogia entis recte intellecta cautos nos debet reddere in determinanda evidentia qua fulgent prima principia in illo fundata, ne sen-sim quidam transitus aut ampliatio illegitima fiat iis summo enti applicandis.

CONFIRMATUR difficultate conciliandi in Deo ipsa praedi-cata quae ratione naturali asserenda sunt.

362. 3. *Solutione difficultatum*, negativa quidem, sed sufficienti. In universum solutio difficultatum rationis contra Trinitatem nititur *distinctione rationis* ratiocinatae, quae inter naturam et personas seu relationes probanda est⁶. Revelatione enim mysterii trinitarii constat Esse divinum esse ens prorsus singulare, subsistens in tribus personis re distinctis, seu ens singulare simul et commune, «summa quaedam res» (D 432), quae prout respondet conceptui nostro naturae est unum, prout vero respondet conceptui nostro personae Trinitas est, sc. sunt tres personae. Quare praedicata quae Deo secundum statum realem tribuuntur sensu formali accipienda sunt.

Nulla ergo surgit difficultas contra Trinitatem ex *principio contradictionis*, cum nunquam datur affirmatio et negatio eiusdem de eodem sensu; tametsi de Deo praedicari possint quae in creatis contradictionem implicarent, ut generari et non generari, quae quidem dicuntur de Filio et de essentia divina realiter identificatis, sed secundum rationem formalem diversam.

In *sylogismis* qui fiunt de rebus divinis, attendi debet nota *communitatis* propria naturae divinae, tam si haec est terminus maior vel minor, quam praecipue ubi est terminus medius qui cum terminis personalibus aut notionalibus comparetur; in hoc casu applicandae sunt regulae de *sylogismis categoricis* et principia *dictum de omni, dictum de nullo*, non autem regulae *sylogismi expositoryi* et principium *identitatis realis*, licet natura divina sit revera singularis, quia simul est communis; iam *sylogismus expositoryus* postulat plenam incommunicabilitatem medii. Hac nota difficultates logicae solvuntur.

363. **Obiectiones.** CONTRA PRIMAM PARTEM. I. Omnis veritas necessaria argumentis necessariis demonstrari potest. Atqui Trinitas est veritas necessaria. Ergo. Ita Richardus a S. Victore, l.c.

Dist. mai. Veritas necessaria naturalis, sc. logice connexa cum principiis naturaliter notis, demonstrari potest, *conc. mai.*; veritas necessaria supernaturalis non ita connexa, *nego mai. Contradist. min. Nego cons.*

2. Quidquid in Deo possibile est, necessario est. Iterum, quidquid perfectionem dicit, Deo necessario tribuendum est. Atqui Trinitas possibilis est, cum de facto sit, et perfectionem infinitam dicit. Ergo.

Dist. min. Id constat nobis positive ratione naturali, *nego min.*; sola revelatione, *conc. min.*

3. Bonitas infinita infinite communicabilis est, ac felicitas perfecta et caritas requirunt essentialiter consortium aliorum. Ergo in Deo debent dari plures personae, ut terminus communicationis infinitae bonitatis, et ut obiectum amoris caritatis et iucunditatis perfectae.

Dist. antec. quoad primam partem. Bonitas infinita communicabilis est modo infinito, quod iam fit in creatione, ut notat S. Thomas ad 2, *conc. antec.*; communicabilis est termino infinito, *subdist.*; si est possibilis talis communicatio, quod ratio non videt, *conc.*; si non est possibilis, in quod magis propenderet ratio, *nego*. Secundam partem *antec. nego* in ente infinito, cum S. Thoma eodem loco. Praeterea argumentum probaret distinctas voluntates in singulis personis.

4. Intellectio et volitio sunt activitates divinae. Atqui repugnat activi-

tas sine termino producto. Ergo debet esse in Deo Verbum et Spiratio, quae necessario sunt subsistentes.

Dist. mai. Intellectio et volitio sunt activitates divinae immanentes, *conc. mai.*; transeuntes, *nego mai. Contradist. min.* Repugnat activitas transiens sine termino producto, *conc. min.*; activitas immanens, *nego min.* Imo, quo perfectior est immanentia activitatis, minoris intensitatis est, etiam in creatis, terminus productus. Praeterea argumentum istud non perduceret ad Trinitatem revelatam, nam supponeret terminum productum ex necessitate quasi indigentiae ipsius intellectionis et volitionis, et induceret aliud Verbum et alium Spiritum producta a Filio et Spiritu Sancto, qui utique intelligunt et amant. Non est haec ullo modo doctrina quae dicitur psychologica processionum divinarum.

His tamen non negatur valor cuiusdam congruentiae, aut probabilis aut etiam verae rationis, quae posita revelatione mentem ad mysterium suavius admittendum allicere possunt; haec agentes de processionibus divinis persequemur.

364. CONTRA SECUNDAM PARTEM in primis solvi debet difficultas fundamentalis, quae oriri videtur ex *principio identitatis comparatae*. Igitur *Obicitur* 1. Quae sunt eadem uni tertio sunt idem inter se. Atqui Pater, Filius et Spiritus Sanctus identificantur cum natura divina. Ergo nequeunt distinguere inter se.

Multis quidem modis huic difficultati responsum est; licet diversae responsiones forte non adeo inter se differant ut primo aspectu videri potest⁷. Modum eam solvendi proponimus a P. Suárez selectum, cui revera alii accedunt⁸.

In primis accurate determinandus est *sensus* quo principium obicitur contra mysterium Sanctissimae Trinitatis. Principium enim istud, quod concludit identitatem duarum rerum aut notionum ex earum identitate cum tertia, intelligi potest duplici sensu:

1.º *De identitate formali*: «quae sunt eadem uni tertio in una ratione formali, sunt idem inter se in eadem ratione formali». Hoc sensu evidentissimum est ac universalissimum; nam immediate reducitur ad principium contradictionis, cum identitas formalis duarum notionum inferat necessario substitui posse unam cum altera in ea ratione qua identicae sunt. Casus particularis principii hoc sensu intellecti est principium aequalitatis mathematicorum. Hoc autem sensu nondum quidquam de identitate aut distinctione praecise reali earum notionum, ac nulla inde difficultas contra Trinitatem.

2.º *De identitate reali*: «quae realiter identificantur cum tertio identificantur realiter inter se». Verum de hac identitate reali, duplici adhuc ratione exponi potest:

a) *De identitate reali in una ratione formali*: «quae realiter identificantur cum tertio in una ratione formali, identificantur realiter inter se in illa ratione formali». Etiam hoc sensu evidens ac universalissimum est, ob eamdem rationem. Neque ulla inde difficultas contra Trinitatem; nam veris-

⁷ Solutiones plurimum theologorum colligit et ponderat B. XIBERTA, *Enquesta històrica sobre el principi d'identitat comparada*: Estudis Franciscans 45 (1933) 291-336; quibus alios addit J. HELLIN, *El principio de identidad comparada según Suárez*: Pensamiento 6 (1950) 435-463; 7 (1951) 169-192; v. etiam J. DE ALDAMA, *Ruiz de Montoya y el problema teológico del principio de identidad comparada*: EstEcl 11 (1932) 554-559; I. RABENECK, *De principio identitatis comparatae et mysterio SS. Trinitatis secundum Concilium Lateranense IV*: EstEcl 27 (1953) 301-316.

⁸ Nam *explicationes* quae afferuntur non sunt revera nisi *limitationes* sensus universalis principii; quod ideo declaratur *invalidum* in *tota latitudine entis*, si agitur de principio in sensu de *identitate reali*; cf. HELLIN, l.c., 463.

⁶ V. c.3 th.43.

simum est tres personas identificari realiter in ratione naturae, sunt enim unus Deus.

b) *Simpliciter de identitate reali*: «quae realiter identificantur cum tertio, ita ut ab illo non distinguantur realiter, realiter identificantur inter se, ita ut nulla ratione distinguantur realiter inter se»⁹. Hoc sensu vulgo intelligitur, ac sine dubio verificatur in creatis; atque ita obicitur contra Trinitatem; nam ex eo quod personae identificantur realiter cum natura divina, negatur posse distingui realiter inter se.

365. *Negamus* igitur principium ita intellectum admitti posse ut universaliter verum in tota latitudine entis; quod omnino tenendum est ex ipso mysterio Trinitatis¹⁰.

Id ostendi potest, quia principium hoc sensu intellectum non est principium formale; iam principia rationis valent universalissime in sensu formali per reductionem ad principium contradictionis; unde dicit S. THOMAS: «principium tenet in his quae sunt idem re et ratione cum tertio, non tamen si differunt ratione»: q.28 a.3 ad 1. Si enim duae res Pater et Filius identificantur realiter cum una deitate in ratione naturae, sed distinguuntur ab ea ratione ratiocinata in ratione personae, non apparet contradictio formalis in eo quod distinguantur realiter in hac ratione; nam non datur affirmatio et negatio eiusdem de eodem in eodem sensu; ac fieri potest ut ratio formalis, qua distinguuntur a termino communi, sit principium realis distinctionis inter se¹¹.

Ergo quod in creatis verificetur principium sensu indicato, sc. duas res realiter identificatas cum tertia nulla ratione posse realiter distingui inter se, potest accidere ex limitatione creaturae, ac nullo iure extendi debet ad ens infinitum¹². Ideo principium, intellectum simpliciter de identitate reali, in tota latitudine entis universalissime et analogice accepti, non valet.

Dices: Quae identificantur realiter cum tertio debent simpliciter identificari inter se in ordine existentiae actualis, ad quam nihil conferunt distinctiones rationis.

Tamen revera nulla sequetur contradictio formalis, etsi distinguantur realiter. Ideo *dist. assert.* Si identificantur in ordine existentiae creatae, quam sufficienter novimus, *conc.*; si identificantur in ordine existentiae divinae, aut in ordine entis universalissime accepti, *nego*.

366. Haec solutio fundamentalis est, ac necessaria et sufficiens. Est necessaria; secus enim quaecumque dicantur enervabuntur ex ipso principio; vis enim eius esset excludere quamcumque possibilitatem distinctionis realis in iis quae cum tertio re identificantur¹³. Est sufficiens; nam solutio huius difficultatis non debet declarare quomodo aut qua ratione sint in divinis quae distinguuntur realiter inter se, etsi identificata cum tertio; sed mere quo pacto, si hoc datur in divinis, non repugnet principiis validis

⁹ SUÁREZ, *De Trinitate* 1.4 c.3 n.1. Animadverti debet quantopere curet Suárez sensum principii definire, quatenus possit obesse mysterio; quod plures qui eum impugnant prorsus negligunt, ideoque eorum obiectiones incassum cedunt; cf. DALMAU, *El principio de identidad comparada según Suárez*: EstEcl 5 (1926) 92-93. Ceterum solutio P. Suárez ac P. Vázquez simpliciter admittitur ab insignibus thomistis, ut IOANNE A. S. THOMA, *Cursus theologicus* d.12 a.3 n.31, ac recentior ab A. MALTA, *De divinarum relationum existentia, quidditate, distinctione*: Ang 17 (1940) 22.

¹⁰ SUÁREZ, *l.c.*, n.7; l.1 c.11 n.20; *Metaphys.* d.7 s.3 n.8.

¹¹ «Quando illa duo distinguuntur ratione ratiocinata ab illo tertio, licet illi identificentur realiter, non est evidens identificari realiter inter se; quia eo ipso quod illa duo habeant rationes formales diversas a ratione illa cui identificantur, potest illis convenire aliquid quod sit principium realis distinctionis» (I. GRANADOS, *In primam partem* tr.3 d.3 s.3).

¹² SUÁREZ, *l.c.*, n.7, ubi attende notam solutionis negativae; v. A. TEIXIDOR, *De valore scholasticismi P. Francisci Suárez hac nostra aetate* (Barcinone 1917) 37.

¹³ SUÁREZ, *l.c.*, n.1-6.

rationis. Neque ad theologum pertinet ultimo explicare qua ratione verificetur hoc principium in creatis, aut cuiusmodi sit istud principium¹⁴.

Ad aliqualem tamen harum quaestionum explicationem, possumus ex doctrina postea tradenda complere solutionem propositam aliis elementis¹⁵.

Ex ipsa doctrina trinitaria novimus in divinis distingui inter se, licet identificatas cum natura divina, solas notiones *relativas*, quae suppositis tribuunt *incommunicabilitatem*; absoluta autem omnia realiter identificari inter se, imo et cum omnibus relativis. Quare unicus casus in quo de facto non verificatur principium istud, etiam in divinis, est casus in quo comparantur notiones formaliter relativae, quae sunt subsistentes et tribuunt suppositis *incommunicabilitatem*, cum rationibus absolutis, quae sunt communes tribus personis. Cum vero comparantur rationes absolutae cum absolutis, vel cum tertium comparationis est notio *incommunicabilis*, semper de facto principium sensu reali verificatur.

367. Id autem ostenditur, nullo respectu habito ad vim huius principii. *Infinitas* enim divina radicat processiones et relationes originis, quorum mera oppositio relativa non infert limitationem in subiectis, estque ratio Trinitatis personarum in unitate essentiae; e contra ipsa infinitas et simplicitas exigit identitatem realem omnium absolutorum inter se et cum relativis. Aliunde cum tertium comparationis est quid *incommunicabile*, res seu rationes cum ipso identificatae excludunt distinctionem realem inter se, eo quod identificantur cum tertio sub ratione modi existendi qui eam excludit. Igitur in hoc casu principium identitatis applicari videtur *sensu formali*.

Iam, in creatis, ob rationem oppositam, sc. ob *limitationem* in perfectione, non dantur relationes subsistentes, et distinctio subiectorum in natura eorumque *incommunicabilitas* datur per rationes *absolutas*, quae naturam multipliciant. Ideo cum comparantur duae rationes entitativae cum tertia, revera conferuntur semper *absoluta*, et quidem cum tertio *incommunicabili*, seu sub ratione formali existentiae realis *incommunicabilis*, quae proinde excludit distinctionem realem extremorum. Inde explicari potest cur principium identitatis, etiam de identitate simpliciter reali intellectum, *in creatis* sit verum et universale, non solum materialiter, sed etiam *formaliter*; nempe valet tantum de ente creato¹⁶.

N.B. Exempla ex creatis quae aliquando ab auctoribus proponuntur, ac si in iis limitatio aliquis principii reperiretur, nulla sunt re bene perspecta; atque infirmantur nota optima S. THOMAE: «Neque oportet in his aliquid simile inquiri; quia in nulla re creata invenitur aliquid simile divinae simplicitati... omnia enim similia quae possent induci... plus habent de dissimilitudine quam de similitudine; et ideo magis abducunt a veritate, quam in verum intellectum inducant»: 1 d.33 q.1 a.1 ad 2¹⁷.

368. Tota haec doctrina proponi potest, distinguendo principium hoc modo:

«Quae sunt eadem uni tertio sunt idem inter se». *Dist.* Quae sunt eadem uni tertio in aliqua ratione formali, sunt idem inter se in eadem ratione formali, *conc.*; quae realiter sunt eadem uni tertio sunt idem realiter inter

¹⁴ Vindicias suarezianae solutionis v. apud relatores auctores; cf. etiam E. GUERRERO, *¿Afirma alguna vez el P. Suárez que los primeros principios son inductivos?*: EstEcl 12 (1933) 5-32; J. ALEJANDRO, *La Gnoseología del Doctor Eximio* (Comillas 1948) 166-178.

¹⁵ Cf. MOLINA, *In primam partem* q.28 a.3 d.2; RUIZ DE MONTOYA, d.15 s.3 n.2; ALDAMA, *l.c.*

¹⁶ V. DALMAU, *Metafísica y Teología en Suárez*: EstEcl 22 (1948) 559. Paulo aliter HELLÍN, *l.c.*, 178-186.

¹⁷ Quod alicubi allatum est ut exemplum, viam eandem valde diversam esse ascendenti aut descendenti, nihil raverat ad rem confert, cum ibi praeter viam sint actiones distinctae et valde diversae, ascendentes et descendentes.

se, *subdist.*; in ratione formali qua realiter identificantur cum tertio, *conc.*; omnino, ita ut sub nulla ratione formali inter se distingui possint, *iterum dist.*; si duo identificantur re cum tertio incommunicabili et non opponuntur mere relative inter se, quod semper accidit in creatis, *conc.*; si identificantur cum tertio communicabili et opponuntur mere relative inter se, ut accidit in personis divinis identificatis cum essentia, *nego.*; ideoque principium sensu reali non est validum in tota latitudine entis.

369. 2. Obiectionum ex forma syllogistica fallaci exempla quaedam:

a) Omnis essentia divina est Pater. Atqui Filius est essentia divina. Ergo Filius est Pater.

Maior potest habere duplicem sensum, permisso incongruo modo loquendi. Si intelligitur omne quod est essentia divina est Pater, *nego mai.* Si intelligitur tota essentia divina est Pater, *conc. mai.*; at in hoc casu, *conc. min.*; *nego cons.*, nam syllogismus peccat contra quartam regulam syllogismi.

b) Pater opponitur Filio. Atqui deitas est Pater. Ergo deitas opponitur Filio.

Conc. mai.; *explico min.* (quae non affert praedicationem formalem) aliquis qui est deitas est Pater, et hoc sensu vera est. *Dist. cons.* Aliquis qui est deitas (nempe Pater) opponitur Filio, *conc.*; deitas ut talis, ac proinde omne quod est deitas, opponitur Filio, *nego.*

c) Haec essentia divina est Pater. Atqui Filius est haec essentia divina. Ergo Filius est Pater.

Syllogismus non est expository, sed quasicategoricus, quia terminus medius est communis, licet singularis. Ideo peccat contra quartam regulam, quia non plene distribuitur.

370. 3. Trinitas personarum componi nequit cum simplicitate divina, quae est singularissima unitas.

Trinitas nullam affert compositionem realem, cum non detur distinctio realis inter naturam et personalitates. Ideo magis proprie loquendo nequit dici personas *uniri in natura* (unio enim est unitas distinctorum in quantum distincta sunt), sed esse *unum in ratione essentiae sive naturae*; personae autem divinae quatenus distinguuntur non sunt unum, quatenus sunt unum non distinguuntur. Tamen ille modus loquendi, qui revera traditionalis est, admittitur, in quantum eo totum mysterium simul exprimitur. Etiam compositio rationis excluditur a divinis, ut suo loco videbimus¹⁸. Simplicitas est quidem summa unitas, ut opposita compositioni; ergo si non datur compositio, non deficit summa unitas; unitas autem opponitur numero in suo ordine et ratione, non in alio.

4. Infinitum est unicum. Atqui in divinis omnia sunt infinita. Ergo nullus numerus dari potest in divinis, ne quidem in ratione personae.

Infinitum est unicum in sua ratione; ideo unus Deus, unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus. Non tamen ideo una persona, quia relationes quibus personae divinae constituuntur sunt diversae rationis relativae; ideo ratio personae in divinis non habet communitatem ultimo quasi-differentialem.

5. Si numerus pertinet ad perfectionem, deberet esse in divinis numerus et multiplicitas in summa ratione et non tantum in ratione personae, nec solum numerus ternarius, sed infinitus; si vero non pertinet ad perfectionem, nullus numerus asserendus est in divinis.

Numerus ac distinctio realis de se nec dicuntur perfectionem, nec imperfectionem; sed in singulis casibus id pendeat a fundamento vel ratione distinctionis et numeri. Iam vero numerus in natura importat limitationem

ac opponitur essentiali unicitati Dei; at numerus, et quidem non nisi ternarius, in personis pertinet ad perfectionem infinitae foecunditatis divinae in ratione intellectionis et volitionis; ut enim declarabitur, personae non multiplicantur nisi per processiones immanentes proprias naturae divinae^{18*}.

A P P E N D I X

Terminorum qui in Theologia trinitaria adhibentur significatio

371. Cum mysterium Sanctissimae Trinitatis adeo supra rationem humanam elevatum sit, magno labore inquirendum fuit quibus verbis eius sublimitas exponeretur et declararetur, praesertim eo quod haereticis vocabulorum concertatione abuterentur ad suos errores in vulgus spargendos; quam difficultatem multis ponderat S. AUGUSTINUS¹⁹. Ideo praestat terminorum qui in Theologia trinitaria, sive Ecclesiae documentis, sive usu magnorum Doctorum stabiliti sunt, significationem et usum breviter exponere, ac simul complexum doctrinae theologicae in toto tractatu exponendae ac probandae quasi indiculo iam initio praebere; diversae enim partes tractationis mutuo sese appellant.

In universum vocabula, quae id quo *res in ordine quodam entium constituitur* denotant, in divinis *singulariter* usurpantur, cum Deus unicus sit; et de tribus personis singulari numero praedicantur. Haec sunt *essentia* (οὐσία), *natura* (φύσις), quae est ipsa essentia ut principium operationis, et *substantia* (latine), modus quo res est per se stans (in Deo enim nihil accidentale dari potest); his significantur quae in tractatu de Deo uno exposita sunt, seu *complexus attributorum et praedicatorum absolutorum quae de Deo dicuntur*. Id in symbolo *Quicumque* singillatim notatur de nominibus Deus, Dominus, increatus, immensus, aeternus, omnipotens; admittit tamen dici tres personas esse *coaeternas et coaequales* (D 39).

Pluraliter vero dicuntur de divinis ac singillatim de singulis personis ea quae ad *distinctionem illarum* necessaria sunt. Sunt autem *suppositum* et *hypostasis* (ὑπόστασις), subiectum distinctum ab aliis in aliqua natura, completum, de quo omnia praedicantur; et *persona* (πρόσωπον), suppositum naturae intellectualis. *Suppositalitas* et *personalitas* dicitur a scholasticis ratio formalis constituens suppositum et personam ut talem. Eodem sensu adhibetur in Theologia vox latina *subsistentia* (derivata a graeco ὑπόστασις aliter ac substantia), ideoque dantur in divinis *tres subsistentiae* (relativae); primo tamen adhibita est haec vox concrete pro personis seu suppositis (D 254). Sunt etiam theologi qui adhibeant praeterea hoc nomen ad significandum modum essendi proprium Dei ut est esse per se subsistens, ac loquuntur de *subsistentia absoluta unica* in divinis²⁰.

372. Personae divinae non *distinguuntur inter se nisi per relationes originis*, secundum axioma dogmaticum: «in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio» (D 703). Ideo datur in divinis *processio* (πρόβασις, προβολή), sive origo unius personae ab alia vel ab aliis, quae a theologis etiam *productio* dicitur. Processiones divinae sunt *immanentes* et

^{18*} M. PHILIPPON, *La Trinité, clef de voûte des mystères chrétiens*: RevThom 58 (1958) 5-19 (vers.hisp. TeolEspir 2 (1958) 202-226; C. MOLARI, *Mistero trinitario luce del mistero dell'essere*: EuntDoc 14 (1961) 345-388. De primaeva theologia trinitaria, J. SCHNEIDER, *Die Lehre vom dreieinigen Gott in Schule des Petrus Lombardus* (München 1961).

¹⁹ *De Trinitate* 1,7 n.9-11: ML 42,941ss.

²⁰ Cf. c.4 a.12 Scholion, n.520-525.

¹⁸ C.3 a.2.

quidem immanentia metaphysica identitatis substantiae, perfectissimae, sine causalitate et dependentia; etsi graeci utuntur nomine *causae* et *causati* (αἰτία, αἰτιατόν), in theologia latina non admittuntur haec verba, sed tantum *principium* et *terminus*, ad designandam personam a qua alia procedit, et quae ab alia est. *Duae dantur processionis* in divinis, *generatio Filii* a Patre, persona improducta, et *processio Spiritus Sancti* a Patre et Filio ut ab uno principio. In divinis processionibus datur *communicatio* propriissima dicta unius numero naturae divinae. Quare personae divinae *consubstantiales* dicuntur.

Datur igitur inter divinas personas *relatio* (σχῆσις, πρὸς τι), ordo seu respectus unius ad alterum, et quidem *realis et originis*, qua divinae personae ad invicem referuntur ut producens et productum; ideo adest inter illas *oppositio relativa*, seu necessitas distinctionis realis inter se, nam relatio realis id necessario importat. *Quatuor sunt relationes* in divinis, duae in unaquaque processione: *paternitas* et *filiatio*, quibus Pater et Filius inter se referuntur, et *spiratio activa*, communis Patri et Filio, et *spiratio passiva*, quibus Pater et Filius referuntur ut unum principium ad Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus refertur ad Patrem et Filium. *Relationes divinae sunt subsistentes*, nempe non praedicantur de subiectis absolutis quae inter se referantur, sed ipsae relationes sunt subiecta relata.

373. Ex ipsa enuntiatione mysterii patet in divinis personis distinguenda esse *communis* et *propria*, nam vere et realiter *conveniunt* in natura, sed realiter quoque inter se *distinguuntur*; ideoque aliquid est reale in singulis quo ab aliis distinguitur; en *proprietates* (ιδιώματα) ea quae non nisi de unaquaque persona formaliter praedicantur. *Proprietates personales* saepe dicuntur ipsae *personalitates*, quae tres sunt, *paternitas*, *filiatio* et *spiratio passiva*, formaliter relativae; ideoque relationes sunt verae proprietates. Potest etiam vocari *proprietates personalis* illud praedicatum quod non nisi *unius personae* conveniat, licet non sit proprie constitutum eius formale, et hoc sensu datur alia proprietas personae Patris, *innascibilitas* (ἀγεννησία).

Notio sive proprietas notionalis (ιδίωμα γνωριστικόν) dicitur in Theologia trinitaria *praedicatum non commune* tribus personis, in quantum notificat Trinitatem vel aliquam personam, sive sit formaliter relativum aut proprium unius tantum personae, sive secus. Dantur in divinis *quinque* notiones: *innascibilitas*, seu notio Ingeniti, *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa* et *spiratio passiva* (si quae alia invenitur, reducitur ad aliquam ex his). In universum in divinis *notionale opponitur essentiali*, ut proprium aut non commune tribus, ei quod est commune.

In ordine activitatis datur in divinis *potentia essentialis* producendi ad extra, ut creandi, *communis* tribus personis, et *potentia notionalis*, producendi ad intra, *potentia generandi* in Patre, *spirandi* in Patre et Filio. Similiter dantur *actus essentialis*, intelligendi, volendi, creandi, etc., et *actus notionalis*, ipsae formales processionis, quae *origines* dicuntur, *generatio activa*, *generatio passiva*, sive *nativitas*, *spiratio activa* et *spiratio passiva*.

374. Inter divinas personas datur perfectissima *aequalitas* et *similitudo*, unitas sc. in quasi-quantitate et quasi-qualitate perfectionis, ob identitatem in natura infinita; quin ei obstat diversae relationes originis. Ideo non datur in divinis *prioritas* et *posterioritas*, nec *durationis*, nec *naturae*, ut definit Athanasianum (D 39). Datur tamen *ordo originis* propter processionis, ideoque admittitur communiter *prioritas* et *posterioritas mere originis*, inter divinas personas; quae non aliud significant nisi quod aliae personae sunt *principium* aliarum atque eae ab illis *procedunt*; sed omnes aeternae sunt, neque proprie dependent aliae ab aliis. *Prioritas vero rationis proprie dicta*,

quae vocatur in *subsistendi consequentia*, inter relativa, aut inter absoluta et relativa, non admittitur, cum relativa sint simul cognitione, atque ab absolutis non plene praescindant; *prioritas vero rationis imperfecta*, qua nihil proprie de re ipsa concipitur, admitti potest in divinis.

Circuminsessio vel *circuminsessio* (περιχώρησις) dicitur mutua inexistentialis et veluti recirculatio vitalis divinarum personarum, ratione *consubstantialitatis* et *immanentiae processionum*, atque etiam ratione simultaneitatis rationis *relationum* quibus constituuntur divinae personae.

Etsi *attributa absoluta* divinitatis, adeoque *opera ad extra*, tribus personis indivisim *communis* sunt, quaedam tamen aliis personis prae aliis attribuantur, sive, ut dicitur, *appropriantur*.

Personae procedentes vere et proprie *mitti* dicuntur. *Missio* vero est communicatio voluntatis ad effectum aliquem externum, quae in divinis non potest dari nisi per *processionem*. Praecipuae missiones sunt *missio Filii in Incarnatione* et *missio Spiritus Sancti in opere sanctificationis et in corpore Ecclesiae*.

375. *Termini logici*, mentales et orales, quibus exprimuntur divina, distinguuntur *essentiales* et *notionales*, ac possunt esse *abstracti* et *concreti*, *substantivi* et *adiectivi* (Deitas, Deus, Paternitas, Pater, generans, generat, generatur, Spiratio, Spirator, Spirans). In his adhibendis communiter exigitur ut *praedicatio sit formalis*, imo ut attendatur etiam *modus significandi*. Tamen ob simplicitatem divinam admittitur etiam *praedicatio identica*, nisi obstat specialis difficultas.

De his multa praecepta a theologis traduntur, quae in universum cavent ne quid innovetur «contra loquendi usum, sive ab Ecclesia approbatum, sive communi scholarum catholicarum consensu sancitum», quo periculum avertatur etiam apparetur, vel naturae unitatem destruendi, vel pluralitatem personarum negandi. Ceterum sub velamine quaestionis logicae latent non semel in his quae ab antiquis theologis proponuntur res magni momenti in ordine theologico et dogmatico²¹.

CAPUT II

De divinis processionibus

376. *Mysterium Sanctissimae Trinitatis* non his concluditur adhuc ex fontibus theologicis perpensis, quibus revelatur *modus essendi* divinitatis ut est in se, non iam prout ex creaturis attingi potest, nempe unius naturae in tribus distinctis personis subsistentis. Est enim *mysterium* non solum essentialis, sed etiam *vitae* et immanentis activitatis in natura deitatis; nam pluralitas personarum in divinis exhibetur nobis in ipsa revelatione veluti resultans ex infinita fecunditate immanentis cuiusdam ineffabilis activitatis vitalis¹. Secunda enim perso-

²¹ De modo loquendi et praedicandi, cf. S. THOMAM, q.30 a.3; q.31 a.2-4; q.39 a.3-6; SUÁREZ, l.3 c.5-9.11-13 et l.4; WIRCEBURGENSES, 364; MUNCUNILL, 1217-1221; PESCH, 614.648.

¹ SCHEEBEN, *Los misterios del cristianismo* § 10,59-60; cf. § 9,52-59.

na, Verbum, Filius, procedit a Patre vera generatione; tertia Spiritus Sanctus, a Patre et Filio originem habet, non autem gignitur. «Divina Scriptura, ut dicit S. THOMAS, in rebus divinis nominibus ad processionem pertinentibus utitur..., et sic fides catholica ponit processionem in divinis»: q.27 a.1.

Haec autem, quae, ut patet, ad dogma quoque trinitarium pertinent, necessaria prorsus sunt ad ulteriorem eiusdem mysterii declarationem utcumque perpoliendam. Quia enim «personae divinae secundum relationes originis distinguuntur», nec nisi per eas servata plena consubstantialitate distingui possunt (ut iam innuimus et plenius exponetur), ut quid Theologia, revelationis ductu, de altissimo mysterio balbutire possit, «secundum ordinem doctrinae prius considerandum est de origine, sive de processione; secundo de relationibus originis; tertio de personis»: q.27 prooem.

Caput de divinis processionibus tribus articulis distinguimus: 1.º de existentia processionum in divinis; 2.º de earum principio formali; 3.º de ipsis originibus seu actibus notionabilibus.

ARTICULUS I

EXISTENTIA PROCESSIONUM IN DIVINIS

Thesis 31. Dantur in divinis duae processioness immanentes.

S. TH., q.27; SUÁREZ, I.1 c.4; RUIZ DE MONTROYA, disp.1,3; GALTIER, 203-224.

377. Nexus. Etsi existentia processionum in divinis probatur singillatim ex fontibus revelationis de generatione Filii et processione Spiritus Sancti, iuvat generalem thesism statuere, qua proponantur notiones in sequentibus uberius expoliendae et rationes theologicae generales.

Notiones. PROCESSIO (graece προβολή, πρόβασις, ἐκπόρευσις), quo nomine utitur S. Scriptura Io 8,42; 15,26, idem est ac vera productio sive origo unius ab alio. Processio sive productio importat semper realem distinctionem inter terminum procedentem et principium a quo procedit. Processio transiens illa est cuius terminus extra principium producens exit, ut mundus processit a Deo creante. Productio sive processio immanens illa est, cuius terminus manet intra suum principium, ut intellectio manet in intelligente.

Processio in divinis non potest esse transiens, nam fieri non potest ut terminus productus sit Deus et extra Deum pro-

ducentem maneat. Processiones ergo divinae sunt immanentes; et quidem si hoc verbum sumitur sensu generaliore, quo simpliciter significatur terminus productus non esse extra Deum, seu extra personam producentem, ita ut habeant essentiam distinctam, est omnino de fide; hoc enim importat consubstantialitas personarum in divinis et unitas naturae divinae. Sed alio quoque sensu sunt immanentes, in quantum processioness divinae sunt «secundum operationes intellectus et volitionis», quae in omni natura sunt immanentes et vitales. Immanentia autem intellectionis et volitionis in divinis, atque adeo processionum secundum intellectionem et volitionem, est perfectissima seu metaphysica, sc. identitatis cum natura divina.

378. In productione creata substantiali, nempe in generatione, dicitur communicari natura; sed haec communicatio, quae mere specifica est, in tantum habetur, in quantum producitur nova natura similis naturae principii producentis. Verum in processionibus divinis habetur perfectissima communicatio eiusdem numero naturae, divinae sc., principii producentis in terminum productum; ideo terminus, persona, producitur, natura autem non producitur, sed tantum communicatur. Praeterea processioness divinae non sunt processioness operationis intellectionis et volitionis, quae improductae sunt et unicae in divinis, ut realiter identificatae cum divina essentia, sed potius per modum operati, per operationes intelligendi et amandi².

Processiones in divinis perfectissimae sunt ac sine ulla dependentia et causalitate proprie dicta; ideo apud latinos nomen causae non admittitur, sed tantum principii; auctores vero graeci, ut iam notavimus, utuntur voce αἰτία aequae ac voce ἀρχή, quod ab Ecclesia permissum est (D 691). Productio enim in divinis non est transitus a potentia ad actum, sed communicatio actus purissimi; neque importat transitum de non esse ad esse, seu aliquid quod fiat, in ordine temporis, ut patet, neque in ordine naturae, quia non est causalitas nec dependentia, neque in ordine rationis, quia esse personae procedentis est ipsum esse divinum, et praeterea personae constituuntur relationibus, quae sunt simul ratione.

379. Adversarii. Ut notat S. Thomas q.27 a.1, erraverunt in hac re tum ariani, tum sabelliani, qui negarunt veram processionem ad intra; priores personas procedentes constituerunt extra divinitatem; modalistae vero, negata distinctione

² BILLOT, De Deo uno et trino⁴ q.27,326,329.

reali personarum, necessario originem realem Verbi et Spiritus Sancti reicere debuerunt.

Omnes catholici, ut patet, necessarias ponunt processiones in divinis, ut unum modum quo possunt multiplicari personae.

Doctrina Ecclesiae perpetua est in symbolis et definitionibus, ut in sequentibus thesibus videbimus.

Valor dogmaticus. *De fide divina, catholica et definita*, sub notionibus generationis Filii et processionis Spiritus Sancti.

380. Probatur thesis. Ex fontibus revelationis in sequentibus probabitur, ut animadvertimus. Verbum *procedit* de Filio Io 8,42 et de Spiritu Sancto Io 15,26 legitur; non tamen ex solo hoc verbo thesim statuimus.

Ratio theologica. Origo sive processio est unica ratio qua possint plures personae subsistere in natura divina. Atqui tres sunt personae in divinis. Ergo dari debent duae processiones in divinis.

Maior patet ex axioma dogmatico et theologico: «in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio», quae non potest esse nisi relatio originis, ut in sequentibus declarabitur³.

Consequens de numero binario in sequenti thesi probabitur.

381. Ratio naturalis thesim probare nequit. Ipsa possibilitas processionis «magis fide tenetur, quam ratione probatur»⁴. Potest tamen ratio utcumque ostendere non probari repugnantiam processionis divinae, mentem quodammodo manuducere ad processiones divinas admittendas, et rationes oppositas negative solvere.

I. NON REPUGNAT PROCESSIO IN DIVINIS. Processio summae perfectioni divinae non repugnat *ex parte producentis*, nam in universum producere ad perfectionem pertinet. Ergo processio divina repugnaret, sive ex parte *termini producti*, eo quod habet esse ab alio, sive ex parte *ipsius productionis*. Atqui ex neutro capite repugnat.

Minor. a) Non repugnat processio in divinis ex parte *termini* procedentis. Ut non repugnet productio in divinis ex parte *termini producti*, opus est ut hic nullam importet imperfectionem, eo quod est productus. Ad hoc autem «necesse est quod productum recipiat idem numero esse, quod est in

³ Hoc axioma dogmaticum (D 703) in c.3 et 4 exponitur et declarabitur. V. interea RUIZ, d.1 s.4 et 5.

⁴ SUÁREZ, l.2 c.2 n.4.

producente [nempe esse imparticipatum]; nam si aliud reciperet, iam esset in producto esse participatum, quod plane includit imperfectionem», quia esset causatum et distinctum a natura principii. «Haec igitur productio talis esse debet ut communicetur idem esse». Atqui id non repugnat, etiam posita distinctione reali inter principium et terminum. «Quia illud esse est infinitum, et ideo est communicabile omnibus personis, cum quibus non dicit oppositionem»; seu id potest esse in illa natura, quae propter infinitatem potest identificari realiter cum principio producente et termino producto realiter distinctis. Imo perfectissima processio id postulat, quia «quanto perfectius procedit [terminus], tanto magis est unum cum eo a quo procedit» (I q.27 a.1 ad 2).

«Supposita igitur hac veritate, quod non repugnat productum recipere eandem naturam quae est in producente, facile intelligitur, et verum Deum posse esse productum, et talem productionem nullam includere imperfectionem. Primum patet, quia quicumque habet naturam divinam est verus Deus, sive illam habeat a se, sive communicatam ab alio. Secundum, quia ipsamet natura divina excludit omnem imperfectionem quia affert summam perfectionem»⁵.

b) Non repugnat ex parte ipsius productionis seu *processionis*, eadem ratione, quia nulla importatur dependentia et causalitas, ut in notione huius processionis declaratum est; et ipsae processiones seu origines sunt actus purus, ut in sequentibus exponetur.

382. 2. In divinis productionibus dantur modo infinito perfectiones quae in productionibus creatis non nisi imperfecte reperiri possunt. Nam:

a) Ex sensu communi ad perfectionem pertinet *posse producere*; sed quod terminus productus causatus sit, imperfectio est quae in ipsam productionem refunditur. In divinis autem datur perfectissima productio termini infiniti sine dependentia et causalitate.

b) Perfectior est productio *immanens* quam transiens; verum immanentia in productionibus creatis nequit esse perfecta. In productionibus autem divinis datur immanentia perfectissima identitatis in natura.

c) Imo quo perfectior est productio immanens creata eo minus entitatis habet *terminus productus*, ut patet in vita intellectuali et volitiva; quae autem perfectior est ratione termini producti, generatio viventis ex vivente, imperfectissima est in ratione immanentiae, et assimilatur productioni transeunti. In divinis autem productionibus per operationes perfectissime immanentes producuntur termini infinitae perfectionis.

383. Obiectiones. 1. Productio rei cuiuscumque est transitus a potentia saltem obiectiva ad actum. Ergo nequit dari in divinis.

Dist. antec. Si habetur per communicationem actus purissimi, *nego antec.*; *secus, conc. antec.* Nam eo ipso quod communicatur in productione natura

⁵ SUÁREZ, *ibid.*

quae est actus purus, terminus productus nequit considerari in mera potentia obiectiva.

2. Productum est ab alio. Ergo non est a se. Ergo non est Deus.

Dist. antec. Productum est necessario ab alio supposito, concedo *antec.*; est necessario ab alio in natura, nego *antec.* Ideo Deus productus est ab alio qui est idem Deus, non ab alio Deo. *Primum cons. nego*, vel claritatis gratia *dist.* Productum necessario habet esse ab alio supposito, *conc.*; productum non potest esse ens per essentiam, sed necessario est ens contingens, quod significat non esse a se, *nego*.

Inst. Productum accipit esse ab alio. Ergo est contingens.

Dist. antec. Productum accipit ab alio esse necessarium vel contingens, *conc. antec.*; praecise esse contingens, nego *antec.* *Dist. pariter cons.* Productum est contingens, si eius natura est contingens, *conc. cons.*; si eius natura est necessaria, *nego cons.*; vel etiam, si esse communicatum est novum seu causatum, *conc. cons.*; si communicatur esse incausatum, *nego cons.*

3. Persona divina, cum sit simplex, si producitur, tota producitur. Ergo etiam natura divina debet produci, si datur vera productio.

Dist. antec. Persona divina producitur tota secundum rationem personae, *conc. antec.*; secundum rationem naturae, nego *antec.* (cf. supra dicta de praedicatione in divinis).

Ideo secundum modum loquendi accuratiorem in Theologia, Concilium Lateranense IV probavit formulam PETRI LOMBARDI sensu formali: «una quaedam summa res... substantia, essentia seu natura divina... non est generans, neque genita, neque procedens» (D 432). Nihilominus ob simplicitatem divinam admitti possunt locutiones vel praedicationes «essentia generans, natura de natura...» quae inveniuntur in Patribus et ut dicit S. THOMAS q.39 a.5 ad 1, exponendae sunt «ut sc. nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia... ut sit sensus: Filius, qui est essentia et sapientia, est de Patre, qui est essentia et sapientia». Ideo cum Concilium Toletanum XIV dixisset: «voluntas genuit voluntatem», idque non bene Romae acceptum esset, post expositionem Toletani XV et XVI (D 294 296) Summus Pontifex acquievit eorum dictis⁶; nunc tamen hae locutiones adhiberi nequeunt.

384. Scholion. De prioritatem et posterioritate in divinis. Cum conceptus processionis inferre videatur quamdam prioritatem et posterioritatem inter principium et principiatum, omitti non potest ulterior horum terminorum in divinis declaratio.

Nullam dari in divinis prioritatem et posterioritatem *durationis* patet, et de fide est, in symbolo *Quicumque* expresse definitum (D 39). Eodem modo excluditur prioritatis dignitatis et *perfectionis*, ac prioritatis *naturae* proprie dicta, cum non detur in divinis causalitas et dependentia in esse.

At vero eo ipso quod dantur processionem, habetur in divinis «ordo originis» (cf. q.42 a.3), adeoque *prioritas et posterioritas originis*, ut communiter admittitur⁷. Haec autem *prioritas et posterioritas* nihil aliud dicit, nisi id quod dicitur *prius origine esse principium posterioris*, non autem e contrario, seu id quod dicitur *posteriori origine habere originem a priori*, et non viceversa⁸. Datur autem *prioritas et posterioritas originis* tantum inter

⁶ RUIZ, d.80 s.4; PETAVIUS, l.6 c.12; DE RÉGNON, 2,252-266; PESCH, 511; *Theologische Zeitfragen* 2 (Freiburg 1901) 7-16; J.MADOZ, *La Teología de la Trinidad en los símbolos toledanos*: *RevEspT* 4 (1944) 472s; *San Julián de Toledo*: *EstEcl* 26 (1952) 50-51. LATERANENSE IV consubstantialitatem personarum definitivum contra larvatum tritheismum Abbatis Ioachim, ac noluit damnare modum loquendi antiquorum, quem eo ipso tempore tenebat RICHARDUS A S.VICTORE, *De Trinitate* l.6 c.22: *ML* 196,986-987. Verum, ut notat PESCH, l.c., ipse modus loquendi PETRI LOMBARDI, qui unus proprius est, stabilis evasit hac definitione.

⁷ Cf. RUIZ, d.105 s.2-5.

⁸ SUÁREZ, l.7 c.7 n.13.

personas formaliter ut tales, seu inter principium quod et terminum qui singularum processionum, ut etiam inter notiones, quae cum ipsis formaliter identificantur, ut sunt respectivae relationes et origines. Haec autem *prioritas et posterioritas est realis*, sed simul coniuncta cum *perfecta similitudine rationis*; ac ratio est quia ea inter quae datur sunt relativa ad invicem, quae sunt simul cognitione: q.42 a.3 ad 2.

385. DE PRIORITATE ET POSTERIORITATE RATIONIS IN DIVINIS⁹. Distingui debet triplex *prioritas rationis*: *perfecta* seu in subsistendi consequentia, *imperfecta*, et *prioritas mere in ordine nostrae cognitionis de divinis*.

Prioritas perfecta, quae habetur cum alia notio stat sine alia, haec autem non stat sine priore, datur in divinis inter quaedam *essentialia*, ut intellectio nem et volitionem, et inter *diversa signa providentiae*; quia ad hanc prioritatem datur *fundamentum in re*, neque obruitur opposita *prioritate* aut *simultate* rationis in eadem linea. At non datur inter *notionalia*, quia, ut nuper dictum est, sunt formaliter relativa et *simul ratione*; neque inter *essentialia et notionalia*, quia licet aliquid *fundamentum* habeat obiectivum, ut videbimus, in quantum *notionalia* exiguntur ab *essentialibus*, tamen ex alia parte *essentialia* non subsistunt personaliter nisi in *notionalibus*, quae ideo logice praesupponuntur.

Prioritas et posterioritas rationis imperfecta oritur ex quacumque distinctione sive reali, sive rationis, et potest esse mutua; haec autem admitti potest in divinis, et fundatur in nostro imperfecto modo concipiendi ipsas notiones divinas, *sine proprie dicto fundamento in re*; quare, etsi utilis esse potest ad ordinandos nostros conceptus circa divina, nihil ex ea deducere possumus, ut in peculiaribus quaestionibus notabimus.

Tandem in ordine ad *nostram cognitionem* de divinis *essentialia sunt simpliciter priora notionalibus*, quia illa ratione naturali cognosci possunt, et ipsa revelatio prius illa clare notificavit: q.33 a.3.

Thesis 32. Solus Pater in divinis non procedit; unde notio «ingeniti» illi propria est.

S.TH., q.33; SUÁREZ, l.1 c.4; l.8 c.1,2; RUIZ, d.52 s.1-4; MUNCUNILL, 957-960.1222-1239; PESCH, 508-511.

386. Nexus. Posito dari processionem quibus divinae personae multiplicentur, quaeritur an omnes tres personae originem habeant. Huic quaestioni respondet doctrina catholica primam personam, *Patrem nullo modo procedere, eamque solam*, ideoque *Filium et Spiritum Sanctum* originem habere, quo sequitur duas tantum esse processionem in divinis. Velut corollarium explicatur doctrina patristica et theologica de *notione Ingeniti* seu *Innascibilis* (ἀγέννητος).

Notiones. Quid sit *NOTIO* in theologia trinitaria dictum est supra, nempe ratio obiectiva non conveniens tribus personis, adeoque apta ad notificandum aliquid de mysterio Trinitatis, sive formaliter relativa sit, sive non.

⁹ RUIZ, d.94 s.2.

VOX INGENITUM (ἀγέννητον)¹ non generatum, in usu scriptorum potest significare:

a) Quod cum sit subsistens non est *factum*, seu productum a principio extraneo et distincto secundum naturam, quae est generatio sensu philosophico generali, *productio substantialis* (v.n.391). Hoc sensu Deus et natura divina, quidquid cum natura divina identificatur, est ingenitum; quare hoc sensu tres personae divinae dici possent ingenitae.

b) Quod non est productum per *generationem viventium* proprie dictam, sive nullo modo productum sit, sive productum alio modo, sive cum causalitate, sive sine causalitate et dependentia. Ita dici possent ingenita in divinis natura, Pater et Spiritus Sanctus; in creatis angeli, Adam et Eva, anima humana, entia non viventia.

c) Quod non est productum *ulla reali productione*, et hoc modo convenit naturae divinae et personae Patris; sed cum hoc discrimine, quod essentia divina ita est improducta ut ei non repugnet identificari cum personis productis Filio et Spiritu Sancto; Pater autem ita improductus ut nequeat identificari cum persona producta.

d) Quare magis proprie et *antonomastice* dicitur *ingenitus Pater*, eo quod ei *repugnet identificari realiter cum termino quolibet modo producto*. Hoc sensu sumitur Ingenitum, cum significatur ut notio propria Patris.

387. **Adversarii.** Patrem nullo modo produci nullum habet adversarium inter veros theistas; eum solum non procedere ad intra adversarios habet antitrinitarios omnes.

Quoad notionem *ingeniti* attinet, ariani, *eunomiani* praesertim, abusi sunt confusione qua in usu scriptorum non satis distinguebantur voces ἀγέννητον *non factum*, et ἀγέννητον *non generatum*, ita ut saepe difficile sit eruere an prius, an posterius significant, imo quatenam ex his vocibus adhibita sit ab auctoribus graecis. Cumque vox ingenitum ἀγέννητον translata fuerit iam a primis saeculis, tam a philosophis, quam a christianis, ad significandas res divinas, notionem *ingeniti* pro nota divinitatis assumebant, seu pro aseitatem; ideo Filio genito veram divinitatem negabant². Patres vero saec.IV utrumque sensum, *non generatum, non factum*, accurate distinguebant; ac tandem S.Ioannes Damascenus technice utrumque verbum

¹ RUIZ, d.52 s.1-2; PETAVIUS, 1.5 c.5; DE RÉGNON, 3,185-259; LEBRETON, 2 not.C 634-647; D'ALÈS, *De Deo Trino* 128-130; P.STIEGEL, *Der Agnesiebegriff in der griechischen Theologie des vierten Jahrhunderts* (Freiburg 1913); L.PRESTIGE, "Ἀγέννητος and γεννητός and kindred words in Eusebius and the early arians: *Journal Theolog. Stud* 24 (1923) 486-496; J.BILZ, *Die Trinitätslehre des hl.Ioannes von Damascus* (Paderborn 1909) 180ss.

² DE RÉGNON, o.c., 196-203,219-227.

ἀγέννητον et ἀγέννητον segregavit, ita ut prius de solo Patre diceretur³.

Doctrina Ecclesiae de prima parte continetur definitionibus symboli *Quicumque* (D 39), *Lateranensis IV* (D 428), *Florentini* (D 703 704) et professione fidei *Toletani XI* (D 275) etc. Vox ingenitum de solo Patre dicitur iam in *Toletano I* (D 19).

Valor dogmaticus et theologicus. Prima pars *de fide saepe definita*. Secunda saltem *theologica certa*.

388. **Probatur prima pars.** **Sacra Scriptura** numquam dicit Patrem procedere, cum id dicat de aliis personis. Atqui, cum Deus sit a se, asseri nequit aliquid divinum esse productum, nisi id expresse dicatur, quod

Sancti Patres diversis modis exponunt et probant, et hoc sensu adhibent de Patre voces *innascibile* vel *ingenitum*, ἀγέννητον, *principium sine principio*, ἀρχὴ ἀναρχος (etsi interdum ἀναρχον significat tantum sine initio durationis, γεννησιον ἀναρχον [R 679]), ac dicunt Patrem esse *principium totius deitatis*, sensu quidem non formali; ac in usu vocis ἀγέννητος licet interdum nondum plene eam ab ἀγέννητος distinguant, tamen in ea adhibenda Patres manifeste intendunt excludere a solo Patre omnem processionem; imo ex eo quod *unus est ingenitus*, probant servari unicatam divinam, ut iam notavimus in traditione de Trinitate⁴.

Ita S.ALEXANDER ALEXANDRINUS: «Igitur ingenito Patri propriam dignitatem servemus, dicentes nullam illi esse causam essendi» (R 679). S.BASILIVS: «Unum enim novimus ingenitum... Patrem Domini nostri Iesu Christi» (R 917), qui contra eunomianos, ut alii Patres, dicit ingenitum non esse essentiam divinam (R 932). S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Unus Pater ingenitus» (R 983); «Pater pater est et sine principio, non enim ex aliquo; Filius filius est ac non sine principio est, ex Patre siquidem» (R 1009). S.HILARIUS: «Filium innascibilem confiteri impiissimum est. Iam enim non erit Deus unus quia Deum unum praedicari natura unius innascibilis Dei exigit. Cum ergo unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt, cum idcirco unus Deus sit (cum et Pater Deus sit, et Filius Dei Deus sit), quia innascibilitas sola penes unum sit» (R 880). S.AUGUSTINUS: «Pater... non habet de quo sit... Pater vero a

³ DE RÉGNON, o.c., 204-216,227-242,249-254.

⁴ Supra, n.332,348.

nullo» (R 1657). «Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus» (R 1681).

Ratio theologica. Supposito mysterio trium personarum, et quod ratio personae non possit multiplicari in divinis nisi per productiones, a) aliqua persona in divinis debet esse improducta; si enim omnes essent productae, prima non posset intelligi nisi producta ab essentia divina; ergo distingueretur realiter ab illa, quod radicitus mysterium destrueret. b) Non nisi una persona potest esse improducta; nam duae personae improductae non possent distingui, neque per attributa absoluta, quae communia sunt tribus, neque per relationes, nam non daretur inter illas relatio producentis et producti, quae una in divinis admitti potest: q.33 a.4 ad 4⁵.

389. Probatur secunda pars. Ingenitum esse *notionem* (ἰδιώμα γνωριστικόν), attributum quo Pater innotescit ut distinctus ab aliis personis sensu declarato, PATRES tum graeci, tum latini saepe docuerunt, ut locis relatis notatur, et S.IOANNES DAMASCENUS colligit: «Credimus in unum Patrem... qui solus sine principio, ἀνάτιον, et ingenitus, ἀγέννητον, est» (R 2342).

Rationem dat S.THOMAS: «Pater innotescit quidem paternitate et communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes. In quantum est principium non de principio, innotescit per hoc quod non est ab alio. Quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen ingenitus»: q.33 a.4. Et licet Ingenitum *formaliter* non dicat relationem, cum potius tantum neget relationem geniti, tamen *reductive et praesuppositivè* relationem importat, nam in divinis principium non productum necessario debet esse produciens: ad 2 et 3. Ideo non solet dici proprietatis personalis, quia hae sunt formaliter relativae; et id habet peculiare quod sit *tantum notio*, cum aliae notiones sint formaliter relativae.

390. Obiectiones. Discrimen procedentis vel non procedentis non importare in divinis inaequalem perfectionem in sequentibus declarabitur.

1. Ingenitum, secundum S.THOMAM ad 2, dicit quodammodo privationem. Atqui privatio dicit carentiam perfectionis debitae. Ergo notio ingeni Patri perfectissimo tribui nequit.

Resp. Eo ipso quod S.THOMAS dicit ingenitum significare «quodammodo» privationem, patet eum non agere de privatione proprie dicta. Ideo *dist. mai.* Ingenitum dicit privationem proprie dictam, *nego*; ingenitum dicit privationem minus proprie dictam, in quantum dicit aliquid non generatum; cum generatum esse competat Filio, qui habet eandem naturam ac Pater, aliquid proinde naturae divinae non repugnans, et illi in aliquo subiecto debitum, *conc. Contradist. min.* Privatio proprie dicta importat carentiam perfectionis debitae subiecto, *conc.*; privatio minus proprie dicta, *nego* 6. Iam innascibilitas in Patre dicit carentiam generationis ac cuiuscumque processionis, quae carentia perfectionem importat necessariam illi personae Trinitatis cui tribuitur.

⁵ SUÁREZ, I.1 c.4 n.12-14; J.RABENECK, *Das Geheimnis des dreipersonlichen Gottes* (Freiburg 1950) 67,79-81.

⁶ RUIZ, d.53 s.3.

2. Notio ingeni dicit negationem. Atqui negatio in divinis poni nequit. Ergo non admittenda est.

Dist. mai. Ingenitum in divinis dicit negationem formaliter explicite, *conc. mai.*; fundamentaliter et implicite, *nego mai.*, nam supponit relationem positivam paternitatis; ita probabilius S.Thomas ad 17.

Thesis 33. Filius seu Verbum procedit a Patre per veram generationem.

S.Th., q.27 a.2; RUIZ DE MONTOYA, d.4 s.1-4; FRANZELIN, th.30; MUNCUNILL, 968-972; PESCH, 512-517.

391. Nexus. Iam ad realem existentiam processionum in divinis ex fontibus revelationis probandam accedimus. Et quidem primo probamus *generationem secundae personae*; nempe Filium seu Verbum vere et simpliciter habere originem a Patre, sicut in universum filii a parentibus originem ducunt (demptis, ut patet, imperfectionibus); quo ostenditur processionis nomine in fontibus *veram ad intra productionem* significari, non quid aliud, ut meram missionem ad extra. Nondum quidquam dicimus in thesi de intima *quidditate* divinae generationis, de qua in art. sequenti.

Notio generationis. Nomen generationis et verba eiusdem radices saepius a philosophis adhibita sunt, tam in rebus naturalibus, quam in divinis. ARISTOTELES generationem appellavit productionem seu conversionem substantialem ex praesupposito subiecto, in oppositione ad alterationem accidentalem, «et sic generatio est mutatio de non esse ad esse»: q.27 a.2. Ortus rerum omnium a Deo saepe etiam generatio dictus est in scholis hellenicis; tandem a neoplatonicis et gnosticis peculiari modo hoc nomine decorabantur prolationes seu emanationes eorum et aliorum entium, quae inter Deum et res creatas media quadam incondita et confusa entitate donabantur¹. His autem omissis, proprio et stricto sensu, prout ab omnibus communiter accipitur,

392. GENERATIO intelligitur *propagatio viventium a propriis et univocis principiis*, seu productio vitalis qua vivens oritur ab alio vivente eiusdem naturae, per communicationem propriae substantiae producentis, ac definiri solet: *origo viventis a vivente, ex principio coniuncto, in similitudinem naturae*². In hac definitione particula *ex principio coniuncto* indicat *peculiarem immanentiam* propriam operationis generati-

⁷ SUÁREZ, I.8 c.2 n.9-12.

¹ Eas describit S.IRENAEUS, *Contra haereses* 1,24,3: MG 7,675-676; cf. LEBRETON, 2 praesertim 94ss.

² SUÁREZ, I.9 c.1 n.4; RUIZ, d.6 s.1-3; ac communiter ceteri theologi.

vae; generatio enim, ut actio vitalis, exercetur in ipso subiecto operante, licet sit productio novi individui; quare novum vivens producitur *ex substantia generantis*, et habetur in illa *communicatio propriae substantiae*, ac principium generans coniunctum est proli per aliquid proprium sui, quod est vel fuerit generantis et maneat in generato, ita ut generans «se ipsum moveat»: CG 4,11. Verba *in similitudinem naturae* significant non solum terminum productum esse similem in natura principio producenti, ut individuum illius naturae, sed etiam *productionem generativam tendere formaliter in similitudinem naturae in terminum refundendam*, ita ut haec similitudo non sit quasi per accidens, sed vi originis et ex intentione productionis, quod plures expriment addita definitioni particula «vi productionis».

Generatio divina *ineffabilis* est, et analogice tantum convenit cum generationibus creatis, quod multis modis declarant Sancti Patres. Generatio enim divina est in primis *aeterna*; est etiam plane *immaterialis*, ut propria naturae spiritualis; neque est per *decisionem* aut fluxum substantiae, cum natura divina simplicissima sit; imo *communicatio naturae perfectissima* est, quia natura Filii non est nova, distincta a natura Patris, sed eadem numero.

393. Adversarii. Adversantur doctrinae catholicae de generatione Verbi omnes haeretici antitrinitarii, ut dictum est. Praesertim *ariani* hoc dogma directe impugnarunt; asserebant quidem illi Verbum esse productum, sed creatum non generatum; ideoque *metaphorice* tantum et ex gratia vocari filium.

Doctrina Ecclesiae. In PRIORIBUS SYMBOLIS generatio secundae personae exprimitur simplici formula fidei «in Iesum Christum Filium Dei unicum» (D 155). S.DIONYSIUS ROMANUS eam explicat (D 49 50). In *Nicaeno* electae sunt voces *consubstantialiam* et *ex substantia Patris* (ὁμοούσιον, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς) cum anathematismis, ad firmandum conceptum verae productionis generativae (D 54). Ex aliis symbolis *Quicumque* (D 39), *Chalcedonense* (D 148) in quo agitur de utraque nativitate Christi, *Lateranense IV* (D 428 432) et *Toletanum XI* (D 275 276), ubi uberius declaratur doctrina catholica.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica saepe definita.*

394. Probatur ex sacra Scriptura. 1. Christus dicitur *unigenitus*, *verus* et *proprius Filius Dei*, ut probatum est in

thesi 26³; in specie notari potest Io 1,14.18, ubi probabiliter legitur in graeco *unigenitus Deus, qui est in sinu Patris* (μονογενὴς θεός, ὃς ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς) et Io 3,16.18. Atqui filius vere et proprie dictus et unigenitus dicitur vivens generatione productum.

2. Ps 2,7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Psalmus est messianicus, ut patet ex v.2 et ex N.T., Act 13,33; Hebr 1,5; 5,5. Atqui v.7, ex ipso contextu et ex unanimitate Patrum interpretatione docetur aeterna generatio Christi⁴.

Nomen filii Dei tribuitur certe in V.T. aliis quam proprio et naturali Unigenito; ita a) in plurali, *bene elohim*, angelis Iob 1,6 etc. ut ad categoriam caelestium pertinentibus; b) in singulari sed collective populo Israel Ex 4,21.23; Deut 32,6. 11.19 etc., ex peculiari benevolentia et ad modum adoptionis, in figura futurae adoptionis per gratiam; c) singulari modo regi Salomon 2 Reg (Sam) 7,14 (Ps 88,27s), ubi ipsa formula, *ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium*, minuit plenam filiationis significationem. At forma Ps 2,7 nemo in usu omnium linguarum serio aliquem vocat filium, nisi proprium filium vere generatum.

Roboratur significatio secundo hemistiquio: *ego hodie genui te.* Verbum hebraicum *yalad* significat ex se generationem proprie dictam. Dicuntur quidem alia gigni a Deo eo fere sensu quo nomen filii minus stricte adhibetur Deut 32,18, ac praeterea res inanimatae in quantum creatae sunt Ps 89,2; Iob 38, 28, quod usu venit quoque apud philosophos; sed uni individuo dictum semper et ubique significat generationem naturalem. Connexio ergo utriusque hemistiquii firmat omnino sensum unicum possibilem huius loci.

Ergo expresse docetur in hoc psalmo generatio proprie dicta Messiae ut Filii Dei. *Hodie* autem refertur connaturaliter ad praecedens «Dominus dixit ad me», quasi dicat: «quando Iahve me genuit, tunc me esse filium suum... declarat his verbis»⁵. Iure igitur interpretantur Patres indicari hoc verbo aeternitatem generationis Filii.

3. Ex textu multo probabiliore Ps 109,3: *Tecum principatus in die ortus tui in splendore sanctitatis; ante luciferum tamquam rorem genui te;* quo etiam communiter arguunt Patres. Psalmus messianicus est, ut constat ex N.T. Mt 22,43 et alibi. Textus masoreticus v.3 qui ita sonat: *Populus tuus promptis-*

³ V. supra n.301-311.

⁴ A.VACCARI, *De Messia Filio Dei in V.T.*: VerbDom 15 (1935) 48-55.77-83; E.PANIER-H.RÉNARD, *Les Psaumes* ed.Pirot (Paris 1950) 61-63; F.SEGULA, *Messias Rex in Psalmis*: VerbDom 32 (1954) 21-33. Admitti non posse videntur quae de hoc loco docet cum aliis CEUPPENS, 2.28.171.

⁵ VACCARI, l.c., 82.

simus die fortitudinis tuae in ornatibus sacris; ex utero aurorae tibi ros adolescentiae tuae, difficilis est, ac valde differt a versionibus graeca, syriaca, vulgata et aliis, quae longe antiquiores sunt et sensum hunc referunt: *Messiae adscribitur sacer principatus fundatus in aeterna generatione qua a Deo procedit modo arcano, sicut ante auroram ros matutinus veluti gignitur* ⁶.

4. Patres etiam de generatione Verbi interpretantur in controversia ariana, et postea unanimiter ab Ecclesia adhibentur, textus ex libris sapientialibus, qui originem sapientiae hypostaticae a Deo exhibent verbis ad generationem pertinentibus: Prov 8,22-25: *Dominus collegit me (kanani, generatione possedit me)... iam concepta eram... ante colles ego parturiebar. Eccli 24,5: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Iam haec sapientia hoc modo orta ex Deo «evidenter non est quaerenda in humanis»* ⁷.

395. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES affirmant, explicant et defendunt contra arianos generationem Verbi omnibus modis quibus designari et significari potest, cum conscii sint agi de re difficillima. Capita doctrinae ab iis proposita haec fere sunt: a) in *catechesibus* et *expositionibus fidei* asserunt et ex Scripturis probant Filium Dei originem habere non ex nihilo, nec per creationem, neque voluntate (libera), sed ex substantia et natura; b) ad processionem Filii designandam utuntur omnibus fere *nominibus ad generationem spectantibus*, conceptione, nativitate, partu etc.; c) *aequiparant* generationem aeternam Verbi temporali Christi nativitati; d) praesertim magnopere laborant in *removendis* a divina generatione, quam ineffabilem vocant, omnibus *imperfectationibus*, ita ut Filius non sit factus, eius generatio sit aeterna (quod de creatione omnino negant), et immaterialis cum Verbum e mente procedat, ac contra obiectiones arianorum saepe explicant divinam generationem non esse per decisionem aut fluxum substantiae Patris sed per communicationem eiusdem totius substantiae, quod ut declarent afferunt comparationes lucis et splendoris emanantis a sole; e) tandem ex *vera generatione* Filii eius divinitatem et pluralitatem personarum in Deo probant ⁸.

Cum plures textus Patrum allati sint in probanda ex traditione Trinitate personarum in Deo, sufficit ex magna segete testimoniorum unum alterumve describere. S.IUSTINUS: «Eius autem Filius, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum... genitum est» (R 130). TATIANUS: «Verbum autem non in vacuum progressum fit opus primogenitum Patris... Natum est autem per communicationem, non per abscissionem. Nam quod abscissum est a primo separatur. Quod autem per communicationem progreditur... id eum non imminuit ex quo desumptum

⁶ Liber *Psalmodum cura Professorum Instituti Biblici* (Roma 1954) 234-235; PETAVIUS, l.5 c.7; FRANZELIN, 397 cum n.1; POHLE, 413.

⁷ VACCARI, l.c., 79; cf. th.26 n.324.

⁸ GALTIER, 257.

est» (R 153). ATHENAGORAS: «Agnoscimus et Dei Filium. Nec quisquam ridiculum existimet Deo esse Filium...» (R 164).

CLEMENS ALEXANDRINUS: «Cum dicit: Quod erat ab initio, generationem tangit sine initio Filii simul cum Patre exstantis. Erat ergo verbum aeternitatis significativum est...» (R 442). EUSEBIUS CAESARIENSIS: «Proposita nobis theologia, quae est ultra omnem comparationem, nihil corporalibus simile offert, sed acutissimae cogitationi praesentat Filium genitum, qui... ante tempora aeterna fuit et praecessit, et Patri tamquam Filius semper adfuit, et non ingenuus, sed genitus ex ingenito Patre, unigenitus... illumque non per divisionem aut sectionem aut separationem ex Patris substantia productum... nos docet» (R 668).

396. S.ATHANASIVM perpetuo haec inculcare contra arianos notum est (v. R 755 756 760 761). S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS in *Catechesibus*: «Crede etiam in Filium Dei, unum et solum... ex Deo Deum genitum... sempiternae et incomprehensibiliter ex Patre genitum...» (R 816); «Est autem Deus multorum quidem abusive Pater, unius vero solius, unigeniti Filii Dominique nostri Iesu Christi, natura et veritate Pater, non temporum successu adeptus ut sit Pater, sed semper Unigeniti Pater existens...» (R 823); «Genuit Pater Filium, non ut in hominibus mens gignit verbum... Nos autem scimus Christum genitum esse Verbum non prolatitium, sed Verbum subsistens et vivens, non labiis enuntiatum et diffusum, sed ex Patre sempiternae et ineffabiliter et in subsistentia genitum» (R 825); «Pater genito Filio... non mutatus est... nec quidquam ipse perdidit imminutus vel mutatus, nec genitus habet quidquam deficiens. Perfectus gignens perfectum genitum; Deus gignens, Deus genitus, Deus omnium Deum Patrem suum adscribens» (R 826).

S.HILARIUS: «Et primum quaero, quam nativitas Filii naturae novitatem potuerit inferre ne Deus sit... Quis rogo furor est nativitatem unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam, cum nativitas non nisi ex proprietate naturae sit, et iam nativitas non erit, si proprietate naturae in nativitate non fuerit?» (R 866); «Non habet igitur fides duos deos, quia nec duos Patres habet, nec duos filios... nec duos deos Dei ex Deo veritas perficit, nec singularem Deum Dei patitur nativitas» (R 867). S.AMBROSIUS: «Propter Patrem vivit Filius, quia ex Patre Filius est; propter Patrem quia unius substantiae cum Patre; propter Patrem quia eructatum est Verbum ex Patris corde, quia a Patre processit, quia ex paterno

generatus est utero, quia fons Pater Filii est, quia radix Pater Filii est (R 1271).

Ratio theologica, non quidem thesim probare nititur, sed quidditatem divinae generationis declarare, atque in ea perfecte rationem generationis adesse⁹.

397. Obiectiones. 1. Ps 2,7 dicitur de Messia homine, huncque locum N.T. de Christo in resurrectione dici manifestum est ex Act 13,33. Ergo non potest probari ex illo aeterna Verbi generatio.

Dist. antec. Dicitur etiam de Christo homine, sed dicitur generatio aeterna nempe quatenus terminata ad Christum Verbum incarnatum, sive in ipsa Incarnatione, sive in eius plena manifestatione in resurrectione, *conc. antec.*; dicitur de Messia non Verbo a Patre vere generato, vel de Christo mere quoad humanitatem, *nego antec.* A primo Incarnationis momento Christus homo gignitur a Patre, quatenus eo instanti et deinceps humanitas Christi manet coniuncta hypostatice cum Verbo quod Pater aeternae gignit. Illud ergo *hodie* ut dictum de Christo homine potest applicari ad quodvis momentum vitae Christi, sicut quodvis momentum temporis coexistit cum generatione aeterna. Peculiari vero modo refertur vel ad instans Incarnationis, vel ad resurrectionem cum Christus manifestatus est plene Filius Dei (cf. Rom 1,4)¹⁰.

2. Theoriae de generatione Verbi apud scriptores antenicaenos non videntur exprimere quod primo aspectu sonare videntur, veram generationem aeternam ad intra in divinitate. Ergo eorum dicta non probant thesim.

*Transmisso antec.*¹¹ *nego cons.*, nam illae theoriae inventae sunt ad explicandam doctrinam in revelatione traditam de vera Verbi divini generatione, et in ea fundantur; ideo eorum scriptorum dicta optima sunt testimonia doctrinae catholicae.

3. S.IGNATIUS vocat Christum ut Deum ingenitum, ἀγέννητον, et solum genitum, γενητόν, in quantum est homo (R 39). Ergo non admittit generationem aeternam Verbi.

Dist. antec. S. Ignatius vocat Christum ut Deum ἀγέννητον sumpto hoc verbo sensu increati vel infecti, *conc. antec.*; sensu non geniti ad intra, *nego antec.* Ut in thesi superiore vidimus, verbum ἀγέννητον eo tempore nondum definitam habebat significationem innascibilitatis, sed potius multo communis adhibebatur sensu aseitatis. Aliunde filiatio aeterna Christi Ignatio non est ignota¹².

Thesis 34. Spiritus Sanctus, non quidem per generationem, vere tamen a Patre et Filio aeternaliter procedit.

398. Nexus. Ad existentiam secundae in divinis processioneis probandam accedimus, verae nempe originis Spiritus

⁹ V. infra th.40; q.27 a.2.

¹⁰ F.PATRIZI, *De interpretatione S.Scripturarum* I.1 n.36; FRANZELIN, 397-398.

¹¹ V. th.28.

¹² LEBRETON, 2,312-319 cf. C.643-647. De modo quo generatio aeterna exprimitur a Patribus, cf. A.SEGOVIA, *Natus est: Natus est: La eterna generación del Hijo de Dios y su enunciación verbal en la literatura patristica*: RevEspT 8 (1948) 385-408; apud scholasticos, eiusdem auctoris, *La eterna generación del Hijo de Dios y su enunciación verbal en la Escoldística, Síntesis de Diego Ruiz de Montoya*: ArchTeolGran 19 (1956) 151-234.

Sancti a Patre et a Filio, quae tamen non est generatio. Utrumque caput coniungimus, quod ad fidem pertinet, quodque inter se connexum est.

Notiones. Satis patet sensus thesis. Spiritus Sanctus, tertia in divinis persona, realiter a Patre et Filio distincta, ac verus Deus ut aliae duae, *originem habet ab utraque*, per processionem immanentem et communicationem unius essentiae divinae. Nomen igitur PROCESSIONIS non meram missionem temporalem significat, aut quid aliud, sed veram productionem, ut est processio Filii a Patre. Verumtamen haec ineffabilis processio non est *generatio*, ideoque Spiritus Sanctus non est filius, nec Patris, nec Filii. Rationem difficilem discriminis inter utramque processionem nondum agimus. Inde vero, sc. ex agnita difficultate utriusque processionis discernendae, non solo nomine processionis, agi de vera origine maxime ostenditur, cum aliunde mysteriosa haec processio fere cum eiusdem personae missione revelata sit.

399. Adversarii. *Pneumatomachi*, cum negarent divinitatem Spiritus Sancti, dicebant ipsum esse factum per Filium, ut creaturam, quare implicite, aut etiam explicite, negabant ipsum immanenter a Patre procedere. Ideo Patres ipsos impugnantem et definitio Concilii Constantinopolitani contra eos edita, ad divinitatem Spiritus Sancti propugnandam in aeterna eius a Patre origine et processione insistere debuerunt, eoque capite docuerunt tertiam personam non ut creaturam per Filium esse creatam; non tamen etiam a Filio procedere negaverunt, imo et id asseruerunt¹. Cumque quidam pneumatomachi obicerent eum fore filium si a Patre originem haberet, id negaverunt, ipsumque procedere sed *non esse genitum* affirmarunt.

400. Orientales separati, duce PHOTIO, tenent Spiritum Sanctum a solo Patre, non a Filio procedere². Id iam THEODORUS MOPSUESTENUS et THEODORETUS CYRENSIS adversus S.Cyrillum Alexandrinum tenuisse videntur³. Initia vero controversiae de processione Spiritus Sancti a Filio reperiuntur in animadversionibus *monotheletarum* contra epistolam sy-

¹ V. FRANZELIN, th.38.

² Ingens est numerus scriptorum de hac quaestione. Inter recentiores, praeter theologos omnes, cf. DE RÉGNON, 4,6-108; A.PALMIERI, *Esprit Saint* 2: DTC 5,762-929; *Filioque*: DTC 5,2309-2343; FRANZELIN, *Examen doctrinae Macarii Bulgakov et Iosephi Langen de Processione Spiritus Sancti* (Roma 1876); M.JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientalem ab Ecclesia catholica dissentientium* (Paris 1926-1933) 1,154-223; 2,296-502; M.GORDILLO, *Theologia dogmatica comparata* (Roma lith. 1933) 3; *Compendium Theologiae Orientalis* (Roma 1939) 97-133.

³ GORDILLO, *Comp.* 99; JUGIE, 1,154-157; DE RÉGNON, 182-185; FRANZELIN, th.38, 515-519; L.LOHN, *Doctrina graecorum et russorum de processione Spiritus Sancti a solo Patre* (Roma 1934) 11-15.

nodicam S. Martini Papae, quia in illa, secundum formulam latinam simpliciter dixerat Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio, cum graeci potius dicerent procedere a Patre per Filium; verum S. Maximus Confessor ostendit eandem esse doctrinam utraque formula expressam. Primis saeculi IX annis iterum excitata est quaestio, dum in Occidente theologi karolini suspectam habuerunt formulam graecorum per Filium quam summi Pontifices orthodoxam esse defenderunt, et orientales male acceperunt additionem particulae *Filioque* in symbolo a monachis latinis hierosolymitanis exemplo occidentis inductam⁴.

Maxime vero errorem negantem processionem Spiritus Sancti a Filio promovit PHOTIUS⁵, cuius sententiam assumpserunt fautores schismatis orientalis velut tesseram orthodoxiae, ita ut haec fuerit una ex praecipuis quaestionibus semper ac de schismate actum est. Photius, et cum eo omnes fere separati usque ad nostram aetatem, negat Filium ulla habere partes in aeterna Spiritus Sancti processione, ita ut neque admittat eum a Patre veluti mediante Filio procedere, et erroneam habeat sententiam latinorum. Ideo nullo modo admittunt posse dici Spiritum Sanctum *procedere* (ἐκπορεύεσθαι) a Patre et Filio; ut summum permittunt eum procedere a Patre per Filium, aut etiam *prodire, profluere* (προϊέναι, προχέειν) a Patre et a Filio, quibus tamen nominibus nolunt intelligi aeternam ad intra processionem, sed meram temporalem missionem.

Recentius plures sunt qui doctrinam ipsam latinam permittant, verum non ut ad fidem pertinentem, sed ut theologúmenon, meram theologiam opinionem. Tandem omnes acriter invehuntur in *additionem particulae «Filioque»* in symbolo, quam erroris incusant, licet permitti posset doctrina in ea expressa⁶. Negatio tamen explicita processionis Spiritus Sancti a Filio non reperitur in eorum libris liturgicis et symbolis⁷.

401. Doctrina Ecclesiae. Spiritum Sanctum non esse genitum tradit symbolum *Quicumque* (D 39), *Toletanum XI* (D 277), et aequivalenter *Lateranense IV* (D 428), atque omnia documenta quae Filium Unigenitum dicunt.

⁴ TIXERONT, 3,518-527; DE RÉGNON, 187-212; JUGIE, I,158-179; GORDILLO, 100-112; LOHN, 15-38.

⁵ Photius non semper eadem docuit de Spiritus Sancti processione. V. J.HERGENRÖTHER, *Photius* (Freiburg 1867-1869); *Animadversiones in librum de Spiritu Sancti Mystagogia*: MG 102,399-542; JUGIE, I,180-223; *Schisme byzantin*: DTC 14; J.ΣΛΙΠΥΓΙ, *Die Trinitätslehre des byzantinischen Patriarch Photius* (Innsbrück 1919); LOHN, 31-57; GORDILLO, 102-106.

⁶ GORDILLO, 106-108; JUGIE, 2,449-481; *Où en est la question de la procession du St.Esprit dans l'Eglise gréco-russe?*: EchOr 19 (1929) 252-277; *Le Filioque*: Russie et Chrétienté 4 (1950) 123-244.

⁷ JUGIE, 2,482-484, ubi notat ex his posse argui contra praecipua photianorum principia.

Eum a Patre *procedere* contra pneumatomachos traditur in anathematismis DAMASI (D 74) et in symbolo *Nicaeno-Constantinopolitano* (D 86). Proceso Spiritus Sancti a Patre et Filio definita est, et quidem etiam secundum formulam latinam in *Lateranensi IV* (D 428), in *Lugdunensi II* (D 460 463), et in *Florentino* (D 691 703 704).

Valor dogmaticus. *De fide definita.*

PRIMA PARS. PROCESSIO SPIRITUS SANCTI NON EST GENERATIO.

402. Probatur Scriptura. Filius dicitur *Unigenitus* Io 1,18. Ergo Spiritus Sanctus non est genitus. Imo, licet non expresse id diceret, cum semper secunda persona nominibus filiationem experimentibus significetur, nunquam autem Spiritus Sanctus, manifeste intendit verbum Dei scriptum alio modo eius originem concipiendam esse.

Probatur ex traditione. SANCTI PATRES saepius id docent, licet fateantur difficile esse declarare discrimen utriusque processionis. Ita S.ATHANASIUS: «Nemo nisi mente captus dixerit vel cogitaverit fratrem esse Filio et nomen avi Patri convenire. Hic enim nusquam in Scripturis sacris Spiritus filius dictus est, ne frater esse existimaretur, uti nec filius Filii, ne Pater avus crederetur» (R 778). S.BASILIIUS: «Neque ingenitum dicimus Spiritum Sanctum; unum enim novimus ingenitum...; neque genitum; unum enim esse genitum in fidei traditione didicimus» (R 917). S.AUGUSTINUS: «Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus» (R 1681).

Dicit quidem ORIGENES, cum tradit «speciem eorum quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur»: «In hoc (de Spiritu Sancto) non iam manifeste discernitur, utrum natus an innatus, vel Filius Dei etiam ipse habendus sit necne» (R 445). Verum, quidquid est de sententia Origenis, ut summum sequeretur Spiritum Sanctum non esse genitum non fuisse eo tempore in iis quae explicitè in regula fidei tradebantur; de his enim tantum agit, ut constat ex titulo⁸.

SECUNDA PARS. SPIRITUS SANCTUS PROCEDIT A PATRE ET A FILIO.

403. Spiritum Sanctum procedere a Patre ab eoque solo, contendunt photiani ex Io 15,26, quo unico loco volunt aeternam processionem Spiritus Sancti tradi verbo ἐκπορεύεσθαι. Nos autem, licet non negemus hoc loco, sicut et aliis, doceri processionem tertiae personae, non tamen hoc uno verbo rem

⁸ De hoc loco v. PRAT, *Origène* 18-19.

confici admittimus, sed argumentis quibus et a Patre et a Filio procedere ostendimus. Agi autem nomine processionis de aeterna eius origine, patet, praeter universalem Ecclesiae sensum, ex difficultate nuper commemorata intelligendi discrimen huius processionis a generatione Filii.

Probatur argumento praescriptionis. Ex doctrina ECCLESIAE ROMANAE ante controversiam cum schismaticis. Antequam graeci doctrinae de processione Spiritus Sancti a Filio opponerentur, per plura saecula saepius in symbolis et professionibus fidei et in declarationibus Ecclesiae processio Spiritus Sancti a Patre et a Filio tradebatur. Ita in Ecclesiis Hispaniae (D 15 19 [ex epistola S.LEONIS MAGNI ad Turibium Asturicensem] 277 etc.), Africae, Galliae et Germaniae⁹, et in symbolo *Quicumque*, in usu Ecclesiae saltem a saec.VII ut regula fidei (D 39). Imo ipso symbolo *Nicaeno* addita est particula *Filioque*, et licet LEO III usum canendi symbolum cum hac additione non probaverit¹⁰, tamen doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio conceptis verbis expressit in *symbolo* orientalibus transmissio¹¹. Orta vero controversia ab orientalibus, perstitit Ecclesia romana per LEONEM IX in hac fidei professione (D 345). Gaudet ergo processio Spiritus Sancti a Patre et Filio praescriptione theologica.

404. Probatur ex sacra Scriptura. N. B. damnatam esse ut gravem errorem a Pio X opinionem processionem Spiritus Sancti a Filio «haudquaquam ex ipsis Evangelii verbis profuere»¹².

1. Spiritus Sanctus est *Spiritus Patris* et *Spiritus Filii*. Ergo procedit a Patre et a Filio.

Antecedens patet multis locis: *Spiritus Patris* (vel qui ex Deo est) dicitur Mt 3,16; 10,20 etc.; Rom 8,9; 1 Cor 2,12; *Spiritus Filii* (vel Domini, vel Iesu) Act 5,9; 16,7; 2 Cor 3,17s; Gal 4,6; Phil 1,19; Rom 8,9-11. His locis agi de persona divina, non de mero dono creato, constat ex thesi 26 et ex interpretatione Patrum.

Prob. cons. Locutione Spiritus Patris, Spiritus Filii, indicatur *relatio quasi-pertinentiae*; quare Patres solent hos textus exponere dicendo Spiritum Sanctum esse *quid proprium* Patris et Filii. Atqui in divinis nulla relatio esse potest nisi *relatio*

⁹ J.DE ALDAMA, *El símbolo toledano I: AnalGreg* (Roma 1934); J.MADOZ, *La Teología de la Trinidad en los símbolos toledanos: RevEspT* 4 (1944) 457-477; C.RIERA, *Doctrina de los símbolos toledanos sobre el Espíritu Santo* (Vic 1955); PESCH, 535; FRANZELIN, 609; D'ALÈS, 167-170; ARNOU, 144-146.

¹⁰ PALMIERI, *Filioque* 2309-2317; JUGIE, 2,502ss; GORDILLO, 132; LOHN, 34-38.

¹¹ LOHN, 32; CAV., 589.

¹² D 2147a; in anterioribus editionibus 3035.

originis, seu nulla persona dici potest esse alterius, nisi ratione originis ab illa. Ideo vox Spiritus dicta de tertia persona sensum habet passivum, quasi *spiratum*, ac Patres vident processionem Spiritus Sancti designatam insufflatione Christi Io 20,22.

Hac argumentatione utuntur Patres saepe, tam graeci, quam latini. S.ATHANASIUS: «Videntes Unigenitum insufflantem in faciem apostolorum et dicentem: Accipite Spiritum Sanctum, spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum esse doceamur, et neque genitum, neque creatum a Filio esse dicamus... Verumtamen spirationem Filii eum [Spiritum] ex Sanctis Scripturis docti, et fontem Spiritus [Christum] et Filium Dei dicimus»^{12*}. S.AUGUSTINUS: «Cum ergo sicut unus Pater et unus Dominus, id est Filius, ita sit et unus Spiritus, profecto amborum est... Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?... Quid aliud significavit illa insufflatio, nisi quod Spiritus Sanctus est et de ipso?» (R 1839).

405. 2. Ex missione Spiritus Sancti. Spiritus Sanctus mittitur a Patre et a Filio. Atqui missio in divinis includit processionem. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio. *Prob. mai.* Verbum missionis a Patre habetur Io 14,26; Gal 4,6; a Filio Io 15,26; 16,7 etc.

Min. Missio vere et proprie dicta personae alicuius est intimatio vel communicatio voluntatis personae mittentis in personam missam in ordine ad aliquem effectum ad extra; conferri possunt quae Christus dixit de sua missione a Patre Io 5,43; 7,28; 8,42; 12,49. Atqui communicatio voluntatis in divinis non potest intelligi nisi per processionem unius personae ab alia.

Ideo S.CYRILLUS in explicatione anathematis 9 contra Nestorium (D 121) missionem Spiritus Sancti a Filio derivat ex eius a Filio processione: «Quia Verbum factum homo manet Deus, et est seclusa paternitate totum quod et Pater, habet etiam proprium Spiritum Sanctum, qui est ex ipso eique substantialiter innatus est», ideoque non est mirum Christum «cum summa potestate mittere eum qui ex illo est et ipsius proprium... ut in ipso et ex ipso naturaliter existentem»¹³. Cum vero photiani principium id non admittant, revera tollunt missionem proprie dictam personae Spiritus Sancti.

^{12*} De Trinitate et Spiritu Sancto 5,19; MG 26,1212.

¹³ Explicatio duodecim capitum 9; MG 76,308; De recta fide ad Theodosium 36; MG 76, 1188; Thesaurus 34; MG 75,600-576; cf. GALTIER, 361.

406. 3. Ex Io 16,13-15: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quae habet Pater mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, peculiari modo probatur processio Spiritus Sancti a Filio et roboratur secundum argumentum*¹⁴. Hoc loco describit Christus modo humano missionem Spiritus Sancti ab ipso Christo. Nempe Spiritus docebit Apostolos quae Christus vult, quia loquetur quae audit a Christo; hoc modo clarificabit Christum, quia, ait Christus, *accipiet de rebus meis*, sc. ex mea scientia in quantum est mea. Hoc vero optime cohaeret cum hoc quod Spiritus Sanctus mittatur a Patre, quia *omnia quae habet Pater, sunt etiam Filii*.

Ergo Spiritus Sanctus dicitur *audire a Filio, accipere de rebus Filii*, seu *accipere scientiam a Filio*, ut Patres saepe dicunt miro consensu; ut S.ATHANASIUS: «*Spiritus Sanctus hoc a Verbo accipit*» (R 770). S.CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: «*Pater dat Filio, et Filius communicat Spiritui Sancto*» referens hunc locum S.Ioannis (R 834). DIDYMU: «*Spiritum Sanctum a Filio accipere id quod suae fuerat naturae cognoscendum est*» (R 1067). S.EPIPHANIUS: «*Spiritus... a Patre procedens et accipiens a Filio*» (R 1099). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS dicit verba «*de meo accipiet*» referre «*naturalem proprietatem*» quam habet a Filio, sicut Filius a Patre¹⁵.

Atqui Spiritus Sanctus nihil potest audire et accipere ab alia persona divina nisi per communicationem essentiae, cum qua scientia identificatur, nempe per processionem ab illa persona. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.

CONFIRMATUR. In Apocalypsi significatur saepe relatio Spiritus Sancti ad Filium, ut 1,4; 3,1; 5,6; 19,10; 21,6; 22,1, ubi verbum procedentem (ἐκπορευόμενον) dicitur de fluvio egrediente de sede Dei et Agni¹⁶.

407. **Probatur ex Patribus.** PATRES LATINOS tenere processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio ipsi graeci fatentur. Ita TERTULLIANUS: «*Tertius est Spiritus a Deo et Filio*» (R 375). S.HILARIUS: «*Spiritus Sanctus Patre et Filio auctoribus confitendus est*». S.AMBROSIUS: «*Spiritus Sanctus cum procedat a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio*».

¹⁴ De hoc loco multis disputant photiani; sed ex PP. optime probatur interpretatio catholica; cf. PETAVIUS, 1,7 c.6; PALMIERI, *La processione dello Spirito Santo*: Bessarione 7,8 (1900-1901); POHLE, 418-420; GORDILLO, 114.

¹⁵ De Trinitate dial.6: MG 75,1010.

¹⁶ LEBRETON, o.c., 1,538.

S.AUGUSTINUS: «*Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique ut de illo procedat Spiritus Sanctus*» (R 1681; cf. 1678 1840).

PATRES GRAECOS revera asserere processionem Spiritus Sancti non tantum a Patre sed etiam a Filio, praeter iam notata in argumento ex Scriptura, pluribus probatur, ita ut luculentissimum inde fiat argumentum¹⁷.

a) Dicitur Spiritum Sanctum esse a Filio *physice* (φυσικῶς), *essentialiter* (οὐσιώδως), *naturaliter* (κατὰ φύσιν), *ex essentia Filii* (ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ), qui Spiritum Sanctum *ex intimis visceribus profundit*; ideo Spiritus Sanctus ex eo est sicut ex Deo Patre, et cum Pater eum dat, dat etiam Filius; ita S.EPIPHANIUS et S.CYRILLUS ALEXANDRINUS¹⁸. Ideo pulchris comparisonibus designant personas Trinitatis, quae sunt velut *sol, radius et splendor; fons, fluvius et rivus; scaturigo, fons et aqua; radix, frutex et fructus*; aut etiam Filius et Spiritus Sanctus dicuntur *brachium et digitus; flos et odor ex flore; mel et dulcedo; ignis et calor; aqua et refrigerium; os Patris et halitus ex ore*; ita TERTULLIANUS, S.GREGORIUS NAZIANCENUS et NYSSENUS et S.CYRILLUS ALEXANDRINUS; et S.ATHANASIUS vocat Spiritum Sanctum *bonum odorem ac formam Filii* (εὐοδία καὶ μορφή τοῦ υἱοῦ)¹⁹.

408. b) Conveniunt Patres graeci cum latinis in principio generali, *in divinis nihil distinguere nisi rationem causae et causati*; ita S.GREGORIUS NYSSENUS (R 1038): ideoque eandem esse *relationem Spiritus Sancti ad Filium, quam Filii ad Patrem*, excepta filiatione. S.ATHANASIUS: «*Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum comperimus*» (R 783), et S.BASILIIUS: «*Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium Spiritus... nisi hoc quod Pater non est Filius, et Filius non est Pater*»²⁰, ut admonet S.CYRILLUS: «*Omnia quae Patri insunt naturaliter ac necessario in Verbum quod ex ipso procedit transeunt*»²¹. Ideo non defuerunt Patres qui Spiritum Sanctum *imaginem Filii* vocaverint ut S.IRENAEUS, S.GREGORIUS THAUMATURGUS (R 611) etc., sicut Filius est imago Patris.

¹⁷ Ueberirre probationem ex PP. proponunt PALMIERI, l.c., et FRANZELIN, th.33-37. De Patribus latinis v. D'ALÈS, 162-167. Probationem breviter complectitur ARNOU, 142-144, 147-156; v. etiam M.SIMONETTI, *La processione dello Spirito Santo secondo i Padri greci*: Aevum 26 (1952) 33-41; E.BOUJARAND, *L'argument patristique au Concile de Florence dans la question de la procession du Saint Esprit*: Bull.Litt.Ecl. (1962) 166-199.

¹⁸ S.EPIPHANIUS, Panarion haer.62 n.4 MG 41,1053 (R 1099); Anchoratus 7: MG 43, 27-29; S.CYRILLUS ALEX., Thesaurus 34: MG 75,576-600,608; De Trinitate dial.6: MG 75, 1000-1013; v. FRANZELIN, th.33,438.

¹⁹ S.CYRILLUS, Thesaurus 34: MG 75,560-588,593; FRANZELIN, th.36,489; TIXERONT, 3,200-201.

²⁰ De Spiritu Sancto 17,43: MG 32,148 (R 951).

²¹ Thesaurus 14: MG 75,238.

c) S.ATHANASIUS probat contra macedonianos *processionem Spiritus Sancti a Patre et eius divinitatem* ex eo quod est a Filio: «Proinde si Filius propter suam proprietatem ad Patrem et quod eius substantiae proprius fetus, non est creatura, sed Patri consubstantialis, sic nec Spiritus Sanctus fuerit creatura; quin etiam qui hoc dicit impius est, ob proprietatem sc. eius ad Filium, et quod ex ipso datur omnibus, et quae habet ille Filii sunt» (R 783).

Insignis est locus S.BASILII libro 3 contra Eunomium, qui duplici forma habetur, alia longiore: «Dignitate quidam secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat et ab ipso accipiat et annuntiet nobis et omnino ab illa causa pendeat, tradit pietatis sermo...», alia brevior, ubi additur «fortasse»: «ita profecto et Spiritus Sanctus, etsi cum ordine tum dignitate secundus a Filio est, ut tandem hoc etiam concedamus» (R 940); quam interpolatam ac mutilatam esse graecis exprobravit BESSARION²².

409. DE DUPLICI FORMULA A FILIO (VEL EX FILIO) ET PER FILIUM²³. In modo loquendi de processione Spiritus Sancti duplex formula reperitur: «Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio», et «Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium». Prior frequentissima est apud *latinos*, tam in Patribus, quam in symbolis; verum etiam altera utuntur, ut TERTULLIANUS (R 372 375 378) et S.HILARIUS (R 878). Altera communior est apud *graecos* sub diversis verbis, qui tamen etiam priorem adhibent, frequenter sub verbis εἶναι, προῖέναι etc., ut S.EPHRAEM (R 714), S.EPIPHANIUS (R 1082), S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2079).

Aliud est discrimen, quod latini solo verbo *procedendi* utuntur ad significandam originem Spiritus Sancti, tum a Patre, tum a Filio; graeci vero saepe verbum ἐκπορεύεσθαι dicunt de Spiritu Sancto a Patre procedente; cum autem de processione a Filio vel per Filium loquuntur, potius verba adhibent προῖέναι, προεῖναι, quibus tamen non aliam inesse significationem ac verbo ἐκπορεύεσθαι notavit S.CYRILLUS ALEXANDRINUS²⁴; praeterea nomen αἰτήρια reservant soli Patri.

²² De processione Spiritus Sancti: MG 161.325-326; de hoc loco, v. L.LOHN, *Doctrina S.Basilii Magni de divinis processionibus*: Greg 19 (1929) 329ss. A.KRANICH, *Der hl.Basilius und seine Stellung zum Filioque* (Braunsberg 1882); F.NAGER, *Die Trinitätslehre des hl.Basilii* (Paderborn 1912); optimam huius loci expositionem praebent Beccos et Ioannes de Montenegro; cf. M.CANDAL, *Nilus Cabasilas et Theologia S.Thomae de processione Spiritus Sancti*: Studi e Testi 166 (Roma 1945) 131-141. V. etiam P. CAPELLE, *La procession du Saint Esprit d'après la liturgie de S.Basile*: OrientSyrien 7 (1962) 69-76.

²³ FRANZELIN, th.36; Examen... 117-124.257-264; DE RÉGNON, 80-104; GORDILLO, 115-125; JUGIE, *De processione Spiritus Sancti ex fontibus revelationis et secundum Orientales dissidentes* (Roma 1936); A.SEGOVIA, *Equivalencia de fórmulas trinitarias griegas y latinas*: EstEcl 21 (1947) 454-460.

²⁴ Epist. 55: MG 77.316.

Verum his diversis formulis *doctrinam substantialiter eandem* subiaccere, patet: nam.

a) Verbis προῖέναι vel εἶναι utuntur Patres graeci non solum cum de missione agunt, sed etiam de sola immanenti processione, ut S.BASILIIUS: «Nativa bonitas et naturalis sanctimonia et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum permanat» (ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ μονογενοῦς διήκει: R 953). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Cum Spiritus Sanctus... procedat ex Patre et Filio, manifestum est eum esse divinae substantiae, substantialiter in ea et ex ea procedens» (πρόεσι δὲ καὶ ἐκ πατρὸς καὶ τοῦ... υἱοῦ... οὐσιώδως... προῖόν R 2079)²⁵.

b) Cur illos loquendi modos adhibeant Patres graeci, expresse declarant, nempe ad reservandam Patri ipsa locutione rationem *principii primordialis*, sive principii sine principio; ita S.BASILIIUS: «Itaque vox per quem confessionem habet causae primordialis» (τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας: R 943 949), et S.IOANNES CHRYSOSTOMUS ait dici per Filium, ne quis suspicetur Filium esse ingentum²⁶. Iam id ipsum latini clare dicunt, ut S.AUGUSTINUS: «Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur... de quo genitum est Verbum et de quo procedit principaliter Spiritus Sanctus nisi Deus Pater... Ideo autem addidi principaliter [non magis principaliter], quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit... Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo commune donum procederet et Spiritus Sanctus Spiritus esset amborum» (R 1678 1662 1681 1840).

c) Aliunde adeo manifestum est formulam «Spiritus Sanctus procedit per Filium» non excludere a Filio rationem principii Spiritus Sancti, ut potius debuerint insistere Patres graeci in explicando contra macedonianos *mediationem* (μεσίτειον) Filii in processione Spiritus Sancti non tollere a Patre rationem principii immediate et vere producentis, ut praestat S.GREGORIUS NYSSENUS (R 1038)²⁷. Imo dicunt etiam Patres graeci mundum *creatum esse per Filium*, et expresse docent inde non tolli ab illo veram actionem creatricem, ut S.BASILIIUS (R 943). Iure ergo S.MAXIMUS CONFESSOR defendens sententiam latinorum docuit nullum esse discrimen in doctrina utriusque Ecclesiae, quod definivit *Concilium Florentinum* (D 691; cf. S.TH., q.36 a.2.3).

410. Ratio theologica. I. Ex S.AUGUSTINO, l.c. et *Florentino* (D 691). Omnia quae habet Pater communicat Filio,

²⁵ GORDILLO, 121.

²⁶ In Ioannem homil.5 n.2: MG 59.56.

²⁷ GALTIER, 363-367; GORDILLO, 117-120; JUGIE, *Quelques témoignages nouveaux ou peu connus sur la procession du Saint Esprit*: EchOr (1939) 369-375.

praeter paternitatem. Atqui Pater habet quod ab eo procedat Spiritus Sanctus. Ergo id etiam communicat Filio. Ergo etiam a Filio procedit Spiritus Sanctus.

2. Ex S. THOMA, q.36 a.2. Unica ratio distinctionis in divinis est oppositio relativa originis inter principium producens et terminum productum. Atqui Spiritus Sanctus distinguitur a Filio. Ergo procedit ab illo, cum manifestum sit Filium a Spiritu Sancto non procedere.

Maior in sequentibus declaratur et expenditur. Neque opponi potest cum SCOTO²⁸ solus diversus modus procedendi per generationem et spirationem. Nam iste duplex modus revera non est oppositus, nisi supposita aliunde distinctione reali utriusque processio, quae sola ratione formali diversa non probatur.

Confirmatur: in divinis sola diversa ratio formalis, etiam relativa, non inducit distinctionem realem, ut patet in Patre, qui duplicem relationem activam diversam habet, paternitatem et spirationem, quae tamen non distinguuntur realiter.

411. Obiectiones. EX SCRIPTURA. 1. Praecipua obiectio photiano est haec. In Scriptura Io 15,26 dicitur Spiritus Sanctus procedere (ἐκπορεύεται) a Patre, quod nunquam dicitur de Filio. Ergo aequaliter Scriptura negat Spiritum Sanctum procedere a Filio; quare interpretantur locum S.Ioannis de solo Patre²⁹.

1) Ex sola voce ἐκπορεύεται nequit probari processio aeterna ut notatum est; etsi revera hoc loco ea docetur non quidem immediate, sed ut aliis locis eo modo quo probatum est n.405; nam ut notavit A. WENZER^{29*}, in graeco non habetur particula ἐκ una quae immediate significat originem, sed παρά, quae *potius* denotat missionem. Iam apparet quam efficax sit ista notatio adversus Photium et eius sequaces, cum unicum eorum argumentum destruat. Praeterea hoc ipso loco dicitur Spiritus Sanctus Spiritus *veritatis*, et plures Patres graeci dicunt *Veritatem* esse *Filium*, atque id dici quia Spiritus Sanctus est a Filio.

2) *Dist. antec.* quoad secundam partem. In Scriptura non dicitur Spiritum Sanctum procedere a Filio hoc verbo ἐκπορεύεται, *conc. antec.*; *aequaliter* et aliis modis, ut probatum est, *nego antec.* Neque dicitur in Scriptura Spiritum Sanctum procedere a *solo Patre*. Imo ut notat S. THOMAS, «Regulariter etiam in Sacra Scriptura tenendum est quod id quod de Patre dicitur, oportet etiam de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater* non

²⁸ Opus Oxoniense In 1 d.11 q.2 .Cf. SUÁREZ, l.10 c.2; RUIZ, d.68; FRANZELIN, th.40; M.SCHMAUS, *Der Liber propugnatorius des Thomas Anglicus und die Lehrunterschiede zwischen Thomas von Aquin und Duns Scotus*: BetrPhMA 30,1 (Münster 1930) 2 Th. I Bd. 251-279 (cf. 280-376); V.GRUMMEL, *S. Thomas et la doctrine des grecs sur la procession du Saint-Esprit*: EchOr (1927) 257-88; J.SLIFYI, *Num Spiritus Sanctus a Filio distinguitur si ab eo non procederet* (Bohoslovia 1927); E.CANDAL, *Nilus Vabasilas et Theologia S.Thomae de processione Spiritus Sancti*: Studi e Testi 116 (Città del Vaticano 1945); de theologis medii aevi, cf. etiam D'ALÈS, 171-183; E.KAMAR, *La controverse sur la procession du Saint-Esprit dans les écrits de Raymond Lull*: EstLul 1 (1957) 202-216.

²⁹ LOHN, *Doctrina graecorum et russorum...* 57-60, qui notat Photium sibi contradicere; FRANZELIN, *Examen* 14-24, etc.

^{29*} *Revue des Etudes byzantines* 10 (1952) 161.

excluditur quin Filium se ipsum cognoscat [solum excluditur natura extranea]. Sic igitur cum dicitur quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius; quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus Sancti non opponuntur Pater et Filius, sed solum quantum ad hoc quod hic est Pater et ille Filius: q.36 a.2 ad 1.

2. Adversus argumentum ex Io 16,13-15 (omissa ridicula Photii interpretatione, in verbis *de meo accipiet* supplendam esse vocem *Patre*, nam evidenter verbum *de meo* intelligendum est *de rebus meis* sc. *de scientia mea*)³⁰ arguitur ita: v.15 intelligi potest: *accipiet a Patre solo scientiam, quae est etiam mea, quia omnia quae habet Pater mea sunt*. Ergo non potest inde probari Spiritum Sanctum accipere a Filio.

1) Tamen omnes Patres graeci dicunt hoc loco doceri Spiritum Sanctum accipere a *Filio*, ut ex argumento patet.

2) *Nego assertum*. Nam scopus Christi in toto hoc sermone est ostendere *perfectam aequalitatem inter Patrem et Filium*, etiam in relatione cum Spiritu Sancto eiusque missione. Sensus ergo huius loci hic est: *quia omnia quae habet Pater mea sunt, ego possum communicare quae Pater communicat, seu possum mittere quem Pater mittit; ergo «cum Spiritus Sanctus accipiat de eo quod est utriusque, non potest non procedere ab utroque»*^{30*}.

Ceterum cavilli quos movent photiani propter verba futuri temporis *accipiet, loquetur* nullius sunt momenti, cum de aeternis in ordine ad missionem temporalem sit sermo; imo v.15 dicitur in graeco tempore praesenti³¹.

412. EX PATRIBUS, quos Photius vir eruditissimus silentio initio premebat³², arguunt:

1. Patres graeci numquam dixerunt *ad verbum* (κατὰ λέξιν) Spiritum Sanctum procedere (ἐκπορεύεσθαι) a Patre et Filio.

Nec tradunt Spiritum Sanctum procedere a solo Patre; procedere vel prodire a Filio multis tradunt, ut probatum est.

2. Cum Patres graeci dicunt Spiritum Sanctum esse vel profluere a Filio, vel ex Patre et Filio: a) vel non agunt de processione aeterna, sed solum de missione temporali, imo nec de persona divina, sed tantum de dono creato; b) vel non expriment nisi consubstantialitatem, quasi dicerent esse ex substantia quae est etiam Filius; c) vel particula *per* (διὰ) significat *simul* (ἅμα); d) vel haec formula nihil aliud dicunt nisi Patrem qui spirat esse verum Patrem generando Filium.

Responsione haec non indigent, utpote plane absurda et arbitraria, et ostendunt in his schismaticis duci ignorantia aut protervia, ut dicit S. THOMAS, q.36 a.2. Ceterum recentius post conventus Bonnienses cum vetero-catholicis iam permittunt doctrinam latinorum ut opinionem theologiam, et agnoscunt asserta photiana esse contra traditionem³³.

3. S. MAXIMUS et S. IOANNES DAMASCENUS, repetens eius dicta, negant Spiritum Sanctum procedere a Filio, etsi concedant eum procedere per Filium (R 2348).

³⁰ J.HERGENRÖTHER, *Animadversiones...* l.c., 429-437; DE RÉGNON, 280; P. DE MEESTER, *Etudes sur la Théologie orthodoxe*: RevBen 24 (1907) 86-103; LOHN, 61-64. Recentiores photiani hanc enegem omittunt.

^{30*} GALTIER, 353.

³¹ De nova interpretatione a Procokevich proposita v. FRANZELIN, *Examen* 47-59; GORDILLO, 111; *Theologia dogmatica comparata* 61-65; LOHN, *Doctrina S.Basilii...*: Greg 10 (1929) 329-364.461-500.

³² HERGENRÖTHER, *Animadversiones...* l.c., 457-462; JUGIE, I, 216-226; GORDILLO, 124-125; *Theologia...* 47-49.

³³ V. haec recensita apud JUGIE, 2, 296ss; FRANZELIN, *Examen* 92-167; GORDILLO, 108; *Le Filioque*: Russie et Chrétienté, l.c.

Cardinalis BESSARION in Concilio Florentino haec dicta declaravit de modo loquendi graecorum, quo technice dicebant unum Patrem esse *causam* et *ex eo uno* ἐκ τοῦ ἑνός Spiritum Sanctum, ad designandam in Patre rationem principii primordialis ut supra dictum est. Et quidem S.MAXIMUS, ut notavimus, doctrinam latinam probavit contra obiectiones graecorum; et in S.IOANNE DAMASCENO difficultatem reperiunt schismatici, eo quod verbo ἐκ τοῦ ἑνός usus sit in declaranda processione per Filium³⁴.

413. OBJECTIONES EX RATIONE secundum principia photiana aptius solventur in thesi sequenti.

CONTRA ARGUMENTUM S.THOMAE arguit SCOTUS³⁵. 1. Etiam praecisa processione Spiritus Sancti a Filio, constat Filium esse genitum, non autem Spiritum Sanctum. Atqui eadem persona non potest esse simul genita et non genita. Ergo hoc solo sufficienter distinguuntur, relatione videlicet disparata generationis et spirationis.

Nego mai. Constat enim Spiritum Sanctum, qui *re ipsa a Filio etiam procedit*, esse spiratum, non genitum; non autem constat terminum spiratum ut *talem* non posse esse genitum. *Conc. min., sed nego suppositum.* Si enim Filius et Spiritus Sanctus essent una persona procedens duplici ratione formali generationis et spirationis, esset simul *genita et spirata*, sicut Pater est *generans* et *spirans*, ac negandum esset *non esse genitam* aut *non spiratam*; aliud est enim mera diversa *ratio formalis*, aliud *realis distinctio*.

2. Quo aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur ab omni alio. Atqui Filius constituitur in esse personali per filiationem. Ergo ea sola distinguitur ab omni alia persona, ac proinde non est necessarium, ut distinguatur a Spiritu Sancto, ut is procedat a Filio.

Conc. mai (vel trans. mai., nam aliqui non concedunt istud principium nisi de constitutivo absoluto). *Dist. min.* Filius constituitur filiatione *abstracte concepta*, secundum quod tantum dicit oppositionem relativam ad Patrem, *nego min.*; filiatione *qualis est*, quae sc. exigit identificari cum spiratione activa, *conc. min.*³⁶

3. S.ANSELMUS dicit: «Cum nascitur unus non potest cum eo nasci ille qui per hoc est alius ab eo, quia non simpliciter nascitur sed procedit... Nam etsi per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi»³⁷. Ergo S.Anselmus non admittit argumentum S.Thomae.

Nego cons. Sufficit enim animadvertere haec reperiri in loco ubi totus est S.ANSELMUS in probanda necessitate processionis Spiritus Sancti a Filio, cum Filius non procedat a Spiritu Sancto. Iam in decursu demonstrationis (quam acute versat Anselmus ex unicitate Dei), supposito ex concessis a graecis Filium esse genitum et non spiratum, et Spiritum Sanctum esse spiratum et non genitum, respondet unice huic obiectioni contra processionem Spiritus Sancti a Patre: quod si procedit a Patre, erit *genitus* sicut Filius, quae ex concessis nequit stare; nihil ergo ad rem nostram. Aliunde de facto, quasi *materialiter* verum est duas personas distingui ex hoc diverso modo procedendi; imo et *formaliter*, sed supposito quod una ab altera procedat.

³⁴ TIXERONT, 3,486ss; S.TYSKIEWICZ, *Der hl. Ioannes von Damaskus und die russische Theologie*: ZkathTh (1919) 78-106; JUGIE, *Jean de Damas (saint)*: DTC 8,719-722; GORDILLO, 110-123; *Theologia* 58-61; praesertim J.BILZ, *Die Trinitätslehre des hl. Ioannes von Damaskus* (Paderborn 1909) 152-195.

³⁵ C.FRASSEN, *Scotus Academicus* tr.3 d.3 a.2 q.2; v. notam 28.

³⁶ V. infra c.4 de constitutivo divinarum personarum.

³⁷ *De Spiritu Sancto* c.4: ML 158,292; cf. SLIPYI, *Num Spiritus Sanctus...* 8-10; B.BOUCHÉ, *La doctrine du Filioque d'après saint Anselme* (1938).

414. Scholion. De additione particulae «Filioque» in symbolo.

Acerbe conqueruntur photiani de additione particulae «Filioque» symbolo Nicaeno-Constantinopolitano in Ecclesiis occidentalibus; ita ut omnino illegitimam, imo et erroneam eam ducant. In Concilio Florentino definitum est eam esse «explicationem», quae «veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter» symbolo est apposita (D 691). Quod *licite* apposita fuerit evidens est ex suprema auctoritate Summi Pontificis; ac *rationabiliter*, propter oppositos errores. Neque esse propriae additionem, sed *meram explicationem*, patet ex doctrina S.Scripturae et traditionis.

Quando autem apposita fuerit Symbolo et sancita in Ecclesia occidentali, non omnino constat. In Hispania medio saec.VII communis iam fuit, ut patet ex Liturgia mozarabica, ac primo apparet in Concilio Bracarenensi IV a.675 indeque in Galliam et Italiam migravit sub finem saec.VII. Et licet LEO III initio huic additioni resisterit, tandem eam amplexa est Ecclesia romana ignoto tempore. Ea tamen orientalibus non est imposita, ut expresse CLEMENS VIII et BENEDICTUS XIV declaraverunt³⁸.

Arguunt contra eam photiani ex decretis Concilii Ephesini (D 125) et Chalcedonensis (D 148) quibus prohibetur «alteram fidem proferre, aut conscribere aut componere». Verum evidens est haec Concilia nullo modo denegare voluisse, aut potuisse, potestatem Summo Pontifici, aut universae Ecclesiae, novas symbolo additiones proponendi. Et quidem in Concilio Ephesino agitur de symbolo Nicaeno, ubi non habebatur professio in processionem Spiritus Sancti a Patre; in Chalcedonensi vero non agitur de symbolo. Historice autem constat sensum illius prohibitionis fuisse ne occasione novae fidei formulae, vel additionis ad symbolum, a privatis editae, *doctrina diversa* ab ecclesiastica induceretur. Ipsum vero Concilium Ephesinum probavit formulam CHARISII presbyteri denuntiantis haereticos, et S.CYRILLUS paulo post convenit cum orientalibus in novo symbolo unionis. Tandem Concilium Chalcedonense, edito symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, plura addidit symbolo Nicaeno, post prohibitionem Concilii Ephesini. Qua vero fide tantopere irruunt schismatici contra hanc particulae «Filioque» additionem in symbolo ab Ecclesia romana statutam, iure mireris, si controversias inter rufos de symbolo percurras. Et quidem ridiculum est ex Ephesino arguere contra fidem processionis Spiritus Sancti a Filio, quam clare S.CYRILLUS contra NESTORIUM docuit; Nestorii autem symbolum, quod «perfidiam» vocant Patres ephesini, contendit PHOTIUS ab ipsis receptum esse³⁹.

Thesis 35. Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio tamquam ex uno principio et unica spiratione.

S.TH., q.36 a.4; SUÁREZ, l.10 c.5-7; TOLEDO, in q.36; RUIZ DE MONTOYA, d.70.

415. Nexus. Probata processione Spiritus Sancti a Patre et a Filio, iure ponitur quaestio de unitate principii spirativi ipsiusque spirationis, cum primo obtutu duplex persona procedens videri posset duplex spirationis principium. Haec de

³⁸ PALMIERI, *Filioque*: DTC 5, l.c.; DE MEESTER, *Etudes sur la Théologie orthodoxe* (Maredsous 1911); GORDILLO, 126-133; *Theologia* 58-80; *La questione morale, La questione storica nella controversia sul Filioque*: Civiltà Cattolica 80,3 (1929) 109-210.495-508; J.MADOZ, *El decreto efesino según Cesari*: RazFe (1932); JUGIE, *Origines de la controverse sur l'addition du Filioque au Symbol*: RevScPhTh 28 (1930) 369-385.

³⁹ H.DU MANOIR, *Le Symbol de Nicée au Concile d'Ephèse*: Greg 12 (1931) 104-137; JUGIE, *Le décret du Concile d'Ephèse sur les formules de foi*: EchOr 30 (1931) 257-270.

facto unica est difficultas alicuius momenti a graecis separatis adducta contra doctrinam catholicam; ea tamen iam a Patribus soluta erat, dilucide declarata unitate principii spirativi, quae a Conciliis unionis definita est.

Notiones. Formula thesis ex definitione *Concilii Lugdunensis II* (D 460) desumpta est, quam repetit *Florentinum* in decreto unionis (D 691); in eaque terminus «ut» «tamquam» significat *unum simpliciter* esse principium spirationis unamque ipsam spirationem, etsi duae sunt personae a quibus procedit Spiritus Sanctus. Nullo ergo modo toleranda esset expositio huius particulae ac si sensum diminutum, aut minus proprie dictum, tribueret assertae unitati principii, quo, ut cordate notat RUIZ¹, definitio contra schismaticos vim amitteret. Ideoque ipsum *Florentinum* in decreto pro *Iacobitis* disserte docet Patrem et Filium non duo principia, sed unum esse principium Spiritus Sancti (D 704).

416. PRINCIPIUM PRODUCTIONIS simpliciter dictum illud intelligimus quod *vere et proprie* producit terminum, ideoque non est principium mere attributionis aut denominationis, sed id a quo vere et proprie terminus originem habet; includit ergo *formaliter virtutem productivam*, totumque illud quod necessario intelligi debet ut productio, sive origo termini, ab illo principio vere et simpliciter sit. Id vocari solet *principium quod*, in oppositione ad virtutem productivam seu rationem formalem qua potest producere, quae vocatur *principium quo*.

Principium quod productionis communiter est sine dubio *suppositum*, indeque proloquium «actiones sunt suppositorum». Verum anima separata vere est principium *quod* suarum actionum, licet non sit *suppositum*; ideoque principium *quod* dici potest *suppositum*, in quantum *subsistentia* requisita ad operandum communiter non datur nisi in *supposito*, non quod ad rationem formalem principii *quod productionis*, seu ad constitutionem principii *quod*, *suppositivitas* ut talis necessaria sit². Si igitur forma constituens plura *supposita* in ratione principii operandi una est, vere unum simpliciter habetur principium *quod* operationis; nempe *unitas principii operativi non necessario requirit unitatem suppositi operantis*. Ideo tres personae Sanctissimae Trinitatis *unum* sunt principium *creationis*, ut docet *Florentinum* (D 704).

Hoc ergo sensu intelligimus Patrem et Filium esse *unum simpliciter principium*, sive *principium quod*, *spirationis*; etsi duae

¹ D.70 s.1 n.16-21.

² Cf. BILLOT: «principium quod dicit suppositum in quantum suppositum subsistens est, non praecise in quantum suppositum seu incommunicabile est» (q.36 a.4 th.27 ad 1 p.532).

sunt *personae spirantes*, et quidem utraque per se requisita ad spirandum. *Unitas spirationis*, sequitur evidenter unitatem principii spirativi.

417. Sententiae. Cum thesis definita sit, patet catholicos omnes formulam *Concilii Lugdunensis* tenere, nempe Spiritum Sanctum procedere a Patre et a Filio «ut ab uno principio». Verumtamen ante *Florentinum* DURANDUS³ et GREGORIUS ARMINENSIS⁴ dixerunt proprie loquendo Patrem et Filium esse duo principia Spiritus Sancti, quia duae sunt personae illum producentes; posse tamen *minus proprie* dici unum principium. Id iam tunc maximae *temeritatis* notam effugere non potuit; post decretum vero pro *Iacobitis* erroneum saltem dici debet. BIEL⁵ ait posse dici unum principium vel duo principia sub diversis respectibus, quod etiam *temerarium* saltem est.

Sunt theologi qui nolint ulterius progredi in modo loquendi de principio spirationis, ac taceant aut minoris faciant distinctionem inter principium *quod* et principium *quo*. Alii videntur declarare thesim per meram unitatem principii *quo*, nec videntur existimare necessario dicendum esse Patrem et Filium esse *unum principium quod* Spiritus Sancti⁶. Sed hic modus loquendi videtur satis imperfectus, nam proprie loquendo persona producta non procedit a principio *quo*, sed a principio *quod*, et videtur evidens Patrem et Filium esse unum in ordine in quo *utraque persona est principium*, nempe ut *principium quod*. Unde tenendum videtur Patrem et Filium esse simpliciter *unum principium quod* spirationis, sicut tres personae sunt unus Deus et unum principium *quod* creationis. Aliud est unitatem principii *quod* dogmaticae sufficienter explicari per unitatem principii *quo*, ut est forma inclusa in denominatione principii *quod*; id probabile est; licet probabilius videatur melius explicari per relationem spirationis activae, ut suo loco videbimus⁷.

Valor dogmaticus et theologicus. Sub formula *Conciliorum de fide definita*. Patrem et Filium esse simpliciter *unum principium quod spirationis certum* videtur. *Unitas spirationis* est etiam *de fide*.

418. Probatur thesis. In Sacra Scriptura indicatur unitas principii spirativi ex modo quo proponitur Spiritus Sanctus procedere ex Patre et Filio. Nam ut idem exhibetur Spiritum Sanctum esse Spiritum Patris et Spiritum Filii, Spiritum Sanctum mitti a Patre in nomine Filii ac Filium mittere Spiritum Sanctum; praesertim Io 16,15, ubi cum datur ratio cur procedat Spiritus Sanctus a Filio, dicitur *omnia quae habet Pater esse*

³ In 1 d.29 q.2.

⁴ In 1 d.12 q.1.

⁵ In 1 d.12 a.2,3.

⁶ Cf. CASAJOANA, 232; MUNCUNILL, 1296; D'ALÈS, 153; GALTIER, 372.

⁷ TOLEDO, In 1 p. q.36 a.4; infra c.4 a.4. Diceret fors dubitationes quorundam theologorum hac in re connexas esse cum quaestione de subsistentia in divinis; cf. c.4 a.1.

Filii, etiam hoc quod ab eo procedat Spiritus Sanctus. Iure ergo intelligit Ecclesia cum Patribus et theologis Spiritum Sanctum procedere ab utraque persona in quantum sunt *unum* in ratione *principii spirativi*⁸.

Ex patribus graecis id probat cura quam habent servandi Patri *immediationem* ac propriissimam rationem principii in processione Spiritus Sancti, quam non tollit *mediatio* (μεσότης) Filii, ut exponit S.GREGORIUS NYSSENUS: «quia medietas Filii, et servat ei unigeniti proprietatem, et non excludit Spiritum ab habitudine naturali ad Patrem» (R 1038). Id expressum volunt in formula «Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium», in qua traditur productionem Spiritus Sancti *communicari* a Patre in Filium, ac proinde esse quid utrique *commune*; et unicum quod *discriminat* utramque personam in processione esse quod Filius est a Patre et *spirationem habet a Patre*. Ideo hac formula, qua praecipue intendunt in divinis unum Patrem esse αὐτὸν seu *principium sine principio*, exprimunt dogma apud graecos indubitatum, *unum esse principium Spiritus Sancti*; non aliter ac tres personae sunt unum principium operationum ad extra.

Patres latini, praesertim S.AUGUSTINUS, optime et lucidius id declarant formula ab omnibus postea adhibita etiam in *Concilio Florentino* (D 691 704): «Si ergo et quod datur principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia; sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus» (R 1662). Et S.ANSELMUS: «Sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater et Filius sed de hoc in quo sunt unum, ita non dicimus duo eius principia, sed unum principium»⁹.

419. Ratione declaratur a theologis cum S.THOMA q.36 a.4: «Pater et Filius in omnibus sunt unum, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc quod est esse principium Spiritus Sancti non opponantur relative, sequitur quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti». Hunc autem modum loquendi proprium esse, quin obstat distinctio suppositorum Patris et Filii, patet ex axio-

mate dialectico: «concreta substantialia non multiplicantur ex sola multiplicatione subiectorum, nisi multiplicetur etiam forma significata per illud nomen». Atqui *forma* significata per nomen principii est *quid commune*, saltem virtus spirativa. Ergo spirator, seu *principium quod* spirationis est simpliciter *unum*. «Sicut Pater et Filius sunt unus Deus propter formam significatam per hoc nomen Deus, ita sunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis significatae in hoc nomine principii»: *ibid.*

Quare est discrimen inter nomen *spirator* vel principium Spiritus Sancti et nomen *spirans*, quod quia refert ipsam actuale spirationem potius quasi adiective sumitur; iam concreta adiectiva multiplicantur sola multiplicatione subiectorum; ideoque potest dici Patrem et Filium esse duos spirantes: *ibid.* ad 7.

420. Obiectiones. 1. Pater et Filius sunt diverso modo principium Spiritus Sancti. Nam Pater id habet a semetipso. Filius autem a Patre. Ergo simpliciter nequeunt dici unum principium.

Dist. antec. Pater et Filius sunt diverso modo principium Spiritus Sancti *diversitate* attingente rationem principii spirativi, *nego antec.*; *diversitate* attingente tantum *modum* quo habent virtutem spirativam, Pater sine origine, Filius per generationem, *conc. antec.* Eodem modo Pater et Filius habent deitatem et virtutem creativam, quin inde sint duo dii vel duo creatores: a.3 ad 2.

2. Spiritus Sanctus procedit immediate a Filio et mediate a Patre. Ergo diverso modo procedit ab illis.

Nego antec. quoad secundam partem; nam aequae immediate procedit ab utroque. *Mediatio* aliqua est tantum inter personas producentes ut *originem inter se relatas*, ideoque dici potest Spiritus Sanctus procedere a Patre per Filium; non autem in ratione principii spirativi: a.3 ad 1.

3. Arguit PHOTIUS contra processionem a Filio: Spiritus Sanctus perfecte procedit a Patre. Ergo superfluum est dicere eum a Filio procedere.

Nego cons. «Non solum non est superfluum... sed omnino necessarium, quia una virtus est Patris et Filii»: a.2 ad 6. Retorqueo in creatione.

4. Photius negat posse dari quid notionale commune duabus personis, sed ait quidquid non est commune tribus personis esse personale, et proprium unius tantum personae.

Gratis id negat, neque ullum est principium theologicum in quo fundari possit haec negatio. Praeterea etiam admittit Photius *missionem* Spiritus Sancti esse communem Patri et Filio, unde Patres cum Scriptura dicunt Spiritum esse *proprium utriusque*.

5. Spiratio qua Pater spirat, instat Photius, non est actus naturae, sed personae. Atqui persona est incommunicabilis. Ergo etiam actus eius.

Omnis operatio est et naturae et personae sub diversis rationibus; sc. est naturae ut principii *quo*, et est personae ut suppositi operantis et saepe ut principii *quod* proprie dicti; sed non repugnat principium *quod* esse communicabile, et proinde non suppositum, ratione naturae vel etiam ratione communis proprietatis: a.4 ad 1. Praeterea verum est in divinis creationem esse operationem naturae et trium personarum ut principii *quod*; spirationem autem esse operationem notionalem et duarum personarum etiam ut principii *quod*.

⁸ D'ALÈS, 156.

⁹ De processione Spiritus Sancti 18: ML 158,311.

Ideo ad argumentum *dist. mai. quoad primam partem*. Spiratio qua Pater spirat non est naturae ut principii *quo, nego mai.*; ut principii *quod, conc. mai. Dist. secundam partem*. Spiratio qua Pater spirat est personae proprie ut principii *quod, nego*; quia est operatio Patris ut Spiratoris, quod non est quid personale sed notionale commune Patri et Filio; Spiratio qua Pater spirat est personae *ut per se requisitae ad spirandum* et in qua necessario verificatur ratio spiratoris, *conc.*; sed eodem modo id valet de Filio. *Conc. min. Nego cons.* quae non est bona, nam aliunde nullo modo repugnat ut duae personae operentur eadem actione.

6. Tandem arguit Photius: Pater est principium aliarum personarum ut est Pater, non ut est Deus. Atqui paternitas est incommunicabilis. Ergo et spiratio communicari nequit.

Omissa secunda parte mai., dist. mai. quoad primam partem. Pater est principium duarum personarum ut est *prima persona*, sc. secundum duas notiones quas habet, *conc. mai.*; secundum paternitatem *praecise conceptam, nego mai.*, nam ita non est principium nisi Filii, secus Spiritus Sanctus esset genitus. Sed iterum *nego cons.*

Potest etiam responderi ad mentem Patrum graecorum: *dist. mai.* Pater spirat ut Pater, si etiam spirat Filius ut Filius, per spirationem acceptam a Patre, *conc. mai.*; nempe Pater spirat, supposito quod sit Pater generans Filium eique communicans omnia sua, etiam virtutem spirativam; Pater spiraret ut Pater si solus spiraret, *nego mai.*; nam ita generaret Spiritum Sanctum, productio enim a patre ut patre est generatio. Patet inde principia photiana esse destructiva oeconomiae trinitariae¹⁰.

Ulteriora trademus agendo de constitutivo Spiratoris.

ARTICULUS II

DE PRINCIPIO FORMALI DIVINARUM PROCESSIONUM

421. Probata existentia processionum in divinis, constat etiam principium producens, *principium quod*, ut dicitur, seu suppositum vel subsistens a quo originem habet terminus procedens, esse in generatione Filii Patrem, in processione vero Spiritus Sancti Patrem et Filium ut unum principium. Verum ad aliqualem huius mysterii ulteriorem intelligentiam, quaeri potest quodnam sit in divinis processionibus *principium formale*, seu *principium quo*, ad modum virtutis productivae, nempe quid sit quod rationem illarum processionum quoquo modo explicet. Id praestat, revelatione duce, Theologia latina de principio formali divinarum processionum.

In hac autem aliqua sunt elementa, de quibus dogmatice vel theologicè dubitari nequit, ut in revelatione certo fundatis;

¹⁰ De argumentis photianis ex ratione theologica v. HERGENRÖTHER, *Animadversiones...* MG 102,462-496; JUGIE, 192-205; DE MEESTER, o.c., 4488; GORDILLO, *Theologia...* 10-27; LOHN, *Doctrinae graecorum...* 97-123; B.LEIB, *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XI^e siècle* (Paris 1925) 331-344; CANDAL, o.c.; WL.LOSSKY, *La procession du Saint Esprit dans la doctrine trinitaire orthodoxe* (Paris 1948); M.CANDAL, *Un escrito trinitario de Isaac Argiro en la contienda palamita del s.XIV*; OrChristPer 22 (1956) 92-137; Juan Ciparisiota y el problema trinitario palmitico; OrChristPer 25 (1959) 127-164; Demetrio Cidonio y el problema trinitario palmitico; OrChristPer 28 (1962) 75-120. V. etiam E.KREMER, *La controverse sur la procession de l'Esprit Saint dans les écrits de Raymond Lull*: Est.Lul 1 (1957) 31-44.

aliqua vero, quae ulteriorem declarationem continent, non nisi positionis theologicae, aut certae aut probabilis, limen attingunt¹. In primis recensentur processio Verbi per intellectum et processio Spiritus Sancti per voluntatem. Ad aliud genus pertinent ulterior declaratio divinarum processionum per analogiam cum verbo et amore in creatis, quaestio scholastica de propria ratione principii *quo* in divinis, et declaratio discriminis inter utramque processionem.

Duas processionem divinas esse per intellectum et voluntatem probatur singillatim in sequentibus thesibus. Nunc autem praestat breviter enucleare sensum ac rationem generalem theologiam huius capituli.

422. Theologi communiter docent cum S.Thoma q.27 processionem divinas esse *secundum operationes proprias naturae divinae*, quod satis patere videtur, cum in illis detur activitas divinitatis ad intra, quae necessario est connaturalis. Aliunde in revelatione constat processionem divinas non esse liberas, sed *necessarias* ac naturales, quod primo de generatione Filii adversus arianos saepius a Patribus declaratum est, ac postea contra macedonianos de processione Spiritus Sancti². Nihil ergo remanet, nisi ut sint «secundum actiones quae in agente manent» q.27 a.5, operationes nempe *vitales* intelligendi et volendi³.

Verum haec probe animadverti debent: a) Intellectio et volitio in Deo sunt quid *essentiale* et improductum, commune tribus personis. Quare Verbum in divinis non est formalis intellectio, nec Spiritus Sanctus formalis volitio seu amor, sc. non sunt id quo Pater intelligit, aut quo Pater et Filius se mutuo amant; sed Verbum est *terminus productus per intellectionem*, ex infinita fecunditate naturae divinae in ratione intelligendi, et Spiritus Sanctus est *terminus productus per amo-*

¹ Haec accurate distinguenda sunt; quod praestat FRANZELIN, th.26 et 27. Priorem ita proponit: «Modus processionis Verbi per intellectum, Spiritus Sancti per voluntatem ex Scriptura et Patrum doctrina demonstratur»; alteram hoc modo declarat: «Supposita fide de reali processione Verbi et Spiritus Sancti, atque supposito modo processionis per intellectum et voluntatem, potest praecedentibus Patribus et Doctoribus reperi in spiritu creato analogia et imago ex qua fides quaerit intellectum et distinctionem aliquem conceptum SS.Trinitatis» (p.360.372). V. etiam SCHEEBEN, *Dogmatik* 1,846; LE BACHELET, *Etudes* 82 (1900) 560-563; ALASTRUAY, *De Sanctissima Trinitate* 114. His iudicanda sunt quae recentius disseruntur de «theoria psychologica», ut aiunt, S.Augustini et scholasticorum de divinis processionibus. V. Appendix n.57988; SCHMAUS, *Die psychologische Trinitätslehre des hl.Augustinus* (Münster 1927) p.177.412-414.41688; M. PENIDO, *Prélude grec à la théorie psychologique de la Trinité*: EphemTheolLov 8 (1931) 5-16; R.REMBLAY, *La théorie psychologique de Trinité chez Saint Augustin*: Etudes et Recherches 8 (1952) 83-109; *Les processions du verbe et de l'amour chez St.Augustin*: RevUniv Ottawa 24 (1954) 93-117; M.D.PHILIPPE, *Saint Thomas et le mystère de la très Sainte Trinité*: LumVie 30 (1956) 793-818.

² Textus SS.ATHANASII, HILARII, BASILII, EPIPHANII et CYRILLI ALEXANDRINI v. apud R ind.theol. 154-156.

³ Cf. expositionem huius doctrinae apud SCHEEBEN, *Die Mysterien...* § 108; ed.hisp., p.59-69; B.LONERGAN, *Divinarum personarum conceptio analogica* (Roma 1957).

rem, ex infinita fecunditate naturae in ratione amandi. Intellectio et volitio divina identificantur certe realiter, sed distinguuntur ratione, quod sufficit ut aliquantulum declaretur possibiles esse duas processiones realiter distinctas sub diversa ratione formali: q.27 a.3 ad 3; nam in processione Verbi communicatur natura divina quatenus est intellectio, in processione vero Spiritus Sancti quatenus est amor.

b) Cum productiones divinae, unaquaeque in sua linea, habeant *terminum infinitum* et omnino adaequatum virtuti productivae, non possunt multiplicari, sed *unica est utraque* sub propria ratione. Ideo non sunt nisi *duae processiones* in divinis: q.27 a.3 et 5.

c) Essentiale discrimen inter processiones divinas per intellectum et voluntatem et productiones verbi mentalis et actus amoris in humanis, est quod nos verbum proferimus ut intelligamus, et actum amoris elicimus ut amemus. In divinis autem Pater aeternus ex se et essentialiter intelligit actu secum identificato, et Verbum producit *quia intelligit ex infinita fecunditate intelligentiae divinae*; Pater autem et Filius essentialiter eodem amore secum identificato se amant, ac Spiritum Sanctum producunt *ex infinita fecunditate naturae divinae ut est volitio*. Hoc sensu processiones divinae non sunt operationes naturales intelligendi et amandi, sed per modum operati per has operationes.

Thesis 36. Filius seu Verbum procedit per intellectum.

S.TH., q.27 a.1; q.34 a.1.2; SUÁREZ, I.1 c.5.6; I.9 c.2.3.9.10; RUIZ DE MONTOYA, d.2.55-58; FRANZELIN, th.24.27; GALTIER, 227-238.

423. **Nexus.** Cum processiones divinae sint naturales, planum est earum principium formale, saltem *remotum*, esse naturam; in utraque vero processione communicatur natura divina per identitatem, et utraque est ex exigentia infinitae fecunditatis naturae divinae. In hoc conveniunt duae processiones, quae tamen distinctae sunt; quaerere ergo opus est quodnam sit principium formale immediatum utriusque. Cumque secunda persona dicatur *Verbum*, quod referri videtur ad intellectum, quaeritur an *ratio formalis immediata qua procedit Verbum sit intellectus*. Id asserit sententia communis theologorum, qui pari modo tenent Spiritum Sanctum procedere per voluntatem.

Notiones. FILIUM et VERBUM eandem esse personam in divinis constat verbo divino scripto et tradito⁴. Hanc secundam

⁴ Cf. supra, c.1.

personam procedere per intellectum significat processionem huius personae haberi in divinis *praecise quia natura divina intelligens est*; seu quod est idem, *rationem formalem* qua producit, eique communicatur natura divina, esse immediate *intellectionem*, modo quodammodo analogo ac verbum producit in intellectu humano per operationem intellectualem. Negamus ergo processiones divinas fundari *immediate in natura ut tali*, sed tenemus fundari in natura secundum operationes immanentes proprias naturae spiritualis; id in hac thesi dicimus de processione Verbi per intellectum; postea id probabimus de processione Spiritus Sancti per voluntatem.

424. **Sententiae.** DURANDUS docet processiones divinas esse immediate a natura, seu fundari in fecunditate *naturae divinae ut talis*, praesertim primam, quae utpote generatio fundatur in viventibus, etiam intellectualibus, in natura, non in intelligentia; atque expresse impugnat processiones divinas posse esse secundum operationes intelligendi et amandi. Consequenter ausus est dicere Filium non dici proprie Verbum, sed tantum *metaphorice*⁵.

Simile quid tenere videntur *recentiores* quidam, saltem in parte negativa sententiae durandianae; processionem enim Verbi per intellectum et magis adhuc processionem Spiritus Sancti per voluntatem habere videntur ut *meram theoriam* seu explicationem analogicam, ad modum cuiusdam comparisonis sine ullo fundamento dogmatico; imo his theoriis nihil attingi de modo quo re ipsa processiones sint in divinis; aequiparant enim illas doctrinas theologicas vestigiis trinitariis in creaturis reptis⁶.

Verum *communis sententia* theologorum est *vere et re ipsa* Verbum procedere via intellectus et Spiritum Sanctum via amoris, quidquid est de ulteriore comparatione cum verbo mentis humano et amore creato, quae tamen ut communis et fundata in ipso nomine Verbi et amoris optima est; adeo ut sententiam Durandi gravi censura temeritatis aut etiam proximitatis erroris plures ac magni theologi afficiant⁷.

⁵ In I d.6 q.2 «unus contra omnes» (SCHEEBEN); huic opinioni favere videtur GREGORIUS ARIMINENSIS, In I d.7 q.1 a.2; d.10 q.1 a.1. De sententia DURANDI, cf. M.PHILIPPE, *Les processions divines selon Durand de Saint-Pourcain*: RevThom 47 (1947) 244-288. Ipse tamen admittit aliquo modo posse dici Filium procedere per modum intelligentiae, quia eius processio est prima; cf. PHILIPPE, l.c., 265; v. infra, n.436.

⁶ Id praesertim tenet DE RÉGON, in opere aliunde praeclaro, saepius relato, *Etudes de Théologie positive sur la Sainte Trinité*, in quo haec est assertio perpetuo repetita, totamque investigationem pervadens. Alii sunt auctores, ab eo dependentes, qui eius dicta plurima repetunt, quin tamen appareat an omnibus conclusionibus eiusdem auctoris adhaereant, ut A.AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la filosofía y del dogma* t.5,345-395.

⁷ SUÁREZ ait: «Opinio Durandi temeraria et errori proxima censenda est» (I.1 c.5 n.4); RUIZ docet «iustam esse censuram auctorum, qui sententiam Durandi appellant non solum temerariam et periculosam, sed etiam erroneam» (d.2 s.3 n.11). Id etiam tenent MOLINA,

Doctrina Ecclesiae. Communis est haec thesis in explicatione dogmatis trinitarii, et in *Catechismo Concilii Tridentini* clare supponitur^{7*}. LEO XIII in Litteris encyclicis *Divinum illud* cum commendat appropriationes trinitarias ex affinitate quae inter opera divina et personas intercedit, ait: «Aptissime Ecclesia ea divinitatis opera... in quibus excellit sapientia tribuere Filio... consuevit»⁸. PIUS VI in damnatione synodi pistoriensis probat S.Augustini et S.Thomae dicta, «eo Filium quo Verbum, et eo Verbum quo Filius» et «in nomine Verbi eandem proprietatem importari quae in nomine Filii» (D 1597).

Valor theologicus. Thesis est *theologicæ certa*; ita ab omnibus fere theologis dicitur, eamque censuram omnino retinendam putamus⁹.

425. Probatur ex Scriptura, ex documentis Ecclesiae et ex Patribus, ex nominibus VERBI, SAPIENTIAE et IMAGINIS, quibus secunda persona designatur, praesertim ex nomine Verbi.

1. *Verbum* est nomen proprium Filii Dei. Atqui nomine Verbi significatur quid pertinens ad ordinem intellectus et habens originem per intellectum. Ergo processio Verbi est per intellectum.

Maior. a) Io 1; Apoc 19,13 et 1 Io 1 *Filius Dei* vocatur *Verbum*. *b)* Ita etiam a S.DIONYSIO ROMANO (D 48 51), a S.DAMASO in anathematismis (D 65 66 70) et a *Concilio Chalcedonensi* (D 148). *c)* Patres frequentissime nomine Verbi ut propria appellatione, non minus ac nomine Filii, secundam personam designant. Ita S.IGNATIUS (R 45), S.IRENAEUS: «Filius est Verbum Dei» (R 200 203 205); et notum est antenicaenos potius habere ut nomen personale *Verbum* quam *Filius*, eo quod hoc exprimit tantum illud esse generatum. Et licet haeretici, maxime ariani, hoc nomine abusi sint ac illud male interpretarentur, non tamen ab hac appellatione destiterunt Patres

VALENTIA, VÁZQUEZ, BÁÑEZ, IOANNES A. S.THOMA, etc. Ita etiam recentiores, ut SCHEEBEN, *Dogmatik* 1,843; PHOHLÉ, 435, qui eandem notam extendit in HIRSCHER et DE RÉGNON.

^{7*} In art.1 symboli n.14; in art.8 n.5.

⁸ CAV., 610; D (ed.32) 3326.

⁹ SUÁREZ, l.c.: «certa in Theologia»; RUIZ: «omnino certa et fidei proxima» (d.2 s.2 n.5); eodemque modo notant hanc thesim theologi antiqui, paucissimis exceptis, ut ESTIO, 1 d.27 a.3; FRASSEN, d.1 a.3 q.1, et Tournely, *De Trinitate* q.2 a.3. Ita etiam moderni qui tractatus theologicos scripserunt; e quibus SCHEEBEN ait non solum esse unam sufficientem hypothesin, sed etiam esse thesim quae sufficienter continetur in verbo Dei et ab initio in tota traditione (l.c.); PHOHLÉ, l.c.; PREMM, *Glaubenslehre* 1,265; ALASTRUEY, 117; SCHMAUS, *Katholische Dogmatik* 1,547. Imo D'ALÈS ut fidei proximam eam defendit, 183; ac LERCHER, 315: «Saltem theologicæ certa, nisi melius dicatur implicite revelata et definita esse.» M.PENIDO, etsi impugnat theorias DE RÉGNON, tandem dubitatione aliqua certitudinem thesim proponit: *Le rôle de l'analogie...* 311; *La valeur de la théorie «psychologique» de la Trinité*: EphThLov 8 (1931) 16.

saec.IV, ut S.ATHANASIUS (R 754 770 787 etc.), PP. Cappadoces, S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2070 2083), S.AUGUSTINUS.

Minor ex se patet, at eam explicite docent saepenumero Patres. Notum est scriptores antenicaenos totam doctrinam de generatione Filii fundare in eo quod Verbum est expressio mentis paternae, quod fundamentum numquam est negatum aut in dubium a Patribus sequentibus vocatum, imo et expresse propositum.

Ita CLEMENS ALEXANDRINUS: «Verbum Dei est legitimus filius mentis»^{9*}. S.DIONYSIUS ALEXANDRINUS dixit Verbum esse effluxum mentis, quod probat S.ATHANASIUS; hic Sanctus: «Ipse est Verbum Patris, quem proinde ut Patrem nec quid pati nec dividi posse intelligendum est; quippe cum ipsi etiam homines proprium verbum citra divisionem ac nihil patiendi producant, multo igitur magis Deus suum Verbum» (R 754). S.BASILIIUS: «Cur Verbum? Ut perspicuum sit processisse ex mente... quemadmodum verbum nostrum...» (R 909). S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Verbum porro qui ita se habet ad Patrem ut verbum ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre *vimque enuntiatricem*» (R 994); S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «At carissime, quid statues de Ioanne, qui Filium Verbum vocat et ipsi hanc propriissimam appellationem tribuit et *essentiae eius maxime indicativam?*... Sufficit dicere Verbum ad significandam Filii essentiam» (R 2070). Tandem S.IOANNES DAMASCENUS colligit doctrinam Patrum graecorum dicens Filium vocari Verbum, «quia est ad Patrem quod verbum ad intellectum»; «physicus motus mentis»¹⁰. Imo contra *arianos et alogos* saepe id efferunt, quos erroris arguunt, quia Pater sine Verbo esset sine sapientia.

Vides igitur quo fundamento dici potuerit thesim latinorum nullo modo niti posse in Patribus graecis, cum non solum argumentum, sed ipsa thesis his dictis expressa sit. S.AUGUSTINUS, ut notum est, rem longius explanat libris *De Trinitate* (R 1667 1678 1816 etc.)^{10*}.

426. 2. Ex nomine Sapientia. Si Filius procedit per intellectum intelligitur cur exhibeatur in libris sapientialibus Prov 8, Eccli 24, prout a Patribus et Ecclesia communiter declarantur, ut Sapientia genita et hypostatica; ita S.ATHANASIUS (R 787), S.AUGUSTINUS (R 1460) etc. Nam, ut exponit S.Augustinus, cum omnes personae sint sapientes, imo ipsa

^{9*} *Cohort. ad graec.* 10: MG 8, 212,214.

¹⁰ *De fide orthodoxa* 1,6.13: MG 94,857.

^{10*} V. probationem uberius expositam apud RUIZ, d.2 s.2; GALTIER, 231-238; D'ALÈS, 133-146.

sapientia substantialis, unica ratio cur specialiter dicatur Filius Sapientia, est quod hoc nomine significatur modus eius originis; atqui sapientiae principium est intellectus.

3. Potest etiam argui cum pluribus theologis, ut S. THOMA q.35 a.1.2, ex nomine *Imaginis*, quod in Scripturis de solo Filio dicitur. Ad hoc enim ut aliquid sit imago alicuius opus est ut procedat similis illi in specie aut in signo speciei, unde in divinis dicitur notionaliter, et quidem de Filio, qui procedit ut Verbum, de cuius ratione est similitudo formae vel speciei ad id a quo procedit ex intentione talis similitudinis.

427. Ratio theologica. 1. Praecipua ratio est quam ex S. THOMA q.27 a.1,3,5 innuimus, processiones divinas debere esse secundum operationes immanentes proprias naturae spiritalis. Atqui prima operatio huius naturae est intelligentia. Ergo prima processio in divinis est per intellectum.

2. Intellectualis natura de se est manifestativa seu locutiva eius quod intelligit, et fecunditatem habere ad manifestandum magna perfectio est, quam Deo non deesse convenientissimum est ¹¹.

DECLARATUR QUID SIT VERBUM IN DIVINIS. Proprium minus rationis theologicae in mysteriis est, per analogiam cum iis quae mens humana alias novit de Deo et de rebus creatis, aliquam eamque fructuosissimam intelligentiam eorum assequi (D 1796). Id praestat *theologia de Verbo divino* (q.27 a.1; q.34 a.1,2) ¹².

Sicut mens humana intelligendo efformat *similitudinem rei intellectae* quae vocatur verbum, quia per illud mens secum quodammodo loquitur, ita suo modo Pater in divinis, intelligendo intellectu infinito, producit terminum qui est expressio quaedam rei intellectae, quae iure vocatur Verbum, quia «verbum in universum, eo ipso quod respondet locutioni, est quid productum in ratione signi intellectualiter repraesentativi, quod ideo ordinem dicit ad naturam intellectualem ut talem, ut principium eius» ¹³. Ideo Verbum divinum convenit cum verbo interno humano in quantum est *spirituale, permanens, imma-*

¹¹ Cf. IOANNES A S. THOMA, d.12 a.4 n.2488; a.6.

¹² Id vult S. THOMAS, h.l., non probare existentiam processionem in Deo; ideoque minoris momenti videntur esse quaestiones, inter interpretes S. Doctoris ortae, de vi ac intentione principii e quo procedit declaratio ab eo tradita; v. PENIDO, *Le rôle de l'analogie en Théologie dogmatique* (Paris 1931) 267-280; H. PAISSAC, *Théologie du Verbe, Saint Augustin et Saint Thomas* (Paris 1951); B. LONERGAN, *The concept of Verbum of St. Thomas Aquinas: TheolSt 7-10* (1946-1949); M. GARRIDO, *San Anselmo y el argumento de analogía en el misterio de la Trinidad: VerVid* (1955) 349-361; W. GOESSMANN, *Die Methode der Trinitätslehre in der Summa Halensis: MünchTheolZschrft 6* (1955) 253-262; C. VAGAGGINI, *La hantise des «rations necessariae» de S. Anselme dans la théorie des processions trinitaires de St. Thomas Spicil. Becense* (Paris 1959) 103-139.

¹³ SUÁREZ, l.9 c.2 n.9.

nens et repraesentans naturaliter et vi processionis obiectum cognitum.

Verum differt Verbum divinum a verbo humano a) quia verbum humanum est accidentale, Verbum divinum subsistens persona; b) verbum creatum producit ex *indigentia* intelligentis et constituit eum in esse intelligentis; Verbum autem divinum producitur *ob infinitam* perfectionem et *fecunditatem* ipsius intellectionis divinae, ac proinde supponit principium intelligens iam in actu secundo intelligendi; c) verbum creatum ut *forma repraesentativa* habet esse diversum a potentia intellectiva quae est principium eius; at in Verbo divino ratio formaliter repraesentativa est *ipsum intelligere divinum* quo Pater intelligit et quod in illo est ratio producendi; quia intelligere Dei est ipsum esse eius; quare productio Verbi est *communicatio ipsius actus puri sub ratione formali intellectionis*. Verbum ergo divinum dicit *relationem realem originis* ad personam Patris a qua procedit; at ut repraesentans intellectualiter obiectum intellectum, dicit *relationem tantum secundum dici* ad res repraesentatas, sicut formalis intellectio divina.

N.B. Diversitas sententiarum in explicando verbo humano ¹⁴ impertinens est ad declarandum Verbum divinum, cum tota versetur in munere quod exercet ad constituendum intelligentem in actu secundo intelligendi; iam Verbum divinum id praesupponit, seu, ut dictum est, non producit ut Pater intelligat, sed quia intelligit.

428. Corollaria. 1. Verbum in divinis non dicitur nisi *notionaliter*: q.34 a.1 c et ad 2; nam ad rationem verbi non sufficit quod sit formalis repraesentatio intellectualis, sed praeterea est quid productum in illa linea, seu sub ea ratione formali.

2. Aliae voces ad ordinem intellectus pertinentes de se dicuntur *essentialiter*; quare specialiter non tribuntur Filio nisi per *appropriationem*. Tamen nomen *Sapientia Patris*, si additur praesertim *genita* aut *hypostatica*, est ex usu Scripturae et Patrum nomen personale.

3. Pater nequit proprie dici *sapiens sapientia genita* ¹⁵, quia hoc significat Verbum esse attributum quo Pater formaliter est sapiens. Quod si haec aut similes locutiones reperiuntur apud Patres, vel significant contra arianos Patrem non esse sapientem, nisi ea sapientia quae *identice* et *necessario* est Verbum, aut nomen sapientiae sumunt antonomastice et *appropriative*. Idem dicendum est de *idea* exemplari et de locutione «Deum et beatos videre omnia in Verbo».

4. Productio Verbi vocatur etiam *dicere*, praesertim cum Verbum divinum conveniat etiam cum verbo externe prolato, quod ex intellectione sequitur. Quare *dicere* antonomastice et ad intra dicitur *notionaliter* de Patre. *Dici de verbo dicto* est etiam *notionale* et proprium Filii; ut de *re dicta* est omnium quae Deus cognoscit: q.34 a.1 ad 3.

¹⁴ Intelligimus praesertim controversiam circa verbum, an sit in creatis id in quo, an quo, mens intelligit; in divinis enim personae divinae non intelligunt in Verbo, neque Verbo, seu Verbum divinum non est id in quo, neque quo, Deus intelligit; cf. LOSSADA, *Cursus philosophicus* (ed. Barcinone 1883, q.183 n.60).

¹⁵ S. AUGUSTINUS hunc modum loquendi permiserat *De diversis quaestionibus* 83 q.23: ML 40,216; postea illum reiecit, *Retractiones* 2,16: ML 23,625.

429. **Obiectiones.** I. Patres graeci locis adductis afferunt tantum comparationem Filii cum verbo humano, ut asserant immaterialitatem generationis divinae. Ergo nihil inde erui potest ad probandam processionem Filii per intellectum.

Nego prorsus antec., ut patet ex ipsis textibus adductis. Asserunt quidem et probant inde spiritualitatem divinae generationis; sed fundamento assumpto et quidem expresse tradito, Filium esse vere Verbum Dei et ex mente procedere. Quod si nomen Verbi mere metaphorice sumerent, quodnam esset argumentum adversus haereticos? Quare non deficit argumentandi ratio qua Patres utuntur contra arianos et alogos, Patrem sine Verbo futurum fuisse sine sapientia; nam sapientia essentialis exigit identificari cum Verbo producto¹⁶.

2. **Obicit DURANDUS:** Processiones divinae sunt ex fecunditate naturae divinae, ac praesertim generatio dicitur a Patribus processio naturalis. Ergo ex natura immediate explicari debent.

Dist. antec. Processiones divinae sunt ex fecunditate naturae secundum operationes proprias naturae divinae, *conc. antec.*; aliter seu immediate, *nego antec.*, ac speciatim natura divina ut talis non potest esse potentia generativa, aut eam habere independentem ab operatione intellectus, cum propagari nequeat. Patres dicunt generationem esse processionem *naturalem* in oppositione ad processionem *liberam* creationis, quam ponebant ariani. Praeterea processio per naturam et per intellectum in Deo eadem est: q.30 a.2 ad 2¹⁷.

3. **Instat Durandus:** In creatis generatio seu productio naturalis non est per intellectum, ne quidem in entibus intellectualibus, sed immediate per naturam. Ergo a pari intelligenda est generatio divina.

*Nego parit.*¹⁸ Paritas cum creatis, si nimis urgeretur, negare deberet generationem divinam, nam nulla res [creata] pure intellectualis potest suam substantiam communicare. Addendum est generationem in creatis esse a natura, sed per potentiam specialem ad hoc destinatam.

430. 4. Praecipua difficultas in qua insistit Durandus est, quod e doctrina theologorum sequitur etiam Filium et Spiritum Sanctum generare debere seu producere Verbum, cum etiam illi intelligant intellectione infinita. Cur ergo solus Pater illud producit?

1) *Retorqueo* in Durandum; etiam natura divina eadem est in tribus personis; ergo etiam tres personae generare deberent. Praeterea in sententia Durandi explicari nequit cur natura divina fecunda sit in duplici linea, generativa et spirativa; imo impossibile esset ob infinitatem termini in prima processione.

2) *Dist. antec.* Etiam Filius et Spiritus Sanctus deberent producere Verbum, si personae divinae intelligerent *distinctis* intellectionibus infinitis, *trans. antec.*; cum intelligant *una* intellectione, *nego antec.* Ratio cur Pater producat Verbum est fecunditas intellectionis divinae, quam veluti exhaurit processio termini infiniti in prima productione; unde nulla ratio est cur Filius et Spiritus Sanctus producant novum verbum; imo impossibile est, cum infinitum unicum sit in propria linea¹⁹.

¹⁶ Cf. PESCH, *Theologische Zeitfragen* 2,16-24; GALTIER, 234.

¹⁷ V. th.40.

¹⁸ Cf. PHILIPPE, l.c., 265-267.

¹⁹ KLEUTGEN, *De ipso Deo* 971.

Thesis 37. Verbum procedit per se et formaliter ex scientia Dei necessaria; ex scientia vero contingenti non nisi concomitanter.

S.Th., q.34 a.3; SUÁREZ, l.9 c.4ss; FRANZELIN, th.29; MUNCUNILL, 1254-1268; PESCH, 524-528.

431. **Nexus.** Posita processione Verbi per intellectum, subtiliorem quaestionem ponunt scholastici de scientia qua procedit. Ea breviter attingenda videtur ad complementum doctrinae.

Status quaestionis ac notiones. Cum Verbum procedat per intellectionem divinam, quae una est, simplicissima et comprehensiva omnium rerum, patet ipsum procedere per cognitionem attingentem de facto omnem veritatem; et cum sit proprium verbi interni repraesentare obiecta cognita ipsi intelligenti, quo ille quasi secum loquitur, aiunt Patres et Doctores *Deum dicere omnem veritatem Verbo suo*: q.34 a.1 ad 3. Tamen, ut notum est, distinguuntur diversa *signa rationis* in intellectione divina, prout attingit diversa obiecta. Quaeritur ergo an Verbum divinum procedat proprie loquendo, seu *per se et formaliter*, ex scientia divina *totali*, an potius tantum ex aliqua vel aliquibus ex illis in quas dividi solet.

Per se et formaliter procedit Verbum ex illa scientia quae absolute et in omni hypothesi intelligi debet ut procedat Verbum perfectissimum. Tantum *concomitanter* ex illa scientia, quae licet per possibile vel impossibile non daretur in Deo, Verbum tamen perfectissimum produceretur. Seu Verbum procedit per se et formaliter ex illa scientia quae absolute necessaria est ad explicandam processionem Verbi divini; tantum concomitanter ex illa scientia quae non confert ad hanc explicationem.

Scientia necessaria in Deo est cognitio sui ipsius, nempe essentiae et relationum seu personalitatum divinarum, paternitatis, filiationis et spirationis, et praeterea cognitio possibilium; *scientia contingens* est cognitio futurorum et futuribilium.

432. **Sententiae.** *Communior et multo probabilior* est sententia quam in thesi statuimus, Verbum procedere *per se et formaliter ex adaequata scientia necessaria*; mere *concomitanter ex scientia contingenti*¹. Admittimus tamen cognitionem essentiae divinae et paternitatis *primario* se habere ad processionem Verbi; cognitionem vero filiationis, spirationis et possibilium modo *secundario*, licet etiam formali et per se.

Sed propter difficultates insurgentes sunt plures theologo qui aliter sentiunt. Omnes quidem tenent Verbum procedere formaliter ex cognitione essentiae divinae, ut evidens est. Verum SCOTUS² negat procedere ex cognitione relationum et possibilium eumque sequuntur plures scotistae, et alii ut VÁZQUEZ³, licet is teneat thesim de cognitione paternitatis et filiationis. Fundatur Scotus in prioritatem quae videtur dari in productione Verbi respectu cognitionis ipsius saltem intuitivae; non potest ergo Verbum procedere ex cognitione sui; cum autem relativa sint simul cognitione, neque ex cognitione paternitatis potest Verbum procedere; a fortiori ex cognitione spirationis et possibilium.

Hac difficultate permoti, aliqui thomistae⁴ aiunt Verbum procedere ex

¹ Auctores plures ex omni schola pro hac sententia v. apud MUNCUNILL, 1255 nota 7.

² In 2 d.1 q.2 a.2 collato cum 1 d.27 q.3.

³ D.142 c.3.4; d.143.

⁴ Ita eos sine nomine vocat RUIZ, d.61 s.1 n.10; SUÁREZ, l.1 c.5 n.8, et SALMANTICENSIS, d.2 dub.1 n.31 vage eos referunt; VÁZQUEZ addit eos hanc opinionem derivare a Caetano, d.142 c.2 a.6.

cognitione sui quasi-abstractiva. Id tamen reici debet, nam cognitio abstractiva in Deo tantum admitti potest de re quae de se praescindat ab existentia et possit esse mere possibilis.

In oppositum aliqui, ut VALENTIA⁵ et RUIZ DE MONTOYA⁶, docent Verbum procedere per se et formaliter ex *totali scientia Dei*, non tantum ex necessaria, sed etiam ex contingentia.

Valor theologicus. Thesis est *probabilior*.

433. Probatur prima pars: VERBUM PROCEDIT PER SE ET FORMALITER EX ADAEQUATA SCIENTIA NECESSARIA.

Pater producit Verbum ex cognitione *perfectissima, intuitiva et comprehensiva divinitatis*, et quidem per se et formaliter, seu ex *exigentia ipsius productionis*. Atqui cognitio comprehensiva divinitatis attingit intuitive et perfectissime non tantum essentiam ipsam, sed etiam relationes, et praeterea attingit etiam distinctissime omnia possibilis. Ergo Verbum procedit ex adaequata scientia necessaria.

Maiores prob. Nam processio Verbi habetur in divinis ob fecunditatem intellectus infiniti ut talis, in quantum ipsam divinitatem perfectissime attingit.

Minor constat ex conceptu cognitionis comprehensivae; nam relationes identificantur cum essentia, et possibilis virtualiter in illa continentur.

Primario tamen Verbum procedit ex cognitione essentiae et paternitatis, nam id requiritur *ex ipsa ratione Verbi producti*, quod est Verbum Patris et perfectissima eius imago. Cognitio vero filiationis, spirationis et possibilium requiritur tantum *ex quidditate cognitionis comprehensivae*, qua procedit Verbum.

Probatur secunda pars: VERBUM TANTUM CONCOMITANTER PROCEDIT EX SCIENTIA DEI CONTINGENTI.

Processio Verbi est necessaria. Ergo non potest per se fundari in scientia contingentia. Unde Verbum divinum eodem modo perfectissimum esset, si scientia contingens alia esset, quam quae nunc est, quia sc. Deus alia creasset diversa ab iis quae de facto creata sunt.

434. Obiectiones. Ad eas solvendas haec ob oculos haberi debent: a) *Obiectum* cognitionis divinae nullo modo est principium illius. b) *Intuitio divina* non supponit suum obiectum existens pro omni instanti, sive originis, sive etiam durationis, quo habetur cognitio, ut patet in cognitione futurorum ab aeterno. c) Inter relationes divinas et inter eas et essentiam non datur *prioritas rationis perfecta*, ipsaque realis prioritas originis inter relationes stat cum similitate rationis; prioritas vero imperfecta rationis nihil nos docet de re ipsa. d) *Principium quo* non importat distinctionem realem, nec prioritatem perfectam rationis a termino producto⁷.

CONTRA PRIOREM PARTEM. I. Prior est productio Verbi cognitione ipsius, saltem intuitiva. Ergo Verbum nequit produci ex cognitione intuitiva sui.

Dist. antec. Prioritate aliqua reali aut rationis perfecta, *nego antec.*; prioritate imperfecta rationis, *conc. vel trans. antec.*

2. Principium productionis est prius termino producto. Atqui cognitio Verbi esset principium productionis ipsius Verbi. Ergo esset prior Verbo.

⁵ In I p. d.2 q.8 p.2.

⁶ D.63 s.4, qui tamen dicit «non absolute, sed ex suppositione» Verbum procedere ex cognitione contingentia. Verum cum productio Verbi sit absolute necessaria, id admitti nequit; v. statum quaestionis.

⁷ V. de his supra, n.164ss.384,389 et infra, th.39.

Dist. mai. Principium quod est in divinis prius origine, sed non ratione, termino producto, *conc. mai.*; *principium mere quo, nego mai.*, nisi ut summum prioritate rationis imperfecta.

3. In hac sententia, Verbum et Spiritus Sanctus, imo et creaturae ut possibilis essent principium ipsius Verbi, aut saltem priora ipso Verbo; nam obiectum cognitionis prius est illa eiusque principium.

Nego assert. ex notatis; nam obiectum cognitionis divinae non est principium eius (q.34 a.3 ad 3), ideo ut summum concedi potest quaedam prioritas rationis imperfecta.

CONTRA SECUNDAM PARTEM. I. Cognitio futurorum pertinet ad perfectionem divinae scientiae. Atqui Verbum procedit ex cognitione perfectissima. Ergo etiam procedit ex cognitione futurorum.

Dist. mai. Hypothetice, in suppositione quod sint, *conc. mai.*; absolute, *nego mai.* *Dist. min.* Ex cognitione perfectissima et absolute necessaria, *conc. min.*; ex cognitione contingentia, *nego min.*

2. Quidquid Verbum repraesentat, repraesentat vi processionis. Atqui etiam creaturas existentes repraesentat. Ergo procedit ex cognitione earum.

Dist. mai. Sive formaliter, sive identice et concomitanter, *conc. mai.*; praecise formaliter, *nego mai.*

Nihil contra thesim ex q.34 a.3, nam cum ponat S. THOMAS Verbum expressivum et operativum creaturarum, agit de scientia simplicis intelligentiae.

435. Scholion. DE VOLUNTARIO IN GENERATIONE VERBI. Iam dictum est constare de fide generationem divinam non esse *liberam*, sed necessariam, quod saepe Patres contra arianos docuerunt. Aliunde non est dubium Patrem non coacte sed *voluntarie* omnino generare Filium, ut saepe iidem Patres adversus eosdem haereticos asserunt⁸. Sed quoniam Verbum procedit per intellectum et non per voluntatem, patet voluntatem divinam non esse *principium formale* generationis.

His ab omnibus plane perspectis, inquisierunt theologi *quo ordine* rationis deberet concipi voluntas Patris in generatione Filii. Nam ex una parte videtur ponenda prior ipsa generatione, cum essentialia dicantur priora notionalibus et Pater generet plene ac perfecte constitutus, sicque censuerunt SCOTUS⁹ et CAIETANUS¹⁰ cum aliis; ex altera vero intellectio est prior voluntate, et generatio immediate ex illa quasi sequitur, ideoque voluntas Patris videtur posterior productione Verbi ut censent CAPREOLUS¹¹, SUÁREZ¹² et alii plures.

Utraque sententia suam retinere videtur probabilitatem, neque est difficultas in admittenda quadam *mutua prioritate rationis* inter generationem et voluntatem generandi; nam ibi vix potest cogitari, ut inuimus agendo de prioritate et posterioritate in divinis, nisi de prioritate imperfecta rationis, cum inter ea quae comparantur nulla alia prioritas excogitari possit¹³.

⁸ V. D'ALÈS, 147.148.

⁹ In I d.6 q.unic.

¹⁰ In I p. q.14 a.2; ita etiam TOLEDO, in h.l.; IOANNES A S. THOMA, d.16 a.2; MUNCUNILL, 1059 etc.

¹¹ In I d.6 q.1; FERRARIENSIS, in 4 CG c.11.

¹² L.6 c.4 n.3; VÁZQUEZ, d.160 c.3; MOLINA, In I p. q.41 a.2 d.2; RUIZ, d.94 s.2 etc.; recenter ALASTRUÉY, 392SS.

¹³ Id etiam docet VALENTIA, d.2 q.15 p.4.

Thesis 38. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem.

S.TH., q.27 a.3; q.36 a.1; q.37 et 38; SUÁREZ, l.I c.5.6; l.II c.1-4; RUIZ DE MONTOYA, d.2,74-76; FRANZELIN, th.26.29; PESCH, 561-577.

436. **Nexus.** Quod in th.36 de processione Verbi probavimus, eius nempe principium formale immediatum non esse naturam divinam, sed operationem eius immanentem, id est processione Spiritus Sancti statuimus nunc, tertiam personam procedere per alteram operationem immanentem naturae spiritualis, voluntatem.

Notiones. Constat ergo ex dictis sensus thesis, sc. processionem Spiritus Sancti haberi in divinis in quantum habetur in iis operatio volitiva, seu rationem formalem qua producitur tertia persona esse voluntatem, eique communicari naturam divinam praecise quatenus est volitio.

Adversarii. Communi doctrinae, ut diximus, adversantur DURANDUS iique recentiores, qui saltem nolunt in hac thesi theologica videre nisi comparationem quamdam, quique etiam peculiariter insistunt in minore fundamento dogmatico quod habeat haec pars theoriae psychologicae processionum divinarum. DURANDUS vero, licet omnino teneat processionem Spiritus Sancti non esse per *operationem voluntatis*, tamen, ut aliquo modo distinguat generationem ab spiratione, ait priorem tantum esse per modum naturae, alteram vero esse «per modum voluntatis», nempe quia procedit a duabus personis; quae tamen non est nisi «ratio nominis» quare sic vocetur, secundum quamdam adaptationem ad ea quae inveniuntur in imagine creata¹.

437. **Doctrina Ecclesiae.** Ut processio Verbi per intellectum, ita processio Spiritus Sancti per voluntatem docetur in Ecclesia. *Toletanum XI* repetit dictum S. Augustini: «Spiritus Sanctus procedit ab utrisque, quia caritas sive sanctitas amborum» (D 277). *Catechismus Concilii Tridentini* opera amoris Spiritui Sancto dicit appropriata esse quia «Spiritus Sanctus a divina voluntate veluti amore inflammata procedit»². Idem repetit LEO XIII in Litteris encyclicis *Divinum illud*, in quibus totam de Spiritu Sancto doctrinam *Ecclesiae universae* proponit veluti in hoc fundatam, quod Spiritus Sanctus «a mutuo Patris Filiique amore» procedit, ideoque eum vocat *Amorem vivificantem, divinam caritatem ac Patris Filiique inter*

¹ V. PHILIPPE, l.c., 256-265.

² *Catechismus Concilii Tridentini* p.1 c.9 n.7.

*se caritatem, Amorem increatum, primum summumque Amorem, Amorem substantialem*³.

Valor theologicus. Retineri debet communis fere censura theologicae *certitudinis*⁴, praesertim post litteras LEONIS XIII⁵.

438. **Probatur ex sacra Scriptura et traditione** ex NOMINIBUS quibus Spiritus Sanctus designatur ac simul ex MUNERIBUS et OPERATIONIBUS quae ei tribuuntur. Nomina ex quibus arguimus sunt SPIRITUS SANCTUS, CARITAS et AMOR, DONUM et similia. Munera ei tributa sunt OPERA SANCTIFICATIONIS.

1. Spiritus Sanctus est nomen proprium tertiae personae, etsi ei accommodatum, nam etiam aliae personae possent ita vocari (q.36 a.1 ad 1). Atqui ex hoc nomine deducitur eius processio per voluntatem.

Prob. min. a) Vox SPIRITUS indicat quidditatem personae per modum cuiusdam impulsus ac vis motivae (q.36 a.1 2.^o), et ut notavimus ex Patribus habet sensum *relativum* et *passivum*, quasi *spiratum* (ad 2). Atqui in natura spirituali impulsus et principium motivum est voluntas et eius affectus; amor enim impellit voluntatem amantis in amatum, ut patet ex frequenti modo loquendi tum sacro, tum profano. Ergo hac voce significatur tertia personam procedere per amorem, eique communicari naturam divinam formaliter prout est amor.

b) Dicitur tertia persona Spiritus SANCTUS ita ut ei approprientur opera sanctificationis, imo et videatur ipsum *attributum sanctitatis et perfectionis moralis* in divinitate de eo peculiariter dici⁶. Ita post Scripturam, quae ut notum est, sanctificationem nostram tribuit Spiritui Sancto⁷, Patres praesertim graeci vocant Spiritum Sanctum «sanctitatem», ut S. GREGORIUS THAUMATURGUS (R 611), «cuius natura est sanctitas» (S. BASILIUS R 941), et quidem in connumeratione cum aliis personis vocatur «ipsa sanctitas» (αὐτοαγιότης) a S. GREGORIO NAZIANCENO (R 983), atque inde derivant attributionem operum sanctificationis: «Spiritus Sanctus, cum secundum essen-

³ CAV., 540-548.

⁴ Antiqui eadem nota, saltem theologice certa, hanc thesim tenebant ac th.37 de Verbo procedente per intellectum; ita nunc etiam maxima pars, ut praeter alios, SCHEEBEN, 927; PESCH, prop.77; GALTIER, 229; POHLE, l.c.; PREMM, 289; LERCHER, 351, qui ait: «saltem theologice certa; fortasse dici potest implicite revelata et definita». Sunt quidem qui notam minuunt, ut D'ALÈS, qui eam vocat tantum doctrinam communem 183; BOYER statuit esse sententiam communem et videri theologice certam 126; ALASTRUËY conclusionem theologiam 129; SCHMAUS doctrinam quae ab omnibus fere theologis tenetur 575.

⁵ I. FILOGRASSI, *De processione Spiritus Sancti secundum operationem voluntatis in Encyclica Leonis XIII «Divinum illud munus»*: Greg 16 (1935) 448-451; qui non sine causa conqueritur ab aliquibus theologis minoris fieri hoc praclarum documentum quam fas est.

⁶ V. DE RÉGNON, 4 Etude 24, praesertim p.352.

⁷ V. plures textus apud FRANZELIN, th.26.

tiam sanctus sit, fons appellatur sanctitatis» (R 914). Ita etiam S.AUGUSTINUS: «Cum sit et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus Sanctus, tamquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum» (R 1750).

Atqui sanctitas formaliter ad voluntatem pertinet. Ergo cum hac voce significetur Spiritum Sanctum procedere ex principio formaliter sancto, indicatur procedere per voluntatem; omnia enim quae exclusive aut appropriative de divinis personis dicuntur, exprimentur hoc vel illo modo rationem originis. Ita scholastici communiter arguunt, ut S.BONAVENTURA: «Spirare in spiritualibus solius est amoris et quoniam amor potest spirari recte et ordinate, et sic est purus... Ideo persona illa quae est amor, non tantum dicitur Spiritus, sed et Spiritus Sanctus»⁸.

439. 2. CARITAS, AMOR, DILECTIO. Hoc nomine non designatur Spiritus Sanctus in Scriptura, neque a Patribus graecis, sed saepe a S.AUGUSTINO: «Sive sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas...» (R 1665)⁹, et post illum a Patribus latinis, ut a S.GREGORIO MAGNO: «Ipse Spiritus Sanctus amor est»¹⁰. In LITURGIA: «Fons vivus, ignis, caritas»; ita ut in modo loquendi populi christiani sit velut praecipua nota qua Spiritus Sanctus dignoscitur. Simul vocatur a S.AUGUSTINO *bonitas, dilectio* etc., unde ait: «Voluntas insinuare incipit personam Spiritus Sancti, atque ipse insinuat caritatem qua se invicem diligunt Pater et Filius; unde si proprie aliquid horum trium caritas nuncupanda est, quid aptius quam ut hoc sit Spiritus Sanctus? Ideo in nobis diffunditur caritas Dei per Spiritum Sanctum, qui accendit in nobis dilectionem et dona gratiae»¹¹. Atqui caritas est voluntatis. Ergo Spiritus Sanctus procedit per voluntatem.

3. DONUM vocatur Spiritus Sanctus a S.AUGUSTINO saepe (R 1561 1670 1678) et munus a S.HILARIO (R 858), quo pulchre probat S.THOMAS eius processionem esse per amorem, quia hoc nomine indicatur Spiritum Sanctum procedere in quantum est aliquid quod datur, et procedere per amorem, quia

⁸ In I d.10 a.2 q.3 (ed. Quaracchi 1,204). De doctrina trinitaria S.Bonaventurae v. ALEJANDRO DE VILLALMONTE, *El argumento «ex caritate» en la doctrina trinitaria de San Buenaventura*: RevEspT 13 (1953) 522-547; *Investigación de la Trinidad en el libro de las criaturas*: EstFranc 53 (1952) 235-244.

⁹ Cf. CAVALLERA, *La doctrine de Saint Augustin sur l'Esprit Saint à propos du «De Trinitate»*: RechThAncMed 2 (1930) 365-387; 3 (1931) 5-19; SCHMAUS, *Die psychologische...* 230-282, 369-399.

¹⁰ Homil. 30 in Evang. n.1: ML 76,1270.

¹¹ CAVALLERA, SCHMAUS, l.c.

donum datur gratuita donatione, unde ipse amor est primum donum: q.38 a.2.

440. *Ratione theologica* probatur ex doctrina generali iam data de processionibus secundum operationes immanentes proprias naturae divinae. Atqui Verbum procedit per intellectum. Ergo nihil restat nisi Spiritum Sanctum procedere per voluntatem (q.27 a.3).

DECLARATUR autem processio Spiritus Sancti (q.27 a.3.4; q.36 a.1; q.37 a.1) ad similitudinem *amoris*, qui est veluti impressio rei amatae in amantem et impulsus amantis in amatum quo fit unio affectus. In creatis quidem producit *amor* ipse quo quis formaliter amat; at in divinis ex infinita fecunditate ipsius amoris producit terminus subsistens et infinitus, cui communicatur natura divina formaliter ut amor, et est veluti *amor subsistens et hypostaticus*¹². Unde Spiritui Sancto non tam appropriatur caritas et amor divinus, ac si esset (appropriative seu antonomastice) persona amans, quae in Scriptura potius dicitur Pater (Io 3,16; Rom 5,5; 2 Cor 13,13; 1 Io 3,1), sed potius *amor ipse* Dei Patris, vel Patris et Filii, utpote qui est terminus hypostaticae referens amorem divinum ut principium impulsivum.

441. *Corollaria*. 1. Ob penuriam vocabulorum, ut dicit S.THOMAS q.37, AMOR in divinis sumitur tam *essentialiter* quam *personaliter*; essentialiter ad ipsum *actum amoris* designandum; personaliter pro *termino* producto per amorem qui est *persona Spiritus Sancti*. Etiam alii termini ad voluntatem pertinentes facilius sumuntur essentialiter et notionaliter, ut *diligere*, quo significari potest in divinis, tam ipse actus amoris, quam productio tertiae personae¹³.

2. Igitur locutio «Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto» admitti solet, non sc. sumendo diligere *essentialiter*, quo diceretur Spiritus Sanctus formalis dilectio utriusque personae, sed *notionaliter*, pro *spirare* sensu aequivalenti locutioni «Pater dicit Verbo»: q.37 a.2.

3. Spiritus Sanctus procedit *per se et formaliter* ex amore Dei *necessario*, ut in simili diximus de Verbo. At *primario* et veluti propriissima nota, ut *communis dilectio Patris et Filii*, et quasi *mutuus amor* utriusque. Ita exhibetur a S.AUGUSTINO (R 1665) et post ipsum ab omnibus ecclesiasticis scriptoribus; idque pertinet ad plenior declarationem processionis Spiritus Sancti *ab utroque*¹⁴. Inde dicitur Spiritus Sanctus *unitas, vinculum, nexus*,

¹² Quidquid est de modo volitionis in creatis, sufficit ibi semper haberi saltem actum productum, ad analogiam inde petendam pro processione Spiritus Sancti. Nihil ergo ad rem afferre videntur quaestiones a pluribus S.Thomae commentatoribus institutae, de quibus v. PENIDO, *Glosses sur la procession d'amour dans la Trinité et A propos de la procession d'amour en Dieu*: EphThLov 14 (1937) 38-48; 15 (1938) 338-340; A.MALET, *Personne et amour dans la théologie trinitaire de saint Thomas d'Aquin* (Paris 1956); de quo cf. J.NICOLAS: RevThom 57 (1957) 365-373; L.RICHARD, *Dogmatique de la charité en Dieu et amour* 193-215 (Le Puy-Lyon 1961); MONGHANIN, *Théologie et mystique du Saint-Esprit: Dieu vivant* 23 70-76; F.BOURASSA, *Le Saint-Esprit unité d'amour du Père et du Fils*: ScEcll 14 (1962) 375-415.

¹³ Hic modus loquendi confundi non debet cum eo quo plures auctores loquuntur de amore *notionali*; v. infra n.448.

¹⁴ An amor Patris et Filii possit proprie dici *mutuus* dubitari potest (cf. GALTIER, 374; PENIDO, l.c., 60-61), eo quod haec locutio importare videtur distinctum actum in utraque

utriusque imo interdum ponitur *medius* inter Patrem et Filium (etsi Patres graeci maxime insistant in ordine tradito, ut S.BASILIIUS R 917, et iure quidem ut origines recte intelligantur); nempe Spiritus Sanctus, ut per amorem procedit, *refert hypostatice omnes amoris proprietates et effectus formales*.

N.B. Novam quamdam ac ulteriorem expositionem processionis Spiritus Sancti per amorem proposuit COMELLAS¹⁵, quae tamen difficilis est, neque admitti posse videtur. Fundatur enim in quodam amore *concupiscentiae* «ad bonum habendum», quem unicum intelligit *amorem spirativum*; iam id videtur importare indigentiam quamdam in divinis. Inde etiam deducit Spiritum Sanctum esse sensu quodam formali *unitatem Patris et Filii* per quamdam «unitatem transfusionis entitatis» inter Patrem et Filium; quod intelligi nequit. Videtur in hac theoria confundi *spiratio activa*, qua Pater et Filius sunt vere unum, cum *spiratio passiva*, realiter ab ipsis personis Patris et Filii distincta; cui certe tribuitur denominatio unionis vel unitatis Patris et Filii, sed tantum, ut dictum est, ut termino hypostatice referenti essentiali amorem utriusque personae.

442. Obiectiones. 1. Quae Patres graeci dicunt de sanctitate ut nota Spiritus Sancti, afferunt tantum ut probent divinitatem tertiae personae; numquam autem dicunt eum voluntate aut amore procedere. Ergo non satis probatur hic modus processionis.

Dist. antec. Ita ut eo ipso quod modis dictis veluti characterem personalem tertiae personae ponant sanctitatem, sufficienter innuant modum processionis, *conc. antec.*; aliter, *nego antec.* Animadverti debet totam fere revelationem de Spiritu Sancto factam esse per eius missionem sanctificatricem et appropriationes inde deductas. Adest igitur sufficiens fundamentum ad thesim stabilendam; non enim opus est, ut thesis sit theologicæ certa, ut explicite tradatur.

2. Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus veritatis* Io 14,17; 15,26; a THEOPHILO ANTIOCHENO (R 180), S.IRENAEO¹⁶ et aliis vocatur aliquando *Sapientia*; imo in LITURGIA invocatur ad postulandam sapientiam et scientiam cum intellectu et consilio, quae computantur inter eius dona. Ergo potius habetur fundamentum ut dicatur procedere per intellectum.

S.CYRILLUS ALEXANDRINUS dicit ita vocari quia est *Spiritus Filii*, qui est *veritas*¹⁷. Sed praecipue, ut apparet ex ipsis locis, ita vocatur ob munus quod exercere debet in sua missione ad Apostolos, quod est opus infinitae Dei caritatis, ut praeclare ex Traditione exponit LEO XIII¹⁸. Et quidem veritas et scientia a Spiritu Sancto communicata est ex *unctione* I Io 2,20.27, unde theologi communiter cum S.THOMA (2-2 q.45) donum sapientiae coniungunt cum virtute caritatis, quia haec sapientia ex caritate procedit, ut illi connaturalis. Ideo postulamus caelestem sapientiam et scientiam a Spiritu Sancto. Aliunde notum est apud S.IOANNEM veritatem significare

persona; potest tamen retineri, ut facit S.THOMAS q.36 a.4 ad 1, in quantum considerantur duae personae quae se amant eodem amore. Modum tamen excedunt qui ex hoc solo amore explicant processionem Spiritus Sancti, ut cum aliquibus thomistis, D'ALÈS, 195-197; cf. PENIDO, l.c., 48-68.340-344; A.KRAPIC, *Inquisitio circa D.Thomae doctrinam de Spiritu Sancto prout amore*: DivThom(Pi) 53 (1950) 474-495.

¹⁵ De mysterio Sanctissimae Trinitatis dissertatio (Celsoniae 1867), quam iterum edidit A.MUNÁRRIZ, *D.Antonio Comellas y Cluet, Pbro. (1832-1884). Nueva y original explicación de las Procesiones divinas. Exposición crítica* (Comillas 1947, MiscCom 8,1-86); *El discurso inaugural de Comellas y Cluet y la Sagrada Congregación del Índice* (ibid. 1948, MiscCom 10, 141-154); *Respuesta a una réplica sobre el discurso inaugural de Comellas y Cluet* (ibid. 1951, MiscCom 17,119-134); L.PONT, *Procesión del Espíritu Santo según Antonio Comellas y Cluet, Pbro.*: VerVid (1950) 41-72.

¹⁶ *Contra haereses* 4,20; MG 10,32.

¹⁷ V. supra, n.411.

¹⁸ CAV., 542; D (ed. 32) 3328.

totam *sanctitatem et gratiam*, ut oppositam fallaci spiritui mundi. Eodem fere modo explicari possunt paucissimi illi textus Patrum qui orti videntur ex distinctione inter Verbum et Sapientiam in libris sapientialibus, qui tamen nullo modo, cum sint singulares, contradicere possunt doctrinae expresse ab ipsis traditae de Verbo unico Dei.

Thesis 39. Principium quo proximum in divinis processionibus est intellectio et volitio.

S.TH., q.41 a.5; TOLEDO, in q.41 a.5; SUÁREZ, LI c.5-8; L6 c.5; RUIZ DE MONTOTOYA, d.100; MUNCUNILL, 1007-1021; GALTIER, 243-256.

443. Nexus. Probatum est ex fontibus theologicis processionem in divinis esse per intellectum et voluntatem; ideo intellectus et voluntas excludi nequeunt a ratione principii formalis. Verum ob difficultates insurgentes quaerunt ulterius theologi an simpliciter haberi debeant intellectio et amor divinus ut *principium quo* seu virtus productiva proprie dicta, aut quomodo concipi debeat haec notio, cum divinis aptatur.

Notiones. Ut iam notavimus, distinguitur in productione *principium quod* et *principium quo*. *Principium quod* est suppositum aut subsistens, vere et simpliciter producens terminum; includitur proinde in eius notione quidquid requiritur ad hoc ut vere et simpliciter ab illo procedat terminus productus. *Principium quo*, seu *formale*, productionis in universum dicitur illud quod in agente explicat existentiam et naturam talis productionis, sed per modum principii, non actionis, «id quo agens agit» (q.41 a.5 ad 1).

Subdividitur in *principium quo remotum* et *proximum*. *Remotum* aut radicale est natura producentis, maxime in productione naturali, nam natura est ipsa essentia ut *principium* productionis. *Proximum* est virtus aut quasi virtus productiva, ut sunt facultates in productione actuum vitalium, intellectus ex.gr. est ratio immediata cur homo intelligat. In creatis virtus productiva seu *principium quo proximum* est pars aut quasi-pars, sive substantialis, sive accidentalis, suppositi agentis.

Et quidem animadvertendum est in creatis *principium quo* non ita vocari quod sit *mere quo*, ita ut non vere producat terminum; imo ideo dicitur agere *principium quod*, quia *vere et immediate agit principium quo* (ut patet in intellectione), quod ideo vere est *principium quod* agit, utique ut *pars* suppositi, non ut quid per se stans; ideoque suppositum ut tale et ut contradistinctum a natura est tantum *principium attributionis*¹.

¹ Suppositum creatum est quid unum, sed agit per partes vere et realiter distinctas; ideoque, licet facultates nullo modo considerari debeant ut entia per se stantia, tamen vere et simpliciter intellectio non procedit nisi ab intellectu, et amor non nisi a voluntate (supposita reali distinctione facultatum).

444. **Status quaestionis.** Quaeritur ergo a theologis, exceptis paucis, ut AUREOLO, GREGORIO ARIMINENSI et forte recentioribus quibusdam², qui nolunt hanc principiorum distinctionem in divinis considerari, quodnam sit principium *quo* in processibus Sanctissimae Trinitatis. Et quidem omnes admittunt principium *quo remotum* esse ipsam *naturam divinam*; cum processiones fundentur in eius infinitate.

Sed difficilior est quaestio de *principio quo proximo*. Nam ex una parte assignandum videtur ut principium quo proximum aliquid pertinens ad naturam, cum intellectio et volitio nequeant a ratione principii formalis excludi, et in universum virtus productiva sit pars aut complementum naturae. Verum ex alia parte non omnes personae habent virtutem producendi, ideoque potentiae generativa et spirativa sunt *notionales*, et in universum principium productionis distinguitur realiter a termino producto; inde principium quo saltem proximum videtur ponendum in aliquo relativo seu notionali, nam essentialia sunt omnibus personis communia.

Ad rem diiudicandam, opus est in memoriam revocare *essentiale discrimen* iam initio statutum *inter productiones divinas et creatas*. Nempe, in creatis producitur *natura* termini, imo ideo producitur terminus quia producitur eius natura; atque adeo in productione substantiali generativa dicitur communicari natura, quia producitur *nova natura*, realiter distincta a natura principii producentis, etsi specificè eadem. At in processibus divinis producitur *terminus*, sed *non* eius *natura*, quae eadem est divinitas principii producentis, sed *communicatur* plene ac perfectissime *per identitatem*. Inde exurgere videtur radicale discrimen statuendum in ratione principii *quo*, cum divinis productionibus applicatur, sc. excludendas esse ab eius conceptu omnes illas notas, quae revera fundantur in peculiari munere quod ei competit *ad producendam naturam* termini producti, ut in thesibus probatione statuemus.

Notandum praeterea est, ex tractatu de Deo uno, in Deo dari formaliter *intellectionem* et *volitionem* per modum actus secundi, non per modum potentiae seu facultatis.

445. **Sententiae.** DURANDUS³, ut vidimus, excludit intellectum et voluntatem a ratione principii *quo* divinarum processiones easque docet esse a natura; ponit tamen *relationes* ut principium *quo* immediatum; fundamentum eius est omnimoda separatio inter ordinem essentialem et notionalem. Sco-

² Referuntur AUREOLUS, I d.7 q.1 a.2, et GREGORIUS ARIMINENSIS, I d.7 q.2 a.2 (SUÁREZ, I.6 c.5 n.1-3). BILLOT, th.27 ad 1 p.532, ait non proprie poni in divinis distinctionem inter principium *quod* et principium *quo*; quod quidem verum esset, si principium *quo* necessario deberet esse facultas realiter a substantia distincta; at vero ab hoc praescindendi potest ratio principii *quo*; quae conveniens est ad multa de divinis processibus exponenda, ut communiter theologi praestant.

³ In I d.6 q.2; v. PHILIPPE, *l.c.*, 247-256. Qua vero consequentia id statuat DURANDUS, supposito principio generali, processiones oriri ex fecunditate naturae divinae ut talis, non satis patet.

TUS⁴ tribuit quidem processiones divinas intellectui et voluntati, at non formali intellectioni et volitioni, communi tribus personis, sed operationibus notionalibus concomitanter cum illis se habentibus, dictioni et spirationi, quas tribuit intellectui Patris et voluntati Patris et Filii. Dubium tamen manet an dictionem et spirationem ponat meram operationem notionalem, an principium *quo* processions Verbi et Spiritus Sancti. Plures sunt theologi, antiquiores et recentiores, qui aiunt duas personas produci per intellectum et voluntatem *notionalem*, ut principium *quo* proximum, quos diversis modis distinguunt ab essentialibus; formula frequens est intellectum notionalem esse intellectum *prout est in Patre*, ac voluntatem *prout est amor mutuus Patris et Filii*⁵. S.BONAVENTURA⁶, cuius sententiam explanant WIRCEBURGENSES⁷, naturam statuit principium *quo* remotissimum, intellectum et voluntatem principium *quo* remotum, et relationes personarum producentium principium *quo* proximum processions in divinis; addit tamen KILBER principium *quo* communicationis, etiam proximum, esse quid essentialia, ipsam nempe intellectionem et volitionem communem. Omnes hae sententiae fundantur in distinctione quae videtur statuenda inter principium et terminum productionis, et in eo quod potentia generandi et spirandi sunt notionales.

Communior tamen sententia tenet principium *quo* proximum, seu virtutem productivam, non minus ac remotum, esse *quid essentialia*, intellectionem et volitionem, cum processiones habeantur in divinis ob fecunditatem quam importat earum infinitudo. Requiritur vero, veluti *conditio*, *relatio personae producentis*, quia intellectio et volitio non possunt quasi suam virtutem exercere, nisi in persona non producta, aut saltem non producta per illam rationem formalem; nam propter infinitatem termini producti, virtus productiva in utraque linea *una productione* quasi exhauritur; inde explicatur cur solus Pater producat per intellectum, et Pater et Filius tantum per voluntatem. Hanc sententiam tenent S.THOMAS (q.41 a.5), cum docet potentiam generandi in recto significare essentialiam, et in obliquo relationem, *thomistae* communiter, TOLEDO et SUÁREZ cum maxima parte theologorum Societatis Iesu. Nec re dissensire videntur plures ex his qui afferunt ut principium *quo* intellectum et voluntatem *notionalem*; neque fortasse SCOTUS ei opponitur si sc. dictionem et spirationem mere ut operationes, non ut principia, ponit.

⁴ In I d.2 q.7; d.27 q.1 et 2; v. SUÁREZ, *l.c.* c.6.

⁵ V. Collor.3 n.448.

⁶ In I d.7 q.1 (ed. Quaracchi I,134-138).

⁷ *O.c.*, 368-370.

446. Valor theologicus. Thesis est probabilior.

Probatur thesis. Cum iam contra Durandum ostensum sit intellectionem et volitionem pertinere ad principium formale processionum in divinis, sufficit nunc in universum probare rationem principii quo non posse reponi in notionalibus, sed poni debere in essentialibus.

1. Nequit principium quo reponi in *relativo*, sed debet esse quid *absolutum*. Nam in omni productione illud est principium quo in quo productum assimilatur producenti, maxime in productione substantiali, cum qua maxime comparandae sunt divinae processiones; unde generans est formaliter potens ad generandum per id quod communicatur. Atqui in divinis productum assimilatur producenti in natura, quae communicatur ut intellectiva et volitiva, non in relationibus, quae sunt diversae rationis et incommunicabiles. Ideo relatio, ut relatio, non potest esse principium formale productionis. Ergo principium quo est in divinis quid essentialia, nempe ipsum principium formale communicationis, quod nullo modo a principio formali productionis distingui potest (q.41 a.5). Relatio vero utpote suppositivitas repugnat rationi principii quo productionis, nam «forma individualis constituit personam generantem, non est autem quo generans generat, alioquin Socrates generaret Socratem» (ibid.)⁸.

2. Virtus productiva, etiam non operans, est complementum naturae. Atqui natura divina habet in omnibus personis omnia elementa sibi debita; secus non esset inter illas perfecta aequalitas. Ergo virtus productiva est essentialis, non notionalis.

447. 3. Ex propria quidditate principii quo in divinis. Ideo in creatis principium quo vere agit et producit terminum quia natura eius producit; ideoque principium quo vere et realiter distingui debet a termino producto. Atqui in divinis non producit natura termini sed productio est formaliter communicatio naturae termino relativo. Ergo nulla est ratio cur principium quo distinguatur a termino producto. Imo contrarium necesse est (ad 1); nam quo perfectior est productio minor est distinctio inter terminum et principium, quae in divinis non est nisi distinctio relativae oppositionis. Potentia ergo vel principium quo «non univoce dicitur de creata et de divina, quia nostra est ad effectum non consubstantialem, divina ad Filium eiusdem prorsus substantiae cum Patre»⁹.

In divinis ergo principium quo concipi debet mere ut ratio formalis sub qua producit terminus et illi communicatur natura divina, seu mere ut quo, nullo modo ut producat ut quod. In creatis e contra non potest esse ratio formalis productionis, nisi ut producat ut quod naturam novam eiusdem rationis ac natura producentis.

⁸ Cf. TOLEDO, l.c., praenotanda ante primam conclusionem.

⁹ TOLEDO, l.c., 4.^a conclusio; SUÁREZ, 1.6 c.5 n.4.8.

Ergo in divinis Pater intelligendo producit Verbum; Pater et Filius amando producant Spiritum Sanctum. Quo excluditur duplex operatio mere concomitans inducta ab Scoto in utraque linea sc. intelligere et dicere, amare et spirare, ut in sequentibus notatur.

Haec sententia proposita est in *Concilio Florentino* a IOANNE DE MONTE-NIGRO theologo latinorum: «Dixi Filium ex Patre et ex substantia Patris generari, ita tamen ut Pater sit generans, principium autem quo ipsa persona generat est id quod solum communicatur»¹⁰.

448. **Corollaria.** 1. Non est ergo formaliter idem principium quo e potentia generandi aut spirandi, cum principium quo sit essentialia, et potentia generandi aut spirandi sit notionalis. Tamen quod in *recto* significatur in potentia generandi est *essentialia*, principium quo; connotatur autem in *obliquo* relatio personae producentis (ad 3).

2. Relatio igitur duplex munus habet in divinis processionibus: et est *conditio requisita* ex parte principii quo, et est *constitutivum* principii quod. Accurate vero distingui debet, ut notat TOLEDO¹¹, inter principium quo processionis, et illud quo principium quod constituitur in ratione talis; illud est essentialia, hoc vero relatio tribuens formaliter principio distinctionem necessariam a termino producto.

3. *Intelligere et velle notionale*, de quo plures theologi loquuntur¹², non aliud potest significare nisi ipsum intelligere et velle *essentialia*, quod est unicum intelligere et velle, *addita relatione* paternitatis et spirationis (aut paternitatis et filiationis) *ut conditio requisita non ad intelligendum vel amandum, sed ad producendum*; sc. notionale non afficit ipsum intelligere aut velle, nam id quo Pater formaliter cognoscit est ipsa *intellectio tribus personis communis*, et id quo Pater et Filius se amant est *amor communis etiam Spiritui Sancto*; sed tantum quid se tenens ex parte *conditionis requisitae* ad generandum et spirandum. Ideoque in hoc complexu, sicut in locutione intellectio Patris, vel prout est in Patre, aut amor mutuus Patris et Filii, vel amor prout est in Patre et Filio, non iam significatur mere principium quo productionis, sed principium simul cum conditione requisita¹³. Hoc sensu intelligi videtur ab aliquibus auctoribus qui huic sententiae adhaerent, sicque revera non differunt a doctrina in thesi proposita.

4. Ex hac doctrina de principio quo intelligitur sensus plenus locutionis «Filius est de substantia Patris» (D 54 69 369), quia essentialia sunt principium formale notionalium; ea locutione Patres et Concilia praecipue significare voluerunt *consubstantialitatem* divinarum personarum ex pro-

¹⁰ In *Concilio Florentino*, 2 mart. 1439. Alius textus ita refert verba IOANNIS: «Est ergo substantia Patris principium per quod generat, et res quae datur et communicatur Filio per generationem, et quam Filius accipit sibi communicatam... Essentia haec absolute sumpta, vis generandi, est principium per quod Pater generat» (MSI 31,754.762; G.HOFFMANN, *Acta latina Conc. Florent.*: Conc. Florent. Doc. Script., 6,142; I.GILL, *Quae supersunt Acta Graec., Conc. Florent.*: ibid. 5,268.

¹¹ L.c., 3.^a conclusio.

¹² Haec locutio iam ab HENRICO GANDAVENSIS (Quodl.6) adhibita est et saepius postea a theologis, nec tamen semper uno sensu, de quo v. SUÁREZ, l.1 c.7. Et quidem haec locutio «amor notionalis» confundi nequit, ut supra advertimus, cum illo modo loquendi, quo Amor notionaliter dicitur, ubi penuriam vocabulorum, ad designandum terminum productum per amorem. Ad rem nostram opus est non ita loqui, ac si amor essentialis et notionalis essent quid diversum in ordine amoris (D'ALÈS, 195-196.208); id admitti nequit (cf. SUÁREZ, l.c., n.4-8); notionale in divinis est quid relationem formaliter dicens (aut supponens in INGENITO).

¹³ An hic modus loquendi sit proprius iure dubitaveris (SUÁREZ, l.c., n.9). Possumus quidem intellectum prout est in Patre considerare; sed etiam essentiam; et tamen nemo loquitur de *essentia notionalis*. Unus igitur sensus quo intellectus notionalis adhiberi potest est ad significandum intellectum *diverso modo* (sicut essentiam) haberi in divinis personis, in prima sine origine, in aliis per originem; ac similiter amor notionalis (SUÁREZ, l.c., n.10-12); verum id nihil conferre videtur ad quaestionem de principio quo enodandam, nisi ad modum conditionis requisitae. De modo loquendi S.Thomae v.1 q.37 a.1 ad 4.

cessionibus, ac veram rationem generationis Verbi, nam generatum est de substantia generantis¹⁴.

5. De termino formali divinarum processionum idem proportionaliter dici debet ac de principio, esse nempe ipsam intellectionem et amorem essentialem, connotata ut conditione relatione personae productae.

449. Obiectiones. 1. Principium productionis in universum distinguitur a termino producto. Ergo etiam principium quo.

Retorqueo in principio quo remoto, quod adversarii agnoscunt naturam communem. *Dist. igitur antec.* Principium quod, *conc. antec.*; principium quo, *subdist.*: in productione qua producitur natura termini producti, *conc.*; in productione divina qua natura termini non producitur, sed tantum communicatur per identitatem, *nego.*

2. Si virtus productiva est quid essentialia, cum non omnes personae possint producere, virtus est in illis impedita. Atqui id est absurdum, nam impedimentum est quid ab extrinseco proveniens aut praeter naturam, quod in divinis cadere non potest. Ergo nequit admitti haec sententia.

Dist. mai. Virtus productiva in personis quae non producunt est impedita proprie seu *privative*, ac si careret requisito sive ipsi principio sive personae debito, *nego mai.*; improprie seu *negative*, quatenus non habet in omnibus personis conditionem necessariam ad productionem, et quidem ex intrinseca exigentia naturae divinae quae hoc praecise postulat, *trans. mai. Contradist. min. et rationem additam.* Impedimentum proprie dictum est quid ab extrinseco proveniens aut praeter naturam, *conc. min.*; impedimentum mere negativum modo explicato, *nego min.*, nam cum sit quid quod *exigit natura divina* est maxime naturale et pertinens ad infinitam perfectionem ipsarum personarum productarum¹⁵.

450. 3. Ubi distinctio fundatur in productione, illud formaliter et immediate producit quod formaliter et immediate distinguit; quia habetur principium distinctionis quatenus habetur principium productionis imo et principium quod est distinctum propter principium quo. Atqui sola relatio personae producentis formaliter et immediate distinguit in divinis. Ergo sola relatio formaliter et immediate producit, seu est principium formale processionis¹⁶.

Est aequivocatio in verbo *formaliter*, quod potest significare quod est *ratio formalis* et propria *distinctionis* et verum principium quod producit, et *principium formale productionis*. Igitur *dist. mai.* Si *formaliter producit* significat proprie et vere producit, *conc. mai.*, nam quod vere et proprie producit est principium quod; si vero formaliter producit significat principium formale productionis, *nego* in divinis id formaliter producere quod formaliter distinguit. Et *retorqueo* in principio remoto productionis. Rationem additam primam *dist.* Principium quod distinctionis habetur quatenus adest principium quod productionis, *conc.*; principium quo, *subdist.*: in creatis, *conc.*; in divinis, *iterum dist.*: ut *ratio formalis* productionis, *conc.*; ut *vere producens*, *nego*. Secundam rationem *dist.* Principium quod est distinctum immediate et formaliter propter principium quo, *nego*, nam distinctum est propter relationem; *radicaliter*, *conc.* Unde *dist. cons.* Relatio seu potius *persona* constituta formaliter per relationem vere et proprie producit, *conc.*; relatio est principium formale productionis, *nego*. Cum terminus producendus sit relativus, principium producens est etiam relativum, fecundatum absoluto quod communicatur.

¹⁴ GALTIER, 255.

¹⁵ SUÁREZ, l.c., n.9. Paulo aliter E.SAURAS, *La infecundidad del Verbo y del Espíritu Santo*: RevEspT 4 (1944) 59-92.

¹⁶ Ita WIRCEBURGENSES, 369.

4. S.AMBROSIIUS dicit: «Generatio paternae proprietatis est, non potentiae»¹⁷. Ergo videtur innuere proprietatem seu relationem paternitatis esse principium quo generationis.

S.Ambrosius non attingit hanc quaestionem; sed mere opponit generationem ad intra potentiae producendi ad extra, contra arianos.

Cetera quae a Wirceburgensibus¹⁸ ex Patribus adducuntur manifeste non sunt ad rem.

Thesis 40. Ratio cur processio Verbi est generatio, non autem processio Spiritus Sancti, ex principio formali, intellectu et voluntate, utriusque processionis desumi debet.

S.Th., q.27 a.2.4; SUÁREZ, l.II c.5.6; RUIZ DE MONTÓYA, d.5-7; MUNCUNILL, 1034-1043; PESCH, 578-588.

451. Nexus. Declarato principio formali divinarum processionum, possumus utcumque ingredi quaestionem de discrimine inter utramque processionem, nempe cur processio secundae personae sit generatio, non autem processio tertiae personae. Ex eo nempe *principio formali ut tali*, seu ex propria intellectus et voluntatis tendentia, qua procedunt Filius et Spiritus Sanctus in divina natura, sumi posse videtur solidior quaedam explicatio huius discriminis.

Difficultas quaestionis. Constat *fide*, ut vidimus, Verbum esse genitum, non autem Spiritum Sanctum. Sed semper difficillima visa est ratio huius diversitatis; adeo ut aliqui Patres hanc inquisitionem fere prohibere videantur. Ita S.ATHANASIUS: «Quomodo enim [dicunt macedoniani] si ex Patre est, non dicitur et generari et Filius esse, sed simpliciter Spiritus Sanctus? Haec turpissimi homines cavillantur, qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quae nemo novit nisi Spiritus Dei, quem ipsi calumniantur»¹; et S.AUGUSTINUS: «Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest?... distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio»². Verum cum haec dicunt contra haereticos, qui obscuritate mysterii innixi illud admittere nolebant, piam et humilem ipsius intelligentiam non respuunt, ut ipse S.AUGUSTINUS: «Certe, cum inconcusse crediderint... agant orando et quaerendo et bene vivendo ut intelligent, id est, ut quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, imo vero ad hoc quis non hortetur?»³.

¹⁷ De fide ad Gratianum l.4 c.8 n.81: ML 16,658.

¹⁸ L.c.

¹ Epistola 1 ad Serapionem 15: MG 26,566.

² Contra Maximinum l.2 c.14: ML 42,770.

³ De Trinitate l.15 c.27 n.49: ML 42,1096. V. alios Patres apud RUIZ, d.5.

Ratio autem difficultatis obvia est. Cum enim generatio sit, ut vidimus, «origo viventis a vivente a principio coniuncto in similitudinem naturae», difficile est explicare cur non omnia elementa huius definitionis conveniant utrique processioni. In utraque enim terminus est *de substantia producentis* per communicationem unius numero naturae; est ergo a *principio* perfectissime coniuncto. Videtur etiam primo aspectu utraque esse *in similitudinem naturae*, nam *vi processionis* communicatur in utraque processione natura divina.

452. Solutiones reiciendae. Plures huic problemati solutiones ab aliquibus theologis, aut etiam a Patribus, per modum tentaminis indicatae sunt, quae admitti nequeunt, ut cum principis theologis parum consonae.

Quod Spiritus Sanctus non dicatur Filius quia *procedit a duobus*, quia sic duae personae producentes dicerentur pater et mater, quod aliquando protulit S.AUGUSTINUS (R 1840), nihil ad rem conferre videtur; quia Pater et Filius sunt *unum simplex principium* per unam indivisam virtutem, non duo principia per virtutes partiales, ut pater et mater.

Nec declaratur bene quaestio proposita, cum dicitur tertia persona *minus similis Patri* quam secunda, quia accipit naturam infecundam, Filius vero fecundam, unde sequatur processionem Verbi esse perfecte assimilativam, non autem processionem Spiritus Sancti; quam sententiam versat RICHARDUS A S.VICTORE⁴ et alii. Nam similitudo in divinis, ut docet recte S.Thomas (q.42 a.4 ad 2.3), attenditur secundum essentialia tantum, non secundum notionalia. Imo, etiamsi concederetur maior similitudo inter Patrem et Filium quam inter Patrem et Spiritum Sanctum, ob potentiam spirandi, haec similitudo esset prorsus impertinens ad rationem generationis; similitudo enim quae in hac considerari debet est *similitudo in natura*; nec quaeritur an terminus sit magis vel minus similis, sed an similitudo in natura sit necne ex ratione formali productionis⁵.

Tandem quod processio Filii sit *naturalis* et non voluntaria, et processio Spiritus Sancti sit *voluntaria* et non naturalis, quod tenent cum aliis SCOTUS et DURANDUS⁶, falsum est, quia utraque naturalis est et voluntaria, etsi neutra libera; et tandem explicandum est cur prima processio peculiariter sit naturalis, ita ut sit generatio.

Etiam plures scholastici, quia a tempore S.Thomae discrimen utriusque processionis explicant ex principio formali, fundamentis tamen revera diversis, quae rem potius obscurae videntur, innuntur.

Sic qui configuunt ad rationem *imaginis* ut declarent generationem Verbi, ut VÁZQUEZ⁷, quae ambigua est, nisi simpliciter ad rationem S.Thomae reducat.

Quod cum aliquibus thomistis addunt SUÁREZ et ARRIAGA⁸ de intellec-

⁴ De Trinitate l.6 c.11 n.18ss: ML 196,975-982-985. Ita fere ALEXANDER HALENSIS, Summa I q.61 m.3 a.2; S.BONAVENTURA, In I d.31 a.1 q.2 (ed. Quaracchi I, 541-543).

⁵ Ideo quae in favorem huius sententiae versat PESCH, 586 non videntur rem conficere.

⁶ SCOTUS, In I d.10 q.1, nisi eius dictum declaratur ad modum S.THOMAE (ut forte fieri potest, RUIZ, d.6 s.4 n.7); ex eius discipulis, v. FRASEN, d.1 a.2 q.4; HENNO, De Trinitate, q.6. De DURANDO, v. th.39 nota 3. De ALEXANDRO HALENSI, q.43 m.1; q.45 m.7, v. RUIZ, d.6 s.4; A.POMPEI, L'atto generativo divino secondo S.Alberto Magno e delle scuole francescane e dominicane: MiscFranc 52 (1952) 58-91; La dottrina trinitaria di S.Alberto Magno (Padova 1953).

⁷ In I p. d.113 c.7; TORRES, q.27 a.2 a.4.ª p.; cf. SUÁREZ, l.11 c.6 n.9-14. Verum est rationem *Imaginis* adduci a pluribus Doctoribus (cf. RUIZ, d.6 s.2-4, qui eos explicat ad modum S.THOMAE, v. infra n.454).

⁸ SUÁREZ, l.11 c.5 n.16; c.6 n.14; ARRIAGA, De Deo trino d.47 n.8. Ceterum apud SUÁREZ haec ratio non est nisi confirmatio rationis S.THOMAE, quam exponit.

tione veluti *specifica differentia* essentiae metaphysicae divinitatis, admitti non solet, quidquid est an revera aliquid conferat ad rationem generationis.

Ratio autem *perfectae assimilationis* in esse personali in processione Verbi adducta a WIRCEBURGENSIBUS⁹: aut communicatio naturae adhuc fecundae via voluntatis, proposita a VIVA¹⁰, eadem est ac reiecta explicatio RICHARDI.

453. Solutio S.Thomae. Putamus ergo simpliciter standum esse solutioni S.THOMAE, quam cum nobilioribus thomistis exponunt et declarant SUÁREZ, RUIZ DE MONTOYA¹¹ et plures alii. Eam ut declarem thesim ita proponimus:

A. PROCESSIO VERBI EST GENERATIO, QUIA CUM SIT PER INTELLECTUM INFINITUM, HABETUR IN EA FORMALITER UT TALI INTENTIO ASSIMILANDI IN NATURA TERMINUM PRODUCTUM PRINCIPIO PRODUCENTI.

B. PROCESSIO SPIRITUS SANCTI NON EST GENERATIO, QUIA CUM SIT PER VOLUNTATEM, NON HABETUR IN EA FORMALITER UT TALI ILLA INTENTIO.

Praenotanda ad probationem. a) In generationibus creatis *communicatio naturae* in terminum productum habetur praecise in quantum *producitur nova natura* eiusdem rationis ac natura principii producentis; id autem fit per specialem actionem immanentem et per potentiam ad hoc destinata a natura *ex intentione propagandae speciei*. Ex his verificatur notio generationis in productione novi individui, quae est unicus modus quo naturaliter in creatis communicatur natura viventis in viventem. Nam talis productio non potest non *intendere similitudinem in natura*, et per se est processio tendens sub ratione formali similitudinis¹².

At vero in divinis natura termini *non producitur*, sed tantum communicatur, et quidem non immediate sub ratione naturae, sed sub ratione *intentionis* et *volitionis*. Neque communicatio naturae in divinis intendere potest, ut patet, conservationem speciei, neque habetur per potentiam destinata unice ad hoc a natura.

b) Operationes immanentes, quibus communicatur natura in divinis, sunt *ordinis intentionalis*, intellectio et volitio, quae habent rationem formalem diversam, neque ut tales, ut sunt in genere in ordine intentionalis, intendunt communicare naturam. Ergo in divinis nondum potest dici generatio processio aliqua, eo quod *perfectissime communicatur* per eam *natura divina*; nam etsi ceterae conditiones adsint in illa infinite perfectius quam in generatione creata, nondum intelligitur an sit revera in *similitudinem naturae vi processionis*.

Ergo ad rationem generationis asserendam aut negandam divinis processionibus, opus est recurrere *ad modum proprium intellectionis et volitionis perfectissimae, praecise et formaliter ut tales sunt*, ut optime notat S.THOMAS (q.27 a.4 ad 1)¹³. Nempe quaerendum est, an in alterutra ex rationibus formalibus sub quibus procedunt divinae personae adsit intentio assimilandi terminum productum principio producenti.

Id ergo asserimus *de productione per intellectum infinitum, negamus de productione per voluntatem*.

⁹ O.c., 374-380.

¹⁰ De Trinitate q.4. V. de his MUNCUNILL, 1035-1037.

¹¹ SUÁREZ, l.11 c.5.6; RUIZ, d.7.

¹² Ideoque non videntur ad amussim dicta quae affert PESCH, 585 init.

¹³ SUÁREZ, l.11 c.5 n.11-13; RUIZ, d.7 s.3.

454. **Probatur thesis.** Haec explicatio, secundum principium generale, ideo *processionem Filii esse generationem quia procedit ut Verbum*, fundamentum habet sine dubio in pluribus dictis PATRUM, qui notam intellectualem generationis Verbi multis tradunt, ut vidimus. Imo hoc elementum in theoriis *antenaenorum* evidenter adest, ac retinendum est; idque innuit dictum S.AUGUSTINI «eo Filius quo Verbum», quod probavit PIUS VI (D 1597).

PRIMA PARS. Supponimus ex dictis th.37 Verbum per processionem recipere formaliter cognitionem Patris et *primario cognitionem quam Pater habet de se ipso*; unde Pater est simul *principium producens et obiectum primario cognitum*, et hoc *per se et essentialiter*, seu *ex intentione processionis*¹⁴. Iam ita procedit argumentum:

Intellectus producit terminum *sub ratione formali similitudinis*, seu intendit producere similitudinem, utique intentionalem, perfectissimam quam possit, obiecti primario cogniti; ideo terminus productus per intellectum, verbum, est formalis similitudo rei intellectae. Ergo Pater in divinis intelligendo se per intellectum infinite perfectum, producit terminum, Verbum divinum, *intendendo praecise similitudinem intentionalem sui perfectissimam*, seu infinite perfectam in ratione similitudinis, utique intentionalis. Atqui similitudo infinite perfecta in ratione similitudinis, *etiam intentionalis*, est talis similitudo quae non sit mere intentionalis, sed etiam *naturalis*. Ergo Pater intelligendo se producit terminum similem in natura sibimetipsi, intendendo vi processionis similitudinem in natura. Ergo Pater intelligendo generat Verbum (q.27 a.2).

Min. subsumpta prob. 1.^o Intellectio ex genere suo tendit *ad assimilandum*, ad habendam nempe similitudinem rei intellectae; ideoque ex suo conceptu postulat similitudinem perfectissimam, si est perfectissima. Quod autem frequenter fiat *per solam similitudinem intentionalem*, accidit aut ex imperfectione rei intellectae, aut ex imperfectione intelligentis; cum vero tam obiectum intelligibile quam subiectum intelligens est perfectissimum, *perficitur per naturalem et perfectam similitudinem*¹⁵. Similitudo enim mere intentionalis non est nisi quoddam substitutum rei cognitae, quam intellectus vellet intra se habere. Ideo in Deo seu Verbo divino repraesentatio intellectualis est *ipsum esse substantiale Dei* (q.27 a.1 ad 2; a.2; a.4 init.; cf. q.34 a.1).

¹⁴ Id omnino notandum videtur ad vim rationis S.Thomae bene perspicendam.

¹⁵ SUÁREZ, l.11 c.5 n.15.

2.^o *Ipsa ratio repraesentationis intellectualis perfectissimae naturae divinae* id exigit; nam divina natura non potest perfecte intentionaliter repraesentari intellectualiter, nisi per ipsam naturam divinam (a.2 ad 2)¹⁶. Inde ratio *imaginis* declarare potest generationem Verbi (q.35 a.2).

455. SECUNDA PARS. E contra voluntas in productione amoris non intendit immediate et formaliter producere similitudinem obiecti dilecti, sed potius *impulsum amantis in amatum*. Ideo terminus productus formaliter et immediate per voluntatem, sive *amor* ipse, sive *terminus recipiens formaliter vi processionis amorem*, non est similitudo rei amatae, sed impulsus amantis in amatum. Ergo utcumque terminus productus per amorem in divinis sit Deus, ac proinde tam perfecte similis Patri in natura quam Verbum, tamen ratio similitudinis non se habet *de formali* ad rationem sub qua procedit Spiritus Sanctus. Ergo eius productio non potest dici *in similitudinem naturae*, neque est generatio (q.27 a.4).

456. **Obiectiones**¹⁷. 1. Ideo generatio in creatis est generatio, quia tendit formaliter in *communicationem naturae*. Atqui etiam processio Spiritus Sancti tendit formaliter in communicationem naturae. Ergo est generatio.

Conc. mai., sed haec tendentia adest in generatione creata quia producitur natura per potentiam intendentem propagationem speciei, ut explicatum est. *Nego min.* ex probatis.

Inst. Ubicumque communicatur natura *per se* et non per accidens, licet non producatur, adest *intentio similitudinis* in natura, nam habetur intentio communicandi naturam. Atqui id adest in processione Spiritus Sancti. Ergo etiam haec tendit in similitudinem naturae.

Dist. mai. Si natura communicatur *immediate* in ratione naturae, *conc. mai.*; si communicatur sub ratione *operationis intentionalis*, *subdist.*: si haec tendit in similitudinem naturae, *conc.*; secus, *nego*. Quare, quod in divinis communicatio intellectionis et amoris necessario sit communicatio naturae, est ratio *cur terminus productus sit Deus*, ideoque simillimus in natura; sed non est ratio afficiens *ipsam formalem rationem tendentiae*, quae, ex dictis, attendi debet ad rationem generationis asserendam.

2. Intentio similitudinis in natura in processione per intellectum adest quia terminus est infinitae perfectionis. Atqui etiam in processione per voluntatem terminus est infinitae perfectionis, ac proinde similis in natura. Ergo etiam in processione per voluntatem habetur intentio similitudinis in natura.

Nego mai., nam ratio exposita est quia tendentia productionis per intellectum *ex se ipsa* exigit similitudinem perfectissimam, et quidem in natura; quod non habetur in processione per voluntatem, quae est per modum impulsus.

¹⁶ MUNCUNILL, 1036.

¹⁷ Bene notat SUÁREZ, l.11 c.5 n.9, obiectiones istas quae ab auctoribus proponuntur contra expositionem S.Thomae, non tam eam impugnare, quam ipsum dogma, ideoque ab omnibus esse solvendas.

457. 3. Spiritus Sanctus *vi processionis est Deus*. Ergo *vi processionis est similis in natura Patri et Filio*. Ergo est genitus.

Dist. mai. Spiritus Sanctus est Deus *vi processionis*, quae procedat sub ratione formali similitudinis, *nego mai.*; sub ratione impulsus, *conc. mai.*; eodemque modo distingui potest primum cons. Simili modo in universum terminus generatus est *ens vi processionis*, et tamen generatio non dicitur procedere *sub ratione entis*.

4. Etiam amor procedit sub ratione formali similitudinis. Nam si quid producitur per voluntatem et amorem, producitur ad assimilandum amantem cum amato.

Ratio ipsa data ab obiciente continet solutionem; nam similitudo quae attendi debet in ratione generationis est similitudo *termini producti cum producente*, non maior quaedam similitudo, quae non adsit, inter *amantem et amatum*. Praeterea haec similitudo non est terminus immediatus, sed medius amoris; ac falsum est in creatis non produci ipsum amorem, et in divinis non produci terminum cui communicatur ipse amor sub tendentia propria, nempe impulsus (a.4 ad 2).

Inst. Amor est unio amantis cum amato. Atqui perfectissima unio est unitas, ac proinde in divinis perfectissima similitudo in natura ipsius termini producti cum principio producente. Ergo etiam processio per voluntatem in divinis tendit sub ratione formali similitudinis.

Dist. mai. Amor est unio affectus amantis cum amato, praesupponens, si perfectissimus est, similitudinem perfectissimam amantis cum amato, *conc. mai.*; amor est formaliter unio *ipsius amoris* cum amantibus, *nego mai.*, vel *subdist.*: amor cum perfectissimus est, est unio seu unitas ipsius amoris cum amantibus producta sub ratione unionis sui cum amantibus et similitudinis in natura cum eis, *nego*; id enim non afficit tendentiam formalem processionis sub tali via, ut afficit similitudo in natura tendentiam ipsam processionis per intellectum; amor divinus, praecise tantum ut divinus, est unum quid in natura cum amantibus, *conc.*

458. 5. Ratio adducta pro generatione per intellectum tota fundatur in similitudine cum tendentia productionis verbi creati. Atqui haec non videtur aptari posse Verbi divini productioni. Nam verbum producitur in creatis ut similitudo *ad intelligendum*. Atqui Verbum divinum non producitur ad intelligendum, ut dictum est.

Etsi Verbum divinum non producitur ad intelligendum, ei communicatur natura divina *sub ratione formali intellectionis*, quae est semper similitudo rei intellectae, sive producta sit, sive non producta. Iure ergo aptari potest divinis comparatio cum verbo creato.

6. Terminus productus tandem est relatio filiationis, nam essentialia non producuntur. Atqui relationes paternitatis et filiationis sunt quasi-specificae diversae. Ergo terminus productus nequit dici genitus, quia principium generans et terminus genitus debent esse eiusdem speciei.

Trans. mai., nam proprie loquendo terminus productus est Filius¹⁸. *Conc. min. Nego cons.*, nam similitudo quae attenditur in ratione generationis est similitudo in natura; et aliunde relationes paternitatis et filiationis de formali pertinent ad rationem principii generantis et termini geniti.

¹⁸ Cf. c.4 de constitutivo divinarum personarum.

ARTICULUS III

DE ORIGINIBUS SEU ACTIBUS NOTIONALIBUS

459. Probavimus factum, dari in divinis processionibus immanentes, ac praeterea quaestiones attigimus de principiis et terminis earum; nihil ergo remanet nisi ut ipsas productiones velut in fieri consideremus. Quod breviter praestabimus, ut complementum huius capituli, declarata utcumque ipsarum quidditate; quae enim connexiones adsunt inter origines et relationes ac personas, in sequentibus tradentur¹.

Quoniam dantur in divinis productiones, necessario debet concipi dari exercitium producendi, quod «non potest designari, ut dicit S. THOMAS (q.41 a.1), nisi per aliquos actus». Ipsae ergo *formales productiones* et quasi *exercitium potentiae productivae* vocantur ORIGINES, quia per illas habent originem personae procedentes, et ACTUS NOTIONALES, quia concipiuntur per modum viae aut *actualis productionis*, et non sunt communes tribus personis, sed eas notificant et nobis ut distinctas ostendunt.

Iam, est doctrina communis dari in divinis *quatuor origines*, duas in singulis processionibus: *generatio activa* et *generatio passiva* (nativitas), *spiratio activa* et *spiratio passiva* (processio); et quidem realiter inter se distinctas; *spirationem* tamen *activam* non distingui realiter a generatione activa et passiva, ut de relationibus utriusque processionis exponetur².

460. Ut haec doctrina declararetur, attingi debet breviter quaestio a scholasticis discussa AN IN DIVINIS PROCESSIONIBUS DETUR ACTIO³.

Huic quaestioni indubie affirmative respondendum est, si nomine actionis intelligatur tantum *exercitium activitatis*⁴. Verum, ut perpetuo in Theologia fit, cum notiones a rebus creatis ad divina transferuntur, perpoliri debent, atque ab illis excludi quidquid quomodo imperfectionem importet. Ideo quaestio huc tandem devolvitur: an conceptus metaphysicus actionis, prout nomine actionis significatur «ultima formalis determinatio potentiae activae ad producendum terminum, et termini ut ab illa potentia produceretur», possit omnino praescindi ab illis imperfectionibus quibuscum in creata causalitate commixtus est.

¹ S. TH., q.40 a.2.4; q.41 a.1; SUÁREZ, I.1 c.8; I.6 c.1.2; I.7 c.6.7; RUIZ DE MONTROYA d.83-85; MUNCUNILL, 1022-1023.1044-1048.

² MUNCUNILL, 1046.

³ Diversas sententias theologorum diversis modis videbis propositas ab auctoribus; quod oriri videtur, aut ex diverso conceptu metaphysico actionis, aut ex diverso sensu quo nomen ipsum actionis accipitur. Praestat ergo nomen actionis praecise definire, et quod verisimilius videatur proponere.

⁴ Ita clare omnes theologi. Nec verum est SUÁREZ et MOLINAM processionibus divinis concipere per modum simplicis «emanationis intelligibilis» ac negare eas rationem «operationis immanens sortiri», ut dicunt SALMANTICENSIS, d.2 dub.1 n.127 et alii («les mineurs qui se font remarquer par eux», ut ait PENIDO, *Le rôle de l'analogie...* 266 n.3). Utitur quidem SUÁREZ, ut S. THOMAS et alii, nomine «emanationis»; at processionem divinam vocat «emanationem realem», ac dicit in ea haberi «realem influxum» (I.6 c.2 n.8).

Et quidem, etiam sublata utcumque *dependentia* et causalitate proprie dicta, manere videtur in conceptu actionis, prout definita est, connotatio *indifferentiae* cuiusdam in potentia activa, quae per actionem utpote ultimam determinationem tollitur. Iam huiusmodi indifferentia in nullo signo rationis tribui posse videtur principio producendi *ad intra* seu immanenter in divinis, nempe *potentiae generandi et spirandi*. Nam quidquid divinum est est *actus purus substantialis*⁵; ideo potentia generandi et spirandi, etiam ut talis seu in ordine activitatis, debet concipi ut *per semetipsam actuata*, non per aliquod aliud elementum, etiam sola ratione ratiocinata distinctum, seu notionem potentiae productivae ad intra continere impraescindibiliter *quidquid perfectionis connotant actus primus et secundus*, sublatis imperfectionibus.

Datur igitur in divinis *exercitium activitatis*, datur *influxus activus et actualis* principii producentis in terminum productum, sed *non distinctus*, ne ratione quidem ratiocinata, *ab ipsis principii producentibus*. In divinis sc. non sunt *subiecta*, ratione quadam priora, quae operantur; sed sunt operationes subsistentes, seu *subiecta operantia formaliter ut talia*⁶.

Cum vero ratio formalis in divinis processionibus sit intellectio et volitio, hae divinae activitates, sicut sunt *principium quo* processionum, ita sunt quae *loco actionis* dantur per modum *rationis formalis ipsius actualis productionis*. Id enim quod loco actionis datur in divinis distingui non debet a *principio quo*, ut accidit in creatis; nam in divinis non fluit ab hoc principio. Ideo *influxus activus* identificari debet cum *principio producente*; nec potest concipi *quasi modus* in termino seu passo receptus ut est actio in creatis⁷. *Influxus vero passivus*, seu origo passiva, eadem ratione identificatur cum *persona producta*.

Tamen secundum nostrum modum imperfectionem concipiendi et significandi divina, intelligimus origines velut actiones, in quantum, ut dictum est, habetur in divinis *exercitium activitatis et realis influxus producentis in productum*.

461. Id manifeste docet S. THOMAS (q.41 a.1 ad 2), cum ait in conceptu actionis, *sublato motu*, non remanere nisi *relationes producentis et producti*, quae, ut videbimus, constituunt formaliter personas divinas, seu principia productiva et terminos procedentes. *Actus igitur notionales sunt formaliter ipsae relationes paternitatis et filiationis, spirationis activae et passivae*, conceptae quidem *per modum viae*, quae *includunt secundum rationem originis intellectionem et volitionem* per modum *formalitatis sub qua* sunt productiones in divinis⁸. Praeterea *exercitium activitatis*, utique intellectivae et volitivae, eius est *formaliter, qui vere et proprie producit*. Atqui in divinis vere et proprie, producant personae. Ergo origines activae debent cum iis identificari etiam formaliter.

His satisfieri videtur fundamento quo aliqui theologi intellectionem et volitionem vocant *actiones vel quasi-actiones* in divinis processionibus⁹. Cum vero *actio* sit actus secundus potentiae *revera agentis*, si admittitur in divinis, minus congrue distinguitur formaliter ab actu notionali.

⁵ «Actus perfectus per essentiam et per se talis, et ideo non manat seu fluit ab aliquo» (SUÁREZ, l.7 c.6 n.5); ideoque nulla est ratio obiectiva ut eo modo concipiatur.

⁶ SUÁREZ, l.c. Cf. c.3 de relationibus.

⁷ SUÁREZ, l.6 c.2 n.7.8.

⁸ P.VANIER, *Théologie trinitaire chez St.Thomas d'Aquin. Evolution du concept d'action notionnelle* (Paris 1953); L.ROY, *Une nouvelle étude de la théologie trinitaire de saint Thomas d'Aquin*; ScEcll 6 (1954) 163-167; F.RUALLO, *Une source probable de la théologie trinitaire de Saint Thomas*; RechScRel h.3 (1955) 104-128. Ita etiam SUÁREZ, l.c.; MOLINA, In I p. q.27 a.3 d.4; RUIZ, d.83 s.2-4, etc.

⁹ Ita MUNCUNILL, 1024SS CUM IOANNE A S.THOMA, d.2 a.5; SALMANTICENSIBUS, d.2 dub.1 et aliis,

Cum autem actus notionales sint *subsistentes*, patet in divinis *realiter distingui* in singulis processionibus *origines activas et passivas*; ideo quatuor numerantur mutuo inter se distinctae. Spiratio vero activa *non distinguitur realiter* a generatione activa et passiva, cum non detur oppositio relativa originis inter generationem et spirationem¹⁰.

462. DICES: 1. Actio in universum est determinatio virtutis activae. Atqui in divinis virtus activa est intellectio et volitio. Ergo actio in iis poni debet.

Dist. mai. Actio est determinatio *virtutis activae vere et proprie producentis*, ut in creatis accidit, *conc. mai.*; si virtus activa mere est ratio formalis productionis, seu *principium mere ut quo*, quod in divinis tenet, *nego mai.*¹¹ *Contradist. min. Nego cons.* Nam ideo quod in divinis principium quo est *mere quo* et nullo modo quod producit, ideo *actus secundus* est quasi determinatio principii quod, nempe *actus notionalis*.

2. Productio Verbi seu dictio est operatio intellectus. Atqui operatio intellectus est *intelligere*. Ergo dictio seu generatio in recto dicit intellectionem, quae proinde est veluti actio.

Dist. mai. Productio Verbi est operatio intellectus ut principii quo sensu explicatio, *conc. mai.*; ut principii quod, *nego mai.* *Dist. quoque min.* Operatio *naturalis* seu essentialis intellectus est intelligere, *conc. min.*; operatio *notionalis* est formaliter intelligere, *nego min.* Haec quidem non est inconnexa cum intelligere, ut volebat SCORUS¹²; sed est vere et formaliter distincta ab illo, est *exercitium paternitatis*¹³ ideoque *formaliter notionalis*; Pater sc. intelligendo producit Verbum ut terminum infinitae fecunditatis in hac linea. Idem de spiratione dici debet.

N.B. Iuvabit huic de originibus expositioni animadvertere discrimen quod adest inter *potentiam activam ad intra et potentiam ad extra*, prout explicata est in tractatu DE DEO UNO. Potentia enim activa ad extra etiam non actuata (nempe de facto non producens), apprime convenit cum notione *actus puri*, nec perfectior est si actuatur quam si non actuatur; nam eius actus secundus ei *extrinsecus* est, nempe *positio effectus*; cum ergo actuatur, *immutata* manet, etiam ratione nostra. E contra potentia producendi *ad intra*, cum *immanens* sit, terminum intra se recipere debet; ideoque nisi concipiatur *ut actuata*, non potest concipi *ut actus purus*. Ergo non nisi modo nostro imperfecto attingendi divina, ut dictum est, possumus *origines activas a principii producentibus* distinguere; implicite enim iam *actus primus continet actum secundum*.

¹⁰ Haec est doctrina omnium theologorum; cf. RUIZ, d.84 s.4.5. Hac in re maximum est discrimen inter origines divinas et creatas, quae veram actionem important, cum passione identificatam; cf. c.3 a.1.

¹¹ Cf. supra, n.443ss.

¹² In I d.2 q.7; v. supra n.445; SUÁREZ, l.1 c.6 n.2.10SS. Iure impugnari videtur haec SCOTTI sententia; at non ideo transferri debet *operatio notionalis*, ut est *dictio*, in *operationem essentialem*, ut est *intelligere*, quae importatur in illa tantum in obliquo.

¹³ Cf. SAURAS, *La infecundidad...*, l.c., 63.

CAPUT III

De divinis relationibus

463. Quanti momenti sit in theologia trinitaria locus de divinis relationibus, satis iam patet ex frequentibus significationibus quae in superiore tractatione necessario occurrerunt. Neque enim theologia inquisitio mysterii, neque solutio difficultatum ultra progredi possunt, nisi relationis mentio fiat. Id iam Sancti Patres tam graeci quam latini explicite professi sunt. Ad «callidissimam arianorum machinationem» destruendam, ut ait S.AUGUSTINUS, opus est hanc arcem solide struere¹.

Tribus articulis caput hoc distinguimus: primo, praelibatis praecipuis notionibus de hac re, auctoritate et ratione theologica realitatem relationum in divinis firmabimus; altero quae nam inter relationes et essentiam divinam distinctio admitti debeat inquiremus; tertio tandem posteriores quaestiones de quidditate relationis divinae breviter discutiemus.

ARTICULUS I

EXSISTENTIA RELATIONUM IN DIVINIS

Thesis 41. Dantur in divinis relationes reales originis ad intra.

S.Th., q.28 a.1; SUÁREZ, l.5 c.1.2; RUIZ DE MONTROYA, d.9.10; FRANZELIN, th.21.22; MUNCUNILL, 1072-1089; PESCH, 590-595; GALTIER, 264-271.

464. Nexus. Satis evidens est nexus huius thesis cum superioribus de divinis processionibus. Nequit enim origo seu productio concipi, quin conceptu formaliter relativo intelligatur, et quin concipiantur relationes inter producens et productum. Sponte igitur oritur quaestio an conceptus isti relativi realitatem in divinis importent, quae nomine relationis significatur.

Notiones. Subtilioribus de relatione inquisitionibus ad tertium articulum amandatis, notiones hic tradimus quae in stadio dogmatico potiores videntur.

Ea apud omnes praedicata relativa dicuntur, quae de subiectis praedicantur in ordine ad aliud, seu quae non possunt de subiectis dici, nisi habita ratione alterius; ita pater alicuius est pater, simile alicui est simile. Unde relativa in concreto ab

¹ RUIZ, d.9 s.3 n.1.

Aristotele definita sunt: «quorum esse est ad aliud se habere»², ad aliud sc. a subiecto relato, nam quod se habet ad aliud est subiectum, non proprie (in creatis) ipsa relatio. Inde effatum: «relativa (ut talia) sunt simul cognitione», quae est proprietas a Patribus etiam ut maxime essentialis relativorum significata. RELATIO igitur in abstracto est forma vel quasi-forma quae relativa ut talia constituit, et definiri solet: *Ordo vel respectus unius ad aliud*.

In denominatione vel concreto relativo distinguuntur subiectum, terminus et ratio fundandi. Subiectum est id quod refertur; terminus id ad quod subiectum refertur; ratio fundandi ratio obiectiva propter quam subiectum se habet et concipitur in ordine ad terminum. Relatio est *mutua*, cum sub ipsa ratione fundandi terminus dicitur etiam, sive eodem nomine, sive diverso, in ordine ad subiectum, ut relationes patris et filii, similitudinis, maioritatis et minoritatis. *Non mutua*, cum relationi subiecti ad terminum non respondet, sub ipsa ratione fundandi, respectus termini ad subiectum.

465. Distinguitur in relatione *esse in* et *esse ad*. Relatio enim concipitur ut *forma inhaerens subiecto*; hoc enim quod est alterum quodammodo respicere subiecto advenit; ideoque relationis entitas est veluti inhaerere subiecto, estque quasi genus illius, ac vocari solet *esse in*. Proprius vero *conceptus quasi differentialis* relationis est quoddam respicere terminum, vel ad aliud se habere, ac vocatur *esse ad*. Ut patet, *esse in* et *esse ad* non sunt duae res distinctae, sed tantum duae rationes unius eiusdemque entitatis relativae.

Licet autem secundum modum nostrum concipiendi relatio semper significetur ut inhaerens subiecto, bene tamen concipitur ut inhaerentia sit *mere logica*; nullo enim modo (ut unum notemus) importatur in conceptu entis relativi ut per aliquid superadditum referatur ad aliud, sed fieri potest ut per semetipsum dicat hanc relationem, ut creatura per totam suam entitatem ad Deum refertur. Quod attinet *esse ad* relationis, notandum est ipsum, utpote *ens*, praescindi non posse a ratione transcendentali *entitatis*; idque animadverti debet in effato: «Relatio secundum *esse ad* dicit tantum respectum» (nempe secundum quod *pro explicito* significatur nomine relationis); secundum aliud effatum: «dictio exclusiva non tollit concomitantia»³.

² *Categoriae* c.5 (ed.Didot p.9).

³ V. a.3.

466. Dari in creatis *relationes reales*, seu independentes a mentis consideratione, ex Philosophia notum est⁴. Etenim a parte rei, ac non ex mentis nostrae consideratione, res sunt similes inter se, effectus originem habet ex causa ac ab illa pendet; relatio igitur *similitudinis* et *originis* reales sunt. Relatio autem realis implicat necessario ex suo conceptu *terminum esse realiter distinctum a subiecto*, cum relatio sit ordo unius ad aliud, quae necessitas vocatur *oppositio relativa*.

At quoniam diversae sunt sententiae circa realitatem quam importat relatio, id tantum notamus quod nostram quaestionem maxime attinet. *Relationis realitas non necessario exigit eius entitatem*, ut formam, *esse realiter distinctam ab omni ente absoluto*, ad modum quo *bonitas divina*, quod est exemplum a S. THOMA⁵ positum, realis est, licet re non distinguatur ab eius essentia; secus non possent dari relationes in divinis. Ut relatio sit simpliciter realis, requiritur certo ut sit *reale subiectum ac realis ratio fundandi*. Ceterae vero conditiones quae a pluribus auctoribus exiguntur ad realitatem relationum, ut quod terminus sit etiam realiter existens, quod subiectum et terminus sint in eodem ordine entium, quod relationes sint mutuae, plane locum habent in relationibus divinis, quidquid est an et quomodo necessariae sint in relationibus inter res creatas⁶.

467. *Relatio rationis* ea dicitur quam mens fingit non sine aliquo fundamento, licet diversas ob causas nequeat dici simpliciter realis. Intellectui enim nostro, qui res melius cognoscit alias aliis conferendo, commodum est, sicut distinctiones, etiam relationes rationis efformare. Verum relatio rationis fundare nequit, ut patet, distinctionem inter subiectum et terminum,

⁴ Ideo iure inter praecipuos nominalium errores notatur eorum doctrina de relationibus; dato enim quod relatio non distinguatur realiter ab omni ente absoluto, male inferitur eam non esse quid reale. Verum praeterea quidam ex illis ulterius progressi videntur ac viam perasse subjectivismo recentiorum. De his vide P. VIGNAUX, *Nominalisme*: DTC 11, 746-747; ENCICLOPEDIA ESPAÑA, *Relación*. *Relativismo* 1.50.447-450.512-515; P. DONCOEUR, *Le nominalisme de Guillaume d'Ockham. La théorie de la relation*: RevNeoscolPhil 23 (1921) 688; A. PELZER, *Les 51 articles de Guillaume d'Ockham censurés à Avignon*: RevistEcol (1922) 240-270; N. ABBAGNANO, *Guglielmo d'Ockham* (Lanciano 1931); E. HOCHSTETTER, *Studien zur Metaphysik und Erkenntnislehre Wilhelms von Ockham* (Berlin 1927); PH. BOEHNER, *The realistic Conceptualism of William of Ockham*, Traditio (New York 1944) 465-480; *The Tractatus de successivis* attributed to W. Ockham (N.Y. 1944), ac plures articulos in Franciscans Studies 1946, 1951: G. MOHAN, *The quaestio de relatione attributed to W. Ockham*: Franc Stud 2 (1951) 273-303; M. DE GANDILLAC, *Le mouvement doctrinal du IX^e au XIV^e siècle*, apud FLICHE-MARTIN, *Histoire de l'Eglise* 13 (Paris 1951) 41788; R. GUELLEY, *Philosophie et Théologie de Guillaume d'Ockham* (Louvain 1947); L. BAUDRY, *Guillaume d'Ockham: Etudes de Philosophie Médiévale* 39 (Paris 1949); G. MARTIN, *Ist Ockhams Relationstheorie Nominalismus?*: FranzStud 32 (1950) 31-49.

⁵ «Licet relatio non addat supra essentiam aliquam rem, sed solum rationem, tamen relatio est aliqua res sicut etiam bonitas est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione, et similiter de sapientia» (De pot. q. 8 a. 2 ad 3.)

⁶ PESCH, 590.592; MARXUACH, *Compendium Ontologiae* (Barcinone 1927) 131; ESPAÑA, l.c., 447.

nec eos praestare effectus formales, quos praestat relatio realis. Quaestio esse potest an quaedam relationes inter reales aut rationis computari debeant⁷.

Similis est relationi rationis, atque ita simpliciter a pluribus dicta, quam alii accuratius forte vocant *relationem secundum dici*⁸; sunt enim quaedam entitates aut denominationes quas mens videt esse quid absolutum ab omni respectu liberum, quod tamen vix potest exprimeri nisi sub forma relativi, ut denominatio *creatoris*, et *scientiae* et *voluntatis* in Deo. Non ergo admittimus dari in Deo relationem realem ad res creatas. Neque realis est, ut patet, relatio quam mens fingere potest inter attributa divina inter se simplicissime identificata.

Asserimus ergo *dari in divinis relationes reales originis ad intra*, nempe inter personas divinas; ita ut *subiectum, terminus ratio fundandi* et quidquid aliud requiritur ad realitatem relationis, detur intra ordinem divinum independentem a mentis consideratione. Sunt autem relationes quae implicantur in processionibus aut originibus hucusque consideratis.

Omnes catholici cum admittant realitatem processionum in divinis, consequenter relationes divinas tenent; et quidem eas esse simpliciter reales.

Bene animadvertendum est conceptum relationis valde analogice dici de relatione in divinis et in creatis. Ut enim declarabitur et probabitur in sequentibus (praesertim n. 503), relationes divinae sunt *SUBSISTENTES*, quia non habent subiectum absolutum de quo praedicentur, sed sunt *esse ad subsistens*. In creatis pater est ens absolutum quod refertur ad filium, et relatio paternitatis est id quo refertur; at in divinis non est absoluta entitas Patris quae refertur, cum communis sit Patri et Filio, sed tantum ipsa relatio, ita ut Pater et paternitas non differant proprie formaliter, nisi tantum in modo significandi.

468. *Adversarii*. GULIELMUS PARIENSIS refertur ut qui realitatem relationum in divinis negaverit⁹; verum ille potius videtur tantum praeludere sententiae, quae in universum tenet relationes etiam reales non dicere realitatem secundum *esse ad*.

NOMINALES quoque, licet in Philosophia realitatem relationis negent, eiusque formalitatem in mentis consideratione

⁷ Sensu plurium Doctorum relatio dicitur esse rationis, non realis, ex eo solo quod in subiecto relato nullam ponat veluti inclinationem in terminum (cf. S. THOMAM, q. 28 a 1), licet non desit fundamentum reale ad praedicatum relativum; attamen alias videntur intelligere realem esse omnem relationem cuius fundamentum sit reale (De pot. q. 7 a. 9); v. KREMPPEL, *La doctrine de la relation chez St. Thomas* (Paris 1952).

⁸ SUÁREZ, *Metaphys.* d. 47 s. 3 n. 6-9; cf. S. THOMAS, *De pot.* q. 7 a. 11.

⁹ De Trinitate c. 9; cf. DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In 1* d. 26 q. 2; RUIZ, d. 9 s. 1 n. 3; I. KRAMP, *Des Wilhelms von Auvergne «Magisterium divinae»*: Greg 1 (1920) 538-584; 2 (1921) 42-78, 174-187; A. MASNOVO, *Da Guglielmo d'Auvernia a S. Tomaso d'Aquino* (Milan 1930-1933).

ponant, secundum formulam «duas res esse similes in albedine est me videre duo alba», tamen in Theologia realitatem relationum divinarum admittere videntur, ut OCKHAM¹⁰.

Doctrina Ecclesiae. Concilium Florentinum axioma dogmaticum proponit «in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio» (D 703). Toledanum XI multis id versat. «In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur». «In relatione enim personarum numerus cernitur... in hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt». «Relatio quippe ipsa... personas separare vetat» (D 278 280 281). His manifeste traditur dari in divinis *relationes vere ac proprie tales*, et quidem *simpliciter reales*; nam realis est distinctio personarum, quae in sola *oppositione relativa* fundari dicitur.

Valor theologicus. Etsi thesis non est de fide definita, neque expresse tradita sub his verbis, forte ob specialem difficultatem quam conceptus et realitas relationis habet, tamen est saltem *theologicæ certa, seu certissima secundum fidem*, ita ut erroneum prorsus esset id in dubium vocare; nam ut dicit S. THOMAS: «sententiam fidei sequentes oportet dicere in divinis relationes reales esse» (*De pot.* q.8 a.1). Ita omnes scholastici.

469. Probatur ex sacra Scriptura. Nomina quibus revelatae sunt personae Sanctissimæ Trinitatis sunt relativa et relationem significant, nam «Pater dicitur a paternitate et Filius a filiatione; si igitur paternitas et filiatio [relationes quibus Pater et Filius inter se referuntur] non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum, quod est hæresis sabelliana» (q.28 a.1 sed contra).

b) In divinis sunt *productiones reales*, quibus oriuntur personae Filii et Spiritus Sancti. Atqui inter produciens et productum datur relatio realis mutua, saltem si utrumque sit in eodem ordine entium et adsint ceterae conditiones requisitæ ad relationem realem, quae in divinis non desunt, cum principium et terminus productionis sint Deus (S. TH., l.c. et ad 3).

470. Probatur ex Patribus saec. IV et V tam graecis quam latinis, ut notarunt theologi Concilii Florentini (D 703 n.2). a) Docent enim Patres saepissime et maxima ponderatio-

ne doctrinam de relationibus divinis esse *necessariam* ad declarandum et defendendum mysterium contra obiectiones eunorianorum et callidissimam machinationem arianorum. b) Quia enim personae divinae terminis relativis significantur, et natura termini relativi, ut talis, est ut *solam habitudinem mutuam* dicat, seu quia Pater, Filius et Spiritus *non secundum substantiam, nec ad se, sed ad aliquid dicuntur*; c) imo et *relativa sunt simul cognitione*, ita ut altero relativorum significato, alterum concipias necesse est; d) ideo *servatur unitas* et omnimoda consubstantialitas et inseparabilitas etiam mentalis in Trinitate¹¹.

Aliqua dicta in specimen proponimus. S. BASILIUS: «Sed qui Patrem intellexit et eum in se ipso intellexit, et Filium animi perceptione simul est complexus. Qui autem percepit Filium a Filio Spiritum non separavit, sed consequenter quidem secundum ordinem, coniuncte vero secundum naturam, trium simul permixtam in se ipso fidem expressit...» (R 915). S. GREGORIUS NAZIANCENUS: «Nec essentiae nomen est Pater, o viri acutissimi, nec actionis; sed relationem eam indicat quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem» (R 990). «Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa quoque iis nomina procreavit» (R 996). S. CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Relativa nomina se mutuo significant utroque alterius cognitionem gignente... Pater enim relativum nomen est, similiter Filius» (R 2085).

S. HILARIUS: «Confitendo Patrem confessa est Filium... Nec non unum sunt qui invicem sunt. Invicem autem sunt, cum unus ex uno est» (R 867). S. AUGUSTINUS saepissime: «His enim appellationibus [Patris, Filii et Spiritus Sancti] hoc significatur quo ad se invicem referuntur, non ipsa substantia qua unum sunt» (R 1459). «Inter multa quae ariani adversus catholicam fidem solent disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere videntur, cum dicunt: Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur... In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur..., nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. Dicitur enim *ad aliquid*... quod tamen relativum non est accidens» (R 1659 1660). «Credamus... Trinitatem relatarum ad invicem personarum et unitatem aequalis essentiae» (R 1672)^{11*}. Inde effata prodierunt: «relatio multiplicat

¹¹ V. plures textus Patrum apud RUIZ, d.9 s.2-5. Ariani reiciunt relationes in divinis; v. R. ARNOU, *Arius et la doctrine des relations divines*: Gregor 14 (1933) 269-272.

^{11*} J. MORÁN, *Las relaciones divinas según S. Agustín*: Augustinus 4 (1959) 353-372.

¹⁰ V. VIGNAUX, l.c., 777-778; RUIZ, l.c., n.4-5 ac inter opera relata in nota 4 praesertim BOEHNER, MARTIN et textum editum a MOHAN.

Trinitatem» (BOETIUS) ¹²; «in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio» ¹³.

471. Ratio theologica declarat haec Patrum dicta. Personae divinae non possunt distinguere perfectionibus absolutis; nam infinitas consistit in cumulo omnium perfectionum, quibus ens simpliciter melius fit. Aliunde multiplicatio pure numerica in Deo locum habere non potest, cum limitationem in natura supponat, atque infinitum sit unicum in sua linea. Possunt autem distinguere proprietatibus relativis; nam esse relationis ut talis non dicit, secundum quod novum affert, modificationem simpliciter intrinsecam, sed tantum respectum ad aliud. Ergo necessario dantur in divinis relationes reales quibus personae divinae distinguuntur, cum relatio realis exigit realem distinctionem inter subiectum et terminum ¹⁴.

472. Obiectionibus diluendis sequentes quaestiones instituuntur. Duas nunc breviter proponimus.

1. Relatio est quid accidentaliter adveniens subiecto et debilissimae entitati. Ergo nequit formaliter poni in Deo ente perfectissimo.

Dist. antec. Relatio mere et simpliciter praedicamentalis, conc. antec.; relatio nequit ex suo conceptu esse subsistens, ut sunt divinae relationes, ut declarabitur, nego antec.

2. Relationes Patris et Filii in divinis consequuntur operationem intellectus. Sed relationes quae consequuntur operationem intellectus sunt relationes rationis. Ergo praecipuae saltem relationes divinae non sunt reales.

Dist. mai. Relationes Patris et Filii consequuntur operationem intellectus per veram productionem realem Verbi, conc. mai.: exsurgunt sola consideratione intellectus, nego mai. Contradist. min. Relationes quas fingit intellectus in rebus sunt relationes rationis, conc. min.; relationes quae resultant ex productione verbi etiam in creatis sunt solius rationis, nego min. (ad 4).

Thesis 42. Relationes divinae quatuor numerantur; e quibus tres sunt realiter entitative inter se distinctae.

S.TH., q.28 a.3.4; SUÁREZ, l.5 c.4-7; RUIZ DE MONTOYA, d.16-18; CASAJOANA, 53-60; MUNCUNILL, 1092-1101.1119-1126.

473. Nexus. Posita existentia relationum in divinis iure quaeritur de numero earum ac de distinctione quae inter eas intercedat, nam relatio secundum effatum BOETII «multiplicat Trinitatem».

Notiones et status quaestionis. Numerus relationum in universum computandus est, ex propria natura relationis, se-

¹² De Trinitate c.6: ML 64,1252.

¹³ Hoc axioma desumptum videtur ex S.ANSELMO: «Nec unitas aliquam suam amittit consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio» (De processione Spiritus Sancti c.7: ML 158,285); re tamen ipsa multo antiquius est, ut patet ex BOETIO et TOLETANO XI; imo S.GREGORIUS NAZIANCENUS illud axioma praeformavit, Orationibus 20,34-41: MG 35,1073; 36,253-441.

¹⁴ RUIZ, d.9 s.6; J.BITTREMIEUX, L'Absolu peut-il être relatif? (Louvain 1922).

cundum esse ad; ubicumque ergo novus respectus habeatur, nova relatio admitti debet. Ideo cum relationes divinae sint relationes originis, in quibus producens et productum mutuo sed diverso modo se respiciunt, in singulis processionebus duae relationes computari debent, et quidem non solo numero distinctae sed etiam rationis diversae. In duabus ergo processionebus divinis quatuor relationes numerari debent, mutuo inter se distinctae et diversae: paternitas et filiatio, quibus Pater et Filius referuntur ad invicem; spiratio activa et spiratio passiva, quibus Pater et Filius ut unum principium, et Spiritus Sanctus, referuntur etiam ad invicem. Ideoque relationes utriusque processioneis inter se distinctae sunt realiter, saltem denominative, ut dicitur, sc. secundum quod relationes denominant terminos de quibus praedicantur et relative eos opponunt (a.3).

Ulterius vero quaeritur de distinctione reali entitative quam habeant relationes divinae. Ut enim notat S.THOMAS (a.4 sed contra), videri potest entitas formaliter relativa, quae diverso modo denominat relative Patrem et Filium, esse realiter unum quid; ut de facto, secundum probabilioris sententiam, accidit in relationibus creatis. Negamus tamen id locum habere in divinis; sed ipsas dicimus entitates formaliter relativitas utriusque processioneis esse mutuo realiter inter se distinctas, paternitatem et filiationem, spirationem activam et passivam. Tamen spiratio activa, licet sit quarta relatio, ac diversae rationis a paternitate et filiatione, non distinguitur realiter entitative ab ipsis, sed cum illis realiter identificatur, eo modo quo natura divina identificatur cum tribus personis. Ideo dicimus tres esse relationes divinas realiter entitative inter se distinctas, paternitatem, filiationem et spirationem passivam. Doctrina in thesi proposita est communis inter theologos.

474. Adversarii. Aliqui nominales negaverunt, aut in dubium posuerunt spirationem activam esse connumerandam cum aliis relationibus, aut etiam esse relationem realem. Idem antea referunt tenuisse ALBINUS FLACCUS ¹ et HUGO ETHERIANUS ². DURANDUS vero distinctam realiter esse spirationem activam a paternitate et filiatione posuisse videtur ³.

Doctrina Ecclesiae. De numero relationum divinarum non habetur explicita declaratio in documentis magisterii ecclesiastici. Verum quae Toletanum XI explicat ex S.Augustino et S.Fulgentio virtute continent thesim theologiam. «In re-

¹ De Trinitate, l.5, apud SUÁREZ, l.5 c.4 n.2, et RUIZ, d.16 s.1.

² De haeresibus graecorum l.3 c.3: ML 202,342.

³ In 1 d.13 q.2; cf. SUÁREZ, l.5 c.5 n.2; c.6 n.1-4; c.7 n.2; RUIZ, d.17 s.1 n.1.

latione enim personarum numerus cernitur. Ergo in hoc solum numerum insinuant quod ad invicem sunt... est tamen unicuique personae manens sua proprietates quae relativa est (D 280 281).

Valor theologicus. Numerandas esse tres saltem relationes divinas paternitatem, filiationem et spirationem passivam, est *theologicè certum*. Thesis prout proponitur est *communis et certa*.

475. Probatur ex sacra Scriptura, ut thesis superior. Nam Pater dicitur a paternitate et Filius a filiatione. Atqui Pater et Filius sunt realiter distincti. Ergo etiam paternitas et filiatio a quibus tales dicuntur. Idem de utraque spiratione dici debet.

Probatur ex Patribus. Simili modo, quae Patres proferunt de relationibus ut proprietatibus *quibus solis* personae distinguuntur, manifeste tradunt eas ut distinctas, et quidem realiter entitative.

De quarta vero relatione spirationis activae verum est non esse in Patribus explicitam mentionem, ut de aliis tribus, secundum formulam *Toletani XI*: «In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur» (D 278). Verum quarta relatio deducitur clare ex his quae ipsi dicunt, relationes divinas esse mutuas: «In hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt» (D 280); si ergo Spiritus Sanctus ad utrumque refertur ut ad unum principium per spirationem passivam, Pater et Filius ut unum principium spirativum referuntur ad Spiritum Sanctum per *unicam relationem spirationem activam*⁴.

476. Ratio theologica. 1.^o Relationes divinae sunt relationes originis. Atqui in singulis productionibus dantur duae relationes oppositae producentis ad productum et producti ad producentem, quae sunt distinctae realiter, saltem *denominative*, et diversae rationis. Ergo in divinis dantur quatuor relationes reales.

2.^o Relationes divinae sunt *subsistentes*. Ergo relationes utriusque processionis, etiam entitative ut formae relativae, distinguuntur realiter debent mutuo inter se, paternitas et filiatio, spiratio activa et spiratio passiva.

3.^o Relatio spirationis activae *nova* quaedam *relatio* est, distincta a paternitate et filiatione *in ratione relationis*. Nam

⁴ RUIZ, d.16 s.2 plura affert ex Patribus tam graecis quam latinis.

per paternitatem et filiationem ut tales opponuntur mutuo tantum Pater et Filius, ut producens et productum per generationem. Atqui Spiritus Sanctus procedit ab utroque nova et diversa processione. Ergo est in Patre et Filio nova relatio ad Spiritum Sanctum, spiratio activa, qua immediate duae priorae personae opponuntur relative ad tertiam.

4.^o Tamen haec nova relatio *non distinguitur entitative* a paternitate et filiatione. Nam «in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio». Atqui relatio spirationis activae nullam dicit oppositionem relativam cum paternitate et filiatione, quia non procedit ab illis. Ergo realiter cum illis identificatur.

477. Obiectiones. 1. Relationes originis fundantur in productione vel actione; imo entitative consistunt in ipsa actione productiva. Atqui actio productiva est unica, denominans diverso modo producens et productum. Ergo relationes divinae entitative non distinguuntur mutuo inter se.

Transmissa mai., quae quoad priorem partem proprie non est vera nisi in relationibus in creatis, ut suo loco videbimus, *dist. min.* Productio seu origo est unica in creatis, *conc. min.*; in divinis, *nego min.*, ut vidimus⁵, cum origines divinae sint etiam subsistentes.

2. «Totum esse relationis est, ut dicitur, *ad aliud se habere*». Ergo si spiratio activa est novus respectus realis diversus a paternitate et filiatione, debet etiam ab illis distinguuntur realiter.

Dist. antec. et sensum proloquii. Tota ratio relationis ut talis est dicere respectum subiecti ad terminum, *conc. antec.*; entitas ipsa relativa nullum aliud praedicatum habere potest, *nego antec.* Et *nego cons.*, nam *esse ad* relationis, quia tale est, nihil dicit *pro explicito* circa quidditatem entitatis relativae, quae proinde identificari potest cum absoluto vel cum alia relatione (cf. a.2).

3. Relatio, ut dici solet, non potest ulterius ad aliud referri. Ergo paternitas et filiatio nequeunt identificari cum spiratione activa.

Dist. antec. Relatio pure praedicamentalis et accidentalis, *trans. antec.*; relatio subsistens, *nego antec.*

4. Si spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate et filiatione, potius quam nova relatio realis, dici debet tantum novus aspectus ipsius paternitatis et filiationis.

Nego assert. ex dictis in probatione; nam relationes reales computantur secundum *esse ad*; ergo ubi est nova ratio fundandi est *novus respectus simpliciter realis*; iam vero ratio fundandi relationis spirativae diversa est a ratione fundandi paternitatis et filiationis.

478. Scholion. AN IDENTITAS, SIMILITUDO ET AEQUALITAS INTER PERSONAS DIVINAS SINT RELATIONES REALES.

Probavimus adesse in divinis relationes originis, quae assimilantur relationibus praedicamentibus *secundi generis*, quae resultant ex actione et passione. Sed praeter eas dantur in creatis relationes reales *primi generis*, quae fundantur in natura, in quantitate et in qualitate, ut identitas, similitudo, aequalitas, etc. Quaeritur an dentur in divinis huiusmodi *relationes reales*.

Inter divinas personas dari perfectissimam *identitatem* et quidem numericam in natura, itemque *aequalitatem* absolutam, et eminentissimo modo

⁵ C.2 a.3, n.459-462.

perfectam similitudinem, est quid ad fidem pertinens, ut dictum est, ac de iis agit S. THOMAS (q.12 a.1.2.4.6). Tamen est doctrina communis et certa has denominationes non importare in divinis relationes reales, sed tantum rationis, aut secundum dici⁶.

Ratio est quia ubi denominationes identitatis, similitudinis et aequalitatis important relationem realem (praeterquamquod similitudo et aequalitas in creatis fundantur in qualitate et quantitate proprie dicta), unitas in iis perfectionibus est unitas rationis tantum, non unitas identitatis numericae; natura enim Petri et Pauli, sicut perfectio quam importat similitudo et aequalitas, distinctae numero sunt in utroque subiecto; ideoque relationes primi generis in creatis exigunt non solum distinctionem subiecti et termini sed etiam distinctionem in ipsa ratione fundandi, atque unitas huiusmodi relationis et horum relativorum est tantum rationis. At vero in divinis unitas perfectionis, tam naturalis, quam veluti quantitativae et qualitativae, est unitas identitatis numericae; deficit ergo in his denominationibus conditio necessaria ad hoc ut possint dici relationes reales. Ideo dicit S. THOMAS: «Aequalitas et similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus; sed in suo conceptu includit et relationes distinguentes personas et essentiae unitatem. Et propterea Magister dicit quod in his appellatio tantum est relativa» (q.42 a.1 ad 4).

ARTICULUS II

DE DISTINCTIONE INTER RELATIONES ET ESSENTIAM DIVINAM

Thesis 43. Inter essentiam divinam et relationes nulla datur distinctio realis, sed tantum virtualis, seu rationis ratiocinatae.

S. TH., q.28 a.2; SUÁREZ, I.4 c.4-8; RUIZ DE MONTOYA d. 11-14; CASAJOANA, 115-128; MUNCUNILL, 898-911; PESCH, 615-622; GALTIER, 272-287.

479. Nexus. Probata existentia relationum in divinis sponte oritur quaestio, quaenam distinctio inter illas et essentiam divinam intelligi debeat; qua in re, et simplicitatis divinae, et verae distinctionis realis inter relationes ratio haberi debet.

Notiones. DISTINCTIO REALIS simpliciter et proprie dicta ea est quae independens prorsus est a mentis praecisivae consideratione, nullamque ad eam relationem habet; ita ut qui plenam et perfectam rerum intuitionem habeat pronuntiet vere ac certo: «hoc non est illud». Dicitur actualis, quia revera datur in rerum natura. Alia est quae simpliciter datur inter rem et rem; eius signa, saltem praecipua et evidentialia, sunt separabilitas mutua, et relatio quae constat esse realis inter illas res. Alia vero est modalis, quae datur inter rem eiusque

⁶ Cf. SUÁREZ, I.4 c.15; RUIZ, d.103, ubi vide diversitatem quamdam apud antiquos theologos in modo rem concipiendi.

modum physicum; haec implicat separabilitatem non mutuam; res enim stare potest sine modo, non autem modus eius sine re¹.

480. DISTINCTIO RATIONIS fit formaliter per nostros conceptus, quibus res cognoscimus, quin sit actu in re. Dicitur rationis ratiocinantis, cum non adest fundamentum proprie dictum ad illam; ut quae intelligitur inter mere synonyma, ut ense et gladium. Dicitur vero RATIONIS RATIOCINATAE cum res ipsa hoc vel illo modo praebet fundamentum ad eam faciendam. Et quidem fundamentum remotum, aut ratio prima huius distinctionis, est quid subiectivum, imperfectus sc. et praecisivus concipiendi modus intellectus humani. Sed hoc posito, ad distinctionem rationis ratiocinatae praebet fundamentum res ipsa cognita, quae ob suam perfectionem concipi potest, aut necessario concipi debet, diversis conceptibus inadaequatis.

Patet inde fundamentum ad distinctionem rationis posse esse maius vel minus. Adest distinctio rationis perfecta, cum duo conceptus de eadem re adeo diversi sunt, ut neuter pertineat ad definitionem vel explicationem alterius, ut quae adest inter animalitatem et rationalitatem hominis; in hoc casu distinctio rationis est mutua. Cum vero alter conceptus pertinet ad definitionem alterius, sed non viceversa, ut accidit inter definitum et partem definitionis (animal pertinet ad definitionem hominis, homo autem non pertinet ad definitionem animalis), distinctio rationis est non mutua. Distinctio quae vocatur penes explicitum et implicitum, ut datur inter definitum eiusque completam definitionem, dici potest veluti media inter utrumque genus distinctionis rationis².

Distinctioni rationis ratiocinatae non officit inclusio formalis mutua, quae secundum communioem sententiam datur inter attributa absoluta divinitatis, ratione infinitatis. Interdum etiam distinctio rationis fit non ad conceptus obiectivos proprie diversos eiusdem rei declarandos, sed ad diversas modalitates unius eiusdemque conceptus, qui ob summam rei de qua agitur perfectionem, non nisi diversis modis a nobis declarari potest; cuius casus maximi momenti dantur in theologia trinitaria³.

481. Veluti media inter distinctionem realem et distinctionem rationis aestimari solet distinctio formalis ex natura rei, quae invecta est ab SCOTO eiusque schola⁴. Ea est quae datur

¹ SUÁREZ, Methaphys. d.7.

² V. has notiones distincte ac dilucide propositas apud LOSSADA, Logica tr.2 d.1 c.6 (ed. Barcinone 1883 t.2 p.65-76).

³ Plures auctores moderni vocant distinctionem rationis maiorem, quam perfectam et mutuam diximus, minorem quaecumque non est plene mutua; in priore aiunt dari praecisionem obiectivam, non in altera. Locutio autem praecisio obiectiva non eo sensu ab his auctoribus sumitur quo ab scholasticis saec. XVII et XVIII de ea disputabatur.

⁴ De sensu distinctionis scotisticae non videtur esse plena consensus. En quaedam opera circa illam. Ex SCOTO, In 1 d.2 q.7 § ult. (ed. Quaracchi 1912 t.1, 279-286), qui alias saepissime ea utitur. Ex eius discipulis cf. I. MERINERO, De universalibus d.1 q.2 s.1; MASTRIUS, De Deo

non inter res, sed inter *formalitates* alicuius rei, eamque ponit inter gradus metaphysicos eiusdem rei, ut inter animalitatem et rationalitatem hominis. Haec autem distinctio, quae dicitur etiam *non identitas formalis*, traditur ut antevergens omnem operationem praecisivam intellectus humani, eiusque vi simpliciter falsae sunt propositiones quibus identitas utriusque formalitatis asseratur.

Distinctio rationis vocari solet in genere distinctio *formalis*, quia forma eam constituens sunt conceptus praecisivi formales intellectus nostri. Quae vero fundamentum habet in re, seu distinctio rationis ratiocinatae, dicitur etiam *virtualis* in re ipsa, in oppositione ad distinctionem *realem*, quae *actu* est in re; in quantum in re ipsa datur *aequivalentia distinctionis* in ordine ad verificandas propositiones oppositas de una eademque re, ut animalitas est ratio assimilandi hominem equo, et rationalitas est ratio dissimilandi hominem equo; ideo intellectus noster agit de una eademque re ac si plures essent.

482. Adversarii. Distinctionem *stricte et plene realem* inter essentiam divinam et relationes nemo posuit qui Trinitatem in divinis admitteret, nam huiusmodi distinctio mysterium ipsum immediate destrueret.

GILBERTUS vero PORRETANUS videtur nihilominus admisisse inter naturam divinam et personalitates seu relationes quamdam *distinctionem realem*, ad modum quo in creatis distinguebat, et quidem realiter, ut videtur, *subiectum* seu individuum et *subsistentias* quas vocabat, nempe praedicata essentialia rei. Ideo dicebat, ut fert accusatio contra eum in *Concilio Rhemensi*: «Divina natura non est Deus, sed forma qua Deus est; unde Pater, Filius et Spiritus Sanctus dici non debent *una divinitas*, sed tantum eos esse *una divinitate*» (D 389-391 cum n.3)⁵.

uno d.2 a.2; FRASSEN, *Scotus Academicus, De Deo uno* tr.1 d.2. Cf. etiam IOANNES A S.THOMA, *De Deo* d.4 a.7; LOSSADA, *Logica* tr.2 d.1 c.2 (ed.cit. 2,1988); URRÁBURU, *Ontologia* 117; DE SAN, *De Deo uno* 97-100. Ex recentioribus lucubrationibus v. P.MINGES, *Die distinctio formalis des Duns Scotus*: TheolQuart (1908) 409ss; E.LONGPRÉ, *La Philosophie du B.Duns Scot* (Paris 1924); B.JANSEN, *Beitrag zur geschichtlichen Entwicklung der distinctio formalis*: Zkath Th 53 (1929) 317-344,517-544; *Scoti doctrina philosophica et theologica* (Quaracchi 1930); T.GRAJENSKI, *The formal distinction of Duns Scotus* (Washington 1944); J.ROIG, *Algunas distinciones sobre la distinción modal y sobre la distinción escotística «formalis ex natura rei*: EstEcl 18 (1944) 201-215; M.OROMÍ, *Teoría de las distinciones en el sistema escotista*: VerVid 5 (1947) 257-282; E.GILSON, *Etre et essence* (Paris 1948); M.SCHMAUS, *Der Liber propugnatorius des Thomas Anglicus und die Lehrunterschiede zwischen Thomas von Aquin und Duns Scotus*. II Th. Die Trinitarischen Lehridifferenzen. I Bd.: BeitrGPhM 29 (Münster 1930).

⁵ *Commentaria in Boethium de Trinitate*: ML 64,1280ss. Cf. VÁZQUEZ, d.120 c.1-2; DE RÉGNON, 2,87-108; F.VERNET, *Gilbert de la Porrée*: DTC 6,1351-1356; A.LANDGRAF, *Untersuchungen zu den Eigenlehre Gilberts de la Porrée*: ZkathTh 54 (1930) 180-213; *Einführung in die Geschichte der theologische Literatur der Frühcholastik* (Regensburg 1948) 79ss; A.HAYEN, *Le concile de Reims et l'oeuvre théologique de Gilbert de la Porrée*: ArchHistDoctrLittMoy Age (1935) 23-102; R.SILVAIN, *Le texte du commentaire zur Boèce de Gilbert de la Porrée*: ibid. (1946) 175-189; M.WILLIAMS, *The Teaching of Gilbert Porretan on the Trinity as found in his Commentaries on Boethius*: AnalGreg 56 (Roma 1951); A.FOREST, *Le mouvement doctrinal du IX^e au XIV^e siècle*, apud FLICHE-MARTIN, *Histoire de l'Eglise* 13 (Paris 1951) 81-85,163-

DURANDUS posuit distinctionem *modalem*, non simpliciter rationis, neque simpliciter realem, ita ut diceret essentiam et relationes differre ut *rem* et *modum* habendi rem⁶.

SCOTUS essentiam et relationes distinguit sua *distinctione formali ex natura rei*, quae praecedit omnem operationem intellectus creati et increati; haec autem non-identitas formalis falsas proprie reddit propositiones quibus identitas inter essentiam et relationes affirmetur⁷.

E contra *eunomiani* nullam, ne rationis quidem distinctionem in divinis admittere volebant; ideoque Trinitatem negabant⁸. AUREOLUS negasse videtur, saltem modo loquendi, veram virtualementem distinctionem inter essentiam et relationes⁹.

483. SENTENTIA VERO COMMUNIS et omnino tenenda, negat quidem omnem distinctionem *actualementem* inter essentiam divinam et relationes; sed tantum admittit veram distinctionem virtualementem, quam maxima pars auctorum intelligunt distinctionem *rationis ratiocinatae*. De distinctione quam aliqui theologi vocant *virtualementem intrinsecam* in scholio agemus.

Valor theologicus. Essentiam divinam et relationes non distingui simpliciter realiter ut *de fide* tenetur. Distinctio modalis *certo* reici debet, si vere *modus* ponitur actu distinctus a re cuius *modus* dicitur. Sententia scotistica censura theologica non notatur; sed non videtur admittenda. Dari vero inter naturam et relationes divinas distinctionem rationis ratiocinatae proprie dictam, est *theologicum certum*, et sententia nominalium est saltem *temeraria*.

484. Probatur ex traditione. SANCTI PATRES qui contra *eunomianos* mysterium Trinitatis defendunt, conceptis verbis: a) ex una parte asserunt essentiam divinam et personas esse *idem re ipsa*; b) simul autem admitti debere dicunt inter illas distinctionem *mente* et *significatione*, et quidem *non mere factam*, sed cum fundamento in re, quam vocamus distinctionem rationis ratiocinatae. Eunomiani enim dicebant nullo modo distingui posse inter *divinitatem* et *ingenituram*, ideoque Filium genitum Deum esse posse negabant. Quibus Patres respondent aliud significare nomen deitatis, aliud nomen ingeni.

S.BASILIIUS notat confusionem magnam oriri, nisi diversis

165; M.SCHMIDT, *Gottheit und Trinität nach der Kommentar des Gilbert Porreta zu Boethius De Trinitate* (Basel 1956).

⁶ In 1 d.33 q.1; d.24 q.2 et 3; S.GUICHARDON, *Le problème de la simplicité divine en Orient et en Occident au XIV^e et XV^e siècle* (Lyon 1933).

⁷ In 1 d.2 q.7; cf. supra nota 4. Pro eadem sententia feruntur OCKHAM, 1 d.2 q.1; MAR-SILIUS DE INGHAM, 1 d.2 q.6; BIEL, 1 d.2 a.3 et alii nominales.

⁸ V. c.1 n.290,344, etc.

⁹ In 1 d.2.

nomnibus diversam rationem intelligamus¹⁰; et epist.38 *Ad Gregorium fratrem*¹¹ (Nyssenum), quae tota est de differentia essentiae et hypostasis, dicit haec differre «significatione et ratione». S.GREGORIUS NAZIANCENUS ait: «Cum naturae animo et cogitatione distinguuntur, nomina quoque diversa accipiunt... Si seorsum unumquodque eorum Deus consideretur, mente videlicet ea quae separari nequeunt separante... Simplex Dei essentia ad animi nostri utilitatem partitionem quoque propter appellationes subire videtur»¹². S.CYRILLUS ALEXANDRINUS saepe id repetit: «Non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus; simplex atque incompositus est» (R 2066 2067)¹³. S.AUGUSTINUS explicat saepenumero, et propter simplicitatem idem esse in Deo quod essentia est, et quod persona est; et aliquid esse quod *relative* dicitur, quod non dicitur *secundum substantiam*¹⁴. Ideo Patres omnes arianorum difficultates reduplicatione solvant¹⁵.

485. Quae cum declarant eos modos loquendi et praedicandi adhibent Patres, quos Gilbertus negabat; atque etiam admittunt praedicationem *per identitatem* inter essentialia et notionalia, tum in concreto, tum in abstracto, quae falsae essent, si aliqua distinctio actualis ante mentis considerationem admitti posset inter essentiam et relationes, sive stricte realis, sive modalis. S.BASILIIUS: «Pater, Filius et Spiritus Sanctus increata natura»¹⁶; S.GREGORIUS NAZIANCENUS: «Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum adorent unam potentiam ac divinitatem»¹⁷, unde *Lateranense IV* probavit formulam Petri Lombardi (D 432). Iure ergo haec contra Gilbertum urgebat S.BERNARDUS in *Concilio Rhemensi* et in libro *De consideratione*¹⁸.

Haec quoque valere videntur contra distinctionem formalem ex natura rei, quidquid est de vero sensu huius distinctionis, si modo haec praestat falsas esse ante mentis considerationem praedicationes per identitatem de diversis formalitatibus, ut «animalitas est rationalitas»; consequenter enim te-

¹⁰ *Contra Eunomium* c.1 n.5: MG 29,515.

¹¹ MG 32,325-340.

¹² *Oratio* 30, theol. 4 n.8: MG 36,1145.

¹³ *Thesaurus assertionum de sancta Trinitate*: MG 75,155. Hanc graecorum Patrum doctrinam colligit Pseudo-Athanasianus *Dialogus 1 de Trinitate contra anomaeos*: «Aliud hypostasis, aliud divinitas; non ut alia et alia res; sed quod hypostasis aliud, aliud deitas significat» (MG 28,1135,1138).

¹⁴ *De Trinitate* l.7 c.4.6; l.15 c.6, etc.: ML 42,933-946.1063-1064.

¹⁵ Cf. RUIZ, d.11 s.3.

¹⁶ *Homilia 15 de fide*: MG 31,681.

¹⁷ *Oratio 37, theol.* 5 n.33: MG 36,171; R 1008; in Pseudo-Athanasiano *dial.2 de Trinitate* dicitur: «Pater, Filius et Spiritus Sanctus ingenita sunt essentia» (MG 28,1199; cf. RUIZ, d.11 s.6; d.12 s.3).

¹⁸ *De consideratione* l.5 c.7: ML 182,792-799.

nendum esset falsam etiam esse propositionem «paternitas est essentia divina»¹⁹.

486. **Probatur ratione theologica.** A. Cum absoluta simplicitate divina impossibilis est omnis distinctio quae supponat essentiam et relationes esse extrema *actu distincta ante mentis considerationem*, ut evidens est. Ergo reici debet distinctio realis inter essentiam et relationes, sive stricte realis, sive modalis. Reici quoque debet distinctio scotistica, si ea imponitur etiam intellectui divino; nam intellectus plenissime intuitivus distinguere nequit quae in re distincta non sunt²⁰.

B. Sed de essentia et relationibus divinis vere *praedicantur diversa* et inter se opposita, ut «Filius distinguitur realiter a paternitate, non autem ab essentia». Ergo datur in divinis fundamentum ut ratio distinguat inter essentiam et relationes. Quod si inter *attributa Dei absoluta* datur distinctio rationis ratiocinatae, a fortiori inter *essentiam et relationes* poni debet. Ideo, ut dicit S.THOMAS, «manifestum est quod relatio existens in Deo idem est essentiae secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiae rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae» (a.2).

487. **Obiectiones.** 1. Relatio in divinis non dicitur «secundum substantiam», ut dicit S.AUGUSTINUS (R 1659). Ergo distinguitur realiter ab essentia.

Dist. antec. Relatio non dicitur a S.Augustino secundum substantiam, quia non praedicatur de substantia divina, sc. *non est substantia quae refertur ad alterum ad intra, sed persona, conc. antec.*; eo quod intelligat S.Doctor esse quid realiter distinctum a substantia, *nego antec.*, ut patet ex probatione. Potest etiam relatio non dici secundum substantiam, quia «non praedicatur secundum modum substantiae, ut existens in eo de quo dicitur, sed ut ad alterum se habens» (ad 1).

2. S.AUGUSTINUS dicit: «Omnis res quae relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo»²¹. Ergo aliquid est in Deo, essentia, aliud a relationibus.

Conc. antec. Dist. cons. Est in Deo aliquid *ratione* distinctum a relativo, *conc. cons.*; realiter distinctum, *nego cons.* «In Deo non est alia et alia res, sed una et eadem, quae non perfecte exprimitur relationis nomine quasi sub significatione talis nominis comprehensa» (ad 2).

3. «Esse relativi est ad aliud se habere... Si igitur relatio sit ipsa divina essentia, sequitur quod esse divinae essentiae sit ad aliud se habere. Quod repugnat perfectioni divini esse, quod est maxime absolutum et per se subsistens» (3).

Dist. antec. Relatio secundum *esse ad* est tantum respectus, *trans. vel conc. antec.*; secundum *esse in, nego antec.*, et *nego cons.*²² Est in obiectione

¹⁹ Cf. RUIZ, d.11 s.6 n.3.

²⁰ SUÁREZ, l.4 c.4 n.17; VÁZQUEZ, d.118; RUIZ, d.12 s.6; WIRCEBURGENSIS, 366.

²¹ *De Trinitate* l.7 c.2: ML 42,931-936; I.CHEVALIER, *Saint Augustin et la pensée grecque. Les relations trinitaires* (Fribourg 1940); *La théorie augustinienne des relations trinitaires. Analyse explicative des textes*: Div Thom (Fr) 18 (1940) 317-384.

²² V. supra, n.465, et infra, a.3.

confusio verbalis in diversa significatione verbi esse, quod, ut notum est, multipliciter dicitur. Praeterea, ut dicit S. THOMAS, «si in perfectione divina nihil plus contineretur quam quod significat nomen relativum, sequeretur quod esse eius esset imperfectum, utpote ad aliud se habens... Sed quia divinae essentiae perfectio est maior quam quod significatione alicuius nominis comprehendi potest, non sequitur, si nomen relativum, vel quodcumque aliud nomen dictum de Deo non significat aliquid perfectum [quantum ad modum significandi ex propria ratione nominis], quod divina essentia habeat esse imperfectum; quia divina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem» (ad 3).

488. 4. Distinctio rationis nihil ponit distinctum in re ipsa. Ergo non sufficit ad explicandum quomodo de essentia et relationibus dicantur quae necessario videntur exigere entitates realiter distinctas, ut *actu esse distinctum* ab aliis, ut sunt relationes, et *actu non esse distinctum*, ut est essentia. Ergo debet poni in divinis distinctio quaedam actualis.

Conc. antec. Dist. cons. Distinctio rationis non explicat rationem intrinsecam positivam *cur haec dentur in Deo, conc. cons., et nego suppositum*; distinctio rationis ratiocinatae non sufficit ad negative explicandum *non implicari contradictionem*, si haec dentur in Deo, *nego cons.*; id autem est et non aliud munus distinctionis statutae inter essentiam et relationes. Neque distinctiones *minores* actuales, ut est modalis, aut formalis ex natura rei, explicant positive quomodo relationes realiter identificatae cum essentia distinguantur plene inter se ut suppositum ab alio supposito.

5. Nec distinctio rationis ratiocinatae admitti potest inter essentiam et relationes. Nam illa posita, poni debet in divinis compositio saltem metaphysica. Atqui haec etiam repugnat Deo.

Nego mai., nam, ut declarabitur, distinctio rationis inter essentiam et relationes est non mutua; compositio autem metaphysica exigit extrema mutuo ratione distincta.

489. Scholion I. DE DISTINCTIONE VIRTUALI INTRINSECA.

Distinctio rationis ratiocinatae dicitur *virtualis*, ut diximus, et *extrinseca*, quia formaliter tota distinctio est extra rem, nempe in nostris conceptibus inadaequatis rerum; res autem una *aequivalet* pluribus in fundanda diversitate conceptum, seu praebet fundamentum ut conceptus inadaequatos fundet, et menti appareat quasi multiplex. Peculiari modo solet vocari ab auctoribus distinctio *virtualis* quae datur inter essentiam et relationes divinas, cum de divinis praedicantur quae in creatis exigunt distinctionem realem; quare fundamentum ad hanc distinctionem rationis est quodammodo maximum; licet aliunde, quia non est mutua, ab aliquibus adsimiletur distinctioni quae vocatur *minor*.

Propterea aliqui auctores, non contenti mera distinctione *rationis ratiocinatae* inter essentiam et relationes divinas, aliam maiorem statuunt non mere extrinsecam, quam vocant *virtualem intrinsecam*. Ita post R. LINCÉ²³ aliqui auctores saec. XVII et XVIII, tum inter thomistas, tum inter theologos S.I., ac recentius CASAJOANA²⁴ et MUNCUNILL²⁵, qui plures adnumerant pro ea sententia; eorum autem mentem expendere non vacat; verum aliquos saltem adductos excludere debemus ut FRANZELIN²⁶ et PESCH²⁷;

²³ *Metaphysica* l.2 tr.4; cf. LOSSADA, *Logica* tr.2 d.1 c.4 (ed. Barc. 2,438).

²⁴ *De Deo trino* d.5 c.2 a.3.

²⁵ *O.c.*, 898-911.

²⁶ Refertur a CASAJOANA, FRANZELIN, th.21; verum ibi dissertis verbis probat auctor expositionem CAIETANI, SUÁREZ et RUIZ, p.312.

²⁷ PESCH, n.621 refertur a MUNCUNILL; at n.610 hanc distinctionem vocat rationis, et in eodem n.621 optime dicit: «Per intellectum divinum relatio non distinguitur ab essentia divina, sed dicitur tantum distinctio virtualis per respectum ad intellectum qui format conceptus inadaequatos».

non enim sufficit quod eam distinctionem dicant virtualem, nisi simul, saltem aequivalenter, teneant esse *intrinsecam non mere fundamentaliter*. Hanc distinctionem virtualement intrinsecam definiunt eius propugnatores: «Capacitatem vel aequivalentiam distinctionis ad verificandam sine contradictione praedicata ex se contradictoria», eamque dari autumant inter essentiam et relationes divinas, cum de illis dicantur praedicata ex se contradictoria, ut sunt generare vel generari, et non generare nec generari.

490. Existimamus autem hanc distinctionem admitti non posse.

a) In primis definitio distinctionis virtualis intrinsecae prout traditur reicienda videtur; nam implicare videtur verificari posse sine contradictione praedicata ex se contradictoria. Dicendum ergo esset dari in Deo capacitatem verificandi praedicata, quae in creatis exigunt realitates distinctas, ne in iis detur contradictio. Nam ex se in universum generare et non generare non sunt contradictoria, nisi sub eodem respectu adserantur.

b) Id autem quod de divinis dicitur verum est; sed quo pacto id non repugnet non declarat solum verbum distinctionis virtualis intrinsecae, sed explicari debet, quia non datur affirmatio et negatio eiusdem de eodem *sub eadem ratione formali*. Ubi, ut notavimus ex FRANZELIN²⁸, his distinctionibus non debet dari ratio cur id adsit in Deo, sed tantum quomodo, et quidem mere negative, *non repugnet*.

c) Nec verum est capacitatem verificandi haec praedicata esse omnino *independentem a mentis consideratione praecisiva*, nam si ita esset poneretur revera distinctio quaedam *actualis* in Deo. Imo hoc ipso quod dicitur *capacitas verificandi praedicata*, includitur relatio ad mentis considerationem, quae de re simplicissima efformat aut efformare potest diversos conceptus diversimode definibiles. Nempe tota rei difficultas est in *nostris conceptibus de divinis*, seu in Deo prout respondet nostris conceptibus de natura et relatione seu persona. Ergo distinctio virtualis nunquam est intrinseca sensu ab his auctoribus intento; quare per intellectum divinum plenissime intuitum nulla fit distinctio rationis; nec relate ad illum dici potest dari in divinis distinctio virtualis. Id enim repugnare videtur ponere a parte rei distinctionem realem non actualem independentem a nostris conceptibus; nam, ut dicit RUIZ DE MONTOYA, ante opus intellectus nihil aliud intelligi potest, «nisi rem in se ipsa habere illam perfectionem, quae pluribus conceptibus intelligi potest melius quam uno...; aliud... totum est omnino fictitium»²⁹.

491. Dicunt tamen: 1. Admitti debet distinctio virtualis intrinseca in re trinitaria, nec sufficit distinctio rationis. Nam haec datur etiam inter attributa absoluta. Atqui haec non sufficit ut de diversis attributis absolutis praedicantur ea quae de essentia et relationibus praedicantur. Ergo in his maior distinctio poni debet.

Dist. min. Distinctio rationis inter attributa absoluta non sufficit ad illas praedicationes, ob *necessitatem simplicitatis divinae*, quae exigit re identificari ea inter quae non detur oppositio relativa, *conc.*; non sufficit ob insufficientiam distinctionis rationis, *nego vel subdist.*: non sufficit ad affirmandum *de facto* dari id quod cogit nos ad propositiones illas affirmandas, *conc.*; non sufficit ut positum quod debeat affirmari et negari idem de eadem re, sed diverso sensu, *vitetur contradictio, nego*. Hoc enim est munus distinctionis a nobis statutae inter essentiam et relationes, non aliud, ut notavimus. Neque distinctiones *minores* quaecumque rationem positivam sufficientem dare possunt distinctionis maioris personarum, quae cum essentia re

²⁸ Th.20 p.297 et alibi passim.

²⁹ D.12 s.2 n.3.

identificantur, ut etiam diximus. Praeterea, ut notum est, de attributis divinis absolutis re identificatis etiam praedicantur quae in creatis exigunt distinctionem realem.

2. Antecedenter ad mentis operationem verae sunt propositiones «essentia realiter est filiatio», «paternitas realiter non est filiatio», et talia a Deo cognoscuntur; ac nemo catholicus dicit expectandam esse distinctionem rationis ad hoc ut sint verae. Ergo datur in divinis distinctio virtualis plus quam extrinseca.

a) *Retorqueo* in quacumque distinctione rationis ratiocinatae, etiam in creatis. b) *Nego suppositum*, propositiones istas esse independentes, prout formulantur, a nostris conceptibus praecisivis. Deus quidem cognoscit verum esse quod nos his modis et *nostris conceptibus* affirmamus; sed ipse non se novit nostris conceptibus, sed *intuitive*³⁰. Omnes catholici norunt formulas has non habere sensum, nisi in quantum nos res divinas cognoscimus nostris conceptibus praecisivis; propositiones autem huiusmodi verae sunt, non quia nos facimus distinctionem rationis, sed quia in divinis adest *fundamentum* ut eam faciamus.

3. Generari et non generari, et alia quae de divinis praedicantur vere sunt ex se contradictoria, si de una eademque realitate dicuntur. Ergo datur in divinis distinctio virtualis intrinseca.

Dist. antec. Haec et alia similia praedicata vere sunt ex se contradictoria, si de una eademque entitate in eodem sensu revera dicuntur, *conc. antec.*; si vere in *diverso sensu* dicuntur, *nego antec.* Iam in creatis, ut dictum est agendo de principio identitatis, haec praedicata dicerentur revera de eadem re in eodem sensu *absoluto*; in divinis autem non praedicantur sub eodem respectu, sed in *diverso, absoluto et relativo*.

492. Scholion 2. AN NATURA DIVINA SIT DE ESSENTIA RELATIONUM AC RELATIONES VICISSIM SINT DE ESSENTIA NATURAE.

Posita quidditate relationis divinae, quae in sequenti articulo ut probabilior probatur, patet distinctionem rationis inter essentiam seu naturam divinam et relationes esse *non mutuas*; in quantum natura divina pertinet ad *quidditatem relationum*, relationes autem non pertinent ad *quidditatem naturae*. Hinc satis patere videtur quid respondendum sit quaestioni propositae. Tamen in hac re satis variant auctores, etiam hi qui nobiscum consentiunt de constitutivo relationis³¹; fortasse quia quaestio proposita diversos sensus habere potest. Igitur

1.^o Si natura vel *essentia physica Dei*, ut notavimus in tractatu DE DEO UNO³², sumatur sensu dicto *philosophico*, pro statu reali divinitatis, ad modum quo essentia physica rei dicitur status realis substantialis illius, dicendum est ad essentiam divinam pertinere etiam relationes. Haec autem acceptio, etsi non adeo frequens, habet fundamentum in PATRIBUS, qui non semel nomine deitatis intelligunt totam realitatem divinam³³.

³⁰ V. RUIZ, d.2 s.7 n.6ss.

³¹ Naturam divinam esse de essentia relationum ac relationes de essentia naturae tenent plures thomistae; VALENTIA, I p. d.2 q.4 p.1; FRANZELIN, th.21; GALTIER, 285-287; PESCH, 632 in eam inclinat. Nec naturam esse de essentia relationum, nec relationes de essentia naturae, praeter eos qui tenent distinctionem non mere rationis, MOLINA, In I p. q.28 d.6; VÁZQUEZ, d.121. Naturam esse de essentia relationum, relationes autem non esse de essentia naturae, SUÁREZ, I.4 c.588; BELLARMINUS, De Christo I.2 c.9; RUIZ, d.13 et 14; WIRCEBURGENSES, 51-55, qui distinguunt duplicemceptionem philosophicam et theologiam vocis *naturae*. Alii, ut IOANNES A S. THOMA, d.13 a.2 n.4-6.14, admittunt mutuum exclusionem naturae et relationum secundum conceptum formalem; ut mutuum inclusionem secundum conceptum transcendentalem essentiae; qua de re cf. A.MALTHA, De divinarum relationum existentia, quidditate, distinctione: Ang 17 (1940) 17-18.

³² V. supra, De Deo uno n.77.

³³ Cf. RUIZ, d.14 s.5 et 6.

2.^o Verum si naturam sumimus sensu quem *theologicum* vocavimus, ut sumi solet in theologia trinitaria, conceptu *praecisivo*, prout significat «id quo res est aliquid in ordine entium», quod in divinis est *commune* tribus personis, nempe complexus omnium attributorum absolutorum, quo Deus et tres personae sunt Deus, adhuc duplici modo quaestioni propositae responderi debet, secundum duplicem sensum quem potest habere locutio *esse de essentia alicuius rei*.

a) Si esse de essentia alicuius rei significat *pertinere ad eius conceptum formalem et quidditativum*, dici debet *naturam divinam esse de essentia relationum, relationes autem non esse de essentia naturae*, ex nuper dictis. Alias enim non posset natura praedicari *per identitatem* de tribus relationibus realiter distinctis et diversae rationis, quin simul praedicarentur per identitatem aliae duae, sicut si determinata individuatio esset de essentia hominis non esset nisi unus homo.

b) Si vero esse de essentia alicuius rei significat tantum *praedicari necessario et exigitivae de illa re*, etsi non pertineat ad conceptum formalem et quidditativum illius, hoc sensu certe *et natura est de essentia relationum, et relationes sunt de essentia naturae*.

Neque alii probant argumenta ab aliquibus adducta quod paternitas sit in Filio et vice-versa, ut *perficiens* aliam relationem³⁴; nam licet hic modus loquendi admittatur, negari nequit paternitatem *non constituere* filiationem, ac neutram constituere formaliter et quidditative naturam, sed tantum mutuo haec se exigere. Quod natura divina nequeat *conceptu adaequato* concipi quin concipiantur relationes³⁵, non probat eas pertinere ad *conceptum praecisum* et quidditativum naturae, ne implicite quidem, sed tantum exigitive; secus aliae relationes pertinerent etiam ad conceptum constitutum aliarum, quod hi auctores non admittent.

ARTICULUS III

DE QUIDDITATE RELATIONIS DIVINAE

493. Caput de natura seu quidditate relationis in difficilimis Philosophiae semper computatum est; non ergo mirum quaestiones difficiles oriri in eius applicatione ad divina, ac diversas esse sententias inter theologos de hac re¹. Quid probabilius videatur breviter proponemus.

³⁴ Ita PESCH, l.c.

³⁵ Inde arguit GALTIER, 287.

¹ Conferri possunt tractatus metaphysici scholasticorum. Quaedam autem quae ibi discutuntur minoris momenti sunt pro theologia trinitaria, cum versentur circa relationes prout in creatis dantur, aut etiam circa relationes primi generis, quae divinis relationibus aptari nequeunt. En quaedam opera recentiora. A.HORVATH, *Metaphysik der Relationen* (Graz 1914); E.COMMER, *Streiflichter auf die Welt der Relationen*: Div Thom(Fr) (1916) 129ss; F.ROBLES DÉGANO, *La relación y la Santísima Trinidad*: España y América (1922) 31-47, 114-121; M.PENIDO, *Le rôle de l'analogie en Théologie dogmatique* (Paris 1931) 311-323; P.DESCOQS, *Thomisme et Scolastique* (Paris 1935) 218-226; A.MICHEL, *Relations divines*: DTC 13, 2135-2; A.MALTHA, *De divisione relationum in ordine ad quaestionem de relationibus divinis. De divinarum relationum existentia, quidditate, distinctione*: Ang 14 (1937) 61ss; 17 (1940) 3-31; J.MAN-YÁ, *Metafísica de la relación y divinis*: RevEspT 5 (1945) 249-284; J.RABENECK, *Das Geheimnis des dreipersonlichen Gottes* (Freiburg 1950) 45-57, 93-116, et opera relata n.466.467.

Thesis 44. Relationes divinae formaliter perfectionem dicunt, etiam secundum esse ad.

S.Th., q.28 a.1; De pot. q.7 a.9; SUÁREZ, l.3 c.9.10; l.5 c.1; Metaphys. d.47 s.2 s.3.5; RUIZ DE MONTÓYA, disp.9.29.30; MUNCUNILL, 1074-1089.1125-1130; PESCH, 623-635; GALTIER, 288-293.

Nexus. Praecipua quaestio quae oritur, posita existentia relationum realium in Deo, est quid realitatis et perfectionis importent, secundum novum hunc conceptum relativum. Difficultas vero exurgit, nam ex una parte si vera realitas et perfectio ponitur in singulis personis quam aliae non habeant, in discrimen vocari videtur plena earum identitas in natura; si vero id negatur, non apparet quo pacto subsistere possit realitas trium personarum. Patet ergo momentum huius quaestionis, tum ad recte formandum conceptum de divinis relationibus, tum ad perfectam aequalitatem personarum declarandam, tum ad realitatem et constitutionem personarum logice explicandam.

494. Notiones et status quaestionis. Extra controversiam est relationem realem in universum et peculiari modo relationes divinas, dicere realitatem et perfectionem secundum *esse in*. In divinis autem *esse in* non est nisi earum identitas cum natura divina; sc. relationes divinae non sunt entitates realiter distinctae a natura. Relatio enim, etiam in universum, ut sit realis, non necessario importat realitatem realiter distinctam ab omni *esse absoluto*; aliud est enim aliquid *esse reale*, et aliud *esse realiter distinctum* ab alio *esse reali*, ut ex S.THOMA declaratum vidimus², exemplo adhibito de bonitate divina eiusque sapientia.

Quaestio igitur ponitur de *esse ad*, seu de praedicato veluti differentiali relationis in quantum dicit respectum. Et quidem a pluribus auctoribus duplex quaestio distinguitur, an relatio secundum *esse ad* dicat *realitatem*, et an dicat *perfectionem*, ita ut plures sint qui cum in priore sententiam affirmativam habeant, in altera negativae adhaereant³. At nisi quaestio fiat de modo loquendi, si perfectio *transcendentaliter* sumitur, idem est atque *realitas*. In divinis autem potius id dicendum videtur; nam realitas de Deo praedicari nequit quae non sit infinita, ideoque perfectissima.

² Supra, n.466.

³ V. apud MUNCUNILL, l.c.; infra, n.495-498.

495. Sententiae⁴. Est sententia *plurium theologorum*, quae notari solet ut *sat communis inter thomistas et scotistas*⁵, relationem in universum, etiam relationem realem, ac ipsas relationes divinas, non dicere realitatem nec perfectionem. Eam exponimus ex BILLOT⁶. Relatio in universum secundum *esse ad*, cum dicat solum respectum ad aliud, non dicit realitatem, ita ut in hoc praedicato conveniant omnino relatio realis et relatio rationis. Ideo relatio realis ex alio capite vel titulo est realis, nempe secundum *esse in*, et ex alio capite est relatio, secundum *esse ad*. Concipiuntur enim *esse in* et *esse ad* ut duae formalitates mutuo perfecte praecisae. Inde in relationibus divinis tota ratio realitatis est *esse in*, in quo realiter identificantur, tota vero ratio respectus et distinctionis est *esse ad*.

Sunt autem plures thomistae, qui in universum quidem tenent relationem secundum proprium conceptum non dicere realitatem; verum cum eius ratio contrahitur ad relationem realem, *esse ad* dicere realitatem, non quidem explicite, sed certe implicite. Ita SALMANTICENSIS⁷; BILLUART⁸, et GARRIGOU-LAGRANGE⁹, qui tamen in decursu tractationis accedere videntur ad theoriam expositam. Simul autem asserere solent relationes divinas secundum *esse ad* non importare perfectionem, saltem non nisi perfectionem essentiae divinae.

Oppositam sententiam relationem realem in universum et multo magis relationes divinas, importare formaliter ut tales realitatem et perfectionem tenet SUÁREZ¹⁰, et cum eo *maxima pars theologorum S.I., et plures thomistae saec.XVI et XVII* ut BAÑEZ¹¹ et IOANNES A S.THOMA¹². Negat enim *esse ad* relationis praescindere ab *esse in*, saltem in quantum dicit realitatem, imo illud implicite includere; nec posse convenire relationem realem et relationem rationis in conceptu quodammodo univoco, ne quidem sub ratione *esse ad*, sed solum per quamdam metaphoricam similitudinem. Et quidem SUÁREZ¹³ ita id defendit, ut asserat relationes divinas dicere perfectionem praecise ut distinctas, ideoque *tres perfectiones relativae* agnoscat.

⁴ In sententiis plurium auctorum accurate expendendis in hac quaestione immorari non possumus; adest enim ambiguitas quaedam, quam secum fert rei obscuritas, quod iam notavit RUIZ DE MONTÓYA, d.30 s.2 n.5. Ideo praecipuas exponimus ex his theologis qui eas clarius praebere videntur.

⁵ Ita SUÁREZ, l.3 c.9 n.1; Metaphys. d.47 s.2 n.155; RUIZ, d.9 s.1 n.7-8.

⁶ De Deo uno et trino¹ q.28, praesertim De relatione praecambula disquisitio p.380-392, et Quaestionis conclusio p.422-426.

⁷ De Sanctissimo Trinitatis mysterio d.4 dub.2; d.6 dub.2.

⁸ Tractatus de Sanctissimo Trinitatis mysterio d.3 a.1; a.5.

⁹ De Deo trino et creatore p.81.89-92.96.

¹⁰ L.c. SUÁREZ invocatur saepe pro hac sententia inter antiquos HERVAEUM NATALEM.

¹¹ In I p. q.28 dub.1.

¹² De sacro Trinitatis mysterio d.13 a.3. Id etiam tenet G.ALASTRUEY, De Sanctissima Trinitate 221, et A.MALTHA, l.c.: Ang (1940) 4-5.

¹³ L.3 c.9.10.

RUIZ DE MONTOYA¹⁴ et alii aiunt non nisi unam perfectionem constituere. Eximii Doctoris sententiae adhaeremus, cuius praecipuum assertum in thesi stabilimus, cetera eius elementa in scholiis dabimus.

Valor theologicus. Thesis multo *probabilior* nobis videtur. Imo graves sunt theologi qui oppositam, praesertim negationem realitatis relationis divinae secundum *esse ad*, aut omnino *falsam*, aut etiam periculosam et errori proximam notare non dubitent¹⁵.

496. Probatur thesis. A. *Philosophice* sententia negans relationem realem secundum *esse ad* dicere realitatem et perfectionem videtur prorsus falsa. Nam

1.^o Relatio quidem ut relatio tantum respicit, nempe non addit enti perfectionem *novam* simpliciter *intrinsicam* ut praedicata absoluta, sed tantum respectum ad aliud. Sed ipse *respectus* est *realis in relatione reali*, ut dicit S. THOMAS (q.28 a.1), qui (*De pot.* q.7 a.9) ait bonum et perfectionem attendi in rebus non solum secundum absoluta, sed etiam secundum relativa: «Perfectio et bonum quae sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolutum inhaerens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam... hic autem ordo relatio quaedam est».

2.^o Ratio entis *transcendit formaliter* omnes differentias aut quasi differentias; ergo ratio realitatis implicite imbibitur in quocumque praedicato entis realis; ergo etiam in *esse ad* relationis. Ideoque conceptus *in et conceptus ad* relationis nequeunt esse mutuo perfecte praecisi.

3.^o Relatio realis et relatio rationis nequeunt *quasi univoce*¹⁶ convenire in ulla ratione, ne quidem in ratione *ad*; nam relatio rationis non praestat effectus formales quos praestat *esse ad* relationis realis, ut exigere distinctionem realem extremorum, quam apud omnes praestat relatio realis secundum *esse ad*. Ergo *esse ad* relationis realis formaliter dicit realitatem, quam non dicit *esse ad* relationis rationis. Praeter hoc quod satis difficile videtur ens reale constitui in aliquo ordine entis realis per notam quae non dicit realitatem.

4.^o Cum contra nominales defenditur realitas relationum, agitur sine dubio de realitate relationum secundum *esse ad*, sc. in quantum dicit respectum. Ergo asserere in relationibus *esse ad* non dicere realitatem videtur idem esse ac dare manus victas adversario.

Quare forte hic modus loquendi non aliud intendit quam relationem realem non importare *entitatem* aliquam *realiter distinctam* a ratione fundandi, quod significat S. THOMAS (quodl.9 a.4), cum ait: «relatio habet esse ex hoc quod relationem causat». Id tamen non idem est ac relationem non dicere realitatem; nec possunt auctores impugnatae sententiae ex hac intentione consecretaria eruere quae ex sua theoria ducunt. Et quidem mirum est adversarios arguere nos de negata relatione reali, quia ei non damus realitatem re distinctam ab omni absoluto, licet asseramus eam formaliter

¹⁴ D.29 s.2.6; d.30 s.2-5; ita etiam VÁZQUEZ, d.122.

¹⁵ Ita RUIZ, d.9 s.6 n.14; hanc censuram refert FRANZELIN, th.22 p.317. Secundum BILLIART «utrimque salva fide defenditur, etiam in schola D. Thomae» (d.3 a.5).

¹⁶ Revera in sententia impugnata adest quaedam *univocatio* inter ens reale et ens rationis, quae mira videri potest apud auctores, qui tantopere analogiam extollunt. Notari debet in tota hac quaestione SUÁREZ saepe «magnam analogiam» referre (cf. l.3 c.10 n.1; l.5 c.1 n.6.7, etc.); immerito ergo de univocatione incusatur (PENIDO, o.c., 319.320 post alios); cf. RUIZ, d.9 s. n.10-18; s.7 n.2.

dicere realitatem et perfectionem; cum illi conceptis verbis nullam ei realitatem conferant secundum proprium et distinctivum conceptum respectus.

497. B. Argumenta allata valent etiam de relationibus divinis. Quidquid autem est de quaestione philosophica, *theologice* in doctrina de Trinitate asserendum est relationes divinas dicere formaliter realitatem et perfectionem. Nam

1.^o Ratio formalis et immediata distinctionis in divinis, et unicum praedicatum quo realiter distingui possunt personae divinae, est relatio et quidem non secundum *esse in*, quo secundum omnes conveniunt, sed *secundum esse ad*. Ergo si *esse ad* non dicit realitatem, perit distinctio realis inter personas.

Antec. declaratur. Relatio in creatis, praesertim praedicalis, non est ratio *formaliter* et *immediate distinguens* subiectum et terminum, sed tantum est quid exigens eorum distinctionem, quae formaliter et immediate habetur per proprias entitates absolutas. Atqui in divinis personis nullum adesse potest praedicatum absolutum, quo re distinguantur.

Cons. ergo clara est. Si *esse ad* relationis divinae formaliter ut tale non dicit realitatem, nullo praedicato distinguuntur realiter. Qui enim potest esse ratio formalis distinctionis realis id quod realitatem non dicit?

2.^o Ut probabimus, relationes divinae *constituunt* personas divinas secundum *esse ad*. Atqui constitutivum personae divinae est formaliter reale et perfectionem dicens. Nam persona, ut dicit S. THOMAS (q.29 a.3), est perfectissimum in natura; qui etiam dicit personas distingui et constitui relationibus, quia opus est ut ipsa distinguentia sint earum constitutiva (q.40 a.2.3).

3.^o Si divinae relationes formaliter ut tales et ut distinctae, ac proinde secundum *esse ad*, non dicerent realitatem et perfectionem, Trinitas personarum non diceret realitatem nec perfectionem, formaliter ut talis. Atqui id absurdum est. Nam evidens est quidquid in Deo formaliter est dicere formaliter perfectionem, et quidem sub proprio conceptu. Esset id praeterea contra expressas et frequentes Patrum locutiones, qui aiunt sine relationibus et productionibus Deum fore imperfectum, quod etiam refert et accipit S. THOMAS (*De pot.* q.9 a.5 ad 23 et a.9 ad 17), ac in *Summa* (q.40 a.3 ad 1) ait: «ad dignitatem pertinet proprietates distinguens».

498. Corollaria. 1. Cum realitas quam includunt vel dicunt relationes divinae secundum *esse ad* sit realitas divina, patet eas formaliter dicere perfectionem *infinitam*.

2. Unaquaeque relatio suam dicit perfectionem, et quidem realiter et formaliter distinctam ab aliis, etsi identificatas cum unica perfectione abso-

luta. Nam unaquaeque persona divina habet veram et propriam realem entitatem, qua ab aliis distinguitur, quae non est nisi *esse ad* proprium, unusquisque relationis personalis. Sunt ergo tres perfectiones infinitae, unaquaeque in sua linea, ut in sequentibus declaratur, quod videtur evidens ex dictis, nisi fiat quaestio de modo loquendi¹⁷.

N.B. Similis est solutio huius quaestionis ei qua SUÁREZ in *Metaphysica* tenet simul transcenditiam entis et unitatem ergo tres conceptus per distinctionem non mutuam inter ens eiusque differentias; qua posita, in ipso conceptu entis, et unum sunt omnia, et distincta sunt¹⁸. Nec mirum, cum in nostro casu agatur etiam de *transcendentia* qua divinitas necessario includitur formaliter in quocumque praedicato quod de divinis affirmetur. Sicut autem *aseitas* ex.gr. dicit formalissime perfectionem, et quidem summam, ex proprio conceptu (non solum perfectionem entis ut sic), et quidem diversam ab *alietate*, ita relationes dicunt perfectionem in divinis secundum proprium conceptum et ut distinctae, non tantum in quantum identificantur cum natura divina.

499. Scholion I. DE NATURA PERFECTIONIS QUAM DICUNT RELATIONE DIVINAE.

Ex dictis sequitur relationes divinas dicere formaliter perfectionem, in quantum *non praescindunt*, saltem implicite, a *divinitate*. Verum nunc quaeritur de propria quidditate quam dicunt perfectiones relativae, *secundum quod distinctae sunt*, imo diversae rationis, quia diversus est respectus Filii ad Patrem et Patris ad Filium; fere, ut nuper innuimus, sicut *aseitas* et *abalietas* dicunt perfectionem toto caelo diversam in ratione entis. Dicimus ergo:

a) Perfectio quam dicunt relationes divinae formaliter ut tales est *perfectio relativa*. Nam sicut esse relationis ut talis est respicere terminum, ita eius perfectio consistit in habitu ad terminum, et ex termino et perfectione essentiali eius aestimanda et mensuranda est. «Sicut esse paternitatis, ait SUÁREZ¹⁹, consistit in habitu ad Filium, ita eius perfectio... Ergo in ratione etiam perfectionis relativae est». Unde perfectio relationis divinae tota quanta mensurari debet ex divinitate termini quem respicit; paternitas ergo tam perfecta est quia respicit talem Filium. Ideo perfectiones divinarum relationum, etsi diversae inter se, sunt prorsus *aequales* inter se, atque etiam divinae essentiae (cf. q.42 a.4 ad 2).

Perfectio enim relativa non concipienda est ad modum perfectionis absolutae, qua res fit simpliciter *melior*, quia relatio nihil absolutum confert, seu nullam novam determinationem simpliciter intrinsecam subiecto addit, sed illud ad aliud refert. Id quidem arguitive potest significare perfectionem absolutam in subiecto, quam nos aliter cognoscere non possumus, ut revera est in divinis, notam sc. *fecunditatis ad intra*, quam secum fert *infinitas*. Ideo revelatio nos docet aliquid de ipsa essentia divina et de infinitate, quod ratio naturalis nescit.

¹⁷ Auctores qui nullo pacto admittunt tres perfectiones relativas, exquirunt conceptum quemdam perfectionis, qui aptetur thesi praconceptae; ita RUIZ, d.30 s.488; v. SUÁREZ, l.3 c.9 n.5-13.

¹⁸ *Metaphys.* d.2 s.2 et 3; d.28 s.2; cf. DALMAU, *Metafísica y Teología en Suárez*: EstEcl 22 (1948) 550-557.

¹⁹ L.3 c.9 n.18; RUIZ, d.30 s.8 n.5.

500. b) Relationes divinae sunt *perfectiones simplices, non simpliciter simplices*²⁰.

Perfectio simpliciter simplex, ex S.ANSELMO²¹, ea dicitur, quae in quolibet subiecto, in tota latitudine entis, «melior est ipsa quam non ipsa», seu melior quam quaecumque ei repugnans, quaecumque ratione impossibilis est cum ea; quare per eam ens *simpliciter melius* est. Sunt autem *simpliciter simplices* perfectiones *absolutae*, quae essentiam divinam constituunt. Perfectiones igitur relativae non videntur dicendae simpliciter simplices, neque in divinis. Etsi enim excludunt imperfectionem et identificantur cum substantia divina, quam formaliter imbibitam habent, tamen secundum illas *immediate et per locum intrinsecum*, ut dicitur, res non est simpliciter melior; unde formaliter constitutive excludere possunt, et de facto excludunt, in eodem supposito de quo praedicantur, aliam sibi oppositam, quae est *aeque perfecta*; unde inter se non sunt meliores quam sibi oppositae. Ideo dicuntur *perfectiones simplices non simpliciter*; *simplices*, quia nullam dicunt imperfectionem; sed *non simpliciter*, saltem relate ad personas de quibus praedicantur, quia excludunt a se aliam aequalem.

Neque respectu essentiae divinae videntur dicendae simpliciter simplices. Nam *essentia divina ut talis* est ens simpliciter infinitum, unde nec secundum rem, nec secundum rationem, potest ei addi aliquid quod illud faciat simpliciter *melius*; et quia natura earum talis est, ut per illas nullo pacto ens simpliciter melius fieri possit. Neque obstat quod nisi adessent in Deo perfectiones relativae, Deus esset imperfectus, ut dicunt PATRES²²; unde melius videtur pro essentia divina eas habere quam non habere. Nam si non adessent perfectiones relativae, imperfectio haberetur in Deo *arguitive et per locum extrinsecum*, in quantum *infinitas* non esset revera talis ex defectu fecunditatis, non *formaliter et per locum intrinsecum*.

501. c) Ergo relationes *non addunt* quidquam, quod ad perfectionem simpliciter pertineat, essentiae divinae; sed *unica perfectio simpliciter simplex deitatis* quasi extenditur ex infinita fecunditate in tres subsistentes in eadem, quin inde augeatur eius perfectio; ideoque manet *omnimoda aequalitas* inter divinas personas. Praeterea, quod perfectiones relativae non addant perfectionem ad perfectionem essentiae divinae, explicatur etiam quia non faciunt compositionem cum illa, ne metaphysicam quidem, ob inclusionem formalem essentiae in relationibus; iam vero *additio* perfectionis et *compositio* metaphysica supponit distinctionem *mutuam* inter elementa composita.

His plenius declaratur *axioma theologicum* saepius allatum: «in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio», cur sc. personae divinae nequeant distingui proprietatibus absolutis, possint autem distingui proprietatibus relativis. Nam cum perfectiones *absolutae* faciant ens simpliciter melius, defectus alicuius ex illis secundum conceptum proprium supponit limitationem in subiecto; unde omnes perfectiones absolutae pertinent ad conceptum formalem divinitatis et reperiri debent in omnibus personis divinis. E contra perfectiones relativae, cum non faciant ens simpliciter melius, non continentur *formaliter quidditative* in conceptu formali divinitatis, etsi in eo continentur *exigitive*, ac proinde non necessario identificari debent cum singulis personis, sed unaquaeque potest habere perfectionem relativam, qua ab aliis distinguitur.

²⁰ SUÁREZ, l.3 c.10 n.4; ita etiam E.SAURAS, *La infecundidad del Verbo y del Espíritu Santo*: RevEspT 4 (1944) 86.

²¹ *Monologion* c.15: ML 158,162-164; cf. R.PERINO, *La dottrina trinitaria di Sant'Anselmo nel quadro del suo metodo teologico e del suo concetto di Dio* (Roma 1952).

²² V. Patrum textus apud RUIZ, d.29 s.2-5.

502. Scholion 2. QUOMODO CONTINEANTUR PERFECTIONES RELATIVAE IN ESSENTIA DIVINA, ET CONSEQUENTER IPSAE PERFECTIONES RELATIVAE ALIAE IN ALIIS.

Perfectiones *simplices*, etsi identificatae realiter cum essentia divina, non continentur *formaliter* in illa, ut nuper diximus, cum non pertineant ad conceptum formalem et quidditativum divinitatis, ut talis, in quantum communis est tribus personis. Aliunde infinitas ipsa exigit illas aliquo modo continere, nam etiam continet eminenter perfectiones mixtas. Videndum est igitur quo pacto illas contineat.

Ex saepe dictis, quoniam essentia divina ut infinite fecunda in linea intellectionis et volitionis, eas exigit et radicat, potest dici eas continere *quasi-virtualiter*, *eminenter*, et *exigitive*; quae continentia, ex declaratis, excludit omnem imperfectionem, imo *pertinet ad infinitam perfectionem*, tum essentiae, tum relationum, et est ipsa essentia divina.

Hoc posito, ipsae relationes seu perfectiones relativae continentur aliae in aliis: a) *vi essentiae*, *quasi eminenter* et *exigitive*, in quantum quaelibet perfectio relativa identificat secum essentiam divinam, in qua omnes perfectiones relativae continentur eo modo; b) *aequivalenter* et *exigitive*, ex proprio conceptu relationis mutuae, quae exigit terminari ad aliam, quae est prorsus aequivalens; c) tandem addi potest *continentia quasi formalis* ratione *circumcessionis* et *inexistens* mutuae de qua postea. *Formaliter* vero *constitutive* non continentur relationes aliae in aliis²³.

503. Scholion 3. AN RELATIONES DIVINAE SINT TRANSCENDENTALES, AN PRAEDICAMENTALES²⁴.

Relatio *praedicamentalis* illa dicitur quae ponitur in proprio praedicamento atque est *accidentalis* in genere relationis, seu accidentaliter praedicatur de suo subiecto; ut sunt in creatis relationes similitudinis et dissimilitudinis, et quae fundantur in actione et passione. Ideo constitutum relationis praedicamentalis *distinguitur*, saltem inadaequate, a suo subiecto.

Ei opponitur relatio *transcendentalis*, cuius notio diversis modis exponitur. Ita vocatur, vel quia includitur in ratione omnium praedicamentorum, vel quia intime imbibitur in conceptu rei relatae. Sunt qui *nolint relationes transcendentales considerare ut relationes reales*, quod tamen nullo modo ferendum putamus; nam reales prorsus sunt ex.gr. relatio *abalienationis* et relatio quam apte dicit transcendentaliter ad principium et terminum productionis. In oppositione ad relationem praedicamentalem, relatio transcendentalis dici potest ea quae *adaequate identificatur cum subiecto relato*²⁵.

His positis, quaestioni an relationes divinae computari debeant inter praedicamentales, an inter transcendentales, respondendum videtur cum SUÁREZ²⁶ proprie loquendo in neutro genere eas collocari debere, sed esse «relationes altioris ordinis eminenter complemententes quidquid perfectionis est in respectu transcendentali et praedicamentali, sublati imperfectionibus».

a) In primis relationes divinae nullo modo sunt accidentales, ut patet, ac propterea non possunt dici *simpliciter praedicamentales*; identificantur namque cum substantia divina (q.28 a.2) et praeterea substantialiter et formaliter praedicantur de suis subiectis, de personis sc. quae referunt. Ideo quoad hoc, cum sint *subsistentes*, potius assimilantur relationibus *transcendentalibus*, atque spectata earum quidditate vocari possunt *quasi-transcendentales*.

²³ SUÁREZ, l.3 c.10 n.7-11. Quomodo nihilominus non multiplicentur in divinis attributa proprie dicta satis patet, quia sunt absoluta; v. SUÁREZ, l.3 c.11.12.

²⁴ V. diversas sententias apud MUNCUNILL, 1090.

²⁵ Cf. SUÁREZ, *Metaphys.* d.47 s.3 n.10-13 et s.4; ENCICLOPEDIA ESPAÑA, *Relación* t.50,447.

²⁶ *L.c.*, s.4 n.21.

b) Aliunde *differunt a relationibus transcendentalibus* creaturarum in quantum non dicuntur «secundum substantiam», ut dicit S.AUGUSTINUS, seu non praedicantur de essentia divina, nec de personis dicuntur secundum praedicata essentialia; quare *non transcendent* totam entitatem subiecti.

c) Imo cum sint relationes originis inter producens et productum, assimilantur relationibus praedicamentibus fundatis in actione et passione, ac quoad modum praedicandi possunt dici *quasi-praedicamentales*. Ab ipsis vero maxime differunt, quia non referunt subiecta absoluta quae producant et producantur, sed *sunt ipsa subiecta relata*, ut seq. cap. firmabitur.

Proprio igitur nomine vocantur *relationes subsistentes*, quarum exemplum in creatis reperiri nequit. Relatio subsistens, ex dictis, ita vocatur quia a) non est accidentalis, sed identificatur cum substantia; b) non praedicatur de substantia divina; c) non habet subiectum absolutum de quo praedicetur, sed ipsa relatio *ut ad* refertur ad aliam, seu est *esse ad subsistens*.

N.B. Ad plenam tractationem de relationibus divinis restat agere de earum *ratione fundandi*. Id autem commodius c.4 disseretur.

504. Obiectiones contra doctrinam traditam in expositione fere praecipuae sunt. Aliunde vero in re difficili retorqueri possunt in adversam theoriam; nam ita firmanda est simplicitas divina et consubstantialitas trium personarum, ut logice maneat earum realitas ac distinctio realis. Aliquas proponimus:

1. S.THOMAS adversatur expositae theoriae. Nam tum q.28 a.1 et 2, tum maxime *De pot.* q.2 a.5 negare videtur *esse ad* relationis dicere realitatem. «Nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit *aliquid*, sed quod sit *ad aliquid*»; atque hoc modo saepe difficultates solvit. Dicit praeterea relationem non addere *ens*, sed *rationem*.

Nego assert., ut patet ex locis adductis in textu. Quod autem intendit S.Doctor his et aliis similibus locutionibus est, ex una parte asserere relationem ut talem non importare aut addere subiecto *novam perfectionem simpliciter et absolutam*, sed nullo modo negare respectum esse realem in relatione reali, ut vidimus; ex altera vero parte firmare *possibilitatem relationis* vere talis et simul *subsistentis*, quia relatio ex sua proprietate vere potest esse talis quin sit *proprie et physice inhaerens*, ut sunt alia genera praedicamentorum accidentis; ideoque eius entitas potest esse substantialis et reperiri in Deo secundum propriam rationem, quod in aliis non accidit. «Addere rationem» S.THOMAE non significat addere *ens rationis*, seu aliquid quod non dicat formaliter realitatem, sed addere *praedicatum reale non realiter distinctum a ceteris*, ut patet exemplo ab illo adducto de bonitate divina²⁷.

2. Secundum explicationem traditam, in singulis personis ponitur perfectio quae non est in aliis, ac de singulis negatur perfectio aliarum. Ergo perit consubstantialitas et infinitas personarum.

Nego antec. proprie loquendo, nam negatio perfectionis in aliquo implicat *nullo pacto* in illo contineri, sicut qui negaret de Deo perfectiones mixtas; iam perfectiones relativae aliae in aliis continentur modis dictis. Ideo claritatis gratia, *dist. antec.* Perfectiones relativae non continentur in aliis ullo modo, *nego antec.*; nam continentur quasi-eminenter, *exigitive* et *quasi-formaliter*; non continentur aliae in aliis formaliter constitutive, *conc. antec.*; sed non sunt perfectiones absolutae, quae rem meliorem faciant, sed tantum relativae; quod si ratio entis *analogae* est, cur non admitti potest analog-

²⁷ Expositionem locutionis S.THOMAE v. apud IOANNEM A S.THOMA, d.13 a.3 n.8-15; RUIZ, d.9 s.7; CASAJOANA, 148. Ceterum ipse S.Doctor haec habet: «Relatio secundum propriam rationem ponit aliquid in eo cuius est relatio, quamvis illud quod ponit non sit absolutum» (I d.25 q.1 a.4); «Sunt plures res subsistentes si considerentur relationes; est autem una res subsistens si consideretur essentia» (4 CG c.4 ad 5; I q.39 a.3 ad 3).

gia in conceptu perfectionis inter perfectionem absolutam et relativam? Ac *nego cons.*, nam consubstantialitas, ut ipsum nomen indicat, non exigit nisi identitatem in perfectionibus absolutis constituentibus divinam substantiam; infinitas vero personarum postulat certe ut habeant formaliter constitutive omnes perfectiones absolutas, relativas modo sibi accommodo, qui modus habetur *ex exigentia ipsius infinitatis*.

505. 3. Perfectio *simplex non simpliciter* admitti nequit. Nam omnis perfectio pura melior est ipsa quam non ipsa. «Ens enim et bonum convertuntur; bonum autem ex sua ratione melius est ipsum quam non ipsum. Ergo si contingat aliquam perfectionem non esse meliorem quam non ipsam, hoc non potest esse nisi ex ratione defectus qui ei admiscetur»²⁸.

Nego assert. Probationem dist. Omnis perfectio pura melior est quam non ipsa, si per non ipsam intelligitur *defectus*, vel mera et absoluta negatio illius, *conc.*; si per non ipsam intelligitur *alia perfectio*, non absoluta sed *relativa*, prorsus aequivalens et impossibilis cum illa ob oppositionem relativam, *nego*. Ad rationem additam, *conc. mai.*, *dist. min.* Bonum absolute melius est quam non ipsum, *conc. min.*; bonum mere relativum in divinis melius est quam non ipsum modo explicato, *nego min.* et *nego cons.*

4. Sententia impugnata non aliud facit, nisi dearticulat in distinctione reali personarum conceptus distinctionis et realitatis, qui distincti sunt, ac tribuit unicuique quod tribuendum est, distinctioni numerum, realitati unitatem. Ergo non est cur reiciatur.

Dist. antec. Sententia opposita dearticulat hos conceptus modo rei congruo, *nego antec.*; modo qui repugnare videtur, *conc. antec.* Nam haec theoria opponitur, ut innumis, *transcendentiae entis*, quam sine dubio tenent eius auctores in Metaphysica. Nequit ergo admitti *perfecta praecisio* inter utrumque conceptum; sed conceptus realitatis imbibitur, saltem implicite, in conceptu distinctionis, si haec est realis. Et quidem satis evidens est distinctionem dici non posse realem, nisi *realis sit nota vel titulus distinctionis*. Cum ergo dicunt hi auctores: «relativa ut talia non eo opponuntur quo realia sunt, tametsi opponantur quae realia sunt»²⁹, pugnancia loqui videntur, nam si *qua* realia unum sunt, iam non est locus dicendi opponi (sc. distinguere realiter) *quae* realia sunt. Similiter «si non opposita sistantur *quo* realia sunt»³⁰, realiter non opponuntur.

CAPUT IV

De divinis personis

506. «Praemissis his quae de processionibus et relationibus praecognoscenda videbantur, necessarium est agere de personis», dicit S. THOMAS (proem. q.29). Non enim poterat tractatio theologica de divinis personis institui, nisi illis praeciatis, cum tota distinctio in divinis in illis fundari debeat. Et quidem, cum omnia fere quae de singulis personis agi vide-

²⁸ BILLOT, l.c., th.6 ad 2 p.397.

²⁹ Ibid. p.391.

³⁰ Ibid. p.426.

bantur, in capite de processionibus tacta sint, non restant nisi quae de personis in universum agunt, ac de conferendis inter se notionibus originis, relationis et personae in divinis, quo priora complebuntur. His addentur quae ad duas priores personas in communi pertinent prout sunt principium Spiritus Sancti.

Haec quinque articulis disponentur: in primo notionem personae in divinis expendemus; altero praecipuam quaestionem de constitutivo personarum divinarum agemus; tertio confere-mus inter se origines, relationes et personas; in quarto notionem Spiratoris ac relationis spirationis activae complebimus; in quinto tandem circumincessionem personarum divinarum breviter declarabimus.

ARTICULUS I

CONCEPTUS PERSONAE IN DIVINIS

Ad dogmaticam de mysterio Trinitatis expositionem pertinet, ut primis capitibus vidimus, nomen et conceptus *personae*, et qui in ente intellectuali synonymi sunt, *hypostasis* et *suppositi*; his enim in dogmaticis fidei documentis tres in divinis distincti, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, designantur. Quo sine dubio intelligere nos vult Ecclesia secundum nostrum personae conceptum, analogico utique modo, de iis cogitandum esse.

507. **Notio personae**¹. I. Generalior notio PERSONAE est *suppositum naturae intellectualis*; suppositum vero est *subiectum ultimum praedicationis et attributionis*, ultimo simpliciter existens, utpote omnino terminatum et quasi sui iuris in natura illa. Persona dicitur ad dignitatem pertinere, in quantum est suppositum naturae rationalis (q.29 a.2 ad 1; a.3 ad 2), atque etiam ex hoc est speciali ratione individuum, quia habet dominium sui actus (q.29 a.1).

2. **Definitio BOETII**², ab scholasticis communiter accep-

¹ S.TH., I d.23 q.1 a.3; *De pot.* q.9 a.4; I q.29 a.1; SUÁREZ, I.1 c.1; RUIZ, d.32; VÁZQUEZ, d.123; IOANNES A S.THOMA, d.14 a.1; SALMANTICENSIS, d.9 dub.1; G.NOTTENBAUM, *De personae vel hypostasis notione apud Patres theologosque* (Susati 1852); C.BRAUN, *Der Begriff Person in seiner Anwendung auf die Lehre der Trinität und Inkarnation* (Mainz 1876); F.STENTRUP, *Zum Begriff der Hypostase*: ZkathTh I (1887); SCHEEBEN, *Dogmatik* § 114; *Die Mystereien* § 12 (ed. hisp. 73-79); KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* 1,314-320; DE RÉGONN, 1,67-245; J.TIXERONT, *Mélanges de Patrologie et d'histoire des dogmes* (Paris 1921) 210-217; A.MICHEL, *L'évolution du concept de personne dans les rapports de la philosophie chrétienne avec la théologie*: RevPhil (1919) 350-383,487-515; *Hypostase*: DTC 7,369-429; GALTIER, 296-300; J.RABENECK, o.c., 23-28,117-134.

² *De persona et duabus naturis* c.3: ML 64,1343. Expositiones scholasticorum v. l.c. et S.TH., I d.25 q.1; *De pot.* q.9 a.2; cf. SCHMAUS, *Der Liber propugnatorius...* 375-385; V.SCHURR,

ta et applicata divinis personis, est: *persona est rationalis naturae individua substantia*. In hac definitione, prout a Doctoribus exponitur, *rationalis naturae* idem valet ac intellectualis. Nomine *substantia* excluduntur a ratione personae, sive hypostasis et suppositi, *accidentia*, quae de substantia praedicantur in concreto, ut quid in illa existens et in illius bonum. Particula *individua substantia*, quae potiore declaratione indiget, significatur in primis suppositum esse *individuum substantiale* nempe substantiam primam et singularem, in oppositione ad substantiam secundam et universalem, quae non simpliciter subsistit aut existit in se, ut talis, sed tantum in individuis de quibus praedicatur per identitatem, ita ut multiplicetur, et in illis veluti dividatur; praeterea excluduntur a ratione suppositi et personae *partes ipsae substantiales*, essentiales et integrales, quae per sui compositionem individuum efformant, nec sunt ipsum individuum, ideoque non praedicantur de illo nisi in habente illas. Ergo suppositum et persona est *individuum plenissimo et strictissimo sensu*, quid completum et sui iuris existens in ordine metaphysico (q.29 a.1). Atque in ordine naturali his simpliciter habemus personam.

Verum si existere potest aliqua *natura* in se *completa*, quae tamen ut talis uniatur *quasi pars* alteri supposito ad efformandum cum illo totum substantiale maioris perfectionis; aut adest quaedam *natura*, completa quidem et singularis et non multiplicata in individuis, sed aliunde ob infinitam eius perfectionem *identificata cum pluribus* re distinctis, quibus communicatur, patet has naturas non posse dici personam et suppositum. In primo casu, quia ob assumptionem amittit *totalitatem* in se, ut manus hominis separata esset suppositum, non autem unita; in altero, quia talis *natura* est vere *communis* subiectis et de illis praedicatur per identitatem, quodammodo sicut *natura* praedicatur de individuis; quare potius illi quibus *natura* communicatur sunt personae et supposita. Igitur in definitione Boetii *persona* non est *individuum* quodlibet *singulare*, sed *id quod non communicatur alteri, neque ut accidens, neque per modum partis aut quasi partis, neque ut substantia universalis, aut communis etsi sine multiplicatione*.

508. 3. S. THOMAS³ multis modis exponit diversos aspectus sub quibus potest considerari ratio personae et suppositi

Die Trinitätslehre des Boethius im Lichte der skytischen Controversen (Paderborn 1935); M.NÉDANCHELLE, *Les variations de Boèce sur la personne*: RevScRel 29 (1955) 201-238.

³ V. DALMAU, *De ratione suppositi et personae secundum S. Thomam* (Barcinone 1923); A. KREMPEL, *Des hl. Thomas Natur- u. Personsbegriff in Zusammenhang mit der Dreifaltigkeits- u. Menschewedunguerständnis*: MünchThZeis chr. 10 (1959) 114-122; E. BAILLEUX, *Le personnalisme de S. Thomas en théologie trinitaire*: RevThom 61 (1961) 25-47.

ti. Ex his potest sumi ut optima definitio personae, praesertim in theologia trinitaria, *persona est subsistens distinctum incommunicabile in natura rationali*⁴, sc. id quod est distinctum realiter ab aliis eiusdem naturae spiritualis; plene subsistens ac per se existens, in quantum omnem inhaerentiam et rationem partis aut quasi partis excludit; tandem plene incommunicabile, tam per modum quasi partis, quam per modum identitatis realis cum alio eiusdem naturae.

4. RICHARDUS a S. VICTORE substituere voluit in divinis boetianae personae definitioni hanc aliam: *divinae naturae incommunicabilis existentia*⁵, quam refert etiam S. THOMAS (q.29 a.3 ad 4), quin eam nec refellat, nec commendet. Quidquid est de mente Richardi, scholastici eam ut ceteris aequivalentem aestimare solent.

Quae hodie multa traduntur de persona ac personalitate a philosophis et psychologis vix usum habent in theologia trinitaria, eo quod res valde diversas agunt. Saepe *persona* contra ponitur *naturae* ut ens rationale ac liberum entibus ratione carentibus⁶. Saepe nomine *personalitatis psychologicae* designatur *character* proprius cuiusque individui humani cum omnibus suis affectionibus. Nobis autem quaestio est de conceptu personae ut distinguitur a natura rationali singulari ac completa in ordine naturae⁷.

Conceptus gūntherianus de persona «ens sibi conscius», si formaliter sumitur, exitialis est Theologiae; si enim formalis ratio personalitatis in conscientia reponitur, duae essent in Christo personae, una tantum in divinis, quod postremum expresse satis asseruit GÜNTHER, dum tenuit «tres personas divinas nihil aliud esse nisi tria elementa unius absolutae personalitatis divinae»⁸.

509. RATIO PERSONAE CONVENIT DEO. Patet esse *de fide* ex mysterio Sanctissimae Trinitatis. Etiam ratione naturali evidens est (q.29 a.3), licet maxima analogia absit in hac ratione prout de divinis et de creatis dicitur (cf. sqq.). Ideo etsi ratio non potest vestigare modum quo revera Deo competat ratio personae, tamen vere asserere debet Deo non deesse (cf. n.136). Nam, si divina *natura* non communicaretur tribus subiectis per identitatem, illa esset strictissimo sensu *persona*; cum vero ita sit de facto communicata, ratio novit naturam divinam exigere tria illa subiecta sibi identificata esse, illisque, non naturae, competere rationem personae, ex notione data⁹.

⁴ De pot. q.9 a.4 ait personam divinam esse «subsistens distinctum in natura divina... incommunicabile».

⁵ De Trinitate l.3 c.18 et 23: ML 196-941.946; v. VÁZQUEZ, in q.29 a.1; RUIZ, d.32 s.3; DE RÉGNON, 2.244-250; A.ÉTHIER, *Le de Trinitate de Richard de S. Victor* (Paris 1939); L. GUERARD DES LAURIERS, *Echec ou réussite d'un effort théologique*: VieSpir 43 (1960) 302-325.

⁶ SCHMAUS, *Dogmatik* 1,263-273.
⁷ F. PALMÉS, *La personalidad-carácter* (San Cugat, Barcelona 1949); PENIDO, *La rôle de l'analogie...* 323-345.

⁸ *Vorschule* 2,537; cf. KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* 3,60-103; MICHEL, *Hypostase*: DTC 7,360-429.

⁹ J. ÜLMANN, *Die Persönlichkeit Gottes und ihre modernen Gegner* (Freiburg 1906); A. ZACCHI, *Dio* (Roma 1925); P. DESCOQS, *Individu et personne*: ArchPhil 1 (1938) 253-268; SCHMAUS, *Dogmatik* I,273-280.

Cum nomen persona dicatur de tribus in divinis, patet illis esse quodammodo *commune*. Qua communitate illis competat, declarat S. THOMAS (q.30 a.4); non sc. communitate *rei* sicut essentia est illis communis, «quia sic sequeretur esse unam personam trium, sicut essentia est una», sed «communitate *rationis*; non sicut genus aut species, sed sicut individuum vagum», quod «significat naturam communem cum determinato modo existendi, qui competit singularibus... ad significandum rem subsistentem in tali natura». Singularitas tamen diversa est in singulis personis, quia est relatio diversa.

ARTICULUS II

DE CONSTITUTIVO PERSONAE IN DIVINIS

Thesis 45. Personae divinae constituuntur formaliter relationibus, et quidem secundum esse ad.

S.TH., q.29 a.4; q.40 a.2; SUÁREZ, I.7; RUIZ DE MONTOYA, disp.86-91; FRANZELIN, th.23. 24; MUNCUNILL, 1161-1184; PESCH, 597-604; GALTIER, 296-310.

510. Nexus. Ut iam diximus, haec est praecipua quaestio quae de personis divinis in universum attingi debet, ad pleniorum aliquam explicationem de modo quo ratio personae in divinis verificatur.

Praenotandum de divinis proprietatibus. Praesupponere debemus admittendas esse in divinis *proprietates personales*, quae uni tantum personae conveniant, eamque ab aliis distinguunt, quaeque significantur tam per vocem *abstractam* proprietatis, quam per vocem *concretam* personae; nam ad utrumque habetur fundamentum, non solum in nostro modo concipiendi, sed etiam in ipsa re, cum sint tres personae subsistentes in una natura divina, ac proinde aliquid sit in illis revera commune tribus, aliquid vero proprium uniuscuiusque, in quo distinguantur. Ita omnes theologi, contra antiquatam opinionem PRAEPOSITINI¹ (q.32 a.2; q.40 a.1).

In fontibus saepe de proprietatibus divinarum personarum sermo est. *Lateranense IV* ait Trinitatem secundum proprietates personales esse discretam (D 428). In *Praefatione de Trinitate* dicitur «in personis proprietates... adoretur». SANCTI PATRES, praesertim graeci, duce S.BASILIO, maxime insistent in distinctione inter commune et proprium ad explicandum

¹ *Summa Theologica* fol.18; cf. SCHMAUS, *Der Liber propugnatorius...* 388-389. PRAEPOSITINUM omnes fere theologi medii aevi, ac postea omnes, refutant.

mysterium Sanctissimae Trinitatis, et quidem frequentius sub nomine proprietatis quam sub nomine relationis, etsi expresse asserant proprietates esse relativas, ut vidimus. Ita S.BASILIIUS: «Illius secundum hypostasim proprietates... (ιδίωμα)» (R 915). «Si enim non consideremus definitas uniuscuiusque proprietates... fieri non potest ut sana fidei ratio reddatur» (R 926), atque praeclaro modo id persequitur alias (R 939), et cum eo S.GREGORIUS NAZIANCENUS (R 983 1009) etc., et ex latinis S.HILARIUS (R 896), S.AUGUSTINUS (R 1670), S.LEO MAGNUS (R 2212). Etiam S.THOMAS saepe relationes vocat proprietates.

511. Notiones et status quaestionis. Quaestio de constitutivo formali alicuius rei triplici modo poni potest. a) Quaeri potest quid realitatis opus sit ut aliqua notio dici possit esse realis; hoc sensu in Philosophia quaeritur de constitutivo relationis praedicamentalis; b) vel quibus praedicatis essentialibus constet aliquid; c) tandem quodnam sit praedicatum quasi differentiale, ideoque praecipuo sensu formale, alicuius rei aut notionis.

Secundo et tertio modo quaestio ponitur de constitutivo divinae personae. Secundo modo intellecta quaestione, ex dictis de proprietatibus personalibus, iure concipimus «personas constare divina substantia et proprietate», ut dixit IOANNES DE MONTENIGRO, theologus latinorum in *Concilio Florentino*², quae quidem constitutio, quatenus significatur per modum quasi compositionis, est mere opus rationis; quantum vero ad rem significatam vere habetur in re ipsa, etsi simplicissima; seu vere sunt in divinis personis, et essentia communis, et proprietates per quas in formali ratione personae distinguuntur et constituuntur³.

Tertio autem modo quaestio intelligitur in thesi. Posito enim essentiam divinam esse personis communem, quaeritur quid sit illud quod in divinis *ultimo verificat rationem personae* seu quod est idem, *quid significet formaliter strictiore sensu persona divina*. Cum autem persona sit *subsistens incommunicabiliter* in aliqua natura intellectuali, constitutivum formale personae divinae est id quod formaliter verificat rationem incommunicabiliter subsistendi, *oppositam communicationi divinae naturae*, seu id per quod singulae personae, formalissime *ut talia subiecta subsistentia*, repugnant identificari cum aliis.

² CONCILIIUM FLORENTINUM, 2 et 5 mart. 1439: MSI 31,767-1584; G.HOFFMANN, *Acta latina Conc. Florent.*: Conc. Flor. Doc. Scripta, 6,142.154; I.GILL, *Quae supersunt Acta graeco-conc. Florent.*: ibid. 5,266.294 (Roma 1955, 1953).

³ SUÁREZ, I.7 c.3 contra dubitationes GREGORII ARMINIENSIS, ADAMI WODHAM, ROBERTI HOLKOT et aliorum; cf. SCHMAUS, *l.c.*, 550-551 in notis.

512. Ubi apprime notandum est diversum esse formale constitutum personae divinae et personae creatae, quia diversa est *communicabilitas* quam retinet *natura* singularis et completa in creatis et in divinis. In creatis namque *natura* singularis retinet *communicabilitatem assumpti* vel *assumptibilis*, quae tolli debet (sive per aliquid positivum, sive per negationem), ut habeatur formaliter suppositum⁴. In divinis autem *communicabilitas naturae* est *communicabilitas identitatis cum pluribus realiter distinctis*; ut ergo habeatur suppositum seu persona in divinis opus est intelligere praedicatum positivum, quod non sit contentum formaliter constitutive in natura. Quare in divinis omnia quae ad complementum, totalitatem, independentiam et *perseverantiam subsistendi* pertinent in notione suppositi, habentur in ipsa essentia divina formaliter ut tali, et quidem infinite perfectius quam in suppositis creatis. Quia tamen communicatur per identitatem sine multiplicatione, non est suppositum; quod non importat in illa imperfectionem ullam, sed *pertinet ad infinitam eius perfectionem*, sicut e contra *imperfectio* importat *communicabilitas naturae* completae alii supposito in creatis⁵.

513. Dicimus ergo constitutum formale personae in divinis esse *relationem*, seu praedicatum formaliter relativum; nec posse esse quid formaliter absolutum; et quidem *relationem* secundum *esse ad*, quod est propria nota relationis, non secundum *esse in* praecisive sumptum, quod in divinis est absolutum et unicum. Sed animadverti debet ideo *relationem* secundum *esse ad* esse constitutum divinae personae, quia *impraescindibiliter* includit *esse in* proprium divinae relationis, unde relatio habet *subsistentiam*. Cum enim ultima formalitas suppositi sit ratio *incommunicabiliter subsistendi*, utrumque praedicatum pertinet ad eius formale constitutum, seu constitutum personae divinae est relatio subsistens, ut *relatio et ut subsistens*⁶. Ideo cum dicitur personas constitui relatione secundum *esse ad*, non secundum *esse in*, negatur secundum *esse in* praecisive conceptum, sed non excludimus *esse in* ut implicitum in ratione constituti, secundum effatum «dictio exclusiva non tollit concomitantia». Ideo admittimus personas divinas constitui etiam essentia, ut imbibita *impraescindibiliter in esse ad* relationis.

⁴ V. I.SOLANO, *De Verbo Incarnato* in hac *Summa* 3 n.478s.

⁵ Maximi momenti est haec notatio, quae ostendit quam analogice conveniat ratio personae personis divinis et personae creatae; cf. SUÁREZ, *De Incarnatione* d.11 s.3 n.8; infra Scholion, 520-525; DALMAU, *La analogía en el concepto de persona*: *EstEcl* 28 (1954) 195-210.

⁶ Hac formula tradimus quae exprimitur videntur rem ipsam tenendam; cf. *Corollarium* n.517.

Relationes constitutivae trium personarum sunt, ut patet, *paternitas, filiatio et spiratio passiva*. Verum paternitas et filiatio imbibitam habent etiam communem *spirationem activam*, secundum sententiam quam probabilior aestimamus in propria quaestione 7. Ideo paternitas et filiatio constituunt personas Patris et Filii ut sunt *talis* paternitas et *talis* filiatio, secundum quod identificantur *impraescindibiliter* cum spiratione activa, sc. constitutum duarum personarum non solum relative opponit duas personas inter se, sed etiam Spiritui Sancto. Tamen nec essentia, nec spiratio activa dicuntur constitutiva, quia, ut praecisive acceptae, communes sunt.

514. **Sententiae.** IOANNES A RIPA posuit constitutum divinarum personarum in praedicato absoluto⁸. Hanc sententiam verisimilem dixit SCOTUS⁹, propter quod auctores quidam eam illi tribuunt.

Ceteri vero theologi communiter docent thesim propositam quoad priorem partem. Verum sunt aliqui *thomistae*¹⁰, qui alteram negant, aiuntque relationes personas quidem *distinguere* secundum *esse ad*, at eas *constituere* secundum *esse in*.

Tandem est sententia RICHARDI A S.VICTORE¹¹ et S.BONAVENTURAE¹² qui dicunt personas constitui non relationibus, sed *originibus*, quam sententiam articulo sequenti expendemus; ea tamen non omnino contraria thesi videtur, cum origines sint formaliter relativae.

Valor theologicus. Sunt qui sententiam Ioannis de Ripa censura theologica notent; saltem est *improbabilis*¹³, ac nostra *certa* quoad priorem partem, multo *probabilior* quoad secundam partem.

515. **Probatum prima pars.** I. **Ex Conciliis et Patribus** thesim probant quae attulimus in capite III de relationibus, et supra de proprietatibus divinis, ut *Toletanum XI* (D 278 280 281), *Florentinum* (D 703), S.GREGORIUS NAZIANCENUS (R 1008), S.AUGUSTINUS (R 1670 1672), S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2067). Saepius enim affirmant nomina personarum esse *relativa*; nihil *numerari* in divinis nisi *relationes*; esse in divinis *proprietates* personales per quas personae sunt tales, numerantur ac distinguuntur, easque esse *relativas*; tandem necessarium esse intelligere in singulis personis *aliquid sine dubio reale*, quo ternarius numerus explicetur¹⁴.

⁷ V. infra n.535-537.

⁸ In I d.25 et 26; cf. SUÁREZ, l.7 c.5; SCHMAUS, l.c., 551ss in notis, ubi plures IOANNIS impugnatores recenset.

⁹ Sententiam SCOTI non solis textibus editis exponi posse, sed ms. consulendos, ac quanam sit revera eius mens v. apud SCHMAUS, l.c., 482-503, 551-569.

¹⁰ Ita CAPREOLUS, I d.26 concl.4; FERRARIENSIS, in CG 4,26; BANEZ, In I p. q.4 concl.4; BILLOT, th.11 coroll. p.440.

¹¹ *De Trinitate* l.4 c.15: ML 196,939.

¹² In I d.26 q.1.3; cf. infra n.529.

¹³ SUÁREZ, l.7 c.5 n.5. De his sententiis, cf. RUIZ, d.87 s.1; d.88 s.1.

¹⁴ V. plures Patrum assertiones apud RUIZ, d.86 s.2 et 3; d.87 s.2-4.

2. **Ratio theologica.** a) *Negative.* Constitutivum personae divinae nequit esse absolutum. Nam absoluta sunt communia tribus personis et unica in divinis. Atqui constitutivum personarum multiplicari debet; sunt enim tres personae realiter distinctae ut personae. Praeterea ubi in natura aliqua supposita distinguuntur et constituuntur per aliquid absolutum, id habetur ex limitatione tam naturae, quam suppositi.

b) *Positive* principiis stabilitis a S. THOMAS (q.29 a.4; q.40 a.2, 2.^o; a.3), et communiter a theologis admissis. Id est formale constitutivum personae divinae, quod in ea verificat rationem incommunicabiliter subsistendi, oppositam communicationi naturae; seu id per quod persona quaelibet, ut quid ultimo subsistens, repugnat identitati reali cum aliis. Atqui id non est nisi relatio, nam non nisi per relationes distinguere possunt personae divinae. Ideo S. THOMAS (q.40 a.2) dicit «oportet quod ipsa distinguenda constituent res distinctas», quia (ut scribit *De pot.* q.8 a.3) «oportet ponere distinctivum et constitutivum hypostasis in divinis id quod primo invenitur non de pluribus dici, sed uni soli convenire».

516. Probatur secunda pars. Haec non est nisi consecrarium prioris. Nam *esse in* praecise sumptum est praedicatum formaliter absolutum, nempe ipsa essentia divina. Relationes certe constituere non possent personas divinas, si subsistentes non essent; ideoque intelligi nequeunt constituere personas divinas, nisi in quantum identificant secum, etiam formaliter, essentiam divinam, a qua habent ut sint subsistentes. Sed inde non sequitur ultimum et formale constitutivum esse tantum ipsum *esse in*.

Neque admitti potest personas divinas *alio* praedicato formaliter relativo *distingui, alio constitui* formaliter absoluto; nam agitur in nostro casu de *constitutivo distincti ut talis*. Id est contra dicta expressa S. THOMAS in probatione allata. Nec valet paritas de relationibus praedicamentibus in creatis, quae distinguunt et non constituunt; nam, ut dictum est, ea relatio non est *formale distinctivum* relatorum, sed tantum *ratio exigens distinctionem*; relata enim in creatis formaliter et immediate distinguuntur per propria constitutiva absoluta, quod nequit divinis aptari. Id autem coguntur dicere hi auctores ob praecisionem mutuum quam ponunt inter *esse in* et *esse ad* relationis; quae iterum hoc capite reici debet.

517. Corollarium. Plures disputationes fere verbales, ut videtur, institutae sunt, an relatio significetur *formaliter*, an *materialiter* in nomine

personae divinae¹⁵. Simplicior et expeditior solutio est quam tradit S. THOMAS in *Summa* (q.29 a.4). Nempe persona in universum significat formaliter *subsistens distinctum* in natura intellectuali; sed persona divina significat formaliter *relationem subsistentem*. «Aliquid, dicit S. Doctor, est de significatione minus communis quod non est de significatione magis communis... Similiter aliquid est quaerere de significatione huius nominis persona in communi, et aliud quaerere de significatione personae divinae... Persona igitur in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa... Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis... Relatio autem in divinis... est subsistens... Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem». Haec solutio vere pertinet ad conceptum obiectivum rei, estque apta difficultatibus enodandis.

Quaestio vero est mere de modo loquendi si reduplicaciones *ut persona, ut relatio*, attendunt tantum *modum significandi*, vel id ad quod significandum *primo impositum* est nomen, vel conceptum *genericum* personae, vel quatenus distinguunt *conceptus* nostros imperfectos de relatione subsistente; sed ut tales huiusmodi reduplicaciones nihil nobis notificant de re ipsa. Ideo in hac quaestione diversi modi loquendi permitti possunt. Praesertim locutio «persona divina formaliter significat substantiam», si non excludat formaliter relationem vera est, ob inclusam formaliter rationem substantiae divinae in relatione.

Ergo in divinis *personae et relationes formaliter identificantur*, si proprio conceptu attinguntur. Utriusque notionis distinctio est tantum ex modo significandi, cum distinctione rationis imperfecta, secundum quam personas concipimus *ut relatas*, et relationes *afficientes personas*, cum tamen personae non sint nisi relationes, et relationes sint subsistentes (q.40 a.3; v. n.503).

518. Obiectiones. I. S. AUGUSTINUS significare videtur non proprie dici personas divinas esse relationes; imo nec nisi fere aequivoce nomen personae aptari divinis. Ait enim: «Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate parta haec vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores haereticorum?... Cur non haec tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed dicimus tres personas... nisi quia volumus unum aliquid vocabulum servire huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur?»¹⁶.

S. AUGUSTINUS praeclear exposituisse doctrinam theologiam de personis divinis relatis abunde constat. Hoc igitur loco, ubi quasi inquirens et disputans loquitur, ut saepe alias, et quidem vix sopitis quaestionibus de usu vocis hypostasis et personae, tantum exponit novum quid accidisse in consuetudine humanae locutionis, cum vox persona aptata est ad significandum relationem, et quidem novae et ineffabilis cuiusdam rationis, relationem subsistentem (cf. q.29 a.4 et ad 1).

2. S. THOMAS ait: «Relationes in divinis, etsi constituent hypostases et sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt in quantum sunt essentia

¹⁵ S. TH., *De pot.* q.9 a.4 aliter loquitur ac in *Summa*. Inde diversi dicendi modi plurium thomistarum. Diversas antiquorum sententias v. apud SCHMAUS, l.c., 396-442. Cf. SUÁREZ, l.7 c.3-8; RUIZ, d.32 s.7-8; d.87 s.4; FRANZELIN, th.23; PESCH, 603; ALASTRUEY, 268-274; VANIER, o.c.; A. MALET, *La synthèse de la personne et de la nature dans la Théologie Trinitaire Thomiste*: RevThom 54 (1954) 483-522, 55 (1955) 43-84; L. BRIGTH, *Saint Thomas on the Trinity*: DomStud 7 (1954) 48-58.

¹⁶ *De Trinitate* l.7 n.9-11: ML 42,941-948. Cf. PETAVIUS, l.4 c.12; SCHMAUS, *Die psychologische Trinitätslehre des hl. Augustinus* (Münster 1927) 144-150; R. BOIGELOT, *Le mot «personnes» dans les écrits trinitaires de saint Augustin*: NouvRevTh 57 (1930) 5-16. Quam sine fundamento haec Augustini dicta appellaverit GÜNTHER pro sua sententia, v. apud KLEUTGEN, o.c., 1,363-379; PESCH, 606.607.

divina; relatio enim in quantum est relatio non habet quod subsistat aut subsistere faciat; hoc enim solius substantiae est» (*De pot.* q.8 a.3 ad 7). Ergo non admittit relationes constituere personas secundum esse ad.

Sensus S. THOMAE, ut ipse declaravit, est relationem secundum *significandi modum praedicati relativi* non posse constituere personam, sed ut subsistens est et significari proinde potest *per modum substantiae* et subsistentis: «Persona igitur significat relationem ut subsistentem, et hoc est significare relationem per modum substantiae» (q.29 a.4; v. n.517).

519. 3. Persona, ut dicit S. AUGUSTINUS, dicitur *ad se*, non *ad aliud*; qui etiam ait omne relativum prius esse aliquid *ad se* quam *ad aliud* 17. Ergo persona nequit constitui relatione.

Dist. antec. quoad primam partem. Persona in universum et persona creata, *conc. antec.*; persona divina, *subdist.*: persona divina dicitur ad se secundum aliquid sui imbibitum in ipso conceptu relationis, *conc.*; secundum ultimum constitutivum modo declarato, *nego*. Eodem modo distingui potest secunda pars; aut etiam, relatum relatione pure praedicamentali prius dicitur ad se quam ad aliud, *conc.*; relatum relatione transcendentali aut quasi-transcendentali, *nego*, ut patet in relatione abalietatis, quae intime transcendit rationem entis creati.

4. Persona, ut maxime unum per se existens, nequit ex praedicatis duplicis generis constitui, absoluto et relativo. Ergo formaliter nequit constitui relatione.

Negato supposito, divina esse in praedicamento, *dist. antec.* Nequit unum per se constitui ex absoluto et relativo pure praedicamentali, *conc. antec.*; ex praedicato absoluto et relativo transcendentali aut subsistente, *nego antec.*, etiam in creatis, ubi omnia ex utroque praedicato consistunt.

5. Persona est complementum naturae. Ergo nequit relativo constitui. *Dist. antec.* Persona creata, *trans. vel conc. antec.*; persona in divinis, *nego antec.* V. Scholion.

6. Relatio praesupponit subiectum iam constitutum et terminatur ad absolutum. Ergo nequit constituere suppositum.

Resp. ut alias: *dist. antec.* Relatio praedicamentalis, *conc. antec.*; relatio transcendentalis aut subsistens, *nego antec.* (q.40 a.2 ad 4). Praeterea omnis relatio mutua terminatur ad correlativum.

7. «Non est motus per se *ad aliquid*», ut dicit Aristoteles. Ergo personae divinae procedentes non possunt constitui relatione.

Negato supposito in divinis esse motum, *dist. antec.* Non est motus ad relationem praedicamentalem, *conc. antec.*; ad transcendentem aut subsistentem, *nego antec.*

520. Scholion. DE SUBSISTENTIA IN DIVINIS.

Plura disceptata sunt et adhuc disputantur inter theologos de subsistentia in divinis, quae licet partim saltem de usu et significato huius vocis videri possint, tamen ad rem ipsam et intimiorem divinae personae rationem perscrutandam conferunt. Breviter ergo attingemus quae utiliora existimamus.

Tres in universum sententiae de subsistentia in divinis afferri possunt. DURANDUS, CAPREOLUS¹⁸ et alii *thomistae* antiquiores, quibus recenter conivert BILLOT¹⁹, unam subsistentiam in divinis agnoscunt, sicut unam substantiam, quae tribus personis communicetur per identitatem. Alii e contra

¹⁷ *De Trinitate* l.7 c.6 n.11; c.1 n.2: ML 42,943-935.

¹⁸ DURANDUS, *In* 1 d.23 q.2; d.23 q.1; CAPREOLUS, *In* 1 d.26 q.1 a.1; *In* 3 d.1 q.1.

¹⁹ Th.11 coroll. p.429.

ut TOLEDO, VÁZQUEZ, RUIZ DE MONTOYA²⁰, et theologii plures S.I. praesertim recentiores, ut MUNCUNILL, PESCH, GALTIER²¹, negant dari in Deo subsistentiam absolutam, sed tantum tres subsistentias relativas, quas cum personalitatibus prorsus identificant. Tandem CAIETANUS cum pluribus *thomistis*²², et SUÁREZ²³ cum aliis theologis S.I. ut CASAJOANA²⁴, utrumque admittunt, dari nempe tres subsistentias relativas ac praeterea unam subsistentiam absolutam, quae tamen nequit proprie dici quarta subsistentia, cum diversae sit rationis, neque absoluta cum relativis connumerentur. Hanc postremam sententiam *probabilior*em ducimus.

521. 1. *De usu vocis «subsistentiae»*. Cum quaestio sit de voce latina *subsistentiae*, ad rem conferre non videntur quae a quibusdam theologis²⁵ ex Patribus graecis afferuntur; etsi verum est hanc vocem a graeco ὑπόστασις derivatam esse (de qua plures quoque acresque fuerunt contentiones, ut notum est), quae in latino theologico sermone eodem graeco verbo *hypostasis* servata est. Vox autem *subsistentia* conficta est ad transferendum graecum ὑπόστασις aliter ac per verbum *substantiae*²⁶. Cum enim latinus sermo semper *substantiam* pro natura vel absoluto, et quidem in concreto, adhibuerit, ubi graecum illud pro personis in lingua theologica admissum est, quaesita est ratio loquendi quae notionem personae exprimeret, et inventum est nomen *subsistentiae*. Hoc sensu *concreto* pro ipsis personis usurpatur in *Lateranensi* sub Martino I (D 254)²⁷.

Verum iam eodem fere tempore vox *subsistentia* sensu *abstracto* adhibetur a BOETIO²⁸ pro praedicatis essentialibus rerum, quem morem postea saec.XII GILBERTUS PORRETANUS²⁹ et alii retinuerunt. A saec.XVI vox *subsistentia* intellecta est a theologis ut *abstractum subsistentis*, seu pro ratione formali quae subsistens tale est. Cum autem subsistens praecipue et maxime sit *suppositum*, inde factum est ut *subsistentia* pro *suppositivitate* vel *personalitate* maxime adhibeatur. Verum non desunt qui, ut notavimus, intelligant etiam voce *subsistentiae abstractum subsistentis in universum*, quod non est solum suppositum, ut anima humana, et Deus ut unus est, qui a S. THOMA dicitur saepe «esse per se subsistens», ut notum est³⁰.

Usus ergo *theologicus* vocis *subsistentiae* nullo iure coarctari dici potest ad *suppositivatem* vel *personalitatem* designandam, cum revera varius fuerit et sit inter theologos melioris notae³¹.

522. 2. *Notio subsistentiae*. Subsistentia in abstracto est ratio formalis et ultima subsistentis. Subsistentia autem rationi substantiae addit *totalitatem*, *completionem* ac *independentiam ontologicam*, quam non habent sub-

²⁰ TOLEDO, *In* 1 p. q.39 a.4; q.unic.; VÁZQUEZ, d.125; RUIZ, d.34; WIRCEBURGENSES, n.387, etc.

²¹ MUNCUNILL, 1146-1160; FRANZELIN, th.24; GALTIER, 313-327; PESCH, 609-613; DE RÉGNON, 1,319-327. In hanc sententiam inclinat ALASTREUY, 306-310.

²² CAIETANUS, *In* 3 p. q.3 a.2; IOANNES A S. THOMA, d.14 a.2; SALMANTICENSES, d.9 dub.1; BILLUART, d.4 a.4.

²³ *De Incarnatione* d.11 a.3.4; *De Trinitate* l.3 c.4; l.4 c.11-14. Cum eo sentiunt MOLINA, *In* 1 p. q.29 a.4; BECANUS, *De Trinitate* c.5; GRANADO, *In* 1 p. t.3 tr.4 d.5 et alii.

²⁴ *De Deo trino* 129-147.

²⁵ RUIZ, l.c., s.3-5, etc.

²⁶ Primum dicitur adhibita a RUFINO, *Hist. eccl.* l.1 c.29: ML 21,479; cf. DE RÉGNON, I, 223-226.

²⁷ Etiam in translatione latina anathematismi 2 S. CYRILLI (D 114), in epist. S. AGATHONIS (D 288). Hunc modum loquendi concrete de subsistentia retinet adhuc PETRUS LOMBARDUS, I d.23; cf. PETAVIUS, l.4 c.3 n.6; DE RÉGNON, 232-244.

²⁸ *De persona et duabus naturis* c.3: ML 64,1344.

²⁹ In commentario in BOETIUM: ML 64,1375ss; refertur quoque OTTHO FRISINGENSIS a PETAVIO, l.c.

³⁰ I d.26 q.1 a.1 ad 4 ait S. THOMAS subsistentiam praedicari singulariter, quamvis apud graecos pluraliter dicitur (sc. voce *hypostasis*); cf. q.29 a.4 q.30 a.1 ad 2.

³¹ Ideo censura TOLETI in CAIETANUM, l.c., prorsus arbitraria dici debet.

stantiae incompletae, partes substantiales, neque ipsa *natura completa creata* in quantum *communicabilis* est, ideoque non pleno iure in ordine metaphysico. Quare substantia vero sensu potest dici complementum naturae ad existendum. Iam vero ratio substantiae in creatis non plene locum habet nisi in *suppositis*, iisque tribuit hanc denominationem. Inde factum esse videtur ut substantia maxime pro suppositalitate numeretur.

Verum omnes istae perfectiones propriae substantiae creatae adsunt in essentia divina formaliter ut tali, seu in Deo *ut unus est*, qui est etiam simpliciter *principium quod* et ultimum subiectum attributionis omnium quae de Deo dicuntur, iis exceptis quae in processibus *ad intra* fundantur. Haec autem ratio dicitur *subsistentia absoluta*. Sed quoniam natura divina, seu Deus ut unus, utcumque *plenissime completa in ratione entis*, communicatur tribus personis relativis, manifestum est hanc *subsistentiam absolutam non esse in divinis personalitatem*.

Aliunde tamen ratio *personalitatis*, etiam in divinis, est formalissime ratio *incommunicabiliter subsistendi*, modo peculiari. Nam ipsa incommunicabilitas oppositionis relativae affert divinis personis rationem subsistendi *ut ultimum subiectum praedicationis ad intra*, quam non habet essentia divina quae dicitur esse in *personis*. Iure igitur ratio subsistendi dicitur pertinere singulari quodam modo personalitatibus divinis, quae ut tales sunt *subsistentiae relativae*. Hae tamen non possunt proprie dici, ut patet, *complementum naturae divinae*.

523. 3. *Admitti debent in divinis tres subsistentiae relativae*. Patet ex declaratis, cum sint tres personae divinae constitutae formaliter relationibus, quae illis conferunt incommunicabilitatem subsistendi, oppositam communicabilitati naturae divinae.

Neque obstat, quae est ratio DURANDI et CAPREOLI, quod subsistentiam habeant relationes veluti mutuatae a substantia divina, ideoque non videatur multiplicanda ratio substantiae, sicut non multiplicatur ratio substantiae. Nam, ex nuper dictis, relationes afferunt personis *peculiarem rationem subsistendi incommunicabiliter* ut ultimum subiectum *ad intra*, quam non dicit subsistentia divinae naturae.

524. 4. *Admitti debet etiam in divinis subsistentia absoluta*. Hoc de re ipsa concedunt etiam aliqui ex theologis qui hunc modum loquendi renuunt admittere³². Id autem facile probatur. Nam evidens est naturam divinam, seu Deum ut unus est, habere *in se et formaliter* quidquid completum, et independens, et pleno iure ontologico habetur in suppositis creatis, et quidem modo infinito perfectiore, seu quidquid suppositis creatis confert plenam incommunicabilitatem et plenam rationem *subsistendi per se, oppositam communicabilitati naturae creatae*. Inter alia v. hunc locum S. THOMAE: «In divinis proprietates personales... non sunt principium subsistendi divinae essentiae; ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens; sed e converso proprietates personales habent quod subsistant ab essentia» (*De pot.* q.9 a.5 ad 13).

Haec sententia et haec ratio loquendi de subsistentia expeditius declarare videtur quaedam doctrinae capita.

a) Deus ut unus est simpliciter *principium quod* in operationibus ad extra. Atqui principium quod operationis est simpliciter subsistens. Ergo Deo ut uno tribui debet subsistentia absoluta.

b) Deus ut concretum supponit, *ut subiectum subsistens*, non tantum pro singulis personis, sed etiam pro tribus simul, imo etiam simpliciter et proprie *pro essentia divina*, etiam praecisus personis. Id autem difficulter de-

claratur, nisi admittitur subsistentia absoluta: quia Deus est terminus concretus, quo exprimitur modo significandi *unus subsistens*; ergo nec pro tribus personis simul, nec pro essentia supponere potest, nisi ex unica subsistentia absoluta (q.39 a.4 ad 1 et 3)³³.

525. c) In ratione suppositi divini declaranda id habet commodi quod melius determinat qua ratione suppositum dicat *perfectionem simpliciter simplicem*, qua vero ratione dicat *perfectionem simplicem non simpliciter*. Nam subsistere non potest negari dicere perfectionem simpliciter simplicem, quatenus dicit *plenam perseitatatem* et omnimodam completionem et independenciam in ratione entis, quod est de ratione essentiae divinae et nota propria substantiae *absolutae*. Sed quatenus dicit incommunicabilitatem subsistendi *distincte relative*, in natura *de se* plenissime subsistenti, non dicit perfectionem *simpliciter simplicem*, sed *simplicem non simpliciter*, ut capite III expositum est; et tamen ea ratio est, diximus, ratio *subsistendi*, nam natura est in *personis*, non autem personae *in natura*.

d) Tandem inde apparet etiam *suppositalitem* in divinis, prout dicit incommunicabilitatem propriam personae divinae non posse proprie dici *complementum naturae*, prout vere dicitur de suppositalitate in creatis. Quoniam enim communicabilitas naturae divinae non est ex *indigentia naturae*, sed potius ex *infinita fecunditate* ipsius, ita incommunicabilitas suppositi non affert complementum naturae ad existendum, sed illam potius supponit plenissime constitutam in ratione essendi, nempe secundum quod perseitas subsistendi dicit perfectionem simpliciter³⁴.

Quod autem huic sententiae *obicitur* de constitutione veluti quartae personae in divinis, patet ex dictis nulla ratione fulciri. Nec timenda est confusio in modo loquendi de subsistentia, quae per meram appositionem vocis *absolutae* vel *relativae* penitus aufertur. Neque ullum fere est vocabulum in Theologia et Philosophia quod non diversis valde modis usurpetur (in mentem revoca diversas significationes terminorum maximi momenti, ut esse et *forma* eorumque derivatorum); neque acceptio vocis substantiae unice pro personalitate ita usu consecrata dici potest, ut vidimus.

N.B. Iuvat notare quantopere in quaestione de divinis relationibus et personalitatibus declarandis attendi debeat «magna analogia», quae ex «summa perfectione» divinatorum exurgit, quam frequenter appellat SUÁREZ et iure quidem, in tota hac expositione. Sententiae enim oppositae ex nimia quadam assimilatione et veluti *univocatione* divinatorum cum creatis prodire videntur, ut advertit Eximius³⁵.

ARTICULUS III

CONFERUNTUR RELATIONES ET PERSONAE DIVINAE CUM ORIGINIBUS SEU ACTIBUS NOTIONALIBUS

526. Singillatim tria notionum genera quibus datur distinctio realis in divinis consideravimus, origines seu actus notionales, relationes et personas. Et quidem iam vidimus personas et relationes formaliter proprio conceptu identificari,

³³ Declarationes quae ab adversariis afferuntur istius modi loquendi S. THOMAE eum a vero sensu detorquent.

³⁴ Cf. SUÁREZ, *De Incarnatione* d.11 s.4 n.15-17; IOANNES A S. THOMA, d.14 a.2 n.23.

³⁵ L.c., n.15.

³² Ita FRANZELIN et PESCH, l.c., GALTIER, 325.

nec distingui nisi ex modo significandi. Nunc autem utraque notio relationis et personae cum origine conferri debet.

A. Comparatio relationum cum originibus, ubi de ratione fundandi in divinis relationibus.

Quid sint *origines* ac quomodo concipi debeant in divinis supra vidimus¹, ubi statuimus cum S. THOMA origines non esse nisi ipsas *relationes* personarum inter se, conceptas utique per modum *viae*. Quod autem *origines* sint formaliter *relativae*, patet ex ipso earum conceptu; nam etiam in creatis productio vel actio dicit relationem transcendentalem ad producens et ad productum; imo ipsa actio est forma entitativa referens praedicamentallyter producens et productum inter se. Cum autem non detur in divinis *motus* seu actio ut quid medium, non aliud restat, ut dicit S. THOMAS (q. 41 a. 1), nisi ut sint formaliter relationes personarum. Aliunde relationes divinae sunt *relationes originis*, unde conceptum originis habent necessario imprae-scindibiliter imbibitum.

527. Verum cum relationes divinae, secundum quod referunt personas inter se, similes sint relationibus praedicamentallyter secundum generis, quae in *actione fundantur*, merito quaeritur an idem de relationibus divinis dici possit, quo tandem quaestio ponitur DE RATIONE FUNDANDI IN DIVINIS RELATIONIBUS.

Id quidem dicunt aut dicere videntur plures theologi, dum simpliciter tenent *relationes divinas fundari in originibus*². Verum positus quae de proprio conceptu originis in divinis statuimus, hic modus concipiendi et loquendi omnino probari nequit. Nam proprie ratio fundandi in relatione est aliquid vere *prius*, saltem prioritare rationis, *ipsa relatione*, quae ex ratione fundandi *resultare* dicitur. Iam origines divinae non distinguuntur formaliter ab ipsis relationibus, nisi distinctione rationis imperfecta. Aliunde in creatis neque relationes, neque origines, sunt *subsistentes*, sed supponunt subiecta absoluta, quae producunt vel producuntur et referuntur; e contra origines et relationes divinae ut subsistentes sunt *ipsa subiecta* seu personae; ideoque neque subiectum ut fundamentum habent, nisi secundum modum significandi.

Potest tamen reperiri in divinis conceptus aliquis in quo *ratio fundandi* relationes locum proprium habere possit; sc. *ipsa natura divina ut infinite fecunda in ratione intellectionis et volitionis*. Ipsa ergo intellectio et volitio, quae sunt *principium quo proximum* in divinis processibus, seu id quod dicit in recto potentia generativa et spirativa, sicut sunt ratio formalis processionum, sic dici possunt, ratione nostra cum fundamento in re, *ratio fundandi* ipsas relationes producentis et producti.

Nam cum sint potentiae prorsus necessariae et nullo modo indeterminatae, ita ut non egeant ultima formali determinatione ad hoc ut concipiantur producentes, sufficit ut intelligamus adesse in divinis hanc *fecunditatem*, ut statim necessario concipiamus adesse in divinis *processiones, principia quae et termini qui earum processionum, et relationes* producentis et producti. Iure ergo dicere possumus rationem fundandi in divinis esse *intellectionem et volitionem infinite fecundas*. Nec deest paritas quaedam cum relationibus in creatis; nam in his ratio fundandi est quid absolutum (saltem non relativum eiusdem generis) ratione prius ipsa relatione; id in relationibus secundi generis est actio et passio. Atqui in divinis *essentialia* absoluta communiter dicuntur *priora notionalibus*, licet prioritare non omnino perfecta; et ut notavimus, intellectio et volitio locum habent actionis in divinis³.

528. B. Conferuntur origines cum personis, ubi quaestio an personae magis proprie dicantur constitui relationibus quam originibus.

Origines divinae cum sint subsistentes non supponunt subiecta quibus adveniant, sed identificantur formaliter cum illis, ut de relationibus diximus. Ideo celebris quaestio ponitur, quae inter S. THOMAM et S. BONAVENTURAM disputata est, an proprie dici possint personae divinae *constitui per origines*, sicut dicuntur *constitui per relationes*; imo magis proprie per illas quam per istas.

Si *conceptu proprio* et pleno intelliguntur origines et relationes, cum mutuo formaliter identificentur, patet UTRUMQUE DICI POSSE. Sicut enim intelligere dicitur *esse Dei*, ita generare potest dici *esse Patris*; aut Patrem esse personam et Patrem *quia generat*, et generare *quia est Pater*. Praeterea in TRADITIONE non difficile est textus Patrum praesertim graecorum colligere, qui distinctionem inter personas et proprietates personarum tribuant *actibus notionalibus*. Ita S. BASILIUS admittit, quia verum est, «genitum et ingenitum esse indices quasdam proprietates, quae... ad claram et inconfusam Patris et Filii notionem quasi manuducant» (R 939); S. GREGORIUS NAZIANCENUS: «Patris proprietates est quod ingenitus est; Filii quod genitus; Spiritus Sancti quod procedat» (R 983); et S. IOANNES DAMASCENUS, colligens doctrinam graecorum, saepe id profert: «In omnibus unum sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nisi quod Pater ingenitus est, Filius genitus, et Spiritus Sanctus procedens» (R 2344 etiam 2346 2362)⁴.

Quaestio itaque tantum poni potest in quantum nos *conceptu imperfecto* distinguimus aliquomodo cum fundamento inter origines et relationes, et illas veluti *vias* ad personas concipi-

¹ C.2 a.3. Cf. S. TH., q. 40 a. 2.4; SUÁREZ, l.6 c.1 et 2; l.7 c.6.7; l.8 c.1; RUIZ, d.91 s.3.

² Plures distinguunt inter rationem fundandi ontologicam et logicam, seu quoad nos. Aliunde adest quaedam confusio inter fundamentum ut subiectum relationis, et propriam rationem fundandi. Cf. SALMANTICENSES, d.14 dub.2; GALTIER, 270; ALASTRUAY, 223-224.

³ SUÁREZ, l.7 c.5 n.13.

⁴ Cf. RUIZ, d.84 s.1.

pimus, relationes autem ut *formas* permanentes quae ex originibus quasi resultant. Et hoc modo discutitur inter Doctores. De qua sequentem thesim statuimus.

Thesis 46. Personae divinae non constituuntur originibus praecise conceptis.

S.Th., q.40 a.2; SUÁREZ, l.7 c.6.7; l.8 c.1; RUIZ DE MONTÓYA, disp.87.91; ceteri auctores in th.45 relati.

529. Status quaestionis. Ut dicimus, quaestio ponitur non de originibus pleniore conceptu acceptis, sed de illis *praecise* et *conceptu imperfecto* sumptis, in quantum eas per modum *viae* et quasi-actionis concipimus, et hoc modo illas a relationibus distinguimus, quae sunt formae *permanentes* quae ex illis resultant. Is vero modus concipiendi, licet imperfectus, fere necessarius nobis est, neque omnino arbitrarius, per comparisonem cum originibus et relationibus creatis, a quibus notiones sumimus⁵. Quaeritur ergo an personae divinae constitui dici possint *per origines praecise conceptas*, an *potius per relationes formaliter sumptas*.

Sententiae. S.BONAVENTURA⁶ post RICHARDUM A S.VICTORE censet personas divinas constitui formaliter originibus, non relationibus. Ei accedere videntur quidam moderni, qui constitutum personae divinae ponunt relationem *fundamentaliter*, non *formaliter* sumptam. S.THOMAS⁷ e contra cum maxima parte theologorum negat personas divinas constitui originibus hoc modo acceptis, sed *relationibus* formaliter sumptis.

Valor theologicus. Thesis est *probabilior*.

530. Probatur rationibus S.Thomae, quae optimae sunt. 1. Tota quaestionis ratio est *noster modus concipiendi* cum fundamento aliquo in ipsis notionibus originis et relationis. Atqui origines praecise sumptas concipimus per modum *viae* ad personas et quid extrinsecum illis. Ergo non possumus intelligere illas constituere personas, quae sunt quid per se stans et constitui debent per aliquid intrinsecum. Ideo cum rela-

⁵ SUÁREZ, l.7 c.6 n.2.

⁶ In I d.26 q.3; d.27 q.2 (ed. Quaracchi I, 458.469-472). In Scholiis ad has quaestiones putant editores opinionem S.BONAVENTURAE vix differre nisi verbis a doctrina S.THOMAE (l.c., 459.472-474); verum satis constare videtur utrumque Doctorem opinionem alterius impugnasse; cf. DE RÉGNON, 2.475-505; A.STOHR, *Die Trinitätslehre des hl. Bonaventura* (Münster 1923) 9788; SCHMAUS, *Der Liber propugnatorius* 448-454; ALEJANDRO DE VILLALMONTE, *Influjo de los PP. griegos en la doctrina trinitaria de San Buenaventura: XIII Semana de Teología* (Madrid 1954) 553-577.

⁷ Iam In I d.27 q.1 a.2 et *De pot.* q.8 a.3.

tiones ut formas permanentes concipiamus, neque aliud sit praedicatum per quod personae constitui possint, dicendum est personas constitui per relationes formaliter sumptas.

2. Sententia S.BONAVENTURAE manifeste excluditur, tam in persona producente quam in producta. Nam «contra rationem originis est quod constituat hypostasim vel personam; quia origo active significata significatur ut progrediens a persona subsistente; unde praesupponit eam; origo autem passive significata significatur ut via ad personam subsistentem et nondum ut eam constituens» (q.40 a.2).

Obicit S.BONAVENTURA: praedicatum constituens personas debet esse primum praedicatum relativum et differentiale proprium illarum. Atqui prius concipiuntur origines quam relationes. Ergo potius per origines constitui debent personae divinae.

Posito statu quaestionis, *dist. mai.*; si illud primum praedicatum conciperetur ut aliquid *per se stans, conc.*; si concipitur per modum *viae vel actionis, nego*.

Superest tamen gravis difficultas circa *personam Patris* quae utramque sententiam urget, de qua sequens

531. Scholion. DE CONSTITUTIVO PERSONAE PATRIS. Difficultas est quia personam Patris, supposita distinctione fundata in nostro modo concipiendi imperfecto, concipimus iam constitutam *ante originem activam*. Ergo, ut dicebamus contra sententiam S.BONAVENTURAE, non possumus eius constitutum ponere in origine. Sed, potest arguere S.Doctor: *a fortiori* non potest constitui Pater per *relationem* quae *posterior est origine*. Quamvis haec difficultas oriatur in imperfectione nostri conceptus de divinis, praetermitti nequit; nam in explicando principio productionis in divinis, diximus relationem personae producentis esse requisitam, tam ut conditionem ex parte *principii quo*, quam ut constitutum *principii quod*, quod evidenter intelligi debet plene constitutum ante originem.

Solutiones etiam a magnis Doctoribus datae huic difficultati, quam «summam»⁸ insignes theologi existimant, difficiles sunt; nam incidere videntur in constituenda persona Patris per aliquid formaliter absolutum.

Aliqui dicunt Patrem constitui per relationem, sed non *ut formaliter referentem*⁹. At vero relativum ut non referens est quid absolutum, nam per illam negationem spoliatur conceptu relativo. Alii primam personam intelligi dicunt ut maxime *connaturalem* et veluti necessario et immediate concipiendam in natura divina¹⁰. Verum haec notio nihil dicit formaliter relativum sed potius quid *absolutum* atque ad ordinem naturae pertinet, estque praeterea contra id quod de subsistentia in divinis diximus; nempe negandum est aliquam ex personis esse intelligendam ut maxime *connaturalem*; nam personae non sunt in divinis ob indigentiam aut complementum naturae, sed ob fecunditatem naturae plene existentis a se. Conceptus autem, quem alii afferunt primae personae *vago modo* sumptae, vel secundum praedicatum tantum commune personae¹¹, non solum imperfectus,

⁸ IOANNES A S.THOMA, d.16 a.1 n.15; BILLUART, d.4 a.2.

⁹ Hanc solutionem innuit S.Th., q.40 a.4, eamque tradunt plures thomistae, hoc vel illo modo; ut CAJETANUS, in h.l.; FERRARIENSIS, in CG 4.26; CAPREOLUS, In I d.26 q.1; IOANNES A S.THOMA et BILLUART, l.c.; SARMANTICENSIS, d.18 dub.4.

¹⁰ Ita SUÁREZ, l.8 c.1.

¹¹ Id innuit SUÁREZ, l.7 c.7 n.11.

sed falsus videtur, cum persona sit quid maxime determinatum et simpliciter constitutum ante originem.

Pro ratione *Ingeniti* ut constitutiva Patris¹² possunt quidem Patrum graecorum locutiones afferrī, qui, ut vidimus, potius per notionem ingeniti, quam per generationem activam Patrem distinguunt et constituunt; et scholastici quidam huc fere recidunt. Verum communiter, et iure quidem, theologi hanc notionem ut *secundariam* habent, ut *fundatam in relatione primi principii*. Nec difficultatem solvit, cum non sit *formaliter relativa*, ac nisi paternitatem praesupponeret, esset simpliciter *absoluta*.

532. Dicendum est igitur primam personam constitui per relationem *paternitatis*, simpliciter ut *relationem*. Difficultas vero solvitur *probabiliter* distinguendo *duplicem conceptum* in paternitate, alterum priorem imperfectum, qui hac imperfecta distinctione sit quodammodo *prior* ipsa origine, alterum minus imperfectum qui sit ea *posterior*. Hanc solutionem innuunt theologi antiquiores¹³, qui alias solutiones impugnatas afferunt, eamque clarius exposuerunt WIRCEBURGENSES¹⁴, et recenter plures in eam inclinant¹⁵.

Primus ergo conceptus Patris, utique imperfectus (neque est in hac imperfectione difficultas, posito statu quaestionis), est *potens generare*, potentia omnino necessaria et determinata. Ita iam intelligitur principium generationis; ideo dici potest Patrem primo constitui per *paternitatem* in quantum dicit *potentiam generandi*. Hic enim conceptus est *relativus*; potentia enim dicit relationem, utique transcendentalem, ad suum terminum ut producibilem; sed cum agatur de potentia prorsus necessaria ac determinata, necessario dicit relationem, saltem *confuso modo*, ad suum terminum ut *productum*. Hic autem conceptus exoritur ante conceptam *distincte* originem, ex quo novimus naturam fecundam in ordine intellectionis. Conceptus autem *plenior* paternitatis exoritur *post generationem* expresse conceptam.

Haec autem difficultas eiusque solutio ostendit, ut supra innuimus, hunc conceptum personae, quae prius concipiatur quam generet, et quae prius generet quam referatur, esse prorsus imperfectum, nec posse bene divinis aptari; ac simpliciter retinendam esse in divinis identitatem formalem inter conceptus personae, originis et relationis.

ARTICULUS IV

DE SPIRATORE ET SPIRATIONE ACTIVA COMPLEMENTA

533. Egimus de tribus personis divinis et de relationibus eas constituentibus quae sunt paternitas, filiatio et spiratio passiva. Verum, ut constat ex processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, adest in divinis unum *principium quod spirationis*, quod non est persona, quia haec notio communis est Patri et Filio, et quod secum fert originem activam et relatio-

¹² Id tenet VÁZQUEZ, d.159 c.5.

¹³ SUÁREZ: «proprietatem esse in Patre... ut generet, vel ut sit aptus ad generandum» (l.8 c.1 n.12); VÁZQUEZ: «innascibilis et fecundus ad producendum» (l.c.; RUIZ, d.91 s.2).

¹⁴ *De Deo Trino* c.1 a.3 n.381 s.9.

¹⁵ FRANZELIN, th.23; GALTIER, 311,312; J.RABENECK, *La constitución de la primera persona divina*: EstEcl 26 (1952) 353-364; *Die Konstitution der ersten göttlichen Person*: TheolGl 47 (1957) 102-112.

nem communem duabus his personis¹. Exsurgit itaque quaestio de *constitutivo Spiratoris* eiusque comparatione cum relatione et origine spirationis activae. Hanc igitur nunc attingimus, applicatione eorundem principiorum, quae in articulis praecedentibus nos duxerunt. His complebuntur quae de principio *quod processioneis Spiritus Sancti* et de relatione spirationis activae iam tradita sunt.

Diximus unitatem principii quod spirationis utcumque explicari posse per unitatem principii *quo*, seu voluntatis communis Patris et Filii. Sed scientifica et theologica inquisitio huic rationi acquiescere non potest. Nam voluntas divina communis est etiam Spiritui Sancto procedenti per illam, et ratio principii *quo* connotat relationem in persona producente, ac merito quaeritur quaenam sit in Patre et Filio haec relatio. Constat enim dari quartam relationem in divinis, *spirationem activam*², quae communis est Patri et Filio, sicut natura communis est tribus personis. De quidditate igitur huius relationis, ac num munus aliquod habeat in ratione Spiratoris, ut de constitutivo huius notionis, est praesens quaestio, cui diversis modis respondent theologi.

534. **Praenotanda.** In antecessum notare opus est:

a) Pater et Filius, sicut producunt Spiritum Sanctum unica spiratione, sic ad illum *immediate* referuntur una relatione spirationis activae, non paternitate et filiatione *praecisive* conceptis. Haec autem relatio, ut ceterae, est *subsistens*, saltem ut identificata cum natura divina, etsi non est personalis.

b) Ratio Spiratoris seu *principii quod* Spiritus Sancti simpliciter et uniformiter praedicatur de singulis personis Patris et Filii, et de utraque simul, sicut natura divina, seu Deus ut unus, praedicatur per identitatem et uniformiter de tribus personis singillatim et collective sumptis. Ideo ratio spiratoris et spirationis activae praescindit a ratione paternitatis et filiationis, sicut natura divina praescindit a relationibus.

c) Nihilominus utraque persona Pater et Filius *per se requiruntur ad spirandum* (q.36 a.4 ad 1). Et quidem triplici ratione: a) quia id exigit *natura divina* adhuc fecunda in utraque persona in linea voluntatis; b) quia Spiritus Sanctus vi processioneis est *Amor mutuus* subsistens Patris et Filii; c) quia Spiritus Sanctus est *tertia* in Trinitate *persona*, distincta vi processioneis ab utraque, quod exigit ab utraque produci³.

¹ Th.35.

² C.3 a.1.

³ Cf. SUÁREZ, l.10 c.3 n.6.7; TOLEDO, In I q.36 a.2; RUIZ, d.71; SALMANTICENSES, d.15 dub.5; MUNCUNILL, 1316.

Quare spiratio activa, etsi non dicit formaliter paternitatem nec filiationem, debet identificari cum illis.

His positis quaeritur:

535. A. An relatio spirationis activae pertineat ad principium quod spirationis.

Ratio dubitandi haec est. Voluntas ut principium quo spirationis requirit ut conditionem in personis producentibus aliquam relationem, quae praestet iis distinctionem a termino procedente, ideoque sit id quo ultimo principium quod habet hanc rationem; eo modo quo intellectus est principium quo generationis, sed requirit in Patre relationem paternitatis, quae est eius constitutum in ratione principii quod generationis. Iam in Patre et Filio duplex est relatio: ex una parte paternitas et filiatio, ex altera spiratio activa. Aliunde conditio requisita ex parte principii quo, sc. quod voluntas identificetur cum personis non productis per voluntatem, verificatur in utraque persona, tam ratione paternitatis et filiationis, quae pertinent ad ordinem productionis per intellectum, quam ratione spirationis activae.

Ideo divisae sunt *sententiae theologorum* de hac re. SUÁREZ⁴ cum pluribus aliis tenet *paternitatem* et *filiationem* esse relationes per se requisitas ut conditiones ad spirandum ac constituentes principium quod spirationis; non autem spirationem activam, quae proinde non pertinet ad principium quod spirationis, nec communicatur Filio a Patre, sed mere resultat ex origine spirationis activae, ac simpliciter posterior est illa, in quo discriminatur etiam a relatione paternitatis; ideoque cum non sit constitutiva personae non habet peculiarem subsistentiam nisi illam generaliore identitatis cum natura divina.

TOLEDO⁵ vero cum aliis, ut recenter MUNCUNILL⁶, docent *spirationem activam* esse relationem immediate requisitam ut conditionem ad spirandum; ideoque pertinere ad constituendum principium quod spirationis, ac communicari a Patre in Filium in generatione. In declarando vero ultimo constitutivo Spiratoris ac quidditate spirationis activae diversa sentiunt patroni huius sententiae, ut in secundo quaesito attingemus.

S. THOMAS satis hanc secundam sententiam significare videtur (q.36 a.4), cum ait: «Sicut Pater et Filius sunt unus Deus propter unitatem formae significatae per hoc nomen Deus, ita sunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis significatae in hoc nomine principii», idque repetit ad 1 et ad 2; iam proprietas una in Patre et Filio est relatio spirationis activae. Tamen fatendum est alibi (q.40 a.4) potius alteram sententiam innuere: «Similiter et origo active significata prior est secundum intellectum quam relatio personae originantis quae non est personalis, sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum praecedit proprietatem innominatam [relationem spirationis activae] communem Patri et Filio», et in hoc

⁴ L.10 c.4; cf. l.5 c.8; l.7 c.4.

⁵ L.c.; VÁZQUEZ, d.149 c.4; SALMANTICENSIS, d.15 dub.3; RUIZ, d.70 s.4 et 5; contrarium tamen deduci videtur ex d.91 s.2 n.11.

⁶ O.c., 1315.

constituit discrimen inter paternitatem et spirationem activam. Utraque S.Doctoris locutio forte conciliari potest modo quo difficultatem solvemus⁷.

536. Secundam sententiam ut *probabilior* amplectimur.

PROBATUR SECUNDA SENTENTIA. 1. Haec sententia melius consonat duobus axiomatibus theologis: «in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio», ac «Pater omnia communicat Filio praeter esse Patrem», seu Filium omnia quae habet a Patre accipit. Atqui a) in conditione requisita ad spirandum nulla apparet oppositio relativa inter Patrem et Filium; ergo non est haec ponenda in paternitate et filiatione, quibus opponuntur, sed in communi relatione spirationis activae; b) spiratio activa nullo modo dicit esse Patrem, estque aliquid quod habet etiam Filius; ergo eam habet Filius communicatam a Patre.

2. Haec sententia facilius et accuratius declarat *unitatem principii quod Spiritus Sancti*. Nam si constitutiva Spiratoris ponuntur, praeter voluntatem communem, solae formales relationes paternitatis et filiationis, a) non apparet quomodo Pater et Filius opponantur relative Spiritui Sancto, cum haec oppositio *immediate* habeatur per formalem spirationem activam; atqui haec oppositio requiritur ad principium quod spirationis; b) neque apparet quomodo possit ratio Spiratoris praedicari per identitatem et uniformiter de Patre et de Filio singillatim sumptis; nam nec sola paternitas, nec sola filiatio sufficiens esset, si utraque sub proprio conceptu requireretur; c) neque stat paritas Spiratoris cum creatore, iam saepius a S.AUGUSTINO inducta; nam, ut omnes Patres tenent, inter Patrem et Filium in ratione spiratoris nihil distinguit, nisi quod eam habet Pater a se, Filius a Patre, sicut rationem creatoris.

537. 3. Ratio praecipua, quam SUÁREZ⁸ affert ad excludendam spirationem activam a principio spirationis, retorqueri potest in contrariam sententiam, quo nostra confirmatur. Ratio autem haec est. Idem est principium sufficiens ad productionem per voluntatem, quod est sufficiens ad productionem per intellectum. Ergo sicut Pater ut constitutus sua proprietate personali immediate generat, ita et immediate spirat.

Verum si per locutionem «Pater ut constitutus sua proprietate personali» intelligitur Pater constitutus paternitate *praecisive* ut distincta ratione ab spiratione activa, Pater non potest per illam immediate spirare, quia per illam non dicit oppositionem relativam nisi ad Filium. At ex principio posito sequitur potius contrarium. In eodem nempe signo in quo Pater concipitur potens generare, concipitur etiam potens spirare, ac proinde cum omnibus quae necessaria sunt ad hoc ut possit spirare; ergo etiam cum relatione spirationis activae, quae proinde *imbitur implicite* in conceptu paternitatis, sicut ipsa essentia divina; ergo eodem modo quo haec communicatur Filio, communicatur etiam ei spiratio activa. Unde, ut iam innuimus, paternitas et filiatio in divinis ut constitutivae Patris et Filii, imbitur etiam habent spirationem activam.

Dices: Paritas inter spiratorem et creatorem non tenet in omnibus, nam effectus creatus non exigit ex se produci a tribus personis, cum e contra Spiritus Sanctus exigit procedere a duabus. Ergo forte non potest haec paritas urgeri in hac quaestione.

Resp. Conc. antec., nam ratio creatoris non exigit identificari cum tribus personis ex suo formali conceptu, sed tantum ex exigentia naturae divinae, quae necessario subsistit in tribus personis; cum e contra ratio spiratoris exigit praeterea identificari cum duabus personis Patris et Filii ex quiddi-

⁷ Cf. RUIZ, d.70 s.5 n.4.

⁸ L.10 c.4 n.5.

tate personae procedentis, ac proinde ex ipsa ratione spiratoris. Sed *nego cons.*; nam certe tenet paritas in hoc quod ratio spiratoris non dicit formaliter nec Patrem, nec Filium, sicut ratio creatoris dicit formaliter tantum Deum non praecise Patrem et Filium et Spiritum, quia procedit a Deo ut unum principium, sicut Spiritus procedit a Patre et a Filio ut unum principium.

538. B. De constitutivo spiratoris, seu principii quod productionis Spiritus Sancti.

Qui reiectam sententiam tenent de spiratione activa, necessario constituere debent spiratorem per *voluntatem et relationes paternitatis et filiationis*. Hi vero qui propugnatae adhaerent, ponunt quidem omnes *spirationem activam* ingredi constitutivum spiratoris. Verum ex his sunt, qui ei addant *etiam paternitatem et filiationem*⁹, alii vero *sola spiratione activa cum voluntate spiratorem constituunt*¹⁰.

Huic postremae declarationi adhaeremus, quam priores forte reiciunt quia nec subsistentiam absolutam in divinis admittunt, sed solas subsistentias personales; iam spirator est quid subsistens. Verum admissa subsistentia absoluta non personali, nulla videtur remanere difficultas in admittenda etiam subsistentia relativa non personali (cf. q.36 a.4 ad 1).

Secundum hanc sententiam, *spirator seu principium* quod processionis Spiritus Sancti significat formaliter *subsistens potens spirare*, et constituitur formaliter per relationem spirationis activae, quae cum sit subsistens dat subsistentiam requisitam ad rationem *principii quod*, addita voluntate ut forma seu *principio quo*. Proinde principium *quod spirationis* non dicit formaliter nec paternitatem, nec filiationem, sed exigit identificari cum illis, in quibus implicite imbibitur relatio spirationis activae. Propterea ratio spiratoris, secundum eius rationem formalem, tam plene verificatur in Patre quam in Filio singillatim sumptis, quam in utroque simul, et potest supponere pro alterutro ac pro utroque (q.36 a.4 ad 4,5,6). Recte tamen dici potest principium quod *complete sumptum* includere duas personas Patrem et Filium; imo et Spiritus Sanctus procedere a duabus *personis* prout sunt *duae*, propter exigentiam quam includit ipsa ratio spiratoris (ad 1).

Neque obstat, ut vidimus c.2 effatum «actiones sunt suppositorum», nam *principium quod* non est proprie *suppositum*, sed *subsistens*; etsi verum est subsistens spirans *ultimo et personaliter subsistere* in personis Patris et Filii, sicut subsistens creator subsistit personaliter in tribus personis.

C. Conferuntur origo et relatio spirationis activae.

539. Idem fere de his possumus dicere quae in art. praecedenti diximus de paternitate et generatione activa. Si *proprio conceptu* considerantur relatio et origo spirationis activae, neutra ab altera praescindi potest, atque alterutra ut constitutivum spiratoris adsignari. Sed in quantum *conceptu imperfecto* distinguimus originem a relatione, eamque ut *viam* consideramus, potius in *relatione* quam in *origine* constitui-

⁹ Ita RUIZ, d.70 s.3 n.11; cf. TOLEDO et MUNCUNILL, l.c.; SÁLMANTICENSIS, d.15 dub.4.
¹⁰ BIEL, d.12 q.1; NAZARIUS, *Controversia* 2; MOLINA, in h.l.; BECANUS, *De Trinitate* c.6.

vum spiratoris ponere debemus. Relationem vero spirationis activae considerare ut mere resultantem ex origine, ut ponit sententia reiecta, supponit concretum spiratoris non ut formaliter relativum, sed mere ut *concretum originis*, quod minus omnino probabile videtur.

Difficultati vero insurgenti, simili ac de paternitate, relationem spirationis activae debere concipi ante originem, si constituit spiratorem, eodem quoque modo respondemus. Conceptus prior et imperfectus spiratoris est *subsistens potens spirare*, potentia necessaria et prorsus determinata, quae proinde est notio relativa ad Spiritum Sanctum, expresse ut producibilem, et confuse ut productum. Haec autem relatio rationem fundandi habet in natura divina ut fecunda in ratione volitionis, ac ideo exigente personas non productas hac via esse unum principium Spiritus Sancti; et quidem modo uniformi in se, hoc uno discrimine, quod eam rationem Pater habet a se, Filius acceptam a Patre.

ARTICULUS V

DE CIRCUMINSESSIONE DIVINARUM PERSONARUM

540. Ad perfectam aequalitatem divinarum personarum declarandam pertinere videtur, ut iam notavimus, mutua quaedam *inexistentia* et veluti circumpermeatio earum inter se, quam nomine *circumincessionis* vel *circuminsessionis* theologi designant¹.

Nomen hoc latinum saec.XVI ex graeco περιχώρησις, a S.IOANNE DAMASCENO² Trinitati applicato, translatum est. Vocabulum graecum derivare potuit tam *circuminsessionem* aut *inexistentiam* sensu potius quasi *statico*, quam *circumincessionem* sensu potius veluti *dynamico*, ad modum mutuae cuiusdam tendentiae personarum unius ad alteram. Priorem translationem malunt plures theologi, aliis in alteram potius inclinantibus; utraque tamen recte adhiberi potest.

In *Sacra Scriptura* *inexistentia* mutua inter Patrem et Filium expresse traditur. *Pater in me est et ego in Patre* Io 10, 38; *Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?* Io 14,11. Inde dicta Patrum graecorum, quae S.IOANNES DAMASCENUS his verbis colligit: ἐν ἀλλήλαις αἱ ὑποστάσεις εἰσιν, personae *inexistent* aliae in aliis³.

¹ S.Th., q.42 a.5; SUÁREZ, l.4 c.16; RUIZ, d.107; PETAVIUS, l.4 c.16; SCHEEBEN, § 123; FRANZELIN, th.14; DE RÉGNON, l.409-438; PESCH, 642-647; GALTIER, 387-388; D'ALÈS, 249-256; POHLE, 478-482; SCHMAUS, *Dogmatik* 433-436; J.BILTZ, *Die Trinitätslehre des hl. Johannes von Damaskus* (Paderborn 1909); A.DENEFFE, *Perichoresis, Circumincessio, Circuminsessionis*: *ZkathTh* 47 (1923) 491-532; L.PRESTIGE, *Περιχώρησις and περιχώρησις in the Fathers*: *JournThSt* 29 (1928) 242ss.

² *Contra Iacobitas* 78: MG 94,1476.

³ *De fide orthodoxa* l.1 c.8: MG 94,829.

Patres quoque latini, ut S.HILARIUS⁴ et S.AUGUSTINUS⁵, id saepe versant, quod S.FULGENTIUS⁶ compendio retulit in *Concilio Florentino* allato: «Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio» (D 704); et in *liturgia*: «In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater»⁷.

541. Mutua haec divinarum personarum inexistencia, ex usu Patrum praesertim graecorum, potius quam novum attributum de divinis praedicatum, est notio quaedam *complexa*, quae totam de Trinitate doctrinam uno verbo exprimit, distinctionem personarum, earum consubstantialitatem, origines immanentes et mutuas relationes. Ita inexistenciam mutuam Patris et Filii declarat S.THOMAS (q.42 a.5).

In primis circuminmissio significat vel includit *consubstantialitatem* personarum distinctarum. *Verbum erat apud Deum... Unigenitus Filius qui est in sinu Patris* Io 1,1.18; et Christus ut firmaret quod dixit *Ego et Pater unum sumus et qui videt me videt et Patrem meum* Io 10,30; 14,9, addidit: *Pater in me est et ego in Patre; non creditis quia Pater in me est et ego in Patre?* Io 10,38; 14,11. Quae cum declarant Patres, rationem inexistenciae dant consubstantialitatem, ut S.ATHANASIUS: «Filius in Patre est, quantum licet intelligere, quia totum quod est Filius substantiae Patris est... consequenter Filius in Patre est et Pater in Filio»⁸; S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: Filius «in Patre existens unum cum eo identitate essentiae»⁹, et S.FULGENTIUS: «Propter hanc naturalem unitatem...»¹⁰, quod retulit FLORENTINUM (D 704). Id S.THOMAS exponit: «Secundum essentiam Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia et communicat eam Filio, non per sui transmutationem» (l.c.1.^o). Cum autem ariani dividerent ac separarent Patrem et Filium, iure insistent Patres in inexistencia ut probent consubstantialitatem, quod iam S.DIONYSIUS ROMANUS adversus tritheistas animadverterat (D 48 51). Sed non recte dicitur cum DE RÉGNON¹¹, Patres graecos id a priori deducere, nam ratio inexistenciae abstracte concepta non id infert, sed supposito circuminmissionem includere consubstantialitatem.

542. Circuinmissio complectitur etiam *origines*. Cum enim processionem divinae sint immanentes, earum terminus ex propria ratione est in principio. Ideo Io 1,18 dicit: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*, et S.CYRILLUS: «Ex mente et in mentem verbum est semper, ideoque mens in verbo»¹²; S.FULGENTIUS: «Sicut de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum»¹³. Ideo circuminmissio considerari potest ut immanencia sensu quodam *dynamic*o, quod indicatur forte praepositione graeca $\pi\epsilon\pi\iota$ et *recapitulatione* de qua S.DIONYSIUS ROMANUS (D 51). S.THOMAS utrumque docet (c.3.^o et ad 2): «Secundum originem etiam manifestum est

⁴ De Trinitate 1,3 c.4: ML 10,78.

⁵ De doctrina christiana 1,5 c.5 n.5: ML 34,21.

⁶ De fide ad Petrum 4: ML 65,674.

⁷ Hymnus Splendor paternae gloriae fer.11 ad Laudes.

⁸ Oratio 3 contra arianos n.3: MG 26,527.

⁹ Thesaurus assert. 12: MG 75,178.

¹⁰ L.c.

¹¹ L.c., 412.

¹² Dialogus 2 de Trinitate: MG 75,767.

¹³ Ad Monimum 3,7: ML 65,204.

quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente... Exitus Filii a Patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit a corde et manet in eo».

Tandem inexistencia personarum potest etiam dici ratione *relationum*, quae eas constituunt, cum relativorum proprium sit simul concipi, ut *Tolletanum XI* (D 281) et Patres graeci, ut vidimus, saepe proferunt, et S.THOMAS: «2.^o Secundum etiam relationes manifestum est quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum». Verum haec ratio se sola non nisi circuminmissionem logicam induceret, ideoque hoc nomine eam appellat FRANZELIN¹⁴. Verum haec loquendi ratio minus probanda videtur. Ideo iure addit SUÁREZ¹⁵ ad declarandam circuminmissionem per relationes, intimam praesentiam unius personae in aliis haberi in propriis relationibus, quia habent *immensitatem* inclusam in essentia; quod sane verissimum est, et revera pertinere videtur ad rationem inexistenciae mutuae relationum. Inde autem non recte dicitur SUÁREZ¹⁶ posuisse in sola immensitate circuminmissionem, cum expresse explicet triplicem conceptum in ea inclusum, modo a Sanctis Patribus et a S.THOMA exposito, ac dicit propriam rationem mutuae inexistenciae esse *unitatem essentiae*.

CAPUT V

De missionibus divinarum personarum

543. Egimus de mysterio Sanctissimae Trinitatis in se, prout ex revelatis et ex his quae inde deducuntur cognosci potest. Verum, ut iam initio animadvertimus, «profunda Dei» revelata nobis sunt praecipue per communicationem sui, quam divina liberalitas dignata est homini largiri in opere redemptionis et sanctificationis. Intima autem ratio huius revelationis modi videtur esse, non solum paedagogica, eo quod divina in se directe intueri nequimus, sed etiam veluti ontologica, in quantum vita nostra supernaturalis participatio quaedam est supereminens naturae ac vitae divinae; congruit igitur naturae rei quod revelatio novae creaturae contineat etiam revelationem vitae divinae; Deus enim, ut est et vivit in se, est et vivit in nobis. Ideo mysterium Sanctissimae Trinitatis non solum in se ipso considerari debet, sed etiam secundum quod intimo quodam et ineffabili modo nobis communicatur. Id theologi capite de missionibus divinarum personarum iure colligunt; nam nomine missionis secundae et tertiae personae Sacra Scriptura opus redemptionis ac sanctificationis hominis describit.

¹⁴ L.c., p.210.

¹⁵ L.c., n.11.

¹⁶ Ita post PETAVIUM plures auctores. Pro eadem sententia refertur RUIZ, qui certe l.c., s.7 videtur ponere formaliter circuminmissionem in immensitate, etsi alias rationes etiam expresse tradit.

Tribus articulis caput hoc distribuimus. In primo praeambula de unitate operationis divinae ad extra et de appropriatione quorundam praedicatorum et operum diversis personis agemus; in altero conceptum et factum missionis in divinis stabilimus; in tertio tandem peculiare quae questionem de missione invisibili Spiritus Sancti attingemus.

ARTICULUS I

DE TRINITATE PERSONARUM IN ORDINE AD OPERATIONES AD EXTRA

Thesis 47. Operationes divinae ad extra communes sunt tribus personis; recte tamen aliae aliis personis appropriantur.

S.TH., q.32 a.1; q.39 a.7.8; SUÁREZ, l.4 c.9.10; RUIZ DE MONTROYA, disp.110.82; FRANZELIN, th.12.13; PESCH, 639; GALTIER, 375-386.

544. Nexus. Satis patet opus esse accurate exponere qua ratione se habeant personae Sanctissimae Trinitatis in operatione divina ad extra, antequam earum missiones considerentur. Praecipua quae firmari debent in thesi attinguntur, nempe communitas trium personarum in operando extra se et appropriatio quarundam operationum diversis personis.

Notiones. COMMUNITAS divinarum personarum in operando extra se est communitas simpliciter *identitatis realis*, sicut communitas essentiae omniumque attributorum absolutorum, ita ut tres personae *unum* sint simpliciter *principium quod* operationis ad extra, unaque sit realiter actio, unusque effectus trium personarum, nihilque sit aut fiat extra Deum, quod non indivisibiliter et uniformiter procedat a tribus personis in ordine efficientiae. Non ergo sufficeret statuere communitatem summae cuiusdam *concordiae*, vel minoris alicuius unitatis, qua tres personae idem efficerent, at distinctis actionibus et ut distincta principia, quod non nisi logicam et moralem communitatem in operando induceret.

545. Haec trinitaria communitas in operando ad extra consistit cum frequenti quadam *praedicatione* quarundam operationum, aut etiam absolutorum attributorum, uni personae potius quam aliis, quae *APPROPRIATIO* a theologis vocatur. Appropriatio definitur a S.THOMA: «manifestatio personarum per essentialia attributa» (q.39 a.7), et declaratur a LEONE XIII «quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate, quae

inter opera ipsa et personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur, sive ut aiunt appropriantur»¹. Attributum ergo vel opus uni personae appropriatum commune quidem est tribus personis, ac propterea dici potest, et revera dicitur, de omnibus; verum frequentius et singulari quadam ratione de aliqua ex illis prae aliis. Ratio autem immediata istius peculiaris praedicationis non est quid realiter distinctum in ipso opere aut praedicatione repertum, sed potius quaedam *analogia* et similitudo, quae aptum facit illud ad illius personae *manifestationem*. Quenam sint praecipuae appropriationes in scholio notamus.

Perfecta *unitas* trium personarum in operando ad extra omnium est Patrum et catholicorum doctrina. *Appropriatio* vero quorundam attributorum et operum quibusdam personis est sententia communis theologorum.

546. Adversarii. GÜNTHER ausus est inducere divisionem in operatione Sanctissimae Trinitatis ad extra, et contendit eam non excludi unitate essentiae². Nec desunt recentior quidam auctores, qui difficulter capere videntur hanc unitatem in operando, eamque vix componi posse autumant cum recta libertatis ipsiusque personalitatis singularum personarum declaratione³. ABAELARDO tributa est propositio: «Quod Pater sit plena potentia, Filius quaedam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia», damnata in *Concilio Senonensi* (D 368)⁴.

Appropriationes minoris videntur facere recentes quidam scriptores, ac si esset inventum quoddam theologorum, fere sine fundamento in Patribus graecis⁵.

Doctrina Ecclesiae. Unitas operationis divinae ad extra docetur in *Concilio Lateranensi* sub Martino I c.1: «Si quis... non confitetur... unam eandemque trium deitatem... potentiam, virtutem, regnum... operationem inconditam... creatricem omnium et protectricem, a.s.» (D 254), in *Toletano XI*: «Nulla sine aliis... quidquam operasse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt et in eo quod

¹ Encyclica *Divinum illud*, Cav 610; D (ed.32) 3326; cf. SCHEEBEN, § 123; A.CHOLLET, *Appropriations*: DTC 1.1708-1710.

² *Vorschule* 2.365; cf. KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* 1.379-399; FRANZELIN, 195 et auctores relatos in n.291.

³ V. de his J.SOLANO, *Algunas tendencias modernas acerca de la doctrina de las apropiaciones y propiedades de la Santísima Trinidad*: EstEcl 21 (1947) 13-19; A.SEGOVIA, *Equivalencia de fórmulas en las sistematizaciones trinitarias griega y latina*: EstEcl 21 (1947) 460-461.

⁴ Saltem obscure saepe locutus est; verum sunt nunc plures qui putent eum in hac re non errasse; cf. n.357 et J.COTTIAUX, *La conception de la Théologie chez Abélard*: RevHist Eccl 28 (1932) 804-828; SOLANO, l.c., II.12.

⁵ DE RÉGNON, 1.317-319.346-359; 4.501SS et quidam qui eum sequuntur; cf. J.ALONSO, *Naturaleza y fundamentos de la gracia de la Virgen*: EstMar 5 (1946) 35-48; v. infra th.50.

faciunt» (D 281) et in *Lateranensi IV*: «Pater... Filius... Spiritus Sanctus... unum universorum principium... creator omnium» (D 428)⁶. Eam LEO XIII magnopere firmat antequam actionem Spiritus Sancti explicet, qui etiam exponit et commendat communem doctrinam de appropriationibus⁷. PIUS XII in Encyclica *Mystici Corporis* ait: «Ac praeterea certissimum illud firma mente retineant, hisce in rebus omnia esse habenda Sanctissimae Trinitati communia, quatenus eadem Deum supremam efficientem causam respiciant»⁸. In *SYMBOLIS FIDEI* omnipotentia et creatio appropriatur Patri, conceptio virginalis, inspiratio prophetica et animae sanctificatio, appropriantur Spiritui Sancto.

Valor dogmaticus et theologicus. Prima pars de fide catholica, imo et definita. Altera communis et certa⁹.

547. Probatur prima pars. S.Scriptura operationes divinas, ut creationem saepe tribuit Patri: *Domine, tu es qui fecisti caelum et terram...* Act 4,24; cf. Act 17,24; Io 5,19; Mt 5,44-45 etc., interdum etiam Filio: *Omnia per ipsum facta sunt* Io 1,3; *Tu in principio Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt caeli* Hebr 1,10. Carismata operatur Spiritus, Dominus (Christus) et Deus (Pater) qui operatur omnia in omnibus 1 Cor 12,6-11.

Sancti Patres, tam graeci quam latini, saepissime contra haereticos unitatem operationis divinae tradunt, ex eaque unitatem essentiae demonstrant. S.IRENAEUS: «Adest enim ei [Deo] semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus Sanctus, per quos et in quibus omnia facit» (R 235). S.ATHANASIVS: «Unaque eius [Trinitatis] efficacia et actio. Nam Pater per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit, eoque modo sanctae Trinitatis unitas servatur» (R 782). S.BASILIVS: «Sanctificat, et vivificat, et illuminat, et consolatur, et omnia eiusmodi pariter facit Pater et Filius et Spiritus Sanctus... Itaque operationis identitas in Patre et Filio et Spiritu Sancto perspicue ostendit absolutissimam naturae similitudinem» (R 920). «Principium eorum quae sunt unum est, per Filium condens et perficiens in Spiritu» (R 920). S.GREGORIUS NYSSENUS: «Neque enim tempore dividuntur ad invicem personae divinitatis... neque occupatione, neque operatione» (R 1039). S.AUGUSTINUS: «Ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium,

sicut unus creator et unus Dominus» (R 1662). S.LEO MAGNUS: «In hac ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia...» (R 2207).

548. Ratio theologica. 1. «In divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio». Atqui in ratione operantis ad extra nulla est oppositio relativa inter personas. Ergo in hac ratione unum realiter sunt.

2. Creaturae procedunt a Deo in quantum Deus est et continent eminenter omnem perfectionem possibilem. Atqui in ratione divinitatis personae divinae sunt perfectissime identicae. Ergo creaturae procedunt a divinis personis ut ab uno principio.

Corollaria. 1. Non sola ratio causae efficientis et effectiois proprie dictae, sed et omnis generis causalitas extrinseca communis est tribus personis, nempe exemplaris et finalis; ratio enim eadem est pro omni causa.

2. Ratio theologica, quae fundatur in constitutivo relativo personarum, attingit non solum rationem causalitatis proprie dictae, sed etiam rationem causalitatis quasi-formalis, quae divinis personis tribui debeat ad extra. Cum enim haec ratio fundamentum habere nequeat nisi in attributis absolutis, non in relativis ad intra, necessario communis est tribus personis.

Sunt tamen hodie aliqui auctores, qui hoc vel illo modo inclinant, extra ambitum causalitatis efficientis, in proprietatem quamdam alicui personae, vel etiam singulis, tribuendam in denominationibus ad extra, praesertim in inhabitatione Spiritus Sancti, quae infra attingemus¹⁰.

Verum una Incarnatio propria est personae Verbi, ut fide constat. Haec autem nullam revera continet exceptionem regulae dictae. Incarnatio enim est assumptio naturae humanae Christi ad personalitatem Verbi, ita ut *Verbum subsistat etiam in natura humana*. Ideo unio hypostatica solius Verbi cum natura humana affert etiam unionem huius cum natura divina communi tribus personis; ac nullo pacto dici potest ex Incarnatione resultare peculiarem unionem Patris et Spiritus Sancti cum ea¹¹.

Neque visio beata in Verbo continet quid proprium, sed solam appropriationem; nam in Verbo forma repraesentativa, ut notavimus, est ipsum intelligere Dei commune tribus personis¹².

549. Probatur secunda pars. Sacra Scriptura factio ipso appropriationes docet. Nomen *Deus* saepissime appropriatur Patri, *Dominus* Christo, ipsumque nomen tertiae personae *Spiritus Sanctus*, etsi proprium factum est, ex appropriatione derivatur, cum alias natura divina Io 4,24 Spiritus dicatur; 1 Cor 12,4-6 et nomina et diversa carismata diversis personis appropriantur; et opus sanctificationis et inhabitatio, etsi communis Io 14,23, appropriantur Spiritui Sancto, ut notum est.

¹⁰ In th.50. S.THOMAS (*De ver.* q.10 a.13) dicit: «Omne illud quod in divinis causalitate habet ad essentiam pertinet, cum Deus per essentiam suam sit causa rerum».

¹¹ H.SCHAUF, *Die Einwohnung des heiligen Geistes* (Freiburg 1941) 258ss.

¹² Quid simile forte intelligunt THOMASSINUS, *Dogmata theologica*, De Deo l.6 c.16: GUTBERLET et BORGIANELLI, de quibus v. SCHAUF, o.c., 145.238.

⁶ V. plura apud SOLANO, l.c., 19-28.

⁷ Cav 608-610.

⁸ AAS 35 (1943) 321; D (ed.32) 3814.

⁹ Ita theologi omnes etiam recentissimi, ut GALTIER, 375; D'ALÈS, 274; ALASTRUÉY, 424; LERCHER-DANDER, 422; POHLE, 476; SCHMAUS, 374; PREMM, 316.

Sancti Patres, tam graeci quam latini, saepe appropriationes usurpant. Quas enim operationes distinctis personis tribuunt, ipsi declarant esse communes tribus, ut quod frequentissime creationem per Verbum factam, et sanctificationem per Spiritum Sanctum docent. S.BASILIIUS: «In horum creatione cogita mihi primariam causam eorum quae fiunt Patrem, conditricem Filium, perfectricem Spiritum Sanctum... Ac nemo me credat tres originales hypostases ponere, aut Filii operationem dicere imperfectam» (R 949). S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Licet ergo cuique personae tribui videatur aliquid eorum quae erga nos aut erga creaturam fiant, nihilominus tamen credimus cuncta esse a Patre per Filium in Spiritu Sancto»¹³. Inter latinos sufficit declaratio S.LEONIS MAGNI: «Beata Trinitas una est in substantia, indivisa in opere... De qua cum Scriptura sic loquitur ut, aut in factis, aut in verbis aliquid assignet quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus quod distinguit auditus»¹⁴.

550. Ratio theologica ostendit convenientem fuisse appropriationem absolutorum, ut exponit S.Thomas: «Licet enim Trinitas personarum demonstratione probari non possit... convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declararetur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem quam propria personarum, quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum. Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et essentialibus attributis» (q.39 a.7).

Nullo ergo iure dici potest appropriationes esse veluti ludos mentis, nam in Scriptura et Patribus fundamentum habent, et tota earum ratio est revera modus ipse quo Deus nobis Trinitatem, partim saltim, revelare voluit; tandem Ecclesia et appropriationibus utitur et hunc loquendi modum commendat.

551. Obiectiones. 1. Obicit GÜNTHER: Potentia generandi et spirandi non est communis et tamen non officit unitati essentiae. Ergo non est cur potentia operandi ad extra debeat esse communis.

Nego paritatem. Nam potentia operandi ad intra necessario relationem importat, quam non dicit, sed excludit, potentia operandi ad extra; sunt enim prorsus diversi ordinis, altera immanens, altera transiens.

¹³ In Ioannem 10,2: MG 73,335.

¹⁴ Sermo 76,2: ML 54,495.

2. Ratio personae postulat in illa exercitium libertatis independens ab aliis personis eiusdem naturae, ideoque operationes proprias. Ergo opera Trinitatis nequeunt esse communia communitate identitatis realis.

Laborat obiectio falso supposito libertatem pertinere ad personam praecise ut est *suppositum*, cum ad illam pertineat quia est *suppositum naturae rationalis*, ideoque personis cuiusque naturae pertineat secundum modum proprium propriae naturae. Igitur *dist. antec.* Si natura multiplicatur in individuis, libertas debeat esse distincta in singulis personis, *conc. antec.*; si vero natura non multiplicatur, *nego antec.*; nam in hoc casu unica necessario est libertas in singulis personis, quae tamen non ideo desinunt singulae liberrime agere unica libertate et operatione, sicut unaquaeque est perfectissime Deus unica divinitate. Obiectio igitur pervertit prorsus conceptum theologicum de constitutione divinae personae ac tritheismum quemdam inducit, cum tres personas faciat tria absoluta¹⁵.

Difficultas quae ex diversis personarum missionibus exurgere posset art. seq. praeoccupabitur.

552. Scholion 1. PLURES APPROPRIATIONES auctores proponunt, quas accurate distribuit et explicat S.THOMAS (q.39 a.8)¹⁶. Praecipuae vero sunt quae in S.Scriptura et in communiore traditione patristica et theologica reperiuntur, aut in ea peculiare fundamentum habent.

a) Patri appropriatur nomen *Dei*, utpote primo omnium principio, ἀρχὴ ἀναρχος, ut iam animadvertimus c.11 et 2. Fundamentum est quod etiam ad intra Pater est principium alarum personarum, principium sine principio, unde vocatur fons et origo deitatis, ideoque in eo peculiari quodam modo manifestatur ratio entis a se et primi principii¹⁷.

Verbo a primis Patribus saepe appropriatur *manifestatio divinitatis*; id in eo fundatur quod Verbum ex processione est imago Patris, ideoque etiam creatio, ut per ipsum facta et ut opus in quo manifestantur perfectiones divinae, ipsi tribuitur. Operationes ad redemptionem spectantes etiam secundae personae appropriantur, cum redemptionem per Filium carnem factum in opere deducta sit et ad *mediationem* pertineat, et ipsa sit in divina hierarchia media inter alias personas.

Spiritui Sancto *sanctificatio* et opera atque effectus formales inhabitationis et adoptionis appropriantur, ex usu frequenti Scripturae ac Patrum, qui fundamentum habet in ratione processione tertiae personae, ut vidimus et infra iterum attingemus¹⁸.

553. b) Ex Rom 11,36: *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (qui tamen locus in textu non videtur trinitarius), desumptus est frequens modus loquendi Patrum graecorum, *omnia a Patre fieri per Filium in Spiritu Sancto*, quem etiam S.AUGUSTINUS exposuit¹⁹, ut ait LEO XIII: «ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum»²⁰. Apud Patres graecos haec loquendi ratio significat ordinem originis inter personas in ipsis operationibus ad extra, ad modum quo dicunt Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, ut servetur Patri ratio principii primordialis. Iure id quidem, nam ut dicit S.THOMAS «sicut natura divina, licet communis sit tribus personis, ordine tamen eis convenit, in quantum Filius accipit naturam divinam a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque, ita etiam et virtus creandi, licet sit communis tribus personis,

¹⁵ V. SOLANO, l.c., 32.

¹⁶ Cf. RUIZ, d.82; LERCHER-DANDER, 432; D'ALÈS, 228-233; CHOLLET, l.c., 1710-1717.

¹⁷ V. schol. 2.

¹⁸ In th.50.

¹⁹ De Trinitate l.6 c.10 n.12; l.1 c.6 n.12: ML 982,827, sensu non ipsis verbis.

²⁰ Cav 609.

ordine tamen eis convenit, nam Filius habet eam a Patre, Spiritus Sanctus ab utroque» (q.45 a.6 ad 2). Animadverti tamen debet in hac ratione concipiendi divinas operationes ad extra nullam contineri de se proprietatem aut appropriationem effectus ad aliquam personam prae aliis.

Latini vero hac ratione loquendi utuntur ad distribuendas et appropriandas diversis personis rationes causae *efficientis*, *exemplaris* et *finalis*, ut primordialis, mediae et finalis, quia «Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex rerum artificiarum» (q.45 a.6 c. et ad 2; q.39 a.8 4.^o). Id declarat LEO XIII: «Hoc modo Pater, qui est principium totius deitatis, idem est causa effectrix universitatis rerum et incarnationis Verbi et sanctificationis animorum: *ex ipso sunt omnia*; ex ipso propter Patrem. Filius autem, Verbum, imago Dei, idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur; qui exstitit nobis via, veritas et vita, hominis cum Deo reconciliator: *per ipsum sunt omnia*; per ipsum propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quod sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille qui divina bonitas est ac Patris ipse Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione valida suavique complet et perficit: *in ipso sunt omnia*: in ipso propter Spiritum Sanctum»²¹.

c) Tandem frequentissima apud latinos et nunc communissima etiam inter fideles illa est forma appropriationis, qua *potentia* tribuit Patri, *sapientia* Filio, *amor* Spiritui Sancto. «Aptissime, ut ait LEO XIII [Ecclesia] ea divinitatis opera in quibus potentia excellit tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia tribuere Filio, ea in quibus excellit amor Spiritui Sancto tribuere consuevit»²². Fundata est haec appropriatio respectu Patris in ratione principii sine principio, respectu Filii et Spiritus Sancti in modo processionis per intellectum et voluntatem, ut c.2 explicatum est.

554. Scholion 2. DE SIGNIFICATIONE VOCIS DEUS, ὁ Θεός.

Ex facto notissimo vocem «Deus», ὁ Θεός, dici saepe de Patre in N.T., arguit K.RAHNER²³ nomen hoc ita esse illius proprium, ut non tantum pro illo *supponat*, sed etiam simpliciter *significet* primam personam Trinitatis. Concedit libenter auctor conceptionem qua dicitur nomen «Deus» supponere posse pro tribus personis, sive singillatim, sive simul sumptis, in quantum significat possidentem essentiam divinam, esse legitimam, imo tandem «inevitabilem». Imo in significatione Dei ut Patris implicite obiective designari etiam alias duas personas, ratione relationis quam importat; quod ut notavimus PP. graeci apprime exposuerunt. Tamen his notis putat ornari loquendi modum N.T., quae etiam *significationem* attingant huius vocis, et non meram suppositionem importent.

At difficultas est quod *significatio* alicuius vocis sensu quodam determinato *excludit* hanc vocem *supponere* posse *proprie* pro aliis subiectis *quae excludant notam contentam in significatione illius vocis*. Si igitur ὁ Θεός significat Deum ingenitum et nullo modo procedentem, satis evidens videtur hanc vocem nullo modo supponere posse pro Deo genito et procedente, quod tamen saltem aliquoties habetur in N.T. ut auctor tandem concedit.

Antequam ad ostensionem exegeticam suae thesis procedat auctor, quaedam veluti a priori statuit, quae investigationem pervadere videntur. Concedit nempe etiam ratione naturali nomine «Deus» attingi de facto obiective

²¹ Cav 610; D (ed.32) 3326. V. exegesis ORIGENIS de hoc loco apud A.ORBE, *Estudios valentinianos v.II* (Roma 1957) 224-229.

²² *Ibid.*

²³ *Theos in Neuen Testament. 4. Gott als erste trinitarischen Person, in Schriften zur Theologie* (Einsiedeln 1956) p.143-167; ed.hisp. (Madrid 1960) p.144-167.

proprie primam personam. Ratio enim non cognoscit abstracte unam divinitatem, sed unum Deum (non *quid* est, sed *quis* est), essentiam divinam subsistentem, et quidem omnino sine origine sub ullo respectu.

Ad haec potius dicendum nomine «Deus» ratione naturali significari simpliciter *concretum divinitatis* (quod ratione simplicitatis non differt ab abstracto nisi grammaticaliter, modo significandi, nam de divinis non datur mera abstractio obiectiva, ac tam concreta et realis est unitas naturae quam trinitas personarum), ens a se non causatum in oppositione ad ens contingens, ens quidem personale, nec quidquam aliud. Quod si in mentem veniat ut possibile (quod positive sola revelatione constat) essentiam divinam esse communem pluribus, seu dari in divinis processiones ad intra, dicit utique ratio naturalis necessario dari subiectum nullo modo procedens, primam personam, sed tunc non negabit, imo agnoscat conceptum *concreti* seu *subiecti* divini, significati nomine «Deus», vere dici de personis procedentibus ad intra. Ideo non censemus theologiam naturalem cognoscere de facto obiective tantum Patrem; neque ex hac appellatione concludi posse Deum creatorem et auctorem salutis in V.T. (et in N.) *significare* simpliciter Patrem.

Ideo quae copiose referuntur de modo loquendi N.T. dari vel permitti possunt (non vacat omnia singillatim perpendere) hoc sensu, quod explicite de Patre revelata sunt plura, non praecise et exclusive ut est prima persona, sed ut est Deus, subiectum divinum; ideoque implicite revelata sunt etiam de Filio et de Spiritu Sancto (q.31 a.4 ad 1 et 2) praeter ea quae ipsam oppositionem relativam personarum dicunt. Ad ea vero declaranda sufficit suppositio et appropriatio, quae utique consilio paedagogico adhibitae sunt, quia his modis loquendi continetur manifestatio quaedam mysterii vitae divinae. Suppositio enim (atque etiam antonomasia) est, ex definitione logicorum, usus termini alicuius ad manifestandum subiectum aliquod particulare, quin modificetur significatio generalis illius.

Aliunde praecisiones theologicae, a SS.PP. et a documentis symbolicis et magisterii ecclesiastici inductae, pertinent etiam ad kerigma enuntiandum, neque ab eo exulare debent. His nempe provide occurrit periculum cuiusdam larvati subordinatianismi, ac distinctior ac minus imperfecta intellectio de divinis populo christiano traditur. In his saepe illud Christi Domini dictum meminisse iuvat: «haec oportet facere, et illa non omittere».

Maximum momentum ducimus in expositione mysterii SS.Trinitatis, tam in se quam relate ad nos, in mente semper obversari debere doctrinam de quidditate mere relativa quam dicunt in divinis distinctiones omnes, ac propterea ultimam ac formalem rationem personalitatis²⁴; et praeterea magnam analogiam quae interest in omnibus quae de creatis et de divinis dicuntur, ut est v.gr. paternitas et filiatio divina, ut datur ad intra inter divinas personas, et ad extra ut adoptio gratiae nos refert ad Deum.

555. Scholion 3. DE CULTU PERSONARUM SANCTISSIMAE TRINITATIS.

Evidens est singulas personas, ut quae sunt unus Deus, coli et adorari posse ac debere. Ubi animadverti debet, ut notant Patres, in singulis personis adorari quoque et coli implicite alias duas, cum relativae sint.

Quod attinet cultum liturgicum, Ecclesia nullum festum peculiare de divinis personis singillatim sumptis celebrat. Nam festa de Christo Domino eiusque mysteriis non sunt de Verbo secundum divinam naturam tantum, ac festum Pentecostes celebrat adventum Spiritus Sancti in eius externa missione, ut in memoriam revocat LEO XIII, qui etiam meminit INNOCENTIIUM XII negasse postulantibus peculiare festum de aeterno Patre. «Quae

²⁴ Cf. dicta de personalitate et subsistentia in divinis n.507-525.

quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur²⁵.

Usus autem *liturgicus* habet ut orationes ad Patrem fere dirigantur, sed mentione facta de Filio et Spiritu Sancto, qui tamen exclusivus non est. Fundatur autem in exemplo Christi, qui suas hominis orationes ad Patrem, ut pronum erat deferebat, quo simul ineffabiles eius relationes ad illum revelabat; ac congruit rationibus quibus oeconomia redemptionis ac sanctificationis disposita est, continetque ipso facto professionem fidei et cultus in Deum trinum et unum.

N.B. DE VESTIGIIS SANCTISSIMAE TRINITATIS in creaturis multa acute disseruit S.AUGUSTINUS, quae mentem manuducere possunt ad conceptum Trinitatis efformandum. Praesertim delectatus est S.Doctor in puriore ac subtiliore imagine divinarum processionum in ipsa hominis anima detecta²⁶. Haec tamen vestigia, quae mens nostra per modum alicuius similitudinis subjective fingere potest, confundi non debent, ut iam notavimus, cum doctrina de principio divinarum processionum in revelatione fundata.

ARTICULUS II

DE MISSIONIBUS DIVINIS IN UNIVERSUM

Thesis 48. Personae procedentes vere et proprie mitti dicuntur.

S.TH., q.3; SUÁREZ, l.12 c.1-4.6; RUIZ DE MONTOYA, disp.108-109; FRANZELIN, th.42; PESCH, 649-661.

556. **Nexus.** Etsi missiones divinarum personarum pertinent, secundum oeconomiam revelationis, ad nobis manifestandum mysterium Sanctissimae Trinitatis, ut initio notavimus, ideoque illis iam non semel usi sumus in probationibus, iure tamen hic tractatus ut complementum theologiae trinitariae proponitur; non enim potest natura missionis personae divinae ad normam scientificae inquisitionis proponi, nisi bene perspecta quidditate mysterii Trinitatis

Notiones. Missio in universum definiri potest: «intimatio vel communicatio voluntatis unius personae ad aliam, in ordine ad aliquem effectum extrinsecum». *Communicatio* voluntatis a mittente in missum haberi potest, vel per imperium, per consilium, aliove simili modo, inter distinctas voluntates, vel per communicationem unius numero voluntatis, quae habetur in *processione*. *Habitudo ad terminum* extrinsecum, quae in missione includitur, importat vel personam missam incipere esse ubi

²⁵ Cav 608-609; D (ed.32) 3325. De hac re v. GALTIER, 366; MICHEL, *Trinité*: DTC 15, 1824-1826; M.CAILLAT, *La dévotion à Dieu le Père, une discussion au XVII^e siècle*: RevAscMyst 20 (1939) 35-49.

²⁶ De his v. praesertim SCHMAUS, *Die psychologische Trinitätslehre des hl. Augustinus* (Münster 1927); etiam PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2346-2352. V. F.TAYMANS d'EPERNON, *Le mystère primordial. La Trinité dans sa vivante image* (Bruxelles 1946); C.KALIBA, *Die Welt als Gleichniss des dreieinigen Gottes* (Salzburg 1952).

non erat, vel esse ibi novo quodam modo, per novam operationem aut effectum aliquem formalem aut quasiformalem, in ordine ad quem dicitur mitti. Ut patet, missio includit in mittente *intentionem* effectum illius praestandi a persona missa, ac consequenter saltem *manifestandi personam* iis quibus mittitur.

Haec generalis missionis notio cum ad divina transfertur necessario intelligi debet ut: a) communicatio voluntatis sit per processionem, qui unus est modus possibilis verae communicationis unius numero voluntatis inter divinas personas; b) terminus ad quem persona mittitur sit novus titulus praesentiae in rebus creatis, ubi ratione immensitatis omnes personae divinae per essentiam iam sunt, ob aliquem effectum quem ibi de novo causet persona missa; c) cum autem omnes operationes ad extra efficienter communes sint tribus personis, ut a.1 probatum est, effectus ad quem mittitur persona missa non ei tribuitur, nisi vel terminative, vel appropriative et manifestative; primum est proprium missionis Verbi in Incarnatione; alterum in omni missione dari potest, et peculiari hoc modo exponi debent missiones Spiritus Sancti¹.

Inde definitio quae tradi solet MISSIONIS in divinis: «processio originis unius personae ab alia cum habitudine ad novum modum existendi in termino extrinseco»; processio enim ponitur in definitione ut communicatio voluntatis.

Divisiones missionum, et quatenam sint operationes ad extra quae missiones proprie dictas afferant, in scholio dabimus.

557. Patet ergo *sensus thesis*: personae procedentes vere et proprie mitti dicuntur, et quidem secundum divinitatem et a personis a quibus procedunt, Filius a Patre, Spiritus Sanctus a Patre et a Filio. Dicimus VERE ET PROPRIE, ideoque excludimus aliquam personam proprie mitti a semetipsa vel a persona a qua non procedat. Reperiuntur quidem quaedam locutiones in quibus dicitur Patrem et Filium mitti a semetipsis, et Filium mitti a Spiritu Sancto, ut in *Toletano XI* (D 285) (cf. q.43 a.8). Verum his modis loquendi, aliunde rarissimis et in Scriptura revera non fundatis, aut mitti sumitur improprie quasi venire, neque aliud significare volunt quam unitatem operationis ad extra quam connotat missio; aut agitur de missione Christi ut hominis a Spiritu Sancto secundum voluntatem humanam².

¹ De conceptu missionis divinae v. SUÁREZ, l.12 c.2.3; SCHEEBEN, *Die Mysterien...* § 27 (ed.hisp. 160-166); quidditas missionis apud Patres exponitur a RUIZ, d.108 s.2.3; E.BAILLEUX, *Le cycle des missions trinitaires d'après St.Thomas*: RevThom 63 (1963) 165-192.

² Cf. RUIZ, d.108 s.8-11.

Adversarii sunt partim *photiani plures*, qui ne cogerentur admittere processione[m] Spiritus Sancti a Filio, quam vera missio tertiae personae a secunda includit, noluerunt verba S.Scripturae intelligere de missione personae divinae ut talis, sed non esse ibi sermonem nisi de donis creatis. Communiter tamen negant ipsi, duce ΠΗΟΤΙΟ, missionem divinam importare processione[m], quo eam inexplicatam relinquunt³.

Valor theologicus. Personas procedentes vere et proprie mitti *de fide* dici potest; explicatio theologica conceptus missionis *certa* est.

558. Probatur ex sacra Scriptura. Filius dicitur missus a Patre: *misit Deus Filium suum factum ex muliere* Gal 4,4, ubi dicitur missus Filius in ipsa Incarnatione, proinde ut persona divina. Christus quoque saepe dixit se missum a Patre, ut notum est: Io 5,23; 6,38ss; 7,28. Spiritus Sanctus dicitur mitti a Patre et a Filio: Gal 4,6; Io 14,26; 16,7. Pater vero numquam dicitur missus, neque ulla persona mitti dicitur ab alia a qua non procedat.

Sancti Patres saepe de missione divinarum personarum agunt, praesertim de missione Spiritus Sancti, ut iam vidimus. TERTULLIANUS ex missione sabellianos arguit: «dum alius qui mittit, alius qui mittitur» (R 376). Quod missio processione[m] importet probatur ex Patribus graecis ut vidimus agentes de processione Spiritus Sancti, qui saepe eodem nomine processionem et missionem declarant; idque conceptis verbis affirmat S.AUGUSTINUS: «Si autem secundum hoc missus a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius... ille a quo est qui mittitur, ille qui est ab eo qui mittit... Pater... non dicitur missus, non enim habet a quo sit» (R 1656 1657).

Ratio theologica probat possibilitatem et naturam missionis inter divinas personas, ex praenotatis. Nam in divinis datur vera communicatio voluntatis, etiam liberae, unius personae in aliam per processionem; datur etiam novus effectus creatus, ratione cuius novo modo aut titulo persona incipit alicubi esse; qui effectus potest ex intentione personae mittentis esse manifestativus personae missae. Ergo vere et proprie dari potest missio in divinis; neque est cur haec verba Scripturae sensu metaphorico accipiantur.

559. Obiectiones. Messias qui est Filius Dei dicitur missus a Spiritu Sancto: *Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus eius* Is 48,16; *Spiritus*

³ De conceptu photiano missionis, cf. M.JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientaliu[m] ab Ecclesia catholica dissidentiu[m]* (Paris 1933) 2,233-257.

Domi[n]i super me, eo quod unxerit me Dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me Is 61,1, quae Christus Lc 4,18 refert ad se.

In priore loco loquitur propheta, non Messias. In altero subiectum verbi misit est *Dominus*, non *Spiritus*, nam hebraicum *schelaschani* forma masculina nequit referri ad *ruaj* generis feminini, ac subiectum immediatum verbi misit non est *ruaj* (Spiritus), sed *Iahve* (Deus). Praeterea hic locus, si opus esset, intelligi posset de missione Christi quoad voluntatem humanam, ut aliqui exposuerunt⁴.

Ceterae obiectiones quae imperfectionem in missione inferrent ipsa expositione praeoccupatae sunt.

560. Scholion. DIVISIONES MISSIONUM. 1. Missio personae divinae dicitur *visibilis* aut *invisibilis*, secundum naturam termini ad extra quem implicat. Visibiles sunt missio Filii in Incarnatione, et missiones *Spiritus Sancti* sub specie columbae in baptismo Christi et linguae igneae die Pentecostes, cuius veluti continuatio fuerunt carismata primaevae Ecclesiae, licet theologi non soleant ea inter missiones recensere. Missio Verbi in Incarnatione *substantialis* dicitur, quia in illa Verbum univ[er]sitati sibi substantialiter naturam humanam Christi. Missiones visibiles Spiritus Sancti sunt mere *manifestativae*, in quantum figurae visibiles sunt tantum signa specialis praesentiae vel actionis Spiritus Sancti sine unione cum illo.

2. Ex communi consensu theologorum missiones proprie dictae intelliguntur semper *dirigi ad personam*, non ad entia quae ratione carent; sunt enim manifestativae personae missae. Etiam communis tenent theologi missiones pertinere secundum effectum *ad ordinem supernaturalem*, ac missiones visibiles ordinari ad invisibiles. Immo post S.AUGUSTINUM recensere solent inter missiones eas tantum de quibus constat in S.Scriptura, nempe missiones visibiles Verbi et Spiritus Sancti et missionem invisibilem Spiritus Sancti in animis iustorum⁵.

561. 3. Quaestio discussa fuit an *theophaniae* V.T. recenseri debeant inter missiones. Id tenent Patres *ante-nicaeni*, qui dicebant in illis Verbum praeludere Incarnationi, ac plures Patres *graeci*⁶. Verum a S.AUGUSTINO⁷ latini id negare solent⁸. Nec sine causa. Licet enim personae procedentes voluntatem ponendi quemcumque effectum externum a persona producente accipiant, tamen ad rationem missionis asserendam etiam natura termini exquiri debet, ac quaeri an in effectu appareat intentio manifestandi personam procedentem. Iam in theophaniis V.T. non satis patet manifestatio Verbi ut personae distinctae a Patre, neque sunt effectus ad id producti. Quod a fortiori valet de creatione, ubi aliqui Patres antiquiores, nimis ut vidimus extollentes functionem cosmologicam Verbi, eam velut missionem intellexisse videntur. Ideo notant theologi sacramenta non esse missiones Spiritus Sancti, etsi in illis confertur gratia et donatur Spiritus Sanctus; nam illa signa, ut quid externum, non sunt effectus ad hoc specialiter producti ut ostendatur persona divina, sed sunt res existentes quae eleventur ad productionem gratiae.

Missionem visibilem Verbi in Incarnatione continet tractatus *De Verbo Incarnato*.

⁴ V. comment. in Lc. 4,18.

⁵ SUÁREZ, l.12 c.3; RUIZ, d.108 s.8-11.

⁶ V. supra c.1 a.2 in appendice; DE RÉGNON, 3,88ss.

⁷ S.AUGUSTINUS l.2,3 et 4 *De Trinitate*: ML 42,845-912, multis versat hanc rem ac saltem inclinat in sententiam negantem.

⁸ S.GREGORIUS MAGNUS, *Moralia* prol.n.3: ML 75,510; S.THOMAS, 1,2 q.98 a.3 et alibi, et cum eo scholastici communiter negant fuisse missionem visibilem Verbi ante Incarnationem; cf. SUÁREZ, *De angelis* l.6 c.20 et 28; RUIZ, d.109 s.9-12; PESCH, 474.

ARTICULUS III

DE MISSIONE INVISIBILI SPIRITUS SANCTI

562. Quae de missione invisibili Spiritus Sancti in animam iusti agi debent, magnam partem attinguntur in tractatu *De gratia*, praesertim nostris diebus. Cum enim terminus huius missionis sit inhabitatio in anima iusti, quae est gratia increata intime et inseparabiliter connexa cum gratia habituali creata et cum effectibus eius formalibus, recte factum ipsum inhabitationis, eius natura ac relationes cum gratia creata ad quaestiones de gratia remitti possunt. Antiqui vero theologi potius hoc capite de missionibus illa egerunt, ut accuratius declararent missionem tertiae personae. Mediam quamdam viam tenentes, illis utcumque delibatis quae ibi tractantur, in quantum necessaria videantur, ea expendemus quae peculiari ratione nostro tractatui reservantur, factum missionis personalis Spiritus Sancti in sanctificatione iusti, et an terminus illius proprius sit tertiae personae Trinitatis, an tribus communis.

Thesis 49. In iustificatione Spiritus Sanctus mittitur ad inhabitandum in anima iusti.

S.Th., q.43 a.3.6; SUÁREZ, l.12 c.5; RUIZ DE MONTOYA, 109; FRANZELIN, th.43.44-47; PESCH, 662-684; GALTIER, 399-414.

563. **Nexus.** Factum inhabitationis Spiritus Sancti in anima iusti, quae iustificationem ac gratiae infusionem inseparabiliter comitatur, tractatui de gratia stabilendum relinquimus¹. Hic autem insistimus in missione Spiritus Sancti, quam factum illud continet; licet probationes eadem fere sint.

Notiones. IUSTIFICATIO hominis fit per infusionem gratiae habitualis, ut constat ex proprio tractatu; intellegimus autem tam primam, quam secundam seu augmentum eius. Haec gratia creata inseparabilis est a gratia increata, seu donatione et inhabitatione divinarum personarum in anima iusti. Iam hanc *donationem et inhabitationem*, non solius tertiae personae, sed totius Trinitatis, dicimus continere *missionem* Spiritus Sancti. Nulla est difficultas ut etiam secunda persona missa dicatur (a.5); verum cum fontes vix ita loquantur, rem omittimus.

Ex conceptu missionis superius elaborato missio Spiritus Sancti in iustificatione includit eius *processionem* a Patre et a

Filio, qua voluntatem accipit effectus peculiaris, sive efficientis, sive formalis, in iustificato praestandi, atque hunc ipsum *effectum*. Constat autem *productionem gratiae* per modum causae efficientis a Spiritu Sancto simul cum aliis duabus personis effici, eique peculiari ratione adscribi seu appropriari, ut dictum est; posset igitur intelligi missio Spiritus Sancti ita ut terminus eius esset tantum productio gratiae creatae. Verum hoc uno non satisfaceret fontibus theologicis, qui conceptis verbis efferunt missionem tertiae personae ad effectum quemdam *permanentem* veluti *formalem*, quem nomine inhabitationis designant. Ideo asserimus Spiritum Sanctum mitti *ad inhabitandum in anima iusti*.

De ratione autem formali huius inhabitationis, seu de *titulo* speciali quo divinae personae, quae per immensitatem ubique praesentes sunt, novo modo in iusto inhabitant, diversae sunt sententiae theologorum, de quibus in tractatu *De gratia*; quid verisimilius nobis videatur ut complementum thesisi in scholio indicabimus.

564. **Adversarii.** *Photiani* plures, ut iam diximus, veram Spiritus Sancti missionem negant, totumque quod his verbis exprimitur ad dona creata referunt. Quidam antiqui theologi dicuntur substantialem praesentiam divinarum personarum in anima negare aut parvipendere². RIPALDA et VIVA³ nimis ieune et parum accurate eam declarare videntur, licet acriores iusto videantur censurae quorundam auctorum recentiorum in ipsos; ut reiciendae sunt censurae illorum theologorum in LESSII et PETAVII⁴ opiniones, qui certe excessu quodam locuti sunt. Ceteri theologi thesisi, ut declarata est, unanimiter tenent.

Lessius et Petavius, etsi admittebant gratiam habitualement creatam, putaverunt eam non esse nisi vinculum animae cum Spiritu Sancto, imo neque omnino necessariam ad filiationem adoptivam, quae formaliter per inhabitantem Spiritum Sanctum haberetur. Ripalda et Viva in oppugnanda hac sententia participationem naturae divinae intelligunt esse tantum in ordine morali, ac inhabitationem nimis quasi metaphorice explicare videntur.

Doctrina Ecclesiae. Inhabitatio Spiritus Sancti in iustis traditur in *Symbolo Epiphani* (D 13), in *Tridentino* (D 807 898 904), in *Encyclicis Divinum illud et Mystici Corporis*, et li-

² Ita SUÁREZ, l.12 c.5 n.2.

³ RIPALDA, *De ente supernaturali* d.132 n.95; VIVA, *De gratia* d.4 q.3 n.4.

⁴ LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* l.12 c.11; *De summo bono* l.2 c.1; PETAVIUS, l.8 c.6; cf. PESCH, 689.676-680.

¹ V. S.GONZÁLEZ, *De gratia*, in hac *Summa* 3,219-231.

cet explicite conceptus missionis non de novo doceatur in documentis ecclesiasticis, cum non fuerit ratio illius rei tractandae, eam continent in verbis Scripturae allatis.

Valor theologicus. Factum ipsum missionis Spiritus Sancti *de fide* videtur, eiusque negationem errorem dicit S. Thomas (a.3) et cum eo theologi communiter; sub explicatione tradita thesis est *certa*.

565. Probatum ex sacra Scriptura. Missio Spiritus Sancti in fideles et in Ecclesiam promissa est a Christo: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum* Io 14,16; *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem Pater mittet in nomine meo* Io 14,26; *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* Io 15,26. Factum missionis docet S. Paulus: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, Pater!* Gal 4,6. Terminis huius missionis est donatio Spiritus Sancti: Rom 5,6, qui est, et manet, et inhabitat in iustis ut in templo: Rom 8,9-11; 1 Cor 3,16; 6,19; 2 Cor 6,16; Io 14,16; quae locutiones in complexu saltem, nequeunt nisi de ipsa persona divina intelligi.

Sancti Patres quam frequenter, *graeci* praesertim, inhabitationem Spiritus Sancti ad rationem iustificationis pertinere doceant, ita ut nisi per illam fieri nequeat, notum est⁵; id illis argumentum est maximum divinitatis Spiritus Sancti, cui tamquam nota distinctiva sanctificatio tribuitur; in quibus missio tertiae personae saepe explicite, semper implicite saltem, clara continetur. Plura adduximus v. S. IRENAEUM (R 219), S. ATHANASIVM (R 770 778), S. CYRILLUM HIEROSOLYMITANUM (R 813), S. BASILIVM (R 915 944), S. IOANNEM CHRYSOSTOMUM (R 1186), S. CYRILLUM ALEXANDRINUM (R 2107 2114); inter latinos S. HILARIUM (R 872) et S. AUGUSTINUM⁶. Huc pertinet nomen donum Spiritui Sancto datum.

In LITURGIA frequens est invocatio adventus Spiritus Sancti: «Veni Creator Spiritus», «Veni Sancte Spiritus», «ut Spiritus Sanctus adveniens templum nos gloriae suae dignanter inhabitando perficiat»⁷, qui ideo est «altissimi donum Dei», «dulcis hospes animae»; iam adventus Spiritus Sancti est eius missio a Patre et a Filio a quibus procedit.

566. Ratio theologica declarare potest maximam saltem congruentiam missionis Spiritus Sancti ad inhabitandum per

⁵ Cf. PETAVIUS, I.8.

⁶ Epistola 187 ad Dardanum 6: ML 33,837ss.

⁷ Collecta in f.4 infra oct. Pentecost.

gratiam. Gratia enim est participatio naturae ac vitae divinae; vita autem Dei in processionibus divinis consistit; participat ergo iustus per gratiam Spiritum Sanctum ut procedentem a Patre et Filio per amorem. Congruit ergo quidditati gratiae, quod ipsam Spiritus Sancti personam, sicut alias duas, quasi secum trahat ad inhabitandum permanentem in anima, quam peculiari et divina actione moveat et dirigat: Rom 8,14; Io 14,26; haec autem inhabitatio necessario terminus est missionis tertiae personae. Ideo apparet congrue revelationem personae ac processionis Spiritus Sancti per revelationem eius missionis factam esse; sanctificatio enim nostra optime manifestat notas personales Spiritus Sancti, ut pulchre docet LEO XIII: «Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine inhabitatio dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua celites Deus beando complectitur... de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur...; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est alius nemo nisi iustus est particeps...; ipse primus summusque Amor animos moveat agatque ad sanctitatem, quae deum in amore Dei continetur»⁸.

567. Obiectiones. 1. Locutiones S. Scripturae explicari possunt per meram productionem gratiae appropriatam tertiae personae, quin novam quamdam nescio quam inhabitationem in anima, imo nec missionem tertiae personae, necessario inferant.

Nego assertum ex ipsis locis Scripturae et ex perpetua traditione. Neque photiani in negandam missionem venerunt, nisi coacti necessario conceptu processionis Spiritus Sancti a Filio incluso in missione.

2. Christus dicitur etiam habitare ac vivere in nobis: Eph 3,17; Gal 2,20. Atqui tamen Christus homo non substantialiter ac physice in nobis habitat. Ergo nec Spiritus Sanctus.

In primis Christus ut Deus certe eodem modo atque Spiritus Sanctus in nobis habitat; non autem Christus secundum humanitatem. Verum notum est eadem verba diverso sensu accipi posse ac debere, si id postulat res ipsa et interpretatio traditionis. Non est ergo paritas in argumento. Accuratam Christi praesentiae expositionem affert Encyclica *Mystici Corporis* 9.

3. Deus est ubique per immensitatem. Ergo proprie dici nequit personam divinam de novo venire ad inhabitandum in iustis.

Nego cons. Novus titulus praesentiae explicari potest, ut alias, ex hoc quod, etiamsi persona divina non ibi esset per immensitatem, fieret praesens nova hac ratione. Ac licet non una sit opinio de ratione formali huius praesentiae, non ideo ratio ulla est ad negandum factum in fontibus tam clare contentum.

Corollarium. Missio Spiritus Sancti habetur non solum in prima gratiae infusione, sed etiam in eius augmento, ut probabilius docent plures theologi¹⁰. Dabatur etiam in gratia collata iustis V.T., ut contra PETA-

⁸ Cav 546.547.

⁹ AAS 35 (1943) 230ss.

¹⁰ S.Th., a.6 ad 2.3; SUÁREZ, c.5 n.16 etc. Praesentiam veluti experimentalem Sanctissimae Trinitatis dari in statibus mysticis notum est. V. quae de communicationibus Trinitariis in vita mystica S. Ignatii disserit V. LARRAÑAGA, *Obras completas de S. Ignacio de Loyola*, t.I BAC (Madrid 1947) 634-640.

VIUM¹¹ tenetur. Neque obstant verba Io 7,39: «non erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus», quae referuntur ad plenam effusionem die Pentecostes.

568. Scholion. De ratione formali inhabitationis Spiritus Sancti in anima iusti diversae sunt sententiae theologorum¹². Haec quidem quaestio connexa est cum alia: an inhabitatio sit effectus formalis gratiae, an pertineat ad rationem causae formalis iustificationis; qui enim huic sententiae adhaerent logice rationem formalem inhabitationis constituunt in ipsa productione seu infusione gratiae; qui autem priorem tenent, consequenter inhabitationem ponunt in aliqua ratione quam secum ferat gratia.

Iam vero communior sententia theologorum inhabitationem habet effectum formalem gratiae sanctificantis seu habitualis creatae¹³; ita S.Thomas q.43 a.3 ad 1 et 2; nunc autem non pauci sunt qui hoc vel illo modo alteri sententiae potius conniveant¹⁴. Probabilior videtur ac retinenda prior explicatio. Participatio enim physica et intrinseca naturae divinae, qui est conceptus primarius gratiae ac renovatio intrinseca hominis, confundi non debet cum praesentia extrinseca substantiali divinae personae in anima, quae alio modo utcumque dici potest participatio naturae divinae, ad modum quo dicere possumus nos participare ea quae nobiscum habemus¹⁵, ut loquantur interdum Patres graeci. Neque filiatio adoptiva ullo modo per inhabitationem Spiritus Sancti explicari formaliter potest; imo satis S.Paulus hanc posteriorem dicere videtur: Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui corda vestra Gal 4,6; et S.Ioannes 14,23; Si quis diligit me... ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. E contra bene explicari potest gratiam ipsam creatam secum ferre veluti effectum formalem inhabitationem divinarum personarum, ut in probatione innumis, gratia enim creata concipi non debet ut qualitas mere absoluta, sed cum relatione ad divina, per quam ut per effectum formalem primarium definitur¹⁶.

569. Iam in ipsa quaestione de ratione formali inhabitationis quadruplex fere datur explicatio theologica. VÁZQUEZ eam collocare videtur in praesentia quam supponit et infert productio et conservatio gratiae¹⁷. SUÁREZ exponens sententiam S.THOMAE (q.43 a.3) in exigentia amicitiae, quae est effectus formalis gratiae; haec autem amicitia, ex clara eius expositione, non est praecise actualis, seu actus amoris amici, sed habitualis; praesentia autem personarum, ut iterum perspicue docet, non est praesentia intentionalis, sed substantialis, ut amicus frui possit amico per suos actus¹⁸. IOANES A S.THOMA cum aliis thomistis videtur inhabitationem ponere, supposita utique praesentia per immensitatem, in actibus cognitionis et amoris, addita

¹¹ L.8 c.7; cf. G. PHILIPS, *La grâce des justes de l'Ancien Testament*: EphThLov 23 (1947) 521-556; 24 (1948) 23-58. LEO XIII in Encyclica *Divinum illud* ut certum id tradit (Cav 543); v. FRANZELIN, th.48; PESCH, 690.

¹² V. BERAZA, *De gratia* 442-455; LANGE, *De gratia* 442-462; GONZÁLEZ, *De gratia* 227-229; ubi plures auctores notatos reperies; cf. th.50; K.RAHNER, *Zur scholastischen Begrifflichkeit der ungeschaffenen Gnade*: ZeitsKatTh (1939) 137-156; *Schriften zur Theologie I* (Einsiedeln 1956) (ed.hisp. 349-377) 347-373.

¹³ In omnibus fere tractatibus *De gratia* inhabitatio recensetur inter effectus formales gratiae habitualis; cf. BERAZA, l.c.

¹⁴ Non quod explicite semper quaestionem sibi proponant: cf. J.MARTÍNEZ GÓMEZ, *El misterio de la inhabitación del Espíritu Santo. Relación entre la inhabitación del Espíritu Santo y la gracia creada*: EstEcl 14 (1934) 287-315; 15 (1935) 20-50; sed quod eam opinionem inquant, aut ea sequatur ex iis quae docent.

¹⁵ V. MARTÍNEZ GÓMEZ, l.c., 41 nota 95.

¹⁶ Difficultates speculativas alterius sententiae innuit LANGE: Schol 10 (1935) 619 in recensione art. MARTÍNEZ GÓMEZ.

¹⁷ In 1 p. d.30 c.3. Auctores qui antesignanos harum expositionum sequuntur v. apud GONZÁLEZ, l.c.

¹⁸ L.12 c.5. Eius sententiam non exacte propositam a pluribus auctoribus reperies.

experimentali quadam Dei cognitione¹⁹. Tandem GALTIER expolit sententiam VÁZQUEZ, et satuit in productione gratiae dari simul communicationem substantialem personarum ad eas in se cognoscendas et amandas²⁰. Nec desunt qui omnes has rationes in unam conferant plenam explicationem inhabitationis Spiritus Sancti²¹.

Existimamus autem ex dictis productionem gratiae, quocumque tandem modo exponatur, excludendam esse a ratione formali inhabitationis. Quidquid autem praesentiae ex parte productionis gratiae inferatur aut requiratur habetur simpliciter per immensitatem, ut iure contra VÁZQUEZ argui solet; secus quicumque novus effectus cuiuscumque ordinis esset missio et novus titulus inhabitationis. Praeterea missio Spiritus Sancti dicitur in Scriptura ad habitandum, non ad producendam gratiam. Non ergo in ratione productionis quaeri debet novus titulus praesentiae Spiritus Sancti, sed in ratione exigentiae illius quam habeat terminus productus; ergo tandem in natura gratiae, et ut effectus eius formalis. Revera quae GALTIER²² addit ad hunc ordinem pertinent, et ea fere sunt quibus SUÁREZ suam expositionem proponit.

570. Perceptio vero experimentalis, licet daretur, sicut in universum mera praesentia intentionalis, non explicat exigentiam inhabitationis substantialis; sed nec S.THOMAS, nec SUÁREZ, eam intendunt; incassum ergo ex hoc capite reiciuntur sententiae eorum. Ratio autem amicitiae vere apta est ad hanc praesentiam physicam et substantialem exigendam. Haec enim, si perfecta est, exigit ex sua intima ratione praesentiam physicam amicorum quantum possibilis sit, ut sensu communi constat. Etenim, ut explicat S.THOMAS, «unio tripliciter se habet ad amorem; quaedam unio est causa amoris... Quaedam vero unio est essentialiter ipse amor, et est unio secundum captationem affectus... Quaedam vero unio est effectus amoris [sive actualis, sive habitualis], et haec est unio realis, quam amans quaerit de re amata» (1.2 q.28 a.1 ad 2). En novum titulum praesentiae Dei in anima iusti ex exigentia gratiae, quae est formaliter amicitia inter Deum et animam. Ideo praeferebam ducimus ut probabiliorum expositionem P.SUÁREZ.

Dicta Patrum graecorum, quae in hac controversia hic inde circumferuntur²³, accuratori examini subicienda videntur, in complexu doctrinae horum Patrum et in statu quaestionis quam tractant. Si enim, ut unum notemus, nimis litteraliter sumerentur, plures eorum locutiones, e contextu doctrinae evulsae, excluderent prorsus gratiam creatam ab eius effectu formali primario, participatione naturae divinae, et a ratione sanctificationis, quod nullo pacto ferendum esset. Iam Patres graeci non attingunt revera quaestionem quae hic controvertitur, de ratione formali inhabitationis. Quod ergo ex eorum doctrina afferri possit caute perpendendum est in quaestione quam ponunt. Toti enim sunt in probanda divinitate Spiritus Sancti, in quantum ei tribuitur sanctificatio creaturae per productionem gratiae ac per coniunctionem illius ut personae cum anima. Iam vero ad id eis sufficit explicare, quidquid est de ratione formali inhabitationis, fieri non posse ut sit persona creata, quae per sui efficientiam et coniunctionem nos faciat,

¹⁹ *De Trinitate* d.17; cf. A.GARDEIL, *L'estructure de l'âme et l'expérience mystique* (Paris 1927); M.CUEROVO, *La inhabitación de la Trinidad en toda alma justa según Juan de Santo Tomás*: CiencTom 69 (1954) 11488; L.CUNNINGHAM, *The Indwelling of the Trinity. A Historical-Doctrinal Study of the Theory of St. Thomas Aquinas* (Dubuque 1955); Q.DADEK, *Experimental Knowledge of the indwelling Trinity: an historical Study of doctrine of St. Thomas* (Mun-delein 1958).

²⁰ L.c., th.26.

²¹ Ita GONZÁLEZ, l.c., 229 4) 5).

²² L.c., 4558.

²³ Cf. praesertim MARTÍNEZ GÓMEZ, l.c., v. th.50.

sive formaliter, sive consequenter, participes naturae divinae. Haec si attenduntur, difficile videtur ex his Patribus cogens fieri argumentum pro alia sententia.

Thesis 50. Inhabitatio in anima iusti communis est tribus personis; Spiritui vero Sancto iure appropriatur.

S.Th., q.43 a.3.5; SUÁREZ, l.12 c.5; FRANZELIN, th.45-47; PESCH, 685-689; GALTIER, 415-435.

571. **Nexus.** Probata missione Spiritus Sancti, cuius terminus est inhabitatio in anima iusti, sponte oritur quaestio, an hic effectus quasi-formalis sit quid proprium tertiae personae, an quid commune tribus; in missione enim Verbi in Incarnatione, terminus est proprius secundae personae, nullo pacto quid attingens primam et tertiam, nam humanitas unitur hypostaticae soli Verbo; forte igitur quid simile cogitari posset de inhabitatione, quae est terminus missionis Spiritus Sancti.

Notiones et status quaestionis. Quid sit *commune*, quid *proprium* in divinis constat. Et quidem in hac quaestione non agitur de operatione divina productiva gratiae in ordine causae efficientis, satis enim constat¹ eam esse communem toti Trinitati; sed tantum de termino *quasi-formali*, quae est ipsa *inhabitatio*. Cum autem inhabitatio, quae revera saepe tribuitur Spiritui Sancto, dicatur etiam in Scriptura de Patre et de Filio, nemo est inter theologos qui non fateatur eam esse *communem* vero quodam sensu. Verum adhuc quaeri potest an ita communis sit, ut tamen, aut *titulo praecipuo* vel *formali* uni personae Spiritus Sancti conveniat, ita ut aliae non nisi per circuminessionem in anima iusti inhabitent; aut praeter habitationem substantialem communem, possit Spiritui Sancto tribui *modus quidam personalis praesentiae moralis*, qui aliis non competat; aut tandem an singulae personae *singulari titulo* veluti *personali* in iusto inhabitent.

Qui id existimant loquuntur de inhabitatione ut *propria et personali*; hic autem modus loquendi, licet permitteretur explicatio, omitti deberet, ut minus congruus cum vera notione personalitatis et proprietatis divinae, quae tota est in ordine subsistentiae *hypostaticae* et *relativae* ad intra². Qui autem has explicationes reiciendas putant, tenent inhabitationem non dici peculiari ratione de Spiritu Sancto nisi per *appropriatio-*

¹ V. supra th.47. Ideo omnis theoria, quae logice huic doctrinae contradiceret, excludi debet.

² Ideo H.SCHAUF, *Die Einwohnung des hl.Geistes. Die Lehre von der nichtappropriierten Einwohnung des Heiligen Geistes als Beitrag zur Theologiegeschichte des neunzehnten Jahrhunderts unter besonderer Berücksichtigung der beiden Theologen Carl Passaglia und Clemens Schrader* (Freiburg 1941), eam non nisi «non appropriatam» appellari vult.

nem, in quantum datur in inhabitatione cognatio quaedam aut affinitas peculiaris cum tertia Trinitatis persona eiusque processione.

572. **Sententiae.** *Communior* est sententia negans quamlibet omnis generis proprietatem aut quasi-propietatem inhabitationis Spiritus Sancti in anima iusti, ita ut tres divinae personae aequae primo et per se in iusto inhabitent, nec nisi per appropriationem Spiritui Sancto peculiariter tribuatur; et hoc sensu thesim tenemus³.

PETAVIUS⁴ putavit posse poni specialem quamdam rationem «qua se Spiritus Sancti persona sanctorum mentibus applicet, quae ceteris personis non competit». Id autem in doctrina Patrum graecorum reperiri putat, eo quod personae Spiritus Sancti veluti character personalis tribuatur virtus sanctificatrix, ideoque Spiritus Sanctus donetur ratione sui et unione quasi-personali, ceterae autem non nisi per ipsum et in ipso; se autem «rem nondum compertam satis» habere. Ei adhaeserunt pauci quidam⁵.

Saec.XIX quid plus minus simile, licet non clare nec sine attemperationibus plurimis, non pauci theologo proposituerunt⁶. Modos quosdam peculiare statuunt, quibus singularem inhabitationem Spiritus Sancti etiam ad Filium extendunt, aut etiam ad Patrem, SCHEEBEN⁷, WAFFELAERT⁸, ac praesertim DE RÉGNON⁹, qui sprete scholasticorum appropriatione, eo pervenit ut *proprium* ac peculiarem *influxum singulis personis* tribuat, e quibus reales relationes diversae ad singulas personas in anima orientur.

Iuverit tamen animadvertere has modificationes tandem thesi praecipuae PETAVII de *quasi-proprietate* reperta in Spiritus Sancti inhabitatione contrarias esse.

³ Haec sententia est omnium fere theologorum qui tractatus dogmaticos scripserunt; cf. T.URDÁNOZ, *Influjo causal de las divinas personas en la inhabitación en las almas justas: RevEspT 8* (1948) 179-180.

⁴ *De Trinitate* 1.8 c.6ss.

⁵ Ante saec.XIX numerantur tantum ut qui huic sententiae adhaeserint A.LAPIDE, THOMASSINUS, GRANDIN, WITASSE et DE RUBEIS; cf. SCHAUF, o.c., 248; J.SAGUÉS, *El Espíritu Santo en la Santificación del hombre según la doctrina de S.Cirilo de Alejandria: EstEcl 21* (1947) 37; nec forte res est adeo clara.

⁶ Longam satis recensionem auctorum saec.XIX qui in idem consentiant cf. apud nuper citatos scriptores et apud A.ERÖSS in articulo infra notando. An de omnibus res omnino pateat accuratus investigandum dixeris. Ut antesignanos refert SCHAUF, PASSAGLIA, SCHRADER et JOVENE.

⁷ *Die Mysterien* § 30.31.58 (ed.hisp. 178-195.412-419); *Dogmatik* 2, § 169. Cf. A.ERÖSS, *Die persönliche Verbindung mit der Dreifaltigkeit. Die Lehre über die Einwohnung des Heiligen Geistes bei M.Jos.Scheeben: Schol 11* (1936) 370-395; SCHAUF, o.c.; M.DONNELLY, *The indwelling of the Holy Spirit according to M.J.Scheeben: ThS 7* (1945).

⁸ *Disquisitio dogmatica de unione iustorum cum Deo: CollBrug 15* (1910) 442-453.625-627; 16 (1911) 6-16.

⁹ O.c. *Etude XXVII*, 4,501-575; praesertim 551-552; cf. etiam 302-355.466-849.

Doctrina Ecclesiae. LEO XIII in Encyclica *Divinum illud* quae tota de Spiritu Sancto est, accuratae expositioni eius actionis et munerum praeponebat ac commendat doctrinam de *appropriatione*; ac singulari modo postquam inhabitationem communem toti Trinitati dixit, eam Spiritui Sancto peculiari ratione attribui seu appropriari dicit¹⁰.

Valor theologicus. Thesis est *communior*.

573. Probatur ex S.Scriptura. Venire in animam, manere in anima, sicut saepe dicitur de Spiritu Sancto, etiam dicitur de Patre et de Filio: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* Io 14,23. Ut iustus est templum Spiritus Sancti 1 Cor 6,19, ita est templum Dei vivi 2 Cor 6,16, quo nomine designatur Pater, ac *portamus Deum* in corpore nostro 1 Cor 6,2. Sanctificatio et munia ad eam pertinentia eodem modo dicuntur facta *in Spiritu* et *in Christo*. Ergo utcumque emphatice saepe inhabitatio tribuatur Spiritui Sancto, non illi propria est, sed communis tribus personis, tertiae vero tantum appropriata.

574. Probatur ex traditione¹¹. *Patres graeci*, praesertim S.CYRILLUS ALEXANDRINUS, statuunt principia opposita theoriae petavianae eiusque modificationibus, nempe iustificationem easdem prorsus inferre relationes aequae immediatas ad Patrem et ad Filium atque ad Spiritum Sanctum; atque in iis contineri immediatam communicationem *naturae* divinae.

a) Communicatio cum Patre et Filio intenditur *per se ipsa*, non minus quam inhabitatio Spiritus Sancti, in iustificatione; iustificatio est enim «participatio Filii ut Dei», «configuratio ad Filium», divinae naturae participatio per habitudinem ad Filium qua «formatur in nobis Filius» et conformamur ad eius filiationem, qua deificamur. Est etiam «copulatio, coniunctio, conglutinatio cum Patre, «consummatio in unitatem ad Deum et Patrem per mediatorem Christum»¹².

b) Communicari cum Spiritu Sancto *non aliud est* quam communicari cum Patre et cum Filio; nam Spiritus Sanctus

¹⁰ Cav 608-610,543-547; etiam D (ed.32) 3331.

¹¹ V. hanc probationem apud GALTIER, 419-425; eiusdem auctoris *Le Saint Esprit d'après les Pères grecs*: AnalGreg 35 (Roma 1946); URDANOZ, l.c., 161-176. De doctrina S.CYRILLI cf. E.WEIGL, *Die Heilslehre des hl.Cyrrill von Alexandria* (Mainz 1905); J.MAHÉ, *La sanctification d'après S.Cyrille d'Alexandrie*: RevHistEcll 10 (1909) 30-40,469-492; L.JANSENS, *Notre filiation divine d'après S.Cyrille d'Alexandrie*: EphThLov 15 (1938) 233-278; H.DU MANOIR, *Dogme et Spiritualité chez Saint Cyrille d'Alexandrie* (Paris 1944) 232-255; B.DE MONTEGÓ, *La Teología del Espíritu Santo según S.Cirilo de Alejandria; Unidad y Trinidad, propiedad y apropiación en las manifestaciones trinitarias según la doctrina de S.Cirilo de Alejandria*: RevEspT 7 (1947) 161-220; 8 (1948) 1-57,275-328; J.SAGÜÉS, l.c.

¹² Dial. 3 et 4 De Trinitate: MG 75,833-837,904; In Ioannem 11 n.3; MG 74,509.

est quid proprium Patris et Filii, ita ut idem sit sanctificari per Spiritum Sanctum ac sanctificari per Patrem et Filium. «Sanctificatur [Christus] in Spiritu Sancto non quasi aliquis alius eum sanctificet, sed ipsomet potius se ipso operante». «Verbum quod natura sua sanctum est, in eo [Spiritu] perungit suum proprium templum... Filio sic perungente... Pater dicitur illud facere, nam Pater non operatur nisi per Filium»¹³.

c) Sanctitas quam Spiritus Sanctus confert per sui communicationem non est quid ei *proprium*, sed sanctitas *unica* trium personarum. Ita omnes Patres, ut S.BASILIIUS: «Bonitas nativa et naturalis sanctimonia ex Patre per Filium ad Spiritum permanat, in tribus hypostasibus cernitur sanctitas quae est secundum naturam» (R 953); Ideo S.CYRILLUS «praesentiam, adventum et participationem» connumerat iis quae tribus personis communia sunt «ratione unitatis naturalis»¹⁴.

d) Spiritus Sanctus communicatur non secundum quid proprium, sed secundum *substantiam divinam, communem* cum Patre et Filio, *quo probant divinitatem Spiritus Sancti*. S.ATHANASIIUS: «Si Spiritus communicatione efficitur consortes naturae divinae, nemo sane nisi insanus dixerit Spiritum non Dei sed creatae esse naturae» (R 780). S.BASILIIUS: «Deus in nobis per Spiritum inhabitare dicitur; nonne manifesta est impietas ipsum dicere deitatis exortem?»¹⁵. S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: «Cum Deus sanctus sit secundum naturam, sanctus substantialiter est Spiritus, ac propterea per ipsum et in ipso licet cuilibet fieri Dei sancti particeps»¹⁶. Ideo S.BASILIIUS explicite admonet: «Sanctificat et vivificat... et omnia huiusmodi pariter facit Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Nec quisquam praecipue tribuat Spiritui Sancto virtutem sanctificandi... Similiter reliqua omnia ex aequo (κατὰ τὸ ἴσον) peraguntur a Patre et Filio et Spiritu Sancto»¹⁷.

575. Ratio theologica. A. INHABITATIO IN IUSTO COMMUNIS EST TRIBUS PERSONIS.

I.º In primis propter consubstantialitatem nequit una persona inhabitare sine aliis; inhabitatio ergo necessario communis est. Ergo, ratio formalis inhabitationis nequit esse quid

¹³ In Ioannem 11 n.10; MG 75,548-549.

¹⁴ Dial. 7 de Trinitate: MG 75,1093.

¹⁵ Adv. Eunomium 3,5; MG 29,665.

¹⁶ Dial. 7 de Trinitate: MG 75,1120.

¹⁷ S.BASILII, *Epistola* 189,6-7; MG 32,693. De S.Gregorio Nysseno v. G.ISAYE, *L'unité d'opération divine dans les écrits trinitaires de S.Grégoire de Nyse*: RechScRel 27 (1927) 429-439; S.GONZÁLEZ, *La fórmula μία οὐσία τρεῖς ὑποστάσεις* en S.Gregorio de Nisa 54-68.

personale, sed quid ad substantiam divinam ordinem habens, nempe participatio naturae divinae, aut quid cum ea coniunctum.

2.^o Proprium singularum personarum in divinis non est nisi quod est rationis relativae et hypostaticae. Atqui inhabitatio seu unio cum anima iusti, quocumque modo concipiatur, nequit pertinere ad ordinem relativum ad intra neque ad ordinem unionis hypostaticae. Ergo non potest in Spiritu Sancto reperiri ratio aliqua qua peculiari ratione communicetur iusto, quaeque sit ratio cur aliae personae communicentur. In quo est discrimen cum Incarnatione, quae ad hypostasim ut talem pertinet. Ergo nequeunt tres personae singulari quoque titulo animae iusti uniri seu inhabitare, sed titulo prorsus communi¹⁸.

3.^o Ideo omnes theoriae adversae re ipsa incidunt in peculiarem *influxum operativum* in animam concedendum aut Spiritui Sancto, aut singularis personis, nam neque *unio moralis*, neque *nova unio formalis*, intelligi potest sine novo actu voluntatis aut nova operatione¹⁹. Atqui hoc repugnat thesi communi de unitate voluntatis et operationis ad extra.

4.^o Tandem omnes istae novae sententiae oriri videntur ex minus accurata consideratione doctrinae patristicae et theologicae de constitutivo *relativo* personae divinae, et ex neglecta explicatione theologica de *appropriatione*, quam tamen commendat LEO XIII, et valde apta est ad plene concipiendam unitatem divinam, quod tantopere effert ipse summus Pontifex initio Encyclicae *Divinum illud*.

576. B. INHABITATIO IURE APPROPRIATUR SPIRITUI SANCTO. Etenim

1.^o Appropriatio fundamentum positivum habet in frequenti et emphatica attributione uni personae quod de aliis etiam dicitur. Atqui inhabitatio in iusto, tam in Scriptura quam in Patribus, et dicitur de tribus personis, et frequenter valde tribuitur Spiritui Sancto.

2.^o Is modus loquendi explicatur, quia effectus aut attributum appropriatum aptum est ad manifestandam eam personam prae aliis. Atqui sanctificatio omnesque eius effectus formales valde apti sunt ad tertiam personam notificandam, quod pulchre vidimus supra expositum a LEONE XIII, eo quod Spiritus Sanctus procedat per amorem, ad quem maxime pertinet sanctificatio, tum ex parte Dei, tum ex parte iusti. Ideo «donum» dicitur Spiritus Sanctus q.39, licet omnes personae donentur.

3.^o Tandem excogitari potest ratio appropriationis sanctificationis Spiritui Sancto in causalitate *exemplari*, quae agendo

¹⁸ Postulat SCHAUF, o.c., ne excludatur inhabitatio «non appropriata» nisi evidenter repugnant ostendatur, cum agatur de mysterio. Verum haec theoria non est ipsum mysterium revelatum, sed declaratio quaedam, quae proinde admitti nequit, si cum principiis theologicis certis stare non posse videatur. Ut supra inuimus (prooem. c.5) quaestiones de divinis missionibus tractari non possunt nisi sub luce theologiae trinitariae *ad intra*.

¹⁹ V. peculiariae explicationes relictas apud GALTIER, 431-434; *L'habitation en nous des trois personnes* (Roma 1950) 90-143.

de re ad voluntatem pertinente, merito appropriari potest personae quae est in divinis Amor subsistens²⁰.

Si quis autem negligit processionem Spiritus Sancti per voluntatem, non est mirum quod nequeat bene explicare quae de Spiritu Sancto dicuntur.

577. **Obiectiones.** 1. Quaedam ex Patribus graecis allata non rem nostram agunt, sed productionem sanctificationis. Ergo thesim non probant.

Ut in scholio superioris thesi diximus, Patres graeci directe certe non tractant questionem de ratione inhabitationis, sed de causalitate divina in sanctificationem. Sed sicut in ordine actionis ex his locis apparet eos revera negare proprietatem quam alias videntur agnoscere, iure inde arguimus ad quamcumque proprietatem iterum negandam in omni genere causalitatis *ad extra*.

2. Patres graeci saepe Spiritum Sanctum vocant sanctitatis «auctorem ex se ipso (ἀγιοανουργουῦν)», ut qui sanctitatem ex se ipso confert; «virtutem sanctificatricem aut fontem sanctitatis» in divinitate²¹; imo S.BASILIIUS non veretur sanctitatem ac vim sanctificandi dicere proprietatem eius personalem²². Ergo tenent sanctificationem quid ei proprium.

1.^o Quod nimis probat nihil probat. Si enim haec strictim ut sonare videntur intelligenda essent, *solus* Spiritus Sanctus in Trinitate esset formaliter *sanctus* ac sanctificaret, ceterae autem personae tantum per coniunctionem aut participationem. Atqui haec manifeste absurda sunt, et conceptis verbis opposita his quae alias ipsi Patres, et nominatim S.BASILIIUS, expresse tradunt: «Spiritus Sanctus, ait, est sanctus quomodo sanctus est Pater et sanctus Filius», «sanctificatio sicut alia omnia, non est eius, nisi quia ab illis derivata est, ei competit coessentialiter cum Patre et cum Filio»²³.

2.^o Locutiones ergo Patrum, ut supra diximus, intelligi debent in contextu proximo et remoto eorum doctrinae. Iam cum Patres graeci Spiritum Sanctum ex se ipso fontem dicunt sanctitatis, non in oppositione ad alias personas dicunt, sed in *oppositione ad creatam*, et ad divinitatem tertiae personae probandam, ut patet legenti contextum Patrum²⁴. Postremum vero dictum S.BASILII ut appropriatio intelligi debet, utque practice apta sanctificatio ad illam personam prae aliis designandam (q.36 a.1; q.37.38).

3. Nihilominus aliquis modus proprietatis assignatur Spiritui Sancto in sanctificatione. Nam tandem aliquando semper fere utuntur hac formula, positive et negative: Pater et Filius sanctificant certe, sed in Spiritu Sancto, et non nisi in illo.

Dist. probat. Iste modus loquendi fundatur in proprietate personali Spiritus Sancti, ratione cuius communicetur formaliter ab ipso sanctificatio et inhabitatio, *nego*; fundatur in proprietate personali Spiritus Sancti ut procedente a Patre et Filio, ob quam *omnia opera ad extra* dicuntur prodire a Patre per Filium in Spiritu Sancto, *conc.* Id pluries efferunt Patres graeci, ut supra meminimus, estque modus loquendi rectissimus uno considerato modo processionis²⁵.

Neque ex nomine «doni» argui posse contra thesim, neque paritatem cum Incarnatione Verbi urgeri posse, satis in probationibus statuimus²⁶,

²⁰ FRANZELIN, th.47.

²¹ S.CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Thesaurus* assert.34; MG 75,581.593.596; *In Ioannem* 11 n.10; MG 74-548, et passim ipse et alii Patres.

²² *Epist.* 214.4; MG 32,789.

²³ *De Spiritu Sancto* 18,47; 19,48; MG 32,153.156; *Homilia* 15,3; MG 31,468.

²⁴ GALTIER, 427; cf. *L'habitation...* 533ss ubi probat thesim ex iisdem textibus quibus fundavit PETAVIUS suam theoriā.

²⁵ V. supra; GALTIER, *Le Saint Esprit...* 277-278.

²⁶ De tota hac quaestione lege quae notat GALTIER, *Le Saint Esprit...* 7ss, auctores saec.XIX qui favent theoriis contrariis thesi (PASSAGLIA, SCHEEBEN et DE RÉGNON non ex-

578. Scholion. De relationibus in iusto exortis in sanctificatione.

Ex disputatis patet relationes hominis ad Deum in opere iustificationis fundatas formaliter et immediate terminari omnes ad Deum ut unus est, ideoque ad tres personas Sanctissimae Trinitatis. Id evidens est de participatione naturae divinae; sed etiam de filiatione adoptiva dici debet, quae, ut notat S. THOMAS (3 q.23 a.2), pertinet ad totam Trinitatem, ideoque conceptis verbis asserit nos esse «filios totius Trinitatis», non autem Christus, qui solius Patris est Filius, ideoque nomen «Pater noster» tantum per appropriationem reservari Patri. Ergo nequit dici minus proprie oratio «Pater noster» dirigi ad alias personas; imo dicendum est id omnino proprie fieri.

Id tamen nullo modo officit appropriationi primae personae nominis Patris etiam respectu hominum, quae valde congrua est S.Th. l.c. ad 3, et fundata in usu Scripturae et Liturgiae. Nam etsi filiatio nostra adoptiva toto caelo differt a filiatione naturali Verbi divini, tamen quamdam cum ea cognationem habet; ideoque bene dici potest ipsam relationem ad Deum, quae ut supra diximus est communicatio vitae divinae Trinitatis, esse relationem filiationis respectu Patris et fraternitatis respectu Filii, praesertim in quantum nostram naturam assumpsit, sicut est relatio inhabitationis respectu Spiritus Sancti. Quae tamen, per appropriationem dicta, nullo pacto implicant peculiarem singularum personarum influxum, neque efficientem, neque formalem aut quasi-formalem, in animam iusti ²⁷.

ceptis) non inquisivisse in mentem Patrum graecorum, sed uni PETAVII documentationi et commentario fidisse; aut iis adhaerere quod videantur pietatem fovere in singulas personas Sanctissimae Trinitatis. Verum pietas in veritate fundari debet; nec minore in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum devotionem profiterentur theologi latini quae doctrinam communem tenent.

²⁷ In multis quae de his quaestionibus nostris diebus scribuntur, praeter iam relata, quaedam alia opera adnotamus. B.FROGET, *De l'habitation du St.Esprit dans les âmes justes d'après la doctrine de St.Thomas d'Aquin* (Paris 1900); P.LABORDE, *Dévotion à la Sainte Trinité* (Paris 1922); L.KOLPINSKI, *Le don de l'Esprit Saint* (Paris 1924); M.RETAILLEAU, *La Sainte Trinité dans les justes* (Paris 1923); J.BONNEFOY, *Le Saint Esprit et ses dons selon S.Bonaventure* (Paris 1929); L.RUDLOFF, *Des hl.Thomas Lehre von der Einwohnung Gottes in der Seele der Gerechten*; DivThom(Fr) 8 (1930) 17555; L.CHAMBAT, *Les missions des personnes de la Sainte Trinité d'après St.Thomas d'Aquin* (Paris 1943); J.BEUMER, *Das Verhältnis von geschaffener und ungeschaffener Gnade*; WissWeish 10 (1942) 22-41; J.SAGÜÉS, *El modo de inhabitación del Espíritu Santo según Sto. Tomás de Aquino*; MiscCom 2 (1946) 159-201; J.GONZÁLEZ, *La semejanza divina de la gracia, explicación de una inhabitación formalmente trinitaria*; RevEspT 8 (1948) 564-600; A.MICHEL, *Trinité (Missions)*; DTC 15, 183058; SCHMAUS, *Dogmatik* 372-376, 384-398; I.TRÜTSCH, *SS.Trinitatis inhabitatio apud Theologos recentiores* (Trento 1949); TH.FITZGERALD, *De inhabitatione Spiritus Sancti doctrina S.Thomae Aquinatis* (Mundelein 1949); J.NICOLAS, *Présence trinitaire et présence de la Trinité*; RevThom 50 (1950) 183-191; R.MORENCY, *L'union de grâce selon St.Thomas* (Montreal 1950); F.DE LANSVERSIN, *L'acte de foi et nos relations avec le T.S.Trinité*; RechScRel 40 (1951-1952 Mélanges Labreton) 298-306; E.BARDY, *Le Saint Esprit en nous et dans l'Eglise d'après le N.T.* (Albi 1950); D.GREINSTECK, *La causalidad ejemplar y la vida sobrenatural*; CiencTom 79 (1952) 575-610; P.DE LETTER, *Sanctifying Grace and Our Union with the Divine Persons; Sanctifying Grace and the Divine Inwelling*; TheolSt 13 (1952) 33-58, 14 (1953) 242-272; S.ZEDDA, *L'adozione a figli di Dio e lo Spirito Sancto* (Roma 1952); H.LYONS, *The grace of sonship*; EphThLov 27 (1951) 438-466; praesertim plures articulos F.BOURASSA: *Adoptive Sonship, Our Union with the Divine Persons*; TheolSt 13 (1952) 309-335; *Présence de Dieu et union aux divines Personnes; Don de Dieu Nom propre du Saint Esprit; Appropriation ou propriété? Rôle personnel des Personnes et relations distinctes aux Personnes*; ScEcl 6 (1954) 3-23, 73-82; 7 (1955) 61-90, 151-172; M.-E.BOISMARD, *La révélation de l'Esprit-Saint*; RevThom 55 (1955) 5-21; P.MANDREGANES, *Función misionera del Espíritu Santo*; Euntes Docete 8 (1955) 326-344; Q.DE BACIOCCHI, *Comment reconnaître la personnalité du Saint Esprit*; NouvRevTheol 77 (1955) 1025-1049; A.SOLIGNAC, *Le Saint-Esprit et la présence du Christ auprès de ses fidèles*; NouvRevTheol 77 (1955) 478-490.

A P P E N D I X

De duplici, ut aiunt, theologia trinitaria, latina et graeca

579. Exposuimus in tractatu de mysterio Sanctissimae Trinitatis doctrinam scholasticam de hoc ineffabili dogmate, eamque probavimus, quoad essentialia elementa, tam ex Patribus graecis quam ex latinis.

Est tamen hodie pervulgata opinio duplicem esse theologiam trinitariam, graecam et latinam, quae dogmate inconcusso, satis nihilominus diversam explicationem scientificam eiusdem praebent, etiam in thesibus magni momenti. Opere itaque pretium erit aliquid de hac re delibare, atque praecipua fundamenta expendere huius opinionis. Cum autem unus ex antesignanis illius, quem alii fere hoc vel illo modo secuti sunt, sit DE RÉGNON ¹, ex hoc auctore diversam hanc, quae dicitur, theologiam trinitariam exponemus.

580. Radix diversae conceptionis theologicae de mysterio Sanctissimae Trinitatis inter latinos et graecos, si eum audias, est quod priores primo naturam concipiunt, postea personam; e contra graeci prius aciem mentis in personam figunt, postea in naturam; seu latini naturam in recto, personam in obliquo considerant, graeci vero personam in recto, naturam in obliquo; latini persona est «natura personificata», graecis persona est «subiectum possidens naturam». Ideoque Trinitas latinis est una natura subsistens in tribus personis; graecis vero tres personae quae habent eandem naturam.

Iam naturae proprium est agere, personae vero habere et communicare; ideo latini processionem divinas concipiunt ut operationes naturae divinae, graeci vero ut communicationes substantiae. Pronum inde fuit latinis ut rationem processionum in natura divina atque in eius operationibus immantibus quaerent; en originem theoriae psychologicae de divinis processionibus, inchoatae a S.AUGUSTINO ² et per S.ANSELMUM a S.THOMA ad perfectionem deductae. Apud graecos vero nihil huiusmodi reperitur. nec processionem concipiuntur ut operationes naturae, sed ut donationes: Pater prima persona dat naturam Filio et per Filium Spiritui Sancto.

Aliud inde discrimen essentialia inter utramque theologiam exurgit: in latina unitas naturae est quid praerintellectum processionibus; in graeca quid ex processionibus resultat, in quo laborandum fuit ut periculum tritheismi aut subordinatianismi vitaretur per elaboratum conceptum circumincessionis. Tandem in ordine ad operationes ad extra latini adeo strictam unitatem totius Trinitatis operantis tenent, ut diversitatem attributionum quae in fontibus recurrunt ad meram appropriationem reducant; secundum graecos

¹ In opere sine dubio multis titulis praeclearo *Etudes de Théologie positive sur la Sainte Trinité* (Paris 1892-1898), *Etude V et VI* (v.1,302-435), et saepe in sequentibus. Non quod omnes, qui huius sententiae plus minus sunt, omnia quae hic auctor tradit sua faciant; verum illum communiter appellant nec sine laudibus; v. M.SCHMAUS, *Die psychologische Trinitätslehre des hl. Augustinus* (Münster 1927) 12, ac postea passim. Vestigia illius sequitur A.AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la filosofía y del dogma t.5* (Madrid s.a.) c.8-10 p.317-436, qui profundius adhuc discrimen inter utramque conceptionem statuit; ex hoc auctore idem docent X.ZUBIRI, *Naturaleza, Historia, Dios* (Madrid 1944), et J.ALONSO, *Naturaleza y fundamentos de la gracia de la Virgen*; EstMar 5 (1946) 155. Breviter hanc sententiam exponunt A.SEGOVIA, *Equivalencia de fórmulas en las sistematizaciones trinitarias griega y latina*; EstEcl 21 (1947) 435-437; MONSEGÚ, *Unidad y Trinitad... l.c.*, 2255 etc. Cf. C.WELCH, *The Trinity in Contemporary Theology* (London 1953).

² Theologia trinitaria S.AUGUSTINI exponitur opere M.SCHMAUS, *Die psychologische... nuper relato. Pro theologia Patrum graecorum, cf. A.SEGOVIA, l.c.*, 439-454-460-468.

e contra singulae personae proprio sibi modo operantur, qui ad appropriationem reduci nequit.

Haec sunt, nisi fallimur, substantialia ac praecipua discrimina ab his auctoribus constituta inter utramque theologiam graecam et latinam de Trinitatis mysterio. Utraque theoria, secundum illos, optima profert, verum neutra imperfectione caret; ipsi potius graecae adhaerent quam latinae, in qua duo maxime displicere videntur: explicatio *psychologica* processionum et doctrina de *appropriationibus*, quas graecis prorsus ignotas dicunt³.

581. Quid de his postremis sentiendum sit, nempe ea prorsus falsa esse, in propriis thesibus ostendimus, communemque theologiam latinam etiam in Patribus graecis fundari probavimus, tam appropriationes, quam praesertim processionem divinas esse per intellectum et voluntatem, quod ad doctrinam theologicam certam pertinere vidimus. Nunc autem in totam hanc expositionem quaedam breviter notabimus.

1.^o Et primo quidem «theologiae» trinitarias graecam et latinam multis capitibus non accurate inter se comparatas ab his auctoribus existimamus. Graeci enim Patres dogma exponere ac tueri contra adversarios haereticos non, ut theologi latini, systema quoddam theologicum construere, in animo habebant, licet sine dubio multa profundissime et magno mentis acumine de alto mysterio speculati sunt⁴.

2.^o Praeterea in toto opere P. DE RÉGNON oculos percellit quam revera levi quamque incompleto fundamento patristico, cum tamen de *theologia positiva* agatur, diversitas inter Latinos et Graecos statuatur; diceres potius ibi quosdam, saepe unum textum Patris cuiusdam, e contextu auctoris seiunctum, occasionem praebere speculationibus propriis scriptoris⁵. Nempe de facto quae latinorum propria dicuntur etiam magnam partem apud Graecos reperiuntur; ac vicissim quae Graeci tradunt, paucis exceptis, in latinam theologiam translata sunt. Et quidem mirum est tantopere in his insistere quae diversa videri possint, ac fere omittere illa quae praecipua et essentialia sunt, in quibus apprimae consonant Latini et Graeci, ut quae totam doctrinam intime pervadant, ut sunt quae ad relationes ut constituentes personas pertinent; earum videlicet locum non facile reperias in theoria Graecis imposita⁶.

582. 3.^o S. AUGUSTINUS, qui iure antesignanus latinorum dicitur, magnos Patres Graecos bene noverat, eos magistros habuit, eorumque doctrinam trinitariam in theologiam occidentalem transtulit. Sonat sine dubio quid novum Doctor Hipponensis de Trinitate agens; verum novitas non deest absoluta, sed potius evolutio et progressus, tam in methodo, quam in doctrina ulterius elaboranda et consecrariis eruendis eorum quae Patres Graeci tradiderant⁷.

Praecipuum revera discrimen quod inter Graecos et Latinos statui potest in hoc fere stat, quod *principium formale* divinarum processionum ulteriore

³ Diversum hoc iudicium, iam satis patens in opere De RÉGNON, magis se prodit apud AMOR RUIBAL, et eos qui eum sequuntur; cf. quae adnotat MONSEGÚ, l.c., 23-54; cf. J.M. DELGADO VARELA, *La doctrina trinitaria de Amor Ruibal*: RevEspTeol 16 (1956) 437-474.

⁴ Id notat SCHMAUS, o.c., 22-23; GALTIER, l.c., *Saint Esprit*... 8, 1288; ALEJANDRO DE VILLALMONTE, o.c. *Influjo de los PP. griegos*... 55588.

⁵ Lege prudens ac ponderatum iudicium quod de opere P. DE RÉGNON protulit X. LE BACHELET: Et 82 (1900) 852-863.

⁶ LE BACHELET, l.c., 854-856; SEGOVIA, l.c., 469-470; MONSEGÚ, l.c., 55-57; cf. supra c.3 et 4. Quanti momenti hoc caput sit v. apud J. DANIELOU, o.c., 343.

⁷ Id probat M. GORDILLO, *Theologia dogmatica comparata, De SS. Trinitate* (lithograph.) 12-18, qui haec statuit: A. S. Augustinus in suis tractatibus redigendis pendet a SS. PP. Graecis; B. S. Augustinus ita suum de Trinitate systema elaboravit, ut eius doctrina Graecorum systemati, quod evoluit, bene respondeat. Cf. etiam SCHMAUS, o.c., 416-447; J. PLAGNIEUX, *Les formules trinitaires grecques vues par Saint Augustin* (Paris 1952).

theologi Latini consideratione tractarunt, ac *constitutionem personarum* magis elaboraverunt, ut postulabat scientifica inquisitionis methodus ab ipsis adhibita, post periodum Patrum Graecorum, in qua dogmati potius defendendo insistere opus fuit. Verum etiam in hac re modus tenendus est; nam ipsam psychologicam methodum S. AUGUSTINI Patribus Graecis non ignotam esse quoad essentialia, constat ex his quae de processione Verbi agunt; ideoque falsum existimamus eam ut quid solis Latinis proprium proponere⁸.

4.^o Iam quae fundamento aprioristico huic theoriae sunt totamque pervadunt positivam expositionem, de *diverso personae et naturae conceptu* ac de *priore alterutrius consideratione*, vix subsistere posse videntur. In primis falsum omnino dici debet unitatem naturae divinae non esse Patribus Graecis quid cuilibet trinitariae speculationi praesuppositum, ut ipsis locis Graecorum adductis manifestum est (Pater enim communicat Filio non aliam naturam quam unicam divinam); cum etiam in revelatione, ut notum est, prius unitas Dei quam personarum distinctio clare saltem proposita sit, et naturali ratione, quae revelationis cognitionem necessario praebet, cognitus sit Deus ut natura unus, non trinus in personis⁹. Quod vero prius in naturam aut in personas acies mentis dirigatur (arbitramur enim agi de mera prioritate considerationis nostrae, non de prioritate quodam modo obiectiva, quae prorsus neganda esset, ut vidimus), non ea adversa consecraria habet, neque habere potest, si recta sit; imo utraque utilis ac necessaria est, atque ab omnibus reapse adhibita. Hac autem aut illa ratione doctrinam trinitariam exponere oriri potuit ex ipso statu quaestionis, quam Patres et Doctores agere debebant perpensis adiunctis¹⁰.

5.^o Nec philosophicam latinorum notionem de persona recte propositam existimamus; non enim facile scholastici concedent se naturam in recto, personam in obliquo considerare, cum apud omnes suppositum seu persona sit *quod*, natura autem *quo*. Quod autem Trinitatem attinet, tam Latinis quam Graecis, ut arbitrator, est et «una natura subsistens in tribus personis», et «tres personae habentes eandem naturam»; discrimen ergo statutum fictitium est. Quae vero quaestiones exsurgunt de conceptu hypostasibus et personae divinis applicato suo loco tactae sunt; in his diversi auctores substantialiter quoque consentiunt, licet diversa in iis reperiantur etiam in utraque theologia, ut in omnibus scientiis accidit cum ulteriori speculationi res subiciuntur.

6.^o Magis autem a veritate aberrare videtur diversum munus tributum naturae et personae, ac si prioris esset *agere*, alterius vero *habere et dare*, si sc. exclusive ista sumantur; nam et persona agit, ut est sensus communis, imo «actiones sunt suppositorum». Quod autem Patres Graeci processionem divinas non haberent ut operationes, et quidem naturales, non apparet quo vel levi fundamento innui potuerit. Nonne generatio operatio est, et quidem operatio naturalis? ac quo pacto communicatio divinae naturae haberi potuit nisi per operationem qua produceretur persona? Numquid vero Latinis processionem non sunt in divinis communicatio naturae? Quod vero, supposito ternario numero personarum in divinis, easque plures esse ob processionem, harum rationem in natura ipsa divina quaererent theologi, consonum valde erat, cum in divinis dari non possit nisi quid infinito modo connaturale. Verum ne id quidem praestiterunt nisi revelatione duce, quae

⁸ LE BACHELET, l.c., 563.

⁹ Vix capi posse videtur quo sensu possit esse sermo de natura divina una «abstracta» fere ad modum universalis, ut passim facit AMOR RUIBAL, cf. ALONSO, l.c., 43, quasi inde periculum crearetur theologiae latinorum. In divinis tam realis et concreta est unitas essentialis quam trinitas personarum; en mysterium quod omnes profitemur.

¹⁰ Latini quoque in considerandis processionibus ad intra incipiunt a persona, quae est principium *quod*, non a natura.

processionem Verbi et *naturalem*, utpote generationem, et *intellectualem* nomine ipso satis significabat ¹¹.

Tandem itaque quin negemus diversam quamdam faciem exhibere theologiam trinitariam graecam et latinam, sicut diversa quoque inter ipsos latinos et graecos reperiuntur, ratione praesertim quaestionum quas praecipue tractare debuerunt, ac diversi gradus scientificae elaborationis, eas nequam substantialiter diversas expositiones theologicas exhibere indubium existimamus.

¹¹ Mittimus alia in theoriis, quas hi auctores graecorum vocant, quae quo pacto intelligi valeant non satis patet, si formaliter loquimur, ut fit semper in scientifica inquisitione mysterii. Unum advertimus, in his speculationibus saepe in oblivionem dari, ut videtur, magna analogia, quae intercedit inter divina et creata, et inter denominationes divinas *ad intra* et *ad extra*.

TRACTATUS II

De Deo creante et elevante. De peccatis.

AUCTORE

P. JOSEPHO F. SAGÜÉS, S.I.

INTRODUCTIO

1. **Obiectum tractatus.** Cum theologia sit scientia de Deo, ipsum primo ac principaliter respicit in se ut unum et trinum seu per *considerationem Dei absolutam*. Sed cum, praeter Deum, sit mundus, illa Deum perfecte non cognosceret, si dein ac secundo etiam relationem ipsius ad mundum non curaret investigandam.

Hinc ergo ulterius agit de hoc, sed quatenus est a Deo et ad Deum seu ut est projectio analogica Dei, a quo pendeat in esse et ad quem participandum ac glorificandum tendat. «Sacra doctrina, ait S. Thomas, non determinat de Deo et de creaturis ex aequo, sed de Deo principaliter, et de creaturis secundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium vel finem» (1 q. 1 a. 3 ad 1).

Ergo noster tractatus est vere theologicus seu *De Deo*, cum res extra Deum non consideret nisi per earum respectum ad ipsum. «Omnia autem pertractantur in sacra Doctrina, ait Angelicus, sub ratione Dei: vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem» (a. 7). Haec est ergo consideratio Dei *relativa* seu per respectum ad creaturas. Quae ceterum in aliquo genere causae fundetur necesse est, cum nulla habitudo inter Deum et alia, extra causae et effectus rationem vel quae non revocetur ad hanc, reperiatur¹.

Et ideo praecise illa consideratio est vere necessaria ad Deum perfecte cognoscendum, nam «rei cuiuslibet perfecta cognitio haberi non potest, nisi eius operatio cognoscatur» (2 CG 1). Hinc theologia, Deum etiam in rebus extra ipsum quaerens, respicit mundum in genere sive ut egredientem a Deo per creationem sive ut destinatum ad ipsum glorificandum sive etiam quoad modum quo eum ad iustum finem Deus, per suum influxum et conservantem et concurrentem, perducit.

2. Sane *Deus creans* perfecte non cognoscitur nisi per respectum ad omnes res mundi; sed illa cognitio Dei creantis erit perfectior quo perfectius perspiciantur eae creaturae, quae in ceteris eminent. Hinc noster tractatus specialius considerat et hominem et angelum in eorum origine ac natura.

¹ Cf. Suárez, *De angelis*, prooem.

Quatenus theologia omnia quae diximus considerat, dicitur scientia *De Deo Creante*.

3. Deus vero, agens mere *ut creans*, gloriam a se intentam obtinisset in certo gradu, si hominem et angelum perfecisset iuxta ultimum finem naturae eorum proportionatum. At glorificationem sui et specie et gradu excellentiorem quaerens, iis addidit novas perfectiones, dona nempe supernaturalia gratiae, quibus ad ordinem divinum analogice efferrentur. Quo pacto etiam ipse mundus irrationalis etiam extrinsece elevari dicendus est, utpote qui homini ad illum finem inserviat.

Homini vero ulterius in Ada dona quaedam praeternaturalia (integritatis, immortalitatis, etc.) data sunt, quibus facilius suum finem ultimum attingeret². Omnia vero illa dona et supernaturalia et praeternaturalia primus homo Adam ita accepit et sibi et suis posteris destinata, ut, nisi ipse peccaret, his omnibus illa per generationem transmittenda essent.

4. De ea ergo et angeli et hominis elevatione etiam nobis agendum est. Et ideo noster tractatus dicitur *De Deo Elevante*. Cum vero duplex hominis ad ordinem supernaturalem elevatio distinguatur, alia in Ada effecta, alia serius per Christum in totum genus humanum inducta, nos, altera ad tractatus *De Verbo Incarnato* et *De gratia* remittentes, tantum de illa primaeva nunc disputare contendimus.

5. At cum et angeli et homines etiam sic perfecti peccare possent, plures angeli et primus homo de facto graviter peccarunt, ita ut illi angeli inferno puniendi traderentur, Adam vero omnia illa dona amitteret et suum peccatum posteris suis per generationem propagaret. En mysterium peccati, et in specie illius peccati hominis elevati, quod *originale* dicitur. Cum vero Deus illa peccata intentione suae gloriae obtinendae permiserit, etiam theologiae est de illis disputare. Ideo noster tractatus etiam dicitur *De peccatis*, cum ceterum, posita ratione logica mutuae relationis inter peccata, etiam agat per se et de peccato personali, sive mortali sive veniali, et de originali.

6. **Methodus tractatus.** Ut ex notione obiecti tractatus tradita patet, omnia ad ipsum pertinentia sunt religiosa; ex iis alia solum per revelationem, alia etiam per solam rationem naturalem cognosci possunt; in his postremis sunt essentialia relationes creaturae ad Deum principium et finem, quae proinde etiam a philosopho investigantur. At etiam quoad has alia

² De his pulchre in C.Vaticano, *Schema constit. de praec. myst. fidei* c.3: CL 7.555-557.

philosopho, alia theologo via sequenda est, cum ille a principiis lumine rationis sibi notis procedat, hic vero iis non utatur nisi per accidens, sed a principiis revelatis suam de mundo scientiam repetat.

Sic ergo, quidquid nobis dixerit sola ratio naturalis de creatione, nos partes theologiae sequimur, ita ut primo et per se quaeramus revelata de obiecto nostri tractatus. «Unde nihil prohibet de eisdem de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur» (I q.1 a.1 ad 2; cf. a.2s.7s). Ergo noster tractatus etiam ea quae lumine rationis naturalis attingi queunt respicit, sed per se ut revelata.

Lumine vero naturali etiam utitur theologia, etsi indirecte et quasi per accidens, seu non «ad probandum fidem... sed ad manifestandum aliqua alia quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei: ... Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt... Sed... quasi extraneis argumentis et probabilibus. Auctoritatibus autem canonicae Scripturae utitur proprie, ex necessitate argumentando» (a.8).

7. **Momentum tractatus.** 1) *Theologicum*. Veritas Redemptionis et vitae divinae homini communicatae est peculiaris dignitatis religiosae ac moralis; at ea praesupponit absolutam distinctionem Dei a mundo, quae per creationem patet, dum statuitur dependentia ontologica mundi a Deo.

Cognitio elevationis supernaturalis, dum magnam Dei bonitatem in opere creativo in immensum extollit, est nobis occasio nostrae in Deum, ut beneficentissimum Patrem, dilectionis augendae.

Ceterum ea nos inducit *in novum campum*: a) *theologicum*, per indagationem status supernaturalis, eo naturalem superantis quo caelum terram superat³; b) *psychologicum*, per illuminationem mirae relationis inter naturam et ens supernaturale; c) *asceticum*, per ostensionem sublimioris modi exercendarum virtutum, quibus ad Deum glorificandum tendatur; d) *mysticum*, per revelationem novae vitae interioris, quae sit participatio illius vitae trinitariae, qua Deus se ipsum videns

³ Cf. J.B.TERRIEN, S.I., *La grâce et la gloire* t.2 (Paris 1931) l.10 c.4.

et amans vivit; e) *anthropologicum*, per investigationem magnae illius dignitatis in qua homo a Deo initio constitutus est.

8. *Mysterium vero peccati, et in specie peccati originalis, iure vocari potest cardo totius soteriologiae christianae. Illud enim supponit in homine dona gratuita amissa, ita ut ex comparatione primaevae conditionis humanae cum statu per peccatum homini illato, appareat omne huius malum sive physicum sive morale ab ipso homine provenire; aliunde vero peccatum originale fuit occasio Redemptionis Christi, et proin totius actualis oeconomiae supernaturalis. O felix culpa!*

Praeterea dignitas, potentia, bonitas, sanctitas, iustitia Dei inde vehementer apparet, quod Deus infinitus de rebus minimis curaverit creandis et donis caelestibus orandis et peccantibus, vel iuste puniendis vel misericorditer reparandis.

In specie vero ea in ascetica christiana splendens quasi coniunctio extremorum, nempe magnificentiae et humilitatis, roboris et suavitatis, quiescit in conscientia intima nostrae dependentiae absolutae a Deo omnipotenti et amoris plenissimo. Christiani demissio in suo nihilo cognoscendo et gaudium de sua perfectione ut imagine Dei, elevatio ad Deum per scalam creaturarum et simul independentia ab his, haec et alia quae partim mutuo opponi videntur, in dogmate creationis harmonice connectuntur⁴. Hinc S. Ignatius, divino lumine ductus, illud creationis dogma ut principium ac fundamentum perfectionis christianae statuit, et eiusdem perfectionis coronam contemplationem Dei in creaturis designavit.

9. 2) *Philosophicum*. Nullus ex philosophis paganis ante Christum vel creationem ut talem cognovit vel saltem eius notionem ea praecisione qua christiani exposuit, ut patet v.gr. ex controversia nondum decisa de mente Platonis et Aristotelis circa creationem. Ii vero qui post Christum floruerunt, si quando forte illam notionem clare proposuerunt, id haud dubie christianismo debent. At etiam post Christum systemata non christiana in genere in graves errores cosmogonicos lapsa sunt, ut patet v.gr. in stoicismo et neoplatonismo. Nec est cur memoremus recentiora positivismi, pantheismi, materialismi, dualismi (seu etiam materiam ingenitam admittentis)⁵.

Si ergo creatio philosophice sumpta iure dici potest primum verbum scientiae, quod tamen de facto sola ratione adeo difficile reperitur, patet quanti momenti sit noster tractatus, qui

⁴ Cf. J. MAUSBACH, *Schöpfung*: KL 10, 1878s.

⁵ Cf. MAUSBACH, 1870-1878; H. PINARD, l.c., 2096-2099; R. ARNOU, S.I., *Platonisme des Pères*: DTC 12, 2349s (de neoplatonismo).

de ea re adeo clare homines illuminet; in hoc sane dogmate stat notio legislatoris supremi, ac eius cultus, individualitas substantiarum, libertas, immortalitas personalis, etc. Et sic satisfit mentibus tanta confusione philosophica obrutis⁶.

10. *Divisio tractatus*. Nonnisi generalis quaedam eius indicatio hic proponitur, cum ea inferius opportune magis determinanda sit. Primo ergo agetur in genere de mundi creatione iuxta diversas huius causas et de eius conservatione per Deum et de Dei concursu operante cum illo; dein de homine quoad eius naturam et originem et elevationem et lapsum; tandem de angelis sive quoad eorum existentiam et naturam et elevationem et bonorum praemium et malorum lapsum ac punitionem, et eorum omnium relationem ad homines.

In his vero disputandis S. Thomam «veluti scholasticae theologiae solem ac principem»⁷ nobis praeerentem sequimur, qui agit de nostra re et alibi et his locis (quibus tamen multa alia concluduntur, quae hodie ad alios tractatus remitti solent): I q. 44-93, 103-119 (de creatione, angelis, homine); 94-112 (de elevatione primaeva); I.2 q. 71-89 et 2.2 q. 163-165 (de peccatis)⁸.

⁶ Multa de dogmatis creationis momento theologico, philosophico, apologetico dicit PINARD, l.c., 2195-2199.

⁷ L. DE MOLINA, *Concordia liberi arbitrii...* Prooem.

⁸ Errores a nobis confutandi et documenta Ecclesiae de nostra re hic non memorantur, cum de iis in decursu tractatus dicendum sit.

- BARTMANN, G., *Die Schöpfung. Gott, Welt, Mensch* (Paderborn 1928).
- BECKER, J.A., *Engel*: KL 4,503-523.
- BELLARMINO, R. (S.), S.I., *De gratia primi hominis. De amissione gratiae et statu peccati* (Neapoli 1858).
- BERAZA, B., S.I., *De Deo Creante* (Bilbao 1921); *De Deo Elevante. De peccato originali. De Novissimis* (Bilbao 1924).
- BOYER, C., S.I., *De Deo Creante et Elevante*⁵ (Romae 1957).
- BOZZOLA, C., S.I., *De Deo uno et Trino. De Deo Creante et Elevante* (Neapoli 1948).
- BRINKTRINE, J., *Die Lehre der Schöpfung* (Paderborn 1956).
- BUJANDA, J., S.I., *Angeles, demonios, magos...* (Madrid 1955); *Adán, tú y la teología católica* (Madrid 1956).
- COLLINGS, J., *The Thomistic Philosophy of the Angels* (Washington 1947).
- CHETWOOD, T.B., *God and creation* (New York 1928).
- DAFFARA, M., O.P., *De Deo Creatore* (Torino 1947); *De Peccato Originali et de Verbo Incarnato* (Taurini-Romae 1948).
- DE SAN, L., S.I., *De Deo Creatore* (Brugis 1890).
- DUHR, J., *Anges*: DSpir 1 (1936) 580-625.
- EINIG, P., *Tractatus de Deo Creante, De hominis lapsu, De Deo Consummantē*² (Treveris 1913).
- ESPARZA, M., S.I., *Quaestiones disputandae de angelis* (Romae 1659).
- FLICK, M.-ALSZEGHY, Z., S.I., *Il Creatore. L'inizio della salvezza*² (Firenze 1961).
- GARRIGOU-LAGRANGE, R., O.P., *De Deo Trino et Creatore* (Taurini-Parisiis 1943).
- GUELLY, R., *La Création* (Tournai 1963).
- GUTBERLET, K., *Gott und die Schöpfung* (Regensburg 1910).
- HOPHAN, O., O.M.Cap., *Die Engel* (Luzern 1956).
- HOUCK, F.A., *The angels, good and bad* (St. Louis 1925).
- HUARTE, G., S.I., *De Deo creante et elevante et de novissimis* (Romae 1935).
- JANSSENS, A., *God als Schepper* (Antwerpen 1937).
- JANSSENS, L., O.S.B., *De Deo Creatore et de Angelis* (Friburgi Br. 1905); *De hominis natura* (Romae 1918); *De hominis elevatione et lapsu* (Romae 1919).
- LAHITTON, J., *De Deo trino. De Deo Creante. De Deo Elevante. De lapsu hominis. De Verbo Incarnato* (Paris 1932).
- LAHOUSE, G., S.I., *Tractatus de Deo creante et elevante* (Brugis 1904).
- LEPICIER, A.M., Ord. Serv. B.M.V., *De peccato originali* (Parisiis 1911).
- MARTÍNEZ, A., O.P., *Suma teológica de Santo Tomás de Aquino, t.III, Tratado de los ángeles*: BAC (Madrid 1950) 1-714 (Introd. partic.).
- MAZZELLA, C., S.I., *De Deo Creante* (Romae 1908).
- MORÁN, J., S.I., *Alpha et Omega. Theses quaedam selectae de Deo uno et trino, creante et elevante, et de Novissimis* (Vigornii 1935).
- MORS, J., S.I., *Tractatus de Deo Creante et Elevante et de Novissimis* (Petropolis 1940).
- MUNCUNILL, J., S.I., *Tractatus de Deo Creatore et de Novissimis* (Barcino 1922).

- OSWALD, J.H., *Die Schöpfungslehre im allgemeinen und in besonderer Beziehung auf die Menschen im Sinne der katholischen Kirche*² (Paderborn 1893); *Religiöse Urgeschichte der Menschheit, d.i. der Urstand des Menschen, der Sündenfall im Paradiese und die Erbsünde, nach der Lehre der katholischen Kirche*² (Paderborn 1887); *Angelologie*² (Paderborn 1889).
- OTTEN, B.J., S.I., *De Deo Creante et Elevante. De Novissimis* (Chicago 1924).
- PALMIERI, D., S.I., *De creatione* (Prati 1910); *De Ordine Supernaturali et de Lapsu Angelorum* (Prati 1910); *De peccato originali* (Romae 1904).
- PARENTE, P., *De creatione universali. De Angelorum hominisque elevatione et lapsu* (Torino 1946); *Il peccato originali originato* (Roma 1948); *Beyond space* (Island St.Paul 1962).
- PEREGO, A., S.I., *La creazione* (Brescia 1958).
- PETAVIUS, D., S.I., *De sex primorum mundi dierum officio*: Dogm. theol. IV; *De angelis*: ibid. III, p.603-705; IV, p.1-121 (Parisiis 1865s).
- PIAULT, B., *La Création et le péché originel* (Paris 1960).
- PIGNATARO, F., S.I., *De Deo Creatore* (Romae 1904).
- PINARD, H., S.I., *Création*: DTC 3,2034-2201.
- PIOLANTI, A., *Dio nel mondo e nell'uomo* (Roma 1959).
- REGAMEY, P., O.P., *Les anges au ciel et parmi nous* (Paris 1959).
- REINKE, L., *Schöpfung der Welt* (Münster 1859).
- SALA, B., *Adamo ed Eva nel Paradiso terrestre ossia la natura innocente ed il peccato originale* (Milano 1924).
- SCHIEFFCZYK, L., *Schöpfung und Vorsehung*: Handbuch der Dogmengeschichte B.II F.2.^a (Freiburg 1963).
- SCHMAUS, M., *Gott der Schöpfer: Katholische Dogmatik*, 2/1 cd. (München 1962).
- SCHRADER, C.L., S.I., *De Deo Creante* (Pictavii-Parisiis 1875); *De triplici ordine: naturali, praeternaturali et supernaturali* (Parisiis 1878).
- STOLZ, A., O.S.B., *Anthropologia theologica* (Friburgi Br. 1940).
- UDE, F., *Die Erschöpfung der Welt* (Gratz 1923).
- VALBUENA, J., O.P., *Suma teológica de Santo Tomás de Aquino, t.II, Tratado de la creación en general*: BAC (Madrid 1948) 677-887 (Introducciones).
- VAN HOVE, A., *Tractatus de Deo Creante et Elevante* (Mechliniae 1944).
- VAN NOORT, G., *Tractatus de Deo Creatore*³ (Bussum in Hol. 1920).
- VERRIELLE, A., *Le surnaturel en nous et le péché originel*² (Paris 1934).
- VONIER, A., O.S.B., *The Angels* (New York 1928).
- VON PETERSDORFF, E., *Daemonologie, I. Band: Daemonen in Weltenplan* (München 1956); *Satan: EtCarm* (Paris 1948).

LIBER I

De creatione mundi in genere

11. Ex tractatu *De Deo* constat esse Deum Unum et Trinum, unum ens a se, necessario existens, omni perfectione infinitum. At, cum praeter Deum alia multa existant, quae initium (vel aeternum vel temporale) sui esse habuerint, quae in hoc perdurent, quaeque actiones exercent, theologi est investigare quanam relatio eorum sit ad Deum et quidem quoad eorum originem, perduratum in esse, actiones exercentas. De his ergo nunc agendum venit.

CAPUT I

De mundi origine

12. Quaestio de mundi origine est quaestio de mundi causis, nempe efficienti, finali, exemplari, materiali, formali. De illis ergo tribus primis disputandum est, relicta cosmologo christiano quaestione de duabus ultimis causis, cum ea non sit tanti momenti pro theologo, nisi quoad ea quae ad hominem et angelos pertinent, de quibus inferius dicendum est.

ARTICULUS I

DE MUNDI EFFECTIONE

Thesis 1. Mundus creatus est a solo Deo.

S.TH. 1 q.44 a.15; q.45 a.1-4; 2 CG 6,15; S.BONAVENTURA, *In 2 d.I p.I a.11*; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 1,1-8; PALMIERI, *De Creatione* th.1-5; PINARD, *l.c.*, 2034-2115; SCHEFFCZYK, *Schöpfung und Vorsehung* (Freiburg 1963) 1-95.1498; FLICK, *o.c.*, 26-27.

13. Nexus. De origine mundi, et alia et maxime haec scire intellectus cupit: an sit a Deo et quidem an sit a tribus Personis; an sit a Deo libere agente; an sit ab aeterno. Nunc primo id tantum statuitur, mundum esse creatum a Deo, et quidem *de facto* (ergo nihil dicitur *de posse*) a solo Deo.

¹ De hoc loco, cf. P.A. MONDREGANES, O.M.Cap., *De mundi creatione ad mentem seraphici Doctoris S.Bonaventurae*: Collect.Franc 1 (1931) 3-70.

14. Notiones. *MUNDUS* sumitur hic ut *complexus rerum*, non solum in terra existentium, vel etiam sensibilibus adspectabilium, sed *omnium sive corporalium sive spiritualium extra Deum existentium*. Attamen, cum animae hominum in dies creentur et de hoc facto alibi quaestio sit, ad eas nunc non attenditur.

Eae vero res solum respiciuntur secundum *primum esse* quod habuerunt, non autem secundum illud quod post posteriores transformationes obtinuerunt. Unde agitur nunc solum de *creatione prima*, quae dicitur primus rerum transitus ex non esse ad esse, quod primo fuerit materia cosmica vel saltem elementum quoddam embryonale, dum *creatio secunda* vocatur ulterior earum rerum ordinatio ac per educationem multiplicatio. Idem sic exprimeretur, ut nihil existat quod non sit a Deo creatum vel immediate, vel mediate seu proveniens per ulteriorem finitam actionem pure eductivam ab ente creato a Deo; seu aliis verbis, nihil esse quod formaliter aut virtualiter (at sensu nuper indicato) a Deo *immediate* non sit ex nihilo factum.

Cum constet spiritus puros non nisi creatione oriri posse, ea distinctio pro angelis non valet; attamen a quaestione de *immediata* creatione *omnium* angelorum nunc praescinditur, cum de eorum origine inferius (n.2918) dicendum sit, ita ut hic agatur *saltem de primo angelo*.

15. CREATUS EST. *Creatio*, etsi sumi possit vel pro qualibet rei effectione, vel pro collatione alicuius dignitatis v.gr. cardinalatus, vel pro conceptione et executione operis artis, hic definitur stricte:

1) *Negative seu ratione termini a quo*: productio rei ex nihilo sui et subiecti.

a) *Productio*, seu effectio, non tamen processio ab alia substantia sine huius divisione, nec emanatio seu processio per divisionem vel aliquam transformationem ipsius substantiae agentis, nec mera informatio seu eductio formae ab aliqua re vel accidentaliter per alterationem vel substantialis v.gr. per generationem.

b) *Rei*, quae per se subsistit vel subsistere potest, ut sunt angeli, anima humana, substantia quaelibet completa. Accidentia vero, formae substantiales materiales, materia prima, quamquam *proprie* etiam creantur, dicuntur potius *concreari*, quatenus creantur in composito per se subsistente, a quo, etiam dum fiunt, in esse pendent (S.TH., 1 q.90 a.2; *De pot.* q.3 a.1 ad 12) ².

c) *Ex nihilo*, non causae efficientis vel etiam exemplaris seu ideae archetypae in agente, ut patet, nec potentiae logicae seu possibilitatis rei, nec potentiae metaphysicae seu essentiae abstractae, sed *sui*, cum prius non sit id quod fit, et *subiecti*, seu potentiae passivae e qua effectus educatur, cum in creatione nullum praesupponatur subiectum *ex quo* (materia prima vel ens completum), ut in aliis productionibus (aliquid exigentibus ut formam recipiens): in quo praecise est *nota propria* et *exclusiva* productionis creativae.

16. N.B. a) In educatione forma non fit prius (tempore vel saltem natura) et posterius per novam actionem subiecto infunditur, nam sic haberetur vera eius creatio; sed potius ita in ipso fieri sui pendet simul et a principio activo ut causa efficienti et a passivo seu subiecto ut causa mate-

² Cf. SUÁREZ, *Disputationes metaphysicae* 15,2,13.

riali, ut una eademque reali actione et producat et subiecto uniatur, cum non fiat nisi per actionem directam et immediatam in ipsum subiectum.

b) Vox ex nihilo indicat, non rem effici ex eo ut ex materia quadam, sed *negative* eam non fieri ex aliquo, et simul *positive* dari inter nihilum ac rem *ordinem successionis*, at *non realem*, cum nihilum sit terminus negativus, sed *rationalis*; qui ordo est successionis sive *temporis*, cum nihilum concipiatur esse ante rem non ab aeterno creatam, sive *naturae*, cum res censeatur fieri ex non aliquo seu transire ex non esse ad esse (I q.45 a.1 ad 3; *De pot.* *ibid.*, ad 7).

17. 2) *Positive* seu *ratione termini ad quem*: creatio est productio rei secundum totam suam substantiam.

Quo dicitur tota realitas rei fieri, non ergo mere secundum partem integram quae aliam partem praeesistentem compleat, vel solum secundum formam, ut in eductione, vel etiam solum secundum materiam, quae in eductione praesupponitur.

3) *Complexive*: creatio est productio rei secundum suam totam substantiam, nullo praesupposito (I q.65 a.3).

4) *Formaliter* seu *ratione obiecti formalis*: creatio est productio enti in quantum entis (I q.44 a.2; q.45 a.4 ad 1; a.5). Ergo creatione qua tali efficitur, non mere ut res secundum aliquid iam existens *sit talis* per formam accidentalem vel substantialem, ut in eductione, sed simpliciter ut res, secundum nihil existens, *sit*, seu fit secundum omne illud quod pertinet quocumque modo ad esse rei incipientis existere.

Ergo formula illa indicat *specificative*, creatione, qua actione distincta ab aliis productionibus (emanatione, eductione), produci *totaliter* hoc ens concretum quasi compositum ex esse et talitate, nec solum qua tale ens, ut fit in aliis productionibus, seu ex non-ente fieri *totaliter* ens concretum, quatenus est aliquid existens³. Nullo vero modo absolute probatur illam formulam sumi etiam *reduplicative* seu obiectum formale creationis esse ens *mere in quantum ens*, non vero *in quantum tale ens*.

18. N.B. *Creatio non est mutatio propria*, cum de huius ratione sit ut aliquid idem se habeat nunc aliter ac prius, quod non accidit in creatione, utpote praesuppositum subiectum excludente; at potest dici mutatio *impropria*, cum concipiatur a nobis ut mutatio, quatenus eadem res consideratur prius ut non existens et dein ut existens (2 CG 17; *De pot.* q.3 a.2). Ergo *creatio non est motus*, cum de huius ratione sit aliquid medium inter extrema, quod inter non-esse et esse nequeat dari; sed ea fit in instanti seu sine ulla successione *reali*, quae est de ratione *motus* (2 CG 19).

Non est creatio generatio Filii, cum ipsius substantia, quae est eadem ac substantia Patris, iam praesupponatur; *nec transubstantiatio eucharistica est creatio*, seu productio ex nihilo, sed conversio totalis unius in aliud⁴.

19. A SOLO DEO. Ergo *Deus* et quidem *solus* est *causa*, non mere concurrens ut causa prima cum causa secunda (quae ceterum ageret ut causa principalis seu habens virtutem pro-

³ De ampliori determinatione modi quo Angelicus esse rerum Deo tribuat, cf. J. STUELLER, S.I., *Das Wirken Gottes in den Geschöpfen nach dem hl. Thomas*: ZkathTh 49 (1925) 204-213.

⁴ De notione creationis latius agit BERAZA, n.2-18. Utilia de ea exactius determinanda offerunt J.SANTELER, S.I., *Zur Lehre von der Schöpfung*: ZkathTh 69 (1947) 209-222; F.F.Z. DE VIANA, O.P., *Noción y causa de la creación, filosóficamente*: Ang 37 (1960) 411-430. De notione vocis 'nihil', cf. J.B.LOTZ, *Nichts*: LThK 7 (1962) 944-946.

portionatam toti effectui vel eius parti), sed *unica* ac proin excludens omnem aliam concausam *principalem*, immo et *instrumentalem* seu quae carens virtute effectui proportionata agat in virtute causae principalis.

Hoc postremum punctum in thesi probanda fere non respicitur explicite, sed statuitur ex eo quod, ut patebit, fontes *unum Deum* ut mundi creatorem constanter inducant.

20. *Adversarii*. a) *Gnosticismus*: Deus supremus non creavit mundum materialem, sed aliquod principium absolutum malum, vel unus ex eonibus inferioribus ex Deo fonte emanantibus (aliis descendentes), qui superbia peccavit et ideo, utpote malus, opus suum malitia sua infecit⁵.

Dualismus, includens omnes opiniones ponentes, praeter Deum, materiam mundanam independentem a Deo existentem⁶. Sic v.gr.: b) *Manichaeismus*, ponens bonum seu regnum lucis quod Deus regit (et in quo praeter Deum sunt alia elementa ingenerata) et malum seu regnum tenebrarum ac materiae etiam aeternarum quod regit Satan⁷.

Hoc systema sibi adoptavit *Priscillianismus* (probabiliter non ipse Priscillianus), iuxta quem diabolus, increatus, exiens e tenebris, ipsum malum substantiale, est in mundo creaturarum quas ipse fecit v.gr. in carne. Serius *Albigenses* posuerunt: alii duo principia aeterna, quorum bonum fecerit spiritus, malum vero materiam; alii unum principium bonum quod fecerit, praeter spiritus, quatuor elementa ex quibus malum principium mundum eduxerit⁸.

c) *Cosmogoniae babilonicae, aegyptiae, phoeniciae*, ponentes massam chaoticam aeternam ex qua mundus factus sit⁹. Sic alii multi philosophi gentiles, ut (probabiliter) *platonici*¹⁰.

21. *Materialismus*, seu monismus materialisticus, non admittens, saltem quoad rem, nisi materiam et huius vires¹¹.

Pantheismus, seu monismus non materialisticus, multiplici forma et quidem iam ab antiquitate propositus, tenet omnia esse vel emanationes substantiae divinae vel ipsum Deum se

⁵ Cf. J.TIXERONT, *Histoire des dogmes* 1¹¹ (Paris 1930) 108s; G.BAREILLE, *Gnosticismus*: DTC 6,1460s; H. LEISEGANG, *La gnose* (Paris 1951).

⁶ Cf. S. PETREMENT, *Le dualisme chez Platon, les gnostiques et les manichéens* (Paris 1947); breviter J.AUER, *Dualismus*: LThK 3 (1950) 585s.

⁷ Cf. S.AUGUSTINUS, *De haer.* 46: ML 42,34; TIXERONT 460s; G.BARDY, *Manichéisme*: DTC 9,1872-1877; H.CH.PUECH, *Le Manichéisme* (Paris 1949).

⁸ Cf. TIXERONT, 2⁹ (Paris 1931) 235-243. De Albigensibus, cf. F.VERNET, *Albigois*: DTC 1,678; S.RUNCIMAN, *Le manichéisme médiévale* (Paris 1949); A.BORST, *Die Katharer* (Stuttgart 1955).

⁹ Cf. P.F.CEUPPENS, O.P., *Quaestiones selectae de historia primaeve*² (Torino 1948) 65-76; J.PLESSIS, *Babylon et la Bible*: DBS 1,714-737; A.HEIDEL, *The Babylonian Genesis*² (Chicago 1950).

¹⁰ Cf. ARNOU, L.C., 12,2265s.

¹¹ Cf. O.HABERT, *Matérialisme et Monisme*: DTC 10,282-298; PINARD, 2096s.

diversimode manifestantem¹². Sic v.gr. *Spinozismus*: res sunt modi unius substantiae Dei¹³.

Addi possent theosophi¹⁴ et *positivismus agnosticus* (COMTE, SPENCER) quatenus proficitur agnosticis circa ea quae experimentalem cognitionem superant¹⁵.

22. Doctrina Ecclesiae. *C.Lateranense IV*, contra Albigenses (D 428): «Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus...: unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam...»

Ergo unum principium, aeternum, sua omnipotenti virtute, de nihilo condidit omnia.

C.Florentinum, pro Iacobitis (D 706) eandem doctrinam tradit, et simul contra Manichaeismum statuit Deum creasse «bonitate sua universas... creaturas: bonas quidem, quia a summo bono factae sunt... nullamque mali... esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est».

23. C.Vaticanum definit (D 1782) «unum esse Deum verum... creatorem caeli et terrae» (quae tamen postrema verba «creatorem...», ut videtur, non definiuntur sed mere adduntur); dein (D 1783), addita quoad substantiam doctrina Florentini, repetit verba Lateranensis.

Tandem haec docet (D 1801): «Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium creatorem et Dominum negaverit: anathema sit» (contra atheismum, pantheismum, quemlibet dualismum, polytheismum, etc.)¹⁶.

«Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit: a.s.» (contra materialismum) (D 1802).

«Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam: a.s.» (contra principium basicum pantheisticum) (D 1803).

«Si quis dixerit, res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera,

¹² F.SCHALK, *Pantheisme*: DTC II, 1868-1872; PINARD, 2095-2099. In genere de his cf. W. BRUGGER, *Monismus*: LThK 7 (1962) 553s.

¹³ De Spinoza cf. et P.SIWEK, S.L., *Spinoza et le Pantheisme religieux* (Paris 1950); SCHEFFZYK, o.c., 118s.

¹⁴ J.BRUGERETTE, *Théosophie*: DTC 15, 547; N.TURCHI, *Teosofia*: EncCatt 9, 1986.

¹⁵ Cf. HABERT, 292-296; L.ROURE, *Positivisme*: DAFC 4, 37-53; A.DE LA BARDE, *Agnosticisme*: DTC 1, 599-600.

¹⁶ CL 7, 102.104; cf. et PINARD, 2186.

species et individua distinctam: a.s.» (contra emanatismum, et quemlibet alium pantheismum) (D 1804).

«Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas...: a.s.» (D 1805).

Dum tribus canonibus prioribus omnis materialismus et quaelibet forma pantheismi *negative* reicitur, quatenus dicitur materiam et res corporeas ac spirituales nullo proprio modo esse substantiam divinam (per emanationem vel evolutionem), postremo statuitur *positive*, omnia illa entia esse a Deo producta, secundum totam suam substantiam, ex nihilo. Quibus postremis verbis consecratur et formula traditionalis negativa «ex nihilo» et scholastica «secundum totam suam substantiam», at quin haec sumatur technico sensu hylemorphismi, sed vulgari seu simpliciter secundum totum esse rei. Quibus positus, Concilium contra omnem monismum docet sanum dualismum, seu praeter Deum esse mundum a Deo re ac essentia adaequate distinctum, et eum a Deo totaliter ex nihilo esse factum¹⁷.

24. Multa alia Ecclesiae documenta his addi possent, quae, si non semper formulam «ex nihilo» adhibent, iuxta eam, sensu obvio et ad mentem Ecclesiae, intelligenda sunt, v.gr.:

Symbola proponentia *unum Deum*: ut «creatorem caeli et terrae» (Apostolicum, D 6); ut «omnium visibilium et invisibilium factorem» (Nicaenum, D 54); ut «factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium» (Nicaeno-Constantinopolitanum, D 86; cf. Apostolicum—S.Cyrilli Hier.—D 9); ut «visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra» (C.prov.Toletanum, D 19; cf. 20s.29-31).

C.prov.Bracaraense II (D 235 237s 243) damnat manichaeismum priscillianum.

LEO IX in quadam professione fidei proponit «unum Deum» ut «creator omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra; visibilia et invisibilia» (D 343, cf. 348). Pariter INNOCENTIUS III (D 421).

PIUS IX (D 1701) reicit pantheismum hodiernum.

25. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 428 706 1805). Quae, cum unus Deus iis definitionibus constanter memoretur ut creans, valent etiam de exclusionem alius concausae *saltem principalis* et, ut videtur, etiam *instrumentalis*; ceterum id postremum est *saltem certum in theologia*.

26. Probatur ex sacra Scriptura. In ea numquam verbi *ipsius auctoris sacri* creatio ex nihilo *expresse* traditur; at ita omnium rerum effectio ipsi Deo immediate tribuitur et ipse Deus ut ante omnia existens proponitur et quin umquam materiam vel quid simile ab aeterno ac independentem a Deo

¹⁷ Ad ulteriorem cognitionem et analysim doctrinae C.Vaticani de creatione, cf. CL 7, 85s.98-119.

esse indicetur vel supponatur, ut illa creatio et quidem per Deum solum, si tota res sine praeiudiciis inspiciatur, invicte demonstratur.

A. Vetus Testamentum. 1) Genesiaca creationis narratio. Gen 1,1-3: *In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux...*

Deus in V.T. respiciebatur prius ut salvator quam ut creator, quin ergo creatio mundi doceretur ut veritas centralis et ut in se, sed certe ut primus actus et quidem ut basicus in conceptione dynamica historiae salutis generis humani, quatenus unus Deus omnipotens ac efficiens omnia ex nihilo et eadem ducens ad beandum Israel omnemque hominem, poterat Israel salvare, ipsum elegit amore creante, convertit ad se, liberavit a captivitate babylonica, miraculis protexit (Is 41,8-20; 43,1-21; 44,24ss; Jer 1,5), ita ut etiam ipsi eventus historiae salutis Israel inducantur in ordinem creationis et ut creationes (Ps 77,1-6; 104,1-9; Is 45,11-13; 51,1-16)¹⁸.

Docetur ea pericopa productio mundi ut vera creatio ex nihilo an mere ut ordinatio et opus ornatus? *Commissio de re biblica* declaravit «sensus litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos...» non posse «vocari in dubium...», ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis...» (D 2123; cf. Pius XII D 2302 fine. 2329). Nullum vero dubium est, quin his creatio hodierno sensu theologico ac tecnico sumatur. Ergo id habetur, creationem ex nihilo illa pericopa doceri, saltem si haec luce traditionis intelligatur.

27. At vero si ea sumatur in se sola, constat certo ex ea de illa creatione? Catholici exegetae et theologi id affirmant¹⁹. Et quidem iure, ut imprimis ex his patet:

a) In cosmogoniis prophanis v.gr. babylonis, aegyptiis, phoeniciis, indubie distinguuntur et divinitas et materia chaotica aeterna ut duplex principium mundi coexistens²⁰: hic vero ea distinctio non apparet.

¹⁸ Cf. F.FESTORAZZI, *La creazione nella storia della Salvezza*: ScuoCatt 90 (1962) 3-27; P.AUVRAY, *Création*: VocThBibl (1962) 173-175; C.STUHLMEYER, C.P., *The Theology of creation in second Isaiah*: CathBiblQuart 21 (1959) 429-467.

¹⁹ Imo R.DE VAUX, *La Genèse* (Paris 1951) 49 not.b, putat formulas «tohu wobohu», «tenebrae super faciem abyssi», «aquae super quas ferebatur Spiritus Dei», esse tres imagines «nihili», ex quo Spiritus Dei vivificans suscitavit res efficiendas.

²⁰ Cf. CEUPPENS, l.c.; PLESSIS, l.c.; P.VAN IMSCHOOT, *La théologie de l'Ancien Testament*, I (Paris 1954) 100-103.

b) In ea tota pericopa (1,1-2,4) Deus inducitur libere et absolute materiam tractans ut rem suam; quod sane intelligi logice nequit, si materia independentem a Deo existat.

c) Ibi habetur velut professio quaedam fidei liturgica, quae simul est didactica, quatenus ad opus divinum salutis Israel efferendum inducitur Deus ut unus, sapiens, omnipotens, bonus (ergo implicita reiectione polytheismi) creans et sic adorandus ut *absolutus* Dominus universi, qui *quoad omnia* ab Ipso distinguatur ac pendeat et utpote bonus homini destinetur²¹. At si iis materiam ex qua mundus est non includeret, iudaei de cosmogoniis prophanis v.gr. babylonis vel aegyptiis sine dubio saltem confuse edocti possent facile putare aut ipsam materiam esse aliquam divinitatem aut saltem religionem suam ab aliis orientalibus non valde differre.

d) Item, cum illa pericopa in tota Scriptura, ut dein patebit, resonet, numquam tamen in hac vestigia illius materiae infectae reperiuntur. Ut ex hoc patet, iudaei verba Moysis sumpserunt ad eorum sensum obvium, quin ergo putarent aliquid esse in caelo et in terra quod a Deo non esset, sed potius de creatione ex nihilo, ut eorum traditio ostendit etiam tempore antemessianico et id in libris sive extracanonis sive canonicis et a fortiori tempore messianico²².

Sic v.gr. Machabaeorum *mater mirabilis et bonorum memoria digna* (v.20), *repleta sapientia* seu, iuxta textum graecum, nobilis animi (v.21) filium suum ad mortem obeundam hortatur (2 Mac 7,20s.28): *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt et intelligas quia ex nihilo* (ἐξ οὐκ ὄντων, vel potius cum Rahlfs οὐκ ἐξ ὄντων) *fecit illa Deus*. Ergo ea verba non sunt ipsius auctoris sacri, sed mulieris «quae... non est censenda, ait Hummelauer, praeclarior prae popularibus floruisse rerum divinarum notitia, aut revelationes ipsa quasdam a Deo accepisse, sed quem sensum Geneseos verbis tribuebant omnes, eum pia et religiosa expressisse»²³; ergo ostendebat populi sui traditionem, quae sane uno die non efficitur.

²¹ Cf. A.VAN DE VOORT, *Genèse I,1 à II,4a et le Psaume CIV*: RevBibl 58 (1951) 336s. 343-346; B.E.SUTCLIFFE, S.I., *Genesis*: CathCommHScr (London 1953) 183; CH. HAURET, *Origines de l'univers et de l'homme d'après la Bible*: DBS 6 (1960) 911s.915.

²² Cf. J.B.FREY, *Dieu et le monde d'après les conceptions juives au temps de Jésus-Christ*: RevBibl 13 (1916) 33-60; J.BONSIRVEN, S.I., *Le Judaïsme Palestinien au temps de Jésus-Christ I* (Paris 1934) 164-167; A.EHRHARDT, *Creatio ex nihilo*: StudCath 4 (1950) 13-43 (de idea creationis in traditione biblica et apud graecos); W.FOERSTER, κτίζω: TheolWort 3,1015-1022.

²³ F.HUMMELAUER, S.I., *Commentarius in Genesim* (Parisii 1895) 87; VAN IMSCHOOT, o.c., 98; AUVRAY, l.c. *Création*: VocThBibl (Paris 1962) 173; A.CLAMER, l.c., *La Genèse* (Paris 1953) 104; A.M.DUBARLE, O.P., *Foi en la création et sentiment de créature dans l'Ancien Testament*: LumVie n.48 (1960) 38; T.SCHWEGLER, *Die biblische Urgeschichte* (München 1960) 27; SUTCLIFFE, l.c.; G.LAMBERT, S.I., *La création dans la Bible*: NouvTh 85 (1953) 275-277. RENCRENS, o.c., c.4 § 5.

28. Ulterius vero, iuxta haec habita prae oculis, et modo sine praeeiudiciis ipsa narrationis substantia (quae est maxime de mundi origine) nec praecise alia particularia (v.gr. de diebus genesiacis definiendis) respiciantur, verba Moysis sensu obvio legentes ac praescindentes ab aliis sensibus forte ab auctore sacro etiam intentis, haec habentur:

In principio (beresit), quod per se de causa vel ordine vel tempore sumi posset, hic est manifeste de *initio temporis* (D 2123), ut Deut 11,12, Ier 26,1 et 27,1 et quidem *absoluto* (saltem quoad ea quorum origo narratur), cum nulla restrictio ei apponatur²⁴; ergo res, de quibus agitur, ante illud initium non erant; ergo si *totus mundus* illo dicitur incipere, hic ante illud non erat.

Creavit (bará). Hoc verbum non necessario est de creatione ex nihilo, cum adhibeatur etiam de educatione v.gr. hominis ac animalium (1,21.27). At in formis *kal* (ut in casu nostro) ac *niphal* occurrit in Scriptura quadragies septies et semper de operatione Deo propria ac sine ulla mentione *materiae ex qua* vel instrumenti ad istam concurrentis²⁵; ergo non necessario educationem indicat, sed potius, si simpliciter de initio omnium rerum adhibetur, facile de creatione ex nihilo sumi potest. At cum de facto alibi aliter usurpetur, ille sensus nequit certo nisi ex totius loci contextu deduci²⁶.

Deus apparet ut unicus et ut iam existens in principio quo caelum et terra esse coeperunt (cf. Is 44,6; 48,12); ut omnipotens ea absolute faciens. Qui Dei conceptus nequiret cum materia ex se existente componi.

Item apparet in toto contextu ut creans verbo seu sola libera voluntate sua (Ps 32,9, ubi de Creatore caeli et terrae dicitur: *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*; 148,5; Sap 9,1). Quae effectio adeo spiritualis ac a materia independens intelligitur apte non de mera ordinatione rei iam existentis, sed ut ex nihilo^{26*}.

29. *Caelum et terram* (hasamayin vet haares). Haec verba sic illimitata sumuntur saltem de materialibus, etsi vox «caelum» probabilius indicet etiam angelos²⁷. Ea connotant, iuxta

²⁴ Cf. H.DUMAINE, *L'Heptanéon biblique. Remarques sur le récit de la création* (Gen.I, 1-II,4); RevBibl 46 (1937) 161s; CEUPPENS, 5; F.X.KORTLEINER, *Ord.Praem., Sacrae litterae doceant creationem ex nihilo* (Oeniponte 1935) c.2; H.JUNKER, *Genesis* (Würzburg 1953) 11; VAN IMSCHOOT, 98; L.ARNALDICH, O.F.M., *El origen del mundo y del hombre según la Biblia* (Madrid 1957) 35; VAN DE VOORT, l.c., 324; CLAMER, o.c., 104; FOERSTER, l.c., 1011; SCHWEGLER, o.c., 538.

²⁵ Sic adhibetur de prima productione hominis (Gen I,27) et animalium (1,21), de iis quae potentiam Dei maxime ostendunt (Num 16,30; Ex 34,10) etc.

²⁶ CLAMER, 104; FOERSTER, 1010; P.BIARD, *La puissance de Dieu* (Paris 1960) 65; cf. FES-TORAZZI, l.c., 10; SCHWEGLER, 538.

^{26*} Cf. G.LAMBERT, S.I., *La création dans la Bible*: NouvRevTh 85 (1953) 259-268; W.FOERSTER, vox κτίσις: Theol Wört 3,1011; JUNKER, l.c.; STUHLMUELLER, l.c., 451-457.

alios, totum mundum adspectabilem iam perfectum i.e. universum (τὸν κόσμον) cum hebraei carerent voce istis aequivalenti, seu sunt velut summarium eorum quae dein ut a Deo facta narrantur (v.3-27), ita ergo ut et totalem materiam concludant, cum Deus appareat ut solus et quidem sine memorata ulla infecta *materia ex qua* creationis, dum agitur de prima rerum origine, ut contra fit in cosmogoniis prophanis²⁸. Nisi minus probabiliter dicatur «caelum et terra» esse materia informis, ex qua dein singulae res educantur, ut videretur innui versu sequenti incepto particula «vau» (et)²⁹.

In quacumque earum hypothesi, illa formula, adhibita sine ulteriore determinatione, significat universitatem rerum quibus caelum ac terra constant (cf. Ex 20,11 cum 21,17; Is 44, 24) seu totum id et quod continent et quod (formaliter vel virtualiter) sunt caelum ac terra, inclusa ea materia ex qua omnia constant; ergo creationem ex nihilo.

30. *Terra autem erat inanis et vacua* (tohu vabohu). Nisi haec sumantur ut imago «nihili»³⁰, quolibet alio sensu, v.gr. ut materia chaotica et informis³¹ ex qua alia educantur, subsunt formulae «caelum et terram» omnia complectenti ut effecta ex nihilo.³²

Si ergo omnia hucusque dicta de sensu pericopae inter se connectantur, id ex ea sequitur: Deum, cum nihil esset, caelum et terram, seu universitatem rerum (formaliter vel virtualiter) fecisse *totaliter* seu quoad totam eorum substantiam, ergo ex nihilo.

31. N.B. Iarchi rabbi (s.xi), quin negaret eo loco creationem ex nihilo doceri, citatur ab exegetis ut eum construens sic: «In principio, cum Deus crearet caelum et terram (terra autem erat inanis et vacua, etc.) dixit Deus: fiat lux...» Haec quidam auctores independentes (Holzinger, Budde, H.Gunkel, A.Loysi) sibi assumpserunt³³; ergo «principium» memoratum non est absolutum, sed relativum, quasi fere diceretur: Cum terra esset inanis et vacua, Deus *primo* in serie rerum producendarum fecit id, deinde... Ratio huius lectionis ea est, quod principium, utpote sine articulo adhibitum, sit

²⁷ P.LOMBARDUS, 2 d.2; KORTLEINER, d.33; VACCARI, 167s; P.VAN IMSCHOOT, *Théologie de l'Ancien Testament* 1 (Tournai 1954) 98. Contra CEUPPENS, 6s; HUMMELAUER, 88s.

²⁸ Sic PETAVIUS, *De oper. sex dieb.* 1,2,10 (162); CEUPPENS, 7; V.ZAPLETAL, O.P., *Der Schöpfungsbericht der Genesis (1,1-2,3)...* (Regensburg 1911) 25s. Cf. et A.COLUNGA, O.P.: *CiencTom* 52 (1935) 231s; FOERSTER, l.c.; VAN IMSCHOOT, 91,98; ARNALDICH, 34; DE VAUX, *La Genèse* (Paris 1962) h.I; RENCKENS, c.4 § 2s.8s.

²⁹ KORTLEINER, c.2; A.VACCARI, S.I., *In principio creavit Deus caelum et terram* (Gen. 1,1); VerDom 24 (1944) 161-168; P.HEINISCH, *Problemi di storia primordiale biblica* (Cremona 1950) p.15.

³⁰ Sic DE VAUX, cf. supra not.19. Alii aliter, ut E.F.SUTCLIFFE, S.I., *Problemas exegeticos del Antiguo Testamento*: OrbCath 4 (1961, 1) 411; LAMBERT, l.c., 257; J.ENCISO, *Tohu vabohu*: EstBibl 10 (1952) 321-324; ARNALDICH, 35.

³¹ CEUPPENS, 7; ZAPLETAL, 25; A.BEA, S.I., *De Pentateucho*² (Romae 1933) n.96.

³² FOERSTER, l.c.; RENCKENS, c.4 § 8s; c.7 § 2-4.

³³ Cf. ZAPLETAL, 19; CLAMER, o.c., 104.

in statu constructo ac proin exigit complementum v.gr. «in principio talis rei», non ergo absolute «in principio».

At, etiam admissa ea constructione, non necessario sequitur materiam esse infectam (cum stilus hebraicus saepe aliquid efferat quin neget aliud non expressum), sed potius stat contrarium, non praecise ob eam novam constructionem grammaticalem, sed certe saltem ob rationes supra allatas v.gr. interpretationem iudaeorum, scopum auctoris primam rerum originem narrandi. Ceterum illi ipsi constructioni obstant: a) Omnes versiones antiquae. b) Priores exegetae iudaei et christiani³⁴; fere moderni catholici³⁵ et plures independentes (v.gr. König, Procksch, Wellhausen, Stewart, Perowne)³⁶. c) Simplicitas linguae hebraicae, maxime cum agatur de initio ipsius libri et praesertim de hoc capite, quod totum constat ex propositionibus (fere 50) compositis ex particula «et» (copulativa-consecutiva), verbo, subiecto, complemento, exceptis versu primo, ubi pro «et» ponitur «in principio», et secundo, ubi, constructione insolita ac perrara quae forte aliquid singulare notetur, praevia particula «et» (hic mere copulativa), subiectum praerit verbo³⁷.

32. 2) Expresse dicitur Deus mundum *ex nihilo* fecisse in 2 Mac 7,26.28 (cf. supra n.27). Hoc testimonium, nuper allatum ut attestatio traditionis iudaicae de creatione ex nihilo, valet etiam quodammodo ut auctoris sacri istam implicite confirmantis, dum (ex contextu) illam mulierem sic loquentem laudat³⁸.

33. 3) Mundus sine ulla restrictione uni Deo effectori emphatice tribuitur. Quae asserta, cum nullo modo indicent illum ex materia praeeexistente fieri, sumenda sunt absolute seu etiam de ipsa materia mundi. Cum vero illa idea saepissime ac multiplici modo in Scriptura asseratur, solum aliquos textus proponimus, quibus Deus fecisse dicitur alias caelum et terram, alias caelum et terram et omnia quae in eis sunt, alias singulas res caeli et terrae, et quidem ut quid absolute proprium ipsius:

Gen 14,19, ubi Melchisedech canit: *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit caelum et terram*. Neh 9,6 inducit Esdras clamantem: *Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti caelum, et caelum caelorum et omnem exercitum eorum: terram et universa quae in*

ea sunt: maria et omnia quae in eis sunt: et tu vivificas omnia haec.

Ps 145,6: *Qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt*. Ps 103 (qui iure hymnus creationis vocaretur): *Extendens caelum..., qui ponis nubem..., qui facis angelos tuos spiritus. Qui fundasti terram... Ascendunt montes et descendunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti quem non transgredientur... Qui emittis fontes... Rigans montes... Producens foenum iumentis et herbam servituti hominum... fecit lunam in tempora...*^{38*} Eccl 11,5 memorat: *Opera Dei, qui fabricator est omnium*. Pariter Sap 1,14: *Creavit enim ut essent omnia*. Similia profert Is 37,16, ubi Ezechias orat: *Tu es Deus solus omnium regnorum terrae, tu fecisti caelum et terram; 44,24 inducit Dominum dicentem: Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos solus, stabiliens terram et nullus mecum; item 45,6s.12.18: Ego Dominus et non est alter; formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia haec... Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego; manus meae tetenderunt caelos... Haec dicit Dominus creans caelos, ipse Deus formans terram et faciens eam... Ego Dominus et non est alius*. Ier 10,9-16: In oppositione ad idola quae «opus artificum» sunt: *Dominus autem Deus verus est... Ab indignatione eius commovebitur terra... Sic ergo dicetis eis [gentibus]: Dii qui caelos et terram non fecerunt, pereant... Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos... Qui enim formavit omnia ipse est*. 32,17: Ieremias orat: *Domine Deus, ecce tu fecisti caelum et terram in fortitudine tua magna et in brachio tuo extento...*

34. 4) Deus dicitur Dominus absolutus caeli et terrae. Quod non statueretur, si quid esset in iis a Dei actione independentem existens. Gen 14, 22: Abram levat manum suam ad Dominum Deum excelsum possessorem caeli et terrae. Par 29,11-16: *Tua est, Domine, canit David, magnificentia et potentia et gloria...; cuncta enim quae in caelo sunt et in terra, tua sunt; tuum, Domine, regnum et tu es super omnes principes... In manu tua magnitudo et imperium omnium... Tua sunt omnia...*

Sensum iudaicum eius domini divini etiam Mardocheus expressit (Esth 13,9-12): *Domine, rex omnipotens, in ditone enim tua cuncta sunt posita... Tu fecisti caelum et terram et quidquid caeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuae.*

Hinc etiam Deus ut Dominus libere opera sua homini subicit. Ps 8,7s:

^{38*} *Extendisti caelum... Nubes constituisti... Nuntios tuos facis ventos... Fundasti terram... Ascenderunt montes, descenderunt valles in locum quem statuisti eis. Terminum posuisti eis, quem non transgredientur... Fontes defluere iubes... Rigas montes... Producis gramen iumentis et herbam ut serviat homini... Fecisti lunam ad tempora signanda... Liber psalnorum, cura Professorum Pont. Inst.Bibl. (Romae 1945) 209s. Multa ex A. T. de Creatore omnium: F.ASENSIO, S.I., *El Dios de la luz* (Romae 1958) 35-43.*

³⁴ Cf. L.MURILLO, S.I., *El Génesis* (Roma 1914) 175s.

³⁵ PINARD, 2043-2046; ZAPLETAL, 19-21; HUMMELAUER, 90; CEUPPENS, 48; M.J.LA-GRANGE, O.P.; RevBibl 11 (1902) 119-122; MURILLO, l.c.; CLAMER, l.c.

³⁶ E.KÖNIG, *Die Genesis* (Gütersloh 1919) 129-131; O.PROCKSCH, *Die Genesis* (Leipzig 1925); J.WELLHAUSEN, *Prolegomena zur Geschichte Israels*⁶ (Berlin 1905) 386s; J.J.STEWART PEROWNE, *Notes on Genesis: Expos 2 ser.4* (1890) 249s.

³⁷ Cf. VACCARI, 163. Ceterum de tota pericopa, cf. KORTLEINER, 15-41; ZAPLETAL, 19-19; MURILLO, l.c.; Id., *Exposición exegetica de la sección cosmogónica de Moisés: RazFe 21* (1908) 416-421; HUMMELAUER, 85-92; Id., *Nochmals der biblische Schöpfungsbericht: BiblStud 3* (Freiburg 1898) 110-118; H.RONGY, *La création dans la Genèse: RevEcclLiège 25* (1933-1934) 3-13; VAN IMSCHOOT, 98 not.1. Opinionem J.B.Bauer refutat F.VATTIONI, *Genesis 1,1 ed Eccl 15,14: August 4* (1964) 105-108.

³⁸ Textum Is 41,24 (*Ecce vos estis ex nihilo*) de idolis, pro creatione ex nihilo citant KORTLEINER, 43 not.2 et C.A. LAPIDE, *In Isaiam prophetam* (Parisii 1860) 516s. At forte locus mere indicat saltem directe deos illos esse fictions: cf. J.KNABENBAUER, S.I., *Commentarius in Isaiam prophetam*² (Parisii 1923) 117.

Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius...

Imo res quasi sensibilibus exprimunt suam subiectionem erga ipsum. Eccli 16,18s: *Ecce caelum et caeli caelorum, abyssus et universa terra et quae in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. Montes simul et colles et fundamenta terrae, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.*

Saepe Scriptura percurrit opera Dei in mundo, simul ea extollens et Dei sapientiam ac potestatem et Ipsius dominium dynamicum in eadem. Sic Iob 9,3-13; 38-42; Ps 43,103,146-148; Is 40,22-28; Ier 32,16-19. Hinc Deus ex eis operibus nequit non cognosci in suis perfectionibus: Sap 13,1-5.

35. 5) His omnibus plene consonat nomen «Yahveh» seu qui est. Ex 3,11-14: *Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Aegypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum... Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israel et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.*

Nulla ratio impedit quin haec verba ad sensum obvium interpretemur. Et sane cum Moyses probe sciret quis esset Deus, censendus est, potius quam de ipso Dei nomine, quaerere de huius sensu seu quid sit Deus in se. Deus est autem, iuxta ipsius responsum, *ille qui est*, ut quid concretum et absolutum, ita ergo ut eo nomine natura Dei definiatur per ipsum eius existentiam realem et concretam, imo ut plenitudinem entis ac bonitatis, quidquid sit de indole metaphysica eius definitionis, imo ut qui «est» seu «existit», dum alii dii et alia omnia «non sunt» seu sunt nihil³⁹.

At id nominis non esset Deo proprium, seu quo ab omnibus aliis clare distingueretur, si quid independentem a Deo existeret. Ergo alia, praeter Deum, quasi non sint. Nec secus ea (saltem materialia), utpote partes illius materiae infectae, dicerentur esse quasi nihilum. Is 40,15-17: *Ecce gentes quasi stilla stulae et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus... Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.* Sap 11,23: *Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani quae descendit in terram.*

Sic optime intelligitur Deum quasi pleno iure vocari Dominum (Yahveh), et quidem ipsum solum, praecise ut Creatorem. Am 9,6: *Quia aedificat in caelo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit... Dominus nomen eius (cf. 5,8). Is 45,18: Quia haec dicit Dominus creans caelos, ipse Deus formans terram... Ego Dominus (Yahveh) et non est alius (cf. v.5-7).*

36. 6) Deus dicitur existere ante omnia alia, etiam ante abyssum cosmicum, et quidem ab aeterno. Quod non esset intellectu facile, si ea essent iam saltem in materia infecta. Ps 89,2: *Priusquam montes fierent aut*

³⁹ Cf. H.BARNES, O.P., *La révélation du nom divin «tétragrammaton»*: RevBibl 12 (1893) 332-331; LAGRANGE, El et Iahvé: RevBibl 12 (1903) 378-380; F.PRAT, S.I., *Jéhovah*: DB 3,12205.1231-1233; G.MITOSINKA, *Patrum graecorum interpretationes: Exodi 3,14* (Pragae 1938); CEUPPENS, *Theologia biblica, De Deo Uno* (Romae 1949) p.23-28; HEINISCH, *Theologie des Alten Testament* (Bonn 1940) n.8.14; RENCCKENS, *De Naam Jahveh als samenvatting van Israél Godsbesef*: Bijdr (1958) 117-136; J.M.FENASE, O.M.I., *Toi, qui es-tu? Je suis: BiblVieChr 49* (1963) 45. Opinio quod Deus nolit nomen suum declarare, quam proponit A.M.DUBARLE, *La signification du nom de Jahveh*: RevScPhTh 34 (1951) 3-21, cui assentitur G.LAMBERT, S.I., *Que signifie le nom divin YHWH?*: NouvRevTh 74 (1952) 910-912. 915, videtur minus apta, cum in contextu nihil indicet eam evasionem, quae clarius exprimeretur (Gen 32,30). Iuxta VAN IMSCHOOT, 168, nomen Yahveh significat, non ens absolutum, sed efficac, seu cuius existentia active se prodat, seu, ut ait AUVRAY, l.c., 171, quod facit existere.

formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus. Prov 8,22-31: *Dominus possidet me antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sunt et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram... Quando praeparabat caelos aderam...^{39*} Isti sensui consonat Is 48,12s: Ego ipse, ego primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est caelos...*

37. B. Novum Testamentum. Cum tempore Christi iudaeis clarum esset dogma creationis ex nihilo, id directe N.T. non docet, sed id refert et id Ioannes ac Paulus Verbo tribuunt. 1) Ut in V.T., Deus dicitur simpliciter, et multis modis, omnia fecisse. Act 4,24 (sic orant fideles Ierosolymitani): *Domine, tu es qui fecisti caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt (cf. 14,14). Hebr 1,10 (haec refert ex Ps 101, 26): Et Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli; 1,2s: Per quem (Filium) fecit et saecula; qui, cum sit splendor gloriae... portansque omnia verbo virtutis suae (cf. 11,3); 3,4: Qui autem omnia creavit, Deus est.*

In specie Io 1,3: *Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt* (ἐγένετο i.e. ad esse pervenerunt). Quae dicuntur quasi ad confirmandam ex Verbi virtute divinitatem ipsius prius assertam et eminentiam super omnia. Cum vero absolute verum sit istud assertum, quo omnia dicuntur facta esse a Verbo, nihil est quod ab ipso non sit factum, ergo ex nihilo (cf. 1,10).

Nedum illud infirmant quasi supponerent aliqua esse infecta, sed potius eius vim augment, ea quae statim adduntur: *Et sine ipso factum est nihil* (οὐδὲ ἓν, forma potior ac fortior) *quod factum est*. Nam prius assertum est absolutum; reliqua vero sunt eiusdem rei affirmatio negativa, iuxta hebraicum parallelismum, nec rarum apud S.Ioannem (1,20; 3,16; 10,4s.28; 20,27; 1 Io 1,6; 2,4.27), quo idem duobus versibus, alio positivo alio negativo, exprimitur⁴⁰.

38. Item Col 1,16: *In ipso (Filio) condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes...: omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* His expresse creatio etiam angelorum assertitur, quo praemuniantur Colossenses a Parsismo seu cultu angelorum ut deorum in urbe tunc grassante.

1 Cor 8,6: *Unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum: et unus Dominus Iesus Christus per quem (δι' οὗ) et nos per ipsum.* Sine dubio idem saltem supponit Apoc 3,14 scribens de

^{39*} De sensu Sapientiae ut proprie divinae seu potentiae Dei creatricis rerum, cf. A.HULBOSCH, O.E.S.A., *Sagesse créatrice et éducatrice*: August 2 (1962) 5-13; cf. Sap 7,22-8,1; 9,9. ⁴⁰ J.M.VOSTÉ, O.P., *Studia Ioannea*² (Romae 1930) 38s; LAGRANGE, *Evangelie selon Saint Jean*⁴ (Paris 1927) 4-6; A.DURAND, S.I., *Evangelie selon Saint Jean*⁸ (Paris 1927) 10-12. Ceterum forte vera lectio exigit punctum post «nihil»: cf. L.DE LA POTTERIE, S.I., *De interpunctione et interpretatione versuum Joh. 1,3-4: VerbDom 33* (1955) 193-208.

Christo: *Haec dicit Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei*^{40*}.

39. 2) Hinc Deus dicitur simpliciter et sine ulla restrictione Dominus caeli et terrae. Mt 11,26: *Iesus dixit Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae* (cf. Lc 10,21). Et ideo etiam elementa habet sibi subiecta. Mt 5,45: *Qui (Pater) solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos*.

3) Omnia dicuntur simul et facta esse a Deo et in ipsum ordinari. Ergo, si secundum *totum*, ut patet, in ipsum dirigi dicuntur, pariter secundum *totum* dicuntur esse ab ipso facta. Rom 11,36: *Ex ipso et per ipsum et in ipso* (i.e. in ipsum εἰς αὐτόν) *sunt omnia*. Cf. Col 1,16; 1 Cor 8,6; Apoc 21,6; 22,13.

4) Deus dicitur simpliciter ante mundum exstitisse. Io 17,5: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud te ipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te* (cf. 14,24). Cf. Eph 1,4.

5) Deus dicitur vocare ea quae non sunt. Rom 4,17: *Qui (Deus) vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt* (τὰ μὴ ὄντα) *tamquam ea quae sunt* (i.e. ut si essent, ὡς ὄντα). Quae nonnisi creationem ex nihilo indicare videntur⁴¹.

40. N.B. a) Plurima alia testimonia scripturistica pro creatione ex nihilo afferri possent, cum hanc ideam auctores sacri saepissime efferant in Dei sive laudem sive gratitudinem sive amorem vel ad fiduciam fovendam vel ob alia motiva. Ea vero quae attulimus vehementer ostendunt firmum et constantem modum quo Scriptura Deo tribuit *omnium* creationem, et quin umquam materiam ab ipso independentem, qua illa omnia fiant, memoret. Ergo clarissime docet creationem ex nihilo.

b) Angelorum creatio nullo ex allatis loco, si Col 1,16 excipiatur, expresse memoratur; at si minus probabiliter negetur eos in Gen 1,1 concludi, aliis saltem textibus, ubi de omnium vel caeli et terrae creatione agitur, ii etiam indicari dicendi sunt; id patet positive, quia saepe in Scriptura inducuntur vel ut caeli incolae (Gen 28,12; 1 Reg 22,19; Dan 7,10; Mt 18,10) vel in aliqua cum eo connexionem (Neh 9,6; Ps 148,15), et negative, quia, cum iudaei eorum existentiam nossent, deberent scire eos esse a Deo factos, ne secus putare possent eos esse velut quosdam deos.

41. **Probatur ex traditione.** SS. Patres hoc dogma basicum religionis christianae non potuerunt non frequentissime memorare, et quidem multiplici ratione illud explicandi vel statuendi et confirmandi. Solum aliqua eorum testimonia hic proponuntur, quibus ii creationem ex nihilo docent sive thetice, seu ratione naturae divinae, sive dogmatice, seu ut rem fidei, sive exegetice, seu ut traditam in Scriptura, sive polemice, seu contra philosophias prophanas et sectas haereticas circa hanc rem aliquo modo errantes, vel occasione dogmatici alius erroris.

1) *Thetice*. Ex omnipotentia Dei. LACTANTIUS (R 628): *«Faber sine ligno nihil aedificabit, quia lignum ipsum facere*

^{40*} Cf. S.BARTINA, S.I., *Apocalipsis de San Juan*: Nuevo Testamento (BAC) 3 (Madrid 1962) 648.

⁴¹ Cf. AUVRAY, L.c., 176; W.KASCH, E.KINDER, *Schöpfung*: EvLex 3 (1959) 833.836.

non potest; non posse autem imbecillitatis humanae est. Deus vero facit sibi ipsi materiam, quia potest; posse enim Dei est; nam, si non potest, Deus non est...»

Ex unicitate Dei. TERTULLIANUS (R 325): *«Unici Dei status hanc regulam vindicat, non aliter unici nisi quia solius, non solius aliter nisi quia nihil cum illo. Sic et primus erit, quia omnia post illum; sic omnia post illum, quia ab illo; sic ab illo, quia ex nihilo...»* (cf. R 322s) 42.

42. 2) *Dogmatice*. *Hermae Pastor* (R 85): *«Primum omnium crede unum esse Deum, qui omnia creavit... et ex nihilo fecit omnia, ut sint...»*

ORIGENES (R 445): *«Species vero eorum quae per praedicationem apostolicam manifeste traducuntur istae sunt. Primo quod unus est Deus qui omnia creavit... quique, cum nihil esset, esse fecit universa...»* (cf. R 478).

TERTULLIANUS (R 290): *«Regula est autem fidei, ut iam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi conditorem; qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primo omnium emissum...»*

S.GREGORIUS NAZIANZENSIS (R 1014): *«Crede mundum universum, tam qui visibilis est quam qui invisibilis, ex nihilo a Deo factum esse».*

43. 3) *Exegetice*. S.IOANNES CHRYSOSTOMUS: *«Moyses... omnes haereses quae sicut zizania pullulaturae erant in Ecclesia, eradicat per hoc quod dicit: in principio fecit Deus caelum et terram. Unde si Manichaeus ad te accesserit dicens materiam praeexistere, si Marcion, si Valentinus, si gentilis, dic illis: in principio creavit Deus caelum et terram. Sed quid, si non credit ille Scripturae? Tu posthac ipsum averseris velut furibundum et mente captum. Nam qui omnium opifici non credit, et veritatem mendacii arguit, qua umquam dignandus est venia?»*^{42*} (cf. R 1147).

S.ATHANASIVS (R 748): *«Novit enim (divina doctrina et Christi fides) res non fortuito factas esse..., neque ex materia prius praeexistente..., sed Deum omnia, neutiquam prius existentia, ex nihilo per Verbum fecisse ut essent, ut per Moysen ait: In principio fecit Deus caelum et terram».*

S.EPIPHANIUS (R 1101): *«Illud evidenter sermo Dei declarat, neque post astra productos esse angelos, neque ante caelum et terram constitutos. Est enim immutabilis et certa illa sententia; ante caelum et terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam in principio creavit Deus caelum et terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit».*

44. 4) *Polemice*. Contra gnosticos. S.IRENAEUS (R 194): *«Cum teneamus... nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum suum... et*

⁴² Eius doctrinam de creatione exponit A.D'ALÈS, S.I., *La théologie de Tertullien* (Paris 1905) 104-106. 109-112; terminologiam R.BRAUN, *«Deus christianorum»* (Paris 1962) 329s.
^{42*} In Gen. 1 hom. 2,3; MG 53,29. De S.Athanasio cf. A.RECHEIS, O.S.B., *Sancti Athanasii Magni doctrina de primordiis seu quomodo explicaverit Genesim*: Ant 28 (1953) 222-226.

fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia... ex omnibus autem nihil subtractum est, sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia sive invisibilia... non per angelos neque per virtutes aliquas abscissas ab eius sententia...» (cf. R 199).

45. Contra philosophos graecos defendentes materiam infectam. S.THEOPHILUS ANTIOCHENUS (R 178): «Plato et qui eum sequuntur, Deum quidem fatentur ingenitum et creatorem omnium esse, sed dein statuunt duo esse ingenita, Deum et materiam... Quod si Deus ingenitus et materia ingenita, non iam Deus creator est omnium secundum platonicos... Quid autem magni esset, si Deus ex materia subiecta mundum faceret? Opifex enim apud nos, cum materiam ab aliquo acceperit, ex ea quidquid placuerit effingit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat quaecumque voluerit...»

TATIANUS (R 153s): «Deus erat in principio... Universorum enim Dominus, qui ipse est universi hypostasis, quatenus quidem nondum facta erat creatio, solus erat; quatenus autem ipse omnis potentia, visibilium et invisibilium hypostasis erat, apud ipsum omnia ab ipso et a verbo quod in ipso erat, per rationalem potentiam sustentabantur... Non caret initio materia quemadmodum Deus; nec Deo, ut initii expers, parem habet potestatem; verum creata est, nec ab alio facta, sed a solo universorum opifice producta».

CLEMENS ALEXANDRINUS sibi obicienti: «Sed tamen philosophi, ne stoici tantum et Plato et Pythagoras, sed etiam Aristoteles peripateticus, materiam inter principia numerant, non principium unum statuunt», explicat eam philosophorum de materia infecta doctrinam (etiam innuens Platonem istam materiam solum allegorice praesupposuisse, cum unum principium admitteret) assertam esse occasione Gen 1,1: «Ceterum prophetica dictio: terra autem erat invisibilis et informis: suppeditavit eis occasionem introducendi substantiam materiale».

Et paulo ante dixerat Deum esse «omnino primum et antiquissimum principium... quod quidem est etiam aliis omnibus causa ut fiant et facta sint»⁴³.

ORIGENES (R 459): «Nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam, id est, non ab ipso Deo factam conditore omnium putaverunt, sed fortuitam quamdam eius naturam virtutemque dixerunt. Et miror quomodo isti culpent eos, qui vel opificem Deum vel providentiam huius universitatis negant... cum ipsi etiam similem culpam impietatis incurrant, ingenitam dicentes esse materiam Deoque ingenito coaeternam».

Et alibi dicit (R 478): «Illud, ex quo tamquam ex materia subiacente, est principium apud eos, qui ingenitam esse putant; secus vero apud nos, qui hoc persuasum habemus, quod ex non entibus entia fecit Deus, ut mater illa septem martyrum in Machabaeorum gestis et paenitentiae angelus in Pastore docuit» (cf. 2 Mac 7,28; R 85).

46. Contra emanatismum. S.AUGUSTINUS (R 1564): «Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, eumque... creasse omnia quae sunt, in quantum sunt, disciplina catholica credi iubet,

⁴³ Stromatum 5,14; 5,12s; MG 9,131,122.

ita ut creatura omnis... sive invisibilis sive visibilis, non de Deo nata, sed a Deo sit facta de nihilo; nihilque in ea esse quod ad Trinitatem pertineat, nisi quod Trinitas condidit, ista condita est. Quapropter creaturam universam neque consubstantialem Deo, neque coaeternam fas est dicere aut credere».

Contra Noetum monarchianum, tenentem Filium non esse Deum vel, si Deus est, eumdem esse ac Patrem⁴⁴. S.HIPPOLYTUS (R 391): «Deus solus cum esset, nihilque sibi coeum habere, voluit mundum efficere... Nihil erat praeter ipsum... Quando voluit... ostendit Verbum suum temporibus... per quod omnia fecit...» (cf. R 398)⁴⁵.

47. Contra arianos, dicentes Filium esse factum. S.ATHANASIUS (R 761): «Audiant illi res factas aeternas esse non potuisse, etiamsi eas semper potuerit facere Deus. Illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent. Quae autem non erant antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est, possint exsistere?... At vero Filius, cum non opus, sed naturae Patris sit proprius, semper idcirco est. Cum enim semper sit Pater, semper quoque esse oportet quod eius naturae est proprium...» (cf. R 764).

Contra manichaeos. S.AUGUSTINUS (R 1540s): «Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia, etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant... quoslibet opifices non posse aliquid fabricare nisi habuerint unde fabricent... Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo caelum et terra...»⁴⁶.

48. Ratio theologica. Si supponitur hic, ut in tractatu *De Deo Uno* probata, Dei immutabilis existentia sive absolute necessaria sive necessario unica, ac ex experientia existentia rerum mutabilium, quae proin a Deo distinctae sint, et si aliunde non intenditur hic demonstrare Deum esse omnium rerum creatorem ut unicam causam vel saltem ut principalem, sed solum rerum prima ipsius actione productarum, ita probatur Deus, et quidem solus, mundum creasse:

Quidquid extra Deum existit, effectum est mediate vel immediate a Deo. Ergo saltem prima operatio Dei ad extra fuit productio ex nihilo.

⁴⁴ Cf. BARDY, *Monarchianisme*: DTC 10,2195.

⁴⁵ Eius doctrinam de creatione exponit D'ALÈS, *La théologie de Saint Hippolyte* (Paris 1906) 21-25.

⁴⁶ De eius doctrina de creatione, cf. J.DE BLIC, S.I., *Platonisme et Christianisme dans la conception augustiniennne du Dieu Créateur*: RechScRel 30 (1940) 172-198.

Consequens facile patet, supposito antecedenti, cum primum ens productum esset vel ex Deo, quod purae actualitati divinae et simplicitati et immutabilitati repugnat, vel ex nihilo.

Antecedens. Non est nisi unum ens a se seu cui uni existentia per ipsam eius essentiam conveniat. Ergo, si quae alia existunt, non sunt a se, sed contingentia, ac proin quibus essentialiter convenit esse per participationem ab alio. Atqui, si ea non essent mediate vel immediate a Deo, essent a se ac proin non haberent esse per participationem; nam extra Deum nulla alia eorum causa assignari potest, nisi processus in infinitum, qui, ut patet, repugnat, vel ipsa eorum essentia. Ergo ea sunt mediate vel immediate a Deo et quidem solo (S.TH., I q.2 a.3; q.44 a.1s).

Ergo, si res bene perspicitur, thesis creationis ex nihilo non est nisi corollarium theseos existentiae Entis a se et quidem Unius.

49. *Ratio naturalis*, cum possit suis viribus et existentiam necessariam et unicatem Dei immutabilis demonstrare, potest etiam per se sola certam creationis ex nihilo cognitionem obtinere (*In* 2 d.1 q.1 a.2; *De pot.* q.3 a.5)⁴⁷. Id vero, quod non est a C.Vaticano de fide definitum (D 1806)⁴⁸, iure potest dici *theologice certum*; nam de fide definitum est «Deum unum et verum... per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci... posse» (ibid.), et aliunde ex ratione certum est, existentiam Dei unius necessario inferre omnia alia entia, praeter ipsum, esse ex nihilo facta⁴⁹; vel etiam, illam cognitionem *Dei unius et veri* non posse obtineri sine cognitione Dei ut creatoris⁵⁰.

Alii tamen de ea qualificatione dubitant, cum veritas Dei ut creatoris sit alia et quoad nos posterior ac remotior quam veritas Dei ut existentis. Protestantes vero hodierni asserunt creationem ex nihilo non posse cognosci in natura lapsa nisi ex revelatione; iis praeiverat Lutherus⁵¹.

50. Ceterum, etiam posita illa demonstrationis possibilitate, *de facto*, cum homo ex experientia sive propria sive aliena solam actionem eductivam cognoscat et proin actionem creativam in se adeo miram non facile concipiat, sola ratio naturalis illam strictae creationis demonstrationem in hoc statu naturae difficulter adipiscitur sine revelatione, quae, quin ei ne-

47 Cf. de hac re SANTELER, *l.c.*, 222-225; SUÁREZ, *l.c.*, 20,1,7. Scientias naturales non obesse creationi mundi ex nihilo, sed potius eam exigere, ostendit A.ROMAÑA, S.I., *Le monde, son origine et sa structure aux regards de la science et de la foi* (J.Bivort de la Saudée), *Essai sur Dieu, l'homme et l'univers* (Tournai 1950) 157-165. Ergo omnino reici debet assertum, quod ratio naturalis per se solam ad ideam creationis non ducat, quod, dum firmiter statuit creationem ex nihilo, profert protestans E.BRUNNER, *La doctrine chrétienne du Dieu Créateur*: Rev HistPhRel 34 (1954) 334-336. Pariter K.BARTH, *Die Lehre von der Schöpfung*: Dogmatik 3-1 (Zurich 1957) 25.395-401; cf. J.M.ALONSO, C.M.F., *Cosmologia y Antropologia cristianas de Karl Barth*: RevEspT 461-465.467.

48 CL 7,79. Cf. PIAULT, *o.c.*, 428.

49 Sic fere videtur etiam loqui PINARD, 2192; PIGNATARO, *o.c.*, 40. Cf. etiam HURTER, 2 n.241; HUARTE, n.14.

50 BOYER, 435.Cf. tamen SCHEFFCZY, 150.

51 E.KINDER, *l.c.*, 8358; E.BRUNNER, *La Doctrine chrétienne de Dieu Créateur*: Rev HistPhRel 34 (1954) 334-338; maxime K.BARTH, *Die kirchliche Dogmatik*, III-1 ed. 3 (Zurich 1957) § 40; cf. H.BOULLARD, S.I., *Karl Barth*, 3 (Aubier 1957) 167-172. De Luther agit D.LÖFGREN (protestans), *Die Theologie der Schöpfung bei Luther* (Göttingen 1960).

cessario principia demonstrationis offerat, mentem eius in his quaerendis et accurate inspiciendis dirigat⁵².

Hinc etiam ipsi magni philosophi gentiles strictam illam creationem vel probabilius ignorarunt vel adeo confuse eam conceperunt, ut de eorum mente circa eam nobis clare non constet. Sic, ut pauca de Platone et Aristotele hic dicantur, dum S.Thomas eis conceptum strictae creationis concebat (I q.44 a.1; *De pot.* q.3 a.5)⁵³, S.Bonaventura illum eis negabat. Quae dissensio perdurat apud recentiores auctores, qui tamen huic negativae opinioni potius adhaerent⁵⁴.

Aristotelis principia, etsi iuxta aliquos creationem ex nihilo includant⁵⁵, iuxta alios eam negant⁵⁶, iuxta alios ille istam nec asseruit nec negavit, quam simpliciter non cognovit⁵⁷, ita vero ut eius principia virtualiter illam contineant⁵⁸.

Platonem vero creationem ex nihilo statuuisse, adhuc facilius ab aliis negatur⁵⁹, dum ab aliis affirmatur⁶⁰ vel saltem eius principia ut rectae doctrinae sat consona habentur⁶¹.

51. **Obiectiones.** I. Sap 11,18: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisā (ἐξ ἀόρατου ὕλης) immittere illis multitudinem ursorum aut audaces leones...* Ex his, mundus factus est a Deo ex materia invisā. Ergo non ex nihilo.

Dist. antec. Mundus factus est ex materia invisā in secunda creatione, *conc. antec.*; in prima, *nego antec.*

Cum enim Deus aegyptios adorantes vilissima animalia per eadem punierit, auctor sacer, ostendens Ipsi facile fuisse ferociora animalia in eos immittere, appellat congruenter creationem secundam (Gen 1,2; tohu vabohu), in qua Deus ex materia fecerat animalia. At non eo ipso negat creationem primam; fere ut si quis, asserens Deum alios homines facere posse,

52 Cf. PALMIERI, th.5 n.1; L.BILLOT, S.I., *Dogma creationis an ex initio Geneseos demonstrat*: Greg 1 (1920) 1778.

53 De quadam dubia contradictione S.Thomae in hac re, cf. A.C.PEGIS, *A Note on St. Thomas, Summa theologica* I,44,1-2: MedSt 8 (1946) 159-168. Hinc etiam MANSER (*l.c.*, 614) putat S.Doctorem in Summa adhuc tribuere Aristoteli, ut in *De pot.*, opinionem strictae creationis, dum J.MARITAIN (*La philosophie bergsonienne. Etudes critiques*³ [Paris 1948] 346), negat ipsum in ea attributione manere.

54 *In* 2 d.1 p.1 a.1 q.1. De ea dissensione circa Aristotelem, cf. v.gr. F.PREZIOSO, O.F.M., *De Aristotelis creatioismo secundum S.Bonaventuram et secundum S.Thomam* (Romae 1942). Sic hodie v.gr. G.DEL DEGAN, *Ancora a proposito dell'origine dell'anima intellettuale secondo A.Rosmini*: GioMet 14 (1950) 99.

55 Sic F.BRENTANO, *Aristoteles Lehre Ursprung des mensch. Geistes* (Leipzig 1911); E.ROLES, *Die aristotelische Auffassung vom Verhältnisse Gottes zur Welt und zum Menschen* (Berlin 1892); BOYER, 208.

56 Sic J.CHEVALIER, *La notion de nécessaire chez Aristote et chez ses prédécesseurs particulièrement chez Platon* (Paris 1915); Id., *Aristote et saint Thomas d'Aquin ou l'idée de création*: Lett 14 (1927, 1) 433-447; LAGRANGE, *Comment s'est transformée la pensée religieuse d'Aristote. D'après un livre récent*: RevThom 9 (1926) 297-313.326-328, qui sequitur W.JAEGER, *Aristoteles. Grundlegung einer Geschichte seiner Entwicklung* (Berlin 1923); E.GILSON, *L'esprit de la philosophie médiévale*² (Paris 1944) 401; J.BAUDRY, *Le problème de l'origine et de l'éternité du monde* (Paris 1931) 185-189.

57 Sic v.gr. MARITAIN, *l.c.*

58 Sic R.JOLIVET, *Aristote et la notion de création*: RevScPhTh 19 (1930) 5-50.209-235; MANSER, 612-618, qui plures alios idem tenentes citat (613). His adhaeret VALBUENA, *l.c.*, 695-697.

59 Sic CHEVALIER, *La notion de nécessaire...* 186-188; ARNOU, *l.c.*, 2265s.2349; Q.HUONDER, *Gott und Seele im Lichte der griechischen Philosophie* (München 1954) 40.

60 Sic LAGRANGE, *Platon theologien*: RevThom 9 (1926) 196-202; A.E.TAYLOR, *Platon* (London 1926) p.442-444.

61 Sic BOYER, 198. Idem videtur tenere, etsi rem directe non tractant, A.BREMOND, *Note sur le Dieu de Platon*: ArchPh 2 (1924) 42.390-401; A.DIES, *Around of Platon* 2 (Paris 1927) l.4 c.3 p.523-574. Tamen, iuxta SANTELER, 224, philosophi sinenses sat cito accesserunt ad eum conceptum creationis, quin verisimile sit eos id ex influxu revelationis vel primaevae vel christianae obtinuisse.

iure appellaret productionem Aadae, et quidem forte congruentius quam primam mundi creationem, quin eo ipso hanc negaret.

Ceterum nullibi Sapiens materiam infectam memorat, sed potius effert absolutam omnium rerum dependentiam a Deo in earum esse et conservatione: cf. v.22-27, praeter 1,14; 6,8; 7,21.23.27; 8,1.6; 9,2.9; 13,1-5. Ergo immerito ex uno verbo quasi per transennam emisso (quod, ceterum, ut patet ex dictis, nullo modo negat creationem primam) deduceretur Sapientem ignorare traditionem iudaicam de illa creatione ex nihilo et potius iuxta philosophias prophanas (v.g. platoniam) loqui.

52. *Inst.* Ad ostendendam omnipotentiam Dei, quod intendit Sapiens (v.18-24), aptior est creatio prima quam secunda. Ergo, si ille primam cognovisset, eam appellasset.

Dist. antec. Ad ostendendam omnipotentiam Dei aptior est creatio prima absolute, *conc. antec.*; pro modo quo Deus illam hic ostendi vult, *nego antec.*

Auctor vult efferre *Dei potentiam*, non simpliciter, sed *ut sapientem*, quatenus Deus voluerit aegyptios per vilissima animalia punire, *ut scirent quia per quae peccat quis, per haec et torquetur* (v.17), etsi ferociora animalia producere potuisset, et sane: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti* (v.21); quo posito, ad secundam creationem iure alludit, et quidem forte congruentius quam ad primam. Ceterum, etsi auctor efferre vellet *nudam Dei potentiam* ad aegyptios puniendos, posset pariter secundam creationem memorare, et quidem forte aptius, cum in ea fiant *concreta* instrumenta omnipotentiae Dei⁶².

53. 2. Hebr 11,3: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut invisibilibus visibilia fierent.* Ex his, visibilia facta sunt ex invisibilibus. Ergo non ex nihilo.

Dist. antec. Visibilia facta sunt ex invisibilibus, quae non sint aliqua materia, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Nemo sine dubio audet S. Paulo id asserti tribuere, quod res corporeae seu *visibiles* sint ex materia *invisibili* factae; quo admissio, iam negative iuri obiectio, etsi de positivo loci sensu non constat certo.

Iam vero, probabilius videtur ex textu graeco verba «ex invisibilibus» (μη ἐκ φαινομένων i.e. non ex visibilibus) significare «ex nihilo». Et sane Paulus, post definitionem fidei, quae sit, iuxta ipsum, argumentum non apparentium (οὐ βλεπομένων i.e. quae non videntur), affert ut exemplum rerum fidei creationem mundi seu factum initiale experientiam humanam superans. Alibi (Rom 4,17) describit creationem ut opus Dei, qui «vocat ea quae non sunt quasi essent» (cf. n.39)⁶³.

S. Thomas (1 q.65 a.4 ad 1) locum interpretatur etiam de creatione, sed ita ut «invisibilia» sint «rationes rerum, quae sunt in mente divina», ad quas mundus factus sit. Iuxta alios, non agitur hic de creatione (saltem prima) sed v.g. de fide in verbo Dei *invisibili*, quatenus, ea duce, ratio agendi externa antiquorum regebatur, ut constat ex exemplis ibi (v.4-31) allatis (Ceuppens), vel de eventu *inopinato*, seu verisimiliter non praevisto, utpote quod accidat iuxta Dei consilium quo rerum cursus (quasi in secunda creatione) ordinatus est (Smith)⁶⁴.

⁶² Cf. FREY, 36-39; KORTLEINER, p.56-66; CORNELY-F. ZORELL, S.I., *Introductio in libros sacros II* 2² (Parisii 1925) 2338; J. WEBER, *Le livre de la Sagesse*: PirClam 6 (Paris 1946) 4758; J. FISCHER, *Das Buch der Weisheit* (Würzburg 1954) 338. VAN IMSCHOOT, 99; BRINKTRINE, 32.

⁶³ Cf. KORTLEINER, p.66-69; BRINKTRINE, 33, qui re non videtur a nobis differre; C. SPICQ, *L'épître aux Hébreux*, 2 (Paris 1953) 340-342; VATTIONI, 106.

⁶⁴ CEUPPENS: ANG 13 (1936) 536; J. SMITH, S.I., *De interpretatione Hebr. 11,3*: VerbDom 27 (1949) 94-97.

54. 3. Quoad SS. Patres, et alia pauca et maxime haec immerito obicerentur:

S. Iustinus dicit «omnia illum (Deum) ab initio ex informi materia... condidisse», immo «a doctrina per prophetas vulgata acceptum esse... quod dixit Plato, Deum, cum informem materiam vertisset, mundum fecisse»⁶⁵.

At mirum esset et quod ab aliis Patribus in re adeo fundamentali discesserit, maxime cum Tatiani (quem nuper de creatione ex nihilo audivimus) magister fuerit, et quod de ea re a nullo Patre sit erroris accusatus.

Sane illa asserta non negant eam materiam esse ex nihilo creatam, maxime cum aliunde constet opinionem de materia infecta, quae ibi Platoni tribuitur, ab ipso expresse reici: «Solum enim Deus est, qui nec genitus sit, nec corruptioni obnoxius, ac propterea Deus sit: reliqua vero omnia quae post eum sunt, genita et corruptioni obnoxia... Ingenitum enim ingenito similis est et par et idem, nec potestate aut dignitate alterum alteri praefertur. Unde non multa sunt ingenita. Nam si quid inter illa discriminis foret, numquam tamen huius discriminis causam investigare reperias; sed cogitationem semper in infinitatem immittens, tandem in aliquo ingenito defessus haerebis, illudque omnium causam esse dices. An vero Platonem, aiebam, et Pythagoram haec latuere? Nihil Platonem moror... nec Pythagoram nec quemquam omnino qui talia opinetur»⁶⁶.

55. Athenagoras et alia et haec dicit: «Opus autem est et materiae artifex et artificii materia; quae enim formae exprimi possint sine materia aut artifice?»

At cur nec ipse a reliquis Patribus accusatur erroris, si a communi doctrina recedit? Ceterum verbis obiectis statim haec addit: «Neque etiam rationi consentaneum est, ut materia antiquior sit Deo; necesse est enim ut causa efficiens priusquam ea quae fiunt existat et imperet». Et paulo inferior ea statuit, quae, ut sonant, omnino recta sunt: «Plerique, cum internoscere non possint quid sit materia, quid Deus, et quantum intervallum inter utrumque, supplicant confectis ex materia simulacris; num idcirco nos etiam qui discernimus et se iungimus ingenitum et genitum, id quod est et quod non est... adibimus et adorabimus simulacra?»⁶⁷

56. Clemens Alexandrinus in opere suo *Hypotyposes* (cuius solum quaedam fragmenta restant) docet, iuxta Photium, aeternitatem materiae⁶⁸.

At, cum Photius istud asserat quin ipsa Clementis verba proferat, nequimus ex solo illo asserto iudicium contra hunc ferre. Sed, cum hic alibi, ut vidimus, rectam, nec umquam alias de hac re falsam doctrinam tradat, potius dicendum est Photium verba Clementis non bene calluisse.

57. S. Methodius dicit Deum potuisse mundum creare, ut homines creant formas rerum seu qualitates.

At nihil refert ad rem, si quando verba minus clara vel exacta de hac re proferat, cum ex professo et quidem clarissime probet materiam non esse ingenitam, et nec solum qualitates, sed et ipsam substantiam ex nihilo a Deo productam esse⁶⁹.

58. Eusebius Caesariensis dicit nihil ex nihilo fieri posse. Sed loquitur de nihilo absoluto seu etiam causam efficientem excludente, ut clare patet ex contextu, cum dicat mundum non de nihilo, sed consilio et voluntate Dei factum esse. Ideo statim addit: «Quomodo enim id quod non est, alteri

⁶⁵ Apol. 1,10.59: MG 6,341.415.

⁶⁶ Dial. cum Tryph. 58: MG 6,487.490.

⁶⁷ Legatio pro christianis n.15.19: MG 6,919.930.

⁶⁸ PHOTIUS, Bibliotheca cod.109: MG 103,287.

⁶⁹ De libero arbitrio: MG 18,247-262.

ut sit causa erit? Omne autem quodcumque est, ex uno qui solus est, et ante omnia est⁷⁰.

59. 4. Plato, tenens mundum esse factum ex materia increata, dicit tamen factum esse ex nihilo. At multi Patres easdem formulas ac Plato adhibent. Ergo ii potius ut Plato sentire de mundi creatione putandi sunt.

Dist. min., transmissa maiori (cum, ex supra dictis, de Platonis mente circa creationem disputetur). Patres adhibent easdem formulas, at eo stricto sensu creationis ex nihilo (ut patet allatis eorum textibus, vel secus etiam ex aliis adiunctis), *conc. min.*; adhibent eas, etiam putantes se iis Platonem sequi, *subdist.*: quia putabant ipsum recte de creatione sensisse vel quia saltem volebant illas formulas ad rectum sensum corrigere, *conc.*; quia putarent ipsum creationem negasse et in hoc ipsum sequi vellent, *nego*.

Cum de mente Patrum circa assertam creationem ex nihilo dubitari nequeat, ut patet ex allatis eorum verbis, platonicae eorum formulae de hac re vel supponunt Platonem de ea recte sensisse vel saltem sensu christiano ab ipsis imbuuntur⁷¹.

60. 5. Ex nihilo nihil fit. Ergo repugnat creatio.

Dist. mai. Nihil fit ex nihilo causae efficientis, *conc. mai.*; ex nihilo subiecti, *subdist.*: in ratione eductiva, *conc.*; in creativa, *nego*.

6. Creatio est mutatio. At mutatio supponit subiectum mutandum. Ergo.

Dist. mai. Creatio est mutatio propria vel impropria, *conc. mai.*; praecise propria, *nego mai.*

7. In creatione ens possibile transit ad esse. At ens possibile est ens reale. Ergo in creatione ens reale transit ad esse.

Dist. min. Ens possibile est ens reale metaphysicum, *conc. min.*; physicum, *nego min.*

8. In creatione ex nihilo aliquid simul fieret et factum esset. At id repugnat. Ergo creatio ex nihilo repugnat.

Dist. mai. In creatione ex nihilo aliquid simul fieret et factum esset instantanee seu sine motu proprie dicto, *conc. mai.*; successive, *nego mai.*

61. 9. Inter nihil et ens est distantia infinita. At ea distantia pertransiri nequit. Ergo transitus ex nihilo ad ens repugnat.

Dist. min. Distantia infinita pertransiri nequit successive, *conc. min.*; simultanee, *nego min.*

Cum aliquod spatium in partes syncategorematicae infinitas dividi queat, successive nequit pertransiri; at illud potest facile uno ictu vel pluribus totum simul comprehendere et sic pertransiri.

Sed melius negatur cum S.Thoma (I q.45 a.4 ad 4) superandam esse in creatione distantiam infinitam, quasi inter nihil et ens esset medium aliquod percurrendum per strictum motum.

62. 10. Materia est indestructibilis. At non esset, si veniret ex nihilo. Ergo non venit ex nihilo.

Dist. mai. Materia est indestructibilis per vires creatas, *trans. mai.* (id pendet a quaestione inferius disputanda de potentia creandi in ente finito); per potentiam Dei, *nego mai.*

Cum materia non sit a se, non est absolute necessaria; ergo saltem per potentiam Dei annihilari potest.

⁷⁰ *Demonstr. evang.* 4,1: MG 22,252s. Ceterum cf. de horum Patrum mente, PINARD, 2060-2068.

⁷¹ Cf. ARNOU, l.c., 2348-2362.

Inst. Materia agit iuxta leges necessarias et constantes. Ergo est necessaria, et quidem constanter.

Dist. antec. Materia agit iuxta leges necessarias et constantes mere relative seu prae potentia creata (iuxta nuper dicta de potentia creandi in ente finito), *conc. antec.*; absolute seu prae potentia etiam divina, *nego antec.*

Sane, si materia non est a se, sed contingens, nec leges quibus ea regitur sunt absolute necessariae, ut patet v.gr. in miraculis.

63. 11. Posita creatione ex nihilo, perfectio creata accederet Dei perfectioni, ita ut sic maior hac perfectio haberetur. At id repugnat. Ergo repugnat creatio ex nihilo.

Dist. mai. Posita creatione ex nihilo, perfectio haberetur perfectione Dei maior extensive, *conc. mai.*; intensive, *nego mai.*

Posita infinitate Dei in omni linea perfectionis, post creationem maior perfectio habetur extensive, cum sint plura subiecta perfectionem habentia; non vero intensive, cum ipsa perfectio in se non augeatur. Fere sicut scientia magistris non augetur post eam discipulis eius traditam, etsi tunc plures eam habeant.

12. Si creatio daretur, philosophi gentiles eam non ignorassent. At saltem multi eam ignorarunt. Ergo.

Dist. mai. Philosophi gentiles creationem non ignorassent, si eius conceptus esset facilius et experientia aliquomodo efformaretur, *conc. mai.*; secus, *subdist.*: eam ignorassent, quia ex falsis conceptibus eam non recta methodo investigassent, *conc.*; ex impossibilitate eam naturaliter demonstrandi, *nego*⁷².

64. Scholion I. De natura actionis creativae. Actio, seu id quo formaliter dicitur causa actu agere et effectus actu ab ea procedere, est: a) *principiative*, ipsa causa; b) *terminative*, ipse effectus; c) *formaliter*, actio in se ipsa. Ea *formaliter* sumpta concipitur ut quid medium connectens causam, quam denominat actu agentem, ac effectum actu ab illa fluentem, et proinde dicitur relationem essentialem ad utrumque, ita ut vocetur *actio*, prout a causa procedit, et *passio*, prout in subiecto recipitur.

Eadem dicitur *praedicamentalis*, si realiter et a causa et ab effectu distinguitur, secus vero *non praedicamentalis*. In creatis tamen illa sine dubio semper a causa, probabiliter non semper ab effectu re distinguitur (v.gr. intelligere, velle).

Iam vero *creatio* est actio, quae: a) *principiative* est ipse Deus (intellectus, voluntas, potentia, ratione inter se distincta: S.Th., I q.25 a.1 ad 4; a.5 ad 1; *De pot.* q.1 a.5; I d.45 q.1 a.3 ad 2); b) *terminative* est creatura; c) *formaliter* est ipsa actio, ut perfecte contradistincta saltem ratione et ab eius principio et ab effectu. De hac ergo sola quaeritur, quid sit. Est actio *praedicamentalis*? Si est *non praedicamentalis*, identificatur cum eius effectu, an potius cum eius causa, ut omnes Dei actiones necessariae cum Ipso identificantur?

65. Iuxta alios (Vázquez, Mendive) creatio est actio *non praedicamentalis*; at nullo modo est immanens Deo seu in actu Dei formaliter consistens, cum sit rei productio; sed tota quanta est *formaliter transiens* seu est in aliquo extra Deum *termino* productio cum quo realiter identificatur; in hoc ergo solo existens est ipsa relatio dependentiae creaturae, ut effectus, a Deo ut causa⁷³.

⁷² Cf. BILLOT, *De Deo prima causa efficiente, exemplari, et finali universi*: Greg I (1920) 4-6.

⁷³ VÁZQUEZ, *In I d.173 c.2-4*; J.MENDIVE, S.I., *Theodicea* (Vallisoleti 1887) n.214-219.

66. Iuxta alios (Suárez, Arriaga, recentius Hellín): creatio non est motus, ut actio eductiva creaturae, sed ipsum fluere creaturae a Deo non successivum, sed simultaneum, ita ut in eodem instanti sit et fieri et factum esse; non ergo est aliquid quod fluit ac praestit subiecto, sed ipse fluxus ut modus quo effectus incipit esse. Ergo est actio tota quanta formaliter transiens, cum influxus causae sit ubi re influit; at realiter distincta a creatura ut huius modus, cum creatio rei annihilatae esset actio distincta a prima eius productione. Ergo est actio praedicamentalis⁷⁴.

67. Iuxta alios (S.Thomam et, praeter thomistas, multos, v.gr., Valencia, Toledo, Palmieri, Pesch, Mazzella, Huarte) ponentes totam vim in creatione active sumpta, cum passive spectata sit purus illius effectus: creatio est actio formaliter immanens seu actus Dei in Ipso existens, sed virtualiter transiens, quatenus exercet virtutem actionis transeuntis seu producendi extra se, sine emissione alicuius actionis ut entitatis creatae vialis (qualis habetur in actione creaturae), ipsum effectum qui actione transeunte fieret; ita ergo ut divina virtus creatrix sit proprie principium, cum actione producentis effectum, sed immediate ipsius effectus. Ergo creatio adaequate sumpta, ut actio est formaliter immanens, et virtualiter transiens solum quatenus, illa posita, ipse effectus intentus extra Deum existit.

Ergo actio creativa est ipsa potentia divina semper in actu manens in Deo, quae, prout connotat aliquam rem extra Deum poni, vocatur actio. Ideo in ea opinione logice dici potest, et de facto dicitur, potentiam divinam creandi esse ipsam Dei voluntatem, quatenus, utpote infinite perfecta, suo imperio et quidem solo, seu sine ulla alia entitate addita vel creata vel increata, facit ut extra Deum exurgat id quod vult. Ideo creatio, etsi ut formaliter immanens sit aeterna, ut virtualiter transiens non est aeterna, et ideo mundus non est necessario aeternus, cum procedat ab ipsa Dei voluntate ac proin secundum determinationem huius, quae velle ab aeterno potuit ut mundus in tempore existeret⁷⁵.

68. Haec ergo opinio, quae ut probabilior hic defenditur, diceretur magis consonae iis omnibus locis sive scripturisticis sive patristicis, quibus mundus proponitur ut effectus vel voluntatis vel verbi vel imperii Dei, quin tamen iis illa opinio necessario inferatur.

Ratio theologica eam praefert: a) Negative. In opinione a Vázquez statuta, cum actio creativa nec sit in Deo nec sit aliquid a Deo fluens non explicatur mundi productio et a fortiori huius dependentia a Deo. Etiam id minus probabile videtur, quod modus, in quo Suárez actionem creativam reponit, producat mundum, quin tamen ille nequeat sine hoc subsistere. Ergo actio creativa non est aliquid vel identificatum cum effectu vel fluens ex Deo in hunc. De qualibet enim alia hypothesi actionem extra Deum ponente idem dicendum esset.

b) Positivae. Creatio est actio formaliter immanens, nam actio Dei (nec solum virtus agendi) non concipitur esse nisi increata. Ergo et Deo formaliter immanens. Id inde etiam confirmatur, quod principium creationis sit Deo formaliter immanens et quidem semper in actu; ergo ipsa actio creativa numquam cessat in Deo, quin tamen ea necessario mundum producat; ergo est ipsi formaliter immanens.

Si actio agentis nullum subiectum circa quod agat praesupponit, nequit extra agentem exire; ergo est formaliter immanens.

⁷⁴ SUÁREZ, l.c., 20,4; R.ARRAGA, S.I., Phys. d.9 s.4; J.HELLÍN, S.I., Theologia naturalis (Matriti 1950) n.946-951.

⁷⁵ S.TH., 1 CG 45; 2 CG 23-35; De pot. q.3 a.3; VALENCIA, In 1 d.3 q.2 punct.1; TOLEDO, In 1 q.25 a.1; PALMIERI, th.6; PESCH, 3 n.39; MAZZELLA, n.16-33; HUARTE, n.21-30. Recentius eam opinionem proponit M.FATTA, Immutabilitas divina ad efficienzia creatrice: Div-Thom(Pi) 29 (1952) 220-222.

Uterius creatio est actio virtualiter transiens, cum mundus ex ea existere incipiat. Hinc vero exurgit difficultas huius opinionis: quomodo ex Dei actione mere immanenti incipiat aliquid extra Deum esse? Cum in re valde obscura explicanda versemur, hanc difficultatem non solvimus nisi dicentes repugnantiam nostri asserti non ostendi. Ceterum idem fere potest a Suárez (et a fortiori a Vázquez) quaeri: si creatio est entitas creata, quomodo provenit ex principio increato, nisi ex simplice imperio voluntatis divinae?

69. N.B. Creatio passiva est terminus actionis creativae, si haec tota est Deo formaliter immanens. Cum mundus existat in virtute Dei, patet mundo essentialiter inesse aliquam relationem realem dependentiae a suo principio, in qua creatio passiva prout distincta ab ipso mundo reponatur oportet (De pot. 3 q.3; 1 q.45 a.3 ad 3). Ea vero est praedicamentalis, ut thomistae communiter putant, ita S.Doctorem (De pot. q.7 a.9; 2 CG 18) interpretantes⁷⁶, ut transcendentalis, ut putavit Scotus? Id magis logice praefendum esse videtur, ne quid explicatu difficilius, fere ut in opinione suareziana, statuatur⁷⁷. Ceterum patet illam relationem ex parte Dei creantis non esse nisi rationis (1 q.13 a.7; 1 q.45 a.3).

70. Scholion 2. Mundus creatus est a tribus Personis divinis ut uno principio. Tres Personae divinae mundum creantur, non vero ut principia distincta seu per id quo distinguuntur, sed ut unum principium, seu per id in quo conveniunt; creantur nempe per naturam divinam quae in iis est, non vero ut in iis est.

Cum nomina substantiva concreta significant principaliter formam, ut in subiecto eam habente, et proinde non multiplicentur nisi multipliciter forma cum subiecto, principium creandi non multiplicatur in divinis, cum non multiplicetur natura, seu forma per quam Personae divinae creant. Hinc Deus est: a) Unus Creator, cum creet per naturam, quae non est nisi una. b) Unus creans, si haec vox substantive sumatur; si vero ea referatur ad Personas, sunt tres Creantes. c) Pariter unum principium quod, cum natura per quam agunt personae non sit nisi una.

Iam vero Ecclesia clare et constanter proponit unum Deum, seu tres Personas, ut unum mundi principium (D 39 254 281 284 420s 428 703s).

71. Et sane in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio (D 703). Sed in creatione nulla est originis relatio, cum ea sit actio ad extra et ideo non pertineat ad personarum originem. Ergo creatio est actio omnium Personarum et quidem prout eae sunt unum.

In personis divinis datur una natura cum mutuis relationibus. At relatio non est id per quod agi possit. Ergo illae creant per solam naturam; ergo ut unum principium.

Ergo in traditione christiana tribuitur creatio Patri (D 6) per appropriationem, non per specialem Patris efficientiam.

⁷⁶ IOANNES A S.THOMA, In 1 q.49 d.18 a.2 n.20; CAIETANUS, In 1 q.45 a.3; FERRARIENSIS, In 2 CG 18; A.D.SERTILLANGES, O.P., L'idée de création (Paris 1945); cf. Id., La notion de création. A propos d'un article récent: RevThom 13 (1930) 48-57. At iam J.THYRION (La notion de la création passive dans le Thomisme: RevThom 12 [1929] 303-319), S.Thomae tribuit opinionem de relatione transcendentali. Etiam P.PARENTE (La «relatio quaedam» a cui S.Tomaso riduce la creazione: ActPontAcRomSTh 9 [1944] 225-241) in sua interpretatione accedit opinioni a Suárez statuae. Dissertationem historico-criticam de hac quaestione offert D.RICCHETTI, La creazione passiva nella scuola thomistica (Romae 1942). Thomistis assentitur VALENCIA, l.c.

⁷⁷ SCOTUS, In 2 d.1 q.4s; PESCH, 3,39. De doctrina thomista circa creationem passivam ut in quadam relatione consistentem agit J.F.ANDERSON, Creation as a Relation: NewSchol 24 (1950) 263-283.

Sufficiat haec pauca recoluisse de hac quaestione, prout ea creationem attingit, cum de eadem in genere sumpta in tractatu *De Deo Uno et Trino* (tr. I th. 47) latius agatur⁷⁸.

ARTICULUS II

DE IMPOTENTIA CREANDI IN ENTE FINITO

Thesis 2. Ens finitum ut causa principalis creare non potest.

S.TH., I q. 45 a. 5; *De pot.* q. 3 a. 4; 2 CG 21; PESCH, 3 n. 24-33; LERCHER, 3³ n. 483-492; BERAZA, n. 151-173.

72. **Nexus.** *Solus Deus*, ex supra probatis, creavit *de facto* et quidem *omnia* etiam minima, quae creata sunt. Sine dubio *saltem primum ens* finitum nequibat existere sine *immediata* creatione divina; at, cum Deus in gubernatione mundi causis secundis uti soleat, cur ad creationem saltem plurimum entium causas secundas non adhibuit? Is vero usus supponeret aliquas saltem creaturas creare posse; at est id verum seu creaturam aliquid ex nihilo facere *posse*? En quaestio.

Si huic thesi negative respondeatur, constabit Deum non potuisse causis secundis ad creationem uti, et proinde, posito ipsius decreto creandi, necessario ipsum solum omnes res creasse. Si vero responsum sit affirmativum, eo ipso statuitur Deum per se solum omnia creasse, tantum quia voluit; quod decretum cum in effectu non cognoscatur, non nisi ex revelatione scire possumus et ideo solum ex revelatione nobis constare potest solum Deum omnia creasse.

73. **Notiones.** ENS FINITUM seu creatura sive *existens*, nempe angelica vel humana vel pure materialis, sive *pure possibilis* quantumvis perfectissima.

74. **CAUSA** (efficiens, ut patet, seu principium per se, extrinsecum, a quo primo est actio seu effectio rei) **PRINCIPALIS**, nempe habens virtutem propriam proportionatam effectui sui ordinis.

Ad eum effectum non eget, praeter concursum Dei requisitum, alio iuvamine nisi forte, cum ipsa per se sola non necessario sit sufficiens, iuvamine alicuius concausae aequalis (i.e. partialis cooperantis virtute proportionata ad effectum aliquem individuum) vel inferioris seu instrumentalis. Effectus ei directe et assimilatur et tribuitur (S.TH., I q. 63 a. 1).

⁷⁸ Ceterum cf. S.TH., I q. 45 a. 6; D.RUIZ DE MONTOYA, S.I., *De Trinitate* d. 3 s. 18; PE-TAVIUS, *De Trinitate* l. 4 c. 15; BERAZA, n. 75-95; PALMIERI, th. 8; PINARD, 2111-2129; PAULT, o.c., p. 11-23. Quomodo vero Pater, Filius, Spiritus S., etsi non creent titulo personali, sed ut natura et ideo sint unus Creator, influant tamen in creationem, quatenus operatio Dei ad extra fundetur in processionibus trinitariis et sic actus creationis referat totam Trinitatem, studet E.BAILLEUX, *La création, oeuvre de la Trinité, selon Saint Thomas*: RevThom 62 (1962) 27-50.

Ea, de qua *sola* agitur in thesi, sumitur hic sive ut *naturalis* i.e. habens illam virtutem vi innata propriae suae formae seu ex exigentia suae naturae, sive ut *praeternaturalis* i.e. habens virtutem ex dono ei indebito seu praeter exigentias suae naturae, nam etiam hoc casu esset causa stricte principalis seu agens secundum virtutem ei propriam, ut v.gr. homo habitu supernaturali eliciens actus supernaturales¹.

75. Opponitur ei *causa instrumentalis* seu habens aliquam propriam virtutem, sed improporcionatam effectui, et ideo solum mota a causa principali ac in huius virtute agens.

Agit per aliquid sibi proprium, nam secus frustra adhiberetur ad agendum et praeterea non esset ratio cur ad certam actionem aliud instrumentum prae alio eligeretur; at cum virtute careat proportionata effectui, nequit ad hunc producendum concurrere nisi causa principali elevetur. Ideo ei effectus nec assimilatur nec directe tribuitur (I q. 45 a. 5; 3 q. 62 a. 1).

Si vero diceretur instrumentum ex se omni virtute agendi carere et eam totam qua agit inesse ei ex causa principali, ratio instrumenti, quoad nostram quaestionem attinet, substantialiter non mutaretur, cum eo casu id proprium per quod instrumentum ageret esset illa virtus; quae, si esset effectui proportionata, ipsum instrumentum eo ipso in causam principalem faceret.

76. **N.B.** 1) Admissa necessitate inferius probanda divini concursus immediati ad omnem creaturae actionem, patet creaturam ut causam principalem (et servata proportione etiam instrumentalem) in ordine ad creandum respici hic ut debito concursu munita et quidem vel naturali, vel praeternaturali, prout agatur de causa vel naturaliter vel praeternaturaliter agente.

Iam vero, cum creatio non videatur perfici nisi *volitione*, quae tamen necessario praerequirat adaequatam ideam exemplarem rei creandae, concursus Dei concipitur solum adesse ut creatura efficiat ideam exemplarem et ut volitionem eliciat creantem; nam, cum creatio qua talis sit actio simplicissima mere transferendi rem ex non esse ad esse, si quid aliud Deo tribuatur, id non erit nisi ipsa productio rei ac proin ipsa creatio, quin ergo creatura hanc exercent.

Ceterum, si potentia creandi cum voluntate, ut videtur, identificatur, quaestio de creatura, ut causa principali creationis, solum de ente rationali valet.

2) Si creatura respicitur ut elevata per virtutem praeternaturalem, haec virtus vel non recipitur in ipsa et tunc ipsa nihil per eam concurret ad creandum, vel in ipsa recipitur et tunc ea virtus est *creata* ac proinde cui desit proportio ad creandum, si haec *nulli creaturae* adsit. Ergo si probatur, etiam sola ratione naturali, creaturam non posse creare, eo ipso probatur eam, etiam virtute praeternaturali munitam, esse ad creandum ineptam.

77. **CREARE** sumitur, non late seu de qualicumque productione alicuius novi esse, ut v.gr. in eductione, in qua necessario *nova* forma vel accidentaliter vel substantialiter exsurgit

¹ VALENCIA, *In I d. 3 q. 2 punct. 4.*

et sic novum *tale* compositum, at ex praesupposito subiecto; sed stricte seu de productione totius rei ex nihilo².

78. **NON POTEST.** Id adhibetur non de potentia *moralis* ac *mediata* seu movendi per preces voluntatem Dei ad creandum, cum v.gr. parentes a Deo filium impetrent, cui sane anima ex nihilo creata infundenda sit; sed de *physica*, non vero quae *mere disponat* materiam ad cuius exigentiam connaturalem anima infundenda creetur (*De pot.* l.c. ad 7), sed quae *actione sua physica et immediata* aliquid ex nihilo producat.

Excluditur autem potentia non solum *illimitata*, seu ad omnia creabilia se extendens, quae facile ab omnibus reicitur, cum secus illa potentia deberet esse infinita, ut inferius dicitur; sed etiam *restricta* seu mere certum creabilium ordinem attingens, fere ut in eductione animal non quodlibet animal generare potest.

Et respicitur ea potentia ut *agens dependenter a Deo*, seu ab ipso pendens, ut in suo esse, sic etiam et in operando, cum operatio creaturae independens a Deo censeatur natura sua repugnare.

«Quaestio proinde movetur, ait Beraza, de virtute creandi in creatura, ad modum causae physicae principalis, dependentis a Deo in operando, et circumscripta ad determinatam rerum creabilium speciem»³.

79. **Adversarii.** DURANDUS, BIEL: non clare ostenditur repugnare, quin Deus aliquam faciat creaturam potentem *aliquid* (non omnia, nec independentem a Deo) ex nihilo facere⁴. Idem habent RIPALDA ut «probabilissimum», ARRIAGA ut «probabilius»⁵.

80. **Valor theologicus.** *Communis*, et videtur *certa in theologia*.

81. **Probatur ex sacra Scriptura.** Quin expresse dicat solum Deum creare posse et quidem exclusa potentia etiam praeternaturali cuiuslibet creaturae ad creandum, statuit *ipsum* creationis *factum* ut signum divinitatis proprium et ideo ut titulum praeminentiae in creaturas, sive ad hoc ut Deus solus adoretur, sive ad asserendum primatum Christi super omnia. Si vero creatura *posset* creare, saltem praeternaturaliter, creatio mundi non esset signum divinitatis proprium.

Is 45,5-8: *Ego Dominus et non est amplius; extra me non est Deus... Ego Dominus et non est alter; formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia haec.* Cf. 40,2-28; 48,12s.

Ier 10,10-16: *Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens et rex sempiternus. Ab indignatione eius commovebitur terra... Sic ergo dicetis eis: Dii qui caelos et terram non fecerunt, pereant de terra et de his quae sub caelo sunt. Qui facit terram in fortitudine sua praeparat orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit caelos... Non est his similis pars Iacob: qui enim formavit omnia ipse est...*

Ps 95,5: *Quoniam omnes dii gentium daemonia; Dominus autem caelos fecit*⁶.

Eccli 1,8: *Unus est altissimus, creator omnipotens et rex potens... et dominans Deus...*

Io 1,1-3: *Et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.*

Hebr 1,1-3: *Deus... locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula; qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae...*

82. **Probatur ex traditione.** SS.Patres, tenentes creaturam semper a Deo in operando dependere, supponunt tamen nullam creaturam, sive existentem sive possibilem creare posse, et quidem non solum de potentia illimitata, sed etiam de restricta; nec mere arguendo, sed et directe eam ideam asserendo. Sane, in alia hypothesi theses eorum non firmiter procederent, dum: a) Contra gnosticos et alios creationem alicui enti medio inter Deum et mundum tribuentes, dicunt angelos vel alia entia intermedia creare non posse, praecise quia *creaturae sunt*. b) Contra arianos statuunt Verbum esse Deum, ex eo quod ei creatio tribuatur.

a) *Contra gnosticos*, etc. S.CYRILLUS ALEXANDRINUS (R 2136): «Divinae gloriae maxime repugnat quod alii existimantur posse creare et vocare ad existentiam ea quae non erant. Non enim fas est dicere quod ea, quae divinae et ineffabilis naturae propria ac singularia sunt, aliquibus rerum ex ipsis creaturarum naturaliter inesse possint. Sed hoc ei soli convenit et ad summam eius gloriam pertinet».

Et paulo ante dixerat: «Cum rei creatae, ut nuper dixi, praeclusus sit aditus ad ea quae supremae omnium substantiae

⁶ Liber Psalmodum, cura Professorum Pontif. Institutii Bibliici (Romae 1945) p.195: *Nam omnes dii gentium sunt figmenta; Dominus autem caelos fecit.*

² Cf. A.DONDEYNE, *Utrum solius Dei sit creare?*: CollatBrug 30 (1930) 415-417.

³ O.c., n.153. Cf. SUÁREZ, *Disp. metaph.* 20,2.4.

⁴ DURANDUS, *In* 2 d.1 q.4 n.23; BIEL, *In* 2 d.1 q.4.

⁵ RIPALDA, *De ente supernaturali* d.7 s.1 n.10; ARRIAGA, *Disputationes metaphysicae* d.11.

soli et proprie competunt, cuiusmodi est creandi facultas, et in lucem edendi quae nusquam erant»⁷.

S.AUGUSTINUS (R 1702): «Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam; solus enim unus cuiuslibet naturae seu magnae seu minimae creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus S.» Et paulo inferius: «Creatura naturam tam nullus angelus potest quam nec seipsum»⁸.

83. S.IOANNES DAMASCENUS (R 2356): «Quicumque autem dicunt angelos conditores esse qualiscumque substantiae, ipsi os diaboli sunt, qui est eorum pater. Creaturae enim cum sint non sunt conditores. Omnium autem opifex et provisor et conservator Deus est, solus increatus...»

THEODORETUS: «Est autem hoc etiam humanarum rationum imbecillitatis argumentum. Quoniam enim ars omnis apud homines subiecta materia indiget, existimarunt stolidi, Deum etiam sine materia creare non posse, nec intellexerunt quantum inter Deum et homines sit discrimen, et quod fieri non possit ut omnia habeat imago quae archetypum [i.e. quae habet archetypus]; et quod homo quidem velut imago, ex iis quae exstant creet; Deus vero tum ex iis quae exstant, tum ex non exstantibus»⁹. Ergo non omnia quae Dei sunt conveniunt imagini v.gr. potestas creandi ex nihilo; at imagines Dei sunt omnes creaturae (rationales) etiam possibiles.

84. b) *Contra arianos*. S.ATHANASIUS (R 764): «Qui enim fieri queat, ut ea quae non sunt efficiat ut sint, si, ut putatis, factus ex nihilo est? Quod ille, licet creatus, possit producere creaturam, certe idem de singulis creaturis erit intelligendum, nempe illas etiam creare posse. Quod si a vobis conceditur, quid Verbo opus fuit, cum inferioribus effici queant, vel saltem cum res singulae factae potuerint a Deo initio audire «fias» et «efficere» et ita fuissent productae? Verum neque id scriptum est, neque fieri potuit. Nulla enim rerum quae fiunt causa est efficiens; nam omnia per Verbum facta sunt, quod sane non fecisset omnia, si ipsum etiam Verbum e rebus creatis esset. Nec enim vel angeli poterunt creare, cum ipsi sint creati, licet ita senserint Valentinus, Marcion et Basilides, quorum vos aemulatores estis».

S. BASILIUS (R 942): «Si Filius creatura Dei est, omnis autem creatura Creatoris serva, Christi Dei servus est, non filius... Potestas eadem non communis est facturae cum factore; nihil ergo est commune Patri cum Filio, ne creatio quidem, si factura, non genitura Filii est»¹⁰.

85. *Ratio theologica*. Si ex rebus creatis aliqua creare potuisset, de facto aliquid creasset, nisi frustra potentiam crean-

di recepisset; non enim putandum est Deum alicui creaturae dedisse potentiam, cuius tamen usum impediisset, vel nullam creaturam, cum posset creare, de facto tamen creasse. At de facto solus Deus creavit omnia (etiam minima). Ergo nulla creatura ex factis creare potest.

Haec conclusio ut certa ex ratiocinio facto habenda est. Ex ea autem gressus fit ad probandum etiam nullam creaturam ex possibilius creare posse. Sane in creatis est tota scala entium, seu sunt entia et pure spiritualia et pure materialia et mixta ex spiritu ac materia, immo haec et pure spiritualia ad divinae naturae consortium elevata; ergo tenendum est potentiam creandi natura sua omnibus illis entibus repugnare; secus enim entia adeo perfecta et quidem ad ordinem divinum elevata, ut angeli, vel saltem aliqui in his perfectiores, illam potentiam habuissent.

86. Nam, si actio creativa respicitur ex parte subiecti, non videtur dari differentia specifica (certe intensiva) quoad potentiam operandi inter entia eiusdem seriei (v.gr. inter spiritus puros creatos etiam mere possibiles), cum omnes habeant intellectum ac voluntatem et materia careant; et si ea respicitur ex parte ipsius actionis, non apparet ratio cur potentia creativa, si natura sua non repugnat creaturae, non insit (utique diverso gradu et amplitudine) omnibus creaturis intellectum ac voluntatem habentibus, fere ut potentia eductiva in genere inest (salva diversitate gradus et generis) omni causae creatae, et in specie inest generativa per se omni corporeo viventi.

87. Praeterea, ut Deus creavit totam scalam entium, et quidem partim ad ordinem divinum elevatorum, quibus perfectio universi completur, creasset sine dubio, ut ea perfectio consummaretur etiam quoad modum operandi, ens potens creare, si quod esset possibile¹¹.

88. N.B. Argumenta haec excludunt creandi potentiam esse creaturae ut causae principali etiam elevatae, cum, praeter elevationem ad filiationem adoptivam et consortium reale divinum, non concipiatur esse alia specificae diversa ac sublimior (extra hypostaticam).

89. *Ratio naturalis* hucusque non invenit rationem clare probativam theseos. «Mihi quidem, ait Suárez, posterior sententia (seu thesis nostra) vera et certa esse videtur; difficillimum tamen censeo cogentem demonstrationem ad illam confirmandam afferre»¹². Nam conceptus creationis, utpote quam experti non novimus, est nobis valde alienus.

Tamen haec statui possunt: a) Nullo modo probatur ullam creaturam creare posse, et ideo omnes rationes pro ista potentia, seu contra nostram thesim, sufficienter solvuntur. b) Certum est nullam creaturam habere potentiam creandi illimitatam, cum secus et seipsam, quod est absurdum, ut per se patet, et alia entia se superiora ac proin entia indefinita numero ac perfectione creare posset, quod etiam iure habetur ut absurdum, cum enim omne agens agat prout est in se et ideo sibi assimilet effectum, causa creata, utpote limitata in suo esse ad aliquem entis modum (seu ad tale genus et ad talem speciem), nequit sibi assimilare obiectum, secundum

⁷ Cont. Iul. 2: MG 76,596.

⁸ De Gen. ad litt. 9,15,28: ML 34,404.

⁹ Haer. fab. comp. 5,5: MG 83,464.

¹⁰ Huius operis *Adversus Eunomium* libri quartus et quintus pertinent probabiliter ad Didymum Alexandrinum: cf. B.ALTANER, *Patrologie* (Freiburg 1950) 250.

¹¹ Cf. SUÁREZ, 20,2,1-3.40.

¹² L.c., 20,2,12; cf. n.4. Cf. et HELLÍN, o.c., n.958s.

id quod entibus se superioribus convenit. c) Afferuntur pro nostra thesi, quaedam rationes quae vim saltem magnam habent, si forte non definitivam, et quae eo tendunt, ut ostendant ad creandum requiri potentiam infinitam, quae proinde creaturae repugnet. Hinc, etsi ex solo lumine naturali proponantur, excludunt quamlibet creaturam creare posse, etiam ut causam principalem *elevatam*, cum potentia infinita *cuiuslibet* creaturae repugnet.

90. En ergo earum aliqua vere probabiles (S.Th., *De pot.* q.3 a.4), quarum tamen singularum expositioni addimus obiectiones praecipuas in eas.

1) Si virtus creandi esset creaturae, haec posset (saltem ex parte potentiae) quodlibet ens creabile attingere. At id est absurdum, ut ab omnibus admittitur et patet etiam ex nuper dictis. Ergo creatura nequit creare.

Maior. Obiectum formale creationis est ens, non vero in quantum tale ens, ut in educatione, sed in quantum ens. Ergo qui potest unum ens creare, potest omnia entia possibilea creare, cum iis insit illud obiectum formale, si id aliunde non repugnat. Sed non repugnat ex ullo capite quod obici posset: a) Non ex obiecto materiali, cum in hoc non requiratur nisi possibilitas interna. b) Nec ex parte materiae *ex qua*, cum haec non praerequiratur ad creandum. c) Nec ex parte virtutis creatricis, cum ad creandum, excluso quolibet praesupposito subiecto, sufficiat sola voluntas, quae ex se omne ens attingere potest¹³.

At quomodo probatur obiectum formale creationis esse ens in quantum ens, non mere specificative, i.e. concretum aliquod ens ut totaliter transiens ex non esse ad esse, sed reduplicative i.e. ens secundum rationem formalem entis omnibus rebus creatis communem? Et proinde quomodo probatur potentiam creandi non posse restringi ad determinatum ordinem entium producendorum?

91. 2) Quo magis distat terminus *a quo* seu potentia *ex qua* a termino *ad quem* seu ab actu, eo maior virtus requiritur ad hunc producendum v.gr. ad comburendum lignum viride. Ergo ubi nullus est terminus *a quo* seu potentia *ex qua*, requiritur virtus infinita.

Sed in hoc syllogismo antecedens est de virtute *eductiva*, de qua verum est; consequens autem est de virtute *creativa*, quae, utpote nullam potentiam *ex qua* praesupponens, est alius generis ab illa. Ergo, etiam supposito antecedenti de virtute *eductiva*, non necessario verum est virtutem *creativam* esse infinitam, sed simpliciter esse alius generis, sive ea sit finita sive infinita.

3) Inter nihilum et ens est distantia infinita. At distantia infinita nequit superari sine potentia infinita. Ergo creatio requirit potentiam infinitam.

Maior est assertum gratuitum, cum, ut notat Durandus, inter nihilum et ens nulla detur distantia, vel ad summum non nisi distantia entitatis productae, quae est necessario finita¹⁴.

92. **Obiectiones.** 1. Ens creatum perfectum potest facere sibi simile; ergo angelus, ens perfectum, potest facere spiritum sibi similem. Sed spiritus non fit nisi creatione. Ergo angelus potest creare.

Dist. mai. Ens creatum perfectum potest simile sibi facere absolute seu faciens ut novum ens esse totaliter incipiat, *nego mai.*; aliter, *subdist.*: si ipsum potest dividi, *conc.*; secus, *nego*.

¹³ Hoc argumentum impetit SCOTUS, *In 4 d.1 q.1 n.7-10.*

¹⁴ *L.c.* De iis argumentis cf. SUÁREZ, *l.c.*, n.23-34.36-39; HELLÍN, n.963s.

Ens anorganicum, et per generationem ens organicum, non facit sibi simile nisi per aliquam sui divisionem, seu per educationem; at angelus nequit dividi; ergo ex eo quod vivens organicum quae sibi simile per sui divisionem facere, non sequitur angelum posse *absolute* alium facere spiritum. Aliter: ex eo quod aliquod ens creatum quae sibi simile per educationem facere, non sequitur aliud ens posse per creationem ens sibi simile facere, cum creatio sit operatio essentialiter diversa ab educatione (S.Th., I q.45 a.5 ad 1).

Inst. Modus operandi sequitur modum essendi. Sed angelus nullo modo pendet in esse a materia; ergo nec in operando. Ergo potest creare.

Dist. mai. Modus operandi sequitur modum essendi, quatenus effectus nequit perfectione superare causam, *conc. mai.*; quasi omne ens, seu etiam independens in esse a materia, possit ens sibi simile facere, *nego mai.*

Ergo illud axioma est verum primo sensu; sed non ideo necessario est verum altero sensu prorsus diverso a primo.

Ceterum ex obiectione sequeretur omnem substantiam completam, etiam corpoream, utpote subsistentem sine subiecto, posse operari independentem a subiecto.

93. 2. Creatura potest *educere* vincens resistantiam positivam materiae. Ergo a fortiori potest *creare*, quod nullam materiae resistantiam supponit.

Nego cons. Nam in educatione est subiectum ex quo fiat forma, non vero in creatione, quae *ideo* requirit maiorem virtutem (ibid. ad 2).

3. Ens creatum est finitum. Ergo non requirit potentiam infinitam.

Dist. cons. Ens creatum non requirit potentiam infinitam ex parte entitatis suae, *conc. cons.*; ex parte modi quo producitur, *nego cons.*

Ipsa substantia entis creati utpote finita, non arguit ex se sola potentiam infinitam, quae eam producat, sed solum ut est ex nihilo faciendi (ibid. ad 3).

4. Creatura per gratiam elevata potest ut causa principalis actum supernaturalem producere. Ergo pariter elevata potest ut causa principalis creare.

Nego cons. Nam non est eadem ratio producendi aliquid per educationem ac producendi aliquid per creationem; at in antecedente agitur de educatione, dum in consequente agitur de creatione; ergo hoc ex illo non sequitur necessario; ergo ex possibilitate elevationis creaturae, ut causae principalis, ad actum supernaturalem, non sequitur possibilitas elevationis eius ad creandum.

94. **Scholion.** *Potest aliqua creatura ut causa instrumentalis creare?* Ex eo quod, iuxta nuper probata, nulla creatura quae ut causa principalis creare, non necessario sequitur aliquam creaturam non posse ad creandum concurrere ut causam *instrumentalem* seu ut *elevatam* causa principali ac huius virtute agentem. Ideo ponitur quaestio.

Facile ceterum patet, nullam creaturam posse esse creationis instrumentum vel *naturale* seu ut tale a natura institutum, ut v.gr. semen viventis ad generationem, vel *artificiale*, seu quod operi artis naturaliter deservit. Nam ea nequit esse creationis instrumentum, nisi per aliquid sibi proprium operetur ad effectum causae principalis *dispositive* i.e. vel inducendo in subiectum praevisam dispositionem re distinctam ab effectu causae principalis, vel aliquo modo actionem huius determinando, ut v.gr. phantasma determinat intellectum ad talem speciem producendam; sed creatura nequit naturaliter concurrere ad creandum *vel inducendo* ullam praevisam dispositionem in subiectum, cum hoc in creatione non detur, *vel determinando* actionem causae principalis, cum naturalis modus agendi cuiuslibet creaturae

nullam proportionem habeat cum actione ex nihilo¹⁵, ut patet ex nuper probata thesi, et quia ne concipi quidem potest creaturam determinare physice volitionem Dei. Nec potest concurrere directe ad ipsam productionem ex nihilo, cum sic ageret ut causa principalis, quod ut impossibile iam reiectum est.

95. At num potest aliqua creatura esse instrumentum creationis *obedienciale*, quod nempe, praeternaturaliter seu praeter eius naturalem exigentiam vel proportionem, a Deo ad creandum assumatur? Affirmative respondent alii, ut Petrus Lombardus, Suárez, Tanner, Arriaga, nunc Hellín¹⁶. Negative vero respondet S.Thomas, non efferens *expresse* instrumentum ut *obedienciale*, sed excludens, ut patet, *omnem* concursum instrumentalem (2 CG 20s; *De pot.* q.3 a.4; 1 q.45 a.5), qui tamen prius utramque opinionem ut probabilem proposuerat (*In* 2 d.1 q.1 a.3; *In* 4 d.5 q.1 a.3 sol.3 ad 4s)¹⁷; et praeter thomistas, idem tenent multi alii, ut Molina, Vázquez, Valencia ac plures recentiores, ut Palmieri, Pesch, Huarte, Lercher; Beraza rem in medio relinquit¹⁸.

96. Solutio pendet maxime a modo concipiendi rationem instrumenti, de qua est non parva auctorum dissensio¹⁹. Si quis dicat instrumentum *sola virtute a causa principali* operari: a) aut ea virtus illo non accipitur, et tunc instrumentum vere vocari nequit; b) aut accipitur, et tunc ea est *creata*, vel per se sola proportionata effectui, ita ut instrumentum ageret ut causa principalis, vel ea portione carens: in primo casu valent dicta nuper in thesi, et in altero valent dicenda mox de instrumento per aliquid sibi proprium agente. At, si ratio instrumenti recte percipitur, in omni opinione dicendum est de ea ratione esse, ut instrumentum per aliquid sibi proprium ad effectum concurrat, ne secus, qua causa, sit nullum vel non necessario in causam fiat.

Quo posito, Suárez asserit creaturam, quae ex se sit virtutis insufficientis, etiam ut concusae principalis partialis, ad effectum creationis, posse extrinsecus elevari ad creandum, fere ut eleventur aqua ad efficiendam gratiam in baptismo, verba ad transsubstantiationem, ignis inferni ad torquendos spiritus, etc.

97. At ea opinio minus probabilis videtur reddi ob rationem nuper memoratam, partim ex ipso Suárez, ad excludendum instrumentum *naturale*, cum etiam, si bene perspicitur, instrumentum *obedienciale* excludat.

Verum est sacramenta (ac proin etiam aquam baptismi) gratiam producere, at non necessario physice, sed probabilius solum moraliter et praeterea illa gratia probabiliter non proprie creatur, sed ex animae potentia educitur. Si quis vero dicat ipsam actionem sacramentalem eucharisticam corpus Christi physice producere, quod creationi aequivalet, difficile tenere poterit creaturam ut instrumentum creare non posse.

¹⁵ Cf. SUÁREZ, 20,3.2s.

¹⁶ PETRUS LOMB., 4 d.5 n.3; SUÁREZ, 20,3; TANNER, *In* 1 d.6 q.1 dub.2 n.8-11; ARRIAGA, d.11 s.5; HELLÍN, n.966-971; J.URRÁBURU, S.I., *Theodicea* 2 (Vallisoleti 1900) p.703, plures alios auctores citat.

¹⁷ De ea quasi evolutione S.Doctoris, cf. A.R.MOTTE, O.P., *Theodicee et théologie chez S.Thomas d'Aquin*: RevScPhTh 26 (1937) 13-15. De eius doctrina circa virtutem instrumentalem, cf. STUFELER, *Bemerkungen zur Lehre des hl.Thomas über die virtus instrumentalis*: ZkathTh 42 (1918) 719-762; Id., *Gott der erste Bewegter aller Dinge*: PhGrenzwiss 6,3,4 (1936) 57-67.

¹⁸ MOLINA, *In* 1 q.45 a.5 d.2; VÁZQUEZ, *In* 1 d.176; VALENCIA, *In* 1 d.3 q.2 punct.4 in fine; PALMIER., th.7 n.6; PESCH, 3 n.33; HUARTE, n.39-43; LERCHER, n.492; BERAZA, n.173.

¹⁹ Cf. URRÁBURU, *Ontologia* (Vallisoleti 1891) p.1119-1130.

Item creatura potest adhiberi ut instrumentum ad miraculum efficiendum; at id non est creatio, sed illud fit in subiecto et praeterea non necessario a creatura fit physice, sed solum moraliter, quod ceterum maxime valet de miraculo quo forte aliquid crearetur.

Nec principium, posse quodlibet elevari a Deo ad quodlibet, valet nisi de iis quae non implicent contradictionem, secus etiam lapis elevari posset ad intelligendum. Elevatio vero ignis materialis ad spiritus torquendos non est elevatio ad creandum; ergo ex illa nequit per se haec deduci.

ARTICULUS III

DE CAUSA MUNDI EXEMPLARI

Thesis 3. In Deo Creante est idea mundi, seu huius causa exemplaris prima, quae est ipse Deus.

S.TH., 1 q.15 a.1-3; q.44 a.3; *De ver.* q.3 a.1-3; SUÁREZ, *Disp. metaph.* d.25 s.1; TOLEDO, *In* 1 q.15; BERAZA, n.174-208; PINARD, 2150-2163; E.DUBOIS, C.SS.R., *De exemplarismo divino* 1 (Romae 1899); A.AMPE, *Exemplarisme*: DSpir 4 (1961) 1870-1878; FLICK, o.c., 134-149.

98. Nexus. Quilibet artifex, sapienter ac libere operans, primo ideam operis faciendi concipit, quam dein respiciens opus suum exsequitur; ergo Deo, uni artifici mundi, hunc sapienter ac libere creanti, assignanda est pariter aliqua operis sui idea, ad quam istud perfecit? Quenam vero ea esse possit, quae ipsius perfectioni non repugnet? En quaestio.

Cum vero ex quatuor causarum generibus, quae communiter recensentur (efficiens, finalis, materialis, formalis) causa exemplaris probabilius ad efficientem reducatur¹, nisi etiam simul, utpote forma cuius imitatione aliquid fit, ad formalem referatur², velimus doctrinam de causa mundum efficiente complere disputatione de eius mundi causa exemplari.

99. Notiones. IN DEO CREANTE seu in Deo Uno et Trino, sed prout est unum creationis principium, ac proinde in intellectu ipsius essentiali.

Est i.e. assignatur ipsum factum; aliae vero huius determinationes, quae per se in thesi non attinguntur, v.gr. utrum illud factum sit necessarium an contingens, ex inferius addendis patebunt.

IDEA est forma intentionalis praconcepta, ad cuius imitationem aliquid fieri potest.

Dicitur: *Forma*, non *intrinsic*a rei cuius vocatur forma, ut v.gr. anima est forma hominis, sed *extrinsec*a, seu ut exemplar ad cuius similitudinem aliquid fieri potest.

¹ Sic v.gr. SUÁREZ, d.25 s.2.

² Sic PESCH, 3 n.45; PINARD, 1262. Cf. de hac re, URRÁBURU, o.c., p.1197.

Intentionalis seu mentis; ergo differt ab exemplari externo seu re oculis obiecta ad cuius imitationem aliquid fieri possit; haec, etsi vulgo dicatur exemplar, non est proprie tale, cum nec per se sit necessaria, nec sit imitabilis nisi mediate, seu quatenus mens illam cognoscens concipit ideam eius imitabilem

Praeconcepta seu operi, quod ad eam fieri potest, praeeexistens, ac proin ab hoc, ut entitas, realiter distincta.

Ad cuius imitationem aliquid fieri possit, seu non est necessario exemplar de facto, sed potest esse tale.

100. **MUNDUS** sumitur, non confuso modo pro complexu rerum extra Deum existentium, sed *determinate* pro tota eius constitutione et pro singulis eius sive partibus sive individuus sive etiam accidentibus non necessario annexis alicui subiecto (v.gr. scientia hominis).

101. **CAUSA EXEMPLARIS** est idea practica actu ad cuius imitationem aliquid fit ab agente intellectuali.

Dicitur: *Idea* in oppositione ad exemplar externum quod, iuxta supra dicta, non habet proprie rationem causae.

Practica actu, i.e. non mere *speculativa* seu principium ad solam cognitionem veritatis ordinatum, sed *practica* et quidem *actu*, seu ad opus externum faciendum ordinata, nec mere *virtute*, seu ad illud opus mere ordinabilis (S.TH., I q.14 a.16; *De ver.* q.3 a.3); immo ut vera *causa*, sive quatenus agentem invitat ad eam opere imitandum, sive quatenus eum in operando dirigit usque ad operis consummationem, ita ergo ut eius operis sit principium mere directivum, non executivum.

Ad cuius imitationem aliquid fit, ita ergo ut imitatio fiat *per se* seu *ex intentione operantis*, nec mere *per accidens* seu casu aliquo *praeter illam intentionem*, cum in hac hypothesi idea, utpote nullam causalitatem in opus exercens, vera causa non esset (*De ver.* q.3 a.1).

Agens intellectuale seu operans per intellectum ac libere, et proin determinans sibi finem ac propter eum formaliter (nec mere materialiter, ut animal) ut talem agens; quod supponit ideam operis faciendi prius concipi, seu ideam exemplarem. Hinc opera entium non rationalium ad causam exemplarem non fiunt, immo nec rationalium agentium in operibus naturae, sed solum in operibus artis seu quae agens sibi ad certas regulas faciendae proponit (ibid.).

102. **PRIMA** (causa exemplaris), cum Deus independenter ab omni alia re sit exemplar perfectum totius mundi, quod, etiam omni exemplari creato deficiente, numquam desit, et in quo omne exemplar creatum fundetur.

Est i.e. iterum asseritur mere factum, quin tamen id modo anthropomorfo sumatur, quasi Deus, instar artificis humani, successione quadam vel actuum vel temporis primo ideas efformet, dein eas respiciat, tandem opus exsequatur, cum ipse uno eodemque simplicissimo actu et ideam concipiat et opus perficiat³.

³ Cf. DONDEYNE, *De Deo causa prima exemplari omnium rerum*: CollatBrug 31 (1931) 49s.

IPSE DEUS i.e. aliquid Deo internum, quin id ulterius in thesi determinetur quoad plura inferius exponenda.

103. **N.B.** In thesi asseruntur duo: Deo creanti fuisse ideam actu practicam exemplarem mundi, et eam ideam esse uno vel alio modo (si hic praescindatur ab huius explicatione) ipsum Deum. Cum vero id postremum ex se pateat, nisi admittatur extra Deum esse aliquam rem subsistentem independentem ab ipso, et Deum in operando ab aliqua re extra se pendere, quae sane duo sunt absurda, id solum probandum directe respicimus: in Deo esse causam exemplarem mundi.

104. Adversarii. «Nonnulli putant quod ex doctrina theologorum, qui Deum... ideam mundi nominant, ait Knoll, necessario pantheismus inferatur. Nam, aiunt, sicut domus aedificata non est nisi extrema manifestatio ideae, quam artifex primo in mente habuit, ita, si Deus est idea mundi, etiam ipse mundus non est nisi exterior manifestatio Dei, seu ipse Deus externe manifestatus»⁴.

PLATO, si, ut est saltem probabile, posuit ideas universales ut separatas a Deo⁵.

105. Doctrina Ecclesiae. C.Vaticanum (D 1783): «Deus... ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio... utramque de nihilo condidit creaturam».

Ea perfectio, quae assignatur ut finis mundi, sumitur his non solum in genere, sed etiam in concreto, cum ea, per bona quae creaturis dantur, dicatur fuisse manifestanda; seu simul finis creationis et media ad eum concrete assignantur. At finis ita concrete intentus supponit certo ideam exemplarem; imo, quae sit ipse Deus ut qui creaturis *manifestetur*.

Imo, Concilium, ex eius actis, forte etiam implicitam videt ibi causam exemplarem^{5*}.

106. Valor theologicus. Deo creanti fuisse causam exemplarem est *theologicè certum* ex allata Vaticani definitione, ut praemissa maiori, et ex ratione indicata, ut praemissa minori, quod illa definitio necessario supponat causam exem-

⁴ Cf. A.KNOLL A BULSANO, O.F.M.Cap., *Institutiones theologiae theoreticae* 1 (Augustae Taurin. 1865) § 116 n.3.

⁵ Cf. PINARD, 2150s.

^{5*} In iis actis ea sunt: «Causa exemplaris est essentia Dei in quantum est imitabilis ad extra: hinc creatio est quaedam imitatio Dei ad extra, quaedam manifestatio eius... bonitatis... Hanc manifestationem Deus in creando non potest non velle... sed in quantum res considerantur in causa exemplari, sunt solummodo creabiles et possibiles...» (CL 7,110s).

plarem⁶. Nisi forte melius dicatur thesis *de fide divina et catholica* ex magisterio ordinario⁷ implicita in fide Ecclesiae de creatione facta in Dei sapientia et libertate.

Ipsam Deum esse ideam exemplarem est *saltem certum in theologia*; vel potius *theologicè certum*, si praecedens assertum supponatur esse *de fide* et addatur ea *certa* ratio, quod Deus nequeat pendere ab aliqua idea non divina.

107. Probatur ex sacra Scriptura. Haec explicite thesis non tradit, sed supponit creaturas esse similes Deo, dum asserit nos ex iis posse ipsum cognoscere non solum ut existentem sed et aliquo modo in sua essentia (Sap 13,1-5; Rom 1, 19-21) et maxime dicens Deum creasse per suum intellectum in sapientia ac prudentia et alia eiusmodi, docet implicite vel saltem fundamentaliter, Deo creanti fuisse ideam finis obtinendi et ideam mediorum ad eum ordinandorum, seu ideam exemplarem, et quidem quae sit ipse Deus.

a) Deus creavit et disposuit ac ordinavit mundum in sapientia et prudentia.

Sap 7,21: *Et quaecumque sunt absconsa et improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.* Cf. 7,22-8,19.

Ps 103,24: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. Omnia in sapientia fecisti.* Id asserti dicitur ad sensum obvium in toto psalmo, quo singillatim opera Dei creantis memorantur⁸.

Ier 10,12: *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos.*

Prov 3,19s: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit caelos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi et nubes rore concreverunt.*

b) Hinc Deus inducitur praeparans in sapientia opus suum, fere ut architectus praestituit formam domus aedificandae. Prov 8,22-30: *Dominus possedit me, ait sapientia, in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram... Quando praeparabat caelos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum... Cum eo eram cuncta componens.*

Sap 11,21: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.*

c) Deus creans facit id quod vult. Ps 134,5s: *Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster prae omnibus*

⁶ Alii ponunt assertum ut theologicè certum: cf. DONDEYNE, 48; OTTEN (n.66), ut «sententiam adeo certam ut opposita sit prorsus temeraria»; FLICK, ut quae sit definita implicitè (p.143).

⁷ Sic fere etiam HUARTE, n.48.

⁸ Liber Psalmorum, p.211: *Quam multa sunt opera tua, Domine. Omnia cum sapientia fecisti.*

diis. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*⁹.

108. Probatur ex traditione. Patres idem clare docent. Pauca eorum testimonia hic proferuntur, testantia Deum habuisse ideas omnium rerum quas fecit.

S.AUGUSTINUS: «Sunt namque ideae principales formae quaedam... quae ipsae formatae non sunt... quae in divina intelligentia continentur... Et... secundum eas... formari dicitur omne quod oriri et interire potest».

Et paulo inferius: «Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo qua equus; hoc enim absurdum est existimare»¹⁰.

Sequitur mox (R 1553): «Singula igitur propriis sunt creatura rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constitebat; nam hoc opinari sacrilegum est...»

109. ORIGENES: «Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur vel aedificatur iuxta figuras et formas mentibus eorum, qui structurae praesident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus, quae sunt in artifice; sic universa facta fuisse iuxta rerum futurarum rationes iam antea a Deo manifestatas in sapientia. *Omnia enim in sapientia facit*»¹¹.

S.MAXIMUS: «Rationes omnium rerum ante saecula habens in se Deus, ex illis omnia quae vel mente vel visu percipiuntur procreavit, opportuno tempore tum universa tum singula constituens. Singulis enim rebus praecessit ratio, qua ita sunt factae. Quamobrem rationes omnium in Deo erant fixae, quibus eas ex nihilo fecit. Et his quidem rationibus cognoscit omnia priusquam fiant. Hae vero a Dionysio Areopagita praefinitiones et divinae voluntates appellantur»¹².

Etsi duo postremi textus non dicant expresse eas ideas esse ipsum Deum, id tamen sat patet ex iis, cum ibi illae rependantur in ipso Deo. Ceterum ii Patres, qui putarunt Platonem ideas suas extra Deum posuisse, ideo ipsum impugnarunt.

110. Ratio theologica. 1) Omne agens agit propter finem (secus enim ex eius actione non sequeretur unum prae

⁹ Ibid. 283: *Novi equidem hoc: magnus est Dominus, et Dominator noster prae omnibus diis. Quaecumque vult Dominus facit in caelo et in terra, in mari et in omnibus profundis aquarum.*

¹⁰ *De diversis quaest.* 46,2: ML 40,30.

¹¹ *In Jo. t.1 n.22:* MG 14,56.

¹² Cf. EUTHYMIUS, *Panop. dogm.* 3: MG 130,149.

alio) ei praestitutum vel a natura vel a voluntate, prout agat vel necessario vel libere. Sed agens libere, ut agit Deus mundum creans, nequit intendere finem sine praevia eius et mediorum ad eum ordinandorum idea. Ergo Deus nequit libere mundum creare sine praevia finis et mediorum idea (S.Th., I q.15 a.1).

2) Causa libera, seu ex se plura eligere potens, qualis est Deus, non determinatur ad unum ex ipsa sui natura, ut patet, nec ex imperio voluntatis solius, utpote facultatis ex se caecae, seu nisi ea intellectu dirigatur, et ideo mediante idea. Ergo Deus mundum creavit, mediante idea (I q.44 a.3).

III. Obiectiones. I. Si Deus est idea mundi, hic est externa manifestatio illius ideae. At id sapit pantheismum. Ergo Deus non est idea mundi.

Dist. mai. Si Deus est idea mundi, mundus esset illius manifestatio, quasi Deus extra se posuisset ideam suam sumptam ad similitudinem, seu opus ad aliqualem illius imitationem, *conc. mai.*; ideam entitative sumptam, *nego mai.*

Domus aedificata est manifestatio externa ideae internae artificis, at non ipsa idea vel ipse artifex.

2. Iuxta S.Thomam (*De ver.* q.3 a.6) Deus habet «quodammodo indeterminatas ideas» pure possibilem, quae tamen in ratione possibilem a reliquis non differunt. At idea exemplaris supra descripta est omnino determinata. Ergo Deus non habet ideas determinatas possibilem, et proinde nec horum ut existentium.

Dist. mai. Deus habet ideas pure possibilem indeterminatas, quatenus eorum existentiam non determinavit decreto suae voluntatis, *conc. mai.*; quasi illae eorum ideae sint confusae et minus perfectae, *nego mai.*

«Deus... ad ea quae sunt vel erunt vel fuerunt producenda, ait ibidem S.Doctor, determinatur ex proposito divinae voluntatis, non autem ad ea quae nec sunt nec erunt nec fuerunt, et sic huiusmodi habent quodammodo indeterminatas ideas». Sane, cum possibilem transeant ad esse per decretum Dei, seu quatenus determinantur a Deo ut sint, pure possibilem, seu ea quae numquam erunt, cum eam determinationem non obtineant, dicuntur esse in intellectu Dei indeterminata¹³.

III.2. Scholion. De ratione ideae exemplaris mundi in Deo. Constat ex dictis, in Deo esse causam exemplarem mundi; at in ente simplicissimo et perfectione infinito, quid habet eius ideae rationem? *Ipsum esse Dei prout a Deo cognoscitur ut imitabile ad extra diversis et gradibus et modis essendi*, dicimus ut multo probabilius.

Primo vero haec praenotentur. Non est idea, nisi *fundamentaliter*, ipsum exemplar remotum, seu inspectum ante operationem intellectus, sive externum sive internum seu saltem ratione ab intellectu illud cognoscente distinctum; nec eius cognitio mere materialis seu non ut obiecti imitabilis. Cognitio vero formalis directa obiecti ut imitabilis est *formaliter* idea seu exemplar proximum. Cui iam constitutae accedit cognitio reflexa qua illa apprehenditur¹⁴.

III.3. Ratio ideae, ex dictis, est tota in cognitione formali directa. At cum in ea distinguatur etiam id quod respondet conceptui obiectivo i.e. rationi intellectae seu ipsi obiecto prout in mente existenti, reponunt ratio-

¹³ Cf. J.BITREMIEUX, *Idea divinae de possibilem* (*De ver.* q.3 a.6): EphThLov 3 (1926) 57-62.

¹⁴ Cf. TOLEDO, *In I q.15 a.2 not 3.*

nem ideae exemplaris alii in formali¹⁵, alii in obiectivo¹⁶, alii vel in formali vel in obiectivo, prout agatur de idea vel creata vel increata¹⁷. Melius tamen forte dicitur cum aliis ideam esse per modum unius et *conceptum obiectivum*, ut elementum materiale, cum artifex istum ut imitandum respiciat, et *cognitionem*, ut elementum formale, cum ille non nisi per hanc fiat formaliter ratio ideae proxime imitabilis¹⁸; ita tamen ut indifferenter memoretur solum alterutrum elementum, cum semper alterum connotet.

III.4. Quibus positis, ipsum esse divinum seu essentia Dei, considerata ante operationem intellectus divini, dicitur exemplar remotum, cum sit idea rerum finitarum solum radicaliter seu *fundamentaliter*, non vero proxime ac distincte ut est proprium ideae exemplaris. At intellectus divinus, eam essentiam cognoscens, videt eam esse diversis et gradibus et modis essendi participabilem ad extra seu videt infinitas eius imitabilitates, quae, ut patet, sunt in Deo et ipse Deus. Hae ergo, quae radicaliter iam erant in essentia Dei, formaliter et distincte quasi constituuntur operatione intellectus Dei. Illae vero concipiuntur proicere extra se ut terminos creabiles possibilem, quatenus illae imitabilitates *possunt* per has vel illas res quasi reduci in actum; sed ea possibilem formaliter ut talia sunt aliquid distinctum a Deo, cum ea (v.gr. possibilem homo vel petra vel arbor) per creationem in existentiam adducantur, dum Deus *non potest* creari.

Idea ergo exemplares nec sunt ipsa essentia Dei ut inspecta ante operationem intellectus nec ipsa possibilem, cum ab iis, utpote distinctis ab ipsis, Deus pendere nequeat, sed illae imitabilitates prout intellectu divino ut tales apprehensae. Illam ergo ideam Deus respiciens cognitione *reflexa* opus suum ad imitationem eius exsequitur.

III.5. Ergo in Deo idea mundi est *subjective una*, cum non sit entitative nisi unum exemplar omnium et una eius ut talis simplicissima cognitio; at *objective est multiplex*, cum essentia Dei, utpote infinite perfecta, aequivaleret rationibus omnium rerum quae in ea virtualiter, seu ut in potentia eius activa, continentur; et licet creaturae sint inaequales, ideae Dei non sunt inaequales, sed inaequalium.

Nec id simplicitati Dei repugnat, cum imitabilitates illae in Deo non sint re, sed solum ratione, diversae seu prout intellectu divino distinguuntur; multitudo vero per intellectum facta simplicitati non repugnat¹⁹. Aliunde Deus eas imitabilitates non per plures species, sed uno actu simplicissimo percipit.

At quomodo in *una imagine*, essentia Dei, alias imagines limitibus determinatas non continente, potest Deus *infinitas imagines* inter se distinctas videre? Fere ut intensa lux—sic forte res misteriosa aliquatenus declarari possit—in se ipsa omnes inferiores lucis gradus, vel numerus omnes numeros inferiores in se ipso cognoscere concipitur, sic Deus percipit in se diversos modos et gradus imitabilitatis relate ad alia entia inferiora.

III.6. Haec opinio, quod idea exemplaris Deo creanti sit essentia Dei ut a Deo intellecta et quidem secundum eius imitabilitates, est communis

¹⁵ S.BONAVENTURA, *In I d.35 q.1*; SUÁREZ, *l.c.*, s.1; VALENCIA, *In I d.1 q.15 punct.1*.

¹⁶ CAIETANUS, *In I q.16 a.2*; ARRIAGA, *Disp. phys.* d.8 s.9. Forte etiam S.Th., I q.15 a.1; a.2 ad.2.

¹⁷ Sic VÁZQUEZ, *In I d.72 c.2*. Cf. de hac re, URRÁBURU (p.1195-1197), qui secundae opinionioni adhaeret.

¹⁸ Sic BERAZA, n.179; PESCH, n.45.

¹⁹ Cf. TOLEDO, *l.c.*

theologorum, ducibus S.Thoma (1 q.15 a.2; q.44 a.3; *De ver.* q.3 a.2), S.Bonaventura²⁰, etc. Paulo aliter loquuntur Scotus²¹, Palmieri²².

117. Corollarium 1. *Idea exemplaris mundi, non tamen huius creatio, est necessaria et aeterna.* Sane essentia Dei ut imitabilis et cognitio divina eius imitabilitatis est necessaria et aeterna; at actualis imitatio eius ideae pendet a libera Dei voluntate. Seu, idea exemplaris ut practica virtute, non vero ut practica actu, est necessaria et aeterna.

118. Corollarium 2. *Creaturae in suis rationibus participant vitam divinam.* Nam eae sunt realiter distinctae a suis ideis, ac proin ipsae non pertinent ad essentiam Dei; at quoniam ideae earum ad quarum imitationem fiunt sunt formaliter in Deo, cum sint ipsa Dei cognitio essentiae divinae ut imitabilis per creaturas et ipsum Dei cognoscere sit vita divina, iure creaturae ut cognitae a Deo in suis rationibus censentur vitam Dei participare, immo vocantur vita divina (S.Th., 1 q.18 a.4).

119. Corollarium 3. *Ideae omnium rerum existunt in Verbo Dei.* Verbum Dei per intellectionem divinam procedens exprimit, utpote perfectum, ipsum Patrem et omnia quae cognoscit Pater cognoscendo seipsum; ergo exprimit et Patrem et omnem creaturam (*De ver.* q.4 a.4). Sic repraesentat Patri, ut ipsius imago, omnia cognoscibilia seu essentiam divinam ut primum intelligibile et omnia quae in ea fundantur i.e. imagines omnium rerum; «hinc... qui negat ideas esse, negat Filium Dei esse»²³.

Immo nec solum uno eodemque actu Deus cognoscit et Verbum et omnia alia in ipso, sed etiam uno eodemque actu dicit et Verbum et omnes ideas rerum²⁴. Hinc eae ideae, utpote eadem cognitione ac Verbum procedentes, non sunt creatae vel factae, sed genitae²⁵. Ideo iure dictum est nuper, creaturas in suis ideis vitam divinam participare.

Inde etiam apparet cur Verbo, utpote ideae omnium, speciali titulo creatio tribuatur²⁶.

120. Corollarium 4. *Res eatenus sunt verae, quatenus ideis divinis adaequantur.* Res enim dicitur vera per ordinem ad intellectum, seu quatenus huic adaequatur; ea adaequatio est per se relate ad intellectum a quo concipiente ac dirigente pendet in suo esse, per accidens vero relate ad intellectum a quo mere intentionaliter, seu ut cognita, pendet, quatenus in primo casu ea adaequatio est proprietatis eius essentialis, in altero vero quasi per accidens. Sic opus artis dicitur simpliciter verum, si factum est secundum intellectum artificis, seu secundum regulam ac mensuram in mente eius existentem, quae est idea exemplaris, ita ut tunc veritas sit in adaequatione rei ad intellectum; dum si res pendet mere intentionaliter ab intellectu, veritas est in adaequatione intellectus ad rem (1 q.16 a.1; *De ver.* q.1 a.2.4s)²⁷.

²⁰ In 2 d.1 p.1 a.1 q.1 ad 3; d.35s; cf. *Opera omnia* 1,602. schol. Ceterum, cf. J.M. BISEN, O. F. M., *L'exemplarisme divin selon Saint Bonaventure* (Paris 1929), de quo opere, cf. ST. SIMONIS, F.F.M.: Ant 6 (1931) 100-102.

²¹ In 1 d.35. Similia quoad substantiam statuit DURANDUS, In 1 d.36 q.3. Eam opinionem aliter intelligunt TOLEDO, l.c., a.1; CAIETANUS, In 1 q.15 n.8; MENDIVE, 3 n.20; HUARTE, n.51; et aliter MASTRIUS, *Disputationes theologicae* I (Venetiis 1675) d.3 q.2; J.KLEUTGEN, S.I., *Die Philosophie der Vorzeit* 2² (Innsbruck 1878) n.582s.

²² *Institutiones philosophicae* 3 (Romae 1878) Theol. th.25 p.174; cf. th.24 p.171s; Id., *De creatione* th.10.

²³ Sic S.BONAVENTURA, In 1 d.6 q.3.

²⁴ Cf. S.ANSELMUS, *Monologium* c.33-35; ML 158,187-189.

²⁵ Cf. S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 2,8,16; ML 34,269; S.ANSELMUS, l.c.

²⁶ Cf. PETAVIUS, *De Deo* l.4 c.11 n.8-10.

²⁷ Cf. SUÁREZ, d.8 s.7.

ARTICULUS IV

DE LIBERTATE DEI IN CREANDO MUNDO

Thesis 4. Mundus a Deo creatus est libere.

S.Th., 1 q.19 a.3; q.25 a.5s; 2 CG 23s.26s; S.BONAVENTURA, In 1 d.44 a.1 q.1-3; In 2 d.2 q.1-3; SUÁREZ, *Disp. metaph.* 30,16; BERAZA, n.96-127; FLICK, o.c., 71-92.

121. Nexus. Omnis causa efficiens agit necessario vel libere pro eius natura; ergo, ea causa statuta, et ut necessaria vel libera iam cognita, non est cur ulterius de eius modo agendi quaeratur. At cum Deus, causa efficiens mundi, in suis operationibus ad intra (ut sunt generatio Filii et processio Spiritus S.) necessitate suae naturae et tamen sine imperfectione agat, immo cum, ex inferius dicendis, motus amore suae bonitatis, quam necessario amat, et tamen sapienter, mundum creavit, non cognoscitur plene ut huius causa efficiens, si non ulterius determinetur an etiam mundum necessario fecerit.

Haec vero quaestio cum illa est intime connexa: quando Deus creaverit mundum. Nam si forte eum necessario fecit, pronum est ut supponatur id ab aeterno evenisse; si vero aliunde constaret mundum esse aeternum, supponeret id eum necessario a Deo esse factum? Ideo utraque quaestio disputatur, ut Deus qua mundi causa efficiens plenius cognoscatur. Nunc ergo primo de libera mundi creatione agit.

122. Notiones. MUNDO A DEO CREATUS EST. Haec sumuntur ut in prima thesi.

LIBERE. Libertas est rationalis facultas eligendi inter plura.

Ergo ea infert: a) *Negative*, si est libertas *spontaneitatis* seu a *coactione*, immunitatem a necessitate *externa*, seu a vi ab extrinseco ad agendum cogente vel *physice*, seu per impulsum physicum, vel *moraliter* seu per legem vel alio modo morali; et si est *libertas indifferentiae*, seu electionis, immunitatem a necessitate *interna* seu ab intrinseca determinatione ipsius potentiae ad unum. In hac una formaliter consistit libertas arbitrii, quae tamen stare potest etiam sine illa *spontaneitate*.

b) *Positive*, dominium voluntatis in suos actus: sive ponendos vel non ponendos (v.gr. studere vel non studere) si est *libertas contradictionis* (seu *exercitii*), sive ponendos specificiter diversos (v.gr. studere vel orare) si est *libertas specificationis*, sive ponendos contrarie diversos (v.gr. amare vel odisse) si est *libertas contrarietatis* (1 q.82 a.1; q.83 a.1-4), quae tamen hic non venit respicienda, nisi quatenus est ad eligendum bonum vel malum morale.

123. In hac thesi cum sit de Deo, non quaeritur de *libertate spontaneitatis* sive *physica*, cum omnia a Deo in operando pendeant et ante creationem solus Deus esset, sive *moralis*, cum Deus sit ens supremum auctoritate ac potentia, a quo omnia in operando pendeant et quod ante creationem ipsum solum esset; nec de libertate *contrarietatis*, cum Deus nequeat velle nisi bonum¹; sed solum de *libertate* sive *contradictionis* sive *specificationis*, seu quatenus Deus potuerit mundum hunc, vel nullum, vel alium ab hoc distinctum sive hoc perfectiorem sive minus perfectum creare.

124. *Adversarii*. a) *Quidam philosophi gentiles*: Deus agit ex necessitate (2 CG 23).

Pantheistae et monistae thesim logice negare debent².

ABAEARDUS, quem quidam discipuli eius secuti sunt³, asserens expresse libertatem Dei, videtur tamen actum voluntarium ac liberum identificasse, et tenuit Deum nihil facere posse distinctum ab hoc quod facit⁴.

J. WICLEFF: omnia de necessitate absoluta eveniunt⁵. Haec «*approbat LUTHERUS*», ait Bellarmino, iuxta quem, etiam CALVINUS docuit «*Deum non posse facere nisi id quod facit*»⁶.

IANSENIUS, cum confundat liberum cum voluntario delibato (non praecise electivo), negat eo ipso libertatem Dei in creando. Si de ratione libertatis est indifferentia exercitii, nunc Deus non est liber, qui iam immobili voluntate vult id quod vult; immo nec potest dici unquam fuisse liber, cum ab aeterno existat sua determinatio ad agendum vel non agendum⁷.

Pariter A. ROSMINI: amor quo se Deus in creaturis diligit infert ipsi moralem necessitatem ad creandum⁸.

G. HERMES, A. GÜNTHER: cum de ratione libertatis sit sola immunitas a coactione, eo ipso Deus, creans independentem ab omni re, libere creat, etsi ex necessitate interna agat, fere ut amor sui ipsius est liber a coactione, non vero ab illa necessitate⁹.

¹ De hac re, cf. POHLE-J. GUMMERSBACH, S.I., *Lehrbuch der Dogmatik*, 1¹⁰ (Paderborn 1952) 502s.

² Cf. PINARD, 2143. De Spinoza, cf. P. SIWEK, S. I., *Spinoza et le panthéisme religieux* Paris 1937) 145s. ³ Cf. PINARD, l.c.

⁴ *Introd. ad theol.* 3,5,7: ML 178,1096-1098.1109-1111. Ipsum refellit S. BERNARDUS, *Capit. haeres.* 3: ML 182,1050. At Abaelardus eam doctrinam retractavit post eius damnationem in C. Senosensi (*Apologia seu fidei defensio*: ML 178,107): cf. E. PORTALIÉ, *Abelard (Vie et Oeuvres d')*: DTC 1,37s; de condemnatione: Id., *Abelard (Articles condamnés par Innocent II)*: l.c., 46.

⁵ Cf. TH. WALDENSIS, *Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiae catholicae* 1 (Venetiis 1571) l.1 c.105; SCHEFCZYK, o.c. 104.

⁶ *De grat. et lib. arbitrio* 3,15; CALVINUS, *Instit. christ. fid.* 1,16 § 3.

⁷ Cf. ST. DECHAMPS, S.I., *De haeresi ianseniana* (Lutetiae Paris. 1654) 3,2,15s; cf. 1,2,1.

⁸ A. MICHEL, *Rosmini-Serbatii Antonio*: DTC 13,2937s.

⁹ Cf. KLEUTGEN, *Theologie der Vorzeit* 1² (Münster 1869) n.336-338.290s-294; L. ORBÁN, *Theologia Güntheriana et Concilium Tridentinum* 1 (Romae 1942) 148-155; C. VATICANUM, *Acta*: CL 7,86.

LEIBNIZ: sapientia Dei, una cum bonitate, debuit eligere mundum optimum omnium possibilium¹⁰. Eum fere sequitur MALEBRANCHE¹¹.

125. *Doctrina Ecclesiae*. C. Senosense prov. (D 374) damnavit Abaelardi errorem: «*Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo facit et non alio*».

C. Constantiense (D 607, cf. 661) damnavit errorem Wicleff: «*Omnia de necessitate absoluta eveniunt*».

C. Florentinum (D 607): «*Qui (Deus) quando voluit... universas... condidit creaturas*».

Prus IX (D 1655) de doctrina Günther: «*Neque ignoramus, ea iisdem libris doceri et statui, quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur*».

C. Coloniense prov. (a. 1860): «*Quemadmodum penes Deum erat, mundum creare aut non creare, ita penes ipsum etiam erat, hunc creare mundum aut alium. Et vero quaecumque Deum in mundo creando liberum fuisse demonstrant, eundem et liberum in hoc illove creando docent... Itaque ad fidem catholicam sartam tectam gregibus nostris conservandam proscribimus omnem doctrinam quae statuit, Deum non potuisse non creare mundum, vel non potuisse alium atque hunc mundum creare, sive illa quacumque demum voce appellata necessitas repeti dicatur e Dei intelligentia seu conscientia, sive ex Dei amore in seipsum, sive ex eius bonitate, sive demum e divina sapientia et sanctitate aliave perfectione*»¹².

LEO XIII (D 1908) damnavit eum errorem Rosmini: «*Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum...*»

126. C. Vaticanum (D 1783): «*Deus... liberrimo consilio... utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem...*» Haec, quae ex actis Concilii sunt contra errores modernos qui fere omnes e pantheismo vel alio affini errore promanant, formula positiva «*liberrimo consilio*» includunt etiam elementum negativum «*nulla necessitate*» ut patet ex natura rei et ex actis Concilii.

Haec contra güntherianos statuit (D 1805): «*Si quis... Deum*

¹⁰ *Causa Dei asserta per iustitiam eius...* ed. P. Schecker (Paris 1939) n.46s; *Essai de Théodicée sur la bonté de Dieu...* p.1 n.8-10; *La monadologie*, ed. Jacques (Paris 1846) n.53-55. Cf. PINARD, 2147; SCHEFCZYK, o.c., 119; O. MUCK, *Optimismus*: LThK 7 (1962) 1181s.

¹¹ FÉNELON, *Oeuvres* 3 (Paris 1858), *Refutation du système du P. Malebranche* c.1-3. ¹² CL 5,290.

dixerit non voluntate ab omni necessitate libera sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum... a.s.»

Quo utroque elemento statuitur *absoluta* Dei creatis libertas, ergo non solum *contradictionis*, sed et *specificationis*, cum, hac negata, Deus nec liberrimo consilio nec ab omni necessitate liber creasse dici posset, ita ergo ut ea vel formaliter definitione contineatur vel saltem ex ea ratiocinio deducatur.

Ceterum mens Concilii definitis videtur etiam eam attigisse, nam in actis, cum dicatur damnari error dicentium «Deum non potuisse non creare, sicut non potest seipsum non amare» etsi ei tribuant «libertatem a determinatione, quae sit ab extrinseco», additur: «Sed... Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suae Eph 1,11, voluntate libera, ut hoc quod vult existere ad extra, potuisset etiam non velle aut velle aliud...; non alia nisi quaecumque voluit, Dominus fecit in caelo et in terra... Ps. 134,6. Nec quoad hoc dogma potest esse dubium de communi fide...» Ex his ergo Concilium, quin distinguat libertatem contradictionis et specificationis, utramque sua definitione complecti censendum est¹³.

127. Pius XII et alia reprehendit quae inter nonnullos catholicos serpere constat et haec: «Contenditur creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria libertate divini amoris procedat; ... quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur»¹⁴.

128. **Valor dogmaticus.** De fide divina et catholica definita (D 1783 1805), etiam quoad libertatem specificationis, nisi haec dicatur *saltem theologicæ certa*¹⁵, iuxta nuper dicta (n.126).

129. **Probatur ex sacra Scriptura.** Haec libertatem Dei in suis operationibus ad extra absolute et adeo emphatice statuit, ut iure eam, sive contradictionis sive specificationis, etiam ad creationem extendere censenda sit.

In genere plus minus omnes loci biblici supra allati (n.26-41) Deum inducentes ut creatorem mundi vel ut aliquid agentem in hunc vel ut absolutum dominum eius includunt sine dubio ideam mundi exurgentis non necessario, sed ex plenissima libertate et externa, ut patet ex natura rei, et interna Dei eum decernentis v.gr. si de Deo solo existente dicitur:

¹³ CL 7, 109-112.514-540. Cf. J.RABENECK, S.I., *Die Lehrentscheidungen des Vatikanischen Konzils über die Freiheit des Schöpfers*: Schol 32 (1957) 565-569.

¹⁴ Encycl. Humani Generis: AAS 42 (1950) 570s. Cf. E.SPOLAOR, *L'assoluta libertà divina nella creazione alla luce dell'enciclica «Humani Generis»*: StudPat 2 (1955) 165-217.

¹⁵ Cf. POHLE-GUMMERSBACH, 1,501.

In principio creavit... caelum et terram (Gen 1,1), *Fecisti omnia verbo tuo* (Sap 9,1), *Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuae* (Esth 13,9-11). De homine creando quasi deliberat pro sua decisione: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram...* (Gen 1,26).

Item ea quae supra dicta sunt (n.107) de Deo ut omnia in sapientia creante ac ordinante, testantur ipsum egisse ex liberrima decisione personali, fere ut accidit apud homines agentes cum praeconcepata idea exemplari, v.gr.: *Omnia in sapientia fecisti* (Ps 103,24), *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti* (Sap 11,21).

a) Deus facit in mundo quaecumque vult. Ps 113,3: *Deus autem noster in caelo; omnia quaecumque voluit fecit*. In specie id dicitur de mundo. Ps 134,6: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*¹⁶.

Haec, quae sunt directe de libertate specificationis, putanda sunt valere a fortiori de libertate contradictionis.

Idem supponit Sap 11,16-18: *Immisisti illis multitudinem motorum animalium in vindictam... Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisâ, immittere illis multitudinem ursorum...* Si enim ad immissionem animalium liberam, ut patet, confirmandam, appellatur mundi creatio, haec etiam sine dubio libera fuit.

b) Deus libere mundum conservat, ergo et libere eum creat. 2 Mac 8,18: *Qui (Deus) potest... universum mundum uno nutu delere*.

Sap 11,26: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?*

c) S.Paulus agens de praedestinatione ad fidem, ut pendente a sola voluntate Dei, effert principium universale, quod Deus omnia faciat per deliberationem ac per suam voluntatem et proin cum libertate. Eph 1,11: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ)¹⁷.

d) Deus in multis rebus particularibus mundi inducitur *eligens*, quod sane supponit absolutam libertatem. De populo iudaico, Ps 32,12: *Populus quem elegit (Dominus) in hereditatem sibi*¹⁸. De fidelibus, Eph 1,4: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*; 1 Cor 1,27-30: *Quae*

¹⁶ Liber psalmodum p.241: *Omnia quae voluit fecit* (113,3); 283: *Quaecumque vult Dominus, facit in caelo et in terra...* (134,6). Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Psalmos* (Paris 1912) 405-457; J.CALÈS, S.I., *Le livre des Psaumes* (Paris 1936) 2,380-522; FOERSTER (l.c., 1011) effert connexionem in creatione divina inter «velle» et «per verbum», ut quod indicet deliberatum velle.

¹⁷ Cf. J. LEAL, *Carta a los Efesios*: SagrEscr 2 (Madrid 1962) 681s.

¹⁸ Cf. Ps 46,5: *Elegit nobis hereditatem nostram, gloriam Iacob, quem diligit (Liber psalm. 86); cf. Ex 19,5s; Deut 32,9.*

stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia... De apostolis, Mc 3, 13: Vocavit ad se quos voluit ipse.

e) Omnia sunt Deo possibilia, quod sane dici nequiret, nisi esset liber ad ea facienda. Mt 19,26: Apud Deum autem omnia possibilia sunt. Sap 12,18: Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas; et cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse.

f) Omnia voluntate Dei creata sunt. Apoc 4,11: Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt¹⁹.

130. Probatur ex traditione. SS.Patres, ut diximus de Scriptura, libertatem Dei absolutam ac sine ulteriore distinctione proponunt (maxime agentes contra gnosticos et neoplatonicos).

a) *Deus omnia libere et independenter et ut voluit fecit.* S.IRENAEUS (R 196): «Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere facit omnia, cum sit solus Deus... et solus conditor...». «Ipse fecit libere et quemadmodum voluit»²⁰ (cf. R 205 235).

b) *Deus creavit mundum cum voluit et ut voluit.* S.HIPPOLYTUS (R 391): «Deus... voluit mundum efficere... Nec... erat... sine consilio... Quando voluit et quomodo voluit ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis: per quod omnia fecit... Fecit igitur sicut voluit...» (cf. R 397).

c) *Deus potest facere omnia quae vult.* THEODORETUS: «Omnia enim quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra... Voluit autem non quaecumque poterat, sed quae satis esse censuit. Facile enim illi fuerat decies ac vicies mille mundos producere, quandoquidem velle omnium operum est facillimum. Nam et nobis ipsis omnium facillimum est velle; sed voluntatem nostram non illico sequitur facultas. Deus autem universorum, quae vult omnia potest. Divinae siquidem voluntati facultas adiuncta est. Neque tamen rerum creationem sua potestate commensus est, sed quae voluit ea fecit»²¹.

S.AMBROSIUS: «Quis non hanc eorum artificem facundiam irrideat, qui cum ex una atque eadem causa plura eiusdem generis ab hominibus fieri posse non abnuant, de creatore omnium dubitent, utrum plures caelos facere potuerit... Quid enim difficile ei, cui velle fecisse est?»²²

131. d) *Deus fecit omnia quaecumque voluit.* S.AUGUSTINUS (R 1491): «Non omnia quae fecit, coactus est facere, sed omnia quaecumque voluit fecit. Causa omnium quae fecit, voluntas eius est...» (cf. R 1751) ^{22*}.

e) *Deus gignit Verbum natura sua sine praevia deliberatione, dum, hac praevia, mundum creat.* S.ATHANASIUS: «Itaque si Filius alius est a rebus omnibus, ... absit ut voluntate dicatur exstitisse, ne ipse eodem modo fiat, quo ea, quae per ipsum facta sunt, prodierunt. Namque Paulus per voluntatem Dei apostolus postea factus est, cum id antea non esset. Vocatio item nostra, cum aliquando non fuerit, nunc autem facta sit, antecedentem habet Dei voluntatem; et... secundum propositum eius voluntatis facta est. Praeterea, quod per Moysen dicitur: Fiat lux, et producat terra, et faciamus hominem, signa reor esse, ... voluntatis creatoris. Nam ea quidem, quae aliquando non erant, sed extrinsecus postea fiunt, facere creator delibet; cum autem Verbum suum ex se ipso natura gignit, praevidiam nullam adhibet deliberationem»²³.

132. N.B. 1) Si quando Patres dicunt Deum non esse invidum et ideo mundum creasse²⁴ (ac proin necessario, ut patet, cum Deo omnis imperfectio repugnet), non loquuntur stricte, cum alibi, ut vidimus, libertatem Dei creantis doceant et cum secus omnia possibilia essent ipsi creanda; sed cum invidi sit omnia sibi velle, dicunt more humano Deum non esse talem, ut inclinationem eius ad benefaciendum exprimant²⁵. Quo sensu obvio intelligitur recte S.Athanasius: «Deus natura... optimus est ac proin benignus et humanus. Bonus enim nemini ullam rem invidet... Contra, omnes vult esse ut humanitatem exercere possit»²⁶.

Et si S.Augustinus eo modo probat Deum genuisse Filium sibi aequalem²⁷, supponit Patrem necessario Filium generare et quidem secundum eandem naturam, quae sane non valent de mundo (I q.25 a.6 ad 2).

2) Item S.Ioannes Damasc. dicit: «Illud vero ignorandum non est, quod in Deo volendi quidem actum dicimus, non vero electionem proprie dictam»²⁸; quibus videretur negare in Deo omnem electionem ac proin et libertatem. At non negat electionem quae sit mera acceptatio unius prae alio, sed deliberationem quae consultationem includat, cum statim haec addat: «Deus enim non consultat; nam ignorantiae proprium est consultare. Quod si ignorantiae est consilium, erit etiam electio. Itaque Deus qui omnia novit non consultat».

133. Ratio theologica. 1) *Libertas contradictionis.* Voluntas Dei perfectissima nequit moveri ad agendum nisi ratione boni. At Deus, omni perfectione infinitus, habet in se omne bonum eius voluntatem explens, quin creaturae illam bonitatem augeant, cum nihil boni habeant, quod eminenter non sit in Deo. Ergo nullum bonum assignari potest Deum ad creandum cogens (I q.19 a.3; I CG 81)²⁹.

¹⁹ Cont. arian. 3,61: MG 26,451.

²⁴ Sic S.AUGUSTINUS, De Gen. ad litt. 4,16,27: ML 34,307: «Sed bona facere si non posset, nulla esset potentia; si autem posset nec faceret, magna esset invidentia».

²⁵ Cf. PALMIERI, th.6 n.8.

²⁶ Orat. cont. gent. n.41: MG 25,828.

²⁷ Cont. Maxim. 2,7: ML 42,762. Cf. DE ROUX, l.c., 36-41.

²⁸ De fid. orthod. 2,22: MG 94,945.

²⁹ De hoc argumento, cf., DONDEYNE, De libertate Dei in opere creationis: Collat. Brug 31 (1931) 28-32. S.THOMAS alia argumenta pro Dei creantis libertate affert in De pot. q.3 a.5 (cf. et 2 CG 23); quae tamen cum Ockam impetierit, intendit explicare notionem

¹⁹ S.BARTINA, S.I., Apocalipsis de San Juan: SagrEscr 3 (Madrid 1962) 657.

²⁰ Adv. haer. 3,8,3: MG 7,868.

²¹ De curand. graec. affect. 4: MG 83,915.

²² In hexaem. 2,2,5: ML 14,147.

^{22*} R.C.DE ROUX, El Amor Creador según San Agustín: EcclXav 12 (1962) 5-18.

134. 2) *Libertas specificationis*. a) *Negative*: Cum Deus nequeat in operando pendere ab aliis rebus, una ratio ipsum cogens ad hunc vel illum mundum creandum esset perfectibilitas interna vel externa ipsius. At ens infinitum nulla alia re ullo modo perfici potest. Ergo nihil cogit Deum ad determinatum mundum creandum.

Deus vel ad nullum mundum determinatum vel ad omnium possibilium perfectissimum creandum teneretur, cum extra maximam perfectionem obtinendam, nulla ratio congrua assignari possit ipsum ad creandum cogens. At posita Dei omnipotentia omne ens finitum in se possibile attingente et ipsius imitabilitate indefinita, nullus mundus respiceretur quo alius perfectior esse nequiret. Ergo Deus non posset creare mundum omnium possibilium perfectissimum: ergo ad nullum determinatum creandum tenebatur.

Si ratio ad optimum mundum creandum Deo esset ea, quod ex duobus bonis optimum eligere teneretur, Deus creans non gauderet libertate vel exercitii, cum melius sit creare quam non creare.

b) *Positive*: Sive ratione suae bonitatis sive ratione suae sapientiae Deus recte ageret quemlibet mundum creandum eligens in infinitis possibilibus, cum semper suam bonitatem egregie communicaret et suam perfectionem manifestaret. Ergo, quemlibet creans, semper recte ageret; nisi dicatur Deus teneri ad suam bonitatem perfectissimo omnium modo communicandam, quod nuper negative refutatum est et faceret Deum dependentem a rebus extra se positis (1 q.25 a.5) ^{29*}.

135. *Obiectiones*. 1. Bonum est diffusivum sui. Sed Deus est summum bonum. Ergo est diffusivum sui.

Dist. mai. Bonum est diffusivum sui quatenus potest communicari vel finaliter vel efficienter, *conc. mai.*; quatenus necessario communicatur, *subdist.*: aliquando, *trans.*; semper, *nego*.

Bonum potest dici diffundi vel finaliter, seu in ordine causae finalis, quatenus immittit sui desiderium ac movet appetitum operantis (1 q.5 a.4 ad 2; 1 d.34 q.2 a.1 ad 4; *De ver.* q.21 a.1 ad 4) ³⁰, vel efficienter seu ut causa operans, quatenus propendit ad sui communicationem et intendit se, quoad id fieri possit, aliis communicare ³¹. Hinc quo maius est bonum, eo intensius et eo amplius ad plura se extendit. At necessario se diffundit, saltem summum bonum? Aliquando utique, nempe cum Pater Filio et Pater ac Filius Spiritui S. bonitatem suam summo modo communicant; at inde non sequitur Deum etiam ad creaturas se diffundere necessario, cum id infinitae ipsius perfectioni repugnet.

Sane creatura nequit non quaerere suis actibus augmentum suae perfectionis, nec illud obtinere nisi dum bonum suum ad alia diffundit; id ergo agens simul quaerit necessario et complementum sui et aliorum bonum.

S. Doctoris de libertate PEGIS, *Necessity and Liberty. An Historical Note in St. Thomas Aquinas: NewSchol* 15 (1941) 18-45. Cf. CH. JOURNET, *Le mal* (Bruges 1962) 112-115.

^{29*} JOURNET, *ibid.*, 117-133.

³⁰ De sensu finali huius axiomatis (seu quatenus bonum habet rationem finis) iuxta S. Thomam, cf. J. PEGHAIRE, C.S.Sp., *L'axioma «Bonum est diffusivum sui» dans le néoplatonisme et le thomisme*: *RevUnivOtt* 1 (1932) 5-30; SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin* (Paris 1925) 1,243-246; M.J. NICOLAS, O.P., *«Bonum diffusivum sui»*: *Rev Thom* 55 (1955) 363-376.

³¹ Cf. S. BONAVENTURA, *In 2 d.10 a.2 q.1 ad 3.*

Unde et agens rationale diffundit necessario suum bonum, etsi libere quoad specificationem.

Summum vero Bonum, cum habeat plenitudinem boni in se, non cogitur se diffundere ad extra, ut sit bonum vel maius bonum; sed tamen est aptum ad eam diffusionem. Unde potest hanc efficere, sed omnino libere, cum alia non creet nisi unice ut seipsum donet, quin ullum bonum sibi ipsi quaerat in creando.

136. 2. Deus creat mundum ob sui amorem. At amor sui Deo est necessarius. Ergo et necessario creat mundum.

Dist. mai. Deus creat mundum quin eo indigeat, *conc. mai.*; creat eum necessario, *subdist.*: supposito decreto creandi et sic ex necessitate hypothetica, *conc.*; absoluta, *nego*.

Deus, cum creaturis non egeat, non facit nec amat eas absoluta necessitate, ita ut eas producere debeat, sed solum hypothetica seu posito libero decreto eas creandi (1 q.19 a.3).

3. Divinum decretum creandi est necessarium. Ergo Deus necessario creavit.

Dist. antec. Divinum decretum creandi est necessarium consequenter ad divinae voluntatis imperium, *conc. antec.*; antecedenter ad hoc, *nego antec.*

4. Si Deus libere vellet creare mundum, divina voluntas esset indifferens ad creandum vel non creandum. At voluntati Dei repugnat indifferentia. Ergo Deus non creat mundum libere.

Dist. mai. Si Deus libere vellet creare mundum, divina voluntas esset ad eum creandum vel non creandum indifferens, ut actus ad diversa obiecta, *conc. mai.*; ut potentia ad diversos actus, *nego mai.*

137. 5. Si divinus actus volendi mundum esset liber, posset non esse. At id supponeret mutationem in Deo. Ergo ille actus non est liber.

Dist. mai. Si divinus actus volendi mundum esset liber, posset non esse terminative, *conc. mai.*; entitative, *nego mai.*

6. Decretum divinum creandi mundum ponit in Deo perfectionem, qua careret, si nollet mundum creare. At id inferret in Deo mutationem. Ergo Deus nequit non velle mundum creare.

Dist. mai. Deus nolens mundum creare careret decreto creandi ac proin perfectione quam nunc habet, si decretum creandi et decretum non creandi essent diversa, *conc. mai.*; secus, *nego mai.*

7. De ratione electionis est stricta deliberatio, quae Deo repugnat. Sed si Deus libere crearet, eligeret inter plura. Ergo Deus non creat libere.

Dist. mai. De ratione electionis est acceptatio unius prae alio, *conc. mai.*; stricta deliberatio, *subdist.*: per accidens et sic solum in creaturis, *conc.*; per se et sic etiam in Deo, *nego*.

138. 8. Acceptatio libera unius prae alio non concipitur sine novo actu. At is supponit mutationem, quae Deo repugnat. Ergo in Deo non datur acceptatio libera unius prae alio.

Dist. mai. Acceptatio unius prae alio non concipitur sine novo actu in creatura, *conc. mai.*; in Deo, *subdist.*: sine nova terminatione actus, *conc.*; sine nova entitate actus, *nego*.

9. Posita ea acceptatione, apparet in Deo nova relatio ad mundum, ac proin aliquid novi ut illius fundamentum. Ergo, posita ea acceptatione, in Deo fit mutatio.

Dist. antec. Posita ea acceptatione, apparet in Deo nova relatio ad mundum realis, *nego antec.*; rationis, *subdist.*: quae inferat aliquid Dei terminari ad mundum, *conc.*; aliquid novi advenire ipsi, *nego*.

10. Illa terminatio actus divini ad mundum nequit esse extrinseca (ne Deus dicatur agere libere per aliquid sibi extrinsecum), sed intrinseca. At ea est defectibilis. Ergo infert mutationem in Deo.

Dist. min. Illa terminatio intrinseca Deo est defectibilis extrinsece, *conc. min.*; intrinsece, *nego min.*

139. Ad haec recte intelligenda, et in genere de modo concipiendi libertatem Dei in agendo ad extra, cf. supra tr.I, 192-195. Etiam de optimismo, cf. *ibid.* n.196-199.

ARTICULUS V

DE CREATIONE MUNDI IN TEMPORE

Thesis 5. Mundus creatus est in tempore.

S.Th., I q.46 a.1-3; 2 d.1 q.1 a.5; *De pot.* q.3 a.17; S.BONAVENTURA, *In I d.44 a.1 q.4; In 2 d.1 p.1 a.1 q.2*; SUÁREZ, *De op. sex dier.* 1,2; PALMIERI, *th.14*; FLICK, *o.c.*, 93-106.

140. **Nexus.** Si Deus necessario crearet, mundus esset creatus ab aeterno; at cum, ex probatis, libere creavit, exstat illa quaestio: *quando* Deus mundum fecerit, ab aeterno an in tempore. Si primum, non eo ipso libertas Dei creantis perit; si alterum, haec splendidius ostenditur. Ideo cum haec quaestio de creatione in tempore praecedentem de Dei creantis libertate compleat, iure post hanc nunc tractanda venit.

Uterius vero, si creatio ab aeterno probaretur impossibilis esse, eo ipso constaret de creatione mundi in tempore; at, cum illa impossibilitas non demonstraretur, logice quaeritur primo an Deus *de facto* mundum in tempore creavit, ut dein etiam *de posse* quaeratur, num creatio mundi ab aeterno repugnet.

141. **Notiones.** MUNDUS CREATUS EST. Haec sumuntur ut in prima thesi.

IN TEMPORE, non est idem ac «in medio temporis realis», quasi hoc iam exstisset ante mundum, sed est idem ac «non ab aeterno».

Cum tempus reale sit *numerus motus secundum prius et posterius*, nec proin differat realiter a duratione entis successivi seu quod movetur, certum est illud una cum ipsis rebus successivis creatum esse; ergo sic mundus, non in tempore, sed cum tempore creatum est (R 1747). At cum, praeter *tempus reale*, sit et *tempus possibile* consistens in mera possibilitate entis realis successivi existentis, et *tempus imaginarium* seu tempus possibile conceptum ad modum temporis realis, nihil impedit quin mundus dicatur esse factus in uno indivisibili instanti, quod a parte ante vocetur tempus imaginarium et a parte post sit tempus reale, vel etiam quin dicatur mundus factus esse in ultimo instanti temporis imaginarii, per actionem temporis possibilis, et simul cum tempore reali (*De pot.* q.3 a.14 ad 6) 1.

1 Cf. OTTEN, n.56.

Sic tempus reale opponitur *aeternitati*, non solum *strictae* seu durationi entis quae est «interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio»² ac proinde carens initio, fine, omni successione; sed et *latae* seu durationi entis existentis, vel *formali* seu propriae entis se moventis (i.e. entis materialis), vel *virtuali* seu propriae entis nec stricte se moventis nec quod totum simul existat i.e. spiritus finiti (ei enim est successio actuus), at quae careat vel initio (*aeternum a parte ante*) vel fine (*aeternum a parte post*) vel utroque (simpliciter *aeternum late*).

142. Ergo thesis asserit *negative* durationem mundi esse limitatam seu non aeternam a parte ante, et *positive* mundum habuisse initium sui temporis, quatenus in tempore imaginario posset assignari instans in quo nihil, praeter Deum, erat, vel etiam in tempore reali primum aliquid instans ante quod nihil erat creatum, ita ergo ut nunc aetas mundi sit certo instantium numero determinata.

143. **Adversarii.** *Pantheistae et materialistae* omnis temporis nequeunt logice thesim non negare³.

Multi philosophi gentiles, ducibus probabiliter PLATONE⁴, aliis tamen id negantibus⁵, et ARISTOTELE (I q.46 a.1), cuius systema hodie solet putari aeternitatem mundi necessario concludere⁶. Agitur apud eos philosophos de productione aeterna vel temporali mundi qua ordinati, etsi forte materiam ponant aeternam.

*Antiqui platonici*⁷; *neoplatonici*⁸.

Quidam arabes aristotelici, ut AVICENNA et maxime AVERROES, qui totum mundum (materiam, formam, motum, tempus) homini notum concipit ut aeternum⁹.

ECKART, tenens (quod dein retractavit) Deum ab aeterno mundum creasse, pariter ac ab aeterno Filium generavit¹⁰.

Logice debent negare thesim omnes dicentes creationem fuisse necessariam v.gr. GÜNTHER, ut videtur¹¹.

Multi philosophi hodierni, duce KANT¹².

2 BOETIUS, *De consolatione philosophiae* 5,6: ML 63,858.

3 Cf. SCHALCK, *l.c.*, 1855-1872; HABERT, *l.c.*, 282-298.

4 Sic TAYLOR, *Plato*, 442ss.

5 Sic BAUDRY, *o.c.*, 77-88,96s; DIES, 546,548,571. Cf. M.GIERENS, S.I., *Controversia de aeternitate mundi*: Text Doc, ser. phil. 6 (Romae 1933) 13-16.

6 Sic, ut videtur, BAUDRY, 108-183. Dissentit BOYER, 78. Cf. GIERENS, 16-26. De mente S.Thomae circa eam notionem aristotelicam, cf. F.M.SLADECZEK, *Die Auffassung des hl.Thomas in seiner Summa Theologica von der Lehre des Aristoteles über die Ewigkeit der Welt*: PhJahrb 35 (1922) 38-56. At ex ea opinione non necessario sequitur Aristotelem negare ipsam creationem: cf. JOLIVET, *l.c.*, 7-19.

7 Cf. BAUDRY, 214-217,226.

8 Cf. S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 10,31; 11,4,2: ML 41,311,319; ARNOU, *l.c.*, 2349s.

9 Cf. WORMS, *Die Lehre von der Anfangslosigkeit der Welt bei den mittelalterlichen arabischen Philosophen* (Münster 1900); A.CHOLLET, *Averroisme*: DTC 1,2634s; GIERENS, 40-47; L.H.KENDZIERSKI, *The Doctrine of Eternal Matter and Form*: ModSchool 3 (1954) 171-183.

10 Cf. F.VERNET, *Eckart*: DTC 4,2059s,2062-2065. Iuxta JOURNET (*o.c.*, 116 n.1) dicit Eckart Deum creasse ab aeterno, sed vult significare creationem ab aeterno Dei seu in Dei aeternitate, non ab aeterno mundi; cf. et SCHEFFCZYK, *o.c.*, 102-104; R. L. OECHSLIN, *Eckhart*: DSpir 4 (1960) 112s qui mentem eius ut omnino orthodoxam efferunt.

11 Cf. ORBAN, *o.c.*, 157-160.

12 E.KANT, *Kritik der reinen Vernunft*, ed. A.Görland (Berlin 1922) 306s.

Sertillanges de hac re agens id asserti statuit, quod difficile cum hac thesi cohaereat, nempe: quod ipse non auderet damnare scientificum dicentem quodlibet phaenomenum explicari per aliquid anterius sine interruptione¹³.

144. Doctrina Ecclesiae. *C.Remense* prov. (D 391): «Credimus... solum Deum aeternum esse, nec aliquas res sive relationes, sive proprietates... dicantur, et huiusmodi alia, adesse Deo, quae sint ab aeterno, quae non sint Deus». Ergo supponitur nihil esse ab aeterno praeter Deum.

C.Lateranense IV (D 428): «Deus, aeternus, immensus... qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem...» Ergo hic dum Deus praedicatur aeternus, dicitur mundus vel simpliciter habuisse initium vel habuisse initium cum suo tempore.

IOANNES XXII damnavit ut *haereticos* eos Eckardi errores (D 501-503): «... Quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit». «Concedi potest mundum fuisse ab aeterno». «Simul et semel, quando Deus fuit, quando Filium sibi coaeternum... Deum genuit, etiam mundum creavit».

C.Florentinum (D 706): «Qui (Deus) quando voluit..., universas condidit creaturas». His videtur thesis implicite affirmari, cum, posita creatione aeterna, non diceretur «quando voluit».

C.Vaticanum (D 1783) repetit verba *C.Lateranensis* nuper citata.

PIUS X (D 2123): Sensus litteralis historicus trium priorum capitum Geneseos nequit vocari in dubium, «ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt..., rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis...» (cf. D 3029).

PIUS XII haec etiam nuper reprehendit: «Negatur mundum initium habuisse, atque contenditur creationem mundi necessariam esse..., quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur»¹⁴ (D 3017).

145. Immerito vero Sertillanges contra communem theologorum sensum dubitat de definitione etiam illius adiuncti «ab initio temporis» in *Lateranensi* et *Vaticano*; nam et ponitur in recto per modum unius cum ipso creationis facto et est magni momenti definitio eius, cum documentum velit evertere dualismum Albigensium, ad quod radicalius obtinendum vehementer confert etiam definitio temporalis initii mundi; unde fere SS.Patres, ut inferius patebit, efferunt creationem mundi temporalem, ut materiam ingenitam impugnent.

Vaticanum vero referens *Lateranensis* definitionem incipit praecise a verbis «initio temporis», et quidem post verba «liberrimo consilio», non vero —id quod esset multo simplicius, si illud adiunctum non definiendum erat— a verbis «utramque de nihilo condidit creaturam». Imo ex ipsis actis Concilii videtur etiam constare de definitione creationis ut temporalis¹⁵.

146. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 428 501-503 1783).

147. Probatur ex sacra Scriptura. Ea sic emphatice vel supponit vel asserte dicit mundum esse in tempore factum, ut eius verba nequeant sensu obvio de mera prioritate naturae, sed temporis, sumi.

a) Mundus factus est in tempore. Gen 1,1: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Locutio «in principio» iuxta sensum biblicum indicat vel dignitatem vel ordinem vel causam vel tempus; at in hoc contextu non indicat dignitatem, ut patet, vel ordinem, ut putavit Hummelauer improbabiliter, cum id vim inferat sensui obvio, quod caelum et terra sint extra seriem rerum quarum creatio singillatim a die primo describitur¹⁶, vel causam i.e. in Verbo, iuxta omnes interpretes, et quidem iure, cum non nisi per vim asserat Moysen hic Verbum cogitasse. Ergo certissime indicat tempus (cf. n.28).

Ceterum nostrae explicationi non obstat, sed eam potius confirmat, Io 1,1: *In principio erat Verbum.* His enim per vocem indeterminatam «erat» ostenditur aeternitas Verbi, quod dicitur existens prae initio mundi, dum hic dicitur initio temporis esse factus¹⁸; nisi forte dicatur potius principium hic sumi de origine aeternitatis conceptae ad modum temporis imaginarii¹⁹.

In narratione genesiaca centrum gravitatis est homo, cui manifeste destinatur totum opus creationis et ideo ut domino omnia submituntur (Gen 1,26-30), ita ut sola eius creatione totum opus dicatur bonum (1,31), imo consummatum censeatur (2,1). Ea vero implicant ideam temporalis initii mundi.

148. b) Sapientia inducitur ut existens ante mundum. Prov 8,22-29: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum,*

¹⁵ Cf. DE BLIC, *A propos de l'éternité du monde*: BullLittEcl 47 (1946) 163; SERTILLANGES, l.c. Cf. pro nostro asserto et *Commencement du monde*: AmCl 65 (1955) 95; MICHEL, *Création éternelle?*: ibid., 368-370; Id., *La création évolutive*: ibid. 68 (1958); CL 7,109-520, ¹⁶ In Gen. p.858. Optime de hac re MURILLO, *El Génesis...* p.1748. Item JUNKER, l.c. ¹⁷ S.AMBROSIIUS, *Hexaem.* 1,2,5; ML 14,124; S.BASILIIUS, *In hexaem. hom.1* n.58; MG 29,148.

¹⁸ Cf. LAGRANGE, *Évangile selon Saint Jean* (Paris 1927) 2; KNABENBAUER, *Evangelium secundum Joannem*² (Parisii 1925) 698.

¹⁹ Cf. BERAZA, n.141; VOSTÉ, l.c., p.34-36, sumit de aeternitate «principium», quod verbo «erat» eo sensu determinetur.

¹³ SERTILLANGES, *L'idée de création* 10.

¹⁴ Encycl. *Humani Generis*: AAS 42 (1950) 5708.

et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram... Cf. et Eccli 24,5s.

c) Deus est ab aeterno seu ante mundum. Ps 89,2: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus* 20.

149. d) Christus apud Patrem gloria et amore est ante mundum factum. Io 17,5.24: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud te... Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*

e) Electio divina christiani est ante mundum existens. Eph 1,4: *Elegit nos in ipso (Christo) ante constitutionem mundi, ut essemus sancti...*

150. **Probatur ex traditione.** Nostra thesis est evidens apud Patres, qui eam multiplici modo proponunt, ita ut multi putent creationem aeternam repugnare, ut patebit ex eorum ratione loquendi.

1) *Contra gnosticos et gentiles materiam infectam ponentes, dicunt solum Deum esse ingenitum, reliqua vero non esse Deo coaeva, sed ab ipso facta in tempore, ita ut pro iis fere convertantur haec duo: et non esse infectum, et esse creatum in tempore.*

S.THEOPHILUS ANTIOCH. (R 178s): «Plato et qui eum sequuntur, Deum quidem fatentur ingenitum..., et creatorem omnium esse; sed dein statuunt duo esse ingenita, Deum et materiam, eamque Deo coevam esse dicunt. Quod si Deus ingenitus et materia ingenita, non iam Deus creator est omnium secundum platonicos... Ac primo quidem (prophetae) summo consensu docuere Deum ex nihilo omnia creasse. Nihil enim Deo coevum, sed cum sibi ipse locus sit, nec ulla re egeat, ac saeculis antiquior sit, hominem facere voluit cui innotesceret... Habens igitur Deus suum ipsius Verbum... genuit illud... proferens ante omnia...»

S.CYRILLUS ALEX. (R 2135): «*In principio, ait (Moyses), creavit Deus caelum et terram.* Non igitur, sicut quidam, sinit intelligi materiam simul cum Deo sine principio, et aeternam et increatam esse...; sed per tempus et in principio quod ad ortum vocet, definit creaturam, tamquam ex nihilo adductam secundum Dei voluntatem ad esse id quod est». Cf. et TATIANUS (R 154), S.AMBROSIVS (R 1317).

ZACHARIAS MITYLENUS (R 2288): «Effectorem... mundi Deum pariter confitemur... Mundus igitur coaeternus cum sit Deo, vestro suffragio

²⁰ Liber psalmorum p.183: *Priusquam montes gignerentur et nasceretur terra et orbis, et ab aeterno in aeternum tu es, Deus.*

(i.e. platoniorum), ex Deo habere effectricem causam non potest. Atqui effectorem mundi Deum dicebamus... Non igitur coaeternus erit Deo mundus. Omne enim effectum effectore posterius est causa tempore».

151. 2) *Contra arianos statuunt Filium esse ab aeterno, cum non sit creatura, quae sane in tempore esse incipit; ita ut ipsi ariani dicerent Verbum, si aeternum ut Pater sit, non filium, sed fratrem Patris esse dicendum.*

S.ATHANASIVS (R 760s): «Si non fuit aliquando, inquit, cum non esset Filius, sed ipse aeternus est unaque cum Patre existit, ne dicatis iam eum filium, sed fratrem Patris... Atqui, inquit, semper etiam Deus fuit effector, nec efficiendi facultas illi postea accessit; num ergo quia opifex est, aeterna etiam sunt eius opera, nec de his dicere licet: Non erant antequam fierent? Ne... sileamus, audiant illi res factas aeternas esse non potuisse, etsi eas semper potuerit facere Deus. Illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent. Quae autem non erant antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est, possint existere? Hinc Deus rerum ipsarum commodo prospiciens tunc omnia fecit, cum vidit posse facta permanere... At vero Filius, cum non opus, sed naturae Patris sit profrius, semper idcirco est...»

S.CYRILLUS ALEX. (R 2076): «Si per ipsum (Filius) fecit saecula, certe non erit creatus qui existit ante saecula, siquidem nulla creatura ante saecula existit, sed in tempore creata est. Soli vero Filio convenit ab aeterno existere cum Patre».

152. 3) *Absolute asserunt aeternitatem esse propriam solius Dei.* TERULLIANUS (R 325): «Unici Dei status hanc regulam vindicat, non aliter unici nisi quia solius, non aliter solius nisi quia nihil cum illo. Sic et primus erit, quia omnia post illum: sic omnia post illum, quia omnia ab illo: sic ab illo, quia ex nihilo...»

S.HIPPOLYTUS (R 391 397): «Deus solus cum esset, nihilque sibi coevum haberet, voluit mundum efficere... Nihil erat praeter ipsum...» «Deus unus, primus et solus et omnium creator coevum habuit nihil, non chaos infinitum, non aquam immensam...; sed erat unus, solus pro se, qui, dum voluit, fecit omnia quae sunt, quae non erant antea...»

S.IRENAEUS (R 206): «Discant, quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habens solus est Deus...» (cf. et R 207).

153. 4) *Dicunt thesim ad fidem pertinere.* ORIGENES (R 447): «Est praeterea et illud in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus sit et a certo tempore coeperit... Quid tamen ante hunc mundum fuerit..., iam non pro ma-

nifesto multis innotuit. Non enim evidens de his in ecclesiastica praedicatione sermo profertur»²¹.

S.AUGUSTINUS (R 1564): «Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, eumque... creasse omnia quae sunt..., disciplina catholica credi iubet, ita ut creatura omnis... a Deo sit facta de nihilo... Quapropter creaturam universam neque coaeternam Deo, neque coaeternam fas est dicere aut credere»²². Cf. et S.FULGENTIIUM (R 2264).

154. Ratio theologica. Factum creationis in tempore sola revelatione certo constat²³. Ratio vero theologica, cognitio divina mundi creatione et divinis attributis, haec statuit:

a) Mundus non necessario creatur ab aeterno, cum sit contingens ac proinde non exigit semper esse et cum Deus omnino libere creet ac proinde tunc cum ipse vult (1 q.46 a.1). Ergo creatio mundi in tempore est *possibilis*.

b) Creatio in tempore est *conveniens*, quia per eam melius et clarius apparet: Deus ut personalis ac independens a mundo; omnia esse ab ipso (1 CG 13); ipsius potentia ac libertas (1 q.46 a.1 ad 6.9) et liberalitas creantis solum ad bonitatem communicandam (2 CG 35.38)²⁴.

155. Sola *ratio naturalis*, ope scientiarum physicarum, et maxime lege entropiae, demonstrat sat bene, etsi nondum definitive, creationem in tempore. Hinc enim, cum energia cuiuslibet physici processus mundi convertatur in calorem, aliquando energiae actuali succedet calor uniformis et consequenter cessatio cuiuslibet activitatis physicae. At si mundus ab aeterno fuisset, illi processus mundani, iamdiu cessassent. Illinc vero materia perfecte iners, maxime cum ab initio vires ei inessent v.gr. vis attractionis, careret fine digno providentia Dei ut ab aeterno existens²⁵.

156. Obiectiones. I. Actus Dei creantis est aeternus. Ergo et eius effectus est aeternus.

Dist. antec. Actus Dei creantis est aeternus entitative, *conc. antec.*; terminative, *subdist.*: ut ab aeterno connotans terminum ponendum, *conc.*; terminum ab aeterno positum, *nego*.

²¹ Hinc licet alia Origenis loca forte obscura recto sensu intelligere (v.gr. R 454, de quo tamen cf. POHLE-GUMMERSBACH, I 504), ut asserit H.CROUZEL, *Origène et la philosophie* (Aubier 1962). Aliter vero G.BARDY, *Origène*: DTC 11,1529.

²² Ceterum de ipsius doctrina, cf. DE BLIC, *Les arguments de saint Augustin contre l'éternité du monde*: MelScRel 2 (1945) 33-44; J.GUITTON, *Le temps et l'éternité chez Plotin et saint Augustin* (Paris 1931) p.568; GIERENS, 36-38.

²³ Pius XII, *Le prove della esistenza di Dio alla luce della scienza naturale moderna*: AAS 24 (1952) 41; C.VOLLERT, S.I., *Origin and age of the Universe appraised by science*: ThSt 18 (1957) 166-168. Cf. et L.A.FOLLEY, S.M., *Some aspects of the problem of creation*: Amer-EcllRev 138 (1958) 231-241; J.V.PEACH, *The Age of Universe*: HeythrJourn 3 (1962) 111-125.

²⁴ Cf. SUAREZ, 1,2,2.

²⁵ Cf. Pius XII, 368; J.DONAT, S.I., *Cosmologia* (Oeniponte 1936) n.449.451; G.STEIN, S.I., *L'Universo, donde?*: CivCatt (1949 III) 255-264; G.MICZAIKA, *Die Struktur des Weltalls*: Stimm 143 (1949) 304-309; ROMANA, Lc., 161-165; F.RUSCHKAMP, S.I., *D'où vient la vie?*: Ibid. 1908; R.MASI, *L'esigenza di Dio e la creazione alla luce della cosmogonia moderna*: Div 1 (1957) 252-290. Opiniones de lege entropiae late exponit et censet eam egere complemento philosophico ad divinam mundi creationem probandam R.PUIGREFAGUT, S.I., *La ciencia moderna y el problema de la creación*: Pens 37 (1954) 35-51.169-187; item contra A.Mitterer qui ea lege putat probari ipsam creationem, cf. M.M.HUDECZEK, O.P., *Particularia ex doctrina Alberti Mitterer*: Ang 35 (1958) 444s.

Cum Deus ab aeterno voluerit creare mundum, actus eius volitionis ab aeterno connotavit mundum ut creandum, non vero necessario ut ab aeterno creandum. Nec, posita actione, sequitur effectus nisi secundum exigentiam formae, quae sit principium actionis; ex aeterna ergo actione Dei agentis per intellectum ac voluntatem secundum praedefinitionem, non sequitur effectus nisi qualem Deus voluit (1 q.46 a.1 ad 9s; et 2 CG 35).

Ins. In creatione fieri est ab aeterno. Sed illud fieri est factum esse. Ergo creatio est ab aeterno.

Dist. mai. In creatione est ab aeterno fieri active sumptum, *conc. mai.*; passive sumptum, *nego mai.*

157. 2. Deus creat ob suam bonitatem. At haec ratio est aeterna. Ergo Deus ab aeterno creat.

Dist. mai. Deus creat ob suam bonitatem, sed libere, *conc. mai.*; secus, *nego mai.*

3. Deus ab aeterno est causa mundi perfecte sufficiens. At posita tali causa, effectus sequitur necessario. Ergo Deus necessario ab aeterno creat.

Dist. min. Posita causa perfecte sufficienti, necessario sequitur effectus, iuxta praedefinitionem voluntatis, *conc. min.*; secus, *nego min.*

Haec dicuntur directe de causa prima, quae ad extra agit libere, sed necessario solum consequenter ad voluntatis imperium.

4. Nulla assignari potest a nobis ratio cur Deus in hoc tempore et non in alio, antea et non postea crearet. Ergo putandus est creasse ab aeterno.

Dist. antec. Nulla causa a nobis assignari potest cur Deus crearet in hoc et non alio tempore reali, *conc. antec.*; cur non crearet ab aeterno, *subdist.*; nequit assignari a nobis, *conc.*; ab ipso Deo, *nego*.

Deus non durat nisi in aeternitate, quae est tota simul et in qua non est prius nec posterius, nisi aequivalenter, quatenus ens aeternum sine ulla successione potest cuilibet enti successivo coexistere (*De pot.* q.3 a.17 ad 20; 1 q.46 a.1 ad 6); mundus vero non creatur in tempore quod iam existat, sed in tempore reali; ergo inepte quaereretur *proprie* respectu sive Dei sive mundi, quando vel utrum antea an postea Deus crearet, cum eae voces tempus reale connotent (1 q.46 a.3 ad 3; *De pot.* q.3 a.14 ad 6)²⁶.

Tamen tempus reale concipi potest ut veniens post tempus imaginarium, ita ut liceat quadantenus assignare huius temporis momentum post quod, et non antea, mundus creatus sit, et quidem tali momento ob rationem ipsi creanti notam.

158. 5. Si Deus duratione mundo praeit, est hoc prior et hic posterior. Ergo ante mundum non aeternum fuisset tempus, quod repugnat.

Dist. antec. Si Deus duratione mundo praeit, est prior et hic posterior, seu datur prius et posterius in mundo formaliter, at respectu solius temporis imaginarii, *trans. antec.*; in Deo, *subdist.*: formaliter, *nego*; aequivalenter, *conc.* (1 q.46 a.1 ad 9; *De pot.* q.3 a.17 ad 20).

6. Mundus non aeternus esset in potentia ad esse. Sed *potentia ad esse* materia, quae nequit esse sine forma. Ergo mundus est aeternus.

Dist. mai. Mundus non aeternus esset in potentia ad esse logica, *conc. mai.*; reali, *subdist.*: activa, *conc. mai.*; passiva, *nego mai.*

Potentia logica seu obiectiva non est nisi non repugnancia alicuius entis ad existendum, quae sane potentia, ut patet, non est aliquid reale existens; potentia realis ac physica est vel activa (principium agendi) seu facultas efficiendi aliquid, vel passiva (principium patiendi) seu capacitas recipiendi formam²⁷.

²⁶ Cf. S.AUGUSTINUS, *Confess.* 11,13,15; 12,30,40; ML 32,815.825s; PINARD, 2180s.

²⁷ Cf. URRÁBURU, *Ontologia* n.207.

7. Motus supponit motum praecedentem. At creatio est motus. Ergo supponit motum praecedentem, ac proinde aeternum.

Dist. mai. Motus supponit causam moventem, *conc. mai.*; praecise motum praevium, *subdist.*: improprie dictum, *conc.*; proprie dictum, *iterum subdist.*: si est a causa secunda, *conc.*; si est a causa prima, *nego* 28.

159. Scholion 1. *Repugnat creatio mundi ab aeterno?* «In hac celebri disputatione, ait Báñez, innumerae gravissimorum Theologorum circumferuntur sententiae» 29. Ea in aevo medio acriter agitata est et adhuc agitur. Creationis temporalis *factum* non est sine momento theologico, cum, ex supra dictis, et dependentiam mundi a Deo et libertatem Dei creantis clarius ostendat 30. At eo statuto, quaestio de *possibilitate* creationis aeternae, et quidem *eo eadem rationem*, non est, secundum aliquem respectum, sine ullo momento theologico, maxime cum de ea et SS. Patres loquantur et certum aliquid tradant; ideo de ea nunc agitur.

Quaeritur ergo de mundi aeternitate a parte ante, non vero de ea quae sit, ut divina, tota simul, sed quae sit in duratione successiva, pro natura entis existentis; quo posito, mundus potuit esse semper? Vox «semper» sumitur hic *absolute* seu ut aequivalens durationi aeternae, non ergo *relative* seu ut connotans totam successionem temporis, eo sensu quo S. Augustinus dicit mundum semper fuisse, quatenus non existit nisi in tempore, sed semper in tempore 31. Nec agitur de origine mundi causali per Deum, de qua iam constat, sed de origine eius *temporali*.

Ergo «esse creatum» et «esse creatum in tempore» sine dubio distinguuntur formaliter, ita ut, quoad conceptum, negans mundum esse creatum in tempore, non necessario neget mundum esse creatum. At distinguuntur re, ita ut illa duo separari possint per creationem ab aeterno? De hoc agitur.

160. De qua tamen re Scriptura et Ecclesia nihil explicite vel implicite dixisse videntur. At Patres sic unanimiter vel saltem eorum plerique notioni creationis tempus adscribunt, ut asserant vel supponant mundum solum in tempore creati potuisse, ut patet etiam ex eorum testimoniis in this allatis 32.

Sic Zacharias Mityl. (R 2288) expresse asserit «effectum effectore posterior... causa et tempore» esse. S. Athanasius (R 761) etiam expresse effert omnipotentiam Dei semper potuisse res facere, sed «res factas aeternas esse non potuisse». Tertullianus ita Deo ut proprium tribuit esse sine initio: «Quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex praerogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, (sed) quia si et alii adscribitur, iam non erit proprium, sed commune cum eo cui et adscribitur... Deum autem unum esse oportet, quia quod summum est, Deus est; summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit; unicum autem esse non poterit, cui aliquid adaequabitur; adaequabitur autem Deo materia, cum aeterna censetur» 33.

161. S. Methodius: «Nonne vel ab aliquo vel Deo creatore postea factum (mundum) dicemus, cum prius non esset? Perspicuum est a Deo. Impossibile enim est, ut quod generationis initio circumscribitur, id aeterno esse coaeternum (interminato cointerminatum)? Impossibile... Quomodo

28 De obiectionibus contra creationem in tempore, cf. F.A. STENTRUP, S.I., *Das Dogma von der zeitlichen Welterschöpfung* (Innsbruck 1870) 10-25, 234-240.

29 In I q.46 a.2.

30 Cf. DE BLIC, *A propos de l'éternité du monde*: BullLitEcl 47 (1946) 164s.

31 De civ. Dei 12,15: ML 41,363-365.

32 Cf. PETAVIUS, *De Deo* l.3 c.6; PALMIERI, th.14 n.4; L. JANSSENS, *De Deo Creatore* p.101-108.

33 *Adver. Hermogenem* 4: ML 2,201 (cf. et R 322).

ergo putatis creaturam Creatori coaeternam... Creatore indigere? Coaeternum enim, cum nullum ortus sui initium habeat, necesse est ut sit etiam ingenitum et eiusdem potentiae» 34.

S. Augustinus (R 1757) et alia et haec habet cum possibilitate creationis aeternae parum cohaerentia: «Quae saecula praeterierunt antequam genus institueretur humanum, me fateor ignorare; non tamen dubito nihil omnino creaturae creatori esse coaeternum» 35. Nec forte solida ratione diceretur ipse illam possibilitatem admisisse, ex eo v.g. quod ea verba proferat contra neoplatonicos, qui «non... eum (mundum) volunt temporis habere, sed suae creationis initium, ut modo quodam *vix intelligibili* semper sit factus» 36, haec enim potius mentem illi possibilitati admittendae repugnantiam ostendunt.

162. Quare ex Patrum verbis videretur esse *saltem certum* mundum potuisse solum in tempore creati 37. At ratione errorum quos Patres impelebant, iure dici possunt illi solum voluisse directe docere *factum* creationis in tempore contra errorem creationis aeternae, vel excludere dualismum ponentem materiam ingenitam ac Deo coevam, vel statuere divinitatem Filii utpote aeterni, ad quae tuenda arguerent ex repugnantia creationis aeternae, ita ut illas veritates ut testes traditionis, hanc vero arguendi rationem solum ut doctores privati instituerent 38. Ideo adhuc stat quaestio.

163. Immo, etsi quaestio ponatur occasione creationis huius mundi, per se potest poni et fere sic ponitur modo absoluto: repugnat aliquid creati ab aeterno an non? Et potius, saltem partim, hoc modo proponitur.

Affirmative responderunt plurimi, ut S. Bonaventura 39, S. Albertus M., Alexander Halen., Richardus a Mediavilla, Henrichus Gandavensis, Raimundus Lullius, Valencia, Toledo, Petavius, Palmieri, Pignataro, Huarte 40.

Negative respondent plurimi, ut S. Thomas 41, communiter Thomistae (v.g. ex hodiernis Daffara, Boyer et quam acerrime Sertillanges) 42, Suárez, Vázquez, Minges, Urráburu 43. Ex quibus, duce Durando, plures (Suárez,

34 Apud PHOTIUM, *Bibliotheca*, cod.235: MG 103,1144s.

35 Cf. JANSSENS, 194-197.

36 De civ. Dei 11,4,2: ML 41,319. Cf. tamen BOYER, 80s.

37 Cf. M.J. SCHEEBEN, *Handbuch der katholischen Dogmatik* 2 (Freiburg im Br. 1878) § 129 n.29.

38 Quo sensu dicta Patrum sumunt v.g. BERAZA, n.133; HUARTE, n.110; PIGNATARO, 62s; PINARD, 2174s. Cf. tamen VALENCIA, In I d.3 q.3 punct.2 fine; PETAVIUS, l.c., n.1; PALMIERI, l.c.

39 In 2 d.1 a.1 q.2 (cf. GIERENS, 56-65): de quo agit A. MONDREGANES, *De impossibilitate aeternae mundi creationis ad mentem S. Bonaventurae*: CollFranc 5 (1935) 529-570, qui ceterum exponit opiniones theologorum de ea re.

40 S. ALBERTUS M., In 2 d.1 a.10; ALEXANDER HALEN., *Summa* p.1 q.12 m.8; RICHARDUS A. MED., 2 d.1 q.3 a.4; HENRICHUS GANDAVENSIS, *Quodl.* 1 q.7; RAIMUNDUS LULLIUS: cf. J. TUSQUETS, *Posició de Ramon Lull en el problema de l'eternitat del món*: Crit 1 (1925) 95-114; VALENCIA, l.c.; TOLEDO, In 8 Phys. c.2 q.2; PETAVIUS, l.c.; PALMIERI, l.c., n.5; ID., *Cosmologia* th.31; PIGNATARO, p.62-64; HUARTE, n.111-115.

41 I q.46 a.2; In 2 d.1 q.1 a.5; 2 CG 38; De pot. q.3 a.13s; *Quodl.* 3 a.31; opusc. *De aeternitate mundi contra murmurantes*: cf. GIERENS, 66-73. De eius doctrina, cf. TH. ESSER, *Die Lehre des heiligen Thomas über die Möglichkeit einer anfangslosen Schöpfung* (Münster 1895); M. DE MUNYNYCK, O.P., *Le commencement du Monde*: DivThom (Fr) 4 (1926) 33-39; A. COLLEL, O.P., *El problema de la posibilidad de la creación ab aeterno*: Crit 3 (1927) 419-437; L.B. GILLOM, O.P., *Thomas d'Aquin*: DTC 15,663-671; J.F. ANDERSON, *Time and the Possibility of an Eternal World*: Thom 15 (1952) 136-161; A. ANTWEILER, *Die Anfangslosigkeit der Welt nach Thomas von Aquin und Kant* (Trier 1961).

42 DAFFARA, n.92-94; BOYER, 88e-88g; SERTILLANGES, o.c., 25-42, qui iam a pluribus annis de ea re scripserat v.g. *L'idée de Création dans saint Thomas d'Aquin*: RevScPhTh 1 (1907) 239-251.

43 SUÁREZ, *Disp. metaph.* 20 s.5; *De op. sex dier.* 1 c.2 (cf. GIERENS, 90-100); VÁZQUEZ, In I d.117 c.3-5 (cf. GIERENS, 87-90); P. MINGES, O.F.M., *Compendium theologiae dogmaticae specialis* 2 (Ratisbonae 1921) 1 n.268; URRÁBURU, *Cosmologia* (Vallisoletti 1892) n.82-84, qui plures auctores pro singulis opinionibus memorat. SCOTUS (In 2 d.1 q.3) videtur magis favere opinioni S. THOMAE, sed non constat.

Ioannes a S.Thoma, Urráburu, etc.)⁴⁴ distinguentes inter rem habentem esse fixum ac permanens, et rem esse successivum habentem, tenent creationem aeternam huius, non vero illius, ut impossibilem probari.

164. Pro prima opinione hae v. gr. sunt rationes: a) Infinitum successivum pertransire non licet; at in quolibet instanti durationis praecessissent infiniti motus creaturae; ergo in quolibet instanti prosecutio motus esse impossibilis, et ideo v. gr. non pervenissemus ad hunc diem. b) Haberetur infinitum actu; quod, si immerito forte negatur de entibus natura successivis, omnino valet de habentibus esse fixum, ita ut si ab aeterno crearetur homo qui multiplicari posset, nunc essent animae infinitae⁴⁵. At infinitum actu repugnat⁴⁶.

Pro altera opinione id valet, quod idea mundi ut possibilis, nec umquam ut impossibilis, est in Deo aeterna; ergo conceptus mundi aeterni non apparet ut contradictorius; aliunde omnipotentia Dei facere potest omne quod est possibile. Nec probatur Deus non posse facere infinita actu. Mundus vero aeternus esset posterior Deo natura, etsi non duratione; esset vere contingens, quatenus potuisset esse vel non esse; esset durationis aeternae, sed successivae.

165. **Scholion 2.** *Post creationem initialem creatur aliquid in mundo?* Si excludantur animae humanae, quae quotidie creantur, responsum affirmativum nullibi apparet in fontibus, sed hi potius in ea hypothesi loquuntur, ut nihil novi iam proprie creetur, et operatio Dei in mundum mere sit administrationis huius ac eum conservans⁴⁷. De ea re audiantur Doctores:

S. Augustinus dicit de Gen 2,3 (*Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*): «Potest etiam intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc et ultra operari eorundem generum administrationem, quae tunc instituta sunt...»⁴⁸

S. Bonaventura: Est «duplex... perfectio universi: una et praecipua secundum esse permanens, alia est secundum ipsius esse decurrens. Prima attenditur in completa existentia principiorum, et completo numero specierum, quae quidem species naturam generis participant secundum rectam et ordinatam intentionem naturae. Secunda vero perfectio consistit in productione eorum, quae per tempora decurrunt, et sibi ipsis consequenter succedunt... Quoniam igitur secundum primam perfectionem Deus universum in sex diebus ad esse produxit, scilicet quantum ad completam existentiam principiorum, et quantum ad completum numerum specierum: ideo dicitur requievisse ab omni opere quod patrarat. Quia vero continue opera-

⁴⁴ DURANDUS, *In 2 d.1 q.28* (cf. GIERENS, 80-86); IOANNES A S.TH., *Natur. philos.* q.24 a.18.

⁴⁵ Cf. PALMIERI, I.C.; PIGNATARO, I.C.; L.ROY, S.I., *Note philosophique sur l'idée de commencement dans la création*: ScEcl 2 (1949) 220-225; STENTRUP, *Das Dogma...* 26-55; P.C.LANDUCCI, *Si può dimostrare filosoficamente la temporaneità e finitezza dimensionale dell'universo materiale?*: DivThom (Pi) 26 (1949) 340-344.

⁴⁶ De possibilitate infiniti actualis S.Thomas videtur numquam opinionem sat firmam habuisse: cf. SERTILLANGES, *L'idée de création* 35; ROY, 225; LANDUCCI, I.C. In controversia quam hic auctor excitavit, scripserunt contra eum auctorem ut qui non sat efficaciter suam thesim probavit, H.DEGL'INNOCENTI, O.P., *De infinito in quantitate*: ibid., 27 (1950) 234-240; R.MASI, *A proposito di un universo infinitamente esteso*: ibid., 370-374; M.CRENNNA, *Sulla finitezza dimensionale dell'universo*: ibid., 374-376; M.SIGNORELLI, A.TEDESCHI, *Si può dimostrare la finitezza dell'Universo?*: ibid., 376s.379s. Pro ipso, eum complens, M.VIGANO, S.I., *Ancora sulla finitezza dell'Universo*: ibid., 28 (1951) 51-59. Tandem difficultates ei obiectas solvens, scripsit LANDUCCI, *L'infinitate dimensionale e temporale dell'Universo è veramente assurda*: ibid., 60-79.

⁴⁷ Cf. DAFFARA, n.95.

⁴⁸ De Gen. ad litt. 4,12,22: ML 34,304.

tur ad rerum successionem per propagationem et individuorum multiplicationem: ideo dicitur operari usque modo»⁴⁹.

166. S.Thomas: «Septima die Deus aliquid operatus est, non novam creaturam condendo, sed creaturam administrando... Deus autem poterat plures creaturas facere praeter illas, quas fecerat sex diebus. Unde hoc ipso, quod cessavit novas creaturas condere in septima die, dicitur opus suum consummasse». «Nihil postmodum a Deo factum est totaliter novum, quin aliquid in operibus sex dierum praecesserit. Quaedam enim praexistenterunt materialiter; sicut quod Deus de costa Adae formavit mulierem. Quaedam vero praexistenterunt... etiam causaliter; sicut individua quae nunc generantur, praecesserunt in primis individuis suarum specierum...» (1 q.73 a.1 ad 2s). «Deus usque modo operatur, conservando et administrando creaturam conditam, non autem novam creaturam condendo» (a.2 ad 1; cf. q.45 a.8).

Suárez: «Deus ita perfecit universum intra sex dies, ut in septimo nullum opus ad complementum illius effecerit. Hoc censeo verum ex communi sententia Patrum, et consensu Ecclesiae in Scriptura fundato: nam in ea saepe dicitur Deum sex diebus fecisse omnia, quae in mundo sunt, et septimo die ab operibus vacasse... Ergo non complevit illud (opus suum), aliquid ei addendo, sed ab omni opere quiescendo. Denique nullum opus designari potest, quod Deus ut auctor naturae in hoc die fecerit... Illa novitas operum (i.e. Incarnatio, eius effectus, alia facienda in fine mundi ad statum gloriae pertinentia) non repugnat cum requie diei septimi, quae in sola cessatione a novis rebus naturalibus condendis, quae in causis universi virtute non contineantur, et per illas fiant consistit»⁵⁰.

N.B. Hodierni quidam scientifici (H.Bondi, T.Gold, F.Hoyle, P.A.M. Dirac, etc.) dicunt dari in mundo continuam materiae creationem ex nihilo sub forma vel atomorum hydrogeni vel energiae electricae. At scientifici non loquuntur technice de creatione ut de productione ex nihilo, sed de effectatione quae supponat subiectum; secus aliquid assererent quod includeret seriem miraculorum perpetuam et careret fundamento experimentaliter investigabili⁵¹.

⁴⁹ *In 2 d.15 q.3.*

⁵⁰ *De op. sex dier.* 2,11 n.2.6.

⁵¹ Cf. PUIGREFAGUT, I.C., 78-81; A.MAROS DELL'ORO, *I fisici parlano di creazione*: Soph 21 (1953) II 3-8; L.CRISTIANI, *Terres habitées dans le ciel*: AmCl 65 (1955) 70; L.A.FOLEY, *Some aspects of the problem of creation*: ThSt 138 (1958) 231-241.

CAPUT II

De causa finali creationis

Thesis 6. *Finis ultimus Dei creantis mundum est bonitas divina ut communicanda et glorificanda; finis ultimus operis seu mundi est bonitas divina ut participanda et glorificanda.*

S.TH., 1 q.44 a.4; q.65 a.2; 3 CG 178; 2 d.I q.2 a.2; S.BONAVENTURA, *In 2 d. p.2 a.2 q.1*, L.LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* 1.14; SUÁREZ, *Disp. metaph.* 23,9; LERCHER, 2³ n.459-469; J.M.DALMAU, S.I., *La bondad divina y la gloria de Dios, fin de la creación. «Finis operis» et «finis operantis»*: EstEcl 20 (1946) 509-533; Z.ALSZEGHY, M.FLICK, S.I., *Gloria Dei*: Greg 36 (1955) 361-390; *Id.*, o.c., 150-176.

167. Nexus. Ex probatis, Deus est causa mundi *efficiens et exemplaris*; ulterius quaeritur propter quem *finem* mundum creaverit. Hoc problema moraliter inspectum est de sensu existentiae universi; metaphysice sumptum est de relatione inter Infinitum et finitum: si Infinitus nulla re eget, quid quaerit in creatione? Theologia catholica ita illud solvit, ut dignitas Dei, posita creatione, clarius splendeat, creatura vero ut excelsae destinationi assignata ostendatur.

In qua re nitide distinguenda sunt et asserta fontium revelationis, et speculatio theologica, quae illa interpretatur et omnia eorum elementa harmonice componenda curat, cum simul statui debeat, quin ulla imperfectio Deo adscribatur, et cur Deus mundum creaverit, et quo ultimatim mundus tendat. Doctrinam ergo fontium explicamus et rei synthesim proponimus, quam saltem quoad substantiam S.THOMAS¹, SUÁREZ², alii, docuerunt; ita ut primo de fine creationis *ultimo*, dein de *proximo* dicamus.

168. Notiones. FINIS est bonum propter quod aliquid fit.

Ad plenam finis rationem tria elementa necessario pertinent, quorum singula etiam fines dicuntur, cum per modum unius *propter se* intendantur (1.2 q.11 a.3 ad 3), licet alius alii ordinetur: a) *Finis qui* (obiectivus) seu bonum intentum: aut *obtinendum*, seu quod non habetur (finis *adipiscendus*); aut *diffundendum* seu quod ab agente iam habitum intenditur aliis dare (finis *diffundendus* seu *communicandus*). Horum

¹ Cf. STUFLE, *Die Lehre des hl. Thomas von Aquin über den Endzweck des Schöpfers und der Schöpfung*: ZkathTh 41 (1917) 657-700; DALMAU, l.c.; PH.J.DONNELLY, S.I., *Saint Thomas and the ultimate Purpose of Creation*: ThSt 2 (1941) 53-83; S.SCHIFFINI, S.I., *Disputationes metaphysicae specialis*² (Augustae Taurin. 1888) n.529-534; H.NOLDIN-A.SMITT, S.I., *De principiis*²⁷ (Barcelona 1945) 13-15; G.PADOIN, *Il fine della creazione nel pensiero di S. Tommaso* (Roma 1959).

² *De gratia* 8,1; *Disp. metaph.* d.24; cf. et *De fine hominis* 1,6; DALMAU, l.c.; LERCHER, l.c.

prior ex eius desiderio, alter ex eius amore intenditur (2 d.I q.2 a.1). b) *Finis quo* (formalis) est actualis assecutio *finis qui*. c) *Finis cui* est subiectum *cui* intenditur *finis qui*, vel quia ei tota utilitas ordinatur (sic in fine adipiscendo) vel quia ei in laudem ut fonti boni hoc tribuitur (sic in fine communicando)³.

169. Finis qui: a) *Stricte dictus*, est vera causa finalis seu *causaliter* influit et in actum voluntatis et in huius actus imperatos ac sic in media adhibenda, et in effectum, qui proin ab illo realiter et distinguitur et pendet. b) *Late dictus* (ratio finalis), quin influat in actum voluntatis, est ratio cohonestans huius volitionem, et sic causaliter in effectum influens.

In una eademque actione *finis* dicitur: a) *Proximus*, seu immediate intentus, et alii ordinatus. b) *Ultimus relative*, seu is ad quem alii proximiores ordinantur sed ad alium ordinatus. c) *Ultimus absolute*, seu in aliqua serie praecipuus, nec ultra quem sit alius. Habet rationem finis *primarii*, seu propter se intenti et ad quem alii ordinantur, ac dependenter ab eo intenduntur. Ergo in aliqua serie est *unicus*. De eo nunc agitur.

Finis: a) *Operantis*, est bonum quod agenti est ratio agendi. b) *Operis*, est bonum ad quod ordinatur opus ab agente, si est *extrinsecus*, vel natura sua, si est *intrinsecus*⁴.

Si agitur de prima causa aliquam rem ad extra agente putandum est saltem finem ultimum et operantis et operis identificari (1 q.44 a.4; 3 CG 18,4; *In 2 d.a q.2 a.1*).

170. FINIS DEI CREANTIS. *Finis qui stricte dictus* nequit dari in Deo, sed datur *finis qui late dictus*, seu ratio decens volendi creationem, et quae respectu mundi sit causa finalis (1 q.19 a.5; 2 d.I q.2 a.2 ad 3)⁵; at ille est necessario aliquod bonum, non vero Deo *externum*, a quo ipse pendeat, sed *internum*, primo et per se a Deo intentum et cuius ratione bona externa ab Ipso intendantur.

Respicitur hic FINIS ULTIMUS: a) *Qui*, non ut *adipiscendus*, qui Deo repugnat, sed ut *communicandus*. b) *Quo*, seu obtentio *finis qui*, quatenus id fieri potest. c) *Cui*, seu Deus, non ut *subiectum cui* utilitatis, sed quatenus ipse solus est ratio intendendi aliquid et *cui* proin quasi adquiretur *finis qui* per *finem quo*.

³ De mutua horum finium connexionem, cf. SUÁREZ, *Disp. metaph.* 23,2,12.

⁴ De notione finis, cf. URRÁBURU, *Ontologia* n.416-419.

⁵ Cf. S.AUGUSTINUS, *De Gen. cont. Manich.* 1,2,4: ML 34,175; SUÁREZ, 23,9,7; H.LA-MIROV, *De voluntate Dei rationabili*: CollatBrug 24 (1924) 284-287.

171. *MUNDUS* sumitur prout de facto existit, sed *naturaliter*, cum de ordine gratiae alibi agatur (etsi ad complendam rem aliqua de eo inferius dicantur).

172. BONITAS DIVINA est, non mere attributum bonitatis inclinantis Deum ad bonum, sed ipsa perfectio ontologica Dei ut est obiectum amoris divini (1 q.6 a.1)⁶.

UT COMMUNICANDA i.e. bonitas, non ut acquirenda, sed quatenus aliis entibus dari potest per *similitudinem* (1 q.19 a.2) in perfectionibus et staticis et dynamicis etiam cognoscitivis ac appetitivis (2 d.1 q.2 a.2s; 1 CG 96,2).

UT GLORIFICANDA, seu quae, dum communicatur, manifestetur sive *obiective* in omni creaturae perfectione (*gloria obiectiva*), sive *formaliter* in laudibus creaturae rationalis (*gloria formalis*)⁷.

Cum gloria sit *clara cum laude notitia* (2.2 q.132 a.1)⁸ alicuius personae, cuius excellentia cognoscatur et aestimative approbetur, illa gloria nuper descripta sive obiectiva sive formalis dicitur gloria Dei *extrinseca*; dum *intrinseca* est: sive *obiectiva* (fundamentalis et sic materialis) seu perfectio Dei in se ipsa, sive *formalis* seu cognitio Dei aestimativa propriae excellentiae. Hic agitur directe de gloria *extrinseca*.

173. FINIS OPERIS SEU MUNDI: respicitur etiam *ultimus* et quidem sive *qui* sive *quo* sive *cui*.

BONITAS DIVINA seu, ut nuper, ipsa increata perfectio Dei.

UT PARTICIPANDA seu quatenus accipi potest a creatura per similitudinem in perfectionibus sive staticis sive dynamicis.

UT GLORIFICANDA, seu prout, dum participatur, manifestatur sive *obiective* sive *formaliter*.

174. Ergo ipsa bonitas *increata* ut communicanda et glorificanda est Dei creantis *finis qui*. Hic vero solum per bonitatem divinam *communicatam* et *glorificatam* potest quasi obtineri; quae *actualis* et *communicatio* et *extrinseca glorificatio* est aliquid *creatum*, ergo Deo *extrinsecum*, et ideo nequit esse Dei creantis *finis qui* seu cuius sibi acquirendi desiderio Deus ad creandum moveatur (*De pot.* q.3 a.15 ad 14), sed est *finis quo*, seu quasi adeptio *finis qui*, quam ergo Deus vere intendit⁹. Illa communicatione et glorificatione bonitatis divinae quasi

⁶ Cf. STUFLE, 661 not.3.

⁷ S.Thomas, agens de creationis fine, effert maxime bonitatem Dei ut communicandam; at etiam memorat gloriam Dei: cf. DALMAU, 524-526.

⁸ Cf. S.AUGUSTINUS, *Cont. Maxim.* art.2,13,2: ML 42,770; *In Io* 105,3: ML 35,1905.

⁹ Cf. SUÁREZ, *De grat.*, l.c., n.118.

satisfit voluntati Dei, qui proin est *finis cui*, non vero *ullius* utilitatis subiectum, quod est sola creatura (2 d.1 q.2 a.1).

Pariter ipsa bonitas *increata* ut participanda et ut glorificanda per similitudinem, est ultimus *finis qui* omnis creaturae¹⁰. Hic finis quasi obtinetur per bonitatem Dei participatam et glorificatam, quae actualis et participatio et glorificatio est *finis quo* seu quasi adeptio *finis qui*. Deus solus est *finis cui*, sed sola creatura est subiectum utilitatis.

Ergo omnis creatura necessario vel libere tendit directe ac semper in ipsum summum bonum per assimilationem (*De ver.* q.22 a.2)¹¹, nec solum decreto Dei extrinseco, sed amore innato seu ex ipsa natura entis ab alio, quod solum in alio (Deo) habet suum bonum completum; ita ut illo amore innato magis Deum diligat quam se ipsam (1 q.60 a.5; 2.2 q.26 a.3)¹².

175. Ex hac expositione, creationis finis operantis et finis operis non differunt quoad rem, sed solum secundum diversos respectus (v.gr. illinc est communicatio, hinc participatio)¹³, ita ut thesis nostra simpliciter enuntiari possit: *finis ultimus creationis est bonitas Dei communicanda et glorificanda*.

Quo posito, apparet mundus ut in quamdam finalitatis unitatem reductus et per splendendam circulationem procedens a Deo ac in ipsum rediens (1 d.14 q.2 a.2). Deus, ob amorem suae bonitatis, seu ob gloriam suam intrinsecam, vult alia entia in illam bonitatem ac gloriam adducere, diffundit bonum quod est suae bonitatis manifestatio; res illud accipientes cupiunt ipsum eius fontem adire seipsas perficientes ac magis magisque similitudinem summi boni in seipsis augentes, quo perfectius bonitatem Dei ostendant et sic participant, quoad id fieri possit, ipsam gloriam intrinsecam obiectivam Dei.

Entia vero rationalia ulterius procedunt, dum, illam bonitatem a Deo diffusam et in aliis rebus et in seipsis cognoscentes, ascendunt ad cognoscendum et amandum et laudandum ipsum eius fontem, sic participant, quoad id fieri potest, ipsam vitam qua Deus se cognoscit ac amat et sic ipsam gloriam intrinsecam Dei formalem. Ita creatio dici potest esse in eo quod Deus se aliis entibus extra se donet, ut omnia trahat ad se ipsum.

176. Haec expositio quiescit in distinctione finis *adipiscendi* et finis *diffundendi*; ipsa bonitas increata Dei dicitur *finis qui*, et reliqua logice fluunt. At qui finem respiciunt mere ut adipiscendum, non vocant *finem qui* ipsam *increatam* bonitatem, sed *gloriam Dei extrinsecam*, quam dicunt esse finem ultimum creationis ex parte Dei ac mundi et proin quam Deus

¹⁰ 1 d.45 q.1 a.2 ad 4; *De ver.* q.23 a.4; *De pot.* q.5 a.4; 3 CG 99,6.

¹¹ Cf. E.A.PAGE, *Assimilari Deo*: *NewSchol* 2 (1928) 342-356; J.H.WRIGHT, S.I., *The order of the Universe in the Theology of St.Thomas Aquinas* (Romae 1957) 46-72.

¹² Cf. SUÁREZ, *De caritate* 1,5; DALMAU, 5218.

¹³ Huic assero, quod vidimus a S.Thoma saepius statui, non putandus est repugnare ille locus, qui aliter recte explicari possit: «Deus fecit creaturam propter bonitatem suam, considerando finem operantis, et propter utilitatem creaturae, considerando finem operis (2 d.1 q.2 a.1). Cf. STUFLE, 698; DALMAU, 514. Nec putamus a nostra expositione differre substantialiter eam quam erudite proponunt ALSZEGHY-FLICK, L.c., 363-371, cum nostra maxime respiciat bonitatem Dei communicandam ut id ex quo omnia logice fluant, et proin cum in ea quoad rem convenienter notio communicationis ac notio sive manifestationis sive glorificationis et obiectivae seu per participationem bonitatis divinae in omni creatura et formalis seu per exercitium creatae vitae divinae in actibus cultus. Sic fere et P.DE HAES, *Deus omnia creavit ad gloriam suam*: *CollMechl* 43 (1958) 139-142.

ut bonum suum externum omnium praestantissimum in creando quaerat, ita tamen ut Deus hunc ob suam bonitatem communicandam condiderit, et quin illa gloria sit Deo bonum extrinsecum strictum seu ipsum aliquomodo perficiens¹⁴.

Quae opinio sic exposita et cum supponat illud bonum externum intendi ultimo propter Deum, nihil falsi habet, sed aliquam occasionem praebet putandi, gloriam extrinsecam esse bonum ab extra Deo accedens et ipsum aliquomodo, etsi extrinsece, perficiens, cum apud homines extrinseca illa bona non censerentur vera bona, nisi essent utilia etiam ad intrinseca; ideo «melius dicitur, ait Suárez, tale bonum respectu Dei esse bonum quoddam honestum et decens Dei maiestatem»¹⁵, non ergo bonum strictum.

177. Cum vero asserta substantialia huius nostrae explicationis ab omnibus catholicis, ut putamus, admittantur, ad iustificationem nostrae opinionis de modo loquendi et illam synthesim instituendi sufficienter ea quae dicta sunt, ut in probatione theos ea maxime respiciantur asserta omnibus admittenda: 1) Deum uno vel alio modo esse finem mundi, seu bonitatem eius esse creationis rationem *propter quam*; 2) ipsum vero non creasse mundum ad bonitatem suam acquirendam vel augendam, sed ad eam similitudine communicandam ac glorificandam; 3) mundum esse factum ad eam bonitatem glorificandam; 4) eum finem sive operantis sive operis esse finem ultimum.

178. Adversarii. Ex eo solent thesi obstare, quod in Deo creante finis gloriae suae esset egoisticus.

E.VON HARTMANN: In hypotesi theismi Deus ex vanitate crearet, desiderans publicum ipsi plaudens¹⁶.

KANT, BAYLE: Solus homo est finis creationis¹⁷.

GÜNTHER: Finis primarius creationis est creatura a Deo ex puro amore beatificanda; sic et sanctitas Dei salvatur et gloria Dei obtinetur, quatenus finis primarius a creatura in sua puritate ac sanctitate necessario agnoscatur. Ergo in hac opinione gloria Dei potius quam finis secundarius videtur esse primarii sequela¹⁸; nec secus intelligeretur eius opinionis damnatio inferius memoranda.

HERMES: Si Deus quaereret gloriam suam ut ultimum finem, esset ambitiosus; ultimus ergo finis mundi est beatificatio hominis; cognita vero creatione, homini inest officium glorificandi Deum. Ergo etiam in hac opinione gloria Dei potius quam

¹⁴ Sic LESSIUS, l.c. c.1.3. De hac eius doctrina circa creationis finem, cf. U.THIESEN, S.I., *O fim da criação nos escritos de Leonardo Lessio*, S.I. (Porto Alegre 1950). Lessium multi secuti sunt, quos memorant partim STUFLE, 697, et agens etiam de aliis auctoribus THIESEN, 78-88.

¹⁵ *De grat.*, l.c., n.13. Cf. A.VANDENBERGHE, *De fine creationis*: CollatBrug 36 (1936) 476-481.

¹⁶ *Phänomenologie des sittlichen Bewusstseins* (Berlin 1879) 781.

¹⁷ Cf. PINARD, 2136.

¹⁸ Cf. KLEUTGEN, l.c., 12 n.430-432; ORBÁN, l.c., 161-176; THIESEN, 42-45. Cf. CL 7,86.

finis secundarius videtur esse creationis sequela (nisi forte potius dicatur primarii medium)¹⁹; nec secus etiam eius opinionis damnatio mox memoranda intelligeretur.

179. Doctrina Ecclesiae. *C.Vaticanum* (D 1783): «Hic solus verus Deus bonitate sua... non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur..., utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem..., ac deinde humanam...»

Ex actis Concilii, in his agitur *de fine operantis*, et verba «ad manifestandam per bona quae creaturis impertitur» aequivalent formulae «ad manifestandam et communicandam»²⁰. His positis, definitio continet: Deum non creare ad beatitudinem (ergo et perfectionem) acquirendam; rationem Deo creanti bonitate moto esse perfectionem suam manifestandam et communicandam, ita ut manifestatio fiat praecise per communicationem; implicite dicitur illa manifestatio non intendi ut mere obiectiva, sed ut formalis, cum verbum «manifestare» id per se significet (manifestare alicui et quidem ut connaturalis effectus agnitionis, admirationis, etc., obtineatur) et cum de facto creentur etiam entia rationalia, a quibus proin gloriam formalem obtinendam Deus creans nequeat non intendere.

«Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit: A.S.» (D 1805).

Ex actis Concilii, in his agitur *de fine operis*, et gloria sumitur, non mere *obiective*, sed et *formaliter*, quod ceterum per se patet ex ipsa voce «gloria», qualis apud homines sumitur; at non definitur eum finem esse primarium et ultimum, etsi id in Concilio ut omnino certum haberetur²¹.

180. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita*, quoad ea quae diximus documentis praecedentibus contineri explicite vel implicite (D 1783 1805).

Theologice certa, quoad id quod ille finis sit ultimus. De fide enim statuitur Deum esse finem creationis; at Deus ut finis nequit alii fini subiacere; ergo. Imo, posset dici *de fide divina et catholica*, quatenus alia nequit esse mens Scripturae, prout ea de hac re sumitur praedicatione ordinaria.

¹⁹ Cf. KLEUTGEN, n.427-429; THIESEN, 50-56; A.TANQUERAY, *Hermes*: DTC 4,2297, SCHEFFCZYK, o.c., 140. Cf. CL 7,450 n.3.

²⁰ CL 7,86.110.

²¹ CL 7,86.116s. Cf. *Primum schema de doctrina catholica* c.13 et annot.28 n.3: CL 7,514.54c. De C.Vaticani doctrina circa finem creationis, cf. ORBÁN, 174-186; THIESEN, 45-50.67-70; DONNELLY, *The Vatican Council and the End of Creation*: ThSt 4 (1943) 3-33.

181. **Probatur ex sacra Scriptura.** Haec ea docet, ex quibus sat pateat mundum factum esse propter Deum ut finem, non ex indigentia sed ex bonitate Dei, qui voluerit suam perfectionem manifestare in gloriam suam sive obiectivam sive etiam per creaturas racionales formalem. His positus, facile patet Deum esse finem ultimum, qui nequeat alii subiacere.

a) Deus est finis mundi. Apoc 22,13: *Ego sum alpha et omega... principium et finis, dicit Dominus Deus...* (cf. 1,8; 21,6). Rom 11,36: *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso (seu in ipsum εἰς αὐτόν) sunt omnia: ipsi gloria in saecula* (cf. Col 1,16). Hebr 2, 10: *Decebat enim eum, propter quem (δὲ δὲν) omnia et per quem omnia... 1 Cor 15,28: Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

Sic de homine. 1 Cor 8,6: *Unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum (εἰς αὐτόν) 22.*

b) Non vero creavit ut aliqua re indigens, nam in genere dicuntur creaturae Deo utiles non esse. Iob 22,3: *Quid prodest Deo, si iustus fueris? Aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Is 15,2: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Is 1,11: *Quo mihi multitudinem victimarumstrarum, dicit Dominus. Plenus sum.* Lc 17,10: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* Act 17,24s: *Deus... caeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem et omnia.*

182. c) Sed creat potius quia vult dare. Nam rebus dat et conservat esse, non ut indigens, sed quia vult, et ex earum amore. Act 17,24s (ut nuper). Sap 11,23-27: *Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani... Sed misereris omnium, quia omnia potes... Diligis enim omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odians aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?*

d) De facto creaturae ostendunt perfectionem Dei. Ps 18, 2: *Caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat*

²² F.M.SAGNARD, O.P., *A propos de 1 Cor. 8,6: EphThLov 26 (1950) 54-58.* Lucus Prov 16,4 (*Universa propter semetipsum operatus est Dominus*) qui solet pro hac re adduci, facile potest, punctatione masoretica mutata, sic verti, qui Deum ut ultimum omnium finem clarissime tradat; at cum ea acceptio alteri sticho (*impium quoque ad diem malum*) non congruat, aptius vertitur locus: omnia condidit Deus ad intentionem suam (ad finem seu scopum quem ipse voluit). Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Proverbia* (Parisiis 1910) 1148; KLEUTGEN, n.447-450.

firmamentum. Ps 88,6: *Confitebuntur caeli mirabilia tua, Domine 23.* Ps 103,24: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua 24.*

183. e) Hinc omnes res sive racionales sive irracionales iubentur laudare Deum et ipsi benedicere. Ps 102,20-22: *Benedicite Domino, omnes angeli eius... Benedicite Domino, omnes virtutes eius... Benedicite Domino, omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.* Ps 148: *Laudate Dominum de caelis... Laudate eum, omnes angeli eius... Laudate eum sol et luna... Ps 150: Laudate Dominum in sanctis eius; laudate eum in firmamento virtutis eius... (cf. Ps 103.135.149) 24*.*

Dan 3,57-87: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino; laudate et superexaltate eum in saecula. Benedicite, angeli Domini, Domino... Benedicite, caeli, Domino... Benedicite, aquae omnes quae super caelos sunt, Domino... Benedicat terra Dominum... Benedicite, montes et colles, Domino... Benedicite sacerdotes Domini, Domino... Benedicite, servi Domini, Domino...*

184. f) Res ita perfectiones Dei ostendunt, ut homines eas cognoscere queant et ex iis ad ipsum cognoscendum ac glorificandum ascendere debeant. Sap 13,1-9: *Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex, sed aut ignem aut spiritum..., deos putaverunt. Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui haec fecit fortior est illis; a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri...*

Eccli 17,7s: *Posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum; ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrant operum eius.* Rom 1,18-21: *Revelatur enim ira Dei... super omnem impietatem... hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles,*

²³ «Caeli mirabilia tua celebrant, Domine»: *Liber psalmodum* (Romae 1945) 177. In concreto de astris Deo servientibus (Gen 1,15s), ipsius gloriam canentibus, cf. A.DARRIENTORT, *Astres: VocThBibl* (1962) 67-70.

²⁴ «Quam multa sunt opera tua, Domine! Omnia cum sapientia fecisti»: *Ibid.*, 211.

^{24*} Ps 102,21: *Benedicite Domino, omnes exercitus eius... Benedicite Domino, omnia opera eius, in omnibus locis potestatis eius.* Ps 148: *Laudate Dominum in sanctuario eius; laudate eum in Augusto firmamento eius: Ibid.* 238.311. Cf. SCHEFFCZYK, o.c., 8s.

quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt...

185. g) Immo Deus hominem fecit in gloriam suam. Deut 26,18s: *Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris..., et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam.* Is 43,7: *Et omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum.*

h) Hinc ea una cura homini esse debet, ut amet Deum et ipsum glorificet. Deut 10,12s: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum... et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, et caeremonias eius, quas ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi?* 1 Cor 10, 31: *Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

i) Deus eam gloriam sibi soli vindicat. Is 48,9-11: *Propter nomen meum longe faciam furorem meum, et laude mea infrenabo eum, ne intareas... Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem; et gloriam meam alteri non dabo.*

186. **Probatur ex traditione.** SS. Patres pariter eos sensus expriment, qui supponant Deum fecisse mundum non ut indigentem aliqua re, sed ut bonitatem suam communicaret, ita ut creaturae perfectiones Dei ostendant, ex quibus ipsum homo laudet, qui solum in Deum factus sit.

a) *Deus fecit omnia propter nomen suum.* Didache (R 7): «Tu, Domine omnipotens, creasti omnia propter nomen tuum, et cibos potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant... Ante omnia gratias tibi agimus, quod potens es; gloria tibi in saecula».

b) In specie Deus, qui nulla re indiget, *creavit hominem propter se ipsum et ob perfectionem in suis operibus reluctantem.* ATHENAGORAS (R 168): «Deus autem nec frustra hominem fecit... nec ad proprium suum usum, nulla enim re indiget; qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se creaturarum hominem condidit... Liqueat Deum, si prima et latius patens consideretur ratio, propter se ipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem conderet...»

187. c) *Deus non creavit mundum in suum commodum, sed ob suam bonitatem.* S. AUGUSTINUS (R 1751): «In eo vero

quod dicitur: *Vidit Deus quia bonum est, satis significatur Deum... nulla suae cuiusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est.* «Satis est christianos rerum creandarum causam... nonnisi bonitatem credere creatoris»²⁵.

Ps. AREOPAGITA (R 2282): «Ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia convertit ad se; est divinus amor bonus boni propter bonum».

Id in specie dicitur *de rationali creatura.* ORIGENES (R 462): Deus «cum in principio crearet ea, quae creare voluit, id est, rationabiles creaturas, nullam habuit aliam creandi causam nisi se ipsum, id est bonitatem suam».

188. d) *Fecit vero Deus res ob suam bonitatem ut communicandam.* S. IOANNES DAMASCENUS (R 2349): «Quoniam igitur bonus omnique bonitate praestantior Deus non satis habuit sua ipsius contemplatione frui, sed pro nimia bonitate sua quaedam esse voluit, quae ipsius afficerentur beneficiis eiusque bonitatis participes forent: eam ob causam ex non esse ad esse producit... universa, tam invisibilia quam visibilia».

S. GREGORIUS NAZIANZENUS (R 1005): «Quoniam bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat (id enim summae bonitatis erat) primum angelicas et caelestes virtutes cogitavit».

189. e) *Mundus ostendit perfectionem Dei.* TERTULLIANUS (R 275): «Quod colimus, Deus unus est; qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suae...»

S. GREGORIUS NAZ. vocat mundum: «Magnum et admirabilem maiestatis suae (Dei) praeconem»²⁶.

f) *Mundus sua perfectione invitat ad Deum glorificandum, immo factus est ut perfectio Dei cognoscatur.* S. GREGORIUS NYSENUS: «Tu (homo) es vas a Deo fictum..., lauda effectorem tuum; nec enim aliam ob causam factus es, nisi ut ad Dei gloriam celebrandam esset instrumentum accommodatum. Ac divinae quidem gloriae celebrandae materiam tibi, tamquam liber scriptus, suggerit orbis hic universus. Tibi enim mente praedito ad veritatis cognitionem nuntiat ex se secretam et invisibilem magnificentiam Dei»²⁷.

²⁵ Enchir. 9: ML 40,235s. Cf. DE ROUX, l.c., 16-36.

²⁶ Orat. 44,3: MG 36,609.

²⁷ In verba: Eiaciamus hominem orat.2: MG 44,282.

S.THEOPHILUS ANTIOCH. (R 171): «Atque omnia Deus fecit, cum antea non essent, ut ex operibus cognoscatur et intelligatur eius maiestas».

190. g) *Sic homo factus est, ut sit qui omnium factorem agnoscat, colat, ipsi in aeternum serviat.* LACTANTIUS (R 643): «Nunc totam rationem brevi circumscriptione signemus. Ideo mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum; ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus..., ideo praemio immortalitatis afficimur, ut... summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus aeternum Deo regnum».

h) *Ita omnes res laudant Deum cum homo ob eas Deum laudat.* S.AUGUSTINUS: «Omnium pulchritudo quodam modo vox eorum est, confitentium Deum. Clamat caelum caelo: Tu me fecisti, non ego. Clamat terra: Tu me condidisti, non ego. Quomodo clamant ista? Quando considerantur et hoc invenitur, ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant... Cum vides haec et gaudes et attolleris in artificem et invisibilia eius per ea quae facta sunt, intellecta contueris, confessio eius in terra et in caelo»²⁸.

i) *In ea glorificatione Deus non proprium, sed laudatorum commodum quaerit.* S.HIERONYMUS: «Non quod Deus laude alius indigeat, sed quo laus Dei laudatoribus prosit, et dum per singula opera maiestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eum miraculo stuporis erumpant»²⁹.

191. **Ratio theologica.** Haec, suppositis et rationabili agendi modo Dei, et perfectione ipsius infinita ac ab omnibus independente, et facto creationis entium etiam rationalium, his assertis clauditur.

a) Deus, utpote agens rationabiliter, creat ob aliquem finem ultimum (*In 2 d.1 q.2 a.1; 1 q.44 a.4*). At motor voluntatis divinae nequit esse nisi Dei bonitas (*1 q.19 a.1 ad 3; 1 CG 87; 1 d.45 q.1 a.1 ad 3*), cum secus a re finita penderet in agendo. Ergo *finis Dei operantis* nequit esse nisi *divina bonitas* (*2 d.1 q.2 a.1*); non vero ut acquirenda vel augenda, cum secus Deus sibi non sufficeret ac proin non esset infinitae perfectionis, sed *ut communicanda*, quoad id fieri potest, seu per similitudinem, et cum communicare sit idem quoad rem ac manifestare, *ut manifestanda* et eo ipso *ut glorificanda* sive *obiective* sive *formaliter*, cum Deus nequeat non velle ut entia rationalia quibus

²⁸ In ps. 148 n.15: ML 37,1946.

²⁹ In Eph 1,14: ML 26,488.

ea manifestatur, eam, utpote summam, non glorificent (*1 q.19 a.2; q.44 a.4*).

b) Consequenter mundi *finis qui*, cum agatur de prima causa primum aliquod in ordine ad certum finem constituyente, nequit concipi esse nisi ille propter quem Deus mundum creat, seu *bonitas divina ut participanda* per similitudinem et sic *ut manifestanda* et consequenter *ut glorificanda* sive *obiective* sive etiam per entia rationalia *formaliter*.

c) Ille creationis finis est necessario *ultimus*, cum Deus ut finis nequeat alii fini subici.

192. **Obiectiones.** 1. Qui agit propter bonum ut finem, eget eo bono. At Deus nulla re eget. Ergo non creat propter finem.

Dist. mai. Eget bono agens ob illud adipiscendum, *conc. mai.*; ob illud communicandum, *nego mai.*

Hinc ulterius patet Deum propter se agentem non moveri egoismo. Huius enim est apud homines vel ut sibi avare reservet bona propria, quibus alii egent, vel ut bonum alienum sibi vindicet; at Deus bonum suum aliis dat, quin aliquid boni ea donatione sibi acquirat, dum nos semper ac aliquid damus, ditiores aliquo modo fimus, et ideo difficile concipimus ens unice ad communicandum dans, qualis est Deus «solus maxime liberalis» (*1 q.44 a.4 ad 1; 3 CG 18*)³⁰.

2. Volitio divina, utpote identificata cum esse divino, nequit pendere a fine. Ergo creans non agit propter finem.

Dist. antec. Volitio divina nequit pendere a fine ut causa finali, *conc. antec.*; ut ratione finali, *subdist.*: quae sit extra Deum, *conc.*; quae sit intra Deum, *nego.*

Volitio divina solum a bonitate divina pendet, et quidem improprie seu solum quatenus haec est ratio propter quam Deus aliquid velit, cum in Deo actu simplicissimo ac purissimo non sit locus ut unum ab alio *proprie* pendeat.

193. 3. Ratio bonitatis divinae, si quando Deum movet, necessario movet, cum ea quae sunt intra Deum sint necessaria. Ergo si Deus creat ob bonitatem divinam, necessario creat.

Dist. antec. Bonitas necessario Deum movet ad ea quae sunt intra Deum, *conc. antec.*; ad ea quae sunt ad extra, *nego antec.*

Deus, utpote infinitus, nequit creare nisi ad bonum suum communicandum, non ad id acquirendum; ergo, etsi ob illud bonum creet mundum, non necessario hunc creat.

4. Si Deus agit ob suam bonitatem communicandam, etiam concurrens ad opera mala creaturae dicendus est agere ad eam bonitatem communicandam. At id est absurdum. Ergo et illud.

Dist. mai. Deus agit ob suam bonitatem communicandam concurrens ad mala creaturae opera, quatenus haec sunt entia physica, *conc. mai.*; quatenus sunt moraliter mala, *subdist.*: ita ut ea opera mere permittat, *conc.*; ita ut ea intendat, *nego.*

Deus, cum libertatem creaturae servare velit, concurrat etiam ad eius opera mala, quin vero haec vel determinet vel intendat, sed mere permittat, et quidem ut ipsius bonitas manifestetur^{30*}.

³⁰ Cf. VAN HOVE, o.c., p.51; J.LONCKE, *Deus in creando nec egoismi nec ambitionis est arguendus*: CollatBrug 42 (1946) 460s; DE HAES, *Deus in creando nec egoismi nec ambitionis est arguendus*: CollMechl 43 (1958) 258-261.

^{30*} I.R.LOINAZ, S.I., *Praelectiones e theologia naturali* (Taurini 1929) n.560s. 1167-1184; BERAZA, n.221,3.

194. 5. Agens propter se, seu ob gloriam suam, est ambitiosus. At Deus, ex thesi, ita ageret. Ergo esset ambitiosus.

Dist. mai. Est ambitiosus agens ob gloriam suam inordinate, *conc. mai.*; ordinate, *nego mai.*

Quaerere gloriam suam iuxta dictamen rationis non est malum, sed solum si ea quaeritur non ob finem ultimum vel modo qui in finem ultimum referri nequeat v.gr. ob motivum insufficiens, vel gradu motivum superante, vel amore gloriae non verae (cf. 2.2 q.132 a.1; *De malo* q.9 a.1). At haec non valent de Deo. Iam vero gloria extrinseca est bonum relative divinum, utpote eius perfectioni conveniens, dignissimum ipso Deo, qui illud vult ut sibi debitum iuxta rectum ordinem; non vero quasi ipse eo bono quadantenus perficiatur, ita ergo ut gloria extrinseca sit tantum signum perfectionis divinae, quod necessario debet dari, iuxta rectum ordinem, posita creatura rationali, ad quod huic uni sit utile (2.2 q.132 a.1 ad 1; cf. 1.2 q.114 a.1 ad 2) ³¹.

Nam, si Deus creat, nequit non velle gloriam suam obiectivam. Si entia rationalia creat, nequit non velle ut summam veritatem ac summum bonum agnoscant et ament. Item rectus ordo exigit ut Creatori ac ut summo bono subiciatur omnis creatura omni modo subiectionis possibili seu et cognitione et amore et laude, quin Deus ullam creaturam ab illa subiectione dispensare queat.

Ergo, posita creatura rationali, gloria Dei est necessaria et ipsi debita, quam Deus nequit non velle; sed non creat mundum propter eam, nisi quatenus ea cedit in bonum creaturae. «Unde patet quod Deus suam gloriam non quaerit propter se, sed propter nos» (2.2 q.132 a.1 ad 1).

195. 6. Si Deus creat propter suam gloriam, non vere amat creaturas. At id est absurdum dictu (utpote contra fontes, rationem, experientiam). Ergo Deus non creat propter suam gloriam.

Dist. mai. Deus non amat creaturas ratione bonitatis earum sumptae absolute seu exclusive, *conc. mai.*; relative, seu per respectum ad bonitatem divinam, quatenus hanc manifestant, *nego mai.*

Deus creaturas vere amat, ita ut, eas creans, solum iis bonum vere velit et faciat, at tantum propter bonitatem suam ac proin propter bonitatem earum solum prout a divina pendentem; hac ablata, illae iam non existunt nec proin iam sunt amabiles Deo, amabiles, qui ceterum, eas in ista hypotesi amans, a re finita qua tali in eo amore penderet. Unde amor Dei *terminatur* in creaturam, sed hac non *determinatur* (1 q.19 a.1 ad 3; a.2 ad 3).

Etiam cum Deus videtur alia ob alia velle v.c. gratiam nobis ob merita Christi, vult ordinem rerum, seu hoc esse propter hoc; sed non vult hoc propter hoc, seu una res creata non est Deo ratio volendi aliam v.gr., volitio dandi nobis gratiam non est Deo ratio volendi merita Christi; utrumque vult ob suam bonitatem (1 q.19 a.5; 1 CG 87).

Ripalda vero statuit Deum posse creaturas amare propter bonitatem divinam solum vel propter eam simul ac propter creatam; sed id postremum a theologis reicitur ³².

196. *Inst.* Sed Deus amat creaturam ut medium ad finem qui seu ob suam bonitatem (1 q.19 a.2 ad 2). Ergo ille amor tandem reducitur in amorem sui, quin ergo maneat in creatura.

Dist. antec. Deus ob suam bonitatem amat creaturam ut medium in quo, seu ut finem quo, *conc. antec.*; ut medium per quod, *nego antec.*

³¹ Cf. DALMAU, 530; L.KERKHOF, *Numquid in Creatore habeatur ambitio?*; RevEcll Liège (1919-1920) 397-401. C.Coloniense (a.1826): CL 5,291S.

³² RIPALDA, *De caritate* d.31 s.1-4. Cf. PALMIERI, th.12 n.4.

Agens ob finem *assequendum*, ac proin ex desiderio finis, adhibet medium per quod, seu quod de facto vere non amat, sed finem; et agens ob finem *communicandum*, quem proin ipsa finis donatione quasi assequitur, vult hanc ipsam donationem, quae consistit praecise in ipsa positione creaturae, ut huius bonum. Ergo sic Deus vult creaturam ut medium in quo, seu potius ut finem quo finis qui quasi obtinetur. Sane Deus non ex gloriae desiderio creat (sic creatura esset medium per quod), cum non voluerit creaturas quia vult gloriam; sed hanc voluit, quia vult suam bonitatem ut glorificandam in creaturis, ita tamen ut in hypotesi creationis suam gloriam bono creaturae praefereat debeat.

Ideo, cum glorificatio Dei formaliter ac magis immediate Deum respiciat ut terminum, utilitas vero creaturam, recta ratio exigit ut illa sit prior hac in intentione Dei creantis. Quod stat; nam formulae *bonitas ut communicanda* (ac eius communicatio actualis) et *bonitas ut glorificanda* (ac eius glorificatio actualis), etsi *realiter* sunt una, cum gloria *obiectiva* obtineatur per communicationem in genere et *formalis* per communicationem in specie quoad intellectum ac voluntatem, differunt tamen *formaliter*, cum prima connotet potius bonum dari creaturae, et altera hoc bonum ad Deum referri.

Idem valet, ut patet, de fine creaturae; quae ergo, dum in Deum tendit, prius ratione gloriam Dei quam proprium commodum implicite quaerit. Hinc qui recte suam beatitudinem appetit et ob eam agit, eo ipso exercite vult debito ordine gloriam Dei, etsi perfectius ageret, si hanc signate ac directe quasi per se ipsam in omnibus intenderet. Quae stant; nam ens rationale habet ut finem ultimum beatitudinem post mortem perfecte et in hac vita imperfecte assequendam; quae praecise consistit in actibus quibus glorificatio Dei obtinetur, a qua ergo non realiter, attamen formaliter differt; ideo rectus ordo exigit ut glorificatio Dei felicitati creaturae aestimative praefereatur et haec appetatur propter illam, seu potius ut Dei glorificatio ³³.

197. *Inst.* Sed, ex dictis, Deus non amat creaturam propter se ipsam. Ergo eam non amat amore benevolentiae; quod est absurdum.

Dist. cons. Deus non amat creaturam ut *subiectum* cui utilitatis, *nego cons.*; non ultimatum propter ipsam, *subdist.*: quin excludat amorem benevolentiae, *conc.*; secus, *nego*.

Dum amor concupiscentiae fertur in amatum ut bonum amantis, ac proin in commodum huius, quem sane perficit, amor amicitiae (ac proin benevolentiae) *pure* humanus tendit in amicum propter ipsum. At amor *caritatis* humanus, seu ille quo amans non intendit proprium commodum, sed bonum amati, non praecise ex bonitate huius qua tali, sed ex summa bonitate, seu ratione Dei propter se dilecti, nequit non esse verus amor benevolentiae. Hic amor, ut patet ex dictis, amorem amicitiae *pure* humanum longe superat, nec mere *entitativae* (cum sit entitas supernaturalis), sed et *formaliter*, seu ratione ipsius motivi. Ergo datur amor benevolentiae apud homines supremus, ut patet, in personam, quae non propter se, sed propter alium seu propter Deum amatur. Quo tamen amore, etiam ipse amans aliquomodo perficitur.

Iam vero, Deus omnino libere, et quin ipse ullo modo inde perficiatur, creaturae vere vult ac facit bonum et quidem ob motivum summae bonitatis, quamlibet aliam bonitatem creatam eminenter continentis. Hic sane amor quemlibet amorem benevolentiae humanum longissime superat ³⁴.

³³ Cf. C.Vaticanium: CL 7,116s; C.Coloniense: CL 5,291S; LESSIUS, 14,3 n.57; DALMAU, 529; J.HUBBY, S.I., *Salut personnel et gloire de Dieu*: Et 204 (1930) 513-528.

³⁴ Cf. PALMIERI, n.5.

Nec dicatur Deus videri benevolentior in creaturam, si dicatur potius bonum huius in creando intendere quam gloriam suam. Nam imprimis, cum gloria sit verum bonum pro homine seu hunc perficiens, hic censetur esse benevolentior, si ob amorem alicuius istud recuset; sed Deus nihil sibi vere bonum recusaret; ergo sic non necessario maiorem benevolentiam ostenderet; contra, cum gloria Dei sit bonum perficiens unum hominem, Deus eam recusans hunc vero bono privaret et sic in hunc minus benevolus esset. Item, creatura rationabiliter agens non recusat aliquid bonum nisi ob aliud maius; ergo pariter Deus, non habens bonum maius se, rationabiliter non ageret, si bonum suum bono creaturae postponeret; immo sic etiam suam independantiam essentialiam abiceret, quod esset ens a se destruere^{34*}.

198. Corollarium 1. *De gloria Dei extrinseca de facto obtinenda per creationem.* Deus (inspectus ut creator, non ut providens) intendit gloriam suam pro ratione entium quae creat. Ergo vult *conditionate* gloriam formalem et, quatenus ea pendet a creatura libera, etiam obiectivam; *absolute* vero hanc, quatenus ea non pendet ab illa creatura. Ergo obtineri debet.

Ceterum non constat Deum, sola *obiectiva* suae bonitatis manifestatione contentum, non potuisse mundum sine entibus rationalibus condere, etsi horum creatio ut summe conveniens appareat³⁵; immo ista creatione posita, illa entia, utpote libera, absolute possent gloriam formalem Deo denegare, nec solum in alia vita (quin proin ullum fuisset salvum)³⁶, sed et in hac. De facto in hoc mundo non omnia entia rationalia Deo tribuerunt, vel tribuunt, saltem tantam gloriam formalem, quantum ipsi praestare deberent; at ea ipsum saltem obiective glorificant, quatenus appetitu innato ipsum, etiam in inferno, semper ut summum bonum appetunt (*De ver.* q.22 a.2 ad 3), et quatenus in iis elucet perfectio Dei v.gr. longanimitas tolerans ac simul bonitas benefaciens, misericordia parcens, sanctitas corrigens, iustitia puniens. Ceterum Deus in nulla hypothesi aliquid boni amittit.

At providentiae Dei esset ut, entibus rationalibus creatis, saltem aliqua eorum gloriam formalem, etiam in alia vita (praevia ergo saltem aliquorum salvatione) Deo praestarent. De facto in hoc ordine saltem aliquando ab omnibus creaturis rationalibus, certo a plurimis in hac vita, et saltem a multis (cum multi salventur) etiam in alia vita, Deus *formaliter* glorificatur.

199. Corollarium 2. *De perfectione morali hominis ex ultimo fine.* Si finis ultimus hominis est ut omnibus suis actibus in Deum participandum, et obiective ac formaliter glorificandum tendat, patet perfectionem moralem eius esse in eo quod moraliter et, hoc semper salvo, intellectualiter ac physice se perficiat, ut Deum plenius manifestet; maxime vero in eo quod omnibus suis actibus deliberatis Deum amet ac ipsi serviat, ita ut quo diligentius ac intensius id praestet, eo magis in perfectione morali crescat; quod ceterum fieri potest omnibus actibus corporis et animae homini qua enti rationali convenientibus. A pari, quo diligentius homo suae perfectioni morali augendae incumbit, eo rectius ac celerius ad ultimum suum finem Dei glorificandi tendit.

^{34*} De creatione ut mysterio quodam amoris cf. R.GUELLUY, *La portée religieuse du dogme de la création*: NouvRevTh 75 (1953) 803-814; S.CUESTA, S.I., *La concepción agustiniana del mundo a través del amor*: AugMag 1 (1954) 352-354.

³⁵ Cf. DALMAU, 527s. Alii, ut URRÁBURU (*Cosmologia* p.339), putant ens rationale esse necessarium mundi complementum. BERAZA (n.240s) id negat. PIUS XII, *Alloc. ad astron.* (AAS 49 (1957) 354): «L'immensité du cosmos, sa splendeur, son organisation, que seraient-elles sans l'intelligence, qui s'y découvre en la contemplant et qui y voit comme un reflet d'elle-même? Ce que l'homme lit dans les étoiles, n'est-ce pas le symbole de sa propre grandeur, mais un symbole qui l'invite à monter plus haut, à chercher ailleurs le sens de son existence?»

³⁶ HUARTE (n.69) vero asserit non esse Deo dignam, et ideo esse simpliciter impossibilem, ordinis creationem in quo omnia entia libera, libere agentia, essent inferno damnanda.

Inde etiam constat de intima connexion inter perfectionem moralem hominis et zelum apostolicum, qui ultimatum non est nisi zelus promovendi amplius gloriam Dei.

E contra, si homo fini suo Dei glorificandi se non tradat, non modo se privat perfectione spirituali, sed nec verum ac plenum «humanismum» quaerit, cum fini primario suae naturae non indulgeat. Immo ille agit contra hanc, si contra suum finem ultimum procedat.

A pari, cum vera felicitas hominis perfectioni eius morali respondeat, eam sive individualem sive socialem inveniet homo in hac vita (imperfecte) et in altera (perfecte) pro mensura qua in finem suum ultimum tendat; quod nisi faciat, cruciatu animi etiam in hac vita afficietur, ita ut potius in creaturis non felicitatem, sed dolorem ac servitutem sive individualem sive socialem reperiat.

200. Corollarium 3. *De studio gloriae Dei procurandae.* Ex dictis etiam patet, regulam illam «ad maiorem Dei gloriam» non esse mere *ad libitum* statuendam, sed ipsi naturae humanae insitam a Deo esse, ita ergo ut omnis homo eam sequi oporteret, quin ullus aliquid dignum se, ut homine, facere queat, nisi in gloriam Dei.

Immo, etiam in hoc id valet, quod bonum Dei bono creaturae dignitate praeat, ita ergo ut perfectius sit (theorice loquendo) glorificare Deum ob ipsam glorificationem quam ob ipsam moralem perfectionem creaturae inde advenientem. Quo posito, optime Lessius: «Unde etiam homo non potest sibi excellentius bonum proponere in operando, quam gloriam Dei; nec melius actiones suas peragere, quam referendo illas ad gloriam Dei, ad quam etiam beati omnia sua referunt»³⁷.

Sed Deus eo magis glorificatur formaliter a creatura, quo haec ipsum perfectius cognoscit et laudat; id vero habetur in glorificatione formali post mortem, cum creatura perfectius Deum cognoscit et laudat, ita tamen ut ea glorificatio sit definitiva intensive, sed indefinita extensive. Iam vero illa intensive est maior, quo maior a creatura in terris fuerit oblata Deo glorificatio, cum haec sit quasi praeparatio (imo inchoatio) ad illam. Quo stante, unum idemque «ideale» gloriae Dei potest alterutro splendido aspectu animi hominis movere, quatenus hic velit ita vivere: aut ut in terris quam maxime Deum glorificet, aut ut diligenter nunc se praeparet per merita ad maximam gloriam Deo in sua propria beatitudine caeli tribuendam. Hi duo aspectus *realiter* identificantur, at cum *formaliter* differant inter se, forte unus alios alter alios vehementius movet³⁸.

Si ulterius notetur, eum hominis finem et actuale in eum progressum esse maximum Dei donum in homines, patebit formulam «ad maiorem Dei gloriam» indicare etiam cooperationem creaturae *liberalitati* Dei se illi tradentis.

201. Corollarium 4. *De humano progressu artistico et scientifico respectu finis ultimi.* Si nomine «progressus» significetur, et quaelibet maior cognitio perfectionum mundi ac omnium rerum in eo existentium, et quilibet intensior usus virium iisdem inhaerentium, patet *quemlibet* progressum, qui mundum vel simpliciter ostendat vel reddat perfectiorem ac splendidiorem etiam in rebus minimis, facere ut bonitas Dei amplius ac intensius glorificetur saltem *obiective* (etsi homo denegat Deo gloriam formalem)³⁹, ac simul novam enti rationali occasionem praebere Deum formaliter glorificandi.

³⁷ L.c., 14,3,57.

³⁸ Cf. A. DE GUIBERT, S.I., *Pour la gloire de Dieu*: RevAscMyst 13 (1932) 3-16.

³⁹ Cf. G.THILS, *Teología de las realidades terrenas*, trad. J.Ferrandis, Escol., 1 (Buenos Aires 1948) p.4 c.2-5; PIAULT, o.c., 159-185. Cf. PIUS XII, *Alloc. ad Pont. Scient. socios*: AAS 47 (1955) 394-401; P. BOURGY, O.P., *Les chrétiens face aux techniques* (Bruxelles 1958).

Quare ille progressus in omni specie artis ac scientiae, salvo semper maiore progressu morali, foveatur oportet.

202. Scholion 1. *De homine fine proximo mundi materialis.* Si Deus creans voluit suam bonitatem communicare aliis rebus, eo ipso hae omnes tendunt in Deum «ut ab ipso ipsummet suo modo consequantur» (3 CG 18) et sic in maximam perfectionem sibi convenientem; at cum Deus nequeat suam bonitatem rebus creatis dare nisi per similitudinem, hae tendunt ad eam accipiendam per similitudinem ac «propter hoc omnia facta sunt ut divinae bonitati assimilentur» (*Comp. theol.* 101) et in id tendunt ut ultimum suum finem (3 CG 19). Sed, cum Dei bonitas infinita nequeat nisi multis ac variis entibus referri (*Comp. theol.* 102; 3 CG 45), ideo Deus universum magna entium varietate constitutum fecit (3 CG 97), ita ergo ut in intentione Dei bonum universi bono singularum creaturarum dignitate praeceat (1 q.22 a.4; 3 CG 64,8)⁴⁰.

Unde res mundi non existunt aliae ab aliis independenter, sed in ordine ad communem suum finem mutuo connectuntur (3 CG 22). Ergo aliae aliis uti possunt semper ac id mundum ad finem ultimum perfectius adducant, numquam vero cum ille usus, si id humana voluntas impediatur, ad eum finem non ordinatur vel nec ordinari possit. Hinc iure aliae creaturae, etiam superiores, possunt dici propter alias, etiam inferiores, esse factas, non quasi inferiores in superiores aliquod dominium necessario exercere debeant vel possint, sed quatenus inferior superior in sua Dei glorificatione vel obiectiva vel etiam formali uti aliquomodo potest.

Sic quilibet homo dicere potest omnia entia «quae habent participationem Dei absolutam» (*In 2 d.1 q.2 a.3*) seu finem proprium ac independentem ab aliis creaturis, ut angelos, reliquos homines, esse propter eum facta, sed quatenus ei ad finem suum ultimum utilia esse possunt. Quo pacto etiam divina v.gr. Trinitas, a fortiori Christus, et supernaturalia, ut sacramenta, gratia, seu in genere omnia existentia, pro homine esse dici queunt.

Pulchre Petrus Lomb.: «Totum ergo bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est. Omnia enim... nostra sunt, scilicet superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum (ut Deus, Trinitas); aequalia ad convivendum, scilicet angeli. Qui etsi nobis modo superiores sint, in futuro erunt aequales; qui et modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia ad usum eorum. Ipsique angeli in quibusdam Scripturae locis nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur... Nostra etiam sunt inferiora, quia ad serviendum nobis facta»⁴¹.

Homo est velut centrum ad quem tendit et in quo invenit suam unitatem, suum sensum, universus, et simul id in quo homo suam plenitudinem in ordine ad Deum quaerit.

203. Si ergo omnia entia creata universi in ordine ad suum finem mutuo connectuntur, putanda sunt ignobiliora esse propter nobiliora, ita ut quodlibet queat iure proximus finis entis inferioris ei servientis dici. At in iis omnibus unum est ad quod omnia mundi materialis complexive sumpta, ut ad suum finem proximum referantur, homo (1 q.65 a.2)⁴².

Totus ergo mundus materialis (etiam quoad corpora caelestia) dicitur esse finis proximus hominis, quatenus in huius obsequium ac servitium factus

⁴⁰ Cf. STUFLEER, 672-674; WRIGHT, o.c., 73-106.

⁴¹ 2 d.1 n.8s. Cf. PINARD, 2172; E.MERSCH, S.I., *Le Christ, l'homme et l'univers* (Paris 9162) 19-37, depingit intimam connexionem hominis cum universo.

⁴² Cf. 2 d.1 q.2 a.3; 3 CG 22; 1 q.96 a.1; BERAZA, n.244-250; J.LONCKE, *Creaturae materiales conditae sunt propter hominem*: CollatBrug 43 (1947) 7-11; G.PHILIPS, *De fine secundario creationis*: RevEcclLiège 25 (1933-1934) 300-305; PINARD, 2171-2173. Cf. et WRIGHT, 115-158.

est, non praecise quasi homo absolutum in ea dominium exercent, et quasi excludatur alia entia rationalia esse forte in universo, quibus huius corpora etiam destinata sint.

Si vero ultimus finis mundi materialis est gloria Dei sive mere obiectiva in entibus irrationalibus sive etiam formalis in homine, patet illa huic ut fini proximo non subesse, nisi ut aptius homo tam gloriam Dei obiectivam augeat in reliquis entibus usu ac elaboratione ac multiplicatione eorum et in se naturam suam per illa perficiendo ac speciem humanam propagando, quam gloriam Dei formalem occasione illius gloriae obiectivae promoveat.

Quo posito, facile patet, non solum ea quibus homo de facto utitur, sed etiam nociva et etiam ea quae in mundo videntur esse homini inutilia, et etiam ea occulta, quae fortasse numquam in individuo cognoscuntur ab homine, at quae tamen de facto ad universum pertinent, posse homini ad glorificandam Dei maiestatem inservire, etsi iis materialiter forte non sit usus. Si cognitio, etiam confusa, copiae ac varietatis rerum, etiam in terris absconditarum vel in caelis immensis pendendum, hominem iuvat ad infinitatem Dei praedicandam, id sat est ut dicantur illa omnia propter hominem esse facta.

204. Assertum nostrum in genere sumptum, seu mundum esse propter hominem et quidem ut ei ad glorificandum Deum inserviat, est *de fide divina et catholica*; si id sumatur de singulis rebus in mundo existentibus, est *certa in theologia*.

Sacra Scriptura dicit mundum esse homini, et hunc per illum ad Deum glorificandum ascendere debere.

Gen 1,14-19: Fiunt astra quae terram illuminent et tempora dividant; 26-29: Homo dicitur esse dominus animalium, plantarum, universae terrae. Cf. 9,1-3; Ps 8,7-9.

Deut 4,19: *Astra caeli... creavit... Deus... in ministerium cunctis gentibus quae sub caelo sunt.*

Sap 13,1-10: Vani sunt homines qui ex creaturis non cognoverunt Creatorem et ipsius perfectionem.

Rom 1,18-23: Inexcusabiles sunt ii qui, cum ex visibilibus invisibilia Dei cognovissent, non ut Deum glorificaverunt nec ei gratias egerunt.

205. SS. *Patres* saepius dicunt mundum esse factum propter hominem, et hunc illo in Deum laudandum duci.

S.Clemens Alex.: «Licet enim ea quae sunt in caelo non sint hominum artificia, at pro hominibus condita sunt. Ne quis ergo solem adoret, sed solis effectorem desideret; ne quis mundum reponat inter deos, sed mundi conditorem requirat»⁴³.

S.Ioannes Chrys.: «Ecce quod supra dixi, iterum declaratur: nempe Deum non solum ad nostrum usum omnia produxisse, sed et ad quamdam utilitatem, ut videntes copiam et multitudinem eius creaturarum, virtutem opificis obstupescamus et sciamus sapientia quadam et inenarrabili philanthropia ob futuri hominis honorem omnia esse producta»⁴⁴.

S.Prosper: «Caelum quippe ac terra et mare omnisque creatura quae videri atque intelligi potest, ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experientis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris...»⁴⁵

⁴³ Cohort. ad gent. 4: MG 8,163.

⁴⁴ In Gen. hom.7,5: MG 53,66.

⁴⁵ De vocat. gent. 2,4: ML 51,690.

206. *Ratio theologica* idem concludit. Finis creationis est bonitas Dei ut glorificanda sive obiective sive formaliter; praecipua vero est glorificatio formalis, quae tamen et quoad factum et quoad intensitatis gradum pendet a gloria obiectiva. At in mundo materiali unus homo est et immediate a solo Deo dependens et qui possit gloriam obiectivam sive cognoscere sive formalem Deo offerre. Sic mundus apparet ut validum musicum instrumentum ad gloriam Dei praedicandam, at quod una voce hominis resonare queat; homo vero apparet ut sacerdos Deo sacrificium laudis totius mundi offerens 45*.

Ceterum, ut experientia ostendit, in mundo materiali unus homo ad libitum utitur illius rebus ad bonum tam corporis quam animi; earum perfectiones, seu gloriae Dei obiectivam, sive cognoscit sive auget; eas ad se ipsum magis magisque perficiendum, et sic etiam ad perfectionem humanam extendendam per generationem adhibet; immo nonnisi extrinseca earum cooperatione cognitionem illius gloriae obiectivae acquirit, ut tandem per eas ad Deum formaliter glorificandum ascendat.

Nec dicantur potius angeli esse finis creationis proximus, cum sint entia pure spiritualia ac proin homine superiora. Nam mundus materialis est per se independens a creaturis pure spiritualibus, ut patet ex natura rei et ex eo quod, ut nuper diximus, homo in mundo materiali apparet ut immediate a solo Deo dependens; iam vero in eo mundo ipse splendet ut ens dignitate omnibus praecellens.

Item, ait S.Thomas, «sicut dicit Augustinus...», angeli non cognoscunt Deum ex visibilibus creaturis; unde creaturae visibiles non sunt factae ut Deum ostenderent angelis, sed rationali creaturae, quae est homo; unde ex hoc probatur homo esse finis creaturarum» (*De pot.* q.3 a.18 ad 5). Nam angeli habent cognitionem etiam extrinsece independentem a sensu (quo carent) ac proin a re materiali (1 q.5 a.2).

207. *Scholion 2. De fine creationis in ordine supernaturali.* Cum fontes de fine creationis loquentes nonnisi de ordine elevato agant, ea quae dicta sunt valent praecise de hoc; cum vero aspectum elevationis consulto non extulerimus, nunc de hac re in eius respectu ad finem creationis dicenda sunt pauca, quae tamen indicent excellentiam vere divinam eius finis elevati. Haec valent directe de creatura rationali, quae una formaliter ad ordinem supernaturalem elevata est, at ob eius connexionem cum illa, etiam de irrationali.

Deus ex amore suae bonitatis inspectae secundum ea quae ipsi sunt magis propria, voluit praecise secundum haec illam communicare, quod praestitit per gratiam sanctificantem ac dona ei annexa, quibus homo vere, etsi analogice, ipsius divinae naturae, secundum ea quae huic sunt magis propria, consors factus est, ac proin remote capax Deum cognoscendi modo quo Deus se ipsum cognoscit, seu per visionem intuitivam, et ipsum amandi amore illi visioni consentaneo; immo per illa dona ipse Deus substantialiter animae iusti praesens fit; sic ergo habetur valde mira bonitatis Dei communicatio. Ex qua tamen a fortiori vult Deus suam bonitatem manifestari obiective ac glorificari formaliter, et quidem actibus laudis qui natura ac perfectione sua illi sublimi communicationi apte respondeant.

Quod de facto praestat homo in hac vita per illa dona iis cognitionis ac amoris actibus, quorum unus in immensum magis glorificet Deum quam omnes actus, quos omnes creaturae illis donis carentes elicent. Immo ea

45* Creaturas irracionales Deum per hominem glorificare exponit bene M.THIEL, O.S.B., *Anteil der vernunftlosen Geschöpfe an der Gottesverherrlichung des Menschen*: DivThom (Fr) 30 (1952) 185-200. De modo se gerendi hominis in animalia, cf. M.PFLIEGER, *Mensch und Tier*: ThPraktQschr 109 (1961) 110-112; erga ea iuxta Maritain habemus quaedam officia: cf. JOURNET, o.c., 149-151.

glorificatio in terris non est nisi praeparatio ad illam definitivam quae habebitur post mortem, cum ipsa creatura elevabitur ad videndum Deum facie ad faciem et ad ipsum amandum amore illi visioni consentaneo; qua elevatione creatura Deum glorificabit eo fere modo quo ipse Deus se formaliter glorificat.

Unde dici posset, finem Dei creantis ens rationale elevatum esse bonitatem suam ut communicandam et ut glorificandam fere ut ipse Deus eam glorificat; finem vero entis rationalis esse illam bonitatem ut participandam et, servata proportione, ut glorificandam, fere sicut ipse Deus eam glorificat.

208. At etiam creatura irrationalis, non formaliter, sed per quamdam derivationem participat illam elevationem, ac proin ad eundem sublimem finem creaturae rationalis effertur. Nam si illa facta est propter hanc, et quidem ut haec illa utatur ad suum finem ultimum, immo si illa etiam ipsum cognitionis supernaturalis actum extrinsece cooperatur, iure dici potest destinata esse homini ut supernaturaliter elevato, ac proin, per intimam connexionem cum hoc ad eundem finem ultimum supernaturalem, servata proportione, ordinata esse. Quod ceterum exigit ipsa harmoniae lex qua Deus opera sua ad extra facit, ita ergo ut sic totus mundus ad unum eundem sublimem finem supernaturalem, duce homine sacerdote, conspirare putetur. Imo iure quodam diceretur omnis creatura sensibilis quasi consecrata esse assumptione humanitatis per Filium qui venit «mundum volens adventu suo piissimo consecrare».

Hinc S.Paulus maxime effert omnia esse in fidelium utilitatem data. 1 Cor 3,22: *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei* 46. Et ideo omnia eis cooperantur in bonum (supernaturale, ut patet). Rom 8,28: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

De facto, iuxta S.Paulum, mundus materialis ac homo redemptus sunt intime connexi quoad destinationem moralem, ita ut omnis creatura ob hominis peccatum a sua ordinatione quodammodo devia expectet avide glorificationem filiorum Dei et simul suam a corruptione ac servitute liberationem (Rom 8,19-22) 47.

209. *Scholion 3. De Christo fine proximo totius creationis.* Quod ita sumitur, ut bonitas Dei glorificanda sit ultimus finis creationis, at qui obtinendus sit per Christum, per quem totus mundus gloriam Deo tribuat.

Si cum scotistis, et quodammodo cum Suárez, admittatur Deum primo in creatione intendisse Incarnationem Verbi, quae eveniret etsi Adam non peccasset, nec mere post hoc peccatum absolute praevium, ut voluit thomistae, decerneretur, facile nostrum assertum concluditur; at, etiam praecisa illa quaestione, de qua nostrum non est hic agere 48, illud ut saltem moraliter certum statuitur. Nam admittitur generatim a theologis, etiam a tho-

46 Cf. CORNELY, *Prior epistola ad Corinthios* (Parisiis 1890) 97s.

47 Cf. HUBY, *Saint Paul. Epître aux Romains* (Romae 1940) 294-301. Item aliquo modo de relatione inter mundum materiale et christianismum cf. L.MALEVEZ, S.I., *La philosophie chrétienne du progrès*: NouvRevTh 64 (1937) 377-385; M.D.CHENU, O.P., *Spiritualité de la matière*: VieSpir 106 (1962) 579-587; P.J.GARCÍA, O.S.A., *El valor religioso de la naturaleza*: RevAgEsp 1 (1960) 184-188; R.GUELLEY, *Vie de foi et tâches terrestres* (Tournai 1960); F.SCALVINI, O.P., *L'Incarnazione come consecrazione del universo*: RivAscM 4 (1959) 513-530. Cf. tamen de ultimo textu P.BENOIT, O.P., «*Nous gemissons, attendant...*» (Rom 8,23): RechScR 39 (1951-1952) 267-280.

48 Cf. SOLANO: SThS 3 tr.1 n.1-14; J.F.BONNEFOY, O.F.M., *Raison de l'Incarnation et primauté du Christ selon l'Écriture et la Tradition* (Roma 1959); R.GARRIGOU-LAGRANGE, O.P., *De motivo Incarnationis. Examen recentium obiectionum contra doctrinam S.Thomae III^a q.1 a.3*: ActPontAcRomSTh 10 (1945) 26-30.

mistis⁴⁹, quatenus de facto in hoc ordine omnis creatura ad Christum proxime ordinatur.

Iuxta S.Paulum (Col 1,14-16), in Filio, nostri Redemptore, qui est... primogenitus omnis creaturae..., condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia..., omnia per ipsum et in ipso (i.e. in ipsum, εἰς αὐτόν) creata sunt. Haec, quae, ut patet ex postremis verbis, connotant etiam finem universi, difficile nisi de Verbo Incarnato intelliguntur, a quo ut a suo centro omnes creaturae pendeant⁵⁰.

Item si dicitur Deus (Eph 1,10) *instaurare* (recapitulare, ἀνακεφαλαιώσασθαι) omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, videtur dici Christum esse principium unitatis omnium ac vinculum rerum universale, quod sane supponit omnia in ipsum ut in suum finem conspirare⁵¹.

Ceterum utem confirmant et alia et haec: a) Imago Christi Capitis Ecclesiae ut sui Corporis (Eph 1,22s), cum in corpore omnia et a capite pendeant et ad illud convergant. b) Tota conceptio soteriologiae christianae, ex qua nemo venit ad Patrem nisi per Christum (Io 14,6) et quidem non nisi, ob amorem in ipsum, mandata ipsius servando (v.15), quo sibi et Patris dilectionem conciliet et Trinitatis inhabitationem obtineat (v.23).

Quoad angelos, id sine dubio ostendit eos ipsi in munere Salvatori servasse, quod in deserto inducantur ut accedentes et ei ministrantes (Mt 4,11).

210. Haec dicit S.Maximus Conf.: «Iste beatus finis (Christus vel Christi mysterium) ob quem cuncta condita sunt... In hunc finem respiciens Deus, rerum naturas produxit... ob quem plane, quae facta sunt, principium essendi acceperunt. Nam propter Christum, sive Christi mysterium, omnia saecula et quae in ipsis saeculis sunt principium et finem ut essent in Christo nacta sunt»⁵².

Tandem S.Bruno: «Est ergo Christus alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis; primus ante omnia, finis post omnia, a quo cuncta procedunt, ad quem cuncta redeunt; intra quem omnia, extra quem nihil; ad quem qui pervenerit, ultra non habet quo vadat»⁵³.

211. Ratio theologica, dum statuit hominem ut supernaturaliter elevatum esse finem proximum universi, eo ipso tradit omnia ordinari ad eum, qui est principium eius elevationis, et ad quem homines elevati ut suum caput et exemplar respiciunt, ut finem proximum ad quem universum tendit.

Ceterum, cum Christus habeat in universo primatum excellentiae, valet etiam hic illud principium rationis naturalis: «Creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturae, quae sunt infra hominem, sunt propter hominem» (1 q.65 a.2); «Imperfectum est propter perfectius» (q.105 a.5).

212. Ita, si Christus ut finis proximus omnium creaturarum respiciatur, mira splendet unitas in universo: ex parte angelorum, omnes convergant ad Christum, cui in eius opere supernaturali serviant; ex parte hominum, Christus ei est vitae supernaturalis fons, et per eum, quodammodo, in mundum materialem, in quo homo est princeps, ita ut irrationalia serviant homini, qui suam vitam supernaturalem exercent et per eam vitam tendat

⁴⁹ Cf. SALMANTICENSIS, *De Incarnatione* d.2 dub.1 n.26; H.M.FERET, O.P., *A propos de la primauté du Christ*: RevScPhTh (1938) 69-72.

⁵⁰ Cf. HUBY, *Saint Paul. Les épîtres de la captivité*³ (Paris 1935) 38-44.158; BISSEN, *De primatu Christi absoluto apud Coloss.* 1,13-26: Ant 11 (1936) 3-26; J.M. BOVER, S.I., *Teologia de San Pablo* (Madrid 1946) 82; SCEFFCZYK, o.c., 15-25.

⁵¹ Cf. HUBY, 156-159.

⁵² *Quaest. ad Thal.* 60: ML 90,622.

⁵³ *Expos. in Apoc.* 1.1 c.1: ML 65,610. Utiliter legerentur etiam ea quae de nostro asserpto pulcherrime scripsit L.DE LEÓN, O.S.A., *De los nombres de Cristo* (Madrid 1944): Pimpollo, 413-415. De universo et Corpore Mystico, MERSCH, o.c.

ad Christum ut ad suum caput, cui unitus, et admiscens cor suum cordi Christi, voces suas voci Christi, Deum glorificet. Sic, non solum angeli et homines, sed totus universus unum quoddam corpus mysticum cum Christo est, quod cum suo capite Deum glorificet.

Ita ostenditur Deus creans ob bonitatem suam ut «summo modo» communicandam, «quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam humanam sibi coniungit, ut una persona fiat, ex... Verbo, anima, carne» (3 q.1 a.1) et proin ut summo modo glorificandam; creatura ergo pariter ordinata est ad illam bonitatem summo modo in Christo participandam et ad eam per Christum summo modo glorificandam.

213. Scholion 4. *De Dei repraesentatione in omnibus creaturis per similitudinem*⁵⁴. Hic nihil dicitur expresse de speciali unius et trini in creatura rationali per imaginem repraesentatione, cum de hac inferior dicendum sit, sed in genere de similitudine Dei in creaturis. *Similitudo* simpliciter dicta est convenientia plurium in aliqua forma; importat vero etiam differentiam, in quo differt ab aequalitate. Ea est *naturalis*, vel *supernaturalis* sive inchoata sive consummata, prout fundetur vel in natura, vel in gratia vel in gloria. Hic agitur de *naturali*.

Convenientia vero in aliqua forma esse potest: a) Secundum eandem rationem et secundum eundem modum v.gr. duo alba. Ea est aequalitas. b) Secundum eandem rationem et secundum magis et minus seu non secundum eundem modum v.gr. duo sapientes, quorum unus alteri sapientia praestat. c) Secundum diversam rationem v.gr. inter effectum et causam aequivocam, seu quae illum non nisi virtualiter-eminenter continet. Haec una potest dari inter causam quae est extra omne genus et omnes differentias specificas, quin vel in ratione generica convenire queat cum suo effectu, et hunc.

Ea est similitudo *analogica*, de qua sola hic potest esse quaestio (1 q.4 a.3 ad 1; q.13 a.5; *De pot.* q.7 a.7); est ergo valde imperfecta, quae «dissimilis similitudo» apte vocaretur⁵⁵, at quae, «etsi minima, quia est vere et proprie analogica», sit «vera et propria», ita tamen ut nec sit univoca (ratio enim communis quidditative est simpliciter alia et alia) nec pure aequivoca (illa enim ratio debet de Deo et de creatura praedicari). Ex quibus etiam sat patet, Deum non dicendum esse creaturae similem, nam «creatura habet quod Dei est», non vero Deus «quod creaturae est» (1 CG 29; 1 q.4 a.3 ad 4) seu «forma principaliter est in causa et secundario in causato» (1 q.42 a.1 ad 3)⁵⁶.

214. Assertum ergo nostrum, prout iacet sine ulteriore determinatione, est *theologicum certum*, cum sit clara conclusio ex thesibus de Deo causa mundi efficienti, exemplari, finali.

Quoad *causam efficientem*, stat principium illud, effectum esse causae similem. «Quidquid perfectionis est in effectu oportet inveniri in causa effectiva vel secundum eandem rationem, si sit agens univocum, vel eminentiori modo, si sit agens aequivocum» (1 q.4 a.2; q.105 a.1 ad 1). Hinc vulgatum axioma: Omne agens agit sibi simile (cf. 1 CG 29)⁵⁷. Iam vero «divinum esse productum esse creaturae in similitudine sui imperfecta» (1 d.8 q.1 a.2); ergo mundus, utpote totaliter proveniens a Deo causa efficienti,

⁵⁴ Cf. BERAZA, n.271-290; A.ROSSI, C.M., *Similitudo Dei in creaturis. Defensio doctrinae S.Thomae et SS.Patrum contra recentiores quosdam eam falso insimulantes*: DivThom (Pi) 5 (1928) 417-448; J.BITTREMIEX, *Similitudo creaturae cum Deo fundamentum cognoscibilitatis Dei*: DivThom (Pi) 17 (1940) 310-323; LONCKE, *De vestigiis ac imaginibus Dei in creaturis*: CollatBrug 43 (1947) 36s.

⁵⁵ Cf. C.FECKES, *Die Harmonie des Seins* (Paderborn 1937) p.78.

⁵⁶ Cf. ROSSI, 441-445.

⁵⁷ Cf. T.L.PENIDO, *Le rôle de l'analogie en théologie dogmatique* (Paris 1931) p.132s.

est similis ipsi, quatenus secundum omnia quae habet est *ens existens*. Connotat ergo primam causam, ut primum ens, et eius potentiam.

215. Quoad *causam exemplarem*, mundus est *ens verum*, quatenus cum ideis divinis convenit⁵⁸, quod importat similitudinem cum idea exemplari in intellectu divino seu in Deo. «In rebus creatis invenitur veritas... secundum quod imitantur intellectum divinum, qui est earum mensura, sicut ars est mensura omnium artificiorum» (De ver. q.1 a.8). «Omne quod agit per intellectum, repraesentat speciem sui intellectus in re facta; sic enim agens sibi per artem facit sibi simile. Deus autem fecit creaturam ut agens per intellectum, et non per necessitatem naturae... Species igitur intellectus divini repraesentatur in creatura per ipsum facta» (2 CG 45,6).

Uterius, cum idea Dei obiective inspecta sit essentia divina, pulchritudo mundi sive interna, sive externa, repraesentat ipsam Dei pulchritudinem. Cum in Deo pulchritudo ontologica et moralis identificentur, ontologica mundi pulchritudo dicenda est moralem Dei pulchritudinem, saltem quaedam exigentia symbolica, etiam referre.

216. Tandem quoad *causam finalem*, mundus est *ens bonum*, quatenus est participatio summae bonitatis et proin per similitudinem. Deus, agens propter finem, intendit solum communicare suam perfectionem, quae est eius bonitas. Et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae... Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum... Quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem» (1 q.44 a.4). Sic ergo mundus repraesentat summum bonum, et eum suae bonitatis amorem quo se diffundit.

217. Constat ergo ex his, mundum et quamlibet mundi creaturam esse Dei similitudinem, quatenus repraesentant Deum ens, verum, bonum. At, cum similitudinis ratio necessario sit varia pro perfectionis ratione et intensitate formae secundum quam ea est, similitudo omnium perfectissima dicitur *imago*, de cuius ratione est convenientia in forma specifica vel quasi specifica vel in accidenti principali⁵⁹. Hinc sola creatura rationalis, quae convenit cum Deo, etsi analogice, in natura rationali seu in forma *quasi specifica* (quae non vocatur specifica de Deo, qui est extra omne genus et speciem) dicitur Dei imago, qualis est homo.

218. Similitudo vero rationem imaginis non attingens dicitur *vestigium*, quatenus ea exhibet causalitatem causae et aliquam eius perfectionem non specificam vel aliquod eius accidens commune (1 q.45 a.7). Sic, iuxta communem ac certam doctrinam, omnis creatura (nisi dicatur aliqua esse secundum totam eius naturam simplicissimam imago) est *vestigium Dei*.

219. At cum Deus creans sit unus et trinus, *habetur in mundo etiam similitudo Trinitatis*? Etsi nihil sciremus de Trinitate, facile admitteremus, mundum repraesentare Deum unum ut summum ens, verum, bonum; ergo, etsi detur in mundo aliqua Trinitatis similitudo, haec non est saltem ea, quae per se sola rationem naturalem in illius mysterii cognitionem ducat. At cum sciamus ex fide ipsum mysterium et modum processionis Personarum per intellectum ac voluntatem, possumus aliquam Trinitatis similitudinem, etsi remotissimam, in mundo reperire.

S. Augustinus dicit de hac re: «Haec igitur omnia quae arte divina facta sunt et unitatem quandam in se ostendunt et ordinem. Quidquid enim

⁵⁸ Cf. BOYER, *Cursus philosophiae* 2 (Parisiis 1936) p.205s.

⁵⁹ De notione similitudinis et imagine, cf. ROSSI, 420-428.

horum est, et unum aliquid est..., et aliqua specie formatur..., et ordinem aliquem petit aut tenet... Oportet igitur ut Creatorem per ea quae facta sunt intellectum conspicientes, Trinitatem intelligamus, cuius in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio⁶⁰.

220. Sane creatura a Deo ut a causa efficienti est *ens existens*, quod refertur ad potentiam; ut a causa exemplari est *vera*, quod refertur ad sapientiam; ut a causa finali est *bona*, quod refertur ad amorem. Ad lege appropriationis potentia pertinet ad Patrem, qui habet esse sine principio, sapientia ad Filium, qui est substantialis veritas, amor ad Spiritum S., qui est bonitas seu amor substantialis.

Aliter: ex mundo cognoscitur Deus ut habens intellectum et voluntatem. At intellectus et voluntas sunt principium processionum realiter distinctarum. Ergo Trinitas repraesentatur in mundo, quatenus ex eo cognoscuntur ea Dei attributa, quae sunt ratio processionum ac proin Personarum.

Aliter: in omni creatura est *esse existens*, repraesentans causam seu principium, et sic Patrem seu principium sine principio connotans; *species* determinata per formam, et sic repraesentans Verbum, quatenus forma operis est ex conceptione artificis; *ordo* ad aliquid aliud, et sic Spiritum S. ut amorem divinum repraesentans, quatenus ordo operis ad aliud est ex voluntate creantis (1 q.45 a.7)⁶¹.

221. Hic de similitudine Dei in mundo posset id, corollarii instar, addi: ex illa similitudine posse cognosci Dei et existentiam et, licet imperfecte, etiam ipsas eius perfectiones, cum percipiatur ex creaturis per eius propria; non vero mysterium Trinitatis, etiam quoad solam eius existentiam vel possibilitatem (ne post eius quidem et modi processionum revelationem), cum illud percipiatur ex creaturis solum per appropriata (1 q.32 a.1)⁶².

⁶⁰ De Trinit. 6,10,12: ML 42,932.

⁶¹ De alia ratione ex creaturae activitate et passivitate et harum harmonia, cf. F.TAYMANS D'YPERNON, *Le Mystère primordial* (Bruxelles 1946) c.9, maxime p.182; LONGCKE, 37. De modo quo creatio iuvat ad cognitionem mysterii Trinitatis cf. B.MONTAGNES, O.P., *La parole de Dieu dans la création*: RevThom 54 (1954) 213-241. Cf. et MICHEL, *La création donne-t-elle une révélation du mystère de la Trinité?*: AmCl 65 (1955) 269-272; P.MCSHANE, *The Hypothesis of Intelligence Emanations in God*: ThSt 23 (1962) 545-568. De mente S.Bonaventurae cf. T.ZSABO, *De SS.Trinitate in creaturis refulgente doctrina S.Bonaventurae* (Roma 1955).

⁶² Cf. BITTREMIEUX, 316-323; ROSSI, 445-447; cf. et R.KASZAS, *Vestigia Dei in creaturis seu viginti novem argumenta pro existentia Dei* (Budapestini 1930), de quo opere, P.A.WIRTGEN, S.V.D.: DivThom (Fr) 13 (1935) 229-234.

CAPUT III

De exsecutione providentiae divinae

222. Supponentes hic ex tractatu *De Deo Uno*, dari providentiam divinam seu rationem divinae sapientiae singulas res, etiam vilissimas, et specialiter hominem, ordinantes secundum legem aeternam in fines iis ab ipso Deo praestitutos, ita ut attingat etiam mala creaturarum vel moralia, nunc agitur de illius providentiae exsecutione, quatenus haec, posita mundi creatione¹, includit conservationem, concursum, gubernationem.

ARTICULUS I

DE CONSERVATIONE MUNDI

Thesis 7. Mundus conservatur positive, directe, immediate in suo esse a Deo.

S.TH., 1 q.104 a.1s; 3 CG 65; *De pot.* q.5 a.1s; S.BONAVENTURA, *In 2 d.37 a.1 q.2*; SUÁREZ, *Disp. metaph.* d.21 s.1; LESSIUS, 1.10 s.38; SCHEEBEN, o.c., 2 § 130; LERCHER, 2³ n.493-502; PINARD, *Conservation*: DTC 3,1187-1197.

223. Nexus. Deus, ex probatis, mundum creavit; at notio creationis non infert ex se nisi ut res incipiat esse, non vero ut in hoc pergat; undenam ergo habet mundus ut post esse acceptum id iam non amittat? En quaestio de mundi conservatione per Deum, quae est magni momenti, utpote qua efferatur absoluta mundi dependentia a Deo, non solum in suo primo fieri, sed et in eo quod singulis momentis influxu Dei existat, fere ut lux per lampadem vel actus vitales per animam².

224. Notiones. MUNDUS indicat omnes res quae sunt extra Deum; ergo etiam incorruptibiles, quae natura sua exigunt semper manere in esse.

225. CONSERVATIO: a) *Passiva*, seu ex parte rei conservatae, est permansio huius in esse, dependenter ab aliqua causa. b) *Activa*, seu ex parte subiecti conservantis, est in genere id a quo permansio rei in esse aequaliter pendet.

Activa est: a) *Negativa* (impropria) seu omissio actionis esse rei destruentis, v.gr. non destructio statuae. b) *Positiva* (propria) seu actio influens in sustentationem rei in esse.

¹ De relatione creationis ad providentiam, cf. BERAZA, n.1358-1361; LESSIUS, *De perfectionibus... divinis* 11,2,4.

² Cf. SCHEEBEN, n.35.

Positiva est: a) *Indirecta* seu remotio causarum esse rei destruentium. b) *Directa* seu iugis efficiens influxus rem in esse sustentans.

Directa est: a) *Mediata* seu appositio causae rem conservantis. b) *Immediata* seu influxus intrinsece receptus in ipsum esse rei sustentandum.

Hic agitur: non formaliter de passiva, etsi ea, ut patet, connotetur, sed de *activa*; non vero de negativa, cum facile admittatur mundum a Deo ea saltem conservari; nec de positiva indirecta, quae sane etiam facile patet, et quae potius ad gubernationem pertinet; sed de *directa* et quidem *immediata*, quin tamen mediata aliquo gradu forte admittenda affirmetur vel negetur in thesi.

226. IN SUO ESSE. Id sumitur hic *simpliciter*, seu prout opponitur nihilo, ita ut conservatio excludat annihilationem; non ergo *secundum quid*, seu pro tali esse specifico vel accidentali, prout ergo opponitur tali alii esse, ita ut conservatio excludat corruptionem, ac proin sit indirecta, ad gubernationem potius spectans.

A DEO. Ipse Deus res mundi positive, directe, immediate conservat; non vero dicitur in thesi «a solo Deo», ut excludatur in ea quaestio disputata de conservatione *mediata*, seu de concursu forte aliquatenus admittendo creaturae ad conservandas alias res, et de quo aliquid inferius dicitur.

227. *Adversarii*. *Deistae*, iuxta quos, Deus mundum a se creatum relinquit, quin de eo ulterius curet³.

BERLAGE (catholicus) non admisit conservationem nisi negativam, et quoad entia corruptibilia etiam indirectam. Forte aliquid simile dixit KLEE, sat obscure loquens⁴.

Negantes concursum immediatum Dei ad actiones creaturae, ut DURANDUS⁵, logice debent negare conservari a Deo illarum effectus⁶.

Iuxta IGLESIAS, non constat esse de ratione divinae conservationis, ut ea necessario omnes res attingat *immediate*, quin aliquando sufficiat mediata (quoad corruptibilia)⁷.

228. *Doctrina Ecclesiae*. *C. Vaticanum* (D 1784): «Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat...»

³ Cf. G.HAGEMANN, *Deismus und Deisten*: KL 3,1472.

⁴ Cf. SCHEEBEN, n.40; KNOLL, o.c., 2 (Augustae Taur. 1868) § 255 n.1.

⁵ In 2 d.1 q.5.

⁶ Cf. SUÁREZ, 21,1,3.

⁷ E.IGLESIAS, S.I., *De Deo in operatione naturae vel voluntatis operante* (México 1946) n.124.204. De huius operis momento cf. HELLÍN, *Santo Tomás y la cooperación inmediata de Dios en las acciones de las criaturas*: Pens 2 (46) 467-476.

Agitur hic de providentia et de gubernatione, non vero directe de conservatione⁸; id inde etiam patere videtur, quod non adhibeatur ipsa vox technica, sed formula magis vaga «tuetur atque gubernat». Tamen, cum ea ponatur post vocem «condidit», continet vel alterutro verbo vel utroque, saltem conservationem indirectam.

229. Valor theologicus. Conservatione saltem indirecta admissa ut *de fide divina et catholica* et, ut videtur, etiam definita (D 1784), directa immediata est *saltem certa in theologia*, nisi probabilius etiam dicatur *de fide divina et catholica*, ut multi auctores tenent⁹.

230. Probatur ex sacra Scriptura. Sap 11,25s: *Nihil edisti eorum quae fecisti... Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Ubi, ut patet, «vocatum» est idem ac «creatum». Iuxta textum graecum, verteretur exactius: *Quomodo autem aliquid permansisset, nisi tu voluisses? Aut (quomodo) aliquid quod a te non esset vocatum, conservatum esset?* (πῶς δὲ διέμεινεν ἄν τι, εἰ μὴ σὺ ἠθέλησας; ἢ τὸ μὴ κληθὲν ὑπὸ σοῦ διετηρήθη;).

His assignatur duplex stadium rerum, aliud productionis, aliud permansionis; ergo sine dubio ut primum agit simpliciter de ipso esse, sic etiam alterum. At ea permansio tribuitur ipsi Deo efficaciter volenti; ergo sensu obvio agitur de conservatio-
ne directa immediata¹⁰.

Sap 1,7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.*

His inducitur Deus quasi sua omnipotentia omnibus adsit, haec nempe et sua praesentia implens et in esse continens, ne dilabantur¹¹.

231. Act 17,24-28: *Deus, qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic caeli et terrae cum sit Dominus, non... indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia... In ipso enim vivimus et movemur et sumus.*

Post creationem omnium rerum assertam, indicatur ulterius ipsius influxus continuo exercitus in hominem et quidem omnino huic intimus, cum ei det in praesenti per actionem

⁸ CL 7.99s.105.110.

⁹ Sic POHLE-GUMMERSBACH, 1,510; PESCH, 3 n.66; DAFFARA, n.162; BOYER, 12. PRO BERAZA (n.1368) videtur esse de fide definita: pro OTTEN (n.38) est saltem doctrina catholica, quae sine temeritate negari nequeat; pro PINARD (1194) est communissima et certa; pro LERCHER, conservatio positiva directa et per se immediata est theologice certa, at ut universalliter immediata est probabilior (n.493.501).

¹⁰ Cf. CORNELY, *Commentarius in librum sapientiae* (Parisiis 1910) 425; PIROT, l.c., 477s; FISCHER, l.c., 34.

¹¹ Cf. CORNELY, 56-58.

quae nunc evolvitur (διδούς) vitam et halitum vitalem, immo et omnia; ergo ea valent saltem de conservatione.

Hinc additur hominem in Deo (non sensu pantheistico, ut patet, ut unum cum Deo vel ut partem eius vel ut unius eiusdemque vitae participem) vivere et moveri et esse; qua formula absoluta nequit non indicari hominem ita omnia a Deo accipere continuo ut et ipsum esse includatur.

Pariter hic, post creationem assertam omnium rerum, dicuntur hae a Deo accepta habere et quidem continuo nec mere initio non solum vitam et principium vitae et motum, sed omnia; quae formula adeo absoluta nequit non attingere ipsum esse; ergo iis traditur conservatio directa-immediata¹².

232. Hebr 1,2s: *Locutus est nobis in Filio... per quem fecit et saecula: qui cum sit splendor gloriae... portansque omnia (φέρων τὰ πάντα) verbo virtutis suae...*

Omnia, quae ipse fecit, *portat*; quod sensu obvio idem est ac *sustinere*, et proin ne res cadant seu ne dispareant in nihilum¹³.

Col 1,15-17: *Qui (Filius) est... primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia...: omnia per ipsum... creata sunt et... omnia in ipso constant.*

Ergo in ipso Filio qui omnia creavit, omnia constant (συνέστηκεν); quod nequiret aliter sumi, nisi de actione directa ac immediata, qua omnia, quae fecit, sustinet Filius ne pereant, seu in esse. Nec id huic interpretationi obstat, quod ibi probabilius de Christo agatur, cuius sane, qua incarnati, non sit res conservare; nam et ipsi tribuitur creatio, et quidem iure, cum sit Deus¹⁴.

233. N.B. Citatur et Io 5,17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Haec dicit Christus, cum accusatur quod miracula faciat sabbato; ergo memorat aliquam operationem Dei iugem ac proinde a miraculosa distinctam, quae, obvio sensu, saltem cum rerum conservatione identificatur¹⁵.

¹² Cf. E.JACQUIER, *Les actes des apôtres* (Paris 1928) 532.534s; KNABENBAUER, *Commentarius in Actus Apostolorum* (Parisiis 1928) 304-306; A.WICKENHAUSER, *Die Apostelgeschichte* (Regensburg 1961) 208s: ea tria verba simul exprimunt plenam hominis dependentiam a Deo in omni respectu; J.RENIÉ, S.M., *Actes des Apôtres*: PirClam (Paris 1951) 247: sumus in Deo ut causa efficienti nobis omni momento dante vitam, motum, esse, dum ea conservat; C.S.DESSAIN, *The Acts of the Apostles*: CathCommHScR (London 1951) n.838e: totaliter pendemus a Deo; J.LEAL, S.I., *Hechos de los Apóstoles*: SagrEscr 2 (Madrid 1962) 120: conservación.

¹³ Cf. BONSIRVEN, *Saint Paul. Épître aux Hébreux*³ (Paris 1943) 177-179; PRAT, *La théologie de Saint Paul*¹¹ 1 (Paris 1924) 442.

¹⁴ Cf. HUBY, 42; PRAT, 348. Aliter tamen LERCHER, n.497; FOERSTER, l.c., 1010, videt verbis et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat* (Gen 2,2) indicatam conservationem, ut actionis creativae extensionem, quam V.T. supponat (Ier 1,5), et P.GUTIÉRREZ, S.I., *Carta a los Colosenses*: SagrEscr 2,828s.

¹⁵ Cf. PINARD, 1187. Aliter tamen LERCHER, n.497.

234. **Probatur ex traditione** 16. 1) SS. Patres, appellantes non raro, ut notat Scheeben 17, eosdem textus Scripturae a nobis allatos, dicunt omnia in nihilum reditura esse, nisi a Deo conserventur. Hinc post mundi creationem ex nihilo statutam, memorant alium influxum Dei in illum conservandum. Et, ut notat Lessius, ea conservatio ex iis ita concipi potest: a) *Ut sustentatio* in Deo fundamento, quod a nihilo res prohibeat. b) *Ut suspensio* (dependentia), quatenus Deus res super abyssum nihili quasi suspensas teneat. c) *Ut subministratio*, seu ut iugis largitio dans esse. d) *Ut connexio* totius rei ne in nihilum dissolvatur 18.

S. IOANNES CHRYS. *Mirabilius quam creare res est has tenere, ne cadant in nihilum.* «Portansque, inquit, omnia, hoc est, gubernans, quae cadunt continet. Non est enim minus continere quam mundum fecisse; sed si quid mirum oportet dicere, est etiam maius. Nam illud quidem est ex nihilo aliquid producere; quae facta sunt autem relapsura ad nihilum continere... hoc est magnum et mirum et indicium magnae virtutis...» 19

ORIGENES. *Deus constringit et continet mundum* (R 458): «Quomodo enim in Deo vivimus et movemur et sumus, nisi quod virtute sua universum constringit et continet mundum?...»

235. S. IRENAEUS. *Res perseverant dum Deus vult eas esse* (R 207): «Ut enim caelum... et sol... et omnia ornamenta ipsorum, cum ante non essent, facta sunt et multo tempore perseverant secundum voluntatem Dei, sic... de omnibus his quae facta sunt, cogitans quis, non peccabit, cum omnia, quae facta sunt, initium quidem facturae suae habeant, perseverant autem donec ea Deus et esse et perseverare voluerit».

S. AUGUSTINUS. *Creata a Deo, si ipse non operetur, intercedent* (R 1694): «Sunt qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et iussit, Deum autem ipsum nihil operari... Credamus vel, si possumus, etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut, si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intercedant».

S. GREGORIUS M. *Omnia creata in nihilum redirent, nisi Deus ea conservaret* (R 2310): «Aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim haec omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse ne-

16 Cf. PETAVIUS, *De Deo* I.8 c.2; LESSIUS, 21,3,21-23; PINARD, 1188-1192.

17 O.c., n.38.

18 L.c., n.25.

19 In *Hebr.* hom.2 n.3; MG 63,23; cf. R 1134.

quaquam possunt... Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret».

236. 2) *Catechismus Romanus* (I,2,21): «Nec vero ita Deum Creatorem atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus, perfecto absolutoque opere, ea, quae ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita eius virtute constare potuisse. Nam quemadmodum omnia ut essent, Creatoris summa potestate, sapientia, et bonitate effectum est, ita etiam, nisi conditis rebus perpetua eius providentia adesset, atque eadem vi qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent. Atque Scriptura declarat, cum inquit: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod a te vocatum non esset conservaretur?*»

237. **Ratio theologica.** 1) Res mundi sunt entia ab alio, quae proin, ut talia, habent insufficientiam essentialem ut per se sint, et ideo egent causa externa qua fiant. At ea insufficientia ut per se sint sequitur esse creatum, dum est id quod est, seu semper. Ergo semper eget causa qua conservetur 20.

Minor confirmatur. Sufficientia essendi est perfectio divina creaturis incommunicabilis, nam: a) Non concipitur ea perfectio (seu esse a se) quae est Deo quasi principium perfectionum simplicium et quasi essentia entis infiniti, posse communicari modo finito (et ideo analogice) creaturae, ita ut tamen in hac maneat vera insufficientia essendi (I q.104 a.1 ad 2). b) Creatura esset simul ac sub eodem respectu et causa et effectus sui ipsius (I q.104 a.2 ad 2).

238. 2) Posita contingentia creationis, annihilatio mundi intrinsece non repugnat, ac proinde competit omnipotentiae Dei et absoluto omnium Domino; sed, cum ea sit terminus negativus, nequit obtineri nisi per subtractionem influxus conservativi, non ergo per influxum positivum. At, si res essent extra influxum Dei conservantem, nequirent eo a Deo privari. Ergo Deus nequit mundum non conservare (I q.104 a.3) 21.

239. Mundus, utpote contingens, habet causam externam sui, Deum; utpote creatus, est a Deo non solum secundum fieri, sed et secundum esse. At, si procedit a Deo secundum esse, nequit manere in esse, cessante influxu divino. Ergo mundus hoc influxu eget, ut permaneat.

Minor. Omnis effectus pendet a sua causa quatenus haec est causa eius. Ergo, si haec est causa eius secundum fieri, cessat effectus secundum fieri,

20 Cf. S. BONAVENTURA, *L.c.*; SUÁREZ, 21,1,16; cf. n.12: «Quia semper est idem et quod per se primo ei convenit, semper convenit».

21 Cf. SUÁREZ, 21,1,6-12.

cessante actione causae; si vero ea est causa effectus secundum esse, cessat effectus secundum esse, cessante actione causae (1 q.104 a.1 ad 2; 3 CG 65 n.4)²².

240. Obiectiones. 1. Creatura potest effectui suo dare ut sit, etiam cessante omni causae influxu. Ergo a fortiori Deus.

Dist. antec. Creatura potest facere ut effectus suus perseveret, cessante omni influxu causae primae, *nego antec.*; causae creatae, *subdist.*: si hic ad eam conservationem non est necessarius, *conc.*; secus, *nego.*

Cuiuscumque causae sit aliquis effectus, hic, ut perseveret, eget semper influxu Dei, etsi, iuxta inferius dicenda, forte nulla creatura ad eum effectum conservandum concurrat. Ceterum, si quis effectus a creatura est solum secundum fieri, perseverantia illius in esse est independens ab omni huius influxu; si vero ille aliquo modo esset a creatura secundum esse, haec nequiret facere ut sine ullo suo influxu ille maneret in esse. At omnis res est a Deo effectus secundum esse; hinc creatura, etsi producat rerum formas substantiales vel accidentales, nequit facere ut hae perseverent sine ullo influxu conservativo.

2. Res creata habet in se omnia requisita ad existendum. Ergo non eget conservatione divina.

Dist. antec. Res creata habet in se omnia requisita ad existendum, dependenter a Deo, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

241. 3. Omnis res tendit in sui conservationem. Ergo consequenter habet in se vim conservatricem.

Dist. antec. Omnis res tendit in sui conservationem, ut a Deo accipien-
dam, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Ins. Nulla creatura tendit in non esse. Ergo se ipsam conservat.

Dist. antec. Nulla creatura tendit in non esse, dum sustentatur a Deo, *conc. antec.*; sine illa sustentatione, *subdist.*: non tendit in non esse positive et absolute, seu quasi id appetens, *conc.*; negative et conditionate, seu si desit influxus Dei conservativus, *nego.*

4. Aliquae creaturae v.gr. spiritus, necessario existunt. Ergo saltem eae non egent conservatione.

Dist. antec. Aliquae creaturae existunt necessario et essentialiter, *nego antec.*; necessario et naturaliter, *subdist.*: respectu causae creatae, *conc.*; respectu Dei, *iterum subdist.*: sic tamen ut ab ipso iugiter in esse pendeant, *conc.*; secus, *nego.*

Nulla res existit necessario et essentialiter ut Deus, etsi postquam existit, possit aliqua exigere natura sua perseverantiam in esse et sic necessario existere; non vero quasi etiam ea nequeat a Deo annihilari ac proinde non eget iugi conservatione divina.

242. Scholion 1. *Concurrunt creaturae ad conservationem mundi?* Solus Deus, si vult, potest omnes res conservare, ut ipse solus eas ex nihilo creavit. At de facto, cum creaturae concurrant per eductionem ad productionem aliarum rerum, concurrunt etiam ad saltem harum conservationem?

a) Imprimis, quoad conservationem rei per se ipsam, fuerunt qui dicerent ad conservationem rerum non requiri determinatum Dei influxum ut ad creationem, sed sufficere concursum Dei generalem, quali opus est ad omnes actiones creaturae²³. Id tribuitur Henricho Gandav.²⁴ At ea opinio communiter reicitur ab auctoribus, cum ea creaturae concedat sal-

tem partialem sufficientiam essendi per se ipsam et proinde se ipsam quatenus producendi²⁵.

b) Iuxta omnes, unus Deus conservat omnia quae per se subsistunt, cum haec ab uno Deo creentur, ac conservatio, ut creatio, ipsum esse creaturae dandum attingat; et ea non subsistentia, quae a solo Deo fiunt ac fieri possunt v.gr. accidentia supernaturalia.

c) Non subsistentia (v.gr. formae accidentales et formae substantiales materiales) quorum causae secundae non desierunt agere in ea, conservantur etiam ab illis causis v.gr. actus immanentes, motus, lux, calor, etc.

d) Non subsistentia quae causis secundis fiunt, at in quae hae agere desierunt (non sunt v.gr. formae materiales substantiales vel etiam aliae accidentales) conservantur etiam causis generalibus v.gr. sole, etc., iuxta S.Thomam (1 q.104 a.2), S.Bonaventuram, Ruiz de Montoya, Urráburu²⁶, a solo autem Deo, iuxta Suárez, alios²⁷.

Difficile sane probatur creatura influere conservatione *directa* (de qua hic formaliter agitur) in ipsum esse. Quare melius distinguitur cum Valencia²⁸ inter *esse simpliciter* et *esse tale* (specificum vel accidentale); ita ut dicantur causae secundae concurrere solum ad hoc conservandum, quatenus concurrunt ad productionem dispositionum materiae ad unam vel ad aliam formam, quin tamen eae ipsum esse rei directe conservent i.e. conservant res solum indirecte, quatenus impediunt, non annihilationem, sed corruptionem. Quae omnia statuuntur probabilius, ex mox indicanda connexionem inter creationem et conservationem, ita ergo ut solius creatantis sit conservatio *directa* (3 q.13 a.2).

Immo, haec censenda sunt valere solum de influxu efficienti, qualis est influxus conservativus; si enim dicitur Deus creans formas materiales efficere et proinde etiam conservare dependenter a materia, ita ergo ut haec ad eam conservationem concurrat, id valet solum de genere causalitatis materialis, non efficientis, et sic pariter dici potest forma concurrere, causalitate solum formali, ad conservationem materiae; quod valet etiam de influxu animae rationalis in corpus²⁹.

243. Scholion 2. *De mente S.Thomae circa divinam universalem conservationem.* Aliqui³⁰ putant S.Thomam non docere conservationem divinam *universalem immediatam*, cum statuatur Deum aliqua, mediantibus causis secundis, conservare. «Invenitur etiam, quod ab aliqua creatura dependet aliquis effectus secundum suum esse: cum enim sunt multae causae ordinatae, necesse est, quod effectus dependeat, primo quidem et principaliter a causa prima, secundario vero ab omnibus causis mediis. Et ideo principaliter quidem prima causa est effectus conservativa: secundario vero omnes mediae causae: et tanto magis quanto causa fuerit altior et primae causae proximior; unde superioribus causis etiam in corporalibus rebus attribuitur conservatio, et permanentia rerum, sicut Philosophus dicit... quod primus motus, scilicet diurnus, est causa continuitatis generationis: secundus autem motus, qui est per zodiacum, est causa diversitatis, quae est secundum generationem et corruptionem...; sic igitur dicendum est quod Deus conservat res quasdam in esse, mediantibus aliquibus causis» (1 q.104 a.2; cf. *De pot.* q.5 a.1).

At aliud est Deum simpliciter alias res per alias conservare, et aliud Deum eo casu illas non immediate etiam per se ipsum conservare; verba

²⁵ Cf. LESSIUS, 10 c.4; *De summo bono* 3,4,30-36; URRÁBURU, *Theodicea* 2 p.725s.

²⁶ S.BONAVENTURA, 1 d.9 q.4; 2 d.33 q.2; RUIZ DE M., d.5.7.9; URRÁBURU, l.c.

²⁷ SUÁREZ, s.3 n.4-8; URRÁBURU (p.719) plures alios refert. Accedit OTTEN, n.92. BE-RAZA (n.1368) eam questionem, ut mere philosophicam habens, non solvit.

²⁸ In 1 t.1 d.8 q.2 p.2.

²⁹ Cf. PINARD, 1195.

³⁰ LERCHER, n.493,501; IGLESIAS, l.c.

²² Eam rationem acutae analysi subiiciunt CAIETANUS, In 1 q.104 a.1; SUÁREZ, n.14.

²³ Cf. LESSIUS, 10,4,27.

²⁴ Quodl. 1 q.6; 9 q.1; cf. RUIZ DE MONTOYA, *De providentia* d.5 s.5 n.2.

autem S.Doctoris non nisi per vim in hunc sensum postremum sumerentur, cum ipse ibi loquatur de conservatione et principali, seu per Deum, et secundaria, seu per creaturam, dum, si haec sola immediate rem conservaret, diceret S.Doctor simpliciter aliquas res conservari a causis secundis per vim acceptam a Deo, vel aliquid simile. Hinc statim addit (ad 1): «Deus immediate omnia creavit; sed in ipsa rerum reparatione ordinem in rebus instituit, ut quaedam ab aliis dependerent, per quas secundario conservarentur in esse, praesupposita tamen principali conservatione, quae est ab ipso» (cf. et 3 q.13 a.2).

Immo, verba S.Doctoris sic intelligi queunt, ut creaturae dicantur concurrere ad conservandum, non ipsum esse, sed *tale esse*, seu ut vitetur rerum, non annihilatio, sed corruptio³¹.

244. Scholion 3. De connexione inter actum creativum et actum conservativum. P.Bayle dixit conservationem non esse nisi creationem rerum singulis momentis noviter a Deo positam³². Henrichus Gandav., Gregorius Ariminensis, Aureolus³³, posuerunt conservationem ut actionem distinctam a creatione.

At communissima est contraria opinio, iuxta quam, conservatio est quaedam existentiae communicatio seu continuatio actionis creativae; et sic creatio ac conservatio sunt unus idemque actus, nec solum entitative (de quo nulla est quaestio), sed et terminative; non vero quasi actus creativus simpliciter sumptus sufficiat ad conservationem, sed quatenus ipse etiam ad hanc se extendit, ita ergo ut qua creativus et qua conservativus non differat nisi ratione; terminus ergo utriusque intrinsecus est idem, scilicet ipsum esse rei, sic tamen ut creationi respondeat *esse post non esse*, seu esse rei cum novitate essendi, seu esse in primo instanti, conservationi vero *esse post esse*, seu ipsum esse datum creatione cum permanentia, seu esse in subsequentibus instantibus (1 q.104 a.1 ad 4; *De pot.* q.3 a.3 ad 6; q.5 a.1 ad 2)³⁴.

Unde conservatio non est ut reproductio eiusdem esse, et multo minus ut productio novi esse. Cum vero actus creativus qua talis non det nisi initium essendi, conservatio *virtualiter* aequivalet *continuae* creationi. Nec vero res ita concipiatur, quasi actioni Dei conservantis successio ac tempus tribuatur, cum potius in Deo conservatio sit ipsa actio creativa aeterna ac proin tota simul, qua fit ut res sint dum sunt, quin ergo successio detur nisi ex parte creaturae. «Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse: quae quidem actio est sine motu et tempore...» (1 q.104 a.1 ad 4)³⁵.

245. Scholion 4. Annihilat Deus aliquid? Annihilatio opponitur creationi, corruptio educationi: illa ergo nequit esse, ut haec, actus positivus quo res dissolvatur in sua elementa componentia, sed actus pure negativus, qui consistat in ablatione influxus conservativi, ut res in nihilum redeat. Hinc, si agitur de re, quae creatur, ac proinde contingenti, seu quae potest esse vel non esse et est vel non est solum dependenti a causa externa, annihilatio non est conceptus in se contradictorius; ergo ea subest omnipotentiae Dei, quae ad omnia in se non repugnancia se extendat necesse est.

³¹ Cf. A.DONDEYNE, *De conservatione rerum a Deo*: CollatBrug 31 (1931) 116.

³² Cf. URRÁBURU, p.729.

³³ HENRICHUS G., *Quodl.* 1 q.9; GREGORIUS A., *In 2 d.1 q.6*; AUREOLUS, *In 2 d.1 q.4 a.2*. Cf. CAPREOLUS, *In 2 d.1 q.2 a.2 concl.3*; SUÁREZ, s.2.

³⁴ Cf. SUÁREZ, l.c.; URRÁBURU, p.729-735.

³⁵ Cf. SCOTUS, 2 d.2 q.1 n.4.17-25; LONCKE, *De vera relatione creationem inter et conservationem rerum*: CollatBrug 42 (1946) 408-413.

Aliunde Deus omnino libere res creavit. Ergo Deus eas annihilare potest. Immo, ipse solus id efficere potest, cum conservatio rerum a Dei voluntate sit, quae a nulla re extra se pendeat (1 q.104 a.3; *De pot.* q.5 a.3).

At est certa doctrina theologica, ait Pohle-Gummersbach, Deum de facto numquam mundum in huius complexu et in singulis partibus quoad eius substantiam in nihilum redacturum esse³⁶; quod valet etiam de substantiis materialibus (non vero necessario quoad *tale* earum esse). Eccl 3,14: *Didici quod omnia opera quae fecit Deus perseverent in perpetuum...* Sap 1,14: *Creavit ut essent omnia*. Cf. Ps 103,5. Et sane intentio prorogandi existentiam praesumitur per se in omni opere, cuius existentia pendet a sola voluntate auctoris, si nulla adsit ratio hanc restringendi, sed potius stet hic finalis ratio gloriae Dei (*De pot.* q.5 a.4; 1 q.104 a.4). Ceterum de eo asserto (quoad res materiales) constat etiam ex traditione in *Eschatologia*.

Nec transsubstantiatio eucharistica est proprie annihilatio substantiae panis et vini, cum illa operatio non tendat ad annihilandum, seu non consistat simpliciter in retractione influxus conservativi, sed solum tendat per se ad existentiam sacramentalem Christi inducendam, ac proinde sit operatio positive efficiens³⁷.

ARTICULUS II

DE CONCURSU IMMEDIATO DEI

Thesis 8. Deus concurrit physice et immediate cum creaturis agentibus.

S.TH., 1 q.105 a.5; 3 CG 668.80; *De pot.* q.3 a.7; SUÁREZ, l.c., 18 s.1; 22 s.1; *De concursu...* (quoad rationalia); LESSIUS, *De perfect...* div. 11,38; V.FRINS, *Concours divin*: DTC 3,781-796; L.TEIXIDOR, S.I., *Del concurso inmediato de Dios en todas las acciones y efectos de sus criaturas*: EstEcl 7 (1928) 5-23.146-160; 9 (1930) 321-250; 11 (1952) 190-227.289-322; K.RAHNER, *Mitwirkung Gottes*: LThK 7 (1962) 503.

246. Nexus. Deus omnes res creavit easque conservat; at cum eae agant, quaeritur nunc de eius actionis relatione ad Deum. Contra occasionalistas tenendum est totam illam actionem non soli Deo tribuendam esse. At tribuenda est ea tota creaturae, an partim etiam Deo, ita ut ab ipso creatura pendeat non solum qua Creatore et qua Conservatore, sed et qua Cooperatore, ipsam illius actionem in actu secundo attingente?

247. Notiones. CONCURSUS, seu *cooperatio* Dei ad actionem creaturae, est: a) *Moralis*, qualem Deus praestat rationali creaturae mediante huius intellectu ac voluntate, seu per mandatum vel suasionem vel alia media moralia, quibus actionem causae secundae determinare potest. b) *Physicus*, quatenus Deus efficientia physica influit in ipsam actionem creaturae.

Physicus est: a) *Mediatus*, quatenus Deus dat creaturae, et conservat, virtutem agendi seu vires activas quibus illa per

³⁶ O.C., 510; URRÁBURU, p.736-743; K.JÜSSEN, *Annihilierung*: LThK 1 (1957) 576s.

³⁷ Cf. SCHEEBEN, n.41-44.

se vere agere queat. In quantum Deus sine dependentia a virtute superiore dat eam virtutem, seu a se ut eius fonte, et quidem totam, is concursus potest dici *immediatus immediatione virtutis*. b) *Immediatus*, quatenus Deus una cum causa creata eandem actionem elicit et sic eundem effectum producit. In quantum inter Deum agentem et ipsam actionem ac consequenter et ipsum effectum, nullum aliud agens medium intercedit, is concursus potest dici etiam *immediatus immediatione suppositi*.

Immediatus est: a) *Generalis* (universalis, ordinarius, naturalis), si datur ad actionem naturalem. b) *Specialis* (particularis, extraordinarius, praeternaturalis vel supernaturalis), si datur ad actionem praeternaturalem vel supernaturalem.

248. CREATURAE AGENTES SUNT omnes causae creatae, efficientes *quamlibet* actionem, seu bonam vel malam, magnam vel parvam.

249. Agitur hic de *concursu*, non morali, cum facile admittatur, nec de physico mediato, cum etiam de eo facile constet, sed de *physico immediato*, qui requiratur ad omnem actionem, qualiscumque ille sit sive generalis sive specialis pro actionis natura.

Tamen hic non respicitur nisi factum, quod ad omnem actionem ille requiratur, ita vero ut maxime ad *naturalem* attendamus, cum de *speciali* in alio tractatu agatur. Ceterum, si probatur concursus ad omnem actionem requiri, eo ipso id valet etiam de actione supernaturali; dum necessitas concursus specialis non necessario infert necessitatem concursus pro actione naturali.

250. N.B. a) Concursus est immediate non ad ipsum effectum producendum vel conservandum, sed ad ipsam *actionem*, et solum consequenter est ad illum. Non ergo agitur de mera iuxtapositione duorum agentium in ordine ad unum effectum communem, ita ut Deus agat *cum creatura*, sed est conspiratio in ipsa actione, ita ut Deus agat simul et *per creaturam* et *cum* ea. Sic ergo Deus concurret non mere ad actionem et effectum, sed in actione et effectui; at agit in ipsa creatura operante, cum non influat manens extra ipsam, sed ei intime praesens.

b) Bene distinguendum est inter factum concursus et eius explicationem philosophicam, v.gr. de modo quo una eademque actio a duabus causis esse queat. Per se nos non agimus nisi de ipso concursus facto. Tamen res sic concipitur, ut actio et consequenter effectus sit non partim a Deo et partim a creatura, sed totaliter ab utroque (3 CG 70), et tam Deus quam creatura sint causae partiales eius actionis (unde utraque agit partialitate causae et totalitate actionis ac effectus) cum neutra *prout agit* sit, separatim sumpta, par effectui producendo; at vero ut exigit relatio inter causam pri-

mam et secundam, ita ergo ut non sint causae mere coordinatae, sed creata subordinetur increatae et ideo entitas actionis magis Deo quam creaturae tribuatur¹; ergo eae causae nec qua agentes sunt eiusdem ordinis.

Nec censendae sunt esse causae sub eodem respectu, cum secus una sufficeret; ideo bene concipitur causa prima effectum producere secundum eius *esse*, creatura vero secundum *tale esse* seu secundum eius specificationem.

At causa creata est vera causa principalis in sua linea relate ad effectum, qui de facto obtinetur, et quem proin sibi assimilat; nec est mere Dei instrumentum, nisi agatur de effectu non connaturali viribus causae creatae. Hinc si creatura non est elementis ad agendum necessariis completa, concursus ordinarius non sufficit ad effectum ei connaturalem, sed requiritur specialis. Tamen ordinarius ita est necessarius ad effectum connaturalem creaturae, ut haec etiam in actu primo proximo ad agendum constituta nequiret sine eo agere.

251. c) Concursus est necessarius etiam ad peccatum, non vero quatenus hoc est malum, sed quatenus entitas actionis et effectus est aliquid physice bonum.

d) Concursus a nobis descriptus et in thesi propugnandus est *simultaneus* cum ipsa actione creaturae. Utrum hic sufficiat, ut volunt Molinistae, an requiratur etiam, ut volunt Bañeziani, *praevius* et quidem ab alio illo distinctus sive re, iuxta alios, sive solum ratione, iuxta alios², in thesi non agitur, cum de ea questione, prout ea est de concursu vel naturali vel supernaturali, satis dicatur vel in philosophia vel in tractatu *De gratia*.

e) Fontes solent statuere explicitate factum concursus, non vero semper huius necessitatem nisi implicite, quatenus illud hanc supponit, cum secus sola creatura saltem aliquando ageret.

252. **Adversarii.** S. Augustinus memorat quosdam «qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et iussit, Deum autem ipsum nihil operari» (R 1694).

Negant ulterius concursum immediatum, cum causa creata habeat a Deo, a quo etiam conservatur, omnia quibus agere per se sola possit: OLIVI³, DURANDUS⁴, IGLESIAS, MANYA et, ut videtur, PAPAGNI ac SERTILLANGES⁵.

¹ Cf. SCHEEBEN, o.c., 2 § 131 n.46s.

² Cf. STUFLE, *Das Wirken Gottes in den Geschöpfen nach dem hl. Thomas*: ZkathTh 4 (1925) 209s. Immo A.VAN HOVE (*De motione divina in ordine cum naturali tum supernaturali animadversiones*: DivThom [P] 36 [1933] 256-262) putat ipsum concursum (bañezianum) non distinguere ab influxu creativo et conservativo. Sed sic non statuitur re concursus mediatus? Ei contradicit E.NEVEUT, in articulum A.van Hove «De motione divina» animadversiones: Ibid., 590-593.

³ Cf. STUFLE, *Die Konkurslehre des Petrus Olivi*: ZkathTh 54 (1930) 406-424; cf. J.KAUF, *Zur Konkurslehre des Petrus Olivi und des hl. Bonaventura*: FranzStud 19 (1932) 315-326 (ei opponit contrariam doctrinam S.Bonaventurae).

⁴ In 2 d.1 q.5; d.37 q.1. De Petro Paludano eum refutante, cf. M.GRABMANN, *Petri de Palude* († 1342). Quaestio: «Utrum Deus immediate agat in omni actione?»: ActPontAcRomSTh 6 (1940) 41-58.

⁵ IGLESIAS, o.c., n.233-245; ID., *De Deo creationis finem exsequente* (Mexico 1951) cf. v.gr. 153; I.B.MANYA, Pbr., *De Deo Cooperante* (Barcelona 1946) c.6; T.PAPAGNI, O.P., *La mente di S.Tommaso intorno alla mozione divina nelle creature...* (Benevento 1902) c.3s; SERTILLANGES, Saint Thomas d'Aquin (Paris 1925) 1,255-268; ID., *Les grandes thèses de la philosophie thomiste* (Paris 1928) 138-143.

253. Recentius controversia exstitit de mente veterum scholasticorum in hac re, quasi, ut pauci minus probabiliter putarunt, concursum immediatum ignoraverint S.Thomas⁶, Ioannes Neapolitanus⁷, alii⁸. Dubitatum est an Pelagiani negarent etiam concursum naturalem⁹.

254. Valor theologicus. Saltem moraliter certa.

Alii vero aliter rem aestimant. «Hanc tamen doctrinam, ait Beraza, ut temerariam, erroneam, minus tutam in fide, necnon ut haereticam, reiciunt plures et graves doctores...¹⁰ Thesis igitur nostra, licet non sit expressum dogma fidei, ita tamen est certa ut absque magna temeritate negari non possit». Ei assentitur Otten. Pro Parente: «saltem theologicæ certæ». Pesch: «Thesis non est de fide, quia neque a concilio definita est neque ex aliis fontibus cum tanta certitudine eruitur». Pro Pohle-Gummersbach: «sententia communis»; pro Lercher: «exhibet sententiam communissimam»; pro Scheeben, si non est de fide, est theologicæ certa, ita ut contraria sit saltem habenda ut temeraria et erronea; pro Teixidor, theologicæ et philosophicæ certa; pro Vandenberghe, certa¹¹.

Suae de S.Thomae doctrina concursus interpretationi Stufler his finem imponit: «Hinc sequitur, Aquinatam necessitatem concursus immediati specialis negare, quam theologi recentiores certam vel etiam fidei proximam declarant et contra Durandum strenue defendunt. Num autem concursus specialis et immediatus sine errore negari non possit, est quaestio, quam hic exactius examinare opportunum non est. Hoc unum tantum animadver-

⁶ Id acriter defendit STUFLE, *Divi Thomae Aquinatis doctrina De Deo operante...* (Oeniponte 1923); ID., *Ergebnis der Kontroverse über die thomistische Konkurslehre*: ZkathTh 51 (1927) 329-360; ID., *Gott, der erste Bewegter aller Dinge. Ein neuer Beitrag zum Verständnis der Konkurslehre des hl. Thomas von Aquin*: PhGrenzWiss 6 (Innsbruck 1936); item IGLESIAS, o.c.; assentiuntur LERCHER, 2³ n.503; PESCH, 3 n.69 (ut videtur), L.FUETSCHER, *Acto y potencia* (Madrid 1948) c.20 § 3. Ei vero S.Doctoris interpretationi, quam primo Stufler edidit, plurimi resisterunt v.gr. H.LANGE, S.I.: THRev 23 (1924) 348s (at agnoscens seria motiva pro Stufler); F.ZIGON, *Divus Thomas arbiter controversiae de concursu divino* (Goritiae 1923); HUARTE, *Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante*: Greg 6 (1925) 81-114; D'ALÈS, *L'opération de Dieu dans la créature d'après un ouvrage récent*: EphThLov 2 (1925) 543-550; J.MARXUACH, S.I., *Es contrari a la ment de Sant Thomas el concurs simultani de Deu amb les causes segones?* Crit 2 (1926) 152-159; cf. ID., *Doctrina Sancti Thomae circa concursum Dei cum causis secundis*: EstEcl 6 (1927) 208-213; maxime vero ex thomistis, R.M.SCHULTES, S.I., *Die Lehre des hl. Thomas über die Einwirkung Gottes auf die Geschöpfe*: DivThom(Fr) 2 (1924) 176-195.277-307; ID., *Die Entwicklung der Stufler-Kontroverse*: ibid., 3 (1925) 360-369.464-482; R.MARTIN, O.P., *Pour S.Thomas et les Thomistes contre le R.P.Jean Stufler, S.I., dans le débat touchant l'influx de Dieu sur les causes secondes* (Saint-Maximin 1926); cf. RevThom (1924-1926). Nuper J.H.NICOLAS, O.P., *La permission du péché*: RevThom 60 (1960) 9-13; STUFLE, saepius impugnatoribus suis respondit: cf. ZkathTh (1923-1927); EphThLov 3 (1926) 201-210.

⁷ Cf. STUFLE, *Ist Johannes von Neapel ein Zeuge für die praemotio physica?*: ZkathTh 46 (1922) 489-509; ID., *Zur Kontroverse über die praemotio physica*: ibid., 47 (1923) 533-564. Aliter vero SCHULTES, *Johannes von Neapel, Thomas von Aquin und P.Stufler über die praemotio physica*: DivThom (Fr) 1 (1932) 123-145.

⁸ Cf. IGLESIAS, *De Deo in operatione naturae...* n.59-99; ID., *La antigua escolástica y la teoría del concurso inmediato*: CiencFe 7 (1945) 84-106; W.SCOLLGEN, *Das Problem der Willensfreiheit bei Heinrich von Gent und Hervaeus Natalis* (Düsseldorf 1927), de quo opere cf. F.PELSTER, S.I.: Schol 3 (1928) 431s; FRINS, 782.

⁹ BELLARMINO, *De gratia et libero arbitrio* l.4 c.4; SUÁREZ, *De gratia*, proleg.5 c.4; SCHEEBEN, o.c., § 131 n.52. Cf. E.PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2382; FRINS, 782. Minus placet dicere cum H.RONDET, S.I. (*Gratia Christi* [Paris 1948] 108 not.3) hanc questionem esse anachronicham, quasi nec S.Augustinus nec Pelagiani exacte distinguerent concursum naturalem a supernaturali; sed id forte valeat de S.Hieronymo (R 1403).

¹⁰ Cf. MOLINA, *In 1 q.14 a.13 d.5* (opinio Durandi ad minimum falsa et minus tuta et plurimis videtur erronea); VALENCIA, *In 1 d.3 q.1 punct.1* (thesis nostra certa ex fide); SUÁREZ, *Disp. Metaph.* 22,1,6; *De conc.* 1,4,1 (adeo certa, ut contraria sit erronea in fide et quae ut talis ab omnibus theologis reiciatur).

¹¹ BERAZA, n.1386; OTTEN, n.97; PARENTE, 85; PESCH, 3 n.69; POHLE-GUMMERSBACH, 447; LERCHER, 3 n.503.509; SCHEEBEN, n.48; TEIXIDOR, l.c., 11 (1932) 321s; VANDENBERGHE, *De motione divina*: CollatBrug 37 (1937) 131.

tere sufficiat, argumenta, quae pro necessitate concursus immediati et specialis ex S.Scriptura et operibus SS.Patrum a theologis afferri solent, non tam valida esse, ut ex se solis certitudinem solidam gignant: illud vero argumentum, quod ex unanimi consensu theologorum petitur, iam propter contrariam doctrinam S.Thomae multum roboris amittit¹².

255. **Ecclesia**, etsi nulla documenta expressa pro hac thesi ediderit, tamen non parvam vim sua auctoritate ei indirecte confert, quatenus, cognoscens consensum moraliter communem theologorum, permittit ut ea doctrina populo ut catholica praedicetur; patet v.gr. ex verbis Catechismi Rom. inferius afferendis, et ex libro exercitiorum S.Ignatii: «Tertium considerare quomodo Deus operatur et laborat propter me in omnibus rebus creatis super faciem terrae, id est, habet se ad modum laborantis, ut in caelis, elementis, plantis, fructibus, gregibus, etc., dando esse conservando, donando vegetationem et sensum, etc.»¹³, quae postrema non necessario, at obvio sensu concursum immediatum referunt.

256. **Probatur ex sacra Scriptura**. Haec inducit Deum operantem in mundo, vel etiam ipsi actiones creaturae sive rationalis sive irrationalis tribuit; id vero non valet, nisi contrarium in aliquo casu constet, de sola conservatione, cum hanc Deus exercent sive aliquid agens sive quiescens; nec de concursu mediato, qui solum vi plerumque supponeretur. At non dicitur thesis in ea sic clare proponi, explicite vel implicite, ut de fide divina dici queat.

Is 26,12: *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.*

Ps 146,7s: *Praecinite Domino... Quia operit caelum nubibus et parat terrae pluviam; qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum*¹⁴.

2 Mac 7,22s: *Dixit (mater Machabaeorum) ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem...*

Solet afferri et Iob 10,8-11: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me lotum in circuitu... Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegistis me.*

¹² *Divi Thomae Aquinatis doctrina...* n.282, ubi ceterum simul apparet Stufler negationem concursus non proponere ut suam: cf. ID., *Zur Kontroverse über die praemotio physica*: ZkathTh 47 (1923) 563s. Contrarium tamen ei imputaverunt quidam, ut PARENTE, 84.

¹³ *Contemplatio ad amorem* n.236. Cf. et L.DE LA PUENTE, S.I., *Meditationes spirituales* medit.28 p.3.

¹⁴ *Liber psalmodum* 307: «Cantate Domino... qui caelum operit nubibus, qui pluviam terrae parat; qui producit in montibus gramen, et herbam, ut serviat homini...»

Haec non tribuerentur Deo sic emphatice, si iis exprimeretur sola prima productio hominis, ita ut Iob solum a suis parentibus proxime factus esset. At forte iis mere statuitur vivide nos omnia a Deo accepisse¹⁵.

257. Io 5,17: *Pater meus usque modo operatur*. His tribuitur Deo aliqua operatio *ordinaria*, cum modo generali enuntietur, quae est vel conservatio vel concursus, non quidem mediatas, nisi violentia textui inferatur, sed immediatus (qui ceterum a fortiori conservationem supponat); at cum ibi agatur de aliqua actione particulari Christi, pronum est ut etiam agatur directe de actionibus particularibus Patris, prout ipse contextus petere videtur, potius quam de aliqua actione generali, qualis est conservatio, et quae difficilius voce «operatur» audientibus indicaretur.

Act 17,24-28: *Deus, qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic caeli et terrae cum sit Dominus, non... indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia... In ipso enim vivimus et movemur et sumus.*

Difficile sumerentur haec de sola conservatione, et non potius de continuo Dei influxu in totam activitatem vitalem. Hinc etiam, si postremis verbis adeo emphaticis sola conservatio indicaretur, non diceremur *moveri*, sed solum vivere et esse; ergo exprimitur influxus Dei immediatus in totam activitatem humanam internam et externam.

I Cor 12,4-6: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

His agitur, ut patet, de gratiis supernaturalibus; at immerito formula adeo absoluta «operatur omnia in omnibus», quae effertur ut principium generale, intelligeretur solum de eo ordine.

258. **Probatur ex traditione.** 1) Nec SS.Patres rem docent expressis terminis technicis; at certe iis qui obvio sensu nequeant de sola conservatione vel de concursu solum mediato sumi, maxime si contra manichaeos reiciunt agens independens a Deo, vel si contra pelagianos statuunt formulis generalibus speciale Dei auxilium ad bene agendum requiri. Ceterum appellant etiam aliqua loca Scripturae a nobis nuper allata.

ORIGENES: *Deus semper operatur*. «Semper videmus Deum operari, et nullum sabbatum est, in quo Deus non operetur, in quo non producat solem suum super bonos et malos et pluat super iustos et iniustos, in quo non producat in montibus foenum, et herbam servituti hominum, in quo non percutiat et

sanet, deducat in infernum et reducat, in quo non occidat et vivere faciat...»¹⁶

S.THEOPHILUS ANTIOCH.: *Deus operatur, movet, vivificat omnia*. «Deus dicitur, διὰ τὸ θεοικέναι id est, quia omnia in sua ipsius stabilitate posuit, et διὰ τὸ θεῖν, quod idem est ac currere et movere et operari et nutrire et providere et gubernare et vivificare omnia...» (R 171).

S.I.CHRYSTOSTOMUS: *Deus perpetuo in omnibus operatur*. «Cum vides ergo solem orientem, lunae cursum, stagna, fontes, fluvios, pluvias et naturae cursum sive in seminibus, sive in nostris et brutorum corporibus, aliqua omnia per quae hoc universum consistit, disce perennem perpetuam Patris operationem»¹⁷.

259. S.HIERONYMUS: *Ad omnem nostram actionem necessarium est auxilium Dei*. «Audite, quaeso, audite sacrilegum (Pelagium). Si, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere..., semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi, ingratus, immo, sacrilege, apostolum praedicantem: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Dei agite*» (R 1356).

Iterum contra Pelagium: «Critobulos. Si in singulis rebus quas gerimus, Dei utendum est adiutorio, ergo et calamum temperare ad scribendum et temperatum pumice terere, manum aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, et cetera huiusmodi, nisi Deus iuverit, non poterimus? Atticus. Iuxta meum sensum non posse perspicuum est» (R 1403).

N.B. Hoc assertum Hieronymianum concursus valet, quidquid sit de vera mente Pelagii in hac re (n.253).

260. S.AUGUSTINUS: *Deus operatur magna et minima in mundo*. «Proinde et quod Dominus ait: *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quamdam operis sui, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret: *Et nunc operatur*, ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus. Aliter autem cogit intelligi cum ait: *Usque nunc*, ex illo scilicet quo cuncta cum conderet, operatus est».

«Sunt qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: *Pater meus usque nunc operatur* (R 1694).

¹⁶ In Num. hom.23 n.4: MG 12,750.

¹⁷ In Io. hom.37 n.2: MG 59,214.

¹⁵ Cf. POHLE-GUMMERSBACH, I,512.

Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari non in hoc mundo: *Pater in me manens, inquit, facit opera sua; et sicut Pater suscitatur mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat...* Deinde quia non solum magna atque praecipua, verum etiam ista terrena et extrema ipse operatur, ita dicit apostolus: *Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi moriatur; et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum fere tritici aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus.* Sic ergo credamus, vel si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intercidant» 18.

261. 2) *Catechismus Rom.* (1,2,22): «Non solum autem Deus universa, quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat, verum etiam quae moventur et agunt aliquid intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediatur, praevenerit tamen, cum eius occultissima vis ad singula pertineat, et quemadmodum sapiens testatur, *atingat a fine usque ad finem fortiter et disponat omnia suaviter.* Quare ab apostolo dictum est...: *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus et movemur et sumus.*»

262. **Ratio theologica.** 1) Omne ens creatum, utpote essentialiter ab alio, pendet in esse essentialiter ac immediate, quolibet momento ac proin etiam primo instanti sui esse, a Deo. Ergo nequit incipere esse sine actione Dei, cum secus aliquo momento esset sine Deo immediate conservante, et cum non requiratur plus ut semel factum permaneat, quam ut fiat.

2) Perfectio dominii Dei exigit ut actio creaturae, ut quodlibet aliud ens creatum positivum, ita immediate pendeat a Deo, qui eam vel directe per suum concursum ponat vel, hoc negato, impediatur.

3) Creatura, utpote ens contingens, nequit sibi, et a fortiori aliis, esse dare, et acceptum, saltem sola, conservare. Ergo nec sola illud esse operatione perficere sive in se sive in aliis 19.

263. **Obiectiones.** 1. Creatura habet vires sufficientes ad agendum. Ergo non eget concursu.

Dist. antec. Creatura habet vires sufficientes ad agendum in omni linea, *nego antec.*; in linea causae secundae, *subdist.*: sub influxu Dei, *conc.*; secus, *nego.*

2. Una numero actio nequit pendere immediate a duabus causis. Ergo actio creaturae nequit esse etiam a Deo.

Dist. antec. Una numero actio nequit esse immediate a duabus causis creatis, *conc. antec.*; ab una causa creata et alia increata, *subdist.*: sub eodem respectu, *conc.*; sub diverso, *nego.*

18 *De Gen. ad litt.* 4,12,23; 5,20,40: ML 34,304-335.

19 Cf. FRINS, 784s.

Revera non concipitur una numero actio posse esse immediate a duabus causis creatis, saltem naturaliter agentibus; at nihil impedit quin Deus omnipotens ponat actionem, quatenus eam creatura ponere nequeat, seu ut ens; quod tamen a creatura suam specificationem accipiat, seu ut fiat tale ens.

264. 3. Posito concursu, creatura numquam esset causa principalis. At de facto ea saepe agit ut causa principalis. Ergo non datur concursus.

Dist. mai. Posito concursu, creatura numquam esset causa principalis respectu causae primae, *conc. mai.*; absolute, *nego mai.*

Causa principalis est ea quae in sua linea est proportionata effectui, quem proin sibi assimilat; iam vero creatura est proportionata effectui, quatenus facit ut ens sit tale.

4. Si Deus concurreret, ipse solus, utpote infinitus, poneret actionem. At creatura ponit actiones. Ergo Deus non concurrat.

Dist. mai. Si Deus concurreret, ipse solus, utpote infinitus, ponere actionem posset, *trans. mai.*; de facto eam poneret, *subdist.*: totalitate actionis et effectus, *conc.*; totalitate causae, *nego.*

Deus solus posset ponere omnes actiones creaturae *non vitales*; sed has solum; ideo transmisimus maiorem. At voluit ut creatura etiam ageret, quin tamen ei, utpote enti ab alio, sicut nec potentiam se creandi vel conservandi, ita nec potentiam agendi independentem a Deo dare posset; quam proin Deus insufficientiam creaturae mere supplet, ut haec per se agat 20.

265. **Corollarium.** *De dependentia creaturae a Deo.* Creatura in eam dignitatem elevata est, ut Dei participationem etiam in agendo obtinuerit; at simul ab ipso dependet, non solum in duratione suae existentiae, sed etiam in exercitio activitatis suae, ita ut quidquid positivum est in hac, etiam ipsi Deo ut immediato cooperatori tribuendum sit. En fons humilitatis pro creatura, simul ac ratio laetitiae, ex eo quod singulis momentis adeo intime et immediate et essentialiter a Deo pendeat.

«Hinc sequitur, ait Lessius, sicut nulla creatura fieri potest, quae non dependeat ab influxu Dei in existendo, ita nulla fieri potest, quae non dependeat ab illius influxu in operando. In utroque enim aequae eget influxu Dei propter essentialem ordinem et dependentiam ab ipso qui est omnium esse, omnium vigor» 21.

266. **Scholion.** *De Bañezianismo et Molinismo in hypothesi concursus mediati.* Uterque, ut notum est, requirit, iuxta thesim superiorem, concursus Dei physicum immediatum ad quamlibet creaturae actionem. At dum, iuxta illum, ad quamlibet actionem creaturae opus est praedeterminatione physica, seu motione divina in creatura physice recepta prius natura actione eius, hic putat sufficere ad hanc concursum qui natura simul cum hac detur. Quoad causam ergo liberam, ille, ut plene tueatur absolutum Dei dominium etiam in actiones creaturae liberis, tenet Deum semper praedeterminare physice voluntatem acturam ad eius actum; dum hic, ut libertatem creaturae omnino in salvo reponat, dicit voluntatem seipsam ad actum determinare, sed ope concursus simultanei divini, quin ergo ea sine hoc illam determinationem vel incipere queat.

Quin ergo, iuxta nuper dicta, intendamus eam quaestionem saecularem hic disputare, id tantum nunc notamus: si contra nostram thesim negaretur concursus immediatus, rueret Bañezianorum et Molinistarum conceptio de concursu immediato ut actione distincta a creatione ac perpetua conser-

20 Cf. LERCHER, n.508.

21 *O.c.*, 11,3,14.

vatione; immo ruerent sive praemotio physica illorum sive horum concursus simultaneus. Ergo quaestio apud illas scholas iamdiu agitata radicatus tolleretur. At non eo ipso rueret principium fundamentale et essentiale Molinismi, quod voluntas per se ipsam sine praedeterminatione physica se ad actum determinet²².

ARTICULUS III

DE MUNDI GUBERNATIONE

267. Cum providentia sit ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeexistens (I q.22 a.1), gubernatio est executio providentiae per directionem rerum in finem, seu in earum fines proximos, et per hos in ultimum. Est ergo actio qua Deus exsequitur ordinem rerum ab aeterno cognitum ac praestitutum. Ad eam pertinet, praeter creationem, conservatio rerum et earum motio in finem. Nunc vero solum ea motio respicitur.

a) Dari eam gubernationem est *de fide divina et catholica definita* in C.Vaticano: «Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*» (D 1784).

Et constat ex iisdem locis Scripturae ac Patrum quibus alibi probatur existentia Providentiae, cum haec potius ex rerum gubernatione demonstraretur. Nam sapientiae ac bonitatis Dei est omnia a se creata in finem perducere; quod fieri patet ex perfectissimo universi ordine quo omnia conspirant in finem, alia, quae hunc cognoscunt, ut agentia seipsa in eum, alia ut ab aliquo in eumdem directa (I q.103 a.1).

b) Summus mundi gubernator est unus Deus. Oportet enim ea gubernatio spectet ad ipsum Creatorem, a quo est et in quem mundus ordinatur. Sane cum finis proximus gubernationis sit unitas et pax in multis, ea, ceteris paribus, multo melius obtinetur per unum gubernatorem quam per plures, si ille unus habet in se quidquid adiumenti accipere ab aliis gubernatoribus posset, ut accidit in casu nostro (I q.103 a.3). Mira autem unitas, quae in tam multis ac variis mundi rebus splendet, unum prodit summum gubernatorem.

268. c) Deus vero ipse solus mundum gubernat, quatenus ipse solus habet rationem ordinis omnium rerum, etiam minimarum, in finem, et quatenus ab ipso solo pendet ut illa ratio efficaciter perficiatur.

²² Cf. STUFLE, *Divi Thomae Aquinatis...* n.261-282; *Id., Gott, der erste Beweger...* p.179-183.

Ipsa realis gubernatio omnium, etiam minimorum, exercetur a Deo immediate. Nam gubernatio divina eo se extendit quo se extendit divina causalitas; quae certe attingit omnes res in earum et esse et agere. At eam gubernationem sic hierarchice instituit, ut eam non semper solus efficiat, sed eam ad alia per alia derivet (3 CG 78). Ipse solus gubernat in ordine naturali creaturas supremas uni Deo subiectas, in ordine vero gratiae omnes, quatenus ipse solus iis gratias confert supernaturales.

Reliquas vero gubernat semper immediate suppositi, et simul utens ministerio causarum secundarum. S. Augustinus: «Sed quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitae; et spiritus vitae irrationalis per spiritum vitae rationalem; et spiritus vitae rationalis desertor atque peccator per spiritum vitae rationalem pium et iustum; et ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum; ex quo et per quem et in quo etiam condita atque instituta est. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris aut iubeatur aut permittatur... in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica»¹.

Id vero Deus facit, non ob defectum virtutis, sed ut ipsum bonum gubernandi aliis communicet. «Tanto erit melior gubernatio quanto maior perfectio a gubernante rebus gubernatis communicatur... Et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat: sicut si aliquis magister discipulos suos non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores» (I q.103 a.6).

269. d) Divina vero gubernatio est infallibilis, ut ipsa Providentia cuius est executio. Ut enim Deus libere creavit, sic libere omnia ad finem praeordinavit, nec solum creaturas irracionales, sed etiam liberas, ita tamen ut hae libertate sua non privarentur.

«Omnis inclinatio alicuius rei vel naturalis vel voluntaria nihil aliud est quam quaedam impressio a primo movente: sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante. Unde omnia quae aguntur vel naturaliter vel voluntarie, quasi propria sponte perveniunt in id ad quod divinitus ordinantur; et ideo dicitur Deus omnia disponere suaviter» (a.8).

¹ De Trinit. 3,4,9: ML 42,873.

e) Hinc ulterius, cum Deus sit causa universalis omnia disponens et exsequens, nihil accidere potest praeter ordinem gubernationis divinae, utique vero praeter ordinem causae particularis. Ideo respectu Dei nihil est casuale vel fortuitum in mundo, etsi quid tale respectu causae secundae esse possit (a.7).

Inde etiam, cum Deus omnia per bonum disponat, nihil totaliter malum est in mundo, cum malum semper adiungatur bono, et ideo non sit extra ordinem divinae gubernationis, etsi sit extra ordinem boni particularis.

f) Finis vero totius gubernationis nequit esse nisi ipse Deus. Etsi enim finis intrinsecus et proximus mundi sit bonum in ipso existens, seu ordo universi, tamen totum universum tendit ad participandum et manifestandum bonum extrinsecum supremum, seu ipsum Deum. «Bonum extrinsecum a toto universo est finis gubernationis rerum, sicut habitum et repraesentatum: quia ad hoc unaquaeque res tendit, ut participet ipsum et assimiletur ei quantum potest» (a.2) ².

270. *Scholion. De dominio Dei in creaturas.* Deus habet in omnem creaturam *dominium proprietatis*, seu ius disponendi de ea ut de re sua, quam sine alicuius iniuria conservare, donare, destruere queat. Quod stat titulo creationis, conservationis, ultimi finis (redemptionis hominis in ordine gratiae), quatenus quaelibet creatura est ex Deo, in Deo, propter Deum. Qui tituli, cum supponant essentialiam creaturae dependentiam a Deo, quatenus ipse non potest facere ut, quolibet eorum ablato, creatura subsistat, nequeunt, vel de potentia absoluta, ab ipso, creatura existente, etiam uno momento recusari.

Ergo creatura non est domina sui; unde, si libera sit, nequit ullo momento moraliter agere, nisi ad voluntatem Domini sui per ipsius leges manifestatam. Ergo a fortiori non est relate ad Deum domina aliarum rerum, et proin de rebus quas possidet nequit umquam disponere ad libitum, sed ad normam legis divinae.

Uterius ex dominio proprietatis exurgit in Deo *dominium iurisdictionis*, seu gubernandi subditos vel iubens vel vetans vel puniens vel praemiens, etc.; qui enim potest de re aliqua disponere, a fortiori potest eam regere et gubernare, ita ergo ut Deus etiam illud dominium numquam recusare possit. Ideo, cum solus Deus habeat illud, omnis vera iurisdictionis, quae apud creaturas vigeat, nequit esse nisi a Deo, et proin nemo potest eam exercere nisi ad normam legis divinae ³.

² Cf. BERAZA, n.1396-1401; DAFFARA, n.138-159; LAMIROY, *De divina gubernatione*: CollatBrug 25 (1925) 112-115; VANDENBERGHE, *De directione rerum in finem*: Ibid. 37 (1937) 224-227.

³ Cf. LESSIUS, o.c., l.10 c.1-3; BERAZA, n.1402.

LIBER II

De angelis

271. Consideravimus hucusque factum creationis omnium rerum extra Deum existentium; eius adiuncta sive temporis sive libertatis ex parte Dei; eius causam sive finalem sive exemplarem; omnium earum rerum conservationem; tandem divinum ad earum actiones concursum. Iam quaeritur in specie de iis creaturis; at ea quae in rebus sive inanimatis sive irrationalibus ad theologum qua talem spectant, fere praecedentibus continentur. Cum vero supra eas sit homo et supra hominem angelus, de his in specie nunc venit agendum, ita vero ut ratione dignitatis eius primo de angelo, dein de homine dicatur.

De angelo ceterum etiam ideo theologo disputandum est, quod eius natura quamdam cognationem cum anima humana habeat; sors moralis eius cum sorte hominis fere conveniat; influxus non levis eius in hominem viatorem exercentur.

Eius ergo investiganda sunt hic existentia, natura ac proprietates, elevatio ad ordinem supernaturalem et plurium angelorum lapsus ac damnatio, relationes ad hominem tam horum quam bonorum angelorum.

CAPUT I

De angelorum creatione

ARTICULUS I

DE EXSISTENTIA ANGELORUM

Thesis 9. Exsistunt angeli.

S.TH., I q.50 a.1; 2 CG 46,91; S.BONAVENTURA, *In 2 d.i. p.2 a.3 q.1*; SUÁREZ, *De angelis* l.1 c.1; PALMIERI, th.18; BERAZA, n.363-373; A.MARTÍNEZ, o.c., p.31-49; FLICK, o.c., 491-549.

272. *Nexus.* Prima ergo quaestio de angelis est de existentia eorum, proposita aliqua angeli notione, quae ipsum satis ab omni alia re nobis nota discernat, etsi intimam naturam eius nondum definiat. Dein aliae quaestiones quae cum eorum existentia connectuntur erunt proponendae.

273. **Notiones.** EXSISTUNT dicitur ut sola eorum existentia asseratur, praecisione facta a modo quo eam obtinent, cum sat constet eos nonnisi creatos a Deo existere.

ANGELUS, vi vocis originariae ex graeca ἄγγελος, et officium, non naturam, significantis¹, est idem ac *missus, nuntius*; sumitur hic: 1) Non *metaphorice* prout nomen officii designat, ut Praecursorem (Mt 11,10) vel episcopum (Apoc 2,1; 3,1), etc. 2) Sed *proprie*, ut est nomen naturae quo indicatur *substantia rationalis, Deo inferior, hominibus praestantior* aliquo modo nunc non determinando. 3) Prout vero designat angelos sive bonos sive malos.

274 Cum Scriptura et Traditio angelos ut substantias rationales Deo inferiores ac homine superiores clare proponat et consequenter Ecclesia, ut nunc constat ex eius praedicatione, eos ut tales semper habuerit, censentur eo ipso ii fontes, cum angelos simpliciter seu sine ulteriore determinatione nominant, loqui de iis ut de entibus modo dicto descriptis, fere ac memorantes simpliciter hominem censentur loqui de hoc, qualis est hic in mente omnium.

275. **Adversarii.** *Sadducaei*, qui «dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum» (Act 23,8). I*

Materialistae, non distinguentes inter corpus et spiritum (I q. 50 a.1).

Anabaptistae, s.XVI, dicentes angelos non esse nisi manifestationes divinae potentiae exercitae in hominis vel bonum vel punitionem².

Exegetae rationalistae plurimi dicentes: alii notionem angeli acceptam esse a iudaeis captivis, apud babylonios, alii iudaeos primo fuisse polytheistas et dein, cum fierent monotheistae, angelos ut substantias Deo inferiores ac ut eius nuntios habuisse. Christus et Apostoli se illi ideae accommodaverunt³.

Etiam apud *protestantes liberales* crescit numerus negantium vel saltem in dubium revocantium existentiam angelorum. Tamen Harnack, qui etiam, etsi putat Christum et Apostolos credidisse in existentiam diaboli, eam habet ut saltem valde dubiam, ut parum prudens habet ut quis categorice asserat diabolium non existere, nec potius se de ea re nondum esse convictum⁴. Ergo iuxta eos auctores, angeli non sunt entia personalia, imo nec proprie aliquid nisi ipsum mundum vel ut nuntium Dei ad bonum vel ut peccato affectum movens ad peccandum.

ORIGENI tribuitur opinio ponens ut eiusdem naturae angelos seu spiritus separatos, et animas humanas, seu spiritus corporibus infusos^{4*}.

276. **Doctrina Ecclesiae.** *C.Lateranense IV* (D 428): Deus «simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam».

Ergo ex his, si angeli creati sunt, *definitur implicite* eos existere. Ceterum sunt: *inferiores Deo*, utpote ab ipso creati; *hominine praestantiores*, utpote spirituales corpore (saltem crasso) carentes; et consequenter *substantiae rationales*, ut sponte eruiat ex illa praestantia. Quae ergo *implicite definiuntur*.

C.Vaticanium (D 1783 repetit verba Lateranensis IV (D 1805): «Si quis non confiteatur mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales... a Deo ex nihilo esse productas... a.s.». Ea vox «spirituales» vel significat vel saltem includit angelos, ut constat ex capite citato correspondenti (D 1783).

Prus XII in reiciendis novae theologiae novitatibus hanc memorat: «Quaestio etiam a nonnullis agitur num angeli creaturae personales sint; numque materia a spiritu essentialiter differat» (D 2318).

Alia documenta memorantia creationem *invisibilium* cum visibilibus, ut *Symbolum Nic.-Constant.* (D 86) et *Profess. Fidei Tridentina* (D 994) vel, praeter invisibilia, creaturas *spirituales* cum corporalibus, ut *C.Lugdunense II* (D 461) et *C.Florentinum* (D 706), nequeunt non intelligi etiam de angelis, cum illae creaturae proponantur obvio sensu ut in se omnino independentes a corpore, a quo sane anima humana non est omnino independens, nec norit Ecclesia alias creaturas sic spirituales praeter angelos.

277. **Valor dogmaticus.** *De fide divina et catholica definita* (D 428 1783).

278. **Probatur ex sacra Scriptura.** Et sane ab antiquitate apparet sine ulla dubitatione in Scriptura existentia angelorum seu entium hominibus superiorum, sive bonorum qui sint iuxta Deum sive malorum seu ipsi Deo ac hominibus hostilium, ita ut ii magnam partem ab initio habuerint in historia salutis. Certe in explicitatione eius doctrinae est progressus a tempore anteexsilico ad postexsilicum, quo ea multo copiosior et clarior apparet, donec tandem in plenitudine temporis ea suum maximum splendorem obtinuerit.

^{4*} ORIGENES, *De princ.* 1,8,4; 2,8,3; MG 11,180.221-223; cf. VACANT, l.c. Cf. G. TEICH-TWEIER, *Die Sündenlehre des Origenes* (Regensburg 1958) 99-101.

¹ S.GREGORIUS M., *In Evang.* l.2 hom.34 n.8; ML 76,1250; S.AUGUSTINUS (R 1484).

^{1*} Cf. S. ZEITLIN, *The Sadducees and the belief in Angels*: Jour. of Bibl. Lit. 83 (1964) 69-71.

² Cf. St.WIEST (*Demons. dogm.* t.4 p.646) ap. J.KATSCHTHALER, *Theol. dogm.* I (Ratisbonae 1877) p.324 not.7.

³ Cf. A.VACANT, *Ange*: DB 1,577; OSWALD, *Angelologie* p.6.

⁴ Cf. A.V.ZAHN, *A.Harnack*² (Berlin 1951) 211S.

Ex A.T. ea meminisse sufficiat. Deus inducitur ut rex sedens in iis ut in medio exercitu suo (3 Reg 22,19). Ii ascendentes et descendentes per scalam coniungunt caelum et terram, ut eos vidit Iacob (Gen 28,12), cui dein iterum apparuerunt «angeli Dei» ut «castra Dei» (32,18).

Sunt enim «exercitus Domini» (Ios 5,14; Ps 148,2), habitant in caelo (Gen 21,17; 22,11), adorant Deum (Ps 96,7) et «serviunt ei» (Iob 4,18; Ps 102,20).

Vocantur «filii Dei» (Iob 1,6; 2,1; Ps 28,1; 38,7), «sancti» (Zach 14,5; Iob 5,1; 15,15; Ps 88,6,8); «filii Altissimi» (Ps 81,6), fortes (Ps 77,25), excelsi (Iob 21,22), «potentes virtute» (Ps 102,20), vigiles (Dan 4,10.14.20), at saepius «angeli» (Gen 32,1; Ps 148,2).

Ex iis cherubim sunt «sedes» Dei (Ps 79,2; 98,1) et custodiunt paradysum (Gen 3,24); seraphim circumdant «solium» ipsius, dicentes «sanctus, sanctus, sanctus Dominus...» (Is 6,2s).

Accipiunt nomina ex eorum muneribus: Raphael ut curans (Tob 3,25; 12,14s), Gabriel ut heros Dei (Dan 8,16; 9,21), Michael seu quis ut Deus (Dan 10,13.21; 12,1), cui commissa est cura populi Israel (Dan 10,13.21; 12,1).

Eisdem debemus reverentiam (Ios 5,13-16; Tob 12,16s).

Daemonia etiam memorat A.T. Citatur Asmodaeus (Tob 3,8), quem eiecit Tobias et Raphael «religavit... in deserto superioris Aegypti» (8,2s; cf. 6,8)⁵. Daemon apparet in paradiso ut hostilis Deo et hominibus quos tentavit suis propriis armis calliditatis et mendacii (Gen 3,1-5.13s). Dicitur Satan seu adversarius et accusator: sic apparet ac fere ut tentator (Iob 1,6-12; 2,1-7), in specie ut accusator Israel (Zach 3,1-10) et tentans David ut numeraret Israel (1 Par 21,1). Expresse tentatio in Evam tribuitur ei ob invidiam in felicitatem hominis (Sap 2,24; cf. Eccli 25,33).

Ex dictis sat constat in V.T. de existentia angelorum ut substantiarum et rationalium et inferiorum Deo et superiorum hominibus. Id vero maxime elucet in N.T., ex quo solum aliqua de ea re seligemus:

1) Substantiae rationales. Annuntiant Christi Incarnationem (Lc 1,26-38) et nativitatem (2,9-15). Ministrant Christo in deserto (Mt 4,11). Confortant ipsum in horto (Lc 22,43). Annuntiant Christi resurrectionem (Mt 28,5-7) et reditum ipsius post Ascensionem (Act 1,10s). Gaudent de conversione peccatorum (Lc 15,10). Cooperantur ad praedicationem Evan-

⁵ De mira eius libri angelologia cf. R.PAUTREL-M.LEFÉVRE, S.I., *Trois textes de Tobie sur Raphael* (Tob 5,22; 3,16; 12,12-15); RechScRel 39 (1952) 115-124. Ii textus sunt maximi momenti pro angelologia V.T.

gelii, dum Apostolos liberant e carcere (Act 5,19-21), Philip-pum excitant ut eat per quamdam viam in Gazam (8,26), dum Cornelium movent ut accersat Petrum ex Ioppe (10,3-8), Petrum e carcere liberant (12,7-10).

2) Deo inferiores. Sunt sub potestate Dei (Mt 26,53), cuius faciem vident in caelis (18,10). Ignorant diem iudicii (24,36). Tunc mittentur ad congregandos electos (24,31), quos separabunt a malis (13,30) et ut colligant «de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem» et mittant «eos in caminum ignis» (13,41s). In caelo perpetuam celebrant liturgiam, canentes die ac nocte...: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens...» (Apoc 4,8), dum et offerunt ipsi orationes ac laudes iustorum (5,8-15).

Ea inferioritas effertur consequenter relate ad Christum, supra quem ascendunt et descendunt (Io 1,51), qui constitutus est «supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem» (Eph 1,21). Nec ulli ex angelis dictum est umquam: «Filius meus es tu, ego hodie genui te...», sed potius Deus dixit: «Et adorent eum omnes angeli Dei», Filium cuius thronus est «Deus in saeculum saeculi» et qui in principio terram fundavit ac caelum fecit, dum nulli angelo dictum est «sede a dextris meis», sed omnes ii sunt ministri ac missi in adiutorium electorum (Hebr 1,4-14).

3) Homine superiores. Id sat patet ex complexu omnium praecedentium v.gr. si in ultimo textu ad extollendam Christi excellentiam Christi, comparatur hic cum angelis, non cum aliis creaturis. Ceterum ii ut carentes corpore sunt ab huius miseriis immunes (Mt 22,30). Ii etiam sunt «fortitudine et virtute... maiores» (2 Petr 2,11). Vocantur «throni... dominationes... principatus... potestates» (Col 1,16; Eph 1,21).

Daemonia etiam memorantur maxime in N.T. Christus venit ut destruat imperium diaboli (Hebr 2,14), «ut dissolvat opera diaboli» (1 Io 3,8), qui «mendax est» (Io 8,44). Ea pugna apertius incipit per tentationes in deserto (Lc 4,1-13), sequitur in expulsiione daemonum (Mt 8,28-34; Mc 7,24-30; Act 10,38). Diabolus obest regno Dei quatenus seminat zizania (Mt 13,39), aufert e cordibus semen verbi (Mc 4,15), ut in paradiso tentat ad peccandum (Eph 6,11-16), semper ut leo rugiens quaerit quem devoret (1 Petr 5,8), ita ut christianus eligere cogatur inter Christum et Belial (2 Cor 6,14), attingit pugna acutam acritatem in passione Christi (Lc 4,13; 22,53), donec Satan cuius eversio iam expulsione eius ex hominibus ostendebatur (Lc 10,17-20) tandem eicitur foras (Io 12,31), iam

iudicatus (16,11) et destinatus definitive «in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius» (Mt 25,41).

Habetur in Apoc ex c.12 (maxime) conspectus de eo hoste cum quo ab initio ad finem historiae salutis (12,9) est hominibus certandum. Impotens in mulierem ac eius filium (12,5s) praeliatur «cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium I.Christi» (12,17). At si quando videretur triumphare per antichristum (c.13-17), tandem Agnus et Ecclesia vincunt Satanam (c.18-22), qui cum bestia et pseudopropheta et inferno et morte et iis qui non sunt scripti in libro vitae proicietur definitive in stagnum ignis et sulphuris seu mortem secundam (20,10.14s) 6.

279. Probatur ex traditione. 1) *SS.Patres.* Ii frequentissime loquuntur de angelis, et quidem ut de re indubia apud christianos. Seligimus ergo aliquos eorum textus, in quibus apparent angeli ut *substantiae rationales Deo inferiores et homine praestantiores.*

Pastor HERMAE (R 83): «Iuvenes... sex, qui aedificabant, qui sunt...? Hi sunt... sancti angeli Dei, qui primi creati sunt, quibus tradidit Deus omnem creaturam suam, ut augeant et aedificent et dominantur totius creaturae... Ceteri... qui afferunt lapides, qui sunt? Et ipsi... sancti sunt angeli Dei; illi autem sex iis praecellunt. Consummabitur igitur aedificatio turris, et omnes simul exultabunt... et glorificabunt Deum».

S.AUGUSTINUS (R 1691): «Mens... humana prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit, et dein quaerit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei... Mens vero angelica pura caritate inhaerens Verbo Dei..., prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt».

S.IO.DAMASCENUS (R 2352): «Secunda lumina spiritualia, ex primaria illa luce splendorem habentia, quibus nec lingua opus sit nec auribus, sed sine ulla prolata sermonis ope mutuo sibi sua sensa communicant et consilia. Per Verbum omnes angeli creati sunt et Spiritu Sancto sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine participes essent splendoris et gratiae» 6*.

6 Cf. A.LEMONNYER, O.P., *Angelologie chrétienne*: DBS 1,255-262; VACANT, 576-580; HEINISCH, o.c., § 20 n.1; W.G.HEIDT, O.S.B., *Angelology of the Old Testament. A study in Biblical Theology* (Washington 1949); VAN IMSCHOOT, o.c., 115, 130-139; P.M.GALOPIN, *Anges*: VocThBibl 44-48; LYONNET, *Démon*: DSpir 3,142-152; Id., *Satan*: VocThBibl 997-1000; J.MICHEL, *Engel*: LThK 3 (1959) 864-867; J.B.BRUNON, *Démons*: VocThBibl (1962) 197-200; H.SCHLIER, *Die Engel nach dem Neuen Testament*: Archiv f. Liturgiewiss 6 (1950) 43-56.

6* De angelologia SS.Patrum multa et pulchra apud J.DANIELOU, S.I., *Les anges et leur mission d'après les Pères de l'Eglise* (Chevetogne 1953); in specie de Origene cf. Id., *Origène*

280. 2) *Liturgia* et occidentalis et orientalis angelos saepe memorat. Sic in *Romana*: a) Sunt festa SS.Michaëlis, Raphaëlis, Gabrielis, Angelorum Custodum. b) Memorant eos *Confiteor* et *Praefatio Missae*. c) Multae orationes eos nominant, ut *Commendatio animae*: («Proficiscere..., anima christiana..., in nomine angelorum...»), *Exsequia* («In paradisum deducant te angeli»), *Completorium* («Angeli tui sancti habitent in ea [habitatione]...») 7.

281. Ratio theologica mere suadet angelos dari: 1) *A priori* et supposita eorum pura spiritualitate, cum congruum sit ut, ad harmonice complendam perfectionem universi, dentur entia pure spiritualia, eo posito quod horum existentia nullo pacto repugnare probetur 8.

2) *A posteriori*: a) *Ex traditione*, etsi corrupta, *omnium fere populorum* 9, ita ut etiam gentiles philosophi eos spiritus admiserint, ut Plato, Aristoteles 10; quae traditio adeo constans et universalis difficile explicatur nisi ex reliquiis revelationis primaevae vel forte etiam ex quibusdam phaenomenis experimentalibus, quorum causae putarentur esse invisibilia quaedam entia media inter Deum et hominem. b) *Ex miris quibusdam factis*: sive malis, quae animis humanis separatim tribui posse non videntur (etsi aliunde earum vires sint ignotae), sive bonis (etsi forte tribuendis Deo immediate agenti) 11. At in utroque casu opus est magna cautione.

282. Obiectiones. 1. Moyses narrans creationem (Gen 1) non memorat angelos. Ergo ii non existunt.

Dist. antec. Moyses non memorat angelos, quasi eos ignoret, *nego antec.*; ob aliam rationem, *trans. antec.*

Saepe alibi eos memorat, ut patet v.gr. ex locis mox citandis Geneseos et Exodi. Forte in ea narratione non intendit agere nisi de mundo visibili 12,

(Paris 1948) 219-242, et St.TAVARES, O.S.B., *Doctrina ascetica Origenis seu quid docuerit de ratione animae humanae cum daemonibus*: StudAns 16 (Città del Vaticano 1945); de S.Ireneo cf. G.BENTIVEGNA, S.I., *L'angelologia di S.Ireneo nella prima fase dell'opera di salvezza*: OrChP 28 (1962) 5-48.

7 De liturgiis, cf. JANSSENS, *De Deo Creatore et de angelis* p.455s; I.DE SAN JOSÉ, O.C.D., *La doctrina del ángel custodio. En el dogma, en la teología, en el arte y en la espiritualidad*: RevEspT 8 (1949) 282-285; E.VON PETERSDORFF, *De daemonibus in liturgia memoratis*: Ang 19 (1942) 324-339; B.NEUNHEUSER, *Der Engel im Zeugnis der Liturgie*: Archiv. f. Liturgiewiss 6 (1960) 4-27, et de quaestione speciali cf. M.F.LACAN, *Caeli caelorumque virtutes*: Rech ScRel 51 (1963) 240-246. Ceterum cf. in exemplum F.CABROL-H.LECLERCQ, O.S.B., *Reliquiae liturgicae vetustissimae* (Paris 1913) s.2 p.244 (voces 'angeli' etc.).

8 S.AUGUSTINUS, *De civitate Dei* 11,16: ML 41,331; S.THOMAS, I q.50 a.1: cf. P.ZAMMIT, O.P., *De existentia substantiarum intellectualium*: Ang 10 (1933) 513-523.

9 Cf. CEUPPENS, *Quaestiones selectae...* p.182s; VACANT, 580ss; Ae.SUYS, S.I., *De angelis apud veteres Aegyptios*: VerbDom 13 (1933) 347-351.371-378; FLICK, o.c., 492-498.

10 PLATO, *Phaedo* 107, ed. F.DIDOT (Paris 1880) p.85; ARISTOTELES, *Metaph.* 5,8; 12,8. Cf. KATSCHTHALER, p.329 not.1; PETAVIUS, *De angelis* 1.1 c.1.

11 SUÁREZ, I,1,7s; cf. DAFFARA, l.c., n.203.

12 S.IO.CHRYSOSTOMUS, *In Gen. c.1 hom.2 n.2s*: MG 53,29s; *In ps. 8 n.6*: MG 55,115; CEUPPENS, p.6s; PETAVIUS, n.1.

nisi dicatur cum multis nomine «caeli» in illa narratione contineri etiam angelos (cf. n.29) ¹³.

2. Nomen «angelus» in Scriptura designat officium. Ergo immerito arguitur ex ea ad existentiam angelorum.

Dist. antec. Illud nomen in Scriptura designat officium exercitum ab entibus personalibus, *trans. antec.*; secus, *nego antec.*

Et apud nos vox «nuntius» immediate connotat, non naturam, sed officium, at prout hoc residet in *persona*.

3. Dicta Scripturae de angelis possunt intelligi de inspirationibus Dei internis. Ergo immerito arguitur ex iis ad existentiam angelorum.

Dist. antec. Dicta Scripturae de angelis possunt sumi de inspirationibus aliquando, *trans. antec.*; ordinarie, *nego antec.*

Repugnant isti explicationi et sensus obvius et dicta v.gr. de creatione angelorum, et multae operationes eorum externae in Scriptura narratae v.gr. in libro Tobiae.

283. Scholion. *Doctrina de angelis apud iudaeos ante exsilium.* Iamdiu a plerisque criticis acatholicis dicitur angelologia et daemonologia iudaeorum se evolvisse ex quo hi conversati sunt cum religione persa. Sine dubio datur evolutio: Ante exsilium multo rarius agitur de angelis, praesertim de malis. Imo potius videretur primo quasi indistincte tribui functiones bonis et malis, ita ut dum alius angelus curet de Israel, alii mittantur ad calamitates (Ps 77,49; Ex 12,23); etiam Satan primo apparet in assistentibus coram Domino (Iob 1,6-12; 2,1-10). Imo admitti potest aliquis influxus ex Mesopotamia et Persia v.gr. in aliquo symbolismo (Tob 12,15).

Certe post exsilium angeli inducuntur clarius v.gr. quoad aliqua nomina propria, relationem ad Deum et homines, maiorem distinctionem bonorum ut legatorum Dei ad bonum et malorum in oppositione ad illos. Sed ex locis supra allatis, patet iam ante exsilium sat memorari angelos et quidem ut entia rationalia Deo inferiora ac homine superiora: angeli coram Lot (Gen 19,1; 28,12; 32,2); in figura viri (Gen 18,2,16; 19,10); «princeps exercitus Domini» (Ios 5,14) vel exercitus caeli (1 Reg 22,19), ita ut Deus vocetur Dominus exercituum (1 Reg 1,11) ¹⁴. Nec post exsilium mutatur relatio angelorum ad homines, de quibus curant (Dan 3,49s), offerunt Deo preces eorum (Tob 12,12), praesident nationibus eorum (Dan 10,13,21; 12,1).

Sine fundamento diceretur in textibus antexsilicis agi, non de angelis, sed de hominibus specialiter missis a Deo; quia id careret sensu v.gr. si agitur de cherubim paradisi, cum ibi non essent, praefer protoparentes, alii homines (Gen 3,24), et quia illi angeli clare apparent ut hominibus superiores.

Item, etsi quando (ut Gen 16,7; 21,17; 22,11; Ex 14,19; 2 Reg 19,35) angelus Dei vocetur etiam Deus, ita ut videatur agi de ipso Deo, attamen alias id non fit, dum angeli apparent ut distincti a Deo; et etiam illi loci obiecti congruentius intelliguntur de veris angelis, sed nomine Dei, ut eos mittentis, ornatis ¹⁵.

¹³ F.KAULEN, *Der biblische Schöpfungsbericht* (Freiburg 1902) p.16; KORTLEINER, *o.c.*, p.35; HEINISCH, *l.c.*; HUMMELAUER, *Commentarius in Genesim* p.88s, rem in medio relinquit. Cf. PETAVIUS, *l.c.*

¹⁴ Cf. CEUPPENS, *l.c.*, 182; J.SOUBEN, O.S.B., *Ange*: DAFCl, 124-128; VAN IMSCHOOT, 115.

¹⁵ VACANT, 586; J.TOUZARD, *Ange de Yahweh*: DBS 1,242-255; F.STIER, *Gott und sein Engel im alten Testament* (Münster 1934); VAN IMSCHOOT, 116-123; GALOPIN, *l.c.*, 45 putat Angelum Yahweh esse ipsum Yahweh sub forma visibili manifestum. H.GROSS vero *Die Engel im Alten Testament*: Archiv f. Liturgiewiss. 6 (1960) 28-42, opinatur ideam angeli ita connecti cum idea Yahweh ut cum ea ita evolvatur: Angelus Yahweh seu Yahweh apparet in forma visibili est maximus gradus tempore Patriarcharum, Moisis, Iudicum; tempore Regum angelus fit prima creatura super hominem et ad Dei servitium ut media inter Deum et hominem; quo magis Deus quasi recedit, angelus obtinet tempore postexsilico maiorem significationem et elationem sui muneris legati Dei ad homines.

284. Ergo immerito dicerentur iudaei doctrinam de angelis a gentibus didicisse. Nam: a) *Dissimilitudo* inter illam et ideas gentilium de hac re superat vehementer similitudinem parvam quae inter eas detur. Plenior doctrina post exsilium apparens tribuenda est revelationi divinae per prophetas factae. Idea vero gentilium de genis, daemonibus, diis inferioribus, habenda est potius ut vestigium revelationis primitivae, etsi iam corruptae. b) Dum idea eorum de angelis est plena fabulis, doctrina Scripturae de iis, etiam post exsilium, est valde gravis et sobria ¹⁶. c) Nec haec doctrina differt substantialiter a doctrina de angelis ante exsilium proposita ¹⁷.

Cur vero Deus post exsilium, non antea, clariorem instructionem iudaeis de angelis dedit? Forte quia eorum propensio ad idololatriam omnino disparisset.

ARTICULUS II

ULTERIORES QUAESTIONES DE EXSISTENTIA ANGELORUM

285. Quot sunt angeli? Incertum est; at certo *permulti*, ita ut longissime numerum hominum superare videantur.

Scriptura: *Putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* (Mt 26,53). *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei* (Dan 7,10). *Et multorum millium angelorum frequentiam* (Hebr 12,22).

SS.Patres, intelligentes hos et alios textus de numero qui sermone humano exprimi non possit: a) Memorant angelorum «multitudinem» (S.CLEMENS ROM., R 17), «bonorum angelorum exercitum» (S.IUSTINUS, R 113), «turmas caelestes angelorum et archangelorum et superiora his agmina... tot incorporeos... exercitus» (S.IO. CHRYSOSTOMUS, R 1141; cf. 1148). b) Docent nonaginta novem oves fideles esse angelos, unam vero ovem esse genus humanum: «Plures namque (quam homines ab Ada usque ad hunc diem)... sunt angeli. Hi sunt nonaginta novem oves illae, cum una tantum sit genus humanum» ¹⁸.

286. Suntne angeli inter se distincti? Certe nomine, nam ut omittantur tria nomina propria quae apparent in Scriptura, sc. Michael (Dan 10,13), Raphael (Tob 12,15), Gabriel (Lc 1,19) ¹⁹, applicantur angelis varia nomina indicantia classes diversas, seu ad significandas partes multitudinis eorum

¹⁶ VACANT, *Ange*: DTC 1,111; *Ange*: DB 1,588-590. Ceterum distinguenda est doctrina V.T. de angelis a doctrina iudaeorum temporis Christi, quam partim aliunde ac a libris inspiratis hauserunt; de qua, cf. L.HACKSPILL, *L'angéologie juive à l'époque néo-testamentaire*: RevBibl 11 (1902) 527-550; FREY, *L'angéologie juive au temps de Jésus-Christ*: Rev ScPhTh 5 (1911) 75-110; BONSIIVEN, *Le Judaïsme palestinien au temps de Jésus-Christ 1* (Paris 1934) p.1 c.4; ID.: DBS 4,1161-1166; PRAT, *La théologie de Saint Paul II* ¹¹ (Paris 1929) 493.

¹⁷ Cf. W.FRACASSINI, *Angelo*: Elt 3,299; A.PEREGO, S.I., *Origine degli esseri razionali extraterreni*: DivTh (Pi) 35 (1958) 48.

¹⁸ S.CYRILLUS HIER., *Catech.* 15 n.24: MG 33,904. Comparationes Patrum de numero angelorum et hominum, cf. apud PETAVIUM, l.1 c.14. Cf. et G.BAREILLE, *Ange d'après les Pères*: DTC 1,1205s. PETAVIUS (n.9-15) tamen addit in fine: «Incertum id esse, plures sint angeli an homines, ac multo magis, quanto alterutri alteros excedant».

¹⁹ De aliis nominibus propriis quae sunt extra libros inspiratos, cf. VACANT: DB 1,577; H.LECLERCQ, *Anges*: DACL 1,2086s; FREY, 93s; BONSIIVEN, *Le Judaïsme... l.c.*, p.236.

distinctas: *Cherubim* (Gen 3,24 etc.)^{19*}, *Seraphim* (Is 6,2s), *Throni* (Col 1,16), *Dominaciones*, *Virtutes*, *Potestates*, *Principatus* (Eph 1,21), *Archangeli* (1 Thess 4,15), *Angeli* (1 Petr 3,22).

287. Differunt etiam: 1) *Natura*, iuxta fere omnes Scholasticos, dicentes (v.gr. S.Thomam, S.Bonaventuram) angelos differre dispositive per dona naturae, complete vero per dona gratiae. At quidam Patres v.gr. Didymus Alex., S.Basilium, dicunt angelos omnes esse natura aequales, dum S.Gregorius Naz. rem (ut videtur) in dubium revocat²⁰.

2) Et quidem differunt probabilius *specificae*, quatenus plures sunt angelorum species et in singulis speciebus plura individua, ut tenet (ut videtur) Suárez²¹, etc. Id enim magis convenire videtur distinctioni angelorum quam efferunt locutiones S.Scripturae et Patrum, ita tamen ut aliunde iisdem locutionibus magis consonet ea specierum distinctio in quarum singulis sint plura individua. Esse vero tot species quot angelos, tenent Thomistae sic *communius* S.Doctorem interpretantes²² ut absolute repugnet esse posse duos angelos eiusdem speciei, utpote spirituales et simplices. Alii putant (Toledo, Palmieri)²³ omnes angelos esse eiusdem speciei.

288. Differunt *ordine*, cum diversa illa nomina sine dubio indicent diversos gradus dignitatis, etsi non constet utrum ea diversitas ponatur in perfectione propria singulorum angelorum, an in muneribus eorum:

Scriptura: Michael dicitur *unus de principibus primis* (Dan 10,13). Raphael est *unus ex septem* qui astant ante Dominum (Tob 12,15). Nomen «archangelus» (1 Thess 4,16; Iud 9) indicat eminentiam super angelos. Paulus dicens (Col 1,16): *invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates*, supponit esse diversa invisibilia.

SS.Patres universaliter idem tradunt: S.CYRILLUS HIEROS. (R 849): «Mentionem facimus... angelorum, archangelorum, virtutum, dominationum, principatum, potestatum, thronorum, cherubim... et seraphim». S.Io. CHRYSOSTOMUS (R 1148): «Si... mentem extenderis ad angelorum exercitus, archangelorum..., virtutum, thronorum, dominationum, principatum, potestatum, cherubim, seraphim...». S.AUGUSTINUS (R 1805): «Esse sedes, dominationes, principatus, potestates in caelestibus apparatus, firmissime credo et differre inter se aliquid indubitata fide teneo».

S.GREGORIUS M. (R 2335): «Novem... angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim...»²⁴

Liturgia v.gr. in Praefatione: «Laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates», vel: «Cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus cumque omni militia caelestis exercitus».

19* De iis cf. P.DHORME-L.H.VINCENT, *Les Chérubins*: RevBibl 35 (1926) 328-358 (*Le nom*), 481-495 (*Les chérubins bibliques*).

20 S.TH., 1 q.108 a.4; S.BONAVENTURA, In 2 d.9 q.1s; DIDYMU ALEX., *De Spir.* S. n.13: MG 39,1046; S.BASILIU, *Cont. Eunom.* l.3 n.1: MG 29,656; S.GREGORIUS NAZ., *Orat.* 40 n.5: MG 36,364.

21 SUÁREZ, l.1 c.12.

22 S.TH., 1 q.50 a.4; 2 CG 93. Cf. BILLUART, *De angelis* diss.2 a.5, iuxta quem «communius... thomistae» sic intelligunt S.Thomam. Ideas praecipuas philosophiae S.Doctoris de angelis (de horum existentia, natura, cognitione, voluntate, ...) exponit J.COLLINS, *The Thomistic Philosophy of the Angels* (Washington 1947).

23 TOLEDO, In 1 q.5 a.4; PALMIERI, th.26. Cf. de hac re, MARTÍNEZ, p.74-77.

24 Plura testimonia apud PETAVIUM, l.2 c.1.

289. *Quot vero sunt ordines?* Etsi de hoc omnino certo non constet, ita ut Patres diversum statuunt eorum numerum vel de ea re dubitanter loquantur²⁵, tamen *communiter assignantur novem ordines*.

Fundamentum habetur in *Scriptura*, cum non sit ratio supponendi plura ex illis nominibus in ea recensitis applicari eidem ordini. Si credas Petavio, «primus Dionysius novem angelorum ordines et gradus distincte ac definite posuit, idque se ab magistro suo et initiatore didicisse confirmat», qui tamen fatetur se nescire an sint alii praeter novem illos nobis manifestos²⁶. At, etsi Pseudo-Dionysio tribuatur non raro fixa enumeratio ordinum, quia dein ob eius auctoritatem eius opinio invaluerit, iam ante ipsum alii s.IV enumerabant novem ordines, ut S.AMBROSIIUS²⁷ et ante hunc S.CYRILLUS HIER. (R 849). S.GREGORIUS M., independenter, ut videtur a Pseudo-Dionysio, illum numerum iam deinde ab omnibus acceptum statuit (R 2335).

290. Cum Pseudo-Dionysio²⁸ congruenter *angelorum ordines dividuntur in tres hierarchias*. *Hierarchia* est *sacer* vel potius *sacrorum principatus* ad promovendam creaturam rationalem in Deum, constitutus a principe et a multitudine ordinata sub principe; quaelibet vero hierarchia angelica censetur constare ex triplice ordine, sc. summo, medio, infimo, ita ut sint in prima ordines qui illuminantur et mittuntur immediate a solo Deo, in secunda ii qui illuminantur et mittuntur ab angelis primae hierarchiae et alios illuminant, in tertia ii qui ab angelis secundae hierarchiae illuminati ac missi operantur immediate in rebus sensibilibus et maxime in ministerium hominum.

In concreto vero sic probabiliter distribuuntur: in prima hierarchia, cherubim, seraphim, throni; in secunda, dominationes, virtutes, potestates; in tertia principatus, archangeli, angeli. At dum tres primi ordines et duo postremi sunt fixi fere apud omnes auctores, reliqui diversimode ponuntur (1 q.108 a.1s).

Conclusio: Dari diversas classes (ergo et dignitates vel in natura vel in muneribus vel in utrisque) angelorum dicendum videtur saltem certum in theologia ex communi consensu TT., ita ut istud negare sit temerarium. Sed ultiores determinationes de numero, natura, nominibus relate ad eorum diversam naturam vel varias classes statuendas non fundantur, iuxta Petavium, in *Scriptura* vel in ratione proprie theologica, sed vel ex occulta traditione vel ex opinionibus et coniecturis^{28*}.

291. *Saltem primi angeli qui exstiterunt facti sunt a Deo ex nihilo*. Id est *de fide definitum* in C.Lateranensi (D 428): Deus «utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales, angelicam videlicet et mundanam» et in C.Vaticano repetente verba Lateranensis (D 1783) ac docente (D 1805) «mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas», postquam damnarit res etiam «spirituales et divina substantia emanasse» (D 1804),

25 BERAZA, n.385s.

26 PETAVIUS, l.2 c.1 n.12; PS.-DIONYSIUS, *De cael. hier.* c.6: MG 3,200. At forte hic rem didicit ex S.Ephraem: cf. J.MICHL, *Ephräm und die neun Chöre der Engel*: ThQschr 118 (1937) 474-491.

27 S.AMBROSIIUS, *Apol. proph. David* 5,20: ML 14,859. Cf. R.HAUBST, *Engel*: LThK 3 (1959) 869.

28 PS.-DIONYSIUS, l.c.

28* PETAVIUS, l.c., l.2 c.2 n.1. Exsistentia triplicis hierarchiae et novem ordinum dicitur de fide a SUÁREZ, l.c., l.2 c.13 n.2.

quod iam expresserat et C.Bracarense I contra manichaeos (D 455).

Ex Col 1,16: In Christo condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Ceterum id Scriptura implicite docet, dum asserit et omnia esse facta a Deo et dari angelos, quos aliunde inducit ut omnino dependentes a Deo, quem continuo laudent utpote ab ipso facti (Ps 148,2.5) et cui in omnibus serviant, ut patet ex locis supra allatis.

Idem constat ex ratione theologica, quatenus angelus, ens contingens, nequit non esse ab alio, et ut spirituale ac simplex nequit non esse immediate per creationem, cum ex materia educi nequeat (1 q.61 a.1).

Etsi in allatis documentis supponatur creata esse a Deo alia ex nihilo immediate, seu non ex subiecto prius creato ex nihilo, alia mediate, tamen cum in iis inducatur rerum series alia spiritualis, alia corporalis, putandum est ex sensu obvio ibi indicari saltem primum ens in serie spirituali immediate ex nihilo creatum esse.

292. Creati vero sunt singuli angeli immediate a Deo?

S.Gregorius Nyss., etsi negans angelis distinctionem sexuum, admittit quemdam modum nobis ignotum, quo unus ex altero processerit²⁹. At angeli, cum, utpote simplices et spirituales, nequeant alii ab aliis emanare et a fortiori ex materia educi v.gr. generatione (D 533), solum per creationem fieri possunt; ergo id est saltem *theologice certum*. Alios vero ab aliis non esse creatos, patet ex eo quod nulla creatura, saltem ut causa principalis, creare possit; at, etsi id verum non esset, nulla est ratio supponendi alios angelos *de facto* ab aliis creatos esse.

293. Quando creati sunt angeli? De fide definit angelos non esse ab aeterno creatos C.Lateranense IV (D 428) dicens: Deus «simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam...», angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam...» Saltem certum est ex iisdem verbis, angelos creatos esse ante hominem. Certum videtur contra paucos, ut Gennadium³⁰, angelos non creatos esse *post materiam*.

Eos creatos esse *ante materiam*, putarunt SS.Patres graeci sat communiter ut SS.Basilii, Gregorius Naz., et aliqui SS.Patres latini, ut SS.Hieronymus, Ambrosius³¹ loquentes de creatione angelorum facta, non mere ante

²⁹ S.GREGORIUS NYSS., *De hom. opif.* 17: MG 44,189. De ea rara opinione, cf. BAREILLE, 1195. Omnino aliter et recte paulo post loquitur THEODORETUS, *Haer. Fabul. Comp.* l.5 c.7: ML 83,468. Cf. PEREGO, l.c., 12-16.

³⁰ GENNADIUS, *De eccl. dogmat.* 10: ML 42,1215. Cf. S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 11,99: ML 41,324; *De Gen. ad litt.* 2,8,16: ML 34,269.

³¹ S.BASILIIUS, *In hexaem. hom. I* n.5: MG 29,13; S.GREGORIUS NAZ., *Orat.* 38 n.98: MG 36,3208; S.HIERONYMUS, *In Tit.* 1,28: ML 26,594; S.AMBROSIIUS, *Hexaem.* 1,5,19: ML 14,131. Cf. BAREILLE, 11938; VACANT, 580.

secundam creationem materiae, ut censet Palmieri, sed ante primam, ut patet ex eorum verbis³². At est *saltem probabilius*, eos potius creatos esse *simul* (simultaneitate morali) *cum materia*, ut putaverunt SS.Augustinus, Epiphanius, Gregorius M.³³, etc., et communiter Scholastici, maxime post Lateranense³⁴.

Ceterum argumenta pro hac opinione non sunt clare probativa. Eccli 18,1: *Creavit omnia simul* (κοινη), ubi «simul» est idem ac «pariter» seu «ex aequo»³⁵. Gen 1,1: *Creavit caelum et terram*, ubi tamen vox «caelum», quae posset includere et angelos, significat forte solum mundum visibilem (n.29). *Lateranense IV* (D 428): «Simul ab initio temporis utramque... condidit creaturam», ubi tamen, cum Concilium non intendat definire contra Albigenes nisi factum creationis in tempore, «simul» est idem ac «pariter» seu «aeque»; nec vox «deinde» opponitur verbis «simul ab initio», sed potius verbis «initio temporis», ad indicandum hominem *postea* creatum esse³⁶. Angeli, utpote pars universi, creati sunt congruenter simul cum toto.

At Lateranensis verba «ab initio temporis» saltem indicant angelos non fuisse multo ante materiam conditam creatos³⁷.

Ceterum etsi non repugnat absolute quin Deus crearet novos angelos, ut creat cotidie novas animas humanas, nulla est ex fontibus ratio id asserendi de illis, cum aliunde non ordinentur ut haec ad unionem substantialem cum corporibus (quae, ut patet, successive fiunt)³⁸.

294. Ubi angeli creati sint? Nos latet³⁹.

³² PALMIERI, th.25. Cf. BERAZA, n.380.

³³ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 11,33: ML 41,343; S.EPIPHANIUS, *Adu. haer.* 2,65,5: MG 42,20; S.GREGORIUS M., *Mor.* 32,12,168: ML 76,6448. Cf. VACANT, 581; MARTÍNEZ, p.422-424.

³⁴ P.LOMBARDUS, 2 d.2 n.2-5; S.TH., 1 q.61 a.3; SUÁREZ, 1 c.3. Cf. VACANT, 583; ID., *Angelologie dans les Conciles*: DTC 1,11698; PEREGO, 168; FLICK, 551-553.

³⁵ Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Ecclesiasticum* (Parisiis 1902) p.2048; PETAVIUS, *De opificio sex dierum* l.1 c.5 n.4.

³⁶ Cf. VACANT: DTC 1,12698.

³⁷ Cf. VACANT, 1170; DB 1,582.

³⁸ A.MICHEL, *Dieu crée-t-il encore des Anges?*: AmCl 67 (1957) 2438.

³⁹ SUÁREZ, l.1 c.4.

CAPUT II

De natura angelorum

ARTICULUS I

DE SPIRITUALITATE ANGELORUM

Thesis 10. Angeli sunt spiritus puri.

S.TH., I q.50 a.18; 2 CG 498; I d.10 q.1 a.4; S.BONAVENTURA, *In* 2 d.8 p.1 a.1 q.1; SUÁREZ, I.1 c.5-7; BERAZA, n.414-463; BOYER, 432-441; PALMIERI, th.19-21; DAFFARA, n.205-215; MARTÍNEZ, p.50-72; FLICK, o.c., p.580-596.

295. **Nexus.** Cum iam constat nobis de existentia angelorum et aliquomodo de eorum natura, quatenus probavimus eos esse substantias rationales Deo inferiores et homine superiores, nunc ulterius progredimur eam eorum naturam penitus indagaturi in eius relatione ad ens corporeum.

296. **Notiones.** ANGELI sunt substantiae rationales Deo inferiores et homine praestantiores.

297. **SPIRITUS**, etsi late sumatur interdum pro re tenui ac subtili et minus visibili, ut est aër (S.TH., I d.10 q.1 a.4) ¹, *stricte* est substantia quae nec est materia corporalis, nec pendet in esse vel in operari saltem in supremis suis operationibus a corpore, etiam subtili, *intrinsece*, seu ut a subiecto sustentationis vel ut a comprincipio directe influente.

298. **Spiritus:** a) *Non purus* non excludit ordinationem *naturalem* ad corpus ut ad subiectum informationis, et consequenter nec dependentiam a corpore *extrinsecam*, seu ut a conditione, ad essendum vel operandum.

b) **PURUS** excludit etiam ordinationem *naturalem* ad corpus ut ad subiectum informationis, et consequenter etiam dependentiam vel *extrinsecam* a corpore in operando; non tamen sive possibilitatem assumendi corpus in unionem *accidentalem*, sive materiam *spiritualem*, si forte ea constat spiritus, ut dixerunt quidam antiqui, de quibus inferius dicetur.

299. **Spirituale**, ut distinctum a *spiritu*, seu substantia spirituali, dicitur id quod naturaliter pertinet solum ad *spiritum*.

Corpus, a quo spiritus contradistinguitur, est substantia natura sua molem habens vel quae quantitatem exigit immediate sibi inhaerentem, sive solida, sive fluida, sive aërea, sive alius cuiuslibet compositionis materialis.

¹ De evolutione vocis «spiritus» in scientia antiqua (philosophia naturali, medicina, psychologia) cf. F.RUSCHE, *Pneuma, Seele und Geist*: ThG1 23 (1931) 606-624.

Corporeum est id quod ad illam substantiam pertinet naturaliter sive per identitatem sive per intrinsecam dependentiam ab ea. *Materia* sumitur hic ut *corpus*, et *materiale* ut *corporeum*.

300. *Ut per se evidens supponimus*: angelos, utpote superiores homine qui constat spiritu, non esse *adaequate corporeos*, et eos non habere corpus *crassum*, quale est nostrum corpus; agitur ergo de exclusione corporis vel *subtilissimi*. At thesis per se praescindit a simplicitate *substantiali* spiritus.

301. **Adversarii.** *Quidam Patres tribuunt angelis corpus aliquod, etsi valde subtile.* S.FULGENTIUS: «Plane ex duplici eos (angelos) esse substantia asserunt magni et docti viri, id est, ex spiritu incorporeo... et ex corpore per quod ex tempore hominibus apparent... Corpus ergo aethereum, id est, igneum eos dicunt habere, angelos vero malos... corpus aëreum» ². CASSIANUS (R 2050).

S.AUGUSTINUS, qui alias (R 1522 1774) angelis corpora *tribuere videtur*, alias tamen *dubitat*: «Qui facit angelos suos spiritus, id est, eos qui natura spiritus sunt, facit esse angelos suos... Sed utrum eorum corpora consequenter adiunxerit dicendo *et ministros suos ignem urentem*, an quod caritate tamquam spirituali fervere debeant ministri eius, *ambiguum est*». «Si... quisquam nulla habere corpora daemones asseverat non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione aut contentiosa disputatione certandum» ³.

302. **Ex theologis**, dubitarunt S.BERNARDUS: «Videntur Patres de huiusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde altertrum doceam, et nescire me fateor». P.LOMBAR-DUS ⁴.

CAIETANUS daemones tribuit quoddam corpus: «Crediderim ego daemones esse spiritus aëreos... Verum appellatione aëris non intelligo elementum aëris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex ac incorruptibile, natum

² S.FULGENTIUS, *De Tr.* 9: ML 65,505. Cf. VACANT, *Ange*: DB 1,577; BAREILLE *Ange d'après les Pères*: DTC 1,1197; H.KLEE, *Histoire des dogmes*, trad. P.H.M. 1 (Paris 1848) p.3438.

³ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 15,23,1; 21,10,1: ML 41,468.724. Cf. et *Enarr.* in ps. 85 n.17: ML 37,1094; *De Gen. ad litt.* 12,35,68: ML 34,484; *Serm.* 12,9: ML 38,104; *De Trin.* 3,5: ML 42,874. Immerito ergo PETAVIUS (I.1 c.2 n.9-11) et BAREILLE (1197) putant ipsum angelis corpus simpliciter tribuisse, dum saltem in eius *Sermonibus* spiritus est aliquid incorporeum, iuxta W.A.SCHUMACHER, *Spiritus and spiritualis* (Mundelein 1957); et P.GLORIEUX, *Autour de la spiritualité des anges* (Tournai 1960) p.41-48, qui ei tribuit opinionem de corporeitate, nullum textum affert ex *De Genesi ad litteram* 1,12, ubi sunt praecipui de creatione ac natura angelorum, iuxta G.FOLLIER: *RevEtAug* (1963) 184.

⁴ S.BERNARDUS, *In cant. serm.* 5 n.7: ML 183,801; cf. *De consid.* 5,4,7: ML 182,7915; P.LOMBAR-DUS, 2 d.8 n.1-3. De S.Bernardo cf. E.BOISSARD, ben., *La doctrine des anges chez S.Bernard*: *AnalSOrdCist* 9, suppl. (1953) 115-20, iuxta quem, S.Doctor angelis tribuit corpus aethereum et, ut videtur, naturale.

moveri localiter ab anima ad omnes differentias positionis absque repugnantia aliqua ex natura corporis»⁵.

LEIBNIZ, KANT, alii philosophi heterodoxi, putantes spiritum activum sine corpore esse non posse, tribuunt angelis corpora⁶.

303. Scholastici iam ante Caietanum sat communiter puram angelorum spiritualitatem tenuisse videntur, cum dicat de hac re S. Bonaventura: «Dubitaverunt aliquando magni doctores...; unde super hoc dubie loquitur tam Augustinus quam Bernardus. Sed nunc satis certitudinaliter tenetur et Richardus affirmat, quod angeli sunt naturaliter incorporei...»⁷ Post Caietanum vero ea opinio evasit omnino communis, nam «nullus iam existit Theologus alicuius auctoritatis in re dogmatica, qui non doceret angelos esse puros spiritus»⁸.

304. **Doctrina Ecclesiae.** C. Lateranense IV (D 428): Deus «utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam». Cf. C. Vaticanum ea verba repetens (D 1783).

His definiri angelos esse spiritus puros, negandum est, cum Concilium eo tendat ut simpliciter definiat contra Manichaeos et Albigenes omnes res esse a Deo creatas⁹.

At Concilium censetur supponere angelos non habere corpus crassum, cum opponat creaturas spirituales corporalibus; immo nec subtile¹⁰, cum sine dubio putet angelos esse saltem adeo spirituales ut spiritum humanum, cui tamen non censendum est tribuere aliquale corpus subtilius, in oppositione ad corpus crassum cui unitur in homine.

Prus XII videtur ratione contextus hanc quaestionem attingere, eam novitatem novae theologiae memorans: «Quaestio etiam a nonnullis agitur num angeli creaturae personales sint; numque materia a spiritu essentialiter differat»^{10*}.

305. **Valor dogmaticus.** Thesis sumpta: a) De carentia corporis crassi, videtur dicenda esse de fide divina et catholica, cum id saltem supponat praedicatio Ecclesiae de angelis.

⁵ CAIETANUS, In Eph. 2,1. Alibi (In 1 q.50) recte sentit de spiritualitate angelorum.

⁶ Cf. PERRONE, De Deo Creatore n.18; KATSCHTHALER, I,1 p.2 s.2 c.1 n.102.

⁷ S. BONAVENTURA, In 2 d.8 p.1 a.1 q.1. Cf. VACANT, Ange dans l'Eglise latine: DTC 1, 1227.1230s.1231s.

⁸ PESCH, 3 n.369. Iam s.XIII non esse theologos corporeitatem angelorum tenentes asserit DE LUBAC, Surmaturel (Paris 1946) 214-216.

⁹ VALENCIA (In 1 d.4 q.2 punct.1): «Non enim id ex instituto definitur, sed obiter dicitur, ut illud quod ex professo definiendum fuit asseratur, nempe, res omnes initio temporis fuisse a Deo creatas»; VACANT, Ange: DB 1,579; Angelologie dans les Conciles: DTC 1,1268s. Cf. HEFFELE-LECLERCQ, Histoire des Conciles t.5 (Paris 1913) § 645 p.1323s.

¹⁰ Cf. PERRONE, n.19 not.; VACANT, 1268s. At ii auctores forte nimium dicunt putantes ex isto Concilio excludi formaliter certo, etsi non ut de fide, ab angelis quodlibet corpus; ibi enim spiritus potuit simpliciter corpori crasso opponi; hinc S. THOMAS (De malo q.16 a.1) (post illud Concilium): «quod sive daemones habeant corpora sibi naturaliter unita, sive non habeant, hoc non multum refert ad fidei christianae doctrinam».

^{10*} PRUS XII, Encycl. Humani Generis: AAS 42 (1950) 570.

b) De carentia corporis subtilis, est certa in theologia. In hac qualificatione conveniunt communiter theologi hodierni¹¹.

306. **Probatur ex sacra Scriptura.** Ex dictis de obscuritate quae in hac re obruit per saecula traditionem christianam, patet Scripturam de eadem re seu de natura angelorum non egisse clare ac directe. Sed iis dotibus eos ornatos inducit, ut certo ii remotissimi sint a nostra conditione corporea, et cum numquam memoret alia corpora nisi crassa ut nostra, censerii iure posset excludere ab angelis quidquid corpora qua talia involvunt in oppositione ad entia simpliciter incorporea. Ceterum id magis consonat naturae eorum rationali (cf. n.278). 1. *Positive*: Angeli, etiam mali, dicuntur simpliciter non habere corpus: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Lc 24,39). *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates...*, *contra spiritualia nequitiae...* (Eph 6,11s). At haec, etsi directe agant de corpore quale est nostrum, viderentur excludere ab angelis quodlibet corpus, cum nulla ratio in contrarium habeatur.

Angeli sive boni sive mali dicuntur simpliciter *spiritus*: *Angeli nonne administratorii spiritus...* (Hebr 1,14). *Spiritus vobis subiciuntur* (Mt 10,20). *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se* (11,26). *Gratia vobis... ab eo qui est... et a septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt* (Apoc 1,4).

At: a) Vox «spiritus» simpliciter adhibita significat alias spiritum purum, ut in Io 4,24: *Spiritus est Deus*. b) Nequiret, ut videtur, dici simpliciter *spiritus* ens constans ex *spiritu* et *corpore* proprie dicto, ut homo nequit dici simpliciter *anima*. c) Si memoratur hominis *spiritus* qua talis, intelligitur esse, ut videtur, *sine ullo corpore*.

307. 2. *Negative*. Si angeli haberent corpus, constarent ut homo et corpore et alia comparte corpus informante seu anima. At Scriptura numquam memorat angelorum corpus ut tale vel animam vel horum compositionem in unum, ut memorat in homine: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et*

¹¹ Haec thesis est: pro SUÁREZ (1,6,6) fere certa «propter communem Ecclesiae consensum, cum definitione fere manifesta et in Scriptura et Patribus fundata»; pro VALENCIA (l.c.) adeo certa, ut contraria sint omnino temeraria et etiam putari possit erronea; pro MENDIVE (De Deo Creatore, n.15) «moraliter certa propter communem consensum Scholasticorum»; pro PERRONE (l.c.) et pro KATSCHTHALER (n.100) «certa»; pro PESCH (n.361) «ita communiter recepta, ut theologice certa dici possit»; pro BERAZA (n.424) «adeo certa proponitur palam in catechismis dioecesanis... ut revera sine magna temeritate negari non possit»; pro HUARTE (n.675) «prorsus habenda ut certa»; pro BOYER (p.434) theologice certa «propter consensum theologorum»; pro DAFFARA (n.211) «sententia hodie communis... apud theologos, quibus consentit omnino Ecclesia»; pro FLICK (p.596) doctrina certa et contraria esset temeraria.

corpus perdere in gehennam... (Mt 10,28). *Corpus sine spiritu mortuum est...* (Iac 2,26).

Anima humana, etsi sit spiritus, numquam dicitur simpliciter *spiritus*, sed semper cum addito indicante eum esse partem in aliquo ente composito, seu habitudinem eius ad informandum corpus: *Ipse...* *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro...* (Rom 8,16). *Spiritus hominis qui in ipso est* (1 Cor 2, 11) ¹².

308. Probatum ex traditione. Nil mirum quod Patres non directe incubuerint purae angelorum spiritualitati determinandae, cum ea nec negaretur explicite ab haereticis, nec per se eius cognitio christianis esset speciali utilitati.

Opiniones eorum de hac re difficile una formula exprimentur, imo nec ullo modo apparent ut definitivae, quia cum non haberent elaboratam notionem praecisam de pura spiritualitate et aliunde vellent statuere discrimen inter angelos ac sive inter Deum sive inter homines, dum quaedam loca biblica viderentur eis aliquod corpus assignare, fere carebant uno modo fixo ac determinato definiendi naturam eorum. At id, ut videtur, dici potest: dum volebant eos omnino a Deo distinguere, etiam tendebant ad eos, quantum fieri posset ex natura rerum, ab omnimoda corporeitate eximendos; unde fere diceretur: *obiective* tenebant puram eorum spiritualitatem, sed non formulis saltem semper claris nisi forte a s.v. Si ergo eae formulae respiciantur, haec viderentur supponere:

Usque ad s.IV Patres, cum pro iis spiritus esset fere id quod caret corpore crasso, tribuunt generaliter angelis aliquale corpus subtile seu aëreum vel igneum, ita ut solus Deus sit immaterialis; sed corpus sine organis ac incorruptibile imo «sui generis», iuxta Tertullianum, quatenus «nihil est incorporale nisi quod non est» (R 354s), ita ut de facto accedat ad incorporeitatem. Ergo ea formula corporis subtilis nedum esset definitiva ac indiscussa erat eis vere dubia. Imo S. Hilarius putabat angelos esse incorporeos (R 894s).

Ea vero formula viguit et s.V apud Latinos ut Augustinum, quem sic interpretantes secuti sunt Fulgentius Ruspensis, Ioh. Cassianus, Faustus Regiensis. Sed pro Graecis, saltem ex Gregorio Nyss. (R 1026), angeli erant incorporei et immateriales, etsi solus Deus esset purus spiritus. Imo a s.V idea purae spiritualitatis quam Ps. Dionysius excoluerat, ut communiter censetur, progredi coepit v.gr. apud S. Gregorium M.,

etsi, ab ipso, angeli in comparatione Dei dicantur «corpus» (R 2303).

Sed idea corporis subtilis adeo fixa erat in multis mentibus, ut non solum tempore C. Nicaeni II (a.787), sed adhuc s.XII ab aliquibus defenderetur vel saltem libera iudicaretur, ut patet ex S. Bernardo et P. Lombardo, donec pura spiritualitas tandem cum S. Thoma definitive triumphavit (1 q.50 a.1).

Hinc patet non posse proprie fieri in hac re argumentum patristicum stricte probativum, cum apud PP. desit et unanimitas et claritas sufficiens. At id est certum, a s.IV-V puram spiritualitatem in dies, etsi lente, progredi. Nunc proponimus ordinatim aliquos textus PP. de hac re, qui saltem obiective (seu quoad intentum vindicandi angelis maximam possibilem spiritualitatem) putamus posse intelligi de hac, sed quin velimus eis plus ponderis tribuere quam mens eorum forte requirit.

309. 1) *Simpliciter sine ulteriore limitatione dicunt angelos carere corpore.* Ergo videntur velle excludere ab iis quidlibet aliquo modo corporeum. LACTANTIUS (R 646): «Dicimus tantam esse Dei potestatem, ut etiam *incorporalia* comprehendat et quemadmodum voluerit afficiat. Nam et *angeli* Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo...» ^{12*}

EUSEBIUS CAESAR. (R 667): [Voluit] ... «Deus... incorporeas aliquas intelligentes et divinas potestates, angelos et archangelos, immateriales et omnino puros spiritus...»

S. GREGORIUS NYSS. (R 1026): «Divisa est omnis rationalis creatura in incorpoream et in corpoream. Incorporea est angelica.»

S. IO. CHRYSOSTOMUS (R 1152): «Quanta non fuerit dementia plenum dicere angelos ita deiectos, ut... incorporea illa natura copularetur corporibus?... Neque enim possibile est incorpoream naturam talem umquam concupiscentiam habere». Cf. R 1197.

THEODORETUS (R 2156): «Licet expertem corporum fateatur angelorum esse naturam, circumscriptam tamen illorum substantiam dicimus...»

S. GREGORIUS M. (R 2307): «Angelus... solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro». «... Diabolus et eius angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi» (R 2320).

^{12*} Eius doctrina de existentia, natura, munere angelorum exponitur a E. SCHNEWEIS, O.F.M.Cap., *Angels and Demons according to Lactantius* (Washington 1944).

¹² Cf. et VACANT: DB 1,579; Id., *Ange d'après la Sainte Ecriture*: DTC 1,1190.

310. 2) *Dicunt angelos esse corporeos, si comparentur cum Deo, ac proin censendi sunt non negare puram eorum spiritualitatem, sed solum dicere eos esse limitatos, iuxta nuper citata ex Theodoro. S.GREGORIUS M. (R 2303): «Eorum (angelorum) ... scientia comparatione nostrae valde dilatata est, sed tamen comparatione divinae scientiae angusta; sicut et ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripsi spiritus, corpus».*

S.IO.DAMASCENUS (R 2351): «Angelus... est substantia intelligens..., corporis expers... Incorporea vero et immaterialis dicitur quantum ad nos; quidquid enim cum Deo confertur... crassum et materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere immaterialis est et incorporea...»

S.AMBROSIUS: «Nos autem nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus praeter illam solam venerandae Trinitatis substantiam, quae vere pura ac simplex est»¹³.

ARNOBIUS: «Omnia quaecumque invisibilia et incorporea sunt, Deo soli... visibilia et corporea sunt... Quidquid mensuram habet, corpus est, non humanis sed divinis oculis patens; immensus autem et incorporeus Deus solus est...»¹⁴

311. 3) *Dicunt angelos esse ignem, aethera vel quid simile, sed ita ut ille ignis vel aether sit intelligens, ac proin putandi sunt illis verbis uti metaphorice seu pro igne vel aethere immateriali. S.GREGORIUS NAZ. (R 1005): Deus «primum angelicas et caelestes virtutes cogitavit... Atque ita secundi splendores creati sunt, primi splendoris administrati; sive intellegentes spiritus sive ignem velut immaterialem et incorporeum, sive aliam quamdam naturam, quam proxime ad has accedentem, eas existimare oportet».*

S.BASILIIUS (R 950): «Ut cauterium non sine igne intelligitur, cum aliud sit subiecta materia et aliud ignis, itidem et in caelestibus virtutibus substantia quidem earum puta spiritus est aërius aut ignis immaterialis...»

S.IO.DAMASCENUS (R 2350): «Ipse angelorum... conditor est, ut qui eos ex nihilo produxerit et ad imaginem suam creaverit, naturam incorpoream, velut spiritum quemdam aut ignem materia vacuum...»

312. **Ratio theologica.** Ratio thesim ex eo suadet, quod, cum in creaturis sint aliae pure corporeae, aliae ex corpore et

¹³ S.AMBROSIUS, *De Abraham* 2,8,58: ML 14,482. Cf., si lubet, M.PASTORE, *Gli angeli in S.Ambrogio* (Romae 1949).

¹⁴ ARNOBIUS, *Confl. de Deo Trino et Uno* 2,5: ML 53,276. Cf. BERAZA, n.453.

spiritu constantes, oporteat, ad entium creatorum scalam complendam, ut aliae sint pure spirituales (I q.50 a.1).

313. **Obiectiones.** 1. Teste Scriptura, angeli apparent in forma sensibili (Dan 10-12), loquuntur inter se voce sensibili (Zach 1,11; 3,4), epulantur (Gen 10,3; 18,9), mittuntur cum tuba et voce magna (Mt 24,31), luctantur cum hominibus (Gen 32,24). Ergo habent corpus.

Dist. cons. Corpus accidentaliter assumptum, *conc. cons.*; proprium, *nego cons.*

Ex iis factis non sequitur angelos habere corpus, nam: Ipse Deus potest apparere in forma corporali. Sequeretur potius eos habere corpus crassum ut nostrum. Ii pro lubitu apparent et disparent (Tob 5,5; 12,21). Apparenter manducant: *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere* (12,19).

Illa ergo corpora, si ex sensu obvio Scripturae et ex Patribus habentur ea ut *realia*, nec mere imaginaria¹⁵, sunt ab iis assumpta per unionem quamdam, non substantialem, sed pure *extrinsecam*, quatenus angelus fit corpori intime praesens in ordine ad motus locales, ad sonos edendos vel ad alias actiones exercendas, quin tamen in iis corporibus habeatur, nisi apparenter, vita vel actio proprie humana. Si ergo Raphael dicit (Tob 12,19): *Ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor, id intelligitur mystice de visione beatifica.*

314. 2. Daemones apprehenduntur ab aliis angelis et religantur (Tob 8,3). Ergo habent corpus.

Dist. cons. Si illud fieret vi naturali agentis corporei, *conc. cons.*; si fit vi sive physica vel morali alicuius angeli superioris, sive vi ipsius Dei, *nego cons.*

Si ea verba sumerentur ut sonant, sequeretur daemones habere corpus crassum ut nostrum. Nil impedit quin angeli daemones de loco in locum moveant vel in loco aliquo retineant, modo nobis ignoto vel physico vel morali sive per virtutem propriam sive saltem per virtutem Dei.

Id etiam quod daemones igne torquentur (Mt 25,41; 2 Pet 2,4) sic explicatur, ut Deus praeternaturaliter elevet ignem ad spiritus comburendos.

315. 4. Dicitur in Gen 6,1-4: *Cumque coepissent homines multiplicari videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores... Ingressi sunt filii Dei ad filias hominum illaeque genuerunt, isti sunt potentes a saeculo viri famosi.* Ex his, angeli quidam nupserunt cum mulieribus. At id requirit corpus. Ergo.

Nego mai. «Filii Dei» non designat angelos, ut patet: 1) *Ex natura rei*, nam: Ibi agitur de matrimonii more humano contrahendis; quod inauditum esset de angelis. Hi haberent sexuam diversitatem (Mt 22,30). Memoratur punitio mulierum, non vero angelorum. Angeli boni, utpote iam beati, non peccassent; mali vero non dicuntur in Scriptura «filii Dei». Angeli haberent corpus crassum ut nostrum. Etsi admitteretur factum, posset id explicari per corpora accidentaliter assumpta. Res adeo singularis, si non bene probetur, videretur in dedecus Scripturae esse narratio quaedam mythica.

Ex inanitate rationum in contrarium. Sane: a) In versione Septuaginta legitur «angeli Dei». At in codicibus paucis et non magnae notae, dum meliores codices et textus hebraicus habent «filii Dei». b) In Scriptura sic vocantur angeli v.gr. in Iob 1,6; 2,1; Ps 28,1 etc. At numquam in Pentateucho, sed potius homines peculiariter Deo devincti, ut in Ex 4,22; Deut 14,1. Et loci obiecti sunt in contextu poetico, ex quo eorum sensus clare patet.

¹⁵ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 15,23,1: ML 41,468; S.TH., I q.51 a.2s; SUÁREZ, I.4 c.33-37.

c) Oppositio inter filios Dei et filias hominum ostendit priores non esse homines. At ea oppositio potest esse simpliciter moralis ob specialem dignitatem, ut dicens (Ier 32,20): *qui posuisti signa... in Israël et in hominibus, non negat Israëlitas esse homines.* d) Quidam Patres sunt pro ea interpretatione, ut Clemens Alex., SS.Iustinus, Irenaeus, Ambrosius¹⁶ etc. At vix unus ex iis qui sunt maioris auctoritatis in exponendo sensu litterali Scripturae. e) Dicuntur nati esse ex iis gigantes. At ii erant homines, sc. viri famosi seu heroes.

316. 2) Ergo «filii Dei» sunt Sethitae seu homines ex familia Seth. Sic SS.Io.Chrysostomus, Cyrillus Alex., Augustinus¹⁷, interpretes catholici multi¹⁸. Sane Moyses in prioribus capitibus loquitur solum de filiis Adae procedentibus per Seth; qui ceterum poterant vocari «filii Dei», non quod eminent in pietate, cum tunc homines generatim pessimi essent, sed ratione familiae, nam Seth (qui datus est Adae pro Abel) natus est filius quem vocavit Enos; iste coepit invocare nomen Domini (Gen 4,25). «Filiae hominum» sunt mulieres ex familia Cain.

317. Inst. In Iuda 6s dicitur: *Angelos... qui non servaverunt suum principatum... vinculis aeternis... reservavit. Sicut Sodoma... et finitimae civitates simili modo (ac illi, ex textu graeco) exfornicatae et abeuntes post carnem alteram factae sunt exemplum ignis aeterni poenam sustinentes.* His comparantur angeli cum Sodoma etc., quoad peccatum. At peccatum Sodomae etc., fuit fornicationis. Ergo.

Dist. mai. Comparatio fit quoad poenam peccati, conc. mai.; quoad speciem peccati, nego mai.

Peccatum fuit: angelorum, quod non servaverunt suum principatum; civitatum vero, quod exfornicatae sunt abeuntes post carnem alteram. Ceterum, etsi lectio graeca esset vera, verba «simili modo» apte coniunguntur cum verbis «factae sunt exemplum».

318. Nuper proposita est a Closen theoria quae, considerans pericopam illam (Gen 6,14) ut allusionem ad peccatum quod cum mulieribus commiserint viri moraliter omnes (Gen 6,12: *Omnis... caro corruperat viam suam*), statuit filios Dei esse viros generis humani, quatenus sunt creati a Deo ad «imaginem Dei», filiam vero hominum esse mulierem quatenus est ens debile et carnale huius terrae, quamque viri, oblitii illius suae nobilitatis, considerarunt exclusive ut ens carnale seu ut instrumentum libidinis. Nuper etiam Bauer intellexit «filios Dei omnes viros, mulieres omnes filias hominum esse»¹⁹. Ea nova theoria in posterum nequit non appellari in hac re;

¹⁶ CLEMENS ALEX., *Paed.* 3,2: MG 8,575; S.IUSTINUS, *Apol.* 2,5: MG 6,452; S.IRENAEUS, *Adu. haer.* 4,36,4: MG 7,1093; S.AMBROSIIUS, *De virgin.* 1,8,52s: ML 16,202s. De pluribus cf. BAREILLE, 1195s; BERAZA, n.437. Ex recentioribus auctoribus putat filios Dei esse angelos, quasi veteres naturam angelicam aliter ac nos conceperint, CHAINE, l.c., 101-106, vel censet opinionem quod sacer auctor illud expresserit non esse exclusam, J.HEUSCHEN, *De «zonen Gods» in Genesis 5,1-4*: RevEclLiège 39 (1952) 90-95.

¹⁷ S.IO.CHRYSOSTOMUS, *In Gen.* c.5-6 hom.22: MG 53,187-189; CYRILLUS ALEX., *Glaph. in Gen.* l.2 n.2: MG 69,53-56; S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei*, 15 c.21s: ML 41,467-469.

¹⁸ HUMMELAUER, p.211-219; M.HETZENAUER, O.C., *Commentarius in librum Genesis* (Graecii-Viennae 1910) p.127-133; G.HOBERG, *Die Genesis* (Freiburg Br. 1908) p.75-78; MURILLO, *El Génesis* p.349-354; CEUPPENS, o.c., p.242-265; A.BEA, S.I., *De Pentateucho*² (Romae 1933) p.169; CH.ROBERT, *Les Fils de Dieu et les Filles de l'homme*: RevBibl 4 (1895) 340-371,525-552; RENÉ, 132-142; P.MORANT, *Die Anfänge der Menschheit* (Luzern 1960) 287; C.SCHEDL, *Geschichte des Alten Testaments*, I (Innsbruck 1956) 132 idem habet ut probabiliss. Iuxta HEINISCH, *Problemi...* c.5, filii hominum sunt maxime Sethitae, at non exclusis cainitis, et filiae hominum sunt praesertim mulieres iuvenes cainitae, at non exclusis sethitis.

¹⁹ G.E.CLOSEN, S.I., *Die Sünde der «Söhne Gottes»* (Gen. 6,1-4) (Rom 1937); I.B.BAUER, *Videntes filii Dei filias hominum* (Gen. 6,2): VerbDom 31 (1953) 95-100.

at nec probabilitatem opinioni praecedenti aufert, nec plene omnibus criticis placuit²⁰.

Alia opinio nimis conquisita, quod filii Dei sint principes antediluviani, seu filii potentium, filias vero hominum esse filias ordinarias populi, proponitur a Junker^{20*}.

ARTICULUS II

ASSERTA QUaedam Circa Angelorum Spiritualitatem

319. Angeli sunt essentialiter simplices. Id negarunt S.Bonaventura et alii antiqui ex schola franciscana²¹, distinguentes in substantia pure spirituali angeli duplex elementum, aliud determinabile, seu ut materiam (at sine partibus extra partes), aliud determinans seu ut formam.

At haec theoria: multo abhinc ab omnibus iam reiecta, sine ullo fundamento multiplicans entia, incidit in magnas difficultates, cum non explicet, quomodo totus angelus sit actus intelligendi, et cur non inducatur eadem compositio in elementum illud formale angeli.

Cum vero etiam in angelo detur compositio, metaphysica vel physica pro diversa re, potentiae et actus (1 q.50 a.2 ad 3), generis et differentiae (ib., ad 1), naturae et personae (3 q.4 a.1 ad 3), substantiae et accidentis sive naturalis (1 q.54 a.1-5) sive supernaturalis, nihil impedit quin lato sensu distinguantur in angelo materia et forma²².

²⁰ Cf. TH.VARGHA, O.F.M.: Ant 13 (1938) 409s; CEUPPENS: Ang 15 (1938) 143s; J.COPPENS: EphThLov 15 (1938) 706s; C.H.: NouvRevTh 55 (1938) 485s; R.DE V., *Bulletin: RevBibl* 47 (1938) 291.

^{20*} H.JUNKER, *Genesis* (Bonn 1953) 29. Qui prius adhaesit opinioni communiori: *Zur Erklärung von Gen. 6,1-4*: Bibl 16 (1935) 205-212; dum antea tenuerat opinionem quod filii Dei sint angeli, quasi auctor sacer proponat traditionem quamdam popularem, quam tamen sibi propriam non faciat: *Die biblische Urgeschichte in ihrer Bedeutung als Grundlage der alttestamentlichen Offenbarung* (Bonn 1932) 31-36, et refutatus est a G.M.PERRELLA, C.M., *I «figli di Dio» et le «figlie dell'uomo»* (Gen. 6,24): DivThom (Pi) 36 (1933) 435-450. Cf. de his CLAMER, *Genèse*: PirClam 1 (Paris 1953) 175-177; JUNKER, l.c., 28s. In documento fontano agebatur de angelis, seu potius de daemonibus gigantibus gigantes, sed id afferens sacer auctor loquitur de filiis Seth et filiabus Cain, iuxta J.FISCHER, *Deutung und literarische Art von Gen. 6,1-4*: Alttestamentliche Studien F.Nötscher... gewidmet... (Bonn 1950) 74-85; ARNALDICH, 334-339, putat hagiographum desumentem ex fonte antiquiore eam narrationem qua tradatur de facto peccatum angelorum, voluisse non istud peccatum asserere, sed eo exemplo hyperbolice efferre profundam corruptionem hominum ante diluivum. Sic fere T.SCHWEGLER, *Die biblische Urgeschichte* (München 1960) 135-137 et, ut videtur, VAN IMSCHOOT, 116 n.3; F.M.BRAUN, O.P., *Épître de Saint Jude*³ (Paris 1960) 9, putat apud Iud. 6 agi de eodem peccato ac in Gen 6,4.

²¹ S.BONAVENTURA, *In 2 d.3 p.1 a.1 q.1s*; cf. edit. Quaracchi t.2 p.92-94 et P.ROBERT, O.F.M., *Hylémorphisme et devenir chez saint Bonaventure* (Montreal 1936); ALEXANDER HAL., *Summa* p.2 q.20 m.2 § 1. Cf. H.VAN ROOY, O.F.M., *De middeleeuwen over materia in forma bij de engelen*: StudCath 5 (1928-1929) 108-127; E.LEINEIDAM, *Das Problem der hylemorphen Zusammensetzung der geistigen Substanzen im 13. Jahrhundert, behandelt bis Thomas von Aquin* (Liebenthal 1930), quem complet O.LOTTIN, *La composition hylémorphique des substances spirituelles*: RevNéoscolPh 33 (1932) 21-41; P.BISSELS, *Die sachliche Begründung und philosophiegeschichtliche Stellung der Lehre von der materia spiritualis in der Scholastik* (Weerl, Westf. 1957).

²² Cf. S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 1,1,2s: ML 34,247.

320. **Angeli sunt natura incorruptibiles.** Nam corruptio non est nisi separatio materiae et formae in ente ex iis composito, qualis non est angelus (I q.50 a.5). Cum ergo aliqui Patres dicunt ut S.Ambrosius: «Nec angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est Creatoris», significant, ut patet legenti contextum eorum, solum Deum esse immortalem *per essentiam*, utpote qui solus necessario existit, angelos vero *per participationem*, et eo sensu ex gratia Dei, utpote qui solum ex voluntate Dei sunt²³.

321. **Angelus est aliquo loco intrinseco (divisibili vel indivisibili).** Nam *locus intrinsecus* est id quo aliquid formaliter dicitur *ubicari*, seu esse hic et non alibi; iam vero «quidquid est, nusquam esse non potest»²⁴. Nam si Deus crearet corpus alicui angelo intime praesens, angelus esset *ubi* esset corpus et tamen esset *ubi* erat ante; ergo angelus iam antea habebat suam ubicationem.

322. **Angelus potest spatium extensum occupare seu esse in loco extrinseco**, qui est id quo res corporea contineri dicitur. Sane testimonia Scripturae (allata hucusque) et Patrum supponunt obvio sensu aliquando angelos apparere et operari in corpore seu spatio aliquo extenso²⁵; item spiritus, utpote independens a materia et non habens ut corpus partes extra partes ponendas, potest esse in eodem spatio in quo est illud. Tamen angelus *ubicari* potest in spatio *absoluto* (quod meram existentiam possibilem spatii realis seu corporei denotat), cum ei non conveniat ubicatio localis seu propria corporum, utpote identificata cum mundo sensibilis, sed ubicatio spiritualis seu per se independens ab existentia mundi sensibilis.

323. **Angelus non est ubique**²⁶. Nam angelo non competit ubicatio *transcendentalis* seu Dei immensitas. *Scriptura* enim dicens angelos esse in caelo vel esse in terra vel in aliquem determinatum locum abire vel ex uno in alium locum mitti (Lc I,19; 2,19; Mt 4,5.12; Apoc 12,8; 20,1; Dan 14,35; Zach 2,4) nequit non intelligi *proprie*, seu de vera loci mutatione, et proin ut supponens angelos non esse ubique. *Patres* idem supponunt dicentes et alia et angelos esse in caelo vel in inferno vel in aëre²⁷. *Ratio theologica* docet solum Deum esse immensum, cum quaelibet alia substantia sit finita ac proin non potens se extendere ad omnia.

Praesentia vero angeli in loco extrinseco, quae habetur, ut patet, non per contactum quantitativum: Non est *circumscriptiva*, seu qua res est in uno loco quin sit in alio, et ita est tota in toto loco, ut singulae eius partes singulis loci partibus respondeant, cum angelus, utpote purus spiritus, non habeat partes extra partes. Nec est *repletiva*, seu qua res est tota in toto loco, et tota in singulis partibus, ita vero ut nullo determinato loco definia-tur, sed ubique praesens sit; nam ea est propria unius naturae divinae, utpote illimitatae. Sed est *definitiva*, seu qua res sic est in uno loco, ut non sit in alio, et tota est in toto loco ac tota in singulis loci partibus; nam ea

²³ S.AMBROSIUS, *De fid.* 3,3,19: ML 16,593. Cf. BERAZA, n.461-463; PIGNATARO, p.838.

²⁴ S.AUGUSTINUS, *De immort. animae* 1,1: ML 32,1021.

²⁵ De Patribus, cf. PETAVIUS, l.I c.13.

²⁶ Cf. SUÁREZ, l.4 c.1.

²⁷ Cf. BERAZA, n.555.

praesentia non exigit commensurationem, nec extensionem, nec contactum quantitativum, sed solum indistantiam inter rem et locum. At cum locus extrinsecus possit esse diversae dimensionis, angelus est singulis eius partibus praesens, non per partes (quibus caret), sed per totam suam substantiam.

324. **Angelus nequit naturaliter esse et operari simul in diversis locis adaequatis.** Locus *adaequatus* est ille quem angelus occupat vel occupare potest, quique est varius pro diversa angeli perfectione, dum *inadaequatus* est ille quo maiorem angelus occupare potest. At *angelus potest naturaliter esse et operari simul in diversis locis inadaequatis* ab invicem dissitis, quorum summa non excedat locum *adaequatum*, quin operetur in medio, non vero quin sit in medio.

325. **Plures angeli possunt naturaliter simul esse in eodem loco.** Ex Mc 5, 1-13, multi spiritus simul fuerunt in uno homine, quin rationabiliter censendi sint singuli singulas corporis partes occupasse. Angeli carent quantitate, quae est una causa impediens compenetrationem.

326. **Per quid angelus formaliter constituitur in loco?** 1) *Iuxta S.Thomam*, per virtutis applicationem, quam tamen sic intelligunt: a) Báñez, alii, ut sufficiat potentia proxima ad operationem, etsi haec non sequatur; b) Gonet, alii, ut requiratur operatio; c) Caietanus, ut illa sufficiat ad praesentiam incompletam et requiratur operatio ad completam²⁸; d) Toledo, ut sufficiat sola virtus operativa²⁹. At his opponi potest praesupponendam esse praesentiam angeli in loco, ut operetur vel operari possit.

2) *Iuxta S.Bonaventuram*, alios, per solam suam substantiam. 3) *Iuxta Suárez*, per solam praesentiam substantiae suae indistantis a corpore in quo esse dicitur. Quae opinio—sane probabilior—non differt a praecedenti, nisi quatenus reponit *ubi intrinsecum rei in modo* aliquo a rei substantia distincto, quo angelus dicitur formaliter esse hic et non ibi, ita ut hoc posito, ille dicatur esse in loco extrinseco per solam substantiae praesentiam ab isto non distantem³⁰.

CAPUT III

De proprietatibus angelorum

327. **Post indagationem existentiae et naturae spiritualis angelorum, haec postrema penitus consideranda venit quoad eius proprietates intelligendi, volendi, exsequendi. De iis ergo singulis, et quidem ordine indicato, nobis nunc agendum venit.**

²⁸ S.TH., I q.52 a.18; *In I d.37 q.3 a.18*; D.BÁÑEZ, *In I q.52 a.18*; ut ipse, SYLVIVS, *In I q.52 a.18*; GONET, *De angelis d.4 a.1*; CAIETANUS, *In I q.52 a.1 § 18-23*. Cf. BILLUART, *dis.2 a.1*.

²⁹ TOLEDO, *In I q.52 a.1 concl.5*.

³⁰ S.BONAVENTURA, *In 2 d.2 p.2 a.2 q.1*; SCOTUS, *In 2 d.2 q.6*; SUÁREZ, l.4 c.4-8. Cf. etiam PALMIERI, *th.22 n.58*; VÁZQUEZ, *In I d.188 c.68*. De suareziano ubicationis intrinsecae conceptu, cf. utiliter HELLÍN, *La ubicación del Doctor Eximio: EstEcl 5 (1956) 390-450*; *Id., Sobre la ubicación en Suárez y sobre su sistema metafísico: RevEspT 7 (1947) 275-282*.

ARTICULUS I

ASSERTA QUÆDAM DE INTELLECTU ANGELICO

S.TH., I q.54-58; SUÁREZ, I.2; BERAZA, n.464-494.520-546; DAFFARA, n.241-275; MUNCUNILL, n.295-312; MICHEL, *Science des anges*: DTC 14,1620-1628; MARTÍNEZ, p.188-197. 218-229.246-255.270-281.308-318.

328. Nexus. Nobis acturis de cognitione angelica, quae est res sat obscura et disputationibus theologorum subiacens, pauca dicenda sunt de eius perfectione et instrumento, medio, modo, obiecti amplitudine.

329. Angeli perfectione cognitionis homines superant. Nam ii, utpote hominibus praestantiores, eos superant sine dubio saltem facultate intellectuali et proin perfectione actuum huius. 2 Reg 14,20: *Tu... rex (David), sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Mt 24, 36: *De die autem illa (ultimi iudicii) et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater.* S.Io. Damascenus (R 2352): Angeli sunt «secunda lumina intellectualia ex prima et principii experte luce lumen habentia». S.Gregorius M. (R 2303): «... Eorum scientiae longe super nos incomparabiliter dilatantur... Eorum itaque scientia comparatione nostrae valde dilatata est, sed tamen comparatione divinae scientiae angusta; sicut et ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt...» Angeli cognoscunt independentem a materia, dum homines in cognoscendo a sensatione pendent.

330. Virtus intellectiva angeli. Intellectio angelica non est ipsum esse angeli, cum id nequeat esse nisi in Deo, sed potius ut distinguatur ab eo ut actus a potentia¹; nec ea est ut intellectus angeli identificetur realiter cum eius essentia, cum in angelo intelligere et esse non sint idem². Sed angelus caret intellectu agente (etsi contrarium tenuerit Scotus) cum huius intellectus sit species a phantasmatis abstrahere, quod non datur in angelo³.

331. Medium cognitionis angelicae. Angelus, ex opinione fere communi contra paucos, seipsum cognoscit per suam essentiam, cum haec (ut omnia quae ei insunt v.gr. proprietates, accidentia etc.) sit per se cognoscibilis et intellectui angelico maxime praesens; etsi id non valeat pro anima nostra, cum haec nequeat cognoscere nisi dependenter a phantasmate, quod nil repraesentat nisi ad modum rei materialis⁴. *Omnia alia* (non unita intrinsece eius essentiae) angelus cognoscit per species⁵, cum non sit ex se determinatus ad omnes res cognoscendas, ut tenetur contra Palmieri; qui putat, ne eo modo idealismus in angelos induci videatur, potius intellectum

¹ S.TH., I q.54 a.1s; TOLEDO, In I q.54 a.1s; SUÁREZ, I.2 c.1.

² S.TH., ibid. a.3; SUÁREZ, ibid., n.2.

³ SCOTUS, In 2 d.3 q.11.

⁴ S.TH., I q.56 a.1s; 2 CG 98; S.BONAVENTURA, In 2 d.3 p.2 a.2 q.1; SUÁREZ, c.4; H.D.SIMONIN, *La connaissance de l'ange par lui-même*: Ang 9 (1932) 43-62.

⁵ S.TH., I q.55 a.1; 2 CG 98; SUÁREZ, c.45; VALENCIA, In I d.4 q.6 punct.1s; SIMONIN, *La connaissance angélique de l'être créé*: Ang 9 (1932) 387-412.

angelicum in eius creatione determinari a Deo, ut actu suum obiectum intelligat⁶.

Eas vero species probabilius angelus habet non ex sua essentia (ut putarunt Caietanus, Báñez, etc.)⁷, cum ea, utpote limitata, non contineat, etiam virtualiter, species omnium entium angelo in aeternum cognoscibilem; nec ex obiectis haustas (ut quoad singularia putavit Scotus)⁸, cum sine dubio modus intelligendi angeli sit medius inter modum divinum, seu per essentiam divinam, et modum nostrum, seu per species ab obiectis haustas; sed a Deo immediate infusas (ut putant S.Thomas, Suárez, alii multi), et quidem in eius creatione, cum mens angelica a primo momento sit disposita ad eas accipiendas⁹.

Eae species, ut tenetur contra Scotum¹⁰, sunt universales, non mere abstractivae, ut species universales humanae, seu plura obiecta sub una ratione communi repraesentantes, sed perfectivae, seu plura obiecta sub ratione individua reuscuusque repraesentantes; cum enim cognitio angelica nostram perfectionem superet, oportet ut ea sit per species perfectiores ac potentiores quam humanas. Et quidem sunt eo universaliores, quo angeli nobiliores sunt¹¹.

332. Modus cognoscendi angelicus. Angelus aliquid actu semper cognoscit; cum enim substantia vivens habeat ex natura sua semper actu aliquam operationem, oportet ut angelus eam actu exercent quae est ei propria, sc. intellectionem; immo cognoscit semper se necessario, utpote intellectui suo semper praesentem, non vero omnia actu quae cognoscere potest, cum enim sit dominus sui actus, potest, ut nos, alia vel alia considerare¹².

Potest angelus cognoscere discursive, seu per successionem causalem actuum? Iuxta S.Thomam, non. Iuxta Scotum certe, etiam ea quae ex primis principiis per se notis evidenter ducuntur. Iuxta Suárez, non obiecta naturalia evidenter cognita, cum angelus, utpote cognoscens profundius quam nos prima principia, cognoscat statim in iis omnes conclusiones; sed certe obiecta ei mere coniecturaliter cognita (ut secreta cordium, mysteria gratiae, etc.), cum ea possint inferri ex alio noto¹³.

Cognoscit angelus componendo et dividendo, quatenus subiectum et praedicatum seorsim apprehendit eaque inter se comparando affirmat aut negat, non ea quae evidenter cognoscit, sed certe (ut putant Suárez et alii communiter contra Thomistas) ea quae coniecturaliter cognoscit, ut patet ex natura rei¹⁴.

Angelus falli potest, non in evidenter cognitis, ut sensus noster falli nequit circa obiectum proprium, sed solum in coniecturaliter cognitis, ut intellectus noster circa ea quae discurrendo cognoscit¹⁵.

333. Obiectum cognitionis angelicae materiale. Id quod angelus naturaliter, certo, quidditative cognoscere potest, est amplissimum. Si enim

⁶ PALMIERI, th.23 n.2.

⁷ CAIETANUS, In I.2 q.50 a.6; q.51 a.1 in fine; BÁÑEZ, In I q.55 a.2.

⁸ SCOTUS, In 2 d.3 q.11 n.11. Iuxta TOLEDO (In I q.55 a.1) eas accipit ab obiectis, de contingentibus in tempore oriundis; habet infusas de iis quae sunt perpetua et cum ipsis concreta (ut sunt caeli, elementa, et aliqua huiusmodi).

⁹ S.TH., I q.55 a.2; 3 q.9 a.3; SUÁREZ, c.148.

¹⁰ SCOTUS, In 2 d.3 q.10.

¹¹ S.TH., I q.55 a.3; SUÁREZ, c.148. Species pure intellectivae seu dona ordinis angelici quae, etsi raro, dantur mysticis, valde excedunt modum humanum cognitionis etiam supernaturalis, sed non attingunt vim ac extensionem angelicam ac animis separatis propriam, nec, ut in iis, est continua: A.SANDREAU, *Angélique (Phénomènes Mystiques d'ordre)*: DSpIr I (1936) 573-575.

¹² S.TH., I q.58 a.1s; 2 CG 97,101; De ver. q.8 a.6 ad 7; SUÁREZ, c.35s.

¹³ S.TH., I q.58 a.2s; SCOTUS, In 2 d.1 q.5; SUÁREZ, c.33.

¹⁴ S.TH., I q.58 a.4; SUÁREZ, c.32.

¹⁵ SUÁREZ, c.39. Cf. S.TH., I q.58 a.5.

est omnino certum, intellectum angelicum habere modo excellentiori perfectiones nostri intellectus et carere imperfectionibus huic exclusive propriis, valde verisimiliter asseritur angelum cognoscere: a) Seipsum; alios angelos; homines; res materiales et quidem singillatim; Deum vero solum abstractivae. b) Omnes causas naturales et effectus earum existentes; multas etiam causas et multos effectus posibles, non vero omnes. c) Nisi ea alieno iuri subiaceant, etiam facta praesentia, et, modo aliquid eorum habeatur vestigium, praeterita ac futura qua talia; non vero, ut videtur, futura necessaria, si in iis multae causae et longo temporis spatio concurrant.

ARTICULUS II

DE COGNITIONE SECRETORUM CORDIUM

Thesis II. Angeli secreta cordium nequeunt cognoscere naturaliter ac certo.

S.Th., 1 q.57 a.4; SUÁREZ, l.2 c.21-25; PALMIERI, th.23; BERAZA, n.506s.513-517; HUARTE, n.685-688; DAFFARA, n.264-268.

334. Nexus. In praecedentibus indicavimus positive obiectum cognitionis angelicae; nunc vero huic assignamus aliquam limitationem, seu determinamus quousque ea se non extendat, nempe ad secreta cordium, ad futura libera, ad mysteria gratiae. Primo ergo de secretis cordium.

335. Notiones. SECRETA CORDIUM de quibus hic agitur sunt, non quilibet actus *interni* entis rationalis, sed solum actus *liberi*, et ii omnes qui aliquem actum *liberum* connotant nullo signo exterius manifestatum.

Ii dicuntur secreta *cordium*, quia cor communiter habetur ut quasi fons totius vitae moralis (Mt 5,8; 15,18s; Rom 1,21).

Ii sunt actus liberi voluntatis; actus intellectus vel facultatum inferiorum a voluntate imperati, ac prout imperati seu liberi; actus intellectus vel actus voluntatis praevii vel eum consequentes, qui connotant actum illum voluntatis ut liberum.

Ad ea secreta: a) *Non pertinent* actus exterius manifestati; actus imperati facultatum inferiorum a qua entitates physicae, utpote immutatae organi proditae; actus necessarii quibus alius angelus se cognoscit et amat. b) *Non omnino constat pertinere* actus necessarios voluntatis; actus intellectus vel non imperatos, vel in sua entitate physica, si sunt imperati. c) *Forte non pertinent* ii actus liberi quos creatura positive vult innotescere angelis (qui tamen eos saltem praeternaturaliter norunt v.gr. preces internas ad eos directas).

336. COGNOSCERE NEQUEUNT. His asseritur *physica* impossibilitas cognitionis, sive ea sit ab intrinseco, seu ex defectu virium naturae, sive ea sit ab extrinseco, seu quia Deus sua providentia concursum denegans illam cognitionem impediatur.

NATURALITER, sc. per solas vires naturae, cum cognitio supernaturalis, seu ex revelatione Dei, sit indubie possibilis.

CERTO, sc. non mere coniecturaliter, cum sic ea cognitio sit saltem saepe, possibilis.

337. Adversarii. Thesis, prout ea ponitur a nobis, nullos habet adversarios, cum et Scotistae eam admittant, etsi dicant eam impotentiam angelorum esse eis extrinsecam¹.

338. Valor theologicus. Quoad actus libere elicitos a voluntate, *saltem certa in theologia*; nisi forte potius dicatur *de fide divina et catholica* ex Scriptura et Traditione², cum tamen textus Scripturae sint directe de homine. Quoad actus aliarum facultatum a voluntate imperatos, *videtur idem esse dicendum*. Quoad actus intellectus mere connotantes aliquem actum voluntatis liberum, *certa in theologia*.

339. Probatur ex sacra Scriptura. 1) *Positive*, formulis sine dubio indicantibus omnes actus qui supponunt liberum voluntatis influxum vel eum connotant: a) Dicitur cognitio cordium esse Deo propria. Ier 17,9s: *Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes.* 1 Par 28,9: *Omnia enim corda scrutatur Dominus et universas mentium cogitationes intelligit.* Ps 43,22: *Ipse enim novit abscondita cordis.*

b) Ea cognitio tribuitur antonomastice Deo. Ps 7,10: *Scrutans corda et renes, Deus.* Hebr 4,12: *Sermo Dei... discretor cogitationum et intentionum cordis.*

c) Ea effertur ut Christi. Io 1,47-51: *Vidit Iesus Nathanael: Ecce vere israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: unde me nosti? Respondit Iesus...: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit... Nathanael... Rabbi, tu es filius Dei... Respondit Iesus...: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: maius his videbis... 2,24: Christus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.*

2) *Negative.* Numquam tribuitur explicite vel implicite angelis bonis vel malis illa cognitio ut eis naturalis.

340. Probatur ex traditione. 1) *Daemones non cognoscunt secreta cordium.* S.HIERONYMUS (R 1391): «... Diabolus in

¹ SCOTUS, In 4 d.45 q.4; In 2 d.9 q.2 n.27; FRASSEN, *Scotus academicus* t.2 (Romae 1900) d.2 q.3. Cf. tamen (quoad angelos bonos) MASTRIUS, In 2 d.2 q.8s.

² MASTRIUS (l.c.) id negat et habet ut probabilem (saltem quoad angelos bonos) opinionem contrariam. At forte ipse non est in nostro quaestionis statu de secretis cognoscendis ut liberis.

anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat...» CASSIANUS (R 2051): Possunt «spiritus mundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indicis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est, aut ex nostris dispositionibus aut ex verbis et studiis in quae propensius nos perspexerint inclinari. Ceterum illas, quae necdum de internis animae prodierunt, adire omnino non possunt».

2) *Solus Deus novit secreta cordium.* S.BASILIIUS: «Quo animo, quo proposito agamus... solus novit qui nostra omnia opera intelligit...»³

341. Ratio theologica. Creatura rationalis, cum ad solum Deum ut ultimum finem ordinetur, et ad ipsum actibus liberis tendat, censetur habere perfectum dominium eorum actuum, ita ut in iis a solo Deo dependeat. At illud perfectum dominium non haberet, si nequiret suos actus pro lubitu celare, cum sic libertate, saltem magna ex parte, privaretur.

342. Haec ratio est mere *moralis*, probans non oportere ut secreta cordium nota sint angelis. At quae est ratio *physica* qua de facto obtinetur illa ignorantia? Difficile est aliquam plene convincentem assignare. 1) Iuxta Scotistas, est denegatio concursus per divinam providentiam. At talis facultas naturalis quae semper a Deo impediatur a suo actu absurda est⁴. 2) Iuxta Caietanum etc., est carentia specierum innatarum quae ad eam rem sufficiant. At non omnes admittunt hanc theoriam de speciebus infusis⁵. 3) Iuxta Palmieri etc., est natura actuum vitalium, qui, qua tales, non sunt noti nisi ipsi creaturae eos elicenti et Deo utpote omne verum comprehendenti ac ad illos actus concurrenti⁶. At si angelus novit intuitive animam humanam, cur nequeat etiam eius actus videre?

343. Obiectiones. 1. Diabolus intrat in hominis cor. Ergo potest huius secreta nosse.

Dist. antec. Diabolus intrat in hominis cor per infestationem, *conc. antec.*; per cognitionem secretorum cordis, *subdist.*: si ea prodantur, *conc.*; secus, *iterum subdist.*: coniecturaliter, *conc.*; certo, *nego.*

2. Diabolus saepe in energumenis secreta horum prodit. Ergo norit secreta cordium.

Dist. antec. Si ea ei aperiuntur vel effectibus externis manifestantur, *conc. antec.*; secus, *subdist.*: prodit ea ut probabilia, *conc.*; ut certa, *iterum subdist.*: per specialem permissionem divinam, *trans.*; mere naturaliter, *nego.*

³ S.BASILIIUS, *In ps.* 32 n.8: MG 29,344.

⁴ SCOTUS, *l.c.*; FRASSEN, *l.c.*

⁵ CAIETANUS, *In I q.57 a.4 § 6s.*

⁶ PALMIERI, *l.c.*, n.4. Cf. BERAZA, n.517.

ARTICULUS III

DE COGNITIONE FUTURORUM LIBERORUM

Thesis 12. Angeli futura libera cognoscere nequeunt naturaliter et certo.

S.TH., I q.57 a.3; SUÁREZ, C.9-11; BERAZA, n.502-505,509-512; PALMIERI, th.23 n.5; OTTEN, n.354-368.

344. Nexus. Cum constet nobis ex probatis, angelos secreta cordium cognoscere non posse, quaeritur iam num futura libera cognoscere valeant.

345. Notiones. FUTURUM est id quod non est, sed erit. FUTURUM LIBERUM sumitur hic pro eo quod pendet a creatura, non necessario agente, sed *libere* agente vel per se immediate vel per applicationem alius causae naturalis ad agendum.

Indicantur vero ea formula, non actus praesentes voluntatis creatae decernentis aliquid agendum in futurum, nec actus interni ab illa serius ponendi, cum omnes illi actus ad secreta cordis pertineant; sed effectus quidam externi, prout ii pendunt a determinatione libera creaturae, at nulla ratione manifestati.

COGNOSCERE NEQUEUNT, sc. physice, et quidem sive mediate in ipsa causa sive immediate in seipsis.

NATURALITER, CERTO, sumuntur fere ut in thesi superiore.

346. Doctrina Ecclesiae. *C. Vaticanum* (D 1790): «... Voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, *facta* sc. *divina*, atque imprimis miracula et *prophetias*, quae cum Dei omnipotentiam et *infinitam scientiam* luculenter commonstrent, *divinae* revelationis signa sunt *certissima*...» Ergo si prophetia est factum divinum, infinitam Dei sapientiam ostendens, certissime significans revelationem divinam, nequit esse aliquid naturaliter angelis competens.

347. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica* ex Scriptura et Traditione sic Scripturam interpretante.

348. Probatur ex sacra Scriptura. Ea statuit cognitionem futurorum liberorum: a) Ut argumentum divinitatis. Is 41,23: *Annuntiate quae ventura sunt in futurum et sciemus quia dii estis vos.* 46,9s...: *Ego sum Deus et non est ultra Deus, nec est similis mei. Annuntians ab exordio novissimum et ab initio quae necdum facta sunt.*

b) Ut signum divinae missionis Christi. Io 14,20: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.*

c) Ut quae ostendat divinam originem Evangelii. Rom 1,2: *... Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo...*

349. Probatur ex traditione. 1) *Cognitio certa futurorum est propria solius Dei.* S.IUSTINUS (R 116): «... Dei opus est res antequam fiant praedicere easque, ut praedictae fuerunt, ita factas exhiberi». S.AUGUSTINUS (R 1740): «Qui... non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus. Quapropter et voluntates nostrae tantum valent quantum Deus eas valere voluit atque praescivit...»

2) *Ideo Deus dicitur quasi antonomastice praescire futura.* S.CYRILLUS IER. (R 815): Deus «futurorum praescius est et omnibus potentior; omnia sciens et faciens prout vult». THEODORUS (R 2162): «Deus ea, quae futura erant, procul prospexit ut Deus... Deus universorum omnia procul videt ut Deus...»

350. Ratio theologica. Angeli nequeunt cognoscere futurum liberum in decretis Dei, cum haec naturaliter cognosci nequeant; nec in ipsa voluntate, cum haec in se sit indifferens ad utrumlibet. Non in se ipso, cum, qua futurum, nihil sit vel actu vel in potentia determinata et proin non sit cognoscibile nisi in signo quo producitur actu, ita ergo ut qua futurum nequeat cognosci nisi ab intellectu infinite perfecto cui tota aeternitas simul sit praesens.

351. Obiectio. Daemones futura libera saepe praenuntiarunt. Ergo ea norunt.

Dist. antec. Daemones futura libera praenuntiarunt ex cognitione coniecturali, conc. antec.; ex cognitione certa, subdist.: modo pure naturali obtenta, nego; alia via v.gr. revelatione divina hominibus facta, trans.

Ut obiectio vere valeat, duo probanda sunt, quae certe non probantur: a) Eam praedictionem fuisse firmam, non solum apparenter, sed ut ex certa cognitione. b) Si ea fuit ex certa cognitione, hanc obtentam esse modo pure naturali.

352. Corollarium 1. *Angeli nequeunt cognoscere naturaliter entia intrinsece et simpliciter supernaturalia, ut visionem beatificam, gratiam sanctificantem et alia omnia cum iis intrinsece connexa, nec quoad entitatem, cum haec superet vires cuiusvis naturae finitae etiam possibilis; nec, saltem certo, quoad possibilitatem, cum ea entia nullam connexionem necessariam habeant cum natura.*

Assertum nostrum videtur certum contra Scotum et alios dicentes posse cognosci ab angelis entia supernaturalia: si non existunt, quoad possibilitatem abstractivae¹; si vero iam existunt, quoad existentiam intuitive².

¹ Pro cognitione possibilitatis visionis Dei, cf. SCOTUS, In 4 d.49 q.8 (cf. tamen FRASSEN, l.c.); VÁZQUEZ, In 1.2 d.20 c.2 (at cf. In 2 d.214 c.1-3).

² SCOTUS, In 4 d.10 q.8 concl.2 (cf. tamen FRASSEN, l.c.). Cf. SUÁREZ, l.c., c.29 n.7.

353. Corollarium 2. *Angeli nequeunt cognoscere naturaliter mysteria Dei supernaturalia.* Haec sunt vel Deo totaliter intrinseca, ut Trinitas, vel quae sunt in operibus ad extra, ut Incarnatio; et assertum valet quoad possibilitatem mysterii concreti ante cognitam revelationem, ac post hanc cognitam, quoad eorum quidditatem. Sane quoniam (1 Cor 2,11): *Quae sunt Dei nemo novit nisi spiritus Dei, mysteria Dei: si initium habent, antequam existant, pendent a sola voluntate libera Dei, quae naturaliter cognosci nequit; iam existentia sunt simpliciter supernaturalia ac proin superantia quaslibet vires creaturae.*

354. Angeli naturaliter possunt fortasse cognoscere ante revelationem aliqua mysteria gratiae supernaturalia in genere esse possibilis; non vero eam supernaturalitatem esse praecise quoad substantiam, nec mysterium aliquod concretum esse certo possibile vel esse futurum³.

Angeli beati cognoscunt supernaturaliter in Verbo mysteria Dei, et quidem diverso numero et gradu pro ipsorum diversitate gloriae. Item Deus alia eis ignota revelat pro eorum officio. Item angeli superiores de mysteriis inferiores illuminant (S.TH., 1 q.57 a.5).

ARTICULUS IV

DE VOLUNTATE ANGELICA, NATURALITER CONSIDERATA

S.TH., 1 q.95; SUÁREZ, l.3; BERAZA, n.520-526; MUNCUNILL, n.335-342; DAFFARA, n.276-284.

355. Angeli habent voluntatem liberam. Id est de fide implicite definita in C.Lateranensi (D 428): «Diabolus... et alii daemones a Deo... natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali». Idem tradunt S.Scriptura docens eos peccasse (2 Petr 2,4; Iud 6) et Patres v.gr. S.Iustinus (R 142): «Liberos ad iustitiae observationem angelos et homines creavit». Tatianus (R 156): «Verum... ante homines creatos angelorum fit opifex. Utraque autem opificii species libera creata est». Ratio theologica ostendit, non solum factum voluntatis liberae, sed eam esse perfectiorem humana ut diximus de intellectu angelico.

356. Ex magna perfectione illius libertatis determinatio angeli fit, non post longam deliberationem, sed *instantanee*. At ea electio libera semel posita cum plena deliberatione est iam *immutabilis*? Haec quaestio ponitur hic in genere de omni electione angeli libera, etsi contra communiorem opinionem, Thomistae putant angelum esse defectibilem solum in rebus supernaturalibus, non vero relate ad finem naturalem¹.

³ Cf. VÁZQUEZ, In 1 d.214 c.1-3.

¹ Sic v.gr. BÁÑEZ, SALMANTIGENSES, GONET, GOTTI, BILLUART, etc., de quibus et de contraaria ac communiore opinione, cf. DE LUBAC, *Surnaturel*, p.261-321. S.THOMAS de impeccabilitate angelorum contra legem naturalem intellexerunt nostris diebus: A.GARDEIL, O.P., *Election*: DTC 4,2254; CH.V.HERIS, O.P., *L'amour naturel de Dieu*: MelThom (1923) 304; J.H.NICOLAS, O.P., *La grâce et le péché*: RevThom 45 (1939) 70-79; M.R.GAGNEBET, O.P., *L'amour naturel de Dieu chez saint Thomas et ses contemporains*: RevThom 49 (1949) 73-86; MARTÍNEZ, o.c., 694-698; P.ROUSSELOT, S.I., *L'intellectualisme de saint Thomas*² (Paris 1924) p.218 (cf. p.72); Id., *Quaestiones de conscientia* (Bruxellis 1937) p.548; RONDET, o.c., p.205 et not.6; C.COURTES, O.P., *La peccabilité de l'ange chez saint Thomas*: RevThom 53 (1953)

Thomistae affirmant illam volitionis angelicae immobilitatem, alii *physicam* et quidem in omni electione, aut in sola electione boni quod angelus sibi ut ultimum finem praefigit, pro diversa opinione, alii *moralem* seu difficillime deficientem². Ratio est quod, cum angelus ob perfectam obiecti apprehensionem efformet iudicium practicum irrevocabile, censeatur etiam velle illud irrevocabiliter.

Durandus, Scotus, Suárez, alii *negant* illam immobilitatem³. Id videtur probabilius (etsi non denegetur angelo *quaedam adhaesionis firmitas moralis*), cum nec cognitio eius censeatur post electionem trahere necessario ad obiectum voluntatem eius, quam ante electionem non trahebat; nec actus electionis sit ita aeternus, a quo voluntas cessare nequeat; nec voluntas creata sit per essentiam immutabilis.

357. Ceterum libera voluntas angeli, etsi gradu eminentior, fere ut humana aestimanda est, ita ut eius obiectum adaequatum sit ens sub ratione boni, et sit libera libertate contradictionis (ad faciendum vel non faciendum) sive contrarietatis (ad hunc actum vel ad contrarium), sive specificationis (ad hunc actum vel ad illum), quin tamen probabilius queat cessationem omnis prorsus actus obtinere⁴.

358. Cum non sit repugnantia ex parte immaterialitatis, angelus est capax: a) Spei, desperationis, audaciae, timoris (Iac 2,19); etiam irae (Apoc 12,12), at solum quatenus haec est appetitus vindictae pro iniuria illata. b) Gaudii (Lc 15,7.10), desiderii (1 Petr 1,12), amoris circa bonum; odii, fugae, tristitiae, circa malum. c) Amoris naturalis et spontanei quo amat se, Deum sub ratione generica boni; electivi seu liberi, quo se et alia obiecta diligit (cf. S.Th., 1 q.60).

133-163, efferens Angelicum in ea doctrina fuisse semper constantem; Id., *Le traité des anges et la fin ultime de l'esprit*: ibid., 54 (1954) 156-165; MICHEL, *Possibilité du péché des anges*: AmCl 65 (1955) 188. Ipsum vero sensu contrario (quatenus S.Doctor peccabilitatem affirmat de natura angelica, non in hac vel illa hypothesis, sed secundum se spectata et ex vi suae naturalis imperfectio) intelligit DE LUBAC, o.c., 231-260 (cf. Id., *Esprit et liberté*: BullLitEcc 40 [1939] 189 189-207). DE Blic, *Saint Thomas et l'intellectualisme moral à propos de la peccabilité de l'ange*: MelScRel 1 (1944) 241-280 (cf. Id., *Peccabilité du pur esprit et surnaturel*: ibid., 3 [1946] 162; Id., *Quelques vieux textes sur la notion d'ordre surnaturel*: ibid., 359-362) putat esse apud S.Doctorem aliam seriem textuum, qua illa angeli impeccabilitas doceatur, alia qua peccabilitas naturalis cuiuslibet purae creaturae asseratur. PHILIPPE DE LA TRINITÉ, O.C.D. (*Du péché de Satan et de la destinée de l'esprit d'après S.Thomas d'Aquin*: EtCarm [1948] p.44-85) censet diabolium de facto peccasse in reiciendo ordine supernaturali, at fuisse radicaliter capax peccandi in reiciendo Deo ultimo fine naturali (contra Thomistas), quin ulla sit apud Angelicum contradictio (contra De Blic); Id., *Reflexions sur le péché de l'ange*: EphCarm 8 (1957) 44-92; Id., *Evolution de Saint Thomas sur le péché de l'ange dans l'ordre naturel*: EphCarm 9 (1958) 338-390; Id., *Epreuves spirituelles*: DSpir 4 (1960) 912s. Sic fere quoad rem MARITAIN, *Neuf leçons sur les notions premières de la philosophie morale* (Paris 1951) 129-134 (at angelus in ordine caritatis nequibat de facto peccare in ordinem naturalem quin primo peccaret in supernaturalem); Id., *Le péché de l'ange*: RevThom 56 (1956) 197-239, et CH.JOURNET, *L'univers de création ou l'univers antérieur à l'Église*: RevThom 53 (1953) 467s (at angelus de facto peccavit in ordinem supernaturalem, sic tamen violans legem naturalem obediendi legitimo superiori): cf. CH.JOURNET-J.MARI-TAIN-PH.DE LA TRINITÉ, *Le péché de l'ange* (Paris 1961), quibus quoad substantiam theoscos adhaeret L.B.GUERARD des LAURIERS, *Le péché de l'ange*: Ang 40 (1963) 202-214. Ut mediator est C. PIRES, S.I., *Inteligência e pecado em S. Tomás d'Aquino* (Braga 1961). Cf. et SUÁREZ, Lc., 1.3 c.7.

² S.Th., 1 q.64 a.2; 4 CG 95. Cf. BILLUART, diss.6 a.1.

³ DURANDUS, In 2 d.7 q.2; SCOTUS, In 2 d.7 q.1; SUÁREZ, 1.3 c.10. Pro TOLEDO (In 1 q.64 a.2) haec est «communis sententia». Cf. S.*Bonaventurae opera* 2 (Quaracchi) Schol. p.177.

⁴ SUÁREZ, 1.3 c.3.

ARTICULUS V

DE POTENTIA EXSECUTRICE ANGELORUM

359. **Angelus potest se movere de loco in locum.** Nam dicuntur mitti, abire, ambulare, currere (Iob 1,7; Zach 2,4; Ex 14,19; Mt 28,2; Lc 1,26-28.38). Sunt alicubi, cum tamen non sint ubique, nec necessario adhaereant alicui loco determinato. Ergo possunt se movere (1 q.53 a.1.3).

Potest angelus se movere quin transat per medium? Affirmative, iuxta explicantes praesentiam angeli in loco fieri per applicationem virtutis¹. Negative, iuxta ceteros, cum id aequivaleret replicationi angeli simultaneae in pluribus locis, quae tamen videtur supponere potentiam infinitam².

Motus angeli est velocissimus, iuxta omnes. At disputatur utrum illi velocitati assignandus sit terminus, ut putavit Vázquez, an non, ut communis censeatur cum S.Thoma, Suárez³.

360. **Angelus potest alios spiritus movere.** Id valet nisi movendus fortior sit et resistat. Ex Tob 8,3, Raphael apprehendit daemonem et reli-gavit illud in deserto superioris Aegypti. Ex Lc 16,22, *factum est... ut... portaretur ab angelis in sinum Abrahae* anima Lazari. Eam vero potentiam esse naturalem a Vázquez negatur, a Suárez affirmatur⁴.

361. **Angelus potest movere corpora.** Ex Dan 14,35 propheta Habacuc portatus est ab angelo in Babylon. Ex Act 8,39, Philippus raptus est ab angelo in Azotum. Ex Io 5,4, angelus movebat aquam piscinae. Angelus, utpote hominibus virtute longe superior, potest sine dubio aliquid in corporibus facere. Ergo saltem id quod est minimum, seu ea movere localiter.

Difficile vero intelligitur modus illius motus. Hic ceterum non habetur per contactum quantitatis, ut patet, sed per aliquem contactum virtutis⁵.

*Ea potentia, quae sine dubio est diversa pro diversa perfectione angeli, est limitata*⁶. Eius vero ambitus est ignotus nobis.

362. **Angelus potest miros effectus corporeos producere.** Cum enim queat movere localiter corpora, potest, applicans principia activa passivis, etiam mutationes substantiales in corpora inducere, ita vero ut ipse mere disponat naturam, quae exserat propriam suam virtutem.

Hinc potest: a) in vita *vegetativa*, nutritionem, infirmitates, generationem fovere vel impedire; non vero mortuum suscitare vel aliud facere quod natura producere virtute sua nequeat; b) in vita *sensitiva*, motus carnis, delectationem, dolorem, iram, memoriam fovere vel impedire, sensus externos et internos vario modo afficere; c) in vita *rationali*, ingenii vim acere, indirecte movere sive intellectum, per specierum excitationem aut phantasmatum impressionem vel obiecti propositionem, sive voluntatem ad aliquid libere volendum eam sollicitando⁷.

¹ S.Th., 1 q.53 a.2; *Quodl.* l.1 a.5; In 1 d.37 q.4 a.2.

² Cf. SUÁREZ, 1.4 c.18s; PALMIERI, th.22 n.7.

³ VÁZQUEZ, In 2 d.194 c.3; S.Th., 1 q.53 a.2 ad 1; SUÁREZ, 1.4 c.24.

⁴ VÁZQUEZ, In 1 d.194 c.3 n.11; SUÁREZ, 1.4 c.28.

⁵ Cf. SUÁREZ, 1.4 c.30s.

⁶ Cf. SUÁREZ, 1.4 c.32.

⁷ Cf. WIRCEBURGENSES, *De angelis* n.47-50.

363. **Angelus potest assumere corpora.** S. Augustinus: «Apparuisse... hominibus angelos in talibus corporibus ut non solum videri, verum etiam tangi possent, eadem... Scriptura testatur»⁸. Cf. Gen 18,2-16; Lc 1,26-38; Act 12,7-10; totum librum Tobiae.

Etsi vero ea corpora assumpta ab angelo forte sint vere organica, ut putavit Tertullianus, nec potius aërea vel alio modo subtilia (sed vere realia) ut tenetur communius⁹, angelus eis non unitor hypostaticè, ut vera forma substantialis vel ut accidentalis, sed solum quasi motor; hinc ea non vivificat, nec proin efficit, ut principium vitale, actiones vitales eorum, etsi eas imitatione sic producat, ut illa corpora reapse viva esse videantur.

364. **Angelus potest facere miraculum.** Non vero quoad se et simpliciter tale, ut patet, seu effectum sensibilem qui habeat causam omnibus creaturis per se, sc. non ratione alicuius impedimenti, occultam (1 q. 110 a. 4); sed quoad nos et secundum quid tale, seu effectum sensibilem, qui habeat causam omnibus hominibus per se, sc. ratione limitationis naturae ipsius humanae occultam (S. Th., 3 CG 103); cum enim nos ingenio et virtute longe superet, potest, applicando activa passivis, multa facere quae quoad nos sint vel praeter naturam, ut est sanatio caeci (Tob 11,15), vel contra naturam, ut si eleventur homines e terra (Dan 14,15), vel supra naturam, ut est locutio in serpente (Gen 3,1-5).

365. Haec valent de miraculo physice considerato. At id moraliter sumptum, seu ut instrumentum Dei ad manifestandam mentem divinam vel ad obtinendum aliquem effectum a Deo intentum, nequit fieri ab angelo nisi per iussum vel per approbationem Dei. Numquam vero fieri potest a daemone ad decipiendos homines; nam firmissime credendum est, «nec daemones aliquid operari secundum naturae suae potentiam... nisi quod ille permiserit cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla»¹⁰.

366. **Potentia executrix angelorum non est realiter distincta ab eorum intellectu et voluntate,** ut probabilius tenetur cum S. Thoma, Suárez repugnante¹¹.

ARTICULUS VI

DE MUTUO ANGELORUM COMMERCIO

367. **Angeli loquuntur inter se.** Seu alii aliis conceptus mentis manifestant. Id est saltem certum in theologia. Scriptura: 1 Cor 13,1 memorat linguas hominum et angelorum. Ex Iud 6, Michael respondit disputans cum diabolo de corpore Moysis: Imperet tibi Deus. Ex Is 6,3; Seraphim clamabant alter ad alterum... Sanctus...

Traditio: S. Io. CHRYSOSTOMUS (R 1197): «Linguam... angelorum hic dicit... sed hoc vult significare: Etsi ita loquar ut angeli solent inter se colloqui... Linguam vocavit... illorum

⁸ S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 15,23,1: ML 41,468.

⁹ TERTULLIANUS, *Cont. Marc.* 1,3 c.9: ML 2,333. Cf. S. AUGUSTINUS, *Enchir.* c.59: ML 40,260; SUÁREZ, l.4 c.348; BERAZA, n.375.

¹⁰ S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 18,18,2: ML 41,574.

¹¹ S. TH., 1 q.54 a.5; q.79 a.1 ad 3; *De malo* q.16 a.1 ad 14; SUÁREZ, l.4 c.29.

mutuum colloquium noto apud nos modo adumbrare voluit». S. Io. DAMASCENUS (R 2352): Angeli «sine ulla prolata sermonis ope mutuo sibi sensa sua communicant et consilia». Ratio theologica: Ii sunt in societate, quae, utpote gubernanda, supponit liberam manifestationem mutuam consiliorum, sensuum, praeceptorum, etc.

Possunt naturaliter loqui et cum Deo, cui suos conceptus ipsi iam notos aperiant; non vero nobiscum, cum locutio pure spiritualis in hac vita non aptetur animae nostrae, et locutio eorum per signa sensibilia sit praeternaturalis.

368. **Modus** vero quo angelus alios conceptus manifestat, dum alios celat, et quidem ita ut solus ille ad quem locutio dirigitur hanc percipiat, est in se sat obscurus. Hinc explicatur, omissis aliis modis, a Scoto et aliis, per productionem cognitionis conceptus in audiente; a Suárez et aliis per impressionem speciei impressae in audiente; a S. Bonaventura et aliis, per liberam extensionem ipsius speciei intelligibilis ad audientem; a S. Thoma et aliis multis—quod videtur esse probabilius—per liberam ordinationem conceptus ad audientem, ita ut Deus huius intellectum per suum concursum determinet ad cognoscendum¹.

369. **Datur illuminatio angelica.** In id conveniunt omnes scholastici (fundati, ut videtur, in Scriptura et Traditione), duce Pseudo-Dionysio, qui passim de angelica illuminatione, quam etiam purgationem et perfectionem vocat, loquitur.

Illam vero illuminationem est manifestatio veritatis ignotae, quam angelus superior inferiori tradit, per modum magisterii, in ordine ad Deum; cum valde congruum sit divinae providentiae, ut in societate superiorum et inferiorum superior inferiorem dirigat et doceat. Unde illuminatio est locutio specialis, quae supponit in angelis quibusdam superioritatem quoad sapientiam, et fit per modum manifestationis; quod sane non est de locutione ut tali.

Esse potest de multis relatis ad gratiam, vel quae superior, non vero inferior, videt in Deo; non vero probabiliter de rebus pure naturalibus (vel saltem solum aliquo modo praeternaturali cognoscendis), cum haec iam cognoscantur ab inferiore, saltem per scientiam a Deo praeternaturaliter infusam².

¹ SCOTUS, *In 2 d.9 q.2 n.15.278*; SUÁREZ, l.2 c.26-28; S. BONAVENTURA, *In 2 d.10 a.3 q.1*; S. TH., 1 q.107 a.18. Cf. BERAZA, n.527-536. Iuxta S. Th., «in locutione angeli nullum impedimentum facit distantia loci» (ibid. a.4) «et sic aequaliter a propinquo vel remoto angelus locutionem angeli percipit» (*De ver.* q.9 a.6). Nec iuxta SUÁREZ (l.2 c.28 n.13s); qui tamen non audit definire (utrumque habens ut probabile) an nulla distantia vel propinquitas saltem aliquatenus influat.

² Ps.-DIONYSIUS, *De cael. hier.* v.gr. c.4 § 3-4; c.7 § 3; MG 3,180s.210; S. Th., 1 q.106; 107 a.18; *De ver.* q.9 a.1-5; SUÁREZ, l.c., l.6 c.11-15; BERAZA, l.c., 537-546. «In daemonibus non potest esse illuminatio propria... quia illuminatio est in ordine ad Deum, qui illuminat omnem intellectum... et unus (daemon) alium non intendit ordinare ad Deum, sed magis ab ordine divino abducere» (S. Th., 1 q.109 a.3). At «per sanctos angelos multa de divinis mysteriis daemonibus revelantur, cum divina iustitia exigit, ut per daemones aliqua fiant, vel ad punitionem malorum vel ad exercitationem bonorum... Huiusmodi autem revelationes, ... ex parte daemonum non sunt illuminationes, quia eas in Deum non ordinant...» (ibid., a.4). De communicatione angelorum inter se ut exemplari pro mutuo hominum commercio, cf. J. HENNING: *GlLeb* 36 (1963) 205-215.

CAPUT IV

De conditione morali angelorum

370. Consideratis iis quae ad naturam angelorum pertinent, ea veniunt nunc exponenda, quae ad eorum conditionem moralem spectant, seu ad quem ultimum finem sint ordinati et quo modo ad eum dispositi, qua ii ratione ad eum obtinendum vel forte reiiciendum se libere gesserint, quid tandem iis pro ea ratione agendi evenerit.

Ut vero id aptius fiat, oportet respicere in duratione angelica tria momenta saltem ratione inter se distincta: creationis, probationis, retributionis. Ea tamen non *temporis continui*, quale est proprie tempus, cum angeli, utpote spirituales nec proin mutationi rei materialis subiecti, a spatio ac tempore non pendeant; sed *temporis discreti*, seu habentis solam successionem actuum immanentium ab invicem discretorum (I q.62 a.5 ad 2); et ideo illa non necessario nostris respondent, cum potius unus angelorum actus pluribus momentis nostris coexistere possit, vel cum in angelis complexus plurium actuum intellectus et voluntatis inter se connexorum sumi queat ut unus actus et sic ut uni nostrorum momento respondens¹.

ARTICULUS I

DE ELEVATIONE ANGELORUM AD GRATIAM SANCTIFICANTEM

Thesis 13. *Angeli gratia sanctificante ornati sunt in via.*

S.TH., I q.62 a.3.6; S.BONAVENTURA, *In 2 d.4 a.1 q.1*; SUÁREZ, I.5 c.38.7; BERAZA, n.580-613; OTTEN, n.380-387; BOYER, th.21; MARTÍNEZ, p.443-461.

371. *Nexus.* Angelos, et quidem omnes, in via fuisse ad finem *supernaturalem* saltem *extrinsece* destinatos, est *de fide catholica*, ut patebit ex dicendis inferius de finali eorum sorte. At fuerunt ii ad eum etiam *intrinsece* elevati, seu gratiam sanctificantem acceperunt, et quidem omnes? En quaestio principalis nunc tractanda, cui aliae minus principales in scholiis accedant necesse est.

372. *Notiones.* ANGELI, sc. omnes existentes sive boni sive mali.

¹ Duratio *intrinseca* angeli, seu huic competens re et independenter a coexistentia rei materialis, non includit in se prius et posterius, seu commensurationem per momenta temporis fluentis realiter diversa, sed solum duratio eius *extrinseca*, seu quae ei est dependenter a rei materialis duratione et per relationem ad hanc, includit illam commensurationem.

GRATIA SANCTIFICANS scil. donum permanens et conferens consortium divinae naturae ac filiationem adoptivam cum iure hereditatis Dei; illi connaturaliter annectuntur sive virtutes² et dona Spiritus Sancti, sive ius ad auxilia actualia quibus illud conservetur et augeatur. *Supernaturalitas* vero eius gratiae, hic supponenda, probaretur fere ut supernaturalitas gratiae Adae inferius exponenda.

ORNATI SUNT. Sic asseritur *factum* infusionis gratiae, et praescinditur a *momento* eius.

IN VIA, sc. ante retributionem gloriae vel poenae obtentam.

Id vero hic non probatur directe, sed *supponitur* ut certo constans, sive de angelis malis, utpote qui iam in *beatitudine* fuissent impeccabiles, sive consequenter de bonis, cum sine iure dicerentur aliqui angeli (i.e. peccatores) creati esse in via, alii in termino. De facto omnes angeli censentur ex fontibus, obvio sensu sumptis, aliquando potuisse peccare.

373. *Adversarii.* Ex admittentibus angelos, nemo negat thesim de angelis bonis. De malis vero eam negarunt aliqui veteres, ut HUGO VICTORINUS, P.LOMBARDUS, ALEX.HALENSIS, S.BONAVENTURA³ contra doctrinam nunc iam communiter receptam⁴.

374. *Doctrina Ecclesiae.* Cum Baius homines assimilaret angelis destinatione ad visionem beatificam, quam diceret esse utrisque debitam, Ecclesia eam supernaturalitatem defendit damnatione harum propositionum Baii:

Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia (D 1001).

Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia (D 1003).

Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt (D 1004)⁵.

Si ergo Ecclesia supponit hominem sine gratia sanctificante non posse consequi beatitudinem, dum ad hanc in eadem linea collocat et angelum et hominem, iure deducitur angelos saltem bonos in mente Ecclesiae habuisse gratiam sanctificantem.

² Cf. MUNCUNILL, n.379.

³ HUGO VICTORINUS, *Summa Sent.* 2 c.28: ML 176,81-83; P.LOMBARDUS, 2 d.3; ALEX. HALENSIS, *Univ. theol. summa* p.2 c.1 m.2; S.BONAVENTURA, *In 2 d.4 a.1 q.2*. Cf. VÁZQUEZ, *In 1 d.227 c.1 n.2*; PETAVIUS, 1 c.16; *S.Bonaventurae opera 4* (Quaracchi 1889) schol. p.135.

⁴ S.TH., I q.62 a.3; SUÁREZ, l.c., I.5 c.3.

⁵ Cf. X.LE BACHELET, S.I., *Baius*: DTC 2,74-78.

Valor theologicus. Thesis ob consensum theologorum est, de angelis bonis, *certa in theologia*; de malis, hodie *communis et saltem moraliter certa*⁶.

375. Probatur ex sacra Scriptura. Ex iis quae supra ex Scriptura memoravimus, angeli boni sunt in stricta connexionem cum Christo et eius mysteriis sive vitae terrestri sive propagationis Ecclesiae sive eschatologicis (n.278). In concreto vere gaudent de conversione peccatorum seu de fructu redemptionis (Lc 15,10) et sua cognitione progressiva Ecclesiae fit iis intimius cognita «multiformis sapientia Dei» in executione decreti divini de salute hominum per Christum (Eph 3,10s)⁷; imo ii, etsi non sint redempti a Christo, accipiunt aliquid ex eius sanguine cuius effusione reconciliavit «sive quae in terris sive quae in caelis sunt» seu angelos (Col 1, 20)⁸. Unde etiam ii, ut christiani, dicuntur *sancti* (Mc 8,38; Lc 9,26) ac *electi* (1 Tim 5,21), et «in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est» (Mt 18,10), ubi ii habitant (Mt 22,10).

Etsi haec omnia non efferant expresse gratiam sanctificantem, difficile ea intima associatio angelorum ad Christum et ad christianos intelligitur sine illa gratia, quae ut donum characteristicum homines facit sanctos et electos et ad visionem Dei destinatos.

376. De angelis malis in eadem linea mentis christianae videntur esse sumenda illa Io 8,44: *Ille (diabolus) homicida erat ab initio et in veritate non stetit.* Nam: a) *Veritas* (quocumque sensu sumatur, etiam ut veracitas) solet apud S.Io. indicare bonum a Christo nobis allatum, seu sanctitatem supernaturalem (gratiam). 1,14: *Plenum gratiae et veritatis.* 2 Io 3s: *Sit vobiscum gratia..., pax a... Patre et a Christo... in veritate, et caritate. Gavisus sum valde quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre.* Cf. 3 Io 3.

b) *Non stetit* i.e. non firmus stetit, sed ex veritate in qua erat cecidit⁹.

377. Item Iuda 6: *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium... vinculis aeter-*

⁶ De malis est pro LERCHER (2³ n.605) «communior et probabilior»; pro BOYER (p.453), «saltem communius docetur». FRASSEN, *De angelis* d.3 q.2 concl.1: «Haec modo communis est apud theologos»; FLICK, o.c., 608; HAUBST, l.c., 871: theologicum certum.

⁷ J.LEAL, S.I., *Carta a los Efesios*: SagrEscr 2 (Madrid 1962) 698s.

⁸ P.GUTIÉRREZ, S.I., *Carta a los Colosenses*: SagrEscr 2 (Madrid 1962) 833s.

⁹ Cf. KNABENBAUER, *Evang. sec. Ioan.* (Parisiis 1898) p.297; F.ZORELL, S.I., *Novi Testamenti lexicon graecum*² (Parisiis 1931) vox ἰσθημι, II B; J.LOZANO, *El concepto de verdad en San Juan*: Helmantica 14 (1963) 284-301.

nis... reservavit. Quicumque sit sensus litteralis eius loci^{9*} manifeste alluditur ad peccatum angelorum, qui ex eo aliquid magnum amiserint quo constituebantur in suo excelso principatu; illud vero non erat aliquid ex caelo ubi non erant, nec ex sua natura simplicissima; ergo videretur esse aliquid supernaturale, quo de facto in hac oeconomia obtinetur principatus divinus, seu singularis unio cum Deo, seu gratia sanctificans.

378. Pariter Ez 28,12: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore; in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum...: Tu cherub extentus et protegens; et posui te in monte sancto Dei... Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te... Et eieci te de monte Dei et perdidisti te, o cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te... Polluisti sanctificationem tuam... Nihili factus es et non eris in perpetuum.*

Etiam hic, quicumque sit sensus litteralis, difficile non videretur alludi ad peccatum diaboli. Sane haec quae intelligunt alii (Tertullianus, S.Augustinus, S.Cyrillus Alex., etc.) unice de diabolo¹⁰, alii (Theodoretus) de diabolo et de rege Tyri¹¹, alii (SS.Ambrosius, Hieronymus, etc.) de rege Tyri in quo describatur diabolus¹², propheta non dixisset, «nisi scivisset aliunde unum ex angelis sublimioribus... peccasse et ex summa quadam pulchritudine in summam miseriam esse deturbatum, non appellasset regem tyrium cherub, non eum descripsisset in gloria et pulchritudine constitutum in Eden..., neque eum qui e sede sua eicitur..., iterum vocasset cherub»¹³. Ergo iis vel docetur directe ac per se peccatum et ruina principis angelorum rebellium, vel—et id est probabilius—agitur directe de rege tyrio, sed ita ut peccatum et ruina Luciferi supponatur.

Illam vero ornamenta quibus angelus malus privatur, iure putantur esse dona gratiae sanctificantis: a) Ex magnificis praedicatis quibus diabolus describitur. b) Ex eo quod ille ea peccando amittat, cum tamen per peccatum non amittantur dona naturae, sed solum dona gratiae.

^{9*} Cf. J.ALONSO, S.I., *Carta de San Judas*: SagrEscr 2 (Madrid 1962) 553s; A.M.DUBARLE, O.P., *Le péché des anges dans l'épître de Jude*: Memorial J.Chaine (Lyon 1950) 145-148; A.CHARUE, *Les épîtres catholiques*³ (Paris 1951) 573. Cf. tamen FLICK, 566s.

¹⁰ TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 2,10: ML 2,297; S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 11,25,32: ML 34,442; S.CYRILLUS ALEX., *In Io.* 1,6: MG 73,893.

¹¹ THEODORETUS, *In Ez.* 28,1s: MG 81,1080.

¹² S.AMBROSIIUS, *De parad.* 2,9: ML 14,278; S.HIERONYMUS, *In Ez.* 1,9 c.28: ML 25, 269-274.

¹³ KNABENBAUER, *Comment. in Ez. prophetam* (Parisiis 1890) 290s.

379. Cf. et Is 14,12-19: *Quomodo cecidisti, de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris?*... Hic etiam vel directe, si agitur directe de diabolo, vel indirecte, si ut est probabilis, agitur directe de rege babilonio¹⁴, describitur, vel saltem supponitur, peccatum et ruina diaboli, qui ob peccatum suum privatus sit donis supernaturalibus gratiae, fere ut in praecedenti textu diximus¹⁵.

380. **Probatur ex traditione.** 1) *SS.Patres*, utpote eodem modo loquentes de sanctitate angelica ac de nostra seu ut infusa a Spiritu S., censentur etiam angelis tribuere gratiam sanctificantem.

S.BASILIIUS (R 960): *Accipiunt angeli sanctitatem a Spiritu S.* «Nihil... sanctitatem adipiscitur nisi per Spiritus Sancti praesentiam. Itaque quod angeli sunt, ab opifice Verbo universorum conditor habent; iis vero sanctitatem Spiritus Sanctus impertivit».

S.AUGUSTINUS: *Acceperunt Spiritum S.* «Confitendum... non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis dici posse, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus est iis¹⁶».

S.IO.DAMASCENUS (R 2352): *Angeli a Spiritu S. accipiunt sanctificationem gratiae.* «Omnes angeli... S.Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate... splendoris gratiaeque participes essent». Angeli «aliunde quam a natura sua sanctitatem habent, nimirum a Spiritu Sancto» (R 2353).

381. 2) *Catechismus Rom.* (1,2,17): «Spiritualemente creaturam innumerabilesque angelos... ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiae suae... munere... ornavit. Nam cum illud sit in divinis litteris, diabolum in veritate non stetisse, perspicuum est eum reliquosque desertores angelos ab ortu sui initio gratia praeditos fuisse».

382. **Ratio theologica.** 1) Si omnes homines elevati sunt in Ada ad gratiam sanctificantem, a fortiori supponuntur omnes angeli etiam elevati ad eam esse.

2) Si angeli, et quidem omnes, ad visionem beatificam ordinati sunt, pronum est ut ii gratia sanctificante ornati fuerint, ut medio proportionato ad talem finem.

383. **Obiectio.** Ex Io 8,44 *diabolus homicida erat ab initio*, et ex I Io 3,8 *ab initio peccat*. Ex his, diabolus ab initio peccavit. Ergo non habuit gratiam sanctificantem.

¹⁴ KNABENBAUER, *Comment. in Is. proph.* (Parisiis 1922) p.357-355.

¹⁵ Cf. G.GIROTTI, *Il libro di Isaia* (Torino 1942) p.302s.

¹⁶ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 12,9,2: ML 41,357.

Dist. antec. Diabolus peccavit ab initio i.e. a primo instanti creationis, *nego antec.*; aliter, *trans. antec.*

Nihil impedit quin probatio fuerit sic brevis, ut diabolus dici possit ab initio peccasse, ut si quis juvenis iam peccatis irretitus dicatur peccare et errare a sua nativitate vel ab utero matris suae (Ps 57,4).

384. **Corollarium.** *Angeli acceperunt etiam virtutes infusas et theologicas et morales simul cum gratia sanctificante*, cum illae hanc connaturaliter consequantur, et cum essent eis ad supernaturaliter agendum convenientes.

Per eam vero fidem cognoverunt in via, ut certum est, omnia mysteria supernaturalia fidei quae ad Deum, ut unus est, pertinent v.gr. ipsum esse salvatorem, iustificatorem, remuneratorem supernaturalem; mysterium Trinitatis, ut communiter tenetur¹⁷; probabilis, mysterium Incarnationis, non vero quoad omnia adiuncta¹⁸.

385. **Scholion 1.** *Angeli acceperunt gratiam sanctificantem in ipso momento creationis.* Id est valde probabile contra Alex. Hal., S.Bonaventuram¹⁹ etc., qui dixerunt angelos creatos esse in naturalibus et dein gratiam post debitam praeparationem accepisse.

Sane S.Augustinus (R 1755): «... Simul iis (angelis) condens naturam et largiens gratiam». S.Basiliius (R 960): «Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic facti sunt digni qui Spiritum recipent; sed in prima constitutione et una cum substantiae suae quasi mixtura infusam habuere sanctitatem». S.Thomas (I q.62 a.3), quem auctores iam communiter, ut Suárez, Frassen²⁰, alii passim sequuntur, idem tenet. Valent a fortiori rationes allatae in hac re pro homine (cf. n.714).

386. **Scholion 2.** *Angeli se disposerunt actu proprio supernaturali ad eam gratiam.* 1) Id quod negarunt Molina, alii²¹, dicentes angelos accepisse gratiam per modum naturae sine dispositione praevia, affirmarunt ut probabilis non solum P.Lombardus et ii auctores veteres nuper memorati, sed plerique theologi²² cum S.Thoma docent, seu angelos in primo instanti creationis per proprium actum liberum se disposuisse ad gratiam sanctificantem (I q.62 a.2), et angelos superiores recepisse maiorem gratiam ob meliorem eorum dispositionem ad eam (I q.62 a.6; 2.2 q.24 a.3 ad 3). Convenit ceterum creaturae liberae, ut ei gratia sanctificans infundatur ex praevia dispositione, cum per eam gratiam ineatur inter Deum et hominem vera amicitia, de cuius ratione semper est consensus utriusque partis.

387. **Scholion 3.** *Angeli acceperunt gratiam et actualem et sanctificantem secundum diversam eorum perfectionem naturalem.* Id communiter tenetur²³ contra aliquos ut Arriaga²⁴, quin tamen ea perfectio naturalis sit ullo pacto ratio exigens gratiam²⁵ et a fortiori diversam huius distributionem. Sane S.BASILIIUS (R 950): «Caelorum virtutes... iuxta proportionem qua se invicem superant habent a Spiritu sanctificationem». S.IO.DAMASCENUS

¹⁷ Cf. SUÁREZ, I,5 c.6 n.2-4.

¹⁸ S.TH., I q.67 a.5; SUÁREZ, n.6-34; VÁZQUEZ, *In I d.215 c.18*; B.D'AZY, O.S.B., *Les Anges devant le mystère de l'Incarnation*: BullLitEcll (1948) 87-106.129-147 (ampla investigatio de ea re).

¹⁹ ALEXANDER HAL., p.2 q.19 m.2; S.BONAVENTURA, *In 2 d.4 a.1 q.2*. Cf. VÁZQUEZ, *l.c.*; PETAVIUS, *l.c.*; S.BONAVENTURAE opera, *l.c.*

²⁰ SUÁREZ, I,5 c.4; FRASSEN, *l.c.*, concl.2: «Haec pariter communior nunc est apud theologos».

²¹ MOLINA, *In I q.62 a.3 ad 1*; D.SOTO, *De natura et gratia* I.1 c.5.

²² Cf. SUÁREZ, I,5 c.8. BOYER (p.456), putat motum ex gratia actuali non exigi ad eam praeparationem, cum haec ab ipsa gratia habituali esse queat (S.TH., I,2 q.113 a.7).

²³ S.TH., I q.62 a.6. Cf. SUÁREZ, d.5 c.10.

²⁴ ARRIAGA, *De angelis* d.20 s.4.

²⁵ VALENCIA, *In I d.4 q.13 p.3*.

(R 2352): «Omnes angeli... Sancto Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine splendoris gratiaeque participes essent».

Cum Deus in diversitate perfectionis naturalis creavit angelos quos ad ordinem gratiae et gloriae destinavit, decuit ut illi iuxta diversos gradus perfectionis ad diversos gradus gratiae destinarentur.

388. Scholion 4. *Angeli boni vitam aeternam obtinuerunt.* II angeli in gratia perseverantes, vocantur etiam «filii Dei» (Iob 1,6), exercitus Domini (Ios 5,14) exercitus caeli (3 Reg 22,19), sancti (Mc 8,38). Vita autem illa aeterna est in visione beatifica, quae hominibus in gratia morientibus datur, cum in fontibus beatitudo angelorum eodem modo ac beatitudo hominum describitur. Assertum nostrum est *de fide catholica*.

Constat v.gr.: a) Ex culto in Ecclesia eis exhibitio. *Catechismus Romanus* (3,2,8-10, ubi de cultu angelorum): «Invocandi itaque sunt, quod et perpetuo Deum intuentur...» b) Ex Mt 18,10: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est* (Apoc 1,4; 5,11; 7,11). Ex Mt 22,30 (Lc 20,36) homines beati erunt sicut angeli Dei in caelo. In Lc 9,26 dicuntur sancti. c) Ex SS.Patribus v.gr. S. Augustino (R 1971): «Tunc cognoscant sicut et cognitus sum... Qui hoc invenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere... Sed quoniam sint illi beatissimi, qui iam sunt in ea possessione..., magna quaestio est. Et angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quaestio est...»

Ibi requiem non habent die ac nocte dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est* (Apoc 4,8), ut iam dixerat Is 6,3. Ea sunt quasi substantia liturgiae caelestis, cui coniungitur Ecclesia cotidie in oblatione sacrificii ut constat ex praefatione. Ceterum Ioannes XXIII dum sacerdotes hortatur ad devotam recitationem breviarii, effert connexionem nostrarum precum cum angelica liturgia: «Ex Apocalypsis libro, mirabili eo quidem atque ad consolandum praeaccommodato, locum placeat afferre, quo divini quidem ritus ac caerimoniae adumbrantur in caelorum templo peracti, unde praesertim sacerdotibus invitamentum ad meditandum capere poterunt (transcribit Apoc 8,3-5, cf. 5,8)»²⁶.

Ex quo praeclearo spectaculo plane cogitur quanta momenta in precibus sanctorum, h.e. in Ecclesia, benignissimo Deo volente sint, ad rerum temporumque cursum»²⁷.

389. Natura et proprietates (aeternitas, impeccabilitas, aequalitas, immutabilitas) eius beatitudinis non considerantur hic, cum ex fontibus haec non censeatur ab hominum beatitudine essentialiter differre, de qua in tractatu *De Novissimis*.

390. Scholion 5. *Angeli suam beatitudinem meruerunt.* Id est certum in theologia. S. Augustinus (R 1950): «Angeli quidam... per liberum arbitrium a... Deo refugae facti sunt... Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt eamque de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt». «Angeli sancti..., cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi et huius permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua iis certissimum sit semper se in illa esse mansuros...» (R 1955). S. Gregorius M. (R 2325): «... Cadentibus aliis, sancti angeli in sua beatitu-

dine perstiterunt atque hoc acceperunt in munere, ut iam cadere omnino non possint...» Sane quorsum ii in via poni potuerunt, nisi ut beatitudinem mererentur pariter ac homines? ²⁸

391. Scholion 6. *Quando angeli beatitudinem receperunt?* In primo instanti post primum ab ipsis elicitum caritatis actum, iuxta S. Thomam (I q.62 a.5; q.63 a.5 ad 4), quem plures sequuntur ²⁹.

ARTICULUS II

DE LAPSU PLURIUM ANGELORUM

Thesis 14. Plures angeli peccarunt graviter.

S. Th., I q.63 a.3-8; *De malo* q.16 a.2-6; SUÁREZ, I,7; BERAZA, n.614-644; MUNCUNILL, n.402-420; BOYER, th.23; MARTÍNEZ, p.504-535; FLICK, o.c., 560-572.

392. Nexus. Dicta hucusque de conditione morali angelorum his omnibus conveniunt. At cum dein appareant alii ut mali, alii ut boni, nunc de eorum sorte sequenti dicendum est. Agetur ergo primo de sorte malorum, et imprimis de modo quo illi mali facti sint, seu de eorum peccato.

393. Notiones. PLURES ANGELI. Ponitur haec formula indefinita, cum non constet de numero angelorum peccantium, etsi ille ut ingens habeatur.

PECCARUNT. Sic asseritur nudum factum, quod illi angeli aliquid Dei praeceptum violarint, etsi nesciamus certo quale fuerit eorum peccatum.

GRAVITER. Id non directe probatur in thesi, cum ex tenore fontium et ex dicendis inferius de damnatione illorum angelorum facile eruatur.

394. Adversarii. Ex *Albigensibus*, dualistis seu admitentibus aliud principium bonum aliud natura sua malum, tenebant plerique multa daemonia fuisse mala ab initio et natura sua, alii fuisse unum angelum ab initio malum, qui alios seduxerit.

Nec desunt hodie in historia religionum qui putent doctrinam christianam de diabolo esse quemdam effectum anti-qui dualismi. Etiam apud *protestantes* sunt quibus fides nihil doceat de nostra re v.gr. Barth, qui, dum negat peccatum angelorum antea bonorum, dicit existentiam diaboli non posse vel negari vel affirmari, quin ceterum ratio humana queat scire quid sit diabolus. Pro aliis est quid impersonale symbolicum mali agentis in historia vel mire in quibusdam hominibus, vel

²⁶ IOANNES XXIII, Adhort. Apost. *Sacrae Laudis*: AAS 54 (1962) 73.

²⁷ Cf. S. BARTINA, S.I., *Apocalypsis de San Juan*: *SagrEscr* 3 (Madrid 1962) 653-656.677.

²⁸ Cf. MUNCUNILL, n.383-386.

²⁹ Cf. SUÁREZ, I,6 c.2s.

etiam pro Reisner protestante est faenomenum interius conscientiae moralis seu nihilum personificatum hominis, qui adversatur Creatori ad prosequendam propriam sui divinizationem, vel, ut pro Turmel, aliquid mythologicum¹.

395. Doctrina Ecclesiae. C. (prov.) *Bracarense* (D 237): «Si quis dicit, diabolus non fuisse prius bonum angelum a Deo factum..., sed ipsum esse principium atque substantiam mali, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, a.s.»

INNOCENTIUS III (D 427): «Diabolus non per conditionem sed per arbitrium malum esse factum credimus».

C. *Lateranense IV* (D 428): «Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali». Quae clare sonant, maxime si memorentur dicta nuper de mente Albigenisium.

396. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 428).

397. Probatur ex sacra Scriptura. In textibus theseos praecedentis memoratur peccatum angelorum: a) singulariter (de diabolo) in Ez 28,12-19; Is 14,12-19; Io 8,4; b) pluraliter (de angelis peccantibus) in Iuda 6.

Explicite effertur peccatum angelorum. 2 Petr 2,4: *Deus angelis peccantibus non pepercit*. 1 Io 3,8: *Ab initio diabolus peccat*.

Implicitate dicuntur peccasse plures angeli, qui proponuntur ut mali, cum tamen Deus eos moraliter malos facere nequiverit. Dicuntur: *Spiritus immundi* (Lc 8,29), *Spiritualia nequitiae* (Eph 6,12), *Spiritus nequam* (Lc 11,26), *Homicida... ab initio...*, *mendax* (Io 8,44), *Diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem...*, *et angeli eius proiecti esse in terram in praelio cum Michael et angelis eius* (Apoc 12,17-18); ubi ceterum etsi agatur, ut videtur, de praelio Christi triumphantis in caelis contra Satanam per exercitum angelorum, sine dubio indicatur praelium ab angelis malis initio inchoatum².

398. Probatur ex traditione. SS. Patres saepissime memorant peccatum angelorum etsi non consentiant in qualitate peccati:

S. AUGUSTINUS (R 1950): «Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugae facti sunt».

¹ Cf. S. BURCI, *Liber supra stellam*, ap. FLICK, 561; A. MICHEL, *L'idée du diable est-elle une transposition chrétienne de l'antique dualisme?*; AmCl 65 (1955) 43-48; K. BARTH, *Kirchliche Dogmatik*, 3-3 (Zürich 1950) 327-425; E. REISNER, *Le démon et son image* (Paris 1961) 51; J. TURMEL, *Histoire des dogmes*, 4 (Paris 1935) 62-64.

² Cf. E. B. ALLO, O.P., *Saint Jean. L'Apocalypse* (Paris 1921) p. 162s. Cf. tamen FLICK, 566.

S. GREGORIUS M. (R 2307): «Duas... creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam; utramque vero superbia perculit atque ab statu ingenitae rectitudinis fregit... Creator... debuit apostatam angelum repellere».

S. FULGENTIUS (R 2266): «Pars... angelorum... a suo Creatore... voluntaria prorsus aversione discessit...»

S. LEO M. sic doctrinam traditionis resumit (R 2180): «Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium sive corporalium, bonam confitetur substantiam..., quia Deus... nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo quod factum est permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est et in veritate non stetit... a summo bono, cui debuit adhaerere, descivit».

399. Ratio theologica. Sunt angeli moraliter mali. At ii nequiverunt sic a Deo creari. Ergo ipsi peccarunt.

400. Obiectio. Dedecisset sapientiam Dei, ut tam multos angelos crearet, quos praeviderat finem ultimum non obtenturos esse. Ergo ii non peccarunt.

Dist. antec. Praeviderat eos non obtenturos esse finem ultimum conditionate obtinendum, seu beatitudinem, *conc. antec.*; finem ultimum absolute obtinendum seu bonitatem Dei manifestandam, *nego antec.* (1 q.63 a.7 ad 2).

Inst. Saltem dedecet bonitatem Dei, qui eis gratias efficaces non dederit. Ergo ii non peccarunt.

Dist. antec. Dedecet Deum ut eis non dederit gratias saltem vere sufficientes, *conc. antec.*; praecise efficaces, *nego antec.*

401. Corollarium. Angeli peccantes non fuerunt creati in beatitudine supernaturali (ut dixerunt Vives, pauci alii)³, cum de huius ratione sit impeccabilitas.

Nec creati sunt in beatitudine naturali. Id videtur probabilius contra Thomistas⁴, cum de ratione cuiusvis beatitudinis sit inamissibilitas et consequens impeccabilitas, et cum secus dicendum esset daemones esse nunc naturaliter beatos, ut quidam dixerunt, iuxta Billuart⁵, cum tamen grave peccatum personale avertat a Deo ut fine supernaturali ac ut fine naturali.

Nec dicatur cum iisdem Thomistis angelos esse impeccabiles contra legem naturalem (cf. n.356). Nam, hoc posito, ii essent impeccabiles etiam contra supernaturalem, cum naturalis praecipiat obedientiam erga omnem legem Dei creaturae impositam⁶. Ipse S. Thomas dicit (1 q.63 a.1): «In sola voluntate divina peccatum esse non potest; in qualibet autem voluntate creata potest esse peccatum secundum ordinem suae naturae» (cf. 356). Si ergo dicit (1 q.62 a.1): «Quantum ad primam beatitudinem, quam angelus assequi virtute suae naturae potuit, fuit creatus beatus», agit sine dubio de beatitudine naturali *imperfecta et inchoata*, quasi ad ipsius mentem

³ L. VIVES, *De civ. Dei* I.11 c.9. Cf. SUÁREZ, I.5 c.2; TOLEDO, *In* I q.62 a.1. SS. Patres qui idem viderentur indicare (S. AUGUSTINUS, R 1950; S. GREGORIUS M., R 2325) apte intelliguntur de beatitudine radicali, seu de gratia sanctificante, cum ipsi ibidem supponant angelos illos potuisse peccare.

⁴ BILLUART, diss.4 a.1; HUGON, *De angelis* q.6 a.2 n.1; DAFARRA, n.288.

⁵ BILLUART, l.c.

⁶ Eam Thomistarum opinionem et in specie eorum effugium, quod angelus indirecte seu mediante legem naturalem violare queat, refutat J. B. MANYA, Pbr., *De ratione peccati poenam aeternam inducentis* (Dertosa 1947) 104-108.

angeli eam Dei cognitionem naturaliter habuerint qua maiorem non habuissent in beatitudine naturali; non vero de *perfecta*, cum in hac fuissent impeccabiles.

402. Aliunde vero *angeli mali non peccarunt in ipso momento suae creationis*, ut dixerunt quidam antiqui, male interpretantes illud: *ab initio diabolus peccat* (1 Io 3,8). Sane ista opinio reicitur ut valde temeraria a theologis⁷; immo, iuxta S.Thomam (1 q.63 a.5), angelus in primo instanti suae creationis peccare non potuit⁸.

403. **Scholion 1.** *Numerus angelorum peccantium fuit ingens*. Dicitur «innumerabilis... multitudo» (S.Io.Damascenus), exercitus (S.Iustinus), innumerabiles (Eusebius)⁹.

At *minor numero angelorum perseverantium*. Plures intelligunt de angelis Apoc 12,4: *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum caeli* (etsi, ut videtur, litteraliter «stellae caeli» ibi sint homines)¹⁰. Plures Patres rem asserunt, v.gr. S.Augustinus: «Cum bonorum longe maior numerus in caelestibus suae naturae ordinem servet»¹¹. Videtur convenire ut plerique eorum non perirent. Item peccatum est contra naturalem inclinationem (1 q.63 a.9).

404. **Scholion 2.** *Peccatum angelorum fuit gravissimum*. Quod patet: a) *Ex eorum excellentia*. S.Augustinus (R 2013): «Natura quippe rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina eius peior, et peccatum eius quanto incredibilius, tanto est damnabilius. Ideo angelus irreparabiliter cecidit...» b) *Ex carentia infirmitatis carnis*. S.Gregorius M. (R 2307): «Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro. Misertus ergo creator ut redimeret illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpae ex infirmitate aliquid constat habuisse; et eo altius debuit apostatam angelum repellere, quo... nihil infirmum ex carne gestavit». c) *Ex carentia tentationis proprie dictae etiam externae* (quod valet saltem de diabolo, cum ceteri censeantur esse ab illo inducti). S.Io.Damascenus: «Maiori... venia dignus habetur qui alterius suasu... peccat. Nam qui suo pte consilio peccat, huic nullus excusationi locus est... Ac proin diabolus qui suo pte nutu peccavit, omnis paenitentiae exors mansit»¹².

405. **Scholion 3.** *Peccatum diaboli fuisse superbiae, stricte sumptae, seu pro appetitu inordinato propriae excellentiae*. Ea est opinio Patrum et doctorum communissima¹³, contra paucos Patres primaevoe (ut Orig., Clem. Alex., Tertull.) putantes illud fuisse luxuriae carnalis cum filiabus hominum (Gen 6,1-4) vel fuisse (iuxta plerosque) ex invidia quod viderent hominem esse creatum ad imaginem Dei et sic ad tantam dignitatem elevatum¹⁴.

⁷ S.Th., 1 q.63 a.5; S.BONAVENTURA, *In 2 d.4 a.1 q.1*; cf. d.3 a.1 q.2; SUÁREZ (1.7 c.19 n.6): «Illa sententia valde temeraria est, quia est contra torrentem Patrum et theologorum, et consequenter contra locutiones Scripturae, prout a sanctis et theologis communiter intelliguntur...»

⁸ S.Th. (Ibid.): «Illa operatio quae simul incipit cum esse rei est ei ab agente a quo habet esse... Agens autem quod angelos in esse produxit, scil. Deus, non potest esse causa peccati». H.F.DONDAINE, O.P., *Le premier instant de l'ange d'après Saint Thomas*: RevScPhTh 39 (1955) 213-227; cf. et MARITAIN, *Le péché de l'ange*: RevThom 56 (1956) 230-233.

⁹ S.IOANNES DAMASC., *De fide orthod.* 2,4; MG 94,876; S.IUSTINUS, *Apol.* 1,28; MG 6,372; EUSEBIUS CAESAR., *De praep. Evang.* 7,16; MG 21,556. Tenetur communiter angelos peccantes fuisse ex omnibus ordinibus angelorum (S.Th., 1 q.63 a.9; SUÁREZ, 1.7 c.17). Cf. E.MANGENOT, T.ORTOLAM, *Démon d'après les scolastiques et les théologiens postérieurs*: DTC 4,401.

¹⁰ ALLO, p.160.

¹¹ S.AUGUSTINUS, *L.c.*

¹² S.IOANNES DAMASC., *Dial. cont. Manich.* n.33; MG 94,1540.

¹³ S.Th., 1 q.63 a.2; SUÁREZ, 1.7 c.9, plures auctores citans (n.7-10). Cf. MANGENOT, 4,384-400. Recentius MANYA, o.c., 109-114, qui de tota hac re latius agit.

¹⁴ Cf. MANGENOT, 4,339-375; DANIELOU, *Les anges...* 63-66.

Rem docuerunt; a) *Implicite* ii (ut Scotus) qui ponunt illud peccatum *in amore sui ordinato*¹⁵, cum ea inordinatio sit in eo quod angelus se Deo praeferat, in quo praecise est superbia; et ii (ut S.Cyprianus, Lactantius etc.)¹⁶, qui ponunt illud peccatum *in invidia*, cum, ait S.Augustinus (R 1708), «causa invidendi superbia» sit. b) *Explicite alii* communiter, ut S.Athanasius (R 793): «Superbia illum (Satanam) inde (ex caelis) praecipitavit...»

Idem tradit Scriptura. Eccli 10,15: *Quoniam initium omnis peccati est superbia*. Cf. Tob 4,14. Lc 10,18: *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem*, quae Christus dixit contra vanam gloriam.

Idem docet ratio theologica, ex qua peccatum angelorum non potuit non esse amor sui inordinatus, et quidem ob appetitum boni alicuius spiritualis indebiti, in quo praecise est superbia. Ex hac vero facile surgit invidia, inobedientia, desperatio etc.

Valde tamen incertum est quam excellentiam diabolus peccans appetierit inordinate, sc., pro diversa opinione, an unionem hypostaticam (Suárez) et contra Dei ordinationem (ei forte aliquo praeecepto cognitam) principatum tyrannicum super omnes alias creaturas (Molina); an tandem, ut aliae opiniones praeterrmittantur, id quod *communius tenetur cum S.Thoma*, sc. *esse ut Deus*, non vero ad aequalitatem naturae, cum sciret diabolus id esse impossibile, sed ad similitudinem et quidem secundum id in quo non natus est assimilari Deo, nempe, «quia... appetiit finalem beatitudinem aut naturalem aut supernaturalem, per suam virtutem habere, quod est proprium Dei... Ex hoc etiam consecutum est quod appetiit aliquem principatum super alia habere. In quo etiam perverse voluit Deo assimilari» (1 q.63 a.3)¹⁷.

406. *De peccato diaboli in ordine christiano*. Cum, praevia incarnatione ac redemptione, angeli ordinarentur in servitium Christi et omnium hominum ad eorum salutem in Christo, peccatum diaboli importat eo ipso reiectionem illius divini mandati ac rebellionem contra intentum divinum salvandi omnes in Christo, ita ut pariter dirigatur et contra Deum et contra Christum ac omnes homines ut per Ipsum salutem christianae destinatos. Unde et bellum diaboli in homines tendit in eos et contra totum ordinem a Deo in Corpore Christi Mystico per homines perficiendum^{17*}.

407. In hac re attenditur maxime ad peccatum Satanae¹⁸. At, cum ceteri angeli peccantes hunc secuti sint, idem specie peccatum ii admisisse iure censentur.

408. **Scholion 4.** *Angelis peccantibus non datum est tempus paenitentiae*. Poena ergo mox secuta est peccatum, quod, sicut mors pro homine, fuerit pro angelis malis finis temporis probationis. Ea est opinio *fere com-*

¹⁵ SCOTUS, *In 2 d.6 q.2*.

¹⁶ S.CYPRIANUS, *De zelo et livore* n.4; ML 4,640s; LACTANTIUS, *Div. Inst.* 2,9; ML 6,294s.

¹⁷ SUÁREZ, 1.7 c.13; MOLINA, *In 1 q.63 a.3 memb.5 concl.5*. De mente S.Thomae matrescente in hac re cf. A.HAYEN, S.I., *Le péché de l'ange selon saint Thomas d'Aquin*: Teor 9 (1954) 83-176; peccatum diaboli fuit non accepisse a Deo cum Deus eam ipsi obtulit felicitatem quam ipse cupiebat habere; C.J.MONTANO, *The Sin of the Angels* (Washington 1955); JOURNET, *Le mal...* 279s.

^{17*} Cf. H.HIRSCHMAN, S.I., *Der Teufel in unseren Versuchungen*: GLeb 27 (1954) 16-20; JOURNET, *l.c.*, 54 (1954) 46-52.

¹⁸ Quoad momentum illius peccati, iuxta S.Thomam (1 q.62 a.6), «opinio... probabilior et sanctorum dictis magis consonans est, quod statim post primum instans suae creationis diabolus peccaverit. Et hoc necesse est dicere, si ponatur quod in primo instanti suae creationis in actu liberi arbitrii proruperit, et cum gratia fuerit creatus». At de ea difficili questione, cf. SUÁREZ, 1.7 c.21.

munis, contra eam minime probandam paucorum (Scoti, Salmerón), quod eis oblata sit gratia paenitentiae¹⁹.

Scriptura rem videtur indicare. 2 Petr 2,4: *Deus angelis peccantibus non pepercit* (item Iud 6; Lc 10,18), quin ullum ex tanta multitudine memoret qui paenitentiam egerit. S. Augustinus (R 1843): «Cum... noverimus bonorum omnium Creatorem reparandis angelis malis nihil gratiae contulisse...» S. Fulgentius (R 2265): «De angelis... hoc disposuit et implevit, ut, si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet».

409. *Ratio non dandi angelis tempus paenitentiae fuit Dei voluntas, quae in iis iustitiam, dum in hominibus misericordiam suam ostendere voluit. At cur sic voluit? Forte ex indole voluntatis angelicae immobiliter decretis suis ex se deliberatis adhaerentis et proinde incapacis paenitentiae ac veniae consequendae (iuxta thomistas); vel simpliciter ex decreto Dei dene-gandi tempus et gratiam paenitentiae ob peccatum gravissimum perfecte deliberatum, ac nulla praevia tentatione interna nec externa commissum; vel simul ut homines gravitatem periculi discerent*²⁰.

410. Scholion 5. *Unde potuerint angeli peccare.* Nam ii, non solum erroris, passionis, habitus mali, sed et ignorantiae immunes erant²¹. Iuxta alios, nulla ignorantia est absolute necessaria ut voluntas pro suo arbitrio peccet, dum iuxta alios nequit esse peccatum sine aliqua ignorantia, vel saltem ut putat Suárez, non videtur esse necessaria, sed communiter non contingit peccatum sine illa. Hinc respondent Scotus, Valencia, alii, angelos peccasse simpliciter per liberum arbitrium sine ulla prorsus ignorantia; S. Thomas, Suárez, Billuart, plerique, eos peccasse cum ignorantia aliqua, non positiva seu cum actu positivo erroneo, sed negativa seu cum defectu sufficientis considerationis²².

Hanc postremam opinionem tenens, quaerit Manya de causa sufficienti illius inconsiderationis, eam reponens in quodam indeliberato propriae excellentiae appetitu, «qui sponte, id est, praeter obiectiva mentis angelicae dictamina, in voluntate angeli ipsam alliciens operetur»; nam secus nequit explicari illius peccati possibilitas, cum intuitio angelica exhauriat totam cognoscibilitatem rei naturalem, et aliunde nec passione impediatur, nec voluntas libera, sine praevio aliquo iudicio, illam inconsiderationem ut bonum respiciat²³. Quae opinio videtur perfectioni angelicae repugnare; at nec de eius falsitate omnino constat.

¹⁹ SCOTUS, *In 2 d.6 q.2 ad 4*; A.SALMERÓN, S.I., *Disput. in epist. canon.* (Matriti 1602); *In 2 Petr 2 d.3 dub.3*.

²⁰ Cf. PETAVIUS, l.3 c.3 n.18; KATSCHTHALER, p.2 s.2 c.1 a.1 n.121 not.; ORTOLAN, *Démon d'après les scolastiques*: DTC 4,402.

²¹ «Haec difficultas est gravissima et vix solubilis», ait BILLUART, *diss.5 a.1*.

²² SCOTUS, *In 2 d.6 q.1 ad 3*; VALENCIA, *In 1.2 d.4 q.14 p.2*; S.TH., I q.63 a.1 ad 4; SUÁREZ, l.7 c.4-7; BILLUART, l.c. Cf. et MICHEL, *Possibilité du péché...*: AmCl 65 (1955) 189. Cf. MARTAIN, *De Bergson à Thomas d'Aquin* (Paris 1944) 267-301; ID., *Court traité de l'existence et de l'existant* (Paris 1947) 141-195; ID., *Le péché...*: RevThom (1956) 197-203, 220-222. Effert ut unum essentialium errorem electionis intrinsicum ipsi peccato PRES, o.c.

²³ O.c., 100-124.

ARTICULUS III

DE DAMNATIONE ANGELORUM PECCANTIUM

Thesis 15. Angeli peccantes in aeternum damnati sunt.

S.TH., I q.64; SUÁREZ, l.8 c.1-7; BERAZA, n.645-677; MUNCUNILL, n.421-435; MARTÍNEZ, p.504-543; SAGÜÉS, SThS t.4 tr.4 n.1618.

411. Nexus. Cum constet plures angelos graviter peccasse, occurrit quaestio, quid acciderit eis? Ei haec thesis respondet.

412. Notiones. ANGELI PECCANTES, ut in thesi praecedenti.

IN AETERNUM DAMNATI SUNT. His indicatur ea ad infernum damnatio inferius consideranda ut hominibus in peccato gravi decedentibus competens, utque complectens poenam et damni et sensus, cum fontes eodem modo loquantur de inferno angelorum ac de inferno hominum (D 429; Mt 25,42).

Natura ergo eius damnationis hic non consideratur, cum ex fontibus ea non differat essentialiter ab hominum damnatione, de qua alibi agitur.

413. Adversarii. Praeter negantes existentiam daemonum (*materialistas, rationalistas*), *origenistae* dixerunt daemones aliquando aeternae beatitudini restituendos esse¹. Mens vero ORIGENIS eis probabiliter (etsi hypothetice) faventis est dubia².

414. Doctrina Ecclesiae. VIGILIUS (D 211): «Si quis dicit aut sentit, ad tempus esse daemonum... supplicium eiusque finem aliquando futurum, sive restitutionem... fore daemonum... a.s.»³

C.Lateranense IV (D 429): «Qui omnes (homines reprobi et electi) resurgent..., ut recipiant secundum opera sua..., illi cum diabolo poenam perpetuam et isti cum Christo poenam sempiternam».

Pius XII: Factum immutabilitatis ac aeternitatis iudicii damnationis ac eius executionis est extra quamlibet controversiam... Supremus Legislator... defixit validitatem numquam

¹ Cf. TIXERONT, o.c., 2^o (Paris) p.333-336; G.FRITZ, *Origénisme*: DTC 11,1565-1588.

² TIXERONT, o.c., 1¹¹ p.327; MANGENOT: DTC 4,350; BARDY, *Origène*: DTC 11,15508.

³ Cf. D 203 not.1 (cf. SThS, t.4 tr.4 n.162).

cessantem sui iudicii et eius executionis. Ergo ea duratio sine limite viget ^{3*}.

415. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 429).

416. Probatur ex sacra Scriptura. Mt 25,41: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* 2 Petr 2,4: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Iud 6: *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum..., in iudicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Apoc 20,9: *Diabolus... missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.*

417. Probatur ex traditione. SS. Patres ut peccatum angelorum, sic et eorum aeternam damnationem saepe memorant.

S.ATHANASIUS (R 793): «Sic... locutus est (diabolus): *Ascendam et ponam thronum meum e regione Dei et ero similis Altissimo.* Et propter hoc deiectus est et eius hereditas fuit ignis aeternus».

S.FULGENTIUS (R 2266): «Pars... angelorum, quae a... Deo... voluntaria... aversione discessit, aequitatis supernae iudicio initium suae damnationis in ipsa aversione voluntatis invenit, ut non aliud ei esset incipere iam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui, quam Deus in aeterno sic totam praecepit remanere supplicio, ut etiam ignem ei aeternum pararet...»

S.AMBROSIUS: «Tu te a diabolo creatum, manichaeae, arbitraris; ad illius ergo festina sedem, ubi ignis..., ubi non restingitur eius incendium, ne umquam poena moriatur» ⁴.

418. Scholion 1. *De angelis malis.* II, non solum in N.T., sed et in V. saepe memorantur ⁵. II vocantur daemones (Mt 9,34), angeli diaboli (Mt 25, 41), spiritus immundus (Lc 8,29), spiritus nequam (Act 19,12), rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiae (Eph 6,12).

II dicuntur aliquid *ducem habere*, ut opinati sunt ipsi iudaei (Mt 9,34), approbante Christo (Mt 25,41). Qui dux vocatur diabolus (ibid.) ⁶, Beelzebub, princeps daemoniorum (Mt 12,24), Satanus (Lc 11,18), princeps huius

^{3*} PIUS XI, VI *Conventui... Consociationis ex iurisperitis*: AAS 47 (1955) 798 (italice).

⁴ *De fid.* 2,13,19: ML 16,584.

⁵ Cf. H.KAUPEL, *Die dämonen im Alten Testament* (Ausborg 1930); A.LEFEVRE, S.I., *Angé ou bête? La puissance du mal dans l'Ancien Testament*: Et Carm (1948) 13-27. Affirmat prophetas V.T., apud quos «indicationes circa hoc argumentum... raras et incompletas sunt... de daemone valde tenuiter... nos certiores» facere, F.ZEMAN, *Indoles «daemones» in scriptis prophetarum et aestimatio cultus «daemone» praestiti in luce daemonologiae Orientis Antiqui*: VerbDom 27 (1949) 270-277,321-335; 28 (1950) 18-28,80-97. De ideis confusis de diabolo apud populos primitivos cf. J.HENNINGER, S.V.D., *L'adversaire du Dieu bon chez les primitifs*: Et Carm (1948) 107-121; item de diabolo in dualismo manichaeo cf. H.CH.PUECH, *Le prince des ténèbres en son royaume*: ibid., 136-174. Cf. et J.GUILLET, *Des puissances sataniques à Satan*: VieSpr (1950 II) 296-306.

⁶ De usu vocis «diabolus» in Scriptura, cf. F.VIGOUROUX, *Diable*: DB 2,1400.

mundi (Io 12,31), Belial (2 Cor 6,15) ⁷. Lucifer vocatur ex Is 14,12 (de rege chaldaeorum) ⁸.

Is dicitur communis a Patribus et theologis fuisse *praestantissimus*, vel saltem ex praestantissimis, omnium ⁹, nisi dicitur fuisse primum ex ordine omnium infimo ¹⁰. Eius principatus in ceteros fundatur probabiliter in naturali perfectione eius et in eo quod istos exemplo ac forte suasionem ad peccandum traxerit ¹¹; eo se extendit, ut videtur, ut illi obediant in pugna contra Deum, ipsum laedere intendentes in hominibus (Deo ob maiora bona id permittente), ita ut ii Satanae in his vel sponte vel coacte (in poenam peccati) subiciantur.

419. Scholion 2. *Angeli mali iam nunc sustinent poenam inferni.* Id est ex Scriptura et Traditione Ecclesiae *de fide catholica* quoad poenam damni, communis et vera quoad poenam sensus. Tamen poenam ignis daemoneis ad iudicium finale differebant quidam Patres primaevi ¹² et Caietanus ¹³.

At essentialis poenas eis iam inflictas esse, sat indicatur. 2 Petr 2,4: *Deus angelis peccantibus non pepercit.* Lc 10,18: *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.* Ratio theologica idem suadet, nam, si anima humana statim post mortem subit poenas inferni, et quidem sine intermissione, idem valet a fortiori de angelis malis, cum ii gravius quam illa peccarint (I q.64 a.4 ad 3).

Ultro vero fatemur cruciatus daemonum post iudicium universale *accidentaliter* augendos esse (Mt 8,29); nam et publice damnabuntur et libertate privabuntur pervagandi extra infernum, hominibus nocendi, cultus divini impediendi, etc. ¹⁴ Nec forte plus dicuntur textus Patrum a Petavio obiecti (cf. n.419), ut notat Hurter ¹⁵.

⁷ Quidam daemon vocatur Abaddon seu (latine) Exterminans (Apoc 9,11), alius Asmodaeus (Tob 3,8), alius forte Azazel (Lev 16,10), sed certo de hoc non constat, ut notat v.gr. ZEMAN, l.c., 27 (1949) 275-277. De daemone in arte christiana, cf. O.ERICH, *Die Darstellung des Teufels in der christlichen Kunst* (Berlin 1931). Et de eo in monumentis antiquis, cf. H.LECLERQ, *Démon, Démoniaque*: DACL 4,578-582. De nominibus daemoneis cf. H.LESETRE, *Démon*: DB 2,1366-1368. Complexum doctrinae scripturisticae de daemoneis, cf. apud MANGENOT, *Démon d'après la Bible et la théologie juive*: DB 4,321-409. Multa de diabolo dabunt L.CRISTIANI, *Actualité de Satan* (Paris 1954); U.URRUTIA, S.I., *El diablo, su naturaleza, su poder y su intervención en el mundo* (Mexico 1950); N.CORTE, *Satan, l'adversaire* (Paris 1956); G.DE LIBERO, *Satana: L'Essere, L'Azione, Il Dominio* (Torino 1955); ST.LYONNET, J.DANIELOU, A. et CL.GILLAUMONT, A.VANDENBROUCKE, *Démon*: DSpir 3 (1957) 141-238; SCHLIER, *Mächte und Gewalten im Neuen Testament*: Quaestiones Disputatae 3 (1958) 7-67; Id., *Gewalten und Mächte*: LThK 4 (1960) 849; A.WINKLHOFER, *Traktat über den Teufel* (Frankfurt 1961); O.SEMELROTH, S.I., *Glauben wir noch an den Teufel?*: GLeb 33 (1960) 348-358; J.B.BRUNON, *Démons*: VocThBibl (1962) 197-200; utiliter legetur H.I.MARROU, *Un ange déchu, un ange pourtant...*: Et Carm (1948) 28-43, qui dicit paucos hodie vere in existentiam diaboli credere (28). Ea tamen idea diaboli non derivat ex antiquo dualismo: cf. A.MICHEL, *L'idée de «Diable» est-elle une transposition chrétienne de l'antique dualisme?*: AmCl 65 (1955) 43-48.

⁸ Cf. PETAVIUS, l.3 c.3 n.1-9.

⁹ S.GREGORIUS M., *In evang.* l.2 hom.34 n.7: ML 76,1250; S.TH., I q.63 a.7; SUÁREZ, l.7 c.16 n.10 (praestantissimus omnium saltem negative, «quia nullus ex sanctis angelis perfectior est illo in naturalibus»); PETAVIUS, l.3 c.3 n.7.

¹⁰ S.IOANNES DAMASC., *De fid. orthod.* 2,4: MG 94,873-876.

¹¹ Cf. SUÁREZ, l.7 c.16-18; PETAVIUS, n.10.

¹² Cf. MANGENOT: DTC 4,339-376; PETAVIUS, l.3 c.4 n.11-18.

¹³ CAIETANUS, *In I q.64 a.4*; *In 2 Petr 2,4*. PETAVIUS (l.c., n.22), non videt «cur reici ac damnari debeat» opinio, quae diceret daemones iam cruciatus aliquos (praeter privationem visionis) perpeti «sed multo iis acerbiores severioresque post iudicium esse passuros ac tunc scilicet ignibus audiendos esse vel omnes vel eos saltem qui nunc libere per aëra spatiantur».

¹⁴ BELLARMINO, l.1 c.6; BERAZA, n.657; MALDONADO, o.c., *In Mt 8,29 col. 214*: «Tenenda opinio quae in Ecclesia iam invaluit, etiam nunc torqueri daemones et quocumque eant... sua secum supplicia circumferre; minus tamen puniri nunc, quia et vagandi per mundum hunc et hominibus nocendi potestatem habent».

¹⁵ HURTER, 3 n.642; SCHIEBEN, o.c., 2 § 194 n.193.

420. *Intellectus daemonum ob peccatum est privatum omni lumine supernaturali, non vero naturali, cum naturalia eorum manserint integra* (I q.64 a.1).

*Voluntas eorum ob peccatum perfecte obstinata est in malo. Unde ex doctrina saltem certa, nequit facere paenitentiam salutarem, utpote privata omni gratia, vel naturalem, ex doctrina communi. Item in omni actu moraliter male agit; cum enim sit irrevocabiliter aversa a Deo et conversa ad finem pravum, nequit (etsi quid in se bonum faciat) nisi ob istum agere*¹⁶. Id tenetur communiter ut verum contra aliquos antiquos theologos qui putant daemones, utpote liberos quoad exercitium, non esse determinatos ad malum agendum; utpote liberos quoad specificationem, posse subinde aliquos actus omnino honestos facere¹⁷.

*Causa vero obstinationis, quae difficile determinatur, est, iuxta S.Thomam, immobilitas voluntatis angelicae in obiecto libere electo, ob quam, iuxta ipsum, angelus est inflexibilis ab electione iam facta; iuxta Suárez, misera conditio damnati cum fragilitate voluntatis creatae sibi relictæ sine ullo auxilio gratiæ*¹⁸, iuxta alios, aliae.

N.B. De his et aliis fere valent omnia latius dicenda de hominum poenis in tractatu *De Novissimis*.

421. *Etsi locus poenalis daemonum sit infernus, ut sat patet ex fontibus supra allatis, tamen vel plures vel omnes possunt sine dubio usque ad finem mundi, semper vel cum limitationibus, extra illum vagari* (I q.64 a.4). Eph 2,2: *Secundum principem potestatis aëris huius*; 6,12: *Rectores tenebrarum harum*. Lc 8,31: *Rogabant illum (Iesum) ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Leo XIII: *Satanam aliosque spiritus malignos qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude*¹⁹.

422. **Scholion 3.** *De statu viae angelorum.* Omnes angeli fuerunt aliquando in eo, ut sequitur ex dictis de morali angelorum conditione. At duratio eius viae, complectentis spatium inter creationem et finalem retributionem, etsi incerta sit, iure putatur ex fontibus fuisse brevissima.

In ea vero, relictis aliis modis rem concipiendi, sic tria momenta distinguuntur: a) In primo (creationis), omnes angeli creati sunt, non solum cum habitibus supernaturalibus, sed et in actu fidei, spei, caritatis, quo se converterunt ad Deum et quo meruerunt primam gratiam de congruo et primam gloriam de condigno, quin tamen ea gloria eis statim data sit. b) In secundo (probationis), alii peccarunt, sic merentes damnationem aeternam; alii in amore Dei permanserunt per novum actum caritatis quo meruerunt de condigno augmentum gratiæ et gloriæ. c) In tertio (retributionis), illi damnati sunt, et hi gloriam receperunt²⁰.

Nec S.Thomas, dicens (I q.62 a.5) angelum statim post primum caritatis actum, quo beatitudinem meruit, beatum fuisse, videtur aliter sentire (posset enim intelligi de merito perfecte libero), cum ipse mox (I q.63 a.3 a.1 4) fere indicet, fuisse omnibus angelis instans post acceptam gratiam et ante finalem retributionem, dicens: *Et sic prima operatio fuit omnibus communis; sed in secunda sunt distincti. Et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti*²¹.

¹⁶ S.Th., In 2 d.7 q.1 a.2; De malo q.16 a.6; I q.64 a.2 ad 5; Suárez, l.8 c.8.

¹⁷ SCOTUS, In 2 d.7 (probabile est tamen quod secundum hanc potentiam non exeant in actum propter vehementem malitiam); DURANDUS, In 2 d.7 q.2.

¹⁸ S.Th., I q.64 a.2; De malo q.16 a.5; In 2 d.7 q.1 a.2; Suárez, l.8 c.10s. De conditione daemonum in inferno cf. JOURNET, l.c., 38-46, qui ceterum putat eos esse in inferno ut loco ubicumque exercent rebellem suam pugnam: cf. *Les anges et le cosmos*: NovVet 28 (53) 149.

¹⁹ Quo sensu dici possit daemones exire ex inferno explicat suo modo MICHEL, *Les démons sortent-ils de l'enfer?*: AmCl 70 (1960) 472-474.

²⁰ Cf. Suárez, l.6 c.3; l.8 c.2.; BERAZA, n.587-593.

²¹ Sic ipsum intelligunt alii ut GONET, *De angelis* d.12 a.4 § 2. BILLUART (diss.4 a.7) expositis et hac et contraria interpretatione, anceps manet.

CAPUT V

De angelis bonis in eorum relationibus externis

ARTICULUS UNICUS

DE ANGELIS CUSTODIBUS

Thesis 16. Angeli sunt ex missione ordinaria custodes hominum.

S.Th., I q.113; S.BONAVENTURA, In 2 d.11 a.1s; SUÁREZ, l.6 c.16-19; PALMIERI, *De ordine supernaturali* th.33-34; BERAZA, n.681-741; DAFFARA, n.319-343s; PESCH, *Die heiligen Schutzengel*² (Freiburg im Br. 1925); R.V.O'CONNOR, S.I., *The holy Angels* (New York 1923); L.J.KERKHOF, *De angelorum custodia*: RevEclLiège 10 (1928) 282-288; VAN HOVE, *De angelis custodibus*: CollMechl 9 (1935) 58-62; J.VENTURA, C.P., *Our Guardian Angels*: EccLRev 94 (1936) 27-32; Dom PAUL, O.S.B., *Les anges gardiens*: VieSpir 75 (1946) 332-348; I.DE SAN JOSÉ, l.c., 8 (1949) 265-287,438-473; 9 (1950) 451-466; 11 (1952) 67-78; 12 (1953) 24-51, 150-185,307-335; J.DUHR, *Anges*: DSpir 1 (1936) 603-610,614s; B.KLOPPENBURG, O.F.M., *Mirum angelorum ministerium*: RevEclBr 22 (1962) 830-849; FLICK, 641-661.

423. **Nexus.** Cum hucusque actum sit de angelis in se ipsis, seu in eorum natura et in eorum conditione morali, nunc ii considerandi sunt in eorum relationibus externis, ita ut primo agatur de angelis bonis, dein de malis.

Bonorum vero angelorum officia sunt: a) *Ad Deum*, ut ipsum adorent (Ps 96,7), laudent et benedicant (Dan 3,58; Ps 102,20), obedientia prosequantur (Apoc 7,11s). b) *Ad Iesum Christum*, ut ipsum, non solum qua Deum, sed et qua hominem adorent (Phil 2,10; Hebr 1,6), et ipsi inserviant (Mt 4,11), qui est etiam ipsorum caput (Col 2,10)¹. c) *Ad angelos*, ut superiores illuminent inferiores (Apoc 7,2). d) *Quid vero ad homines?* Huic quaestioni nunc maxime respondendum est. Constat angelos saepe ad homines esse missos a Deo in ministerium, seu ut aliquid nutu et auctoritate Dei apud eos agerent (I q.112 a.1)². At mittuntur ii etiam in hominum custodiam? En quaestio nunc solvenda.

424. **Notiones.** ANGELI indefinite sumuntur hic, sc. quicumque ex bonis illi sint, vel omnes vel aliqui, sive inferiores sive superiores.

¹ Cf. P.B.D'AZY, O.S.B., *Le Christ et ses Anges dans l'oeuvre de Saint Thomas* (Toulouse 1943); cf. Id. (de eadem re): BullLittEcll 44 (1943) 93-117,121-136; DANIELOU, *Les anges...* 37-61; G.KITTEL, *ἄγγελος*: ThW 1,83s; P.DACQUINO, *Cristo, Capo dell'universo...*: Scuo Catt 86 (1958) 187s. De relatione angelorum ad Corpus Mysticum cf. JOURNET, *L'Univers de création...*: RevThom 54 (1954) 5-38; H.SCHLIER, *Die Engel nach dem Neuen Testament*: Archiv f. Liturgiewiss. 6 (1959) 43-56. De momento christologico angelologiae cf. K.RAHNER, S.I., *Angelologie*: LThK 1 (1957) 533-538. Mariam esse matrem angelorum habet ut probabilius contra thomistas B.APERRIBAY, O.F.M., *Maria, ¿Madre de los ángeles?*: VerVid 18 (1960) 261-280; in genere de eius relatione ad angelos cf. A.DE VILLALMONTE, O.F.M. Cap., *Maria y los ángeles*: EstMar 20 (1959) 401-436.

² Cf. PALMIERI, th.32 n.1; th.33 n.2; BERAZA, n.687.

SUNT sc. non mere possunt interdum esse, sed habitualiter sunt.

425. MISSIO. «Ille mitti dicitur, qui aliquo modo ab alio procedit, ut incipiat esse ubi prius non erat, vel ubi prius erat, per alium modum» (I q.112 a.1).

Haec notio, aliquo modo missioni sive divinae sive creaturae conveniens, applicata missioni angeli per Deum, de qua sola hic agitur, importat: a) *Processionem a Deo*, non per originem immanentem, nec solum per creationem, sed per impulsus, non physicum, sed moralem seu per *imperium Dei*. b) *Mutationem loci* vel formalem, quatenus angelus incipiat esse ubi non erat, vel saltem virtuales seu permanentiam in loco ubi posset non esse. c) *Actionem aliquam*, quae sit finis missionis a Deo intentus (I q.43 a.1)³.

MISSIO ORDINARIA habetur ex habituali angeli deputatione per divinam providentiam ad quaedam officia in homines, et quidem per se invisibiliter nec necessario qua angelica experimentaliter, gerenda; dum EXTRAORDINARIA est ex deputatione angeli per Deum ad aliquod speciale munus in mundo gerendum, sive visibiliter sive invisibiliter, v.gr. ad liberandum Petrum e carcere (Act 12,7-10), ad annuntiandam Incarnationem (Lc 1,26-38), etc.

426. CUSTODES seu implentes bona officia spiritualia, vel materialia in ordine, ut per se patet, ad salutem hominum.

HOMINES sumuntur: a) primo in genere et complexive, quin res de singulis vel saltem de plerisque asseratur; b) dein in specie et singillatim, ita ut nullus a custodia angelica excludatur sive fidelium, sive infidelium. De iis ergo omnibus thesis totidem partibus distributa probabitur.

N.B. Angeli missi nullo modo privantur visione beatifica in missione, nam: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est* (Mt 18,10)⁴.

427. Adversarii. Exegetae *Rationalistae*, putantes hanc doctrinam esse, iuxta alios, ex gentiliis fabulis a iudaeis hausitam, vel, iuxta alios, ex primaevo horum polytheismo derivatam⁵.

428. Ii Patres (v.gr. SS.Basilii, Cyrilli Alex.) qui affirmant custodiam angelicam de solis baptizatis, quin tamen eam expresse de infidelibus

negent⁶, non dicendi sunt simpliciter eam de his reicere, sed ad summum de speciali quadam tutela fidelium loqui, vel forte aliquando de ea re dubitare.

429. *Doctrina Ecclesiae*. IOANNES XXIII in suis publicis adhortationibus interdum ut v.gr. alloquens convectores currum automobilium (9 Augus. 1961) pulchra dixit de angelis custodibus, quae latine sic fere exprimerentur:

«Nunc velim insistere in magno momento quod habet... in vita omnis christiani praesentia angeli custodis, quae proin intelligenda, aestimanda et amanda est...»

«Pater in nostro itinere ad patriam assignavit singulis nobis angelos, ut eorum auxilio muniti possimus insidias superare nec umquam a recta via paradisi deflectamus... Saltem id est certum: nos omnes ac singulos esse commissos curae alicuius angeli... Noster angelus custos est semper iuxta nos; numquam id obliviscamur...»

«Una ex veritatibus nostrae fidei docet nos singulos non esse solos. Mox ac anima creata est... maxime cum gratia sacramentorum eam sua ineffabili luce operit, ...arcessitur angelus qui manet iuxta nos per totam nostram peregrinationem in terra. Est pulchrum id in memoriam revocare...»^{6*}

Institutio festi *SS. Angelorum Custodum* (2 oct.) in genere supponit ut certum homines complexive sumptos frui custodia angelica.

Quod etiam in Breviario eo die dicitur v.gr. (Hym. vesp.): «Custodes hominum psallimus angelos, naturae fragili quos Pater addidit Caelestis comites...» et (Orat.): «Deus, qui... sanctos angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris...»

In specie supponitur etiam in Breviario eo die custodia singulorum hominum, saltem fidelium, cum legendus sit S. Bernardi sermo et alia et haec continens: «Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli, sicut eius mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe... An praesentem esse dubitas quem non vides?...»

Ceterum Ecclesia tradit singulos homines, saltem fideles, frui custodia angelica, ditans indulgentiis eam orationem: «Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum... custodi...»,

³ S.BASILIIUS, In ps. 48 n.9: MG 29,453; S.CYRILLUS ALEX., *De ador. in spir. et vit.* 1.4: MG 68,313; S.IOANNES CHRYS., In Mt hom.59 n.4: MG 58,579.

^{6*} IOANNES XXIII, Adhort. ad populum (1 oct. 1960) et Homil. in Basil. Stae. Mariae ab Angelis (9 sept. 1962); Eccl. (1960-2) 1359; (1962-2) 1226.

³ Cf. SUÁREZ, l.6 c.9 n.14-21; PALMIERI, th.32 n.1.

⁴ S.GREGORIUS M., *Mor.* 2,3,3: ML 75,557.

⁵ Cf. VACANT, *Ange*: DB 1,577s.

et eam: «Sancte Michael Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo iudicio»⁷.

Praedicatio quotidiana Ecclesiae supponit eam custodiam et quidem etiam singulorum, saltem fidelium.

Pars prima: Angeli sunt custodes hominum indefinite sumptorum.

430. **Valor dogmaticus.** *De fide divina catholica*⁸.

431. **Probatur ex sacra Scriptura.** Ps 90,11: *Angelis suis (Deus) mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te...* Haec intelligenda sunt etiam de omni homine vel saltem de fideli, ut patet ex toto contextu (de sperante in Deum)⁹.

Hebr 1,14: *Nonne omnes (angeli) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capient salutis?* Ergo non solum aliqui, sed omnes angeli dicuntur «leitourgikà pneúmata» seu angeli servientes (ut v.7: «leitourgous») et quidem sensu sacro, missi (incessanter) ad servitium obligatorium eorum qui hereditabunt salutem seu christianorum qui eo modo hic vocantur¹⁰.

432. Mt 18,10: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei...*, dicit Christus statuens parvulum in medio discipulorum.

Haec, quibus dicuntur pueri iudaeorum habere angelos custodes, cum nihil aliud verba «angeli eorum» significare queant, valent a fortiori de pueris fidelium¹¹, cum privilegia iudaeorum quae transire poterant, putanda sint de facto ad Ecclesiam transiisse. Nec est ratio non extendendi ea verba etiam ad omnes infideles. Angelus vero pueri sine dubio non discedit ab eo adolescente, cum maxime hic auxilio eget.

Act 12,12-15: Persuasio christianorum primaevorum credentium singulos homines, saltem fideles, angelum custodem habere, ostenditur ab illis, qui ancillae Rhode, nuntianti Petrum e carcere liberatum adesse, respondent: *Angelus eius est.*

433. **Probatur ex traditione.** 1) *SS. Patres* emphatice id docent. ORIGENES (R 448): Angeli ministrant Deo ad sa-

⁷ F.BERINGER-A.STEINEN, S.I., *Les indulgences. Leur nature et leur usage*, trad. P.H.Mazoyer (Paris 1925) n.467s.

⁸ SUÁREZ, l.6 c.17 n.6; PERRONE, *De Deo Creatore* n.44.

⁹ KNABENBAUER, *Comment. in ps.* (Parisi 1912) p.337-339; BELLARMINO, *Ps. explanatio*, h.l. Diabolus ea verba ad Christum refert inepte (Mt 4,6), cum Christus non eget custodia angelica (1 q.113 a.4 ad 1).

¹⁰ Cf. c.SPICQ, *L'épître aux Hébreux*, 2 (Paris 1953) 22s; M.NICOLAU, S.I., *Carta a los Hebreos: Sagr'Escl* 3 (Madrid 1962) 26.

¹¹ S.IOANNES CHRYS., l.c.

lutem hominum. «Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione, esse angelos Dei quosdam qui ei ministrant ad salutem hominum...»

S.HILARIUS (R 895): «Memimus esse plures spirituales virtutes, quibus angelorum est nomen... Intercessione... horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hereditabunt salutem».

S.IO.CHRYS. (R 1217): «Hoc est munus angelorum, ministrare Deo ad nostram salutem. Quamobrem hoc est angeli opus, omnia facere ad fratrum salutem».

S.IO.DAMASC. (R 2354): Angeli «terrae partes custodiunt... ac nobis opem ferunt...»

S.AUGUSTINUS: «Angeli... attendunt nos peregrinos, et miserantur nos et iussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus...»¹²

2) *Catechismus Romanus* (4,9,4s): «Est enim Dei providentia datum hoc negotium angelis, ut custodiant humanum genus singulisque hominibus praesto sint... Nam ut parentes, si in... periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent..., sic caelestis Pater in hoc itinere, quo ad caelestem patriam contendimus, singulis nobis praeposuit angelos, quorum ope... iisque ducibus rectum iter teneremus... Huius generis exemplorum (Tobiae, Petri), referta est sanctarum literarum historia, quibus intelligimus, quanta sit vis beneficiorum, quae confert in homines Deus, angelis interpretibus..., nec solum certa aliqua et privata de re missis, sed a primo ortu nostrae curae praepositis, et in singulorum hominum salutis praesidio collocatis».

His custodia angelica hominibus *singulis* sine restrictione tribuitur; ergo ea datur hominibus, non solum complexive, sed et singillatim sumptis, et quidem sive fidelibus sive infidelibus.

434. **Ratio theologica.** a) Cum homines viatores sint valde imbecilles et multis periculis in via circumdati, primum est ut custodiantur ab angelis ut fratres minores a maioribus (1 q.113 a.4).

Congruum est ut angeli, utpote destinati ad eandem patriam ac homines, hos peregrinos ducant in via ad illam.

c) Ut angeli Christo ministrarunt (Mc 1,13) et ipsum in horto confortarunt (Lc 22,43), primum est ut etiam redemptis a Christo auxiliarentur.

d) Si daemones impugnant homines, censendi sunt et boni angeli eos custodire.

¹² S.AUGUSTINUS, *In ps.* 62,6: ML 36,751.

e) Cum Deus sic mundi ordinem instituerit, ut inferiora gubernentur per superiora v.gr. ut irrationalia subiciantur rationalibus, expedit ut homines ab angelis adiuventur (I q.22 a.3; 3 CG 78c; cf. I q.113 a.2).

435. Ipsa idea gentilium, quod genia quaedam hominibus assistant, ostendit doctrinae revelatae vestigia¹³. Nec SS.Patres illam ideam gentilium appellant, nisi ut doctrinae revelatae consonam¹⁴.

Pars altera: Angeli sunt custodes singulorum fidelium.

436. Valor theologicus. Saltem certa in theologia.

Suárez: «Assertio posita (an singulis hominibus adsit custodia angelica) catholica est. Quamvis enim non sit expressa in Scriptura vel ab Ecclesia definita, tanto consensu Ecclesiae universalis recepta est, et in Scriptura prout a Patribus intellecta est tam magnum habet fundamentum, ut sine ingenti temeritate ac fere errore negari non possit»¹⁵.

437. Probatur ex sacra Scriptura. Mt 18,10 et Act 12, 12-15, iuxta nuper dicta (n.432).

438. Probatur ex traditione. ORIGENES (R 475): «Unicuique duo assistunt angeli, alter iustitiae, alter iniquitatis. Si bonae cogitationes in corde nostro fuerint..., haud dubium quin nobis loquatur angelus Domini...»

S.BASILIIUS (R 940): «Ex iis (angelis) alii quidem praefecti sunt gentibus, alii vero unicuique fidelium adiuncti comites sunt».

S.GREGORIUS NYSS. (R 1022): «Sermo quidam est..., ab eo (Deo) angelum aliquem... constitutum esse ad auxiliandum uniuscuiusque vitae, e contrario autem corruptorem naturae... per pravum aliquem daemonam... inficere vitam hominis; hominem vero inter hos duos medium esse, utroque comitantium finem oppositum ad alterum habente..., bono quidem offerente cogitationibus bona virtutis...»

S.HIERONYMUS (R 1387): «Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu natiuitatis suae in custodiam sui angelum delegatum».

THEODORETUS (R 2156): Christus dixit «singulos homines subesse singulorum angelorum procuratori».

Pars tertia: Angeli sunt custodes singulorum infidelium.

439. Valor theologicus. Communis et vera.

Verba Suárez supra allata (n.436) sunt in genere de singulis hominibus.

¹³ SENECA, *Epist.* 110; TIBULLUS, 1.2 el.2. De aliis, cf. PETAVIUS, 1.2 c.7 n.1-3.

¹⁴ Cf. HURTER, 2 n.423. Iuxta quem, ea quae platonici post Christum de custodia angelica praecclare scripserunt, merito ipsis christianis accepta sunt referenda.

¹⁵ SUÁREZ, 1.6 c.17 n.8.

440. Probatur ex sacra Scriptura. Non est ratio restringendi ad solos fideles verba nuper allata Mt 18,10.

441. Probatur ex traditione. Textus supra citati ORIGENIS, THEODORETI, SS.GREGORII NYSS., HIERONYMI, sunt generales, seu non excludunt infideles^{15*}.

442. Ratio theologica. Omnes homines, utpote ad eandem gloriam destinati, Dei providentiae subiecti (I q.113 a.2. 5)¹⁶, a Christo redempti, similibus periculis obnoxii, egent custodia angelica.

443. Scholion 1. *Singuli homines habent singulos angelos custodes*, seu sunt sub tutela angelorum distinctorum¹⁷. Id communiter tenetur. Textus Mt 18,10, Act 12,12-15, nuper allati id sensu obvio indicare videntur. Idem dicendum de textibus Patrum supra citatis, maxime de textu Theodoret. Talis est etiam sensus fidelium. Nec forte unus angelus plures custodire posset homines ab invicem longe distantes. Id magis commendat munificentiam Dei.

At custodit unus angelus plures homines, saltem successive, ita ut, uno mortuo, alium custodiendum suscipiat? «Est... propabile, licet incertum»¹⁸.

444. Etiam regnis assignatur angelus custos. Id est valde probabile. Dan 10,12-21: *Ego (angelus) veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium meum... Cum ego egrederer apparuit princeps Graecorum veniens... Et nemo est adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester.*

Cum «Michael unus de principibus primis», dicatur «princeps», haec vox etiam in principe Persarum et in principe Graecorum iure censetur significare angelum. Cum vero Michael vocetur «princeps vester» et «princeps... qui stat pro filiis populi tui» (12,1), clare apparet ut in populum iudaeorum gerens angeli tutoris munus divinitus ei commissum; pronum ergo est ut princeps Persarum et princeps Graecorum sint pariter angeli tutores regnorum eis demandatorum¹⁹.

Origenes (R 475): Ut «per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor singulis dispares esse provincias, ut sint et boni, sint et mali». S.Basiliius (R 940, ut nuper). S.Ioannes Damasc. (R 2354): Angeli «nationibus et regionibus praesident». Theodoretus (R 2161)²⁰.

445. Ecclesia catholica habet angelum custodem. Id iure putatur, et quidem a fortiori, si regna et Israel eum habent. Immo, cum privilegia

^{15*} De angeli custodis doctrina SS.Patrum antiquiorum, in qua magnas partes Origenes habuerit, cf. etiam DANIELOU, *Les anges...* 92-94; Id., *Origène...* 235-239.

¹⁶ Cf. PALMIERI, th.33 n.4,3.^o

¹⁷ S.BERNARDUS (*De consid.* 5,4,8; ML 182,792): «Putemus angelos dici... qui singuli singulis hominibus dati creduntur». S.Th. (I q.113 a.2 ad 1): «Uni homini debetur unus custos, et interdum plures deputantur ad custodiam unius». MUNCUNILL, n.388; HUARTE, n.702. Iuxta BERAZA (n.706), «est probabilius et communius» seu «verisimilius», ut ait SUÁREZ (*l.c.*, n.10) contra P.LOMBARDUM (*Sent.* 2 d.11 c.2s), putantem plures homines simul ab uno angelo custodiri vel singulos a singulis.

¹⁸ SUÁREZ, *l.c.*, n.11.

¹⁹ KNABENBAUER, *Comment. in Dan. Prophetam* (Parisiis 1891) 10,13 p.281; J.LINDER, S.I., *Comment. in librum Daniel* (Parisiis 1939) p.434-437; HEINISCH, *o.c.*, § 20 n.4.

²⁰ Cf. BAREILLE, *Angéologie d'après les Pères*: DTC 1,1215; DANIELOU, *Les anges...* 24-36.78-80; Origène... 223-229; KLOPPENBURG, *l.c.*, 841, iuxta quem ea erat doctrina communis in tota antiquitate christiana.

Israelis, quae transire poterant, transierint ad Ecclesiam, ille creditur esse S. Michael, cum ipse fuerit custos Israelis (Dan 10,12-21; 12,1) 20*.

446. *Etiam ecclesiae particulares habent angelos custodes.* Id est valde probabile. S. Hilarius (R 895): «Memimus esse plures virtutes spirituales, quibus angelorum est nomen, vel ecclesiis praesidentes...» S. Ambrosius: «Non solum episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam angelos destinavit». S. Gregorius Naz.: «Nec... mihi dubium est, quin alii aliarum ecclesiarum praesides ac patroni sint, ut in Apocalypsi Ioannes me docet» 21.

Ceterum angeli iure censentur Ecclesiae consulere ac eius aedificationi opem ferre, conventibus christianis adesse et actibus cultus ut in administratione sacramentorum ac maxime in sacrificio eucharistico; immo quasi liturgia christiana sit executio visibilis ac participatio liturgiae angelicae cum qua illa in unum confundatur et prorogetur in caelo (Praefatio, Gloria in excelsis, Trisagium, Alleluia) 22.

447. *Item probabile est angelos custodes adesse personis publicis qua talibus* (regibus, aliis dignitate eximia ornatis), maxime R. Pontifici, ita ut illae habeant qua personae privatae alium, qua publicae alium custodem.

Suárez: «Probabile est, licet singulis personis privatis singuli angeli destinentur, nihilominus pontificibus, regibus, et aliis praelatis ac principibus peculiare angelos ad eorum custodiam ac regimen deputari... Unde mihi probabile fit quod communiter creditur, habere personas publicas duos angelos custodes, unum ut privata persona, alium ut mater Dei et quamdiu officium matris exercuit» 23.

Communiter tenetur Christum non habuisse angelum custodem qua talem, sed plures angelos ei ministrantes (n.423) 24.

448. *Scholion 2. De duratione custodiae angelicae.* Ea: 1) *Incipit a momento nativitatis, iuxta alios* (1 q.113 a.5) 25, cum ante hanc infans putetur esse aliquid matris et proin ab huius angelo custodiri; iuxta alios vero a momento generationis 26. SS. Patres efferebant eam custodiam esse specialem a momento baptismi 26*. 2) *Finitur morte, iuxta plures* 27. 3) *Numquam, ut communiter tenetur, totaliter interrumpitur, ita ut aliquis homo (vel ipse Antichristus) ea ante mortem definitive privetur.* Nil vero impedit quin angelus suum clientem *ad tempus* deserat, quatenus punitionis causa eum ab aliquibus malis vel etiam a peccatis non prohibet, ut interdum Deus dicitur peccatores deserere (Rom 1,28) dum eis denegat specialem protectionem et nova eorum peccata permittit 28.

20* Cf. DANIELOU, *Les anges...* 13-76-79.

21 S. AMBROSIIUS, *In Lc 1,2 n.50*: ML 15,1571; S. GREGORIUS NAZ., *Or.* 42 n.9: MG 36, 469. Cf. DANIELOU, *Les anges...* 79-81; *Origène...* 408.

22 S. AMBROSIIUS, *l.c.*, 1,1 n.28: ML 15,1545; S. IOANNES CHRYS., *De incomp. Dei natura* hom.3 n.7: MG 48,726; ORIGENES, *In Lc* hom.23: MG 13,1863. Utiliter legetur de societate angelorum et hominum in sacrificio missae H. DÜLLMANN, *Engel und Menschen bei der Messfeier*: DivThom (Fr) 27 (1949) 281-292.381-411; item F. OPPENHEIM, O.S.B., *L'intervento degli angeli nel culto*: EphLitur 98 (1944) 88-96; DANIELOU, *Les anges...* 71-97; E. PETERSON, *Le livre des anges* (Paris 1954); G. OURY, O.S.B., *L'alleluia*: AmCl 74 (1964) 155-160; C. VATICANUM II, *Const. de S.Litur.*: AAS 56 (1964) 101.

23 SUÁREZ, *l.c.* 1.7 n.24. Cf. DANIELOU, *Les anges...* 97.

24 S. TH., 1 q.113 a.4 ad 1; SUÁREZ, n.21.

25 S. THOMAS ibi ita intelligit S. HIERONYMUM, *In Mt.* 1.3 c.18 v.10: ML 26,135.

26 TERTULLIUS, *De anima* c.37: ML 2,713; S. THOMAS (junior), *In 2 d.11 q.1 a.3 ad 3*; SUÁREZ, n.18.

26* Cf. DANIELOU, *Les anges...* 94-97; *Origène...* 237-239.

27 S. TH., 1 q.113 a.4; SUÁREZ, n.11.

28 S. TH., 1 q.113 a.4 ad 3; SUÁREZ, *l.c.* 1.7 n.159,21.

449. *Scholion 3. De effectibus custodiae angelicae.* Ii sunt, ut per se patet, ad hominum salutem spiritualem ordinati: a) *Alii corporales*, quatenus homines vel a periculis corporalibus prohibentur, vel a corporalibus malis eripiuntur, vel in rebus temporalibus iuvantur. Haec omnia fere sunt in Tob c.5-12 28*.

b) *Alii spirituales*, quatenus angeli vel nos contra daemones defendunt (Tob 8,3), vel pro nobis orant aut preces nostras (sua scil. precatioe eas efficaciores reddendo) Deo offerunt (Apoc 8,3; Tob 12,12), vel per excitationem phantasiae aut appetitus sensitivi (non vero directe species impressas aut lumen intellectuale in homine producentes, cum id facere nequeant, ut videtur) movent in nobis bonas cogitationes et sic per has nos incitant ad bonum (Act 8,26; 10,3-6) 29, vel medicinales poenas nobis (ad correptionem) interdum infligunt (2 Reg 24,16), vel nos morti proximis contra daemones muniunt, vel animas non purgandas in caelum deducunt post mortem, aut etiam post earum purgationem, in qua ceterum eas visitent et consolentur, ac forte de duratione poenae, de gloria et aliis illuminent 30.

Cum haec omnia officia sint in ordine providentiae Dei omnia in debitu finem per causas secundas ducentis, non est necesse ut ea nobis extraordinario modo praestentur 31.

450. *Scholion 4. Angeli creaturis irrationalibus aliquo modo praesident.*

Id tenent sat communiter Patres et theologi 32. At haec bene notentur:

a) *II possunt sine dubio rebus sensibilibus uti ad homines vel protegendas vel puniendos, et quidem ita ut eorum ministerium circa regimen universi ad custodiam hominum reduci videatur.* b) *Ordo physicus, utpote legibus physicis necessariis fundatus, est per se independens a ministerio angelico.* c) *Non repugnat quin singulae rerum irrationalium species, a fortiori singula earum individua, angelico patrocinio subsint; at nec stricte probari potest istud factum.*

451. *Scholion 5. Quinam angeli in ministerium hominum vel in genere in mundum sensibilem mittuntur?* Omnes, iuxta SS. Athanasium, Ambrosium 33, etc.; omnes, at ita ut sicut expresse dicunt Scotus, Molina, alii, superiores ad nobiliora mittantur 34; ministrantes, non vero assistentes, qui numquam extra caelum exeunt, iuxta Ps.-Dionysium, S. Bonaventuram, S. Thomam, alios, inducta ea divisione angelorum in assistentes et ministrantes 35.

28* Cf. PAUTREL-LEFEVRE, *l.c.*

29 SUÁREZ, *c.16*. Cf. S. TH., 1 q.111,1; 113,1 ad 2. Sic ergo explicari possunt angelorum «inspiraciones» in homines. De actione angelica in historia salutis et in vita hominis pii, cf. H. VON ROSENBERG, *Begegnung mit Engel* (München 1956).

30 SUÁREZ, *c.19*; PALMIERI, *th.22 n.6*. De SS. Patribus circa effectus custodiae angelicae, cf. BAREILLE, *l.c.*: DTC 1,1216-1219; DANIELOU, *Les anges...* 97-152; *Origène...* 237-239; A. RECHEIS, O.S.B., *Engel, Tod und Seelenreise* (Roma 1958); cf. DANIELOU, *Bulletin...*: RechScRel 52 (1964) 110-114.

31 Cum in fontibus non sint casus possessionis angelicae, quales sunt possessionis diabolicae, theologi illam non memorant; tamen nuper J. BATAINI, S.C.I., *La possession angélique est-elle admissible?*: DivThom(Pi) 51 (1948) 290-303, statuit eam, et quidem sumptam ut diabolicam, seu qua tota fere libertas possessore auferatur, esse possibilem etiam de potentia ordinata Dei; dum A. PEREGO, S.I., *La possessione angelica*: *Ibid.*, 53 (1950) 46-55, istud negat, cum non videatur posse Deo esse ratio sufficiens permittendi talem violationem libertatis humanae. BATAINI suam thesim iterum confirmavit: *A propos de la possession angélique*: DivThom(Pi) 53 (1950) 56-63. At PEREGO, *Origène...*: DivThom(Pi) 61 (1958) 8 eam reiecit.

32 S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 8,24,45: ML 34,390; S. TH., 1 q.110 a.1; SUÁREZ, *l.c.* 1.7 n.25-28; PALMIERI, *th.33 n.1*; BERAZA, *n.702-704*. In specio de SS. Patribus, cf. BAREILLE, *l.c.* 1,2148; DANIELOU, *Origène...* 2228.

33 S. ATHANASIUS, *Or. 3 cont. Arian.* n.12: MG 26,348; S. AMBROSIIUS, *De Spir. S. Iri* c.108: ML 16,7318. Item PALMIERI, *th.32 n.38*; PETAVIUS, *l.2 c.6*.

34 SCOTUS, *In 2 d.10*; MOLINA, *In 1 q.112*. His videtur et SUÁREZ (*l.c.* 1.6 c.1) accensendus esse, putans etiam angelos supremos ad terras descendere posse.

35 PS. DIONYSIUS, *De cael. hier.* c.7-9.13: MG 3,205-272.300-320; S. BONENTURA, *In 2 d.10 a.1 q.2*; S. TH., 1 q.112 a.2-4; q.113 a.3.

452. Scholion 6. *De cultu angelorum.* Angelis tribuitur cultus, non vero *latriae*, qualis soli Deo debetur³⁶, sed *duliae*, seu qui etiam hominibus sanctis cum Christo regnantibus impendi potest ac debet.

Cultus angelorum nullo modo reprobatur quinque primis saeculis a doctoribus, ut voluit Turmel³⁷, ut sat constat etiam ex solis textibus eorum supra allatis, ita ut, si quando ii cultum angelorum reicere videantur, intelligantur agere de cultu *latriae*³⁸.

453. Ceterum ille cultus: 1) *Approbat a Deo* per suos angelos, qui eum approbare videntur (Num 22,31; Ios 5,15; Iud 13,20; 3 Reg 18,7; 4 Reg 2,15). 2) *Semper floruit in Ecclesia*³⁹, etsi forte initio, seu tempore haereseos de diis minoribus et persecutionum, minus splendidus fuerit, ut etiam martyrum cultus. 3) *Est legitimus ex parte Dei*, cum honor angelis praestitus redundet in Deum, utpote mirabilem in sanctis suis ac ut mire toti Ecclesiae per angelos beneficientem; ex parte *angelorum*, cum nos perfectione naturali ac supernaturali longe superent, et ob gratiam ac gloriam qua Deo fruuntur; ex parte *nostra*, ut iis grati simus, et per eos plures gratias obtineamus, et eos amemus coheredes nostros. 4) *Exigit a nobis reverentiam* et negativam, qua vitemus displicentia iis, et positivam, per actus iis exhibitos; *devotionem*, qua iis simus grati, eos amemus, eos honoremus, oremus; *fiduciam* in eos, utpote fideles, prudentes, potentes ad nos custodiendos⁴⁰.

CAPUT VI

De angelis malis in eorum relationibus externis

ARTICULUS I

DE TENTATIONE DIABOLICA

Thesis 17. Daemones tentationibus homines infestant.

S.Th., I q.114; *De malo* q.3 a.3-5; S.BONAVENTURA, *In 2 d.8 p.2*; SUÁREZ, I.8 c.188; BERAZA, n.743-759; DAFFARA, n.343-348; LERCHER, 2³ n.70388; OTTEN, th.31; R.BROUILLARD, *Tentationi*: DTC 15,1235; A.KERSEMAKERS, *De Daemon.*: OnGel 30 (1948) 435-453; T.CARLESI, O.P., *La tentazione nel pensiero di S.Tommaso*: Sap 10 (1957) 23-51.200-225.461-480.

454. *Nexus.* Exposita iam relatione angelorum bonorum ad nos, nunc de relatione daemonum ad nos agendum est. Ea vero non nisi odii et invidiae est, ut tales sunt relationes eorum ad Deum et ad angelos bonos, immo etiam odii sunt relationes eorum inter se. Ii ergo moti odio et invidia, cum

³⁶ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 10,1.2: ML 41,2778.

³⁷ J.TURMEL, *Angelologie*: RevHistLittRel 3 (1898) 550.

³⁸ Cf. BAREILLE, 1219-1222; BERAZA, n.727-736.

³⁹ Cf. PALMIERI, l.c., th.33 n.2; I.DE SAN JOSÉ, l.c., 282-287; H.LECLERCQ, *Anges*: DACL I,2144-2150.

⁴⁰ S.BERNARDUS, *In Ps «Qui habitat»* serm.12 n.4-7: ML 183,232-234; BERAZA, n.737-741; L.KERKHOF, *De cultu angelis exhibendo*: RevEccLiège 19 (1928) 353-357; G.MEUNIER, O.S.B., *Sous la garde des Anges* (Paris 1929), ubi sunt exempla commercii sanctorum cum angelis. IOANNES XXIII (l.c.): *Angelus noster est semper iuxta nos; id numquam obliviscamur; ipsam semper invocemus.*

nos cognitione et potentia longe superent, nobis impugnandis, quantum per Deum eis licet, incumbunt; nec tamen iis sunt in nos stricta aliqua iura ob peccatum adquisita, pro quibus redemptio sit offerenda¹.

Unde, ut angeli boni nos quoad corpus et quoad animam custodiunt, sic ipsi quoad utramque nos *infestant*, seu in nos-tram perniciem vario modo conspirant, sc. tentatione, obsessio-ne, magia. De hac ergo triplici daemonum infestatione nobis gradatim dicendum est.

Imprimis ergo de facto tentationis, huius possibilitate prae-supposita.

455. *Notiones.* DAEMONES sumuntur indefinite seu quin dicantur omnes, vel saltem semper iidem, homines tentare.

TENTATIO in genere est probatio alicuius ad sciendum ali-quid circa ipsum; quae ulterius potest in huius bonum vel ma-lum ordinari. Potest esse in bonum morale a Deo vel ab ho-mine, in malum morale ab homine vel a diabolo. Hic sumi-tur ut huius experimentum de homine, quem ad peccandum inducere conetur.

Id potest a daemone fieri modo *interno et insensibili*, seu per actionem directam in facultatem sensitivam vel in imaginationem, aut *externo vel interno*, sed *sensibili*, seu per apparitiones, locutiones, hallucinationes etc. Hic agimus solum de *insensibili*, qui saltem et per se primo supponitur indicari fontibus, cum sensibilis, ut experientia ostendit, sit valde extraor-dinari.

Caro et res mundanae dicuntur tentare *instrumentaliter* seu *materialiter*, quatenus potest cognosci qualis sit homo, ex modo quo se in eas gerat (I q.114 a.2), vel etiam occasionaliter, quatenus earum occasione concupis-centia inordinate excitari potest.

456. *HOMINES* sumuntur indefinite, ita tamen ut, iuxta fontes, comprehendantur per se omnes sui compotes diu vi-ventes, nec forte aliquo specialissimo privilegio excepti.

INFESTANT seu impugnant. Ea vox indicat conspirationem variam daemonum. At non assertit omnem tentationem esse praecise a diabolo, vel omnes homines tentari eadem frequen-tia, eadem gravitate, de iisdem rebus.

457. *Adversarii.* Praeter omnes negantes daemonis ex-sistentiam, *plures recentiores protestantes*².

458. *Doctrina Ecclesiae.* *C.Lateranense IV* (D 428): «Homo (Adam) vero diaboli suggestionem peccavit».

¹ Cf. PALMIERI, *De ordine supernaturali* th.34 n.1; J.RIVIÈRE, *Le Dogme de la Rédemption* (Louvain 1930) 95-240; ID., *Le Dogme de la Rédemption chez Saint Augustin*³ (Paris 1933) 101-126. Cf. MICHEL, *L'idée du «Diable»*... 46-48.

² PERRONE, l.c., n.79.

C. Tridentinum (D 806): Iusti «formidare... debent... de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo». «Etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae virtutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus..., quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit» (D 907). «Infirmus sublevatus (per extremam unctionem)..., tentationibus daemonis calcaneo insidiantis, facilius resistit» (D 909).

459. *Liturgia: Oratio in fine missae* petit: «Satanam aliosque spiritus malignos qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo in infernum detrude». *Litaniae sanctorum*: «Ab insidiis diaboli libera nos...» *Commendatio animae* rogat v.gr. ut in moribundo renovetur «quidquid... diabolica fraude violatum est».

460. **Valor dogmaticus.** *De fide divina et catholica.*

461. **Probatur ex sacra Scriptura.** Memorat daemone tentasse Hevam (Gen 3,1-5), Christum (Mt 4,1-11), Ananiam (Act 5,3), Paulum (2 Cor 12,7), expetivisse apostolos, ut cribraret sicut triticum (Lc 22,31).

Inducit diabolus antonomastice ut tentatorem. Mt 4,3: *Et accedens tentator...* (ad tentandum Christum). 1 Thess 3,5: *Ne forte tentaverit vos qui tentat.*

Excitat nos ad orandum ne intremus in tentationem. Mt 6,13: *Et ne nos inducas in tentationem.* Lc 22,44: *Orate ne intretis in tentationem.*

Hortatur nos in genere contra diaboli tentationes. 1 Petr 5,8: ... *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* Iac 4,7: *Resistite... diabolo et fugiet a vobis.* Eph 6,11.16: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiarum, in caelestibus... In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Cf. et Rom 16,20; 1 Cor 7,5; 1 Tim 3,7.

Revera tota vita nostra est exposita tentationi ob insidias diaboli, ita ut huius vehementi conatu tota atmosphaera qua vivimus sit velut affectu peccati infecta ^{2*}.

^{2*} SCHLIER, *Mächte und Gewalten im Neuen Testament: Quaestiones disputatae* 3 (1958) 7-67.

462. **Probatur ex traditione.** S.IRENAEUS (R 258): «Diabolus... hoc tantum potest..., seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei...»

ORIGENES (R 446): «Est et illud definitum in ecclesiastica praedicatione..., esse... ei (omni animae rationali) certamen adversum diabolum et angelos eius..., ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant...»

S.HIERONYMUS (R 1391): «Diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat, et in quo unumquodque delectari videt, diversas suggestiones infert».

THEODORETUS (R 2161): «His... docemur singulis angelis uniuscuiusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant... et a pravi daemonis nos liberent insidiis».

463. **Ratio theologica.** Ratio sola nequit scire a priori tentationes diabolicas futuras esse, aut a posteriori, eas esse praecise a diabolo. At cognitio diaboli et existentia et potentia tentandi et eius odio in Deum ac in Christum et invidia in nos ut voluntate Dei saluti destinatos in Corpore Christi Mystico (n.406), facile eruit esse a priori valde probabile ut de facto tentemur a diabolo.

464. **Obiectiones.** 1. Daemones nequeunt agere in voluntatem humanam, a qua formaliter pendet peccatum. Ergo nequeunt tentare.

Dist. antec. Daemones in voluntatem humanam nequeunt agere directe, *conc. antec.*; indirecte, *nego antec.*

Daemones nequeunt influere in hominis intellectum vel voluntatem directe, seu efficiendo in iis actum vel speciem (cognoscitivam vel volitivam) aut quid simile; id solus Deus facere potest, et ideo ipse solus potest cognoscere secreta cordium. At possunt influere in intellectum, et hoc mediante in voluntatem, *indirecte*, seu illum ad cognoscendum disponendo per phantasiae excitationem, quam facile obtinere potest, sive proponens sensibus externis aliquod obiectum, sive excitans (per motum localem v.gr. nervorum) appetitum sensitivum ut statim imaginatio operetur, sive aliis similibus modis. Imo sic possunt usum rationis omnino impedire; sed, etsi etiam possint, si id eis Deus permittat, nos cogere ad actum ex se inhonestum, numquam possunt nos cogere ad libere consentiendum peccato (1.2 q.80 a.3).

465. 2. Tentatio diaboli repugnat bonitati Dei. Ergo ea nequit dari. *Dist. antec.* Repugnat ut tentatio diaboli foveatur vel approbetur a Deo, *conc. antec.*; ut permittatur a Deo, *nego antec.*

Potestas tentandi est diabolo naturalis, at eius usus, ut patet, pendet a Deo. Qui, etsi nequeat illum usum fovere vel approbare, potest tamen illum permittere ut in nobis peccata ³. At illum non permittit, nisi ut obtineat plura bona v.gr. relate ad Deum, ut ostendatur et benignitas Dei homini auxiliantis et potestas ipsius diabolum vincentis et iustitia ipsius pecca-

³ Tentatio potest esse punitio peccati, et ut talis a Deo per accidens intendi (cf. tamen 1 q.114 a.1 ad 1). Imo in natura lapsa sine dubio multae (forte omnes) tentationes possent habere indolem poenalitatis (ut concupiscentia in iusto) ratione peccati originalis.

tum punientis et misericordia ipsius sic hominem corripientis ac eum erudiantis, etc.; relate ad nos, ut, sentientes nostram infirmitatem, fiamus animo demissiores, et noscentes malitiam diaboli, laqueos ipsius fugiamus, ac recurramus ad Deum, et exercitio pugnae roboremur in virtute.

Tentatio, a qua ex dictis nullus adultus est immunis, est *quotidianum diaboli officium*, quod potest dici *providentiale*, quatenus Deus id in bonum Ecclesiae permittit; amor enim Dei probatione tentationis exhibetur. Ipse Christus tentatus est; etiam Apostoli; forte aliquando ipsa Sma. Virgo, etsi de hoc fontes taceant. Semper est in manu hominis, Deo iuvante, libere tentationem superare ^{3*}.

3. Iustum non est ut homo exponatur pugnae cum diabolo. Ergo non datur tentatio diabolica.

Dist. antec. Iustum non est ut homo exponatur pugnae cum diabolo sine auxilio Dei proportionato, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Homo tentatus semper habet a Deo, vel auxilium proximum sufficiens ad vincendam tentationem, vel auxilium remotum seu v.gr. ad petendum auxilium illud proximum. Sic ergo voluntas, etiam vehementissime tentata, numquam cogitur ad consensum, nam (1 Cor 10,13): *Fidelis... Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.*

466. 4. Iac 1,14s: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus... Ex his, tentatio est a concupiscentia. Ergo non a diabolo.*

Dist. antec. Tentatio est a concupiscentia etiam, *conc. antec.*; solum, *nego antec.*

Patet ex 4,7: *Resistite... diabolo et fugiet a vobis*, non negari verbis obiectis tentationes diaboli. Ea in contextu volunt negare simpliciter, Deum tentare, cum superius dicatur: *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Ceterum aliquis potest dici tentari concupiscentia vel in se sumpta vel ut excitata a diabolo.

Num vero *diabolus omni tentationi se immisceat* (eam vel inchoando vel inceptam promovendo), incertum est, «quia non est quaestio de potestate, sed de facto», ait Suárez opinioni affirmativae forte favens. Posita eius cognitione hominis ac phaenomenorum sensibilibus, malitia eius potest non abstinere a tentatione etiam forte aliunde exsurgente fovenda, quoad id ei permissum sit. Ex verbis Novi Testamenti et SS.Patrum res videretur esse affirmanda ⁴. Tamen S.Thomas censet (1 q.114 a.3; 1.2 q.80 a.4) non omnem tantationem esse a diabolo, cum eae esse etiam possint vel facillime a sola concupiscentia vel a mundo (Gen 8,21; Iac 1,14; Mt 18,7-9; C.Trid. D 806) ⁵.

At in concreto difficile discernitur, num ea sit a diabolo an solum a carne vel a mundo. En regula S.Bernardi: mundus suggerit vana, caro mollia, diabolus amara. Probabiliter tentationes, quae sine ulla praevia causa naturali exsurgunt, et saltem multae earum quae nobis sunt molestiores, veniunt a diabolo ⁶.

467. 5. In 1 Cor 10,12s dicitur: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Ex his, non est nisi tentatio humana. Ergo non sunt tentationes diaboli.

^{3*} Cf. CRISTIANI, o.c., 147-154, qui multa tradit de tentatione diabolica. De doctrina S. Augustini cf. M.F. BERROUARD, O.P., *Le thème de la tentation dans l'oeuvre de Saint Augustin*: LumV 53 (1961) 52-87.

⁴ SUÁREZ, 1.8 c.19 n.20. Cf. SCHEEBEN, l.c., § 205 n.5. J.DE TONQUEDEC, S.I., *Quelques aspects de l'action de Satan en ce monde*: EtCarm (1948) 495-497, qui rem in medio relinquit.

⁵ Cf. ORIGENES, De princ. 3,2,1-3: MG 11,305-307. Tamen diabolus potest dici causa omnium peccatorum occasionaliter (1 lo 3,8), quatenus ipse tentatione intulit in mundum primum peccatum, quod consecuta est rebellio concupiscentiae humanae (1 q.114 a.3 ad 1; 1.2 q.80 a.4); de hoc cf. et M.SEYBOLD, *Sozialtheologische Aspekte der Sünde bei Augustinus* (Regensburg 1963) c.3,

⁶ Cf. BROUILLARD, l.c., 124.

Dist. antec. Non est nisi tentatio humana i.e. viribus humanis proportionata, *conc. antec.*; quae sit praecise quomodocumque ex homine, numquam ex diabolo, *nego antec.*

Ex contextu dicuntur simpliciter fideles passi esse hucusque tentationes, quae non sint supra vires humanas, et confidere debere se in futurum non esse tentandos supra eas, vel secus gratia sufficienti muniendos esse ⁷.

6. Cum daemones sint victi a Christo, iam homini nocere nequeunt. Ergo non est tentatio diaboli.

Dist. antec. Daemones nequeunt homini nocere supra permissionem Christi, *conc. antec.*; ullo modo, *nego antec.*

Stante enim perfecto Christi dominio in daemones, adhuc tamen ii permittuntur a Christo nos tentare, vel aliis modis, ut dicitur, infestare.

468. Scholion 1. *Tentationes possunt esse diversae.* Ea diversitas potest esse, ex earum: a) *obiecto* circa quod versantur; b) *vehementia*, pendente, sive ex vi cum qua daemon agit, sive etiam ex dispositione subiecti forte magis proni ad unum vitium quam ad aliud (1 q.114 a.2 ad 2) ⁸; c) *diuturnitate*; d) *maiori vel minori claritate*, qua ut tentationes apparent. Hinc pro diverso modo quo ea adiuncta dantur, tentatio dicitur *gravis* vel *levis*.

469. Scholion 2. *Daemones inferiores a superioribus mittuntur ad tentandos homines.* Id est valde probabile, eo posito quod videtur esse inter eos aliqua hierarchica ordinatio, iuxta diversum gradum perfectionis naturalis eorum, et sub Satana eis praesidente sive ob naturalem eius eminentiam sive ob liberam electionem qua a ceteris in ducem contra Deum et homines factus sit; ita vero ut illa eorum concordia non fundetur nisi in odio in Deum et in invidia in homines ⁹.

Immo est probabile, ex opinione multorum theologorum ¹⁰, aliis repugnantibus ¹¹, unicuique homini assignari *peculiarem daemonem*. Origenes (R 475): «Unicuique duo assistunt angeli, alter iustitiae, alter iniquitatis». S.Gregorius Nyss. (R 1022): «Sermo quidam est, ex altera traditione fidem habens...», ab eo (Deo) angelum aliquem... constitutum esse ad auxiliandum uniuscuiusque vitae, e contrario autem corruptorem naturae machinari pariter per pravum aliquem... daemonem...; hominem vero inter hos duos medium esse, utroque comitantium finem oppositum ad alterum habente...»

Suárez: «Nulla... ratio probabilis superest ob quam credi possit Luciferum non deputare singulis hominibus singulos spiritus malos qui eos impugnent». «Fere communiter receptum est, unumquemque hominem duos habere angelos, bonum et malum» ¹².

Corollarium. 1. Cum *peccata socialia* (odia communia, bella iniusta, persecutiones innocentium, societates pravo fine institutae, immo alia phaenomena socialia quae multa peccata parere soleant) excitentur ab hominibus

⁷ Cf. CORNELY, *Prior epistola ad Corinthios* (Parisiis 1890) p.285s.

⁸ Cf. S.IGNATIUS, *Exerc. spir.* n.327 (Reg. discr., ser.1).

⁹ Cf. P.LOMBARDUS, 2 d.6 n.4.

¹⁰ Cf. v.gr. SCHEEBEN, l.c.

¹¹ Cf. KNOLL, l.c., § 179 not.2. S.WEBER, O.F.M.Conv., putat, facta fontium indagatio-ne, id «longe probabilius... haud posse rationabiliter sustineri» (*De singulorum hominum daemone impugatore* [Romae 1938] p.83; at cf. de hoc opere, H.WEISWEILER, S.I.: Schol 15 [1940] 297). De SS.Patribus antiquioribus cf. DANIELOU, *Les anges...* 107-110; et maxime de Origene, qui etiam singulis angelum bonum ac angelum malum assignavit et cui *Ps. Barnabam* ac *Pastorem Hermiae* sequenti essentialis sit doctrina de utroque angelo singulis hominibus tribuendo: *Id., Origène*, 227s.236s.

¹² SUÁREZ, 1.8 c.21 n.30-34. Qui ceterum late explicat, quomodo ministeria hominum ad homines tentandos sint distributa (*ibid.*, c.21). Cf. S.IGNATIUS DE LOYOLA, l.c., n.140s (*Medit. de duobus vexillis*).

privatis, qui omnes subsunt influxui tentationis diabolicae, censeri possunt vel forte omnia vel eorum plura ab incitamento diaboli provenire¹³.

2. *Tentationes in Ecclesiam.* Christus in deserto fuit tentatus (Mt 4, 1-11; Lc 4, 1-12) non mere typice ac exemplariter seu paedagogice quoad nos, quasi tentatio ipsum directe non attingeret, sed vere ac realiter (etsi non per concupiscentiam, qua ipse carebat) quatenus constitueretur in occasione v.gr. dubitandi de Deo vel tentandi providentiam divinam: imo, id erat velut initium pugnae diaboli contra Christum quae produceretur usque ad crucem. Christus vero eas tentationes passus est ut caput Ecclesiae, quae proin, ipso iam recedente e mundo, etiam tentaretur a diabolo, qui potius quam singulos christianos impetit in iis ipsam Ecclesiam ut opus restorationis omnium per unionem cum Christo seu impotens ad Christum iam glorificatum persequendum, oppugnat ipsum in suo Corpore Mystico, Ecclesia. Unde nostrae tentationes connectuntur cum tentationibus Christi quoad sensum redemptivum¹⁴.

3. *Tentatio in malum.* Cum tentare primo sit idem ac probare seu experiri aliquid de aliquo, nihil impedit quin Deus eo modo tentet; at ea tentatio numquam est ad malum, sed semper ad bonum Ecclesiae et hominis, dum tentatio diaboli semper ac unice tendit ad malum in Ecclesiam ac nos promovendum contra Deum¹⁵ (1 q. 114 a. 2).

4. *Discretio spirituum.* Cum diabolus ab initio fuerit mendax (Io 8, 44) et per mendacium obtinuerit primum suum triumphum in mundo (Gen 3, 1-6), iisdem armis constanter impugnat homines; inde non raro fit ut suas insidias operiat velo bonitatis moralis, ut facilius homines ad suam pravitatem trahat. Inde est momentum discretionis spirituum seu artis discernendi in motibus animi apparenter bonis quinam revera sint tales seu provenientes ex Deo vel angelis bonis et quinam sint e diabolo (vel ex occulto egoismo inordinato). Apud christianos initium eius artis quae indicatur a Ioanne et Paulo, perficitur evolutione in *Didaché, Pastore Hermae*, apud Origenem et in monachismo orientali, donec eam doctrinam in systema experimentale ac theoreticum reduxit Evagrius et per Cassianum ea fit communis in monasteriis occidentalibus¹⁶.

¹³ Cf. DE TONQUEDEC, *l.c.*, 497s. 501; CRISTIANI, 157-168; Epist. episc. Ruanda-Urundi ad fideles: DocCath (1961) 511-532. De multiplici ac profundo influxu diaboli in mundum quoad omnia quae hominem attingunt, cf. O.SEMMELROTH, S.I., *Glauben wir noch an den Teufel?*: GLeb 33 (1960) 348-358; SCHLIER, *o.c.*; Id., *Gewalten und Mächte*: LThK 4 (1960) 849s. De quadam quasi radicatione omnis peccati in peccato satanico et inde de quadam quasi societate existente, iuxta S. Augustinum, inter omnes peccatores, seu daemones ac homines, quam singuli suo peccato ingredientur cf. SEYBOLD, *o.c.*, c. 3.

¹⁴ CH. DUCQUOC, O.P., *La tentation du Christ*: LumVie 53 (1961) 21-41; K.P. KÖPPEN, *Die Auslegung der Versuchungsgeschichte unter besonderer Berücksichtigung der Alten Kirche* (Tübingen 1961); J. DUPONT, O.S.B., *Les tentations de Jésus dans le récit de Luc*: ScEcl 14 (1962) 7-29; J. SHEETS, *Your adversary*: Way 2 (1962) 36-43; B. COOKE, *The Hour of Temptation*: Way 2 (1962) 177-187; H.A. KELLY, S.I., *The Devil in the desert*: CathBibQ 26 (1964) 190-220.

¹⁵ J. CORBON, *Tentation*: VocThBib (1962) 295-300.

¹⁶ J. GUILLET, etc., *Discernement des esprits*: DSpir 3 (1957) 1222-1247; H. BACHT, *Good and Evil Spirits*: Way 2 (1962) 188-195; J. CAMBIER, *Mensonge*: VocThBib (1962) 602.

ARTICULUS II

DE OBSESSIONE DIABOLICA

Thesis 18. Daemones obsessione homines infestant.

BERAZA, n.760-787; DAFFARA, n.349-354; PALMIERI, th.34; BOYER, th.25; LERCHER, 2³ n.703ss; T. ORTOLAN, *Démoniaques*: DTC 4, 409-414; G.J. WAFFELAERT, *Possession diabolique*: DAFC 4, 53-81; L. ROURE, *Possession diabolique*: DTC 12, 2635-2647; A. RODEWYK, S.I., *Die Beurteilung der Besessenheit. Ein geschichtlicher Überblick*: ZkathTh 72 (1950) 460-480; J. LHERMITTE, *Vrais et faux possédés* (Paris 1956): cf. F. DE J. SACRAMENTADO, O.C.D., *Medicina y posesión diabólica*: RevEspir 16 (1957) 229-236.

470. *Nexus.* Iam constat de diabolica hominum infestatione per tentationem; nunc agitur de alio modo infestationis per mala physica. Cum daemones corpora localiter et quidem celerrime movere possint, applicantes activa passivis inferunt interdum hominibus ea mala (Iob 2, 7s; Tob 3, 8; Mt 12, 22; 17, 14-17); quod Deus, aut ad homines in virtute exercendos aut ad eam illorum virtutem ostendendam aut ad peccata eorum puniendam vel simpliciter permittit vel etiam iubet, cum non repugnet Deum uti daemone ut instrumento ad mala ea hominibus infligenda¹. Nunc vero, haec supponentes, agimus ulterius de modo peculiari infestationis per mala physica, seu de obsessione.

471. *Notiones.* DAEMONES sumuntur indefinite, seu quindicanter omnes, vel saltem semper iidem, homines infestare.

OBSESSIO, relictis aliis modis definitionis², sumitur hic ut influxus daemones in hominem, aliquo modo *sensibili* ipsum vexans v.gr. apparitionibus, visionibus, hallucinationibus, strepitu, perturbatione sensuum ac membrorum, percussione, additione virium insolitarum, impedimento aliarum actionum, coactione ad alias.

Ea potest esse unius vel plurium daemonum (Lc 8, 30); continua vel interrupta (Lc 13, 11; 1 Reg 16, 23). At pro vario modo quo daemon se habet in hominem ea vocatur:

a) *Circuminsessio*, si daemon ab extrinseco hominem vexat, v.gr. per strepitum, motum vel contusionem rerum, ictus vel impulsus in eum, etc.

b) *Obsessio stricte dicta*, si daemon occupat intrinsecus corpus hominis et hunc vexat, quin tamen libertatem agendi adimat, saltem totaliter.

¹ Cf. SUÁREZ, l.8 c.20. Cum daemon agere queat in naturam physicam, fieri posset ut quaedam calamitates (v.gr. infirmitates) aliquando ab illo proveniant, etsi hic et nunc forte non certo de eo constet interventu; unde, licet non sit supponendus ubique influxus diaboli et ideo media naturalia (v.gr. contra infirmitates) sint adhibenda, nil impedit quin interdum prudenter, teste Ecclesia, alia supernaturalia (in diabolum) applicentur: cf. DE TONQUEDEC, *l.c.*, 499-504.

² Cf. v.gr. LESETRE, *Démoniaques*: DB 2, 1377; WAFFELAERT, 56; ROURE, 2645s (et de aliis theologis: 2640-2643); BERAZA, n.760.

c) *Possessio*, si daemon et hominis corpus intrinsecus occupat, et exercet tale dominium sive directum in istud, ut in rem suam, sive indirectum per istud in animam, ut homini nulla vel fere nulla libertas agendi relinquatur.

472. In possessione daemon nequit animam contra eius voluntatem occupare (quod est unius Dei)³ dominium directum in intellectum et in voluntatem exercens; at per dominium despoticum in corpus (v.gr. in sensus, in phantasiam) potest vehementer intellectum perturbare et sic voluntatis actionem vel cohibere vel difficiliorem reddere⁴. Ceterum, ut per se patet, non coniungitur homini ut forma intrinseca essentialis vel accidentalitatis, sed solum ut motor mobili.

In Scriptura, quae eos nostros terminos adhibet, obsessi sunt «habentes daemonia» (Mt 8,28), «lunaticus» (Mt 17,14), «homo in spiritu immundo» (Mc 1,23), qui «habebat spiritum immundum» (Mc 7,25), «habens daemonium immundum» (Lc 4,33), «qui vexabantur a spiritibus immundis» (Lc 6,18). Ceterum *daemoniaci*, voce non adhibita in N.T. nec, ut videtur, a Patribus primaevis⁵, dicuntur etiam *energumeni* (seu inoperati), forte in quantum, ut dicit Smit, a principio distincto intus delitescere sunt moti⁶.

473. HOMINES sumuntur indefinite ac simul et pro iis qui fuerunt tempore Christi et pro subsequentibus, at sine ulteriore determinatione frequentiae ac temporum.

INFESTANT seu impugnant. Id sumitur etiam indefinite: a) Quoad *extensionem*, quatenus asseritur *factum obsessionis* (ita ut maxime respiciatur *obsessio* stricte dicta et *possessio*, cum *circuminsessio* facilius concipiatur dari posse), saltem aliquando fuisse, et etiam dein ulterius dari posse, quin vero intendatur hic historice asserere et probare illud factum semper et etiam nunc de facto produci. b) Quoad *intensitatem*, quatenus asseritur factum *obsessionis* v.gr. qualis in Evangelio describitur, quin ergo intendatur determinare eam dari praecise quoad hos vel illos characteres⁷.

474. *Adversarii*. Praeter *negantes existentiam diaboli*, et *plures recentiores protestantes*⁸, negarunt thesim *aliqui catholici* ut recentius JAHN⁹, putantes *daemoniacos* Scripturae esse simpliciter quosdam aegrotos.

475. *Doctrina Ecclesiae*. Concilia multa provincialia leges de sacris circa *energumenos* tulerunt, ut: *Iiberitanum* (a.305-6?) can.29: «Energumenus qui ab erratico spiritu exa-

gitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, nec permittendum ut sua manu in Ecclesia ministret». *Carthaginense IV* (a.398 can.92): «Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur»¹⁰.

A primis temporibus in Ecclesia habebantur et etiam nunc habentur leges (CIC 1151-1153) ac orationes ad exorcizandos obsessos (*Rit. Rom.* tit.9 c.1 «De exorcizandis obsessis a daemone»; c.2 «Ritus exorcizandi obsessos a daemone»; c.3 «Exorcismus in Satanam et angelos apostaticos»)¹¹.

Ab initio est in Ecclesia *Exorcistae ordo*. *C. Tridentinum* (D 958): «Ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque propria ministeria, subdiaconi..., acolythi, exorcistae...» Eius munus est expellere daemones ab obsessis, ut saepe indicatur in ritu eius ordinationis v.gr. in verbis formae: «Accipite... potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos»¹².

476. *Valor theologicus*. Saltem *certa in theologia*¹³.

477. *Probatur ex sacra Scriptura*. Christus dicitur expellere daemonia, et quidem verbo «eicere» (ἐκβάλλειν) non adhibito in Evangeliiis de infirmitatibus. Mc 1,34: *Et daemonia multa eiciebat et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*. Cf. Lc 11,14s.

Daemoniaci, etsi adiungantur aliis infirmis, cum obsessio sit malum physicum, tamen secernuntur clare ab aegris qui communi aliqua formula concluduntur. Mt 4,24: *Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant*. Mc 1,34: *Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus et daemonia multa eiciebat*.

478. Christus daemones increpat, interrogat, iubet; ii vero respondent, obediunt, exeunt ab homine et pergunt viventes. Mt 1,23-26: *Et erat... homo in spiritu immundo, et exclamavit dicens: Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio qui sis: Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus dicens: Obmutesce et exi de homine. Et discernens eum spiritus immundus et exclamans voce magna exiit ab eo*.

Mc 5,6-13: *Videns autem Iesum a longe, cucurrit et adoravit eum; et clamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi, Iesu Fili*

¹⁰ HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles* 1 (Paris 1907) p.237-717; 2 (Paris 1908) p.1208.442s. Plura ap. BERAZA, n.767.

¹¹ Cf. J.FORGET, *Exorcisme*: DTC 5,1762-1780.

¹² Cf. FORGET, *Exorciste*: L.c., 1780-1786.

¹³ Est de fide catholica ex Scriptura et magisterio ordinario pro BOYER, p.476 et pro LERCHER, n.703. Pro OTTEN (n.418) quoad tempus Christi et Apostolorum «videtur esse de fide divina» ex Scriptura.

³ GENNADIUS, *De eccles. dogmat.* 50: ML 42,1221; S.Th., 1 q.111; q.114 a.1-3; In 2 d.8 q.1 a.5.

⁴ Cf. LESETRE, 1377s; ORTOLAN, 413; ROURE, 2644-2646.

⁵ ROURE, 2636.

⁶ J.SMIT, *De daemoniis in historia evangelica* (Romae 1913) p.56.

⁷ In Scriptura videntur esse diversi gradus *obsessionis* v.gr. in Mc 7,24-30 (Mt 15,21-28); Lc 9,37-42; Mt 9,32-33; Mt 12,22; Lc 8,26-39 (Mc 5,1-20; Mt 8,28-34); Act 16,16-18. In ea etiam memoratur quaedam quasi *possessio moralis* (Mc 16,9; Lc 22,3; Io 13,27).

⁸ Cf. PERRONE, L.c., n.79; KNOLL, t.1 § 180. Cf. et ORTOLAN, 410s.

⁹ J.JAHN, *Archaeologia biblica in epitomen redacta* (Vindobonae 1814) § 194s.

Dei Altissimi?... Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus... Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos ^{13*}.
Mc 9,24s: *Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo...*

Christus dat potestatem eiciendi daemonia ut distinctam a potestate curandi infirmos. Mt 10,1: *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. Et sequitur effectus. Lc 10,17: Domine, etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo. Mc 16,17: Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis...*

479. Haec sensu obvio nequeunt non intelligi de veris daemoniacis. Ceterum nullibi scitur fuisse morem daemoniacos appellandi peculiare aliquos aegros. Nec dicatur Christus mere se accommodasse in loquendo errori iudaeorum, nam: a) Sic hos in errore confirmasset. b) Etiam privatim de energumenis loquitur cum suis discipulis, quos sic in errorem induisset. Sane ipsis gaudentibus (Lc 10,17-20): *Etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo, dicit: ... Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiciuntur.* c) Sic ageret contra suam veracitatem. Praecise probat pervenisse iam regnum Dei ex eo quod in spiritu Dei eicit daemonia (Mt 12,28) ¹⁴.

480. Probatur ex traditione. SS. Patres testantur esse daemoniacos; esse in Ecclesia potestatem eos eiciendi; de facto eos eici, et ita quidem ut id accidat saepe, publice, vel coram paganis rem agnoscentibus; id fieri nomine Christi.

S. IUSTINUS: «Cuius (Christi)... vel nominis potentiam daemonia ipsa perhorrescunt. Ac hodie per nomen Iesu Christi... adiurata subiciuntur...» «Id quod vobis etiam nunc facile est ex his quae in omnium oculis geruntur perspicere, si velitis. Nam per nomen ipsius... Filii Dei... daemonium quodlibet adiuratum... subicitur» ¹⁵.

^{13*} Hoc loco (Mc 5,1-16) signa despoticae possessionis diabolicae in corpus humanum praecipua claritate apparent, iuxta F.M.CATHERINET, *Les démoniaques dans l'Évangile: EtCarm* (1948) 319.

¹⁴ Cf. LESETRE, l.c., 1374-1379; SMT, o.c.; G.PHILIPS, *De daemoniacis in Evangelio: RevEclLige*; 31 (1939-1940) 358-363; L.DE GRANDMAISON, S.I., *Jesucristo. Su persona, su mensaje, sus pruebas*, trad. J.Sendra (Barcelona 1932) p.687; CATHERINET, l.c., 315-327; R.SCHNACKENBURG, *Besessenheit*: LThK 2 (1958) 294-296; BRUNON, l.c., 199.

¹⁵ S.IUSTINUS, *Dial. cum Tryph.* n.30.85; MG 6,540.676. De expulsiōne daemonum apud PP. s.2-3 cf. J.DANIELOU, *Exorisme*: DSpir 4 (1961) 1997-1999.

LACTANTIUS: «Cultores Dei metuunt (daemones), cuius nomine adiurati de corporibus excedunt: quorum verbis..., non modo daemones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt... Maximis saepe ululatus editis, verberari se et ardere et iam iamque exire proclamant...» De causis conversionis multorum dicit: «Ne haec quidem levis causa est, quod immundi daemonum spiritus... multorum se corporibus immergunt; quibus postea eiectionis, omnes... resanati... adhaereant religioni, cuius potentiam senserunt» ¹⁶.

S.IRENAEUS: «Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia» ¹⁷.

481. MINUCIUS FELIX: «Isti... impuri spiritus... vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent... Hi sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere... Haec omnia sciunt plerique pars vestrum, ipsos daemones de semetipsis confiteri, quoties a nobis et tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur... Ipsi testibus, esse eos daemones de se verum confitentibus credite...» ¹⁸

ORIGENES: «Celsus... ait, quam christiani videntur habere potestatem (eiciendi daemones), eam ipsos habere ex quorundam daemonum... incantationibus opinor... In quo manifeste nos calumniantur. Neque enim huiusmodi incantationibus potestatem habere videntur, sed pronuntiando nomine Iesu recitandisque evangelii: haec enim saepe ex hominibus daemones extruxerunt...» ¹⁹

S.HIERONYMUS: «Spiritus iste immundus qui haec te (Vigilanti) cogit scribere, saepe hoc vilissimo tortus est pulvere (martyrum?), immo hodieque torquetur, et qui te in plagas dissimulat, in ceteris confitetur. Nisi forte in morem gentilium impiorumque, Porphyrii et Eunomii, has praestigias daemonum esse confingas et non vere clamare daemones, sed sua simulare tormenta» ²⁰.

S.CYPRIANUS: «O si audire eos (daemones) velles..., quando a nobis adiurantur... et verborum tormentis de obsessis corporibus eiciuntur; quando... gementes voce humana et potestate divina flagella... sentientes, venturum iudicium confitentur» ²¹.

¹⁶ LACTANTIUS, *Diu. Inst.* l.2 c.16; l.5 c.23; ML 6,334s.629.

¹⁷ S.IRENAEUS, *Adv. haer.* 2,32,4; MG 7,829.

¹⁸ MINUCIUS F., *Octav.* c.27; ML 3,336-339.

¹⁹ ORIGENES, *Cont. Celsus* 1,6; MG 11,665.

²⁰ S.HIERONYMUS, *Cont. Vigilant.* n.10; ML 23,348.

²¹ S.CYPRIANUS, *Ad Demetr.* n.15; ML 4,555.

482. Ratio theologica. Ratio sola nequit cognoscere a priori eas obsessiones dari, vel a posteriori per se sola, saltem certo, eas esse praecise a diabolo. At cognitio diaboli et existentia et potentia et eius invidia in nos, facile a priori eruit esse valde probabile, ut ille, quantum ei per Deum licet, obsessione homines infestet; immo a posteriori dum testes fide digni saepius narrant homines quosdam peragere aliqua quae sint supra naturam humanam, prout hanc etiam scientificae novimus v.gr. eos loqui linguis quas non didicerunt, secretas cogitationes alienas nosse, etc., ratio admittit in his cum morali certitudine influxum diaboli, cum ea phaenomena, utpote facta in damnum patientis, in adiunctis ridiculis, cum irrisione rerum sacrarum vel etiam cum blasphemis, nequeant tribui Deo vel spiritibus bonis.

483. Obiectiones. 1. Textus evangelici sumi possunt de daemoniacis, ut de quibusdam aegris specialibus. Ergo ex iis non recte arguitur ad obsessionem diaboli.

Dist. antec. Textus evangelici sumi possunt de daemoniacis, ut de quibusdam aegris, vi illata verbis, *conc. antec.*; sensu obvio, *nego antec.*

Distinctio fluit ex dictis in probatione scripturistica. Ceterum Flavius Iosephus, iudaeus, dicit: «Vidi... ex popularibus meis quemdam Eleazarum coram Vespasiano et filiis eius et tribunis reliquisque militibus ex daemonum potestate ab eis obsessos liberantem...»²² Ergo daemoniaci apud iudaeos non erant aegri speciales.

2. Daemoniaci memorati in Evangeliiis videntur fuisse infirmi, ex signis hysterismi, furoris, epilepsiae, etc. (Lc 9,39-43). Ergo non recte arguitur ex Evangelio ad obsessionem diaboli.

Dist. mai. Ea signa semper apparent, *nego mai.*; aliquando, *subdist.:* ita ut non excludatur obsessio, *conc.*; secus, *nego.*

Obsessio non probatur ex iis solis signis in se sumptis. At nihil impedit quin obsessus edat signa similia editis ab epilepticis, etc., vel quin obsessio coniungatur aliquando cum alio morbo, et quidem fortasse non inducto ab ipso daemone. Sane «cum non possint operari, nisi mediantibus naturalibus virtutibus... in suis operibus considerant corporum aptitudines ad effectus intentos» (I q.115 a.5)²³.

Possessio et infirmitas vel physica vel psychica possunt coniungi et mutuam influxum exercere; at non necessario id accidit. Unde nec sacerdos debet facile statuere possessionem dari, ubi forte agitur mere de aliqua infirmitate, nec medicus debet eam semper excludere, ubi signa externa infirmitatem aliquam prodere videntur, modo tamen simul sit ibi aliqua prudens suspicio de possessione.

Inst. Illi daemoniaci dicuntur fuisse a Christo sanati (Mt 12,22; 15,28; Lc 9,43; Act. 10,38). Ergo ii videntur esse infirmi ordinarii.

Dist. antec. Daemoniaci dicuntur a Christo sanati, quatenus obsessio respiciebatur ut infirmitas quaedam altioris ordinis, *conc. antec.*; ut infirmitas naturalis, *nego antec.* Distinctio patet ex dictis in probatione Scripturae.

²² FLAVIUS IOSEPHUS, *Antiq. iud.* l.8 c.2 n.5, ed. A.F.Didot, 27 (Parisiis 1865) p.287.

²³ Cf. J.VINCHON, *Les aspects du diable à travers les divers états de possession*: EtCarm 464-471; CATHERINET, l.c., 322-327. Ideo saepe difficillimum est determinatu agi de vera possessione: cf. RODEWYK, 462.

484. 3. Paulus memorans (I Cor 12,14) charismata nihil dicit de gratia eiciendi daemones. Ergo putat daemoniacos esse quosdam infirmos.

Dist. antec. Paulus nihil de gratia eiciendi daemones dicit explicite, *conc. antec.*; implicite, *nego antec.*

Memoratur ab ipso «operatio virtutum» qua et illa gratia censetur includi. Ceterum silentium eius nil probat, nisi constet eum de ea gratia loqui debuisse. Sic S.Ioannes, utpote volens proferre aliqua ab aliis Evangelistis praetermissa, maxime ad confirmationem divinitatis Christi, non memorat daemoniacos, quin tamen ideo iure putandus sit eos habere ut simpliciter aegrotos.

4. At mirum est, quod tempore Christi tam multi daemoniaci haberentur. Ergo putandi sunt ii non fuisse daemoniaci.

Dist. antec. Mirum est tam multos daemoniacos fuisse tempore Christi, nisi esset ratio eam frequentiam tunc permittendi, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Ea ratio erat Christum debuisse vincere diabolum, dissolvere opera eius, destruere regnum eius, etc.; oportuisse ut Christi victoria visibilis fieret expulsionem daemonum, et ut ipsi daemones, licet inviti, testarentur adventum Christi²⁴.

5. Christus ante mortem dixit (Io 12,31): *Nunc princeps huius mundi eicietur foras.* Ex his, morte Christi daemon eiectus est e mundo. Ergo saltem post eam non sunt daemoniaci.

Dist. antec. Daemon e mundo morte Christi eiectus est, quatenus per religionem christianam regnum diaboli paulatim depellendum erat, *conc. antec.*; quatenus est exclusa in posterum infestatio diaboli, *nego antec.*

Christus eicit foras diabolum i.e. ex animis per fidem et gratiam, ex vita publica per destructionem idololatriae, et quidem ita ut det hominibus vim facile resistendi cuilibet incursi diabolico in vitam spiritualem²⁵.

Sunt qui putent non iam dari possessiones et strictos exorcismos, quasi psychiatria ignoret phaenomena diabolica; at contra, multi alii, non solum TT. sed et metapsychici credunt daemones non reliquise sua opera, sed ita ut possessionibus individuorum substituta sint phaenomena quaedam furoris collectivi (quae minuant sensum conscientiae et libertatem apud multos) cum imminutione sensus peccati^{25*}.

485. Scholion 1. *Signa obsessionis.* Etsi propensio denegandi omnem obsessionem reprobanda est, tamen, cum effectus hysteriae, hypnotismi, telepathiae naturalis etc. sint interdum sat miri, cavenda est nimia credulitas. Ideo exorcista admonetur ab Ecclesia (*Rit. Rom.* 11,1-3) «ne facile credat aliquid a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile vel morbo aliquo laborant».

Hinc, ne ille admittat obsessionem, nisi ubi causae naturales ut insufficientes ad rem prodantur, Ecclesia eum prudentissime sic instruit (*ibid.*): «Signa autem obsidentis daemones sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quae cum plurima concurrunt, maiora sunt indicia»²⁶. Ceterum possibilis explicatio naturalis non necessario ac semper influxum praeternaturalem daemones excludit.

²⁴ Cf. WAFFELAERT, 648; DE GRANDMAISON, p.694.

²⁵ Cf. KNABENBAUER, *Evangelium sec. Ioan.* p.388.

^{25*} P.PALAZZINI, *Presentación: Realidad del pecado* (Madrid 1962) 78.

²⁶ Cf. WAFFELAERT, 57-63; DE TONQUEDEC, *¿Acción diabólica o enfermedad?* trad. Razón y Fe (Madrid 1948); ROURE, *Diable, sorciers et possédés*: Et 180 (1926) 214-224; F.M.MAQUART, *L'exorciste devant les manifestations diaboliques*: EtCarm (1948) 328-348; A.RODEWYK-K.RAHNER, *Bessenheit*: LThK 2 (1958) 298-300; J.LHERMITTE, *Vrais et faux possédés* (Paris 1956), de quo cf. FORTUNATO DE J.SACR., O.C.D., *Medicina y posesión diabólica*: RevEspir 16 (1957) 229-236; maxime commendatur C.BALDUCCI, *Gli Indemoniati* (Roma

486. **Scholion 2.** *Fines Dei in permittenda obsessione.* Etsi communiter tenetur hanc frequentius haberi in regionibus paganis vel in hominibus sceleratis²⁷, tamen, cum obsessio per se non sit peccatum aut poena peccati, et cum proin nec blasphemiae ac omnia quae a diabolo motus profert obsessus huic in peccatum imputanda sint, nil impedit quin illa etiam in regionibus christianis, vel in hominibus fidelibus, etiam in piis²⁸, permittatur a Deo, ratione purificationis, probationis ad meritum, confirmationis existentiae et malitiae daemonum, ostensionis virtutis sacramentalium seu etiam potestatis ecclesiasticae²⁹.

Scholion 3. *Possessio moralis.* Possessio de qua hucusque egimus est ontologica, quatenus ipse daemon physice inest homini; sed in huius corpore, non in anima per quamdam quasi inhabitationem similiter ac Spiritus S. habitat in anima iusti. Ea ceterum ex permissione potest dari sive in peccatore sive interdum in iustis. Extra eam possessionem diaboli non cognoscitur alia v.gr. in peccatore. Sine dubio daemon potest hominem tentare per propositionem obiecti externi vel suggestionem externa vel etiam agens directe in phantasiam eius, ut eum sic afficiat ad malum; sed proprie ipse non ponit malum in cor hominis, nisi quatenus hic consentit tentationi, nec proprie intrat in cor eius, nisi quatenus hic sine resistantia se tradit illius insidiis (Io 13,2.27). Sine dubio privatio gratiae facit hominem magis apertum iis insidiis, imo per ultiores consensus potest hic venire in obcaecationem ac indurationem et sic influxui magis magisque continuo ac efficaci diaboli subiacere. At nec in omnium acutissimo gradu indurationis ac eius modi diabolici influxus in viatore potest dici daemon in hoc ontologico habitare, nisi ad summum eo sensu indicato quasi mere psychologico vel etiam morali.

Unde exorcismus quem ab antiquitate Ecclesia exercet in baptismo non supponit ullam strictam possessionem in non-baptizato. Sed: Ecclesia: a) Scit animam ex peccato vel originali vel etiam actuali subesse per culpam ac poenam cuidam potestati diaboli, et per exorcismum vult tollere «impedimenta recipiendi remissionem culpae per sacramentum» (3 q.71 a.2-3). b) Cum sciat baptizatum victurum esse in media quadam vehementi pugna initio mundi incoepa potestatum diaboli contra Deum, qua de facto ille obtinuerit dominium quoddam in mundum (Lc 4,6; Eph 2,2; 2 Cor 4,4) cuius dicitur a Christo «princeps» (Io 12,31; 14,30; 16,11), qui alias agat per obsessionem vel possessionem vel etiam turbando ordinem cosmicum calamitatibus physicis, sed plerumque per excitationem ad peccatum, vult eum exorcizare, quatenus per totam suam auctoritatem et specialem suorum signorum efficaciam ille confirmetur in aversione a peccato et ab occasionibus quibus iterum potest incidere in dominium diaboli atque plenam obtineat «aptitudinem ad pugnandum contra daemones» (a.2) eorumque tentationes³⁰.

1959), de quo cf. A.PANTONI, O.S.B., *La possessione diabolica oggi nei suoi aspetti fondamentali*: RivAscMist 4 (1959) 615-617.

²⁷ WAFELAERT, 64.75-78; DE GRANDMAISON, p.697s. Cf. P.VERDIER, *Le Diable dans les missions* (Paris 1896); L.KILGER, O.S.B., *Le diable et la conversion des païens*: EtCarm (1948) 122-129; L.KILGER, O.S.B., *Dämonen und Heidenbekehrung*: ZMissWiss 41 (1957) 100-108; P.SUTTER-F.GAGUERRE, *Aux prises avec Satan* (Genval 1956). Et vix videntur differre possessi Evangeliorum ab iis quos missionarii viderunt: cf. VINCHON, l.c.

²⁸ TERTULLIANUS, *De spect.* 26: ML 1,657; WAFELAERT, 78-81; ORTOLAN, 412. Cf. P.SUTTER, *Le Diable. Ses paroles, son action dans les possédés d'Illfirt (Alsace) d'après des documents historiques?* (Arts 1934); SUTTER-GAGUERRE, o.c.; G.DE SANTOYO, *¿Hay todavía endemoniados?*: RevEcl (1925,1); CRISTIANI, o.c., 127-145; Id., *Présence de Satan dans le monde moderne* (Paris 1959) c.1-8.

²⁹ S.BONAVENTURA, *In 2 d.8 p.2 q.1*; WIRCEBURGENSES, *De angelis* n.93.

³⁰ Cf. A.MICHEL, *Présence du démon dans une âme*: AmCl 68 (1958) 249s; Id., *Exorcismes du baptême*: AmCl 67 (1957) 345s; Id., *Les exorcismes du baptême*: 70 (1960) 156s; M.HUFTIER, *Sur les exorcismes du baptême*: AmCl 71 (1961) 55s; A.RODEWYK, *Exorcismus*: LThK 3 (1959) 1314s. Cf. et Ritus baptismalis: AAS 54 (1962) 319-334.

ARTICULUS III

DE MAGIA

Thesis 19. Magia existit.

BERAZA, n.788-862; BOYER, th.25; PALMIERI, th.35; L.GARDETTE, *Magie*: DTC 9,1510-1550; H.LESETRE, *Magie*: DB 4,562-569; A.LEFÈVRE, *Magie*: DBS 5 (1957) 732-739; P.SÉJOURNÉ, *Superstition*: DTC 14,2788-2816; R.VAN DEN ELST, *Occultisme*: DAFc 3,1115-1143; A.DARLAPP, *Magie*: LThK 6 (1961) 1274-1288.

487. **Nexus.** Praeter tentationem et obsessionem, alius modus est infestationis diabolicae, sc. commercium hominum cum diabolo, seu *magia*. Ad quam referri possunt quaedam phaenomena *magnetismi*, *hypnotismi*, *spiritismi*; etsi ergo de his in *Theologia Morali* agatur, hic etiam aliqua de iis dicenda sunt.

488. **Notiones.** MAGIA, seu facultas obtinendi miros et insolitos effectus sensibiles.

Hic respicitur: a) Non *alba*, sive *naturalis*, qua magus mira facit per vires naturae sibi notas, aliis communiter ignotas, sive *artificialis*, qua magus mira facit per vires sat notas aliis, at ope singularis dexteritatis applicatas. b) Sed *nigra* seu *diabolica*, qua magus illa mira facit, posito *pacto* cum diabolo, vel *explicito*, seu per locutionem cum eo verbalem aut imaginariam, vel *implicito*, seu per usurpationem mediorum (cum expectatione effectus), quae (non natura sua aut decreto Dei, sed) solum ope diaboli effectum producant.

Haec potest esse: a) *Maleficium*, seu adhibita ad alii nocendum. b) *Vana observantia*, quatenus ad effectum aliquem media omnino insufficientia adhibentur (*ars notoria*, seu ad scientiam aliquam obtinendam; *observantia sanitatum*, seu ad morbos depellendos; *observantia eventuum*, seu ad regendas actiones ex prosperis aut adversis praenuntiatis ob casum aliquem fortuitum). c) *Divinatio*, quatenus ad futura aut occulta cognoscenda adhibetur (*oraculum*, si est per responsum idoli; *vaticinium*, si per vatem; *haruspicium*, si per viscera animalium; *necromantia*, si per mortuorum evocationem; *chiromantia*, si per manuum lineamenta; *astrologia*, si per sidera caeli; *sortilegium*, si per sortes; *somnium*, si per visa in somno; etc.).

489. **EXISTIT.** Facile admittitur *possibilitas*, non solum invocationis diaboli ex parte hominis ob curiositatem aut ob aliam passionem aliquam per diabolum obtinere intendentis, sed etiam realis interventus diabolici; nam nil impedit quin, ex permissione Dei, diabolus miros et homini impossibiles effectus sensibiles ab homine invocatus producat.

At ulterius hic asseritur *dari de facto*: 1) Non praecise *artem magicam* seu facultatem, quasi ex quadam lege exerci-

tam, obtinendi certo et semper miros effectus; nam ea non videtur esse admittenda iuxta theologos¹ et ob alias rationes et quia Deus non permetteret diabolo licentiam agendi illo modo quoties invocaretur a mago. 2) Sed aliqua facta ope diaboli patrata.

490. In hac re credulitas nimia ita vitanda est, ut in dubio de naturalitate vel de praeternaturalitate facti, praesumptio sit pro illa, nec interventus diaboli adesse supponatur nisi clare probetur. Nam possunt naturaliter mira fieri vel ex alteratione nervea vel ex praestigiarum fraude vel forte etiam ex phaenomenis paranormalibus, quae parapsychologia scientificae indagat.

At, cum aliunde facta magica non reicienda sint a priori ut falsa, si quod factum historice certum nequeat explicari naturaliter, vel ex artificio humano, rationabiliter recurretur, pro natura et adiunctis rei, aut ad Deum vel angelos bonos aut ad daemones; sed semper magna cum cautione, ne facillime erretur.

Ceterum graviter peccat qui his rebus utitur suspicans serio eas non posse fieri sine ope daemonum. At non statim magiae accusandus est, qui ex quibusdam naturalibus signis futura praenuntiet vel utens naturae rebus mira et occulta patret; mira enim ac insolita fieri possunt exploratis viribus occultis naturae, et ob latentem causarum naturalium connexionem, certo vel probabiliter colligi possunt quaedam futura ex eventibus praesentibus².

491. **Adversarii.** Praeter rationalistas, non pauci protestantes liberales³, aliqui catholici, ut KLÜPFEL, habens facta magica ut «commentitia aut somnia delirantis phantasiae». Recenter etiam P.Castelli dicebat non posse concipi Deum ea phaenomena cooperari, quod non esset mera permissio⁴.

Alii vero protestantes, non solum admittunt magiam, sed et dicunt eam post Reformationem frequentius haberi⁵.

492. **Doctrina Ecclesiae.** Sufficiat hic memorare copiosam legislationem ecclesiasticam decursu temporum latam contra magiam.

Innocentius VIII a.1484 commisit Inquisitioni causas de magia seu de commercio cum diabolo, quod habebat ut haereticum. Ante ipsum vero et post ipsum Ecclesia saepius reprobavit magiam, cuius proin admittebat existentiam. Nec nostro tempore mutavit suam mentem de hac re, etsi nemini iubeat, ut patet, ut illam existentiam admittat, quae tamen difficile videtur negari posse⁶.

¹ HURTER, 2 n.436; TANQUERAY, 2 (Parisiis 1931) 2 n.819; KNOLL, l.c., § 186.

² Cf. PERRONE, *De virt. relig.* (Ratisbonae 1866) n.394.

³ Cf. PERRONE, *De Deo Creatore* n.79.

⁴ E.KLÜPFEL, O.S.A., *Instit. theol. dogm.* (Vindobonae 1789) l.1 § 77 not.4; P.CASTELLI, *Il peccato nell'occultismo: Il peccato* (Roma 1959).

⁵ Cf. GARDETTE, 1525.

⁶ Cf. GARDETTE, 1522-1525; L.CRISTIANI, *La sorcellerie est-elle possible?* AmCl 70 (1960) 419S; IVAN DEN BERG, *De occultismo et parapsychologia*; MonEcll 83 (1958) 103-121; R.ÓMEZ, O.P., *L'occultisme devant la science* (Paris 1963).

493. **Valor theologicus.** Saltem moraliter certa. Iuxta Beraza, «ita videtur certa ut sine aliqua temeritatis nota in dubium revocari nequeat»⁷.

494. **Probatur ex sacra Scriptura.** Ea narrat facta quae magica videntur et habet asserta supponentia, ut videtur, magiam dari. Ex 7,10-12: *Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut praeceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis suis, quae versa est in colubrum. Vocavit autem Pharaon sapientes et maleficos et fecerunt etiam ipsi per incantationes aegyptiacas et arcana quaedam similiter. Proieceruntque singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones; sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Cf. et Ex 7,22, ubi post narrata quaedam portenta Moysis dicitur: *Feceruntque similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis*⁸.

495. Act 13,8-10: *Elymas magus haec audivit a Paulo: O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli...*

Act 16,16-18: *Factum est... puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando... Dolens... Paulus et conversus, spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.*

Mt 24,24: *Teste Christo surgent... pseudochristi et pseudo-prophetae et dabunt signa magna et prodigia...*

496. Videntur supponere magiam non semper fuisse phantasiae delirantis somnia severae prohibitiones eius per legem: Lev 19,31: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* 20,27: *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur.*

Deut 18,10-12: *Nec inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus*⁹.

Item prohibitiones eius per reges (1 Reg 28,9; 4 Reg 23, 24). Et reprobationes eius per prophetas (Is 8,19).

497. **Probatur ex traditione.** SS.Patres dicunt daemones artes magicas fovisse, multa mira et insolita effecisse,

⁷ BERAZA, n.793; LERCHER, 2³ n.703: «Theologicæ certa». BOYER, 476: «Fere ab omnibus theologis docetur».

⁸ Cf. tamen GARDETTE, 1519S.

⁹ Cf. LESETRE, l.c., 565S. De loco 1 Reg 28,6-25, qui in hac re solet appellari, est quaestio dubia: I.HUMMELAUER, *Comment. in lib. Samuelis* [Parisiis 1886] p.248-253; LESETRE, *Evocation des morts*: DB 2,2120-2131; cf. LEFÈVRE, l.c., 732; F.VATTIONI, *La necromanzia nell'Antico Testamento*: August 3 (1963) 461-481.

oracula edidisse...; magiam cessare, facto signo crucis et invocato nomine Christi.

S.AUGUSTINUS: «Addimus... et humanarum et magicarum, id est, per homines daemonicarum artium et ipsorum per se ipsos daemonum multa miracula... Eorumque (hominum) paucos discipulos suos faciunt (daemones) plurimorumque doctores..., unde magicae artes earumque artifices exstiterunt... Sunt ergo facta eorum plurima, quae quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus»¹⁰.

TERTULLIANUS: «Si et magi phantasmata edunt...; si pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt, si et somnia immittunt habentes semel invitatorum angelorum et daemonum assistentem sibi potestatem...; quanto magis illa potestas... pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praestat negotiationi?»¹¹.

498. MINUCIUS FELIX: «... Magi... non tantum sciunt daemones, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per daemones faciunt; illis adspirantibus et infudentibus, praestigias edunt, vel quae non sunt videri vel quae sunt non videri»¹².

ORIGENES: «Quis ergo in his, si diligenter inspicat, praescientiam hanc quae de boum directione praedicta est (a sacerdotibus et divinis accaroniensium) vel fortuitam dicat vel aliqua arte compositam et non operatione quadam daemonum ministratam...? Est ergo talis quaedam in ministerio praescientiae operatio daemonum, quae artibus quibusdam ab iis qui se daemonibus manciperant colligitur...»¹³

THEODORETUS: Daemones «ut arreptam tyrannidem (in homines) confirmarent, futura etiam... praedicere gloriati sunt..., homines hac potissimum ratione in fraudem impellentes. Quamobrem... divinatorias praestigias excogitarunt, eorum qui ex farina, ex pectore, ex mortuis vaticinantur... Fuisse vero haec oracula malignorum daemonum..., satis magno est argumento taciturnitas qua nunc premuntur. Etenim postquam Servator noster in carne apparuit, fugam arripuerunt qui hos dolos hominibus invexerant...»¹⁴

499. Ratio theologica. Ratio, cognitio, sive diaboli potentia intellectiva ac operativa et odio in Deum ac invidia in homines, sive curiositate qua homo etiam ad illicita saepe fertur, facile videt magiae (praeter possibilitatem) probabili-

¹⁰ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 21,6,1: ML 41,717.

¹¹ TERTULLIANUS, *Apolog.* c.23: ML 1,410s.

¹² MINUCIUS FELIX, *Octav.* c.26: ML 3,322.

¹³ ORIGENES, *In Num.* hom.16 n.7: MG 12,697.

¹⁴ THEODORETUS, *Graec. affect. curat. serm.* 10: MG 83,1060. Cf. S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 10,9: ML 41,286s.

tatem; nec videt repugnare quin Deus eam permittat, utpote plura bona ex ea educere valens.

500. Scholion. De magnetismo, hypnotismo, spiritismo pauca hic nobis dicenda sunt.

Magnetismus est praxis obtinendi miros effectus per influxum in aliam personam: a) vel *quasi magneticum*, ut proponebatur primo ab aliis ut Mesmer eius inventore, seu per fluidum quoddam subtilissimum inhaerens omni corpori animali¹⁵, b) vel *mentalem*, ut serius propositus est, seu per suggestiones¹⁶. At cum eius phaenomena videantur esse eadem quae obtinentur per hypnotismum, qui est eius successor¹⁷, nihil de eo directe dicimus.

501. *Hypnotismus*, est praxis inducendi per suggestionem in aliam personam statum soporis somno simillimum, in quo patiens suggestionem hypnotizantis attractus ad huius libitum agit.

Hypnotismus *qua talis* non utitur nisi viribus pure naturalibus quibus obtineat effectus etiam pure naturales, ac proin nihil magiae in se continet; at quia praeter alia incommoda, potest magiam includere in animo cum exercentium, qui forte agant superstitiose effectus praeternaturales via indebita quaerentes, vel in spiritismum labentes, nonnisi debitis cautionibus et graves ob causas eo utendum est (D 1653s)¹⁸.

502. *Spiritismus* est praxis superstitiosa communicandi cum defuncto animis ad nutum hominis¹⁹.

Ea praxis, iam gentibus nota, ut ex earum et SS.Patrum scriptis patet, late diffusa est a saeculo decimo octavo maxime apud massones, et maximum vigorem obtinuit ab a.1848, a quo ea res communior in America et in Europa facta est^{19*} nempe, cum, auditis quibusdam rumoribus ignotae causae in oppidulo Hydesville (status Neoebor.) a familia Fox, methodista, et postquam materfamilias, petens a spiritu ut sibi quaerenti vellet distinctis ictibus respondere, obtinuisse responsum sibi videretur, filiae eius Margarita et Catharina munus medii inter spiritus et personas cum iis communicantes agere coeperunt, cuilibet quaestioni responsum obtinere intendentes.

503. Quid vero de eius phaenomenis? Alii (Lepicier, Gutberlet, Conc. Baltimorese II) putant ea, vel saltem aliqua eorum, diabolo esse tribuenda²⁰. Alii (Ugarte de Ercilla, Gemelli, Mainage, Zacchi, Heuze, Charles,

¹⁵ F.A.MESMER, *Sendschreiben an einen auswärtigen Arzt über die Magnetkur* (Wien 1775).

¹⁶ Sic A.BERTRAND, *Traité du somnambulisme* (Paris 1823) et maxime dein J.BRAID, *Neuropsychology* (London 1843).

¹⁷ R.VAN DEN ELST, *Hypnotisme*: DTC 7,358.360; NOLDIN-SCHMITT, *De praecipis Dei et Ecclesiae* (Barcelona 1945) n.168: Magnetismus «prout est ars medica, in eius locum hypnotismus successit...», et prout est nova superstitio, nunc spiritismus vocatur». Cf. BERAZA, n.812-833; OTTEN, n.570-571.

¹⁸ Cf. responsum S.Officii (ASS 32 [1899-1890] p.189; Coll. S.C. de Prop. Fide 2,1907 n.2061); VAN DEN ELST, 357-365; BERAZA, n.834-846; OTTEN, n.572s.

¹⁹ Communicatio cum defunctorum animis (beatis, damnatis, purgatorii) quae, extraordinarie Deo providente (immo forte ob honestas alicuius preces) apparuisse dicuntur, non pertinet, ut patet, ad spiritismum. *Occlusismus*, quaerens modis mysteriosis scientiam occultam (de Deo, de natura, de homine, de futuro), per se differt a spiritismo, ad quem tamen facile confugere potest (VAN DEN ELST, *Occlusismus*: DAFC 3,1115-1143).

^{19*} Cf. v. gr. B.KLOPPENBURG, O.F.M., *O Espiritismo no Brasil* (Petropolis 1960). P.SIWEK, S.I., *Eresie e Superstizioni d'oggi* (Roma 1963) c.1.

²⁰ LEPICIER, *Le Monde invisible. Le Spiritisme en face de la théologie catholique* (Paris 1931); C.GUTBERLET, *Parapsychologie*: PhJahrb 31 (1921) 197-224; Conc. BALTIMORENSE II (Acta et decreta n.36): «Bene vero videtur esse exploratum, plura, quae in Circulis Spiritismi exhiberi phaenomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusionem fraudulenta producta, vel personarum quae dicuntur media imaginationis et spectatorum credulitati esse praesertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud praestigiosiores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur, quae-

Gearon, Palmés, Spesz, Frank, Roure, Heredia, Santilli, Arrighi) tenent ea esse naturalia, vel saltem nullius eorum praeternaturalitatem esse certo probatam, etsi forte apta explicatio aliquorum factorum nondum inventa sit²¹.

Cum difficile cognoscatur certo, vel ea facta esse obiective vera, vel hoc posito, ea superare vires naturae, non est actu admittendus interventus diabolicus, nisi forte hic in casu particulari clare argumentis probetur; nam non censetur Deus permittere, ut spiritus ad nutum hominis evocentur, nisi forte per modum exceptionis. Si vero quando certo sit influxus praeternaturalis, hic erit certo diabolicus: a) cum Deus et angeli boni et animae defunctorum in purgatorio vel in caelo degentes, nec putentur ea phaenomena facere ad hominum curiositatem pascendam, nec queant mentiri, sibi contradicere, frivole vel irreligiose loqui, more non raro spirituum illorum apparentium; b) cum animae defunctorum damnatae, ut certum videtur, non vagentur extra infernum semel ac morte relatio earum ad vivos rupta est.

504. Ceterum Spiritismus, eo omisso quod practice iam est systema quoddam religiosum fundamenta religionis christianae negans, est semper et ex ipsa natura rei illicitus, utpote adhibens media naturalia ad effectus praeternaturales obtinendos ac sic superstitiose agens. Hinc Ecclesia condemnavit spiritismum et absolute prohibet etiam assistentiam mere passivam ad sessiones spiritismi, ut patet v.gr. ex illo responso a Congreg. S. Officii dato et a Benedicto XV approbato (a.1917): «An liceat per *medium*, ut vocant, vel sine *medio*... locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praesefertibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum adspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle...» «Negative in omnibus»²².

dam saltem ex eis a Satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo satis explicari possint. Nec mirum videatur, si novissimis hisce diebus... antiquus ille humani generis hostis iterum Magiae antiquae Artem, sub aliis tamen formis mundi conditioni praesenti magis convenientibus, ad hominum ruinam invehere studeat». H. THURSTON, S.I. (*La Chiesa e lo spiritismo*³ [Milano 1949] p.288) quoad facta extraordinaria non negans possibilitatem aliarum explicationum, etiam diabolicae, admitteret etiam in certis casibus interventum aliorum spirituum forte humanorum. De opinione plurium auctorum, cf. A.GATTERER, *Aus der Welt des neueren Okkultismus. Eine Literaturschau*: ZkathTh 51 (1927) 970-580.

²¹ A.GEMELLI, O.F.M., *Spiritismo e Spiritisti* (Milano 1920); TH.MAINAGE, *La religion spirite* (Paris 1921); A.ZACCHI, O.P., *Lo Spiritismo e la sopravvivenza dell'anima* (Roma 1922); P.HEUZE, *Les morts vivent-ils? Enquête sur l'état présent des sciences psychiques* (Paris 1926); P.CHARLES, S.I., *A propos de spiritisme*: NouvRevTh 48 (1921) 113-123; P.J.GEARON, O.C.C., *Le Spiritisme: sa faillite* (Paris 1932); F.PALMÉS, S.I., *Metapsiquica y Espiritismo*² (Madrid 1950) c.46; A.SPEZ, *Occultismo e Miracolo. Un problema delle relazioni fra scienza e fede*, trad. C.Testore, S.I. (Torino-Roma 1933); K.FRANK, S.I., *Naturphilosophie und Okkultismus. Ein Überblick*: Schol 13 (1938) 247-254; ROURE, *Spiritisme*: DTC 14,15198; C.M.HEREDIA, S.I., *Los fraudes espiritistas* (Barcelona 1948); R.SANTILLI, O.P., *Spiritismo*² (Alzani 1952); G.ARRIGHI, O.P., *Spiriti e spiritismo moderno*² (Torino 1955). De naturali eorum factorum explicatione inveniendi cf. A.WIESINGER, *Okkulte Phänomene* (Graz 1952) (hypothesis quae non in omnibus videtur admittenda); R.OMEZ, O.P., *Supranormal o Surnaturel? Les Sciences Métapsychiques* (Paris 1956); R.VAISAN, *Les secrets des sorciers modernes* (Paris 1956); SWEK, l.c.

²² AAS 9 (1917) 268; cf. THURSTON, o.c.; BERAZA, n.847-862; OTTEN, n.574-587; F.BONAVENTURA, O.F.M., *Pot que a Igreja condenou o Espiritismo?* (Petropolis 1960); KLOPPENBURG, o.c.; LESETRE, l.c., 2128-2131; ROURE, 2507-2544; hic auctor multa scripsit de spiritismo.

LIBER III

De natura hominis

505. Postquam dictum est de angelis, iam venit quaestio de homine. Sane cum omnia visibilia creata ad hominem ut ad caput morale et *finem proximum cui referantur*, qui in iis ut vinculum spiritualium et corporalium, ut imago Dei, ut mundi visibilis rex et sacerdos eminent¹, sat erit theologo ipsum theologice considerare, eius praestantiam et originis et naturae et dignitatis moralis laudaturo, maxime cum non pauca ad eam quaestionem spectantia cum quibusdam veritatibus christianis intime connectantur.

De homine ergo eae maxime quaestiones disputandae sunt theologice, quae ad eius et originem et naturam et primaevam conditionem moralem et lapsum spectant.

CAPUT I

De origine corporis humani

ARTICULUS I

DE CREATIONE PROTOPARENTUM QUOAD CORPUS

Thesis 20. Protoparentes conditi sunt quoad corpus a Deo immediate.

S.TH., 1 q.918; S.BONAVENTURA, *In 2 d.17 a.2; d.18 a.1 q.18*; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 1.3 c.1-3; BERAZA, n.918-985; BOYER, th.7; DAFARA, th.27; M.FLICK, S.I., *L'origine del corpo del primo uomo alla luce della filosofia cristiana e della teologia*: Greg 29 (1948) 392-416; Id., o.c., 266-294; BEA, *Il problema antropologico in Gen. 1-2. Il transformismo* (Roma 1950).

506. Nexus. Quoad hominis naturam, oportet gradatim agere de eius corpore et anima et de utriusque unione. Quoad corpus vero una fere quaestio de corporis sive protoparentum sive ceterorum hominum origine est specialis momenti theologici. De ea ergo iam dicendum est.

Corpora singulorum hominum ab horum parentibus procedunt: quid vero de corporibus Adae et Hevae nullos paren-

¹ Cf. S.IOANNES CHRYS., *In Gen. c.1 hom.8 n.2*: MG 53,71.

tes habentium? Veniunt ea ex aliquo elemento inorganico an organico an immediate creata ab ipso Deo? Haec quaestio eo vel maxime ad theologiam spectat, quod in Genesi (1,26s; 2,7. 21s) Deus inducatur cum speciali cura ac sollemnitate creans hominem, qui visibilibus ut rex ac sacerdos praeesset, adoptione divina esset donandus, progenitor Christi vocandus, et in genere quia fontes agunt de origine corporis humani.

Item cum quaestione de hominis origine, prout ea de facto saepe agitata est, connectuntur existentia Dei, creatio ex nihilo, existentia humanae animae et differentia specifica hominis a bruto, monogenismus et propagatio peccati originalis, imo ipsa Incarnatio, cum Deus in Adamo creando videret et patrem Christi secundum carnem (Lc 3,23-38) et typum futuri ac novissimi Adae venturi ut restitueret quod primus destrueret.

507. Ad eam vero quaestionem solvendam confert etiam «scientia naturalis» (biologia, palaeontologia). At si haec eam sic solveret, quod corpus hominis certo sit fructus evolutionis, theologia sine ulteriore disceptatione assentiretur². Sed ea solutio minime inventa est esse factum definitive obtentum, sed mera hypothesis scientifica, a multis sane praedicata ut certa, sed cuius gradus probabilitatis nec ab scientificis de ea re saepe varie opinantibus definiti potest, cum fundetur iudiciis quorum valor diversae aestimationi subsit³.

Immo, cum de facto experimentali non agatur, «scientia», ut certo probet primos homines exstitisse ex evolutione, debet, non solum serias difficultates transformismo obvientes superare⁴, sed etiam certo demonstrare hominem non potuisse nisi ex evolutione procedere⁵; si enim omnes TT. et FF. catholici supponunt, etiam in hypothesi evolutionis, apparitionem primi hominis fuisse uno vel alio modo miraculosam⁶, nihil probat certo Deum de facto non elegerit hoc vel illud miraculum v.gr. immediatam materiae anorganicae vivificationem: quod eo magis valeret, si, ut hodie opinantur communius scientifici (dum tamen explicant processum transformismi iis non

² Transformismus moderatus plantas ac animalia attingens et sumptus sub Deo evolutionem dirigente non putatur ullo modo dogmati obesse. Cf. R.DE SINETY, *Transformisme*: DAFC 4,1793s; DAFFARA, n.368-380; A.DONDEYNE, *De evolutionismo sub respectu theologico*: CollatBrug 32 (1932) 234-238; KNABENBAUER, *Glaube und Descendenztheorie*: Stimm 13 (1877) 72-81; RUFFINI, p.78; A. MICHEL, *L'origine de l'homme et théologie*: AmCl 69 (1959) 540.

³ R.BERTRAND-SERRET, *La superstition transformiste et la pensée catholique* (Paris 1952), cui non pauci scientifici adhaeserunt: AmCl 64 (1954) 416; R.COLLIN, *L'évolution. Hypothèses et problèmes* (Paris 1958); P.OVERHAGE, S.I., *Mensch*: LThK 7 (1962) 278s; Id., *Homínisation*: ThPrakQschr 111 (1963) 174; S.CEVALLOS, *Después del centenario de Darwin*: CiencFe 17 (1951) 289-311; A.ROLDÁN, S.I., *Una obra reciente sobre el origen de la vida y del hombre*: EstEcl 39 (1964) 246-248 firmiter statuit evolutionismum humanum nondum posse dici certum sensu humano-philosophico eius vocis.

⁴ M.M.HUDECEK, O.P., *De homínisatione*: Ang 38 (1961) 356-370; P.OVERHAGE, S.I., *Homínisationprobleme*: Anthr 55 (1960) 243-247; Id., *El problema del origen del hombre: Origen de la vida y del hombre* (Madrid 1963) 194-204.280s.

⁵ Cf. J.RABENECK, S.I., *El origen del primer hombre*: EstEcl 15 (1951) 21-31; G.RAMBALDI, S.I., *Decreti della Chiesa su l'evoluzione* (Chieri 1953) 16s. Cf. et N.CORTE, *Les origines de l'homme* (Paris 1957) 75.

⁶ Sic K.RAHNER, S.I., *Theologisches zum Monogenismus*: Schr. zur Theol. 1 (Einsiedeln 1954) 318s; J.FEINER, *Ursprung, Urstand und Urgeschichte des Menschen*: Fragen d.Th.heute (Einsiedeln 1957) 244; OVERHAGE, *Zum monogenetischen Ursprung der Menschheit*: Stim 167 (1960) 416.

reiciendi) apparitio hominis sapientis fuit abrupta ac repentina in processu globali evolutionis et homo primitivus erat iam completus⁷.

Quibus positis, theologi est, relicta «scientifico» investigatione rei empirica, sincere, prudenter, moderate indagare quid verbi de illa re theologia proferat, quin tamen conclusiones vere probabiles scientificorum refellere intendat⁸. Theologia enim fatetur dogma creationis cum evolutione recte intellecta componi posse.

508. **Notiones.** PROTOPARENTES, seu Ada et Heva, quorum origo maxime respicitur, cum constet ex inferius probandis, ceteros omnes homines venire ab iis per generationem.

CONDITI SUNT, sc. actione eductiva, cum, ut sat clarum, supponatur protoparentes quoad corpus non esse factos immediate ex nihilo, sed ex materia aliqua, anorganica vel organica, praeexistente (1 q.91 a.1 ad 1).

QUOAD CORPUS. Consideratur origo solius corporis protoparentum, cum origo animae eorum alibi inferius expresse probetur. Corpus vero sumitur *qua humanum*, seu qua apte ac proxime dispositum ad accipiendam animam rationalem, ac proin eam exigens; id vero non significat illud corpus qua humanum praecedere infusioni animae vel tempore vel necessario (pro distincta conceptione originis dispositionis ultimae ut exortae ab ipsa anima aut independenter ab hac) saltem natura.

A DEO IMMEDIATE. His affirmatur saltem id (etiam admissio transformismo): a) Negative, brutum aliquod viribus suis *naturalibus* vel in sua conceptione vel in periodo embryonali vel postea, cum concursu mere ordinario Dei, non se evolvisse in corpus humanum protoparentum. b) Positive, eam evolutionem non evenisse nisi sub actione seu influxu speciali Dei ultra causas naturales et divinum concursum ordinarium.

Uterius vero num transformismus omnino sit reiciendus, ita ergo ut Deus corpus hominis immediate ex materia organica eduxerit, in thesi nec affirmatur nec negatur, cum theologia id hodie sine scientia naturali decidere nequeat.

509. Idem sic aliter exprimeretur ut, dum in evolutione *naturali* (seu omnino iuxta leges ordinarias rerum effecta) brutum agens sub concursu generali Dei esset causa *principalis* evolutionis et effectus humani, in ea quae exerceretur sub influxu Dei *speciali* (seu praeter leges ordinarias rerum et concursus divini ordinarii et quae iure vocari posset *praeternaturalis*) Deus esset causa *principalis* et processus evolutivi et effectus humani, dum brutum se evolvens non esset eorum nisi causa *instrumentalis*, seu quae elevaretur ad producendum aliquid supra suas vires.

⁷ A.MICHEL, *L'origine de l'homme et Théologie*: l.c., 541; OVERHAGE, *Um das Erscheinungsbild der ersten Menschen* (Freiburg Br. 1959).

⁸ BEA (p.26), dicit de exegeta catholico: «Egli... non si creda chiamato a difendere e a propagare la teoria evoluzionista. L'esegeta farà bene di tenersi, quando si tratta della questione puramente scientifica, in una linea media, non dando per dimostrata l'origine evolutiva del corpo umano né escludendola aprioristicamente, e di attendere tranquillamente i risultati delle ricerche condotte con severo metodo scientifico da studiosi che uniscano una indubbia competenza tecnica a una provata coscienza cattolica».

In concreto concipitur triplex momentum possibile transitus bruti ad corpus humanum: per ipsum actum generativum novi viventis vel in stadio eius embryonali vel post eius nativitatem in quolibet instanti vitae suae ulterioris. Iam vero generatio est: a) Origo «viventis a vivente», et sic differt ab aliis educationibus vel transformationibus. b) «Principio coniuncto» seu ex substantia generantis. c) Imo «in similitudinem naturae», quatenus generatus est eiusdem naturae ac generans et etiam quatenus ea actio tendit intrinsece ad eam similitudinem transfundendam. Ergo etsi forte angelus praeparasset materiam ad infusionem animae alicuius hominis non esset huius pater.

Proinde generatio bruti tendit ex se ad producendum aliud brutum sibi simile. Ergo brutum sine speciali actione Dei non posset hominem generare. Quod si quando fieret, etiam posito quod brutum ex se aliquid materiam praeparasset ad animam, nequiret dici proprie hominem generare et proin vocari pater eius, nam saltem ultimae dispositiones quae animam humanam exigerent, non essent tandem nisi ex Deo. Tamen posset dici homo venire ex bruto sed sub speciali actione Dei.

Si vero transitus ex corpore bruti in humanum acciderit in eius statu embryonali, actio bruti generantis non fuisset ordinata ex se ad eum effectum, qui ergo solum esset ex speciali influxu divino; in quo ergo casu nullo modo brutum diceretur pater hominis. A fortiori idem affirmaretur, si transitus bruti in hominem accidisset post illius nativitatem.

In nulla ergo hypothese concipitur fieri potuisse ut brutum vere generaret hominem. Et si generatio videretur esse modus facilius ac magis obvis quo brutum transiret in corpus humanum, multo minus id concipitur ut quolibet alio modo (extra generationem) fieret ex eius solis viribus cum concursu divino ordinario.

Thesis nostra nec affirmat nec negat instrumentalem quamdam angelorum cooperationem ad efformationem corporis Adae, cui Deus animam infuderit (1 q.91 a.2 ad 1), etsi istud sine solida ratione assereretur, cum in fontibus unus Deus corporis humani effector inducatur⁹.

Creatio vero hominis non ita concipienda est ac si Deus corpori in se et per partes iam organizato (ex materia inanimata vel per evolutionem ex vivente inferiore) animam infuderit; sed potius ut actio instantanea, qua Deus simul tempore et corpus ultimo organizavit et animam creavit ac corpori infudit, etsi corpus concipiatur natura prius ad infusionem esse formatum (1 q.90 a.4; q.91 a.4 ad 3) seu actio divina simul creavit animam et per se vel per causas secundas, modo supra indicato, induxit dispositiones necessarias ac exigentes informationem et creavit ac infudit corpori animam¹⁰.

510. Ea ergo actio specialis non mere in eo fuit, quod Deus animam humanam creaverit et infuderit in sat evolutum bruti corpus, quod sic humanum evaserit, sed in eo quod uno vel alio modo *extraordinario* (seu praeter leges naturae ordinarias) nobis hucusque omnino ignoto fecerit ut corpus bruti ad eam dispositionem pervenerit, quam exigit infusio animae rationalis in corpus humanum.

Is vero divinus influxus in concreto difficile determinandus multipliciter possibilis fuisse concipitur a gradu magis acuto, quo Deus aliquo momento evolutionis illud corpus bruti repente in humanum transformavit, ad eum magis connaturalem quo Deus, sua providentia sane extraordinaria (seu praeter suas leges ordinarias agente), ita statuerit ab initio creationis cursum causarum et eam vim ac directionem iis indiderit, ut facerent quod ex se ipsis facere non possent et paulatim contende-

⁹ SUÁREZ, 3,1,6.

¹⁰ SUÁREZ, 3,1,7.

rent ad corpus humanum per evolutionem alicuius bruti tandem obtinendum¹¹. Quo ultimo ceterum casu totus processus sic videretur exterius esse quasi naturalis, ut nullo eius momento novum aliquid praeternaturale experimentaliter in eius successione phaenomenica temporali perciperetur et una theologia ac, ut videtur, philosophia divinum illum influxum specialem studio fontium ac ratiocinio reperiret; ideo iste influxus ac eius effectus utpote non sensibiles et sic quasi naturales non dicerentur *stricto* miraculosi.

Statuendum vero est ulterius eam actionem esse sic specialem, ut materia ex qua eius ope factum est corpus humanum esset anorganica? Ea quaestio non est aliena a theologia, ut si «ex divinae revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat», sed potius est cum ea positive connexa (D.2327). Sed dum transformismus humanus nequit dici iis fontibus certo conformis, et potius videretur obvie iis minus consonare, nil etiam apparet in iis quod eum clare excludat; ideo cum theologia sibi videatur ex se hodie solvere difficile posse quaestionem, quam aliunde investigat scientia naturalis¹², attendit prudenter donec huius conclusiones ad aliquid definitivum ac plene maturum de ea re forte perveniant.

Quare etiam nos ab ea quaestione hic praescindimus, quae ceterum non videtur esse magni momenti theologici, modo firmiter teneatur Deum sine transformismo vel per eum fuisse principalem humani corporis auctorem; solum ergo volumus indagare limites doctrinae christianae in ea re.

Si ex parte revelationis non apparet exclusa existentia praeadamitarum (qui tamen omnes extincti sint ante natum Adam ac saltem ante eius peccatum) et si aliunde ex ea non repugnat quin homo venerit ex bruto, nil videtur ex ea etiam absolute impedire quin Ada et Heva nati sint ex hominibus praeadamitis, modo salvetur id quod fontes sat clare efferre videntur, Deum specialiter influxisse uno vel alio modo in productione etiam corporis eius; sed existentia praeadamitarum forte excludatur ex alio capite.

511. **Adversarii.** *Transformistae*, seu plerique naturalistae (biologi, palaeontologi)¹³, qui, ut et alia et differentias eorum omittamus, tenent quoad viventia creata, haec omnia ex uno, vel paucis organismis, per evolutionem provenisse, non excluso homine.

Huius originem evolutioni tribuunt: 1) Alii *totaliter*, seu quoad corpus et animam (transformismus *rigidus*). Sic DARWIN, HUXLEY, HAECKEL, multi alii «scientifici» acatholici¹⁴.

¹¹ MICHEL, *Evolutionisme, origine et état du premier homme*: AmCl 69 (1950) 337; FLICK, *Problemi teologici sull' omniazione*: Greg 44 (1963) 64; J.J. MOORE, S.I., *Darwin centenary and the theologian*: IrishThQuart 26 (1959) 288; V. MARCOZZI, S.I., *Evoluzione o creazione* (Milano 1948) 216-219.

¹² Cf. MARCOZZI, *Evoluzionismo*: EncFilos 2 (Firenze 1957) 236-243.

¹³ Cf. MARCOZZI, 363; «Non crediamo di esagerare affermando che al presente quasi tutti i paleontologi e gli antropologi sono evoluzionisti»: BOSIO, 484; P. DE SAINT-SEINE, *Un colloque international de Paléontologie*: RevQuestSc 118 (1949) 598-610; P. TEILHARD DE CHARDIN, S.I., *Un Colloque scientifique sur l'Evolution*: Et 253 (1947) 257-269 (cui tamen aderant sat pauci, nec ex omni natione, nec omnes «specialistae» palaeontologi).

¹⁴ Cf. DARWIN, *The Descent of Man* (London 1871); T.E. HUXLEY, *Evidence as to Man's Place in Nature* (London 1864); E. HAECKEL, *Natürliche Schöpfungsgeschichte* (Berlin 1868); C. VOGT, *Vorlesungen über den Menschen, seine Stellung in der Schöpfung und in der Geschichte der Erde* (Giessen 1864).

De materialismo et evolutione, cf. G. BOSIO, S.I., *Riflessioni sul darwinismo*: CivCatt (1959,4) 449-461; in genere de philosophia evolutionismi, cf. F.J. THONNARD, *Storia della filosofia* (Roma 1949) 744-774.

2) Alii *partialiter*, seu solum quoad corpus (transformismus *mitigatus*) qui potest dici: a) *Naturalis*, si tribuitur ipsis naturae viribus seu secundum leges ordinarias entium finitorum, posito ordinario Dei concursu, qualis dicitur tenuisse G.MIVART¹⁵. b) *Specialis*, si explicatur per *specialem* (seu praeter leges ordinarias naturae, cum concursu Dei ordinario), qualis tenetur a plurimis catholicis, ut BERGOUNIOUX-GLORY, MARCOZZI, LEONARDI, GRISON, MOUTERDE¹⁶, etc.

TT. hodierni protestantes plerumque tenent transformismum ut iam demonstratum utque rem alienam a fide, cum de hominis origine revelatio nihil eis dicere videatur¹⁷.

Quoad positionem vero TT. catholicorum haec notentur: a s.XV ad s.XVIII inclusive omnes tenent Deum corpus hominis fecisse immediate ex materia anorganica; imo, iuxta nonnullos ministerio angelorum qui parent materiam ad animam, sed sibi ultimam dispositionem indendam ei reservavit. Nemo vero nisi Báñez eum influxum ut de *fide* statuit. Perrone (a.1841) censet ut de fide Deum creasse corpus hominis *immediate*, ita vero ut sic efferat non materiam *ex qua* (quam ceterum putat esse anorganicam) sed actionem Dei specialem. Ab a.1860 ad a.1909 TT. (recensentur 15) retinent eandem formulam creationis immediatae seu per actionem specialem (quae pro Lahousse est in hac re elementum essenziale), ergo quam thesim, extra duos eam non qualificantes et aliquos eam de fide censentes, vocant generatim communem ac certam et forte proximam fidei, dum pauci insistent in thesi materiae anorganicae ut moraliter certa. Ab a.1909 ad 1949 inclusive (recensentur 21) conveniunt quoad actionem specialem ut *omnino certam* (ita ut eam negare sit temerarium, erroneum, etc.), dum non insistent in materia anorganica, etsi haec plerisque videatur magis consona textui biblico. Ab a. 1950 (quo edita est encycl. *Humani generis*) extra paucos qui tenent corpus Adae esse immediate ex materia anorganica, plerique fatentur transformismum ex fontibus revelationis non repugnare, et

¹⁵ G.MIVART, *On the Genesis of species* (1871); ID., *Lessons from Nature* (London 1871); ID., *Lessons from Nature* (London 1872); cf. F.DIERCKX, *L'homme-singe et les précurseurs d'Adam en face de la théologie*: RevQuestSc 36 (1894) 95-103; TH.J.MOTHERWAY, S.I., *Adam and the Theologian*: ChicSt 1 (1962) 1188. Sed ut DIERCKX, *ibid.*, 112, theoria a Mivart proposita at non perfecte definita posset forte mitius intelligi, et sane, dum singulis organismis efformandis assignat interventum Dei pro illorum excellentia, effert concursum ipsius specialem in praeparatione evolutiva corporis humani.

¹⁶ F.M.BERGOUNIOUX-A.GLORY, *Les premiers hommes*⁴ (Paris 1952) part.2; MARCOZZI, I.c.; ID., *Evoluzione o creazione? L'origine dell'uomo* (Milano 1948), LEONARDI, *L'evoluzione biologica e l'origine dell'uomo*² (Brescia 1949); ID., *L'evoluzione dei viventi...* 165-221.249-332, de cuius theoria finalistica cf. MELÉNDEZ, La «teleogénesis». Nueva teoría evolucionista finalista del Profesor Leonardi: RazFe 145 (1952) 36-46; M.GRISON, *Problèmes d'origines. L'univers, les vivants, l'homme* (Paris 1954); R.MOUTERDE, *Les origines de l'homme*: Cahiers d'EtBiol (Paris 1960).

¹⁷ G.HEBERER, *Deszendenztheorie*: RelGeschGeg³ t.2 (Tübingen 1958) 89-96; de dialecticis cf. J.TERNUS, *Die Abstammungsfrage heute* (Regensburg 1948) 128.

insistent in actione speciali¹⁸, quam tamen dum nemo explicite reicit, aliqui non memorant et forte eam implicite negant¹⁹.

512. Doctrina Ecclesiae. Id oportet firmiter notare ab initio: Ecclesiam in hac re numquam mutasse substantialiter suam doctrinam (etsi theorie non repugnet eiusmodi mutatio in rebus formaliter vel virtualiter non revelatis) et quidem sic locutam esse, ut ea quae dixit de origine hominis starent etsi aliquando inveniatur vel transformismum fuisse factum reale vel eum non habuisse locum, imo etsi horum alterutrum constaret praecise ex fontibus revelationis profundius fidei lumine perspectis et cognitis; nam Ecclesia numquam transformismum vel damnavit vel probavit vel dixit illos fontes de hoc nil docere aut in genere eos continere *modum* concretum (etsi hucusque nobis ignotum) quo corpus Adae exstitit.

Ipsum transformismum *rigidum* seu quoad hominem totalem certo damnavit, sed potius implicite vel etiam indirecte, quatenus C.Vaticanum id asserti ut haeticum reiecit, «praeter materiam nihil esse» (D 1802) et in genere quatenus confirmavit textum C.Lateranensis IV (D 428), quod «Deus... utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporealem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam» (D 1783). Item Pius XII, dum declaravit: solum ex homine potuit procedere alius homo, qui ipsum vocaret patrem ac genitorem, ut dein videbitur. Ceterum ea reiecto includitur tota doctrina Ecclesiae contra materialismum ac de anima ut immateriali et in specie ut naturaliter immortalis (D 738).

513. Transformismus *mitigatus*, ut primo a Perrone²⁰, fuit damnatus et quidem ut Scripturae ac fidei contrarius, si respiciatur ut *naturalis* seu *spontaneus*, a. C.Coloniensi (a.1860): «Primi parentes a Deo immediate conditi sunt. Itaque Scripturae sacrae fideique plane adversantem illorum declaramus

¹⁸ Cf. MOTHERWAY, I.c., 115-132 Hodie insistent generatim in ea actione speciali v.gr., FEINER, I.c., 2448; W.J.ONG, *Darwin's Vision and Christian Perspectives* (New York 1960). Insistent etiam in materia ex qua anorganica F.DIEKAMP-K.JUSSEN, *Katholische Dogmatik nach den Grundsätzen des hl. Thomas*, 2 (Münster 1952) 93; BRINKTRINE, o.c., 261; T.MULDOON, *Theologiae Dogmaticae Praelectiones*, 3 (Romae 1959) p.109. De magnis quibusdam theologis antiquis cf. G.R.DORAN, *De corporis Adami origine doctrina Alexandri Halensis, Sancti Alberti Magni, Sancti Bonaventurae, Sancti Thomae* (Mundelein 1963); ID., *Saint Thomas and the Evolution of Man*: ThSt 1 (1940) 382-395; T.J.LIVINGSTONE, S.I., *The Scholastics and Evolution*: EcclRev 73 (1925) 472-481. In genere de reactione catholicorum ante transformismum usque ad s.XX exclusive cf. J.R.BETTS, *Darwinism, evolution*: CathHistRev 45 (1959) 161-181.

¹⁹ Citantur a MOTHERWAY, 131, ut qui implicite videantur reicere actionem Dei specialem ex TT., v.gr., H.F.DAVIS, K.RAHNER, B.PIAULT, ex exegetis, v.gr., GALBIATTI, DE FRAINE.

²⁰ G.PERRONE, *De Deo Creatore*, n.230.

sententiam, qui asserere non verentur, spontanea naturae imperfectioris in perfectiorem continuo ultimoque humanam hac immutatione hominem, si corpus quidem spectes, produisse»²¹. Ut patet, vox «immediate» effert actionem Dei specialem seu praeter leges ordinarias quibus diceretur corpus se naturaliter evolvere in hominem, non vero insistit in materia ex qua ut praecise anorganica. Id documentum, etsi sit concilii provincialis (sollemniter a Papa non approbati) ac proin non infallibilis sed reformabilis in iis quae non pertinent ad depositum fidei, habent eum magnum valorem, quod bene exprimat sensum communem TT. illius temporis de hac re. Imo illud appellant ceteri TT. etiam hodierni, quoad actionem specialem, sed non in eius rigida qualificatione de eo transformismo naturali quoad rem ut haeretici.

514. Ecclesia dein, dum quaestio evolutionismi adeo acriter agitabatur, nullo documento suam doctrinam statuit. Sed id mirum accidit, quod cum G.Mivart (a.1871) proposuit ut probabile potuisset fieri ut evolutione sine speciali actione divina (nisi hanc indicet actio moderatrix Dei quam ipse effert) produceretur corpus, cui anima humana infunderetur, et id ab aliis catholicis severe reprehendebatur, dum Romae non est improbatum, sed potius a.1876 a Pio IX laurea in philosophia ornatus: a) Ex auctoritate romana declarata est non sustinenda utpote contraria Scripturae ac principii sanae philosophiae, thesis a M.D.Leroy, O.P. (a.1891) edita in sensu mivartiano perficiendo, quod quin corpus humanum veniret ex evolutione sed humanum fieret ipsa animae infusione, materiale tamen subiectum eius infusionis praepararetur evolutione, b) et J.A.Zahm, C.S.C., retraxerit a mercatura, quod S.Sedi non placeret eius diffusio, librum quo (a.1896) doctrinam a Mivart et Leroy expositam perficiens proponebat hypothesim, quod Deus corpus humanum fecisset evolutione praeparari sine ope alicuius actionis specialis divinae ad ultimam eius perfectionem²².

Ut patet ii interventus romani non sunt publici nec damnant doctrinam eorum librorum iam editorum, qui ceterum nec Indici sunt adscripti, ergo non necessario indicant transfor-

²¹ De doctrina catholica tit.4 c.14: CL 5,292.

²² LEROY, *L'évolution restreint aux espèces organiques* (Paris 1891) 239-273; ipse respondit in RevThom 1 (1893) 532-535 ad J.BRUCKER, *Le P.Leroy et l'évolution*: Et 55 (1891) 488-497; alias litteras ipsius cf. in CivCatt ser.17 v.5 (1889) 488; DIERCKX, *Lc.*, 103-116; ZAHM, *Evolution and Dogma* (Chicago 1896); ipse scribit in CivCatt ser.17 v.7 (1899) 125; cf. CivCatt ser.17 v.4 (1898) 362s; ser.17 v.5 (1899) 488; ser.17 v.7 (1899) 125; tandem ser.18 v.6 (1902) 76s, ubi constat S.Sedem, cuius supremum tribunal modo indicato se gessit, noluisse evolutionismum publice damnare. De tota re, cf. E.MESSENGER, *Evolution and Theology* (London 1931) 232-239; L.PIROT, *Adam et la Bible*: DBS 1,93s.

mismum recte sumptum, habita ratione fontium revelationis, his directe vel indirecte opponi. Sed cum materialismus uteretur hypothesi transformistica ad religionem impetendam et aliunde ea hypothesis (etiam quoad solum corpus) non appareret adeo sufficienter fundata, S.Sedes haud dubie animo vitandi confusionem apud christianos, noluit videri iam admittere simpliciter hypothesim evolutionismi, vel potius cum illi auctores catholici, etsi divinam et animae immediatam creationem et directionem evolutionis corporis efferrent, forte probabilius putarentur non clare definire transitum corporis bruti in humanum per specialem actionem Dei, sine dubio S.Sedes noluit videri ut si probaret sine discretione explicationes eorum catholicorum qui vellent possibilitatem transformismi cum doctrina catholica formulis forte non tutis conciliare. Iisdem enim annis Z.GONZÁLEZ (a.1891) correxit opinionem mivartianam per theoriam specialis actionis Dei in corpus, quod ad animam suscipiendam disponderet, quin id Roma improbarit²³. Tamen id stat firmum: S.Sedem ea duplici interventione non damnasse transformismum vel simpliciter vel in concreto saltem naturalem, etsi nec illum probarit etiam mere ut qui teneri tuto posset.

515. *Commissio de re biblica* (D 2123): «Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus (tribus prioribus Geneseos) enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt, inter cetera..., peculiaris creatio hominis, formatio primae mulieris ex primo homine, generis humani unitas...? Resp. Negative».

Hoc documentum a.1909 directum est ad totam Ecclesiam, quo tandem agebatur de origine hominis quoad corpus, quatenus in primis factis narrationis genesiacaee et in religione christiana fundamentalibus memoratur «peculiaris creatio hominis, formatio primae mulieris ex homine». Etsi, ut patet, illud nequeat esse definitivum, cum directe respiciat non veritatem alicuius doctrinae, sed eius securitatem, et ulteriori investigationi subiaceat, exigit obedientiam intellectus seu assensum internum, dum etiam hodie suam vim conservat (D 2302 2329); ideo in nostra re semper citatur. Iam vero eo videtur efferri in Adae creatione *peculiaritas* actionis non mere quoad animam, sed maxime quoad corpus, nam: a) Ibi maxime quoad hoc sumitur homo, ut sumitur mulier. b) De animae peculiaris productione catholici tunc non dubitabant,

²³ GONZÁLEZ, *La Biblia y la ciencia* 1² (Sevilla 1897) 511-513.

secus diceretur «peculiaris creatio animae». c) Etsi *peculiaritas* creationis efferretur propter animae infusionem, haec aliquam praevidiam vel simultaneam mutationem physicam in corpore (quam brutum mere naturaliter non censeretur obtinere posse) inferre deberet ex obvio sensu saltem philosophico. Et ut recte memoretur praecise *hominis* creatio. d) Cum si nil dicatur nisi Deus ad exigentiam materiae sufficienter sed *naturaliter* a bruto dispositae creasse animam et eam illi infudisse, nullo fere iure notaretur ea *peculiaritas* creationis Adae, cum illa creatio nec ex parte Dei nec ex parte animae esset magis peculiaris quam *creatio* animae ad exigentiam materiae *communis* adhibitae in omnium hominum conceptione. Ergo eo decreto excluditur transformismus *naturalis*, non vero necessario *specialis* ²⁴.

De eo sensu quem per duo vel plura decennia TT. decreto tribuebant, quidam apud exegetas, scientificos et etiam TT. recentius dubitarunt, imo ut non necessarium reiecerunt ²⁵. Sed si sincere quaeratur non quilibet sensus forte possibilis eius verborum, sed, iuxta normam basicam interpretationis, is quem haec verba habebant apud illius decreti redactores et subsignatores (Janssens, Vigouroux) vix videtur esse locus tali dubio, cum ille textus censeatur referre id quod omnes TT. tunc et per quatuor saecula unanimiter et indubitanter tenebant de *speciali* Dei actione in creando corpore Adae, dum aliunde non necessario haec supponat materiam *ex qua* anorganicam, cum et peculiaritas actionis sine ea satis salvetur et memorati subsignatores decreti non putarent eo excludi quilibet transformismus ²⁶.

Quoad *corpus Hevae* documentum a pari censendum est saltem idem docere, seu istud speciali Dei actione factum esse. Imo videtur indicare tam ex ipsa formula adhibita quam ex mente subsignatorum eius (v.gr. Janssens) illud formatum esse immediate a Deo et quidem ex corpore Adae ²⁷. Tamen si istud responsum non excludit necessario evolutionismum Adae, videtur pluribus exegetis eius formula de

²⁴ Cf. MOTHERWAY, l.c., 122-127; JANSSENS, *De hominis natura* p.669,671-674,708; CEUPPENS, *Quaestiones selectae ex epistolis S.Pauli* (Taurini 1951) 548; BEA, o.c., 448; PIROT, l.c., 1,86-101; C.COLOMBO, *Trasformismo antropologico e teologia*: ScuoCatt 77 (1949) 17-43; MICHEL, *Origine de l'homme...* l.c., 539; MOTHERWAY, l.c., 122-127. Immerito assereret quemlibet transformismum eo decreto excludi, ut ap. P.CRUVEILHIER, *Genèse*: DBS 3,603.

²⁵ Sic DE FRAINE, o.c., 488; J.ECHARRI, S.I., *Evolución y poligenismo a la luz de la Escritura según el magisterio eclesástico*: XII SemBiblEsp (Madrid 1952) 127-129; PIAULT, o.c., 1418.

²⁶ Cf. MOTHERWAY, l.c., 122-127.

²⁷ Cf. JANSSENS, o.c., 675; J.A. DE ALDAMA, S. I., *El evolucionismo antropológico ante el magisterio de la Iglesia*: EvolFT (Barcelona 1956) 158; FLICK, o.c., 289.

Hevae formatione etiam cum possibili huius origine transformistica non pugnare ²⁸.

Post illud responsum, non obstante magno eius pondere quo prae oculis sine dubio haberetur, fuerunt catholici qui iam apertius ut probabilem sub speciali actione Dei transformismum Adae proponerent ²⁹. Imo, et qui eum ut possibilem aliquo modo ad Hevam extenderent ³⁰, cum Comm. Bibl. dicat eam venisse «ex... homine», non ex corpore eius.

516. Pius XII multis post annis (a.1941) sic fere disseruit de hominis origine coram membris Academiae Romanae Scientiarum: «Deus hominem effecit eumque corona suae imaginis ac similitudinis cinxit... Solum ex homine poterat alius homo procedere, qui eum patrem ac progenitorem vocaret; et adiutorium primo homini a Deo datum provenit etiam ab ipso et est caro ex eius carne..., habens nomen ex homine, quia ex hoc formata est. Supra scalam viventium homo, anima rationali donatus, est a Deo in principem regni animalis positus. Multiplex investigatio sive palaeontologica sive biologica sive morphologica circa hominis originem nihil positive clari ac certi hucusque invenit. Non ergo restat nisi ut tempus futurum isti quaestioni respondeat, si quando scientia illuminata fide et ducta revelatione possit securas ac definitivas conclusiones de re tanti momenti statuere» (D 2285) ³¹.

517. His Pontifex, postquam extollit dignitatem hominis, qui factus ad Dei imaginem superet ob suam animam rationalem totum mundum sensibilem, haec tria asserit:

1) Hominem non posse procedere nisi ex alio homine, quem patrem vocet. Ergo nequit esse ex bruto per generationem saltem *naturalem* (seu sine speciali Dei actione). Cum nimis obvium sit Adam non venire ex alio homine, formula documenti aliquid amplius docere putanda est: quidquid sit de definitione generationis, quae in mundo nequit dari nisi inter viventes corporeos, ex ea ut est in concreto apud homi-

²⁸ ARNALDICH, *La creación de Eva*, Gen. 1,26-27; 2,18-25: SacPag 1 (Paris 1959) 355; DE FRAINE, o.c., 63-66; CLAMER, l.c., 124.

²⁹ E.C.MESSENGER, *Evolution and Theology* (London 1931); H.PINARD DE LA BOULLAYE, S.I., *Jésus Rédempteur*: Confer. 1936; P.M.PEIER, *Le Transformisme. L'origine de l'homme et le dogme* (Paris 1938) 223-229.

³⁰ MESSENGER, o.c., 269-273; PEIER, o.c., 227; MICHEL: AmCl (1936) 171.

³¹ PIUS XII, Sociis Pont. Acad. Scientiarum (AAS 33 [1941] 506): «... Dio plasmò l'uomo e gli coronò la fronte del diadema della sua immagine e somiglianza... Dall'uomo soltanto poteva venire un altro uomo che lo chiamasse padre e progenitore; e l'aiuto dato da Dio al primo uomo viene pure da lui ed è carne della sua carne... che a nome dall'uomo, perchè da lui è stata tratta. In cima alla scala dei viventi l'uomo, dotato di un'anima spirituale, fu da Dio collocato principe e sovrano del regno animale. Le molteplici ricerche sia della paleontologia che della biologia e della morfologia su altri problemi riguardanti le origini dell'uomo non hanno finora apportato nulla di positivamente chiaro e certo. Non rimane quindi che lasciare all'avvenire la risposta al quesito, se un giorno la scienza, illuminata e guidata dalla rivelazione, potrà dare sicuri e definitivi risultati sopra un argomento così importante».

nes puer dicitur filius parentum ideo immediate, quod ii sufficienter ex sua substantia materiam corporis eius sufficienter disposuerunt, quae animae creationem ac infusionem exigeret; si quod ergo brutum vi evolutionis *naturalis* eo deveniat ut sua substantia similem animae creationem ac infusionem exigat, non apparet quod *reale* et concretum discrimen sit inter vinculum patris ac filii et vinculum hominis ac bruti ex quo ille processit, immo, si ea evolutio consummetur in sinu bruti generantis, cur hoc ab homine pater vocari nequeat³². Ergo saltem ea hypothesis evolutionis *naturalis* per illam generationem *naturalem* (seu sine speciali Dei influxu) censenda est excludi formula pontificia.

Alius vero modus (extra illam generationem) quo homo *naturaliter* (seu sine speciali Dei actione) a bruto procedat, a fortiori ut exclusa habenda est ex illa formula, ut facile supponitur. Iam vero in dictis agitur de quaestione aliqua pure philosophico-theologica, cuius solutio proponitur sine ullo temperamento dubii, ergo ut saltem certa, et quae per se theorice est independens a quaestione de reali aut irreali facto evolutionis.

2) Aliud assertum: Hevam formatam esse ex homine. Haec ex paritate cum origine Adae indicant ibi saltem actionem Dei specialem in creatione Hevae. Imo, si verba papalia sumantur ut sonant, vix videtur esse locus dubio de eorum sensu; ea ergo quae etiam ex dictis est quaestio philosophico-theologica est per se independens ab ipso facto evolutionis; ergo cum assertum memoratum, quocumque sensu sit sumendum, statuatur ut quid indubitatum, valet saltem de illa actione speciali. Imo, si verba papalia sumantur ut sonant, vix videtur esse locus dubio de eorum sensu quod Heva sit ex corpore Adae; ea ergo consonarent verbis Commissionis Biblicae. Ideo solum restat etiam hic ea quaestio, num ea verba sumenda sint ut mera repetitio verborum Scripturae, quae forte non necessario intelligenda sint de stricta processione Hevae ex Ada.

3) Tamden affirmatur documento scientiam vel palaeontologiae vel biologiae vel morphologiae nihil positive certi obtinuisse de modo originis hominis, dum etiam indicat revelationem de ea re non esse sufficienter claram. Cum ergo, ex confessione omnium, scientiae naturales positivae solum respiciant facta, non vero modum philosophicum vel theologicum quo ea explicanda sint, patet dubium in hac re memoratum a Pontifice non esse nisi de hoc facto: exstitit homo ex evolutione bruti an aliter? Id ergo dubii nullo pacto attingit illud aliud assertum antea memoratum ut indubitatum de modo

quo illa existentia (vel per evolutionem vel aliter) evenit: hominem non posse venire ex bruto nisi ex actione speciali Dei. Ergo solum factum statuitur ut dubium, non eius explicatio philosophico-theologica.

Ergo *aperta* relinquitur quaestio de ipso *facto* originis hominis ex bruto, hucusque nondum clare ac certo explicata investigationibus scientiae naturalis (quae, ut diximus, solum respicit *factum* possibilis transformismi, non *modum* eius per vires naturales vel per divinas speciales seu aliquo modo praeternaturales) sed cui forte in futurum, et quidem ope fidei ac duce revelatione, certo solvenda remanet³³.

518. Iam vero relate ad id documentum, id notetur, quod Pontifex illud paulo ante citarat per S.Congregationem de Seminariis in epist. ad Episc. Brasiliae (7 mart. 1950, cum sine dubio iam parabatur encycl. *Humani Generis*, cuius denuntiationi errorum praeit quoad aliquos v.gr. quoad relativismum) praecise ut quereretur quod quidam loquerentur de origine hominis a bruto, quin «haberetur ratio exigentiarum maxime certarum philosophiae et theologiae... in memoriam revocatas... oratione habita [ab ipso Pontifice] paucis ante annis coram Academia Pontificia Scientiarum».

Et iterum illud citavit serius in allocutione ad Primum Symposium Internationale Geneticae Medicae (7 sept. 1953) agens de origine organismi physici hominis (non de eius anima spirituali) dum efferens difficultates hypothesis evolutionis hominis et iterum prudentiam in hac re commendans invitabat ad promovendas investigationes de ea quaestione³⁴.

Ergo nullo iure assereretur illud documentum implicite revocatum esse per alia posteriora v.gr. per encycl. *Humani generis*. Ceterum notetur in his aliis duobus documentis nunc memoratis dubium in quaestione referri non ad aspectum philosophico-theologicum, sed solum ad rem pure scientificam, seu ad ipsum *factum* transformismi.

519. Prus XII in *Humani generis* (a.1950). Memoretur tandem hoc documentum, quo videretur sollemniter quam praecedenti sic proponi doctrinam catholicam de hominis origine (D 2326s): Quam plurimum habendam esse rationem disciplinarum «positivarum» in catholica religione, «sane laude dignum est ubi de factis agitur reapse demonstratis; caute tamen accipiendum est ubi potius de 'hypothesibus' sit quaes-

³³ Cf. BEA, *Neuere Probleme und Arbeiten zur biblischen Urgeschichte*: Bibl 25 (1944) 76-78; Id., *Il problema antropologico...* p.308.35-37.54s; BOYER, *Le corps du premier homme et l'évolution*: ActPontAcRomSth 10 (1945) 235s.

³⁴ PIUS XII, Epist. ad Episc. Brasiliae: AAS 42 (1950) 839; Id., In primo symp. intern. Geneticae Medicae: AAS 45 (1953) 599s.604. Cf. DE ALDAMA, l.c., 247s.

³² RAMBALDI, l.c., 29-34; FLICK, *Problemi teologici...*, l.c., 63s.

tio, etsi aliquo modo humana scientia innixis, quibus doctrina attingitur in Sacris Litteris vel in 'traditione' contenta. Quod si tales coniecturales opiniones doctrinae a Deo revelatae directe vel indirecte adversentur, tum huiusmodi postulatam nullo modo admitti potest».

«Quamobrem Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus 'evolutionismi' doctrina, quatenus nempe de humani corporis origine inquirat ex iam existente ac vivente materia oriundi—animas enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet—pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae theologiae statu, investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractetur; ita quidem ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe vel obstantium debita cum gravitate, moderatione ac temperantia perpendantur ac diiudicentur; dummodo omnes parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi et fidei dogmata tuendi. [Hic citatur documentum praecedens.] Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita sese gerant quasi si ipsa humani corporis origo ex iam existente ac vivente materia per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem indiciis deducta, iam certa omnino sit ac demonstrata; atque ex divinae revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat».

His ergo certo supponitur vel asseritur: a) Evolutionismum et quidem solum quoad corpus humanum, non esse factum reapse demonstratum, sed «hypothesim», at quidem qua attingatur doctrina contenta in Scriptura vel traditione. b) Eam hypothesim non certo directe vel indirecte revelationi opponi, cum secus ea esset omnino reiicienda. c) Eam posse, Ecclesia id non prohibente, pro hodierno theologiae et scientiae naturalis statu, libere discuti (non praecise pro lubitu admitti) at solum a peritis in utroque campo, et quidem cum gravitate ac moderatione in recensendis rationibus pro transformismo vel contra eum, modo ii parati sint iudicio Ecclesiae subesse; ita ergo *temerarie* istum esse rem certam ac demonstratam assereretur, et nullo ceterum respectu ad fontes revelationis.

Hypothesis ergo evolutionismi quoad corpus humanum est quaestio ad theologiam et ad «scientiam» pertinens, nondum certo soluta et ideo nunc libere apud peritos disputata sub Ecclesia iudice³⁵.

³⁵ Cf. FLICK, *L'Enciclica «Humani Generis»*; CivCatt (1950-3) 5878; BOYER, *Les leçons de l'Encyclique «Humani Generis»*; Greg 31 (1950) 5328; F.TAYMANS, S.I., *L'Encyclique «Humani Generis» et la Théologie*; NouvRevTh 73 (1951) 161; F.ASENSIO, S.I., *La Enciclica*

520. Hoc documento primum permittitur officialiter hypothesei evolutionis humanae adhaerere, servatis servandis. Sed quam citissime ac diligenter notetur ibi non agi nisi de *facto* possibilis transformismi, ut videtur, non vero de *modo* eius per vires solas naturales vel per specialem actionem Dei: a) Ut sonat totus contextus. b) Et cum scientiae naturalis (quae sine dubio ibi maxime cogitatur) non sit indagare nisi factum, non modum, possibilis transformismi.

Quoad illum ergo *modum*, de quo hic saltem expresse non agitur, valet documentum praecedens, quod hic citatur quodque proinde immerito diceretur hac encyclica annullari, maxime cum constet etiam serius a Pio XII de hac re citari (a.1953).

Potius cum proponatur possibilis ibi evolutio corporis ut «ex iam existente ac vivente materia» nec potius formula communi «ex bruto» vel simili, videretur id fieri, ne quis supponat hominem in casu transformismi, *potuisse* venire ex bruto per generationem naturalem, ut primo aspectu sine reflexione philosophica et theologica videretur obvium, cum tamen ex dictis id esset impossibile; formula vero «ex... vivente materia» facilius indicare posset evolutionem per vim inditam materiae, et ideo per specialem influxum Dei.

Ergo ex hoc documento solo nil erui potest de *modo* possibilis transformismi naturali vel speciali. Dum tamen ex eo stat doctrina documenti praecedentis de ea re³⁶.

Item cum documentum non efferat originem Hevae ex Ada, non ideo necessario videtur supponere nec ipsam a transformismo excludi, cum illud: a) Non agat nisi in genere de *facto* possibilis evolutionis humanae, ergo sive ea sit Adae vel Hevae vel utriusque. b) Et potius retineat doctrinam documenti praecedentis quod citat quin in aliquo aspectu idem corrigendum explicite vel implicite indicet.

521. PIUS XII, enumeratis aliquibus dotibus corporis humani, sequitur: «Mens religiosa... fatetur haec, at longe ulterius procedit: dum curat illud ad *primam* eius *originem* reduci, ei tribuit characterem quemdam *sacrum*, de quo scientiae naturales... per se ipsae omnino nihil norunt. Rex universi,

«Humani Generis» y la Escritura: Greg 31 (1950) 547-549; BEA, *Die Enzyklika «Humani Generis. Ihre Grundgedanken und ihre Bedeutung»*; Schol 26 (1951) 518; SAGÜÉS, *La Enciclica «Humani Generis. Avances teológicos»*; EstEcl 25 (1951) 170-174; J.T.JOHNSON, *The Encyclical «Humani Generis» and the Origin of Man*; DublRev (1952) 12-29; R.AUBERT, S.I., *L'Encyclique «Humani Generis»*; RevNouv 12 (1950) 307 citat ea verba P.SMULDERS: «C'est la première fois qu'un document émanant du magistère suprême de l'Eglise ratifie officiellement la thèse devenue peu à peu classique en théologie, à savoir que l'évolutionisme peut être dans certaines limites, parfaitement compatible avec la foi chrétienne»; G. WEIGEL, S. I., *Gleanings from the commentaries on «Humani Generis»*; ThSt 12 (1951) 5438. B. WEBER, *Evolution from a Theological Viewpoint*; DownRev 74 (1956) 302-328; R.VALCANOVER, O.F.M., *De origine speciei humanae secundum evolutionistas et litteras encyclicas «Humani Generis»*; Ant 33 (1958) 3-12.

³⁶ Cf. MOTHERWAY, I.c., 1298; FLICK, *Problemi teologici... I.c.*, 638.

ad coronam universi, effecit uno vel alio modo ex limo terrae mirum corporis humani opus, cui inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, quo in habitaculum ac instrumentum animae factum est...»³⁷.

Id sacri, quod his clare tribuitur origini corporis humani, nequiret, ut patet, repeti ex concursu *generali* Dei ad evolutionem *naturalem* bruti (qualis et nunc in ordinaria generatione datur), sed ex actione *speciali* Dei, qua Ipse uno vel alio modo corpus Adae fecerit.

522. Loquuntur iuxta Scripturam, et ideo pariter ac illa sumantur oportet: Pelagius I (D 228a): «Qui (protoparentes) non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, alter autem de costa viri creati sunt». C. Vaticanum, quod eam definitionem paraverat: «Haec credit et praedicat Scta. Mater Ecclesia. Facturus Deus hominem corpori... de limo terrae formato inspiravit spiraculum vitae... Primo autem homini et Hevae uxori, e costa eius divinitus formatae, benedicens ait...»³⁸

523. **Valor theologicus.** Thesis, si plura verba fontium sensu obvio sumantur, iure diceretur de fide³⁹, at cum ea verba non necessario excludant omnem transformismum, thesis videtur, habita et revelationis et scientificorum ratione, sic esse mitius censenda:

1) Transformismus *rigidus* est haereticus, utpote implicite reiectus doctrina revelata excludente materialismum (D 1802 1783).

2) Exclusio transformismi mitigati *naturalis* seu sine speciali actione Dei erat thesis usque ad a.1950 (ante *Humani generis*) sic certa in theologia ex consensu TT., ut contraria diceretur iure temeraria⁴⁰. Quid vero dein? *Humani Generis* est unum documentum quod illud iudicium theologicum mutare posset; sed encyclica, ut diximus, videtur agere solum de hypothesi scientifica, non vero de eius explicatione philosophico-theologica, quae ad scientificos non spectat, dum potius quoad hanc videtur stare allocutioni Pii XII ad socios Academiae Romanae (a.1941) quam citat; ergo hoc documentum ex se statum quaestionis ac huius solutionem non mutat. Ii vero TT. qui specialem Dei actionem vel non memorant vel forte negant implicite, non afferunt novas rationes quae illam specialem Dei actionem excludant; tamen non corriguntur ab Ecclesia.

³⁷ Allocutio de ratione «sports» et educationis physicae quoad religionem et regulam morum...: AAS 44 (1952) 870: «Il pensiero religioso e morale... accetta tutto ciò. Ma va ben più innanzi: insegnando a ricollegarlo alla sua prima origine, gli attribuisce un carattere sacro, di cui le scienze naturali e l'arte non hanno per sé stesse alcuna idea. Il Re dell'universo, a degna corona della creazione, formò, in una maniera o nell'altra, dal limo della terra l'opera meravigliosa del corpo umano e gli spirò in volto un soffio di vita, che fece del corpo l'abitazione e lo strumento dell'anima...»

³⁸ Schema constit. de doctr. cathol. c.15: CL 7,516.

³⁹ Loquuntur de transformismo naturali (quod bene notandum est eorum citationes) cum dicunt thesim esse de fide, PERRONE, *De Deo Creatore* n.230; LAHOUSSE, n.75 in fine; MAZZELLA, n.5128.

⁴⁰ C.BRIVIO, *L'origine del corpo umano secondo la dottrina dei principali teologi post-tridentini* (Milano 1950): cf. MOTHERWAY, l.c., 115-128.

Ergo thesis nobis videtur, etsi ob id postremum non sine ullo dubio, adhuc esse eius certitudinis in theologia, ut contraria sit temeraria seu non tuta⁴¹.

3) In concreto relate ad corpus Hevae idem dicendum quoad actionem specialem Dei qua illud factum est. Imo, relate ad materiam ex qua: Si respiciuntur textus supra allatos Comm.Bibl. et Pii XII ad Acad.Rom., vix videtur esse dubium de exclusione ipsius *facti* transformismi, quatenus Heva diceretur esse formata ex corpore Adae⁴².

4) Quaestionem de ipso *facto* evolutionis (certe sub speciali influxu Dei) remittimus solvendam scientiae naturali, illuminatae vero fide ac revelatione, quae ut diximus illud factum saltem clare non excludit, sed nec ei positive favet et potius, si ut sonat simpliciter sumeretur, ei videretur obstare.

524. **Probatur ex sacra Scriptura.** 1. *De corpore Adae.* Scriptura, dum creationem plantarum et animalium describit sine ullo apparatu, eam simpliciter tribuens Deo in tertia persona et cum indicatione accurata causarum secundarum (Gen 1,11s.20.24), primo emphatice ac sollemniter describit creationem hominis ut ex deliberatione Dei et quidem in prima persona pluralis maiestatici, et quasi novi generis actioni incumbentis et sine mentione ullius causae secundae. Gen 1,26s: *Faciamus hominem... Et creavit Deus hominem... masculum et feminam fecit eos.*

Dein ea arte anthropomorphica quae percellat mentes lectorum refert aliam narrationem creationis Adae, qua fortiter distinguit et effectorem corporis et infusionem elementi illud vivificantis ut quae sint a Deo directe. Gen 2,7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.*

Mirum videretur si iis auctor nolit aliquid historicum docere de ipso modo divino eius productionis corporis hominis, saltem quatenus ille includat specialem Dei actionem, cum secus sat obscurum esset quid illae descriptiones significarent. Si vero mere *factum* eius productionis et nullum specialem influxum divinum statuere vult: a) Diceret simpliciter ut «Creavit Deus caelum et terram... Fiat lux... Germinet terra herbam... Producant aquae reptile... Creavitque Deus cete grandia et omnem

⁴¹ Cf. MOTHERWAY, l.c., 129s; FLICK, o.c., 284.

⁴² Iuxta J.DANIEL, S.D.B., *Doctrina posttridentina de formatione primae mulieris* (Romae 1959), usque ad eum annum omnes TT. et exegetae ut certam habent specialem Dei actionem in formatione corporis Hevae; TT. omnes, exegetae moraliter omnes, affirmant id factum esse ex corpore Adae. Etiam quoad hoc punctum thesis est certa pro BRINKTRINE, o.c., 271, pro BOYER, o.c., 177 «errat theologice» (vel etiam contra veritatem implicite definitam) «qui creationem animae confitens, etiam corpus primae mulieris simpliciter a bruto derivat», pro MULDOON, o.c., p.135, «ad fidem catholicam» pertinet.

viventem...», sic «Deus fecit hominem» simpliciter vel etiam «in animam viventem», vel «Deus fecit homines». b) Si pro primo homine Deus nil speciale ageret sed id quod dein facturus erat pro reliquis (ut esset creatio animae ad exigentiam materiae rite dispositae), efferretur etiam saltem aliquando in Scriptura ille interventus divinus pro aliis hominibus. Tamen potius alias alio modo qui facile capitur exprimit horum vel alicuius effectiorem (Iob 10,8-11). c) Imo cum refertur genealogia Christi, dum singuli filii suis parentibus adscribuntur, dicitur «Adam, qui fuit Dei» (Lc 3,23-38).

525. Posita ea thesi, apte intelliguntur saltem de speciali influxu alia loca. Gen 3,19: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Tob 8,8: *Tu fecisti Adam de limo terrae.* Eccl 17,1: *Deus creavit de terra hominem;* 33,10: *De solo et ex terra creatus est Adam.* Sap 7,1: *Omnes homines sunt ex genere terreni illius, qui prior factus est.* 1 Cor 15,45-47: *Factus est primus homo Adam in animam viventem... Primus homo de terra, terrenus...*

Si vero ex Gen 1,26s et 2,7 videtur erui clare specialis Dei actio in creatione corporis humani, tamen ii loci non necessario excludunt evolutionem, cum absolute sumi possent de facto formationis corporis, non vero de modo eiusdem formationis vel immediatae ex materia anorganica vel per evolutionem, ita ut et verba «factus est... in animam viventem» possint in eo contextu esse continuatio anthropomorphismi praecedentis (de plasmatione corporis, de insufflatione spiraculi), indicans simpliciter corpus infusione spiraculi factum esse personam seu individuum humanum, non vero necessario illud non antea (aliqua vita) sed tunc primum vivere incepisse. Etiam nos dicimur ex terra esse effecti, cum tamen non procedamus immediate ex ea, sed solum mediate (Ps 102,14; Is 64,7; Eccl 2,7; Iob 10,9; 33,6). Idem a fortiori valet de aliis locis biblicis supra allatis. Hinc nullum iam est dubium quin factum transformismi possit absolute componi cum Scriptura (l.c.)⁴³.

526. Si ex mox notandis, Heva diceretur facta esse immediate a Deo, idem a pari videtur dicendum de Ada, maxime cum vir mulierem dignitate superet; qua ratione Paulus explicat mulierem esse ex viro (1 Cor 11,7s).

527. 2. *De corpore Hevae.* Modo adhuc magis vivido quam creatio Adae narratur formatio Hevae. Gen 2,21s: *Cumque obdormisset (Adam), tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam (sêlâ'), quam tulerat de Adam in mulierem.* Si praescindatur a forma generali qua describitur ea formatio fere ut quaedam operatio chirurgica et a sensu stricto verbi «sêlâ'», quod etiam costam indicans posset ex Scriptura (Gen 2,23; 1 Cor 11,8) indicare non

⁴³ J.M.GONZÁLEZ RUIZ, *Contenido dogmático de la narración de Génesis 2,7 sobre la formación del hombre:* EstBibl 9 (1950) 399-439; CLAMER, 129s; J.T.JOHNSON, *The Bible and the Early History of Mankind*² (London 1947) c.4; BARTINA, l.c., 20-23; ARNALDICH, o.c., 103-110; DE FRAINE, o.c., 31-40; A.DÍEZ MACHO, *El origen del hombre según la Biblia:* EstBibl 21 (1962) 225-240.

litteraliter id, sed aliquam partem corporis Adae vel etiam simpliciter vitam significare (D 2123) mirum videretur quod si ea narratio sensum historicum habere debet, saltem non efferat Deum uno vel alio modo actione speciali egisse in Hevae formatione.

Uterius vero, si respiciatur Scriptura in se sola, vix videretur esse dubium de directa formatione Hevae ex corpore Adae; si enim certo constaret Adam non venisse ex evolutione, nemo fere dubitaret de eodem sensu tribuendo formationi Hevae. Et sane si creatio Adae iuxta omnes dicitur aliquo modo miraculosa etiam in hypothesi transformismi, nil impedit quin etiam formatio Hevae talis fuerit sub alio respectu sed aequae facili Deo, ac proin non apparet ratio vere convincens ut reiciatur sensus obvius eius formationis ut immediatae ex corpore Adae⁴⁴. Id etiam confirmarent et melius explicarent 1 Cor 11,7s: *Vir... imago et gloria Dei est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Et 1 Tim 2,13: *Adam enim primus formatus est; deinde Heva.*

Sed non desunt TT. et in dies plures exegetae iuxta quos, ex genere litterario adhibito in Gen 2,20-23, habetur ibi narratio symbolica, qua non excludatur possibilis transformismus etiam pro Heva. Haec dicitur facta ex Ada, ut appareat: a) Mulierem huic ex benevola providentia datam esse a Deo in adiutorium, ut qui ambo in mente Dei sint unum. b) Mulierem esse animalibus superiorem, a quibus generari non poterat, et personam humanam seu eiusdem naturae ac Adam suum exemplar, quae aequalitas in antiquo Oriente ignorabatur et in concreto apud Israel mulier ut inferior homine respiciebatur. c) Quae eius desiderio respondeat, ita vero ut ambo supposita tamen viri superioritate dignitatis in mulierem, sint mutuo coordinati ac destinati ad mutuum complementum psychicum et physicum, quatenus mutuo attracti convenient per vinculum totalis amoris in matrimonium unum ac indissolubile. In ea hypothesi 1 Tim 2,13 non indicaret necessario prioritatem temporalem Adae prae Heva, nec 1 Cor 11,8 nisi superioritatem illius in hanc. Sed indicata hypothesis non caret difficultatibus⁴⁵.

Ceterum posita hypothesi transformismi humani, exsurgunt difficultates arduae solutu v.gr. (ne insistamus in sensu obvio et naturali Scripturae per se tenendo, nisi ea non excludat absolute alium sensum, qui probabilitate illum attingat vel etiam superet ac ideo eum servata proportione minuat):

⁴⁴ Cf. MOTHERWAY, l.c., 130.

⁴⁵ GALBIATTI-PIAZZA, o.c., 120; RAHNER, *Abstammung des Menschen:* LThK I (1957) 81-83; ARNALDICH, o.c., 119-133.144s; ID., *La creación de Eva...*, l.c.; H.JUNKER, *Eva:* LThK 3 (1959) 1215; CLAMER, o.c., 122-124; DE FRAINE, o.c., 55-67; cf. et MICHEL, *Evolutionnisme...*: AmCl 69 (1959) 337; ID., *L'origine de l'homme...*: ibid. 540s.

Ada in Genesi solum inducitur ut adultus, saltem momento quo supponitur capax generandi (1,27s), colendi et custodiendi hortum (2,15), praecepti (2,17), matrimonii (2,23s), maxime peccati (3,6-19) quod pessima consecraria toti humanitati afferret; quae nequeunt sic aliter sumi (ad tuendum transformismum) ut substantia historica eorum locorum vere in discrimen adducatur (D2123): ergo pro iis adiunctis erat organice sat evolutus. Hinc generatim PP. et exegetae Adam nonni ut adultum proponunt⁴⁶. Iam vero etiam in scientia naturali suppositio hominis e bruto procedentis ut *adulti* ita esset gratuita et ardua conceptu, ut et transformistae transitum bruti in hominem in statu embryonali potius ponant, imo in prima cellula et quidem per mutationem repentinam⁴⁷. Si ergo dicatur ipse venisse ex bruto per evolutionem et id (ne excitentur gravissimae difficultates) teneatur evenisse non in eius statu iam adulti, sed in embryonali, exsurgunt forte non minores difficultates, quod unus infans viveret in brutis et per se ipsum perveniret ad statum physio-psychologicum adulti, nisi appelletur extraordinarius et continuus Dei interventus, qualem transformista non admitteret facile, etiam ut salvaret principium quod Deus vel in hac re ageret per causas secundas.

528. Probatur ex traditione. SS.Patres, quin transformismum directe refutant, cum eum ignoraverint, sic tamen locuti sunt, ut ille cum verbis eorum sensu obvio sumptis componi nequeat, ut facile ab omnibus admittitur⁴⁸.

Tamen ut ea doctrina necessario accipienda esset, deberet constare non solum de eorum unanimitate morali, sed etiam eam ab iis proponi ut *unice* sustinendam iuxta fidem, quin permittant alias opiniones possibiles ut fructum studiosae mentis sed discussioni subiectas, prout id in dubiis eluceat vel ex modo eorum loquendi vel ex sensu quem alii generatim iis textibus eorum tribuunt.

1) *Si homo ex limo factus est, a fortiori resuscitari potest.* In quibus statuitur hominem factum esse et actione speciali, cum etiam resurrectio sit talis, et non ex evolutione. S.IRENAEUS (R 250): «Sumpsit Deus limum de terra et formavit hominem. Et quidem multo difficilior... est ex non existentibus ossibus... et reliqua dispositione, quae est secundum hominem,

⁴⁶ S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 6,18,20; ML 34,351; *De pecc. mer. et remis.* 1,37; ML 44,149; *Il problema antropologico...* 45-47; LAGRANGE, l.c., 462. Cf. tamen DE FRAINE, 51s, qui generatim in his se potius negative gerit.

⁴⁷ Cf. BEA, 22s; DE FRAINE, 12s.

⁴⁸ CEUPPENS, p.171: «S.AUGUSTINO excepto, cuius testimonium valde disputatur, SS.Patres corporis primi hominis formationem immediatam a Deo admittunt; Deus directe per seipsum corpus Adam e limo terrae constituit. Theoria moderna de evolutionismo vel de transformismo eis ignota erat; de specierum stabilitate et immutabilitate non dubitaverunt; mirum igitur non est ne vestigium quidem theoriae evolutionis in operibus SS.Patrum inveniri». PIROT, 92s; LIVINGSTONE, *The Fathers and Evolution*: EcclRev 73 (1925) 373-385; CARD.RUFFINI, p.159-165; E. GONZÁLEZ, *El evolucionismo en los Santos Padres*: EvolFT (Barcelona 1956) 155-181. Speciatim de Heva, cf. T.J.MOTHERWAY, S.I., *The Creation of Eve in Catholic Tradition*: ThSt 1 (1940) 97-116; S.TROMP, S.I., *De Mystico Iesu-Christi Corpore deque nostra in eo cum Christo coniunctione*: TextDoc, ser. theol. 26 n.1 (Romae 1943) p.82-85; cf. PIUS XII, *Encycl. Mystici Corporis Christi*: AAS 35 (1943) 205; P.TERMES ROS, *La formación de Eva en los Padres griegos hasta San Juan Crisóstomo inclusive*: Miscellanea Biblica (Montiserrati 1953) 31-48.

facere ad hoc ut sit..., quam quod factum est et dein resolutum est in terram... rursus redintegrare...»

APHRAATES (R 687): «Deus ab initio creans hominem de pulvere eum finxit et erexit eum... Quanto nunc ipsi facilius est eum terrae... mandatum excitare!»

2) *Deus solus fecit hominem, sine interventu aliarum causarum secundarum, etiam angelorum* (et a fortiori alius causae creatae, ut essent bruta). S.IRENAEUS (R 235): «Non ergo angeli fecerunt nos nec nos plasmaverunt...; nec alius quis, praeter Verbum Domini... Nec enim indigebat horum Deus...»

S.BASILIIUS: «... Cuncta praecepto condita sunt; homo autem non item. Non enim dictum est: *Fiat homo* ut *Fiat firmamentum*, sed aliquid amplius in homine vides quam in luce... Praestat omnibus hominis creatio. Accepit enim, inquit, Deus pulverem de terra et formavit hominem. Manu propria dignatur corpus nostrum formare. Non angelus formando ministravit; non... sponte humus hominem protulit; non administris potestatibus, ut hoc illudve facerent, praecepit, sed manu sua opus elaborat, sumpto e terra pulvere».

S.AMBROSIUS: «... Faciamus... hominem ad nostram imaginem... Quis hoc dicit? Nonne Deus, qui te fecit?... Cui dicit?... Non angeli, quia ministri sunt; servi autem cum Domino et opera cum auctore non possunt operationis habere consortium; sed dicit Filio...»⁴⁹

529. 3) *Formatio corporis humani est opus Dei mirum.* TERTULLIANUS (R 361): «Adeo magna res agebatur qua ista materia exstruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manu Dei patitur, dum tangitur..., dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum..., manu, sensu... et ipsa imprimis affectione qua liniamenta ducebat... Haec cum ita sint, habes et limum de manu Dei gloriosum et carnem de afflatu Dei gloriosorem...»

S.AUGUSTINUS (R 1696): «Sed quomodo fecit eum (Adam) Deus de limo terrae?... Hoc fecit quod Deum et omnipotentem et sapientem posse ac facere congruebat...»

S.IOANNES CHRYSOS.: «...Acceptone de terra pulvere formavit hominem? Etiam, inquit, et non simpliciter, nec quamlibet fortuito terram dicit, sed pulverem; quasi si quis dicat, tenuissimum et vilissimum quod est terra. Magnum tibi et admirabile videtur quod dictum est; verum si cogites quis opifex..., miraberis et adorabis Conditoris potentiam»⁵⁰.

⁴⁹ S.BASILIIUS, *De hom. struct.*, or.2 n.1: MG 30,40; S.AMBROSIUS, *Hexaem.* 6,7,40: ML 14,257.

⁵⁰ S.IOANNES CHRYS., *In Gen.* c.2 hom.12 n.4: MG 53,102.

4) *Adam factus est de terra ut Heva de costa viri.* S. AMBROSIIUS (R 1278): «Nec illud otiosum, quod non de eadem terra de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adae costa facta sit mulier...»

S. AUGUSTINUS idem implicite supponit (R 1543): «Etsi visibilis femina... de corpore viri primo facta est... a Deo, non itaque sine causa ita facta est... Num enim aut limus defuit unde femina formaretur...?» «Sed quomodo eum (Adam) fecit Deus de limo terrae?» (R 1696).

THEODORETUS (R 2147): «Ob hanc quoque causam mulierem non aliunde formavit, sed ex viro illius effingendae materiam desumpsit; ne et ipsa, putans se aliam a viro habere naturam, contumacem viro se praeretur.»

530. Haec testimonia, quae quoad corpus Hevae videntur sat clara, quoad corpus Adae: a) Efferunt sine dubio actionem Dei specialem (maxime v.gr. allusione ad resurrectionem, exclusionem angelorum, praedicationem attributorum Dei et excellentiae operis). b) Non necessario negant omnem transformismum, cum enim Patres hunc ignorarent, putandi sunt asseruisse rem iuxta Scripturam, i.e. *factum* productionis corporis ex materia anorganica, non vero forte *modum* eius productionis vel immediatae vel per evolutionem. Nec enim constat eos voluisse ut quid ad fidem absolute pertinens tradere formationem hominis ut immediatam ex limo terrae; secus ceterum eis assentire deberemus⁵¹.

531. *Ratio theologica.* 1) In transformismum *naturalem*, quatenus saltem aliqua *specialis* actio Dei statuenda est, quae per se *factum* evolutionismi nec affirmat nec negat. Sane scientia naturalis potest consignare *facta* evolutionis humanae per experientiam obtenta; at determinatio virium eam experientiam hic et nunc superantium, quae illa facta ediderunt, pertinet vel ad philosophiam vel etiam, aut forte solum, ad theologiam; at interventus Dei, a fortiori si est specialis, in origine primi hominis, illam experientiam superat. Unde, etiam admissio facti evolutionis humanae ut certo, adhuc esset locus determinationi virium vel philosophicae vel etiam theologicae⁵².

a) Omnes homines veniunt ab Ada et Heva. At stante evolutionismo naturali, nulla est ratio supponendi hunc obtinuisse: a) solum duo individua humana, b) et praeterea haec

⁵¹ Cf. BEA, *Il problema antropologico...* p.32s. At adhuc deest, ut hic auctor notat, seria de mente Patrum investigatio; unde a thuc nihil definitivum de ea mente statui potest.

⁵² Cf. RAMBALDI, 16s.37-39.

diversi sexus. Ergo ille transformismus difficile conciliatur cum monogenismo.

532. *Ratio philosophica transformismum specialem* nequit ut factum sive excludere sive confirmare, sed ad summum congruenter explicare; *naturalem* vero et aliis et ea ratione potest impugnare, quod ille gratuito supponat contra principium causalitatis, aliquam naturam (concurso Dei ordinario) tendere ad effectum se perfectiorem producendum i.e. aut corpus bruti iam perfectum eo se naturaliter evolvisse ut infusionem animae exigeret, aut brutum generasse hominem⁵³.

Nec id negant ii evolutionistae theistico-finalistae, qui dicunt Deum primis organismis creatis indidisse quasdam virtutes, quae, aptis adiunctis positis, induxerint novas species superiores⁵⁴. Immo nec si dicitur causa particularis producere novam speciem superiorem sub influxu causarum universalium, quae tandem agant sub aliquo influxu speciali Dei⁵⁵; si enim is negetur, standum est etiam in ratione philosophica nuper allata ut valeat de *qualibet* causa creata saltem materiali.

533. *Obiectiones.* 1. Transformismo effertur excellentia hominis, eo inducti ut termini totius vitae sensibilis. Ergo transformismus congruenter admittitur sine speciali Dei actione.

Dist. antec. Transformismo effertur excellentia hominis, ita vero ut magis ea efferatur supposita immediata hominis creatione, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Immediata illa creatio melius effert distantiam hominis a bruto; item nobilior est origo supponens perfectiorem et quasi intimiorem actionem Dei. Sane cum in mundo res ordinarie procedant ex imperfecto in perfectius, videretur etiam brutum naturaliter procedere in hominem; at Deus ad efferendam huius excellentiam potuit eum suo influxu speciali formare ex bruto, imo ex nihilo creare. Sed nec dicatur dignitati hominis repugnare origo ex bruto, cum non minus repugnaret ex eo capite creatio eius ex nihilo vel etiam assimilatio inferioris materiae organicae in nutritione. In iis vero duobus casibus infusio animae rationalis importaret substantialem materiae mutationem.

2. Deus facit per causas secundas id quod iis fieri potest. At corpus hominis fieri potest evolutione bruti. Ergo homo est a Deo per evolutionem bruti.

Dist. mai. Deus facit per causas secundas id quod iis fieri potest naturaliter, *trans. mai.*; secus, *subdist.*: aliquando (v.gr. in casu miraculorum), *conc.*; semper, *nego*.

In nostra re, *quoad posse*, negatur aliquod brutum potuisse ut causam principalem corpus hominis facere, cum dispositio proxima ad infusionem

⁵³ Cf. BOYER, *Le corps du premier homme et l'évolution* 237-246; Id., *L'évolutionisme à la lumière des principes de la philosophie*: *EvolFT* (Barcelona 1956) 37-47; A. GAZZANA, *L'ultima disposizione all'anima dell'umana generazione*: *DivThom(Pi)* 24 (1947) 255-265; M.M. LABOURDETTE, O.P., *Le péché originel et les origines de l'homme* (Paris 1953) 126.149; N. LUYTEN, O.P., *Philosophical Implications of Evolution*: *NewSchol* 25 (1952) 290-311. At forte saltem voce dissentiunt ECHARRI, *La evolución en el primer origen natural del hombre*: *Pens* 5 (1949) 493-434; cf. Id., *El hombre en sus primeros orígenes. Evolucionismo antropológico. Ni exageración ni cortedad*: *RazFe* 139 (1949) 219-248 (praescindens tamen a facto evolutionis vel modo eius); J. CARLES, *Unité et vie. Esquisse d'une Biophilosophie* (Paris 1946).

⁵⁴ Cf. MARCOZZI, *Evoluzione o creazione?*³ (Milano 1948) 217; SERTILLANGES, o.c., 159s; RENÉ, 82-84; GRISON, o.c., 167.

⁵⁵ Forte eo modo appellans causas universales loquitur L.E. OTIS, O.P., *La doctrine de l'évolution* (Montréal 1950) 2 p.27-169; cuius tamen explicatio, quae ceterum valet de posse, non de facto, reicitur et philosophice ut minus conveniens homini (etsi possibilis) et theologice a M.D. PHILIPPE, O.P., *La doctrine de l'évolution*: *RevThom* 52 (1952) 189-195; cf. et LABOURDETTE, 149s.

animae nequeat fieri naturaliter nisi generatione, et quidem per causam aequalis perfectionis (*De pot.* q.6 a.3). Si vero diceretur possibilis esse evolutio naturalis, adhuc negamus, ex probatis, corpus hominis *de facto* per eam evenisse. Illud vero non esse ex evolutione praeternaturali est, ex dictis, probabile.

3. Narratio genesiaca de creatione hominis est figurata. Ergo non est sumenda de formatione hominis immediata, seu per actionem Dei specialem.

Dist. antec. Narratio genesiaca de productione hominis est figurata quoad aliqua, *conc. antec.*; quoad omnia, *subdist.*: quoad specialem Dei actionem in productione corporis humani, *nego*; quoad productionem ex materia anorganica, *trans.*

Horum explicatio patet ex dictis in probatione.

534. Corollarium. *De prudentia in hac quaestione.* Non est sacerdotis ut talis transformismum defendere vel propagare vel de eo coram populo sine vere cogente ratione loqui. Qua forte aliquando exsurgente, cum maxima moderatione rem explicet. Sciat enim populum distinctiones theologicas de ea re difficillime capere posse, ita ut ille facile putaret, non sine detrimento fidei, aliquid antea ei traditum, et quidem ut scripturiticum (formationem e limo terrae), inventum esse falsum. Immo posset in errorem ille induci facile, ut certam sumens ideam transformismi ei a sacerdote propositam, quae tamen non est nisi mera hypothesis iis difficultatibus implicata, ut forte in futuro proximo falsa sit reperienda ⁵⁶.

535. Scholion. *De S. Augustino et transformismo.* S. Doctor docuit Deum fecisse omnia simul, sed alia ab initio perfecta (angelos, firmamentum et astra, terram, mare, animam hominis, etc.), alia vero (plantas, animalia, corpus hominis), solum inchoata, seu causaliter, potentialiter, invisibiliter, quasi in rationibus seminalibus (quae—difficiles conceptu ac definitu—essent non praecise semina, sed virtualitates, vires), ex quibus illae res opportuno tempore prodirent, ipso Deo illas causas regente ac movente ⁵⁷. Hinc S. Doctor, iuxta nonnullos, aliqualem transformismum, saltem plus minus implicite, tradidit ⁵⁸.

At vero eo facile concesso, quod eae rationes non essent mere passivae, sed vere activae, quae se in plantas et animalia evolverent, S. Augustinus, ut rem ad corpus Adae restringamus: a) Nullibi docet eam evolutionem inferre transformationem specierum (quae est de essentia evolutionismi), sed potius supponit contrarium ⁵⁹. b) Nullibi dicit corpus hominis esse ex

⁵⁶ Cf. Card. RUFFINI, *Responsabilità dei paleantropologi cattolici*: L'Osservatore Romano n.130 (1950) 15; BEA, 265.565.

⁵⁷ S. AUGUSTINUS, *De Gen.* ad litt. 4,25,56; 5,23,45; 7,28,415: ML 44,320.338.370-372; *De Gen.* ad litt. lib. imperf. c.3; *De Gen.* ad litt. 6,1,2; 7 c.238: ML 34,222-224.339.368; *De Gen.* ad litt. 5,4,9-11; 5,7,20; 6,5,8; 6,6,10; 6,9,16: ML 34,324s.328.342s.345s; 6,6,10s; 9,17,32: ML 34,343.406; 4,33,52; 6,10,17: ML 34,318.346; 5,4,11; 5,20,41: ML 34,325.336.

⁵⁸ H. DE DORLODOT, *Le darwinisme au point de vue de l'orthodoxie catholique* (Bruxelles 1921) p.100-108; MESSENGER, p.60-178; PÉRIER, p.43-47; ZAHM ap. PIROT, 92; ut videtur, J. LAMI, *L'idée d'évolution chez saint Augustin*: RevScPhTh 2 (1908) 506-521; L. PERRA, O.S.A., *La creazione simultanea e virtuale secondo S. Agostino* (Firenze 1929); SERTILANGES, p.129s.

⁵⁹ Card. RUFFINI, p.201-230.237; H. WOODS, S.I., *Augustine and Evolution. A study in the saint's 'De Genesi ad litteram' and 'De Trinitate'* (New York 1924); cf. S. Augustino e l'evoluzione: CivCatt (1925,3) 149-160; P. SCHEPENS, S.I., *Num S. Augustinus patricinetur evolutionismo*: Greg 6 (1925) 216-230; E. HÜFFER, *Augustinus en de evolutioneer*: Stud 113 (1925) 353-368; A. JANSSENS, *De rationibus seminalibus ad mentem S. Augustini*: EphThLov 3 (1926) 29-32; J. MARTIN, *S. Augustin* (Paris 1901) p.314; E. GILSON, *Introduction à l'étude de Saint Augustin* (Paris 1929) p.260-265; E. PORTALIE, *Augustin (saint)*: DTC 1,2353c; PIROT, 992s; AMANN, 1387s; DE BLIC, *La création chez S. Augustin*: Melanges F. Cavallera (Toulouse 1948) 184-189; MARCOZZI, *L'uomo... 431s*; ECHARRI, *Evolución y poligenismo...* 118. Cf. S. AUGUSTINUS, l.c., 9,17,32: ML 34,324s. Effertur maxime sensum mere activum rationum seminalium, at sine transformatione specierum: M. J. McKEOUGH, O.Praem. M.A.

bruto, sed corpus Adae ex limo terrae, corpus vero Hevae ex latere Adae. c) Ceterum docet interventum miraculosum Dei certo quoad corpus Hevae ⁶⁰, probabilius quoad corpus Adae ⁶¹.

536. A fortiori S. Gregorius Nyssenus immerito ut quadantenus transformista induceretur a quibusdam ⁶². Ipse docet «omnia quidem fuisse postestate in primo Dei ad procreandum appulsu, tamquam vi quadam seminis ad mundi procreationem coniecta, actu vero res singulas minime fuisse», seu «rerum omnium occasiones et causas et potestates a Deo fuisse confectas, et ad primum voluntatis illius motum res singulas exstitisse, caelum, aethera, stellas..., animalia, plantas...», sed «ordine quodam» ita «ut unum aliquod ex tota universitate rerum primum exstiterit et apparuerit, dein... alterum secutum, tum, ut artifex natura cogeat, tertium et quartum», homo vero per gradum vegetativum, sensitivum, rationale obtinuerit suam consummationem ⁶³.

At nullibi S. Doctor inuit transformationem specierum, sed potius dicit Deum hominem, ut rem plane novam, post plantarum et animalium effectum iam perfectam, condidisse, et quidem cum speciali praevia de liberatione ⁶⁴.

ARTICULUS II

DE ORIGINE GENERIS HUMANI

Thesis 21. Totum genus humanum procedit ab Ada et Heva.

PALMIERI, *De creatione* th.30; BERAZA, n.865-917; LERCHER, 2³ n.553-561; DAFFARA, th.28; H. LENNERZ, S.I., *Quid theologo censendum de polygenismo?*: Greg 29 (1948) 417-434; R. GARRIGOU-LAGRANGE, O.P., *Le Monogénisme n'est-il nullement révélé, pas même implicitement?*: DocComm 2 (1948) 191-202; FLICK, o.c., 244-263.

537. Nexus. Constat Adam et Hevam venire quoad corpus immediate a Deo. Quid vero dicendum de aliorum hominum origine etiam quoad corpus? Ii proxime veniunt ab aliis parentibus per generationem. At cum in cursu retrogrado

The meaning of the rationes seminales in St. Augustine (Washington 1926), appellans E. THAMIRY, *De rationibus seminalibus et immanentia* (Insulis 1905); R. DE SINEY, *Saint Augustin et le transformisme* (Paris 1930); BOYER, *La théorie augustinienne des raisons seminales*: Misc-Agost 2 (Roma 1931) 795-819; A. FERNÁNDEZ, O.S.A., *La evolución cosmogónica y biológica según San Agustín*: RelCul 15 (1931) 215-237; R. CAPDET, *Les raisons causales d'après saint Augustin*: BullLittEcll 50 (1949) 208-228 (at non memorat expresse questionem mutationis specierum); F. J. THONNARD, A.A., *Razones seminales y formas sustanciales*: Sa 6 (1951) 262-274; Id., *Les raisons seminales selon saint Augustin*: Actes du XI^e Congrès International de Philosophie, v. XII (Amsterdam 1953) 137-145. Cf. et A. MITTERER, *Die Entwicklungslehre Augustins. Im Vergleiche mit dem Wertbild des Hl. Thomas und dem der Gegenwart* (Wien 1956).

⁶⁰ S. AUGUSTINUS, *ibid.*, 6,5,8; 6,6,11; 7,24,35: ML 34,342s.368; c.15-18: ML 34,403-408.

⁶¹ *Ibid.*, 7,24,35 (ubi ceterum certo indicatur specialis interventus Dei ad infusionem animae in corpus); cf. 9,17,32: ML 34,368.406. Cf. P. GALTIER, S.I., *Saint Augustin et l'origine de l'homme*: Greg 11 (1930) 28-31; PORTALIE, 2354; PIROT, 993; BOYER, *De Deo Creato* p.181-183; Id., *Le corps du premier Homme... l.c.*, 246-248. Negat FERNÁNDEZ, 232s. Quid senserit de rationibus seminalibus antiqui quidam scholastici, cf. apud S. BONAVENTURAE, *Opera Omnia* 2 (Quaracchi 1885): Schol p.199s.438.443s.

⁶² DORLODOT, p.100-99; MESSENGER, p.131-144.202-204; PÉRIER, p.143s.

⁶³ S. GREGORIUS NYSS., *In Hexaem.*: MG 44,71.77; *De hom. opif.*: c.29: MG 44,233-240.

⁶⁴ Cf. RUFFINI, p.231-237; AMANN, 1386s; J. GROSS, *Le problème des origines dans la Théologie récente*: RevScRel 13 (1933) 56.60; D. L. REBECCHI, *L'antropologia naturale di San Gregorio Niseno*: DivThom(Pi) 20 (1943) 309-322; cf. S. GREGORIUS NYSS., *De hom. opif.*: c.2s; cf. c.29; MG 44,132-135.233-240.

successionis eorum sit aliquis terminus a quo, seu sint aliqui eorum parentes primi, quaeritur quinam ii parentes fuerint.

538. Notiones. TOTUM GENUS HUMANUM, sc. omnes homines existentes a tempore creationis Adae (vel saltem a momento peccati eius) usque ad nos, et quidem in hac terra.

Praermittitur ergo (quin ea affirmetur vel negetur) quaestio de aliis hominibus ante Adam forte existentibus (etiamsi improbabiler in iis censerentur fuisse parentes eius, n.508); vel post eum sed nullo vinculo descendendae cum eo connexis (at saltem ante eius peccatum extinctis)¹ vel etiam nunc in astris², et a fortiori de aliis entibus irrationalibus homini morphologicis quam similibus etiam post Adae peccatum alicubi forte viventibus, utpote quae non spectent ad dogmata christiana solum memorantia expresse homines terrestres et quidem postadamicos.

PROCEDIT, seu originem ducit quoad corpus (de animae enim origine inferius agitur).

AB ADA et HEVA, sc. ut a primo et unico pari, ita ergo ut statuatur *monogenismus strictus*, seu doctrina asserens *unitatem* omnium hominum, non solum *specificam*, sed etiam *originis*, seu quatenus sunt ab uno pari, et excludatur *polygenismus*, seu doctrina negans eam saltem *unitatem originis*.

Posita omnium hominum ab Ada ad nos existentium *unitate speciei*, quatenus de iis omnibus idem complexus notarum essentialium praedicari potest, nondum sequitur necessario *unitas originis*, quasi ii omnes eandem naturam ab unico pari propagatam habeant. At posita omnium hominum unitate originis, necessario sequitur eorum unitas speciei, nisi transformismus naturalis inter species philosophice diversas ut possibilis admittatur.

539. Adversarii. a) *Praeadamismus* tenet in genere fuisse alios homines ante Adam. Hic vero memorantur, non ii *praeadamitae* qui, ut Fabre d'Envieu, illud sine ulla seria ratione ita tenebant, ut putarent illos homines ante creatum Adam iam extinctos esse (cf. n.537); sed ii qui docuerunt homines ante Adam natos existisse simul cum Ada, ita ut homines postadamici proveniant partim ab Ada et Heva, partim ab illis hominibus ante Adam existentibus.

¹ Cf. FABRE D'ENVIEU, *Les origines de la terre et de l'homme* (Paris 1873); F.DIERCKX, S.I., *L'homme singe et les précurseurs d'Adam en face de la théologie*: RevQuestSc 36 (1894) 86-90; A.B., *A propos des «Préadamites»*: RevApol 57 (1933) 622-626.

² F. ALBERT, *A propos des planètes et de leurs habitants*: RevApol 45 (1947) 2025. Recentius de ea controversia egerunt, efferentes theologiam in ea quaestione nihil praecipere D.GRASSO, S.I., *La teologia e la pluralità dei mondi abitati*: CivCatt (1952 IV) 255-265; J. SALAVERRI, S.I., *La posibilidad de seres humanos extraterrestres ante el dogma católico*: Raz Fe 148 (1953) 23-43; A. MICHEL, *Si d'autres mondes existaient...?*: AmCl 64 (1954) 6648; LABOURDETTE, o.c., 1668. Hodie adhaeret opinantibus theologice esse homines in astris J.BUJANDA, S.I., *El origen del hombre y la teología católica* (Madrid 1953) 328-330; imo esse plurima entia rationalia corporeo-spiritualia specierum valde diversarum a nostra, quae tamen non necessario excluditur, putat A.PEREGRINO, S.I., *Origine degli esseri razionali extraterreni*: DivThom(Pi) 35 (1958) 195-235. Cf. ceterum et F.ORTIZ DE URTARAN, *Aventurando hipótesis. La teología y los astros habitados*: Lum 9 (1960) 97-114, qui etiam habet ob rationes theologicas ut possibile et ut probabile esse alia entia rationalia corporalia extraterrena seu quae habitent in aliis astris.

Sic ISAAC DE LA PEYRÈRE, calvinista, qui dein ad fidem conversus opinionem suam solide refutavit, cum primum tenuisset hominem illum de quo agitur in Gen 1,26s (*Faciamus hominem... Masculum et feminam creavit eos*) fuisse patrem gentilium, Adam vero seu hominem de quo agitur in Gen 2,7 (*Formavit... Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae*), diversum ab illo primo, fuisse patrem hebraeorum, ita tamen ut omnibus hominibus inesset peccatum originale ex imputatione peccati Adae³.

b) *Polyphyletismus*, tenens tantam diversitatem morphologicam, physiologicam, psychicam hominum viventium et extinctorum non explicari nisi ex origine a diversis stipitibus (KLAATSCH, ARLDT, G.SERGI, G.SERA).

c) *Monophyletismus*, tenens homines provenire ab uno stipite iam humano, at diversis locis terrae, prout adiuncta id permittebant, existisse (*hologenismus* v.gr. D.ROSA, G.MONTANDON). Etiam alii antiquiores pro utraque theoria citari solent⁴.

Hodie fere omnes scientifici, etiam acatholici, tenent monophyletismum seu homines esse eiusdem speciei, imo eos ab uno eodemque loco terrae provenire, qui hodie censetur a multis esse Africa⁵. Eos vero esse *ab uno pari* scientia *sola per se ipsa* positive probare potest, iuxta alios⁶, alii tamen id negantibus⁷; at saltem nihil validi contra illud afferri potest⁸.

³ ISAAC DE LA PEYRÈRE, *Prae-Adamitae sive exercitatio super versibus 12.º, 13.º, et 14.º capituli 5 Epistolae D.Pauli ad Romanos* (s.l., 1655); Id., *Systema theologicum ex Prae-Adamitarum hypothese* part.1.ª (s.l., 1655). De eius conversione et retractione: *Isaaci Peyrerii Epistola ad Philotimum*. Qua exponit rationes propter quas eiuverit sectam Calvini, quam profitebatur; et librum de Prae-Adamitis, quem eiderat (Roma 1657), cui accedit «*Depræcatio Isaaci Peyrerii... Ad Papam Alexandrum Septimum...*» Cf. AMANN, *Præadamites*: DTC 12,2703-2800; Id., *Prieur (Philippe le)*: DTC 13,244; J.CARREYRE, *La Peyrère (Isaac de)*: DTC 8,86158; BERAZA, n.873-896. Contra De la Peyrère scripserunt et alii (praeter Prieur) et F.A.ZACARIAS, S.I., *Dissertatio qua Praeadamitarum systema confutatur*: TheTheol 2 (Venetiis 1762) p.360-383; B.MARIANI, *Il Poligenismo e S.Paolo*: Rom 5,12-14: EunDoc 1 (1951) 124-145.

⁴ Cf. MARCOZZI, *L'uomo... 396.402*; ANDÉREZ, *Formas somáticas de la humanidad actual; diversidad, unidad, origen*: RazFe 146 (1952) 453-467.

⁵ MARCOZZI, 345: «Presentemente quasi tutti i naturalisti sono monogenisti»; 361: «La supposizione, generalmente ammessa, che l'Umanità, come ogni altra specie, abbia avuto una «culla», un centro di origine e di diffusione, sotto l'aspetto scientifico, non ha al presente nessun argomento positivo in contrario»; LEONARDI, *L'evoluzione biologica e l'origine dell'uomo* (Brescia 1945) p.134-139; Id., *El evolucionismo y los últimos datos...* 758: scientifici in dies monophyletismum magis affirmant etiam quoad stipites iam olim extinctos; J.C.CARLES, *L'Unité de l'espèce humaine*: ArchPhil 17 (1948) 84-100; E.BONÉ, S.I., *Une siècle d'Anthropologie préhistorique...*: NouvRevTh 84 (1962) 711-724; Id., *Polygénisme et polyphylétisme*: ArchPh 122s 136; Id., *Devenir de l'homme* (Bruxelles 1963) part.3.

⁶ CARLES, 96; LEONARDI (ut videtur), 135: «Al momento attuale invece il poligenismo e assai in ribasso e almeno nei riguardi dell'Umanità attuale la quasi totalità degli Autori, per quanto mi consta, tende ad ammettere l'origine unitaria e l'unità specifica, trovandosi quindi pienamente d'accordo con la Teologia cattolica». Cf. M.SCHULIEN, *L'unità del genere umano alla luce delle ultime risultanze antropologiche, linguistiche e etnologiche* (Milano 1943) p.55. FEINER, *Ursprung...* 2508.

⁷ MARCOZZI, 402; BERGOUNIUX, p.72; G.PICARD, S.I., *La science expérimentale est-elle favorable au polygénisme?*: ScEcl 4 (1951) 88; P.OVERHAGE, S.I., *Zum monogenetischen Ursprung der Menschheit*: Stim 167 (60) 415; BONÉ, *Une siècle...* 724-734, sed scientia praevidet in eius origine minimam densitatem.

⁸ Cf. J.GUIBERT, *Homme*: DAFc 2,492-501; LEONARDI, *L'evoluzione...* 205; J.PITEVEAU, *La science des Origines*: Rev. des Deux Mondes (1963): cf. L.CRISTIANI, *Les origines de l'homme*: AmCl 73 (1963) 750.

Ante Encyclicam *Humani Generis* (de qua mox dicitur) quidam catholici polygenismum (sensu theoseos sumptum) vel probarunt (Mancini) vel ei non omnino repugnarunt (Boussonie, ut videtur) vel de theologica eius certitudine pro hodierno scientiae statu dubitarunt (Bataini, Prete, Guittou), saltem quasi eum scientificè inspectum non haberent ut definitive exclusum (Dubarle, Card.Lienard, Rondet, Gaudel, Amann)⁹.

Boussonie autem referebant (sane ut iis alienam) hypothesim, num peccatum originans nequiret concipi ut factum, quod fuerit non unius paris, sed alicuius hominum multitudinis, cuius omnes descendentes peccatum contraherent, ita ut ex alia parte Paulus efferens opus Adae et Christi in nos, potius effectum eius universalem, quam communem hominum originem doceret¹⁰.

540. Documenta Ecclesiae. Haec ostendunt mentem Ecclesiae semper eam fuisse, ut omnes homines ab Ada nati descendant, et quidem iis verbis expressam, quae difficile sensu proprio non sumeretur.

PELAGIUS I (D 228a): «Omnes enim homines ab Adam usque ad consummationem saeculi natos et mortuos cum ipso Adam eiusque uxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt..., surrecturos esse confiteor...»

PIUS II (D 717c) damnavit eum errorem, quin vero monogenismum explicite tradat: «Deum quoque alium mundum ab isto creasse, et in eius tempore multos alios viros et mulieres existisse, et per consequens Adam primum hominem non fuisse».

541. C. Tridentinum, ultimum concilium quod sollemniter egit de peccato originali, de quo quasi mentem totius traditionis praecedentis exprimeret, haec dicit directe de ea re, quae tamen cum nostra connectitur: «Si quis non confitetur, primum hominem Adam..., sanctitatem... amisisse... a.s.» «Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse, acceptam... sanctitatem... sibi soli et non nobis... perdidisse, aut inquinatum illum... mortem... in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum... a.s.» (D 788s; *C.Arausicanum*, D 175).

«Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest uni-

⁹ A.MANCINI, *Monogenismo e Poligenismo: informazioni*: PalCl 28 (1949) 904-908; cf. J.BATAINI, *Monogénisme et polygénisme. Une explication hybride*: DivThom(Pi) 53 (1950) 363-369; A. et J. BOUSSONIE, *Polygénisme*: DTC 12,2529-2536; BATAINI, *Monogénisme et polygénisme*: DivThom(Pi) 52 (1949) 187-201; B.PRETE, *A propósito del poligenismo*: Sap 1 (1948) 420s; J.GUITTON, *La pensée moderne et le catholicisme* (Aix 1936) p.39; A.M.DUBARLE, *Les Sages d'Israël* (Paris 1946) p.215; Id., *Sciences de la vie et Dogme chrétien*: VieInt 15 (1947) 624; Card.A.LIENARD, *Le chrétien devant les progrès de la science*: Et 255 (1947) 299s; RONDET, *Les origines humaines et la théologie. Problèmes pour la réflexion chrétienne*: CitNouv 1 (1943) 973-987; A.GAUDEL, *Péché originel*: DTC 12,590s; AMANN, *Transformisme*: DTC 15,1390s; Id., *Préadamites*: DTC 12,2799s.

¹⁰ Cf. BOUSSONIE, 2536.

cuique proprium... per aliud remedium asserit tolli, quam... a.s.» (D 790).

«Si quis parvulos recentes ab uteris matrum... dicit nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari... a.s. ... Ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt» (D 791; cf. *C.Carthaginense XVI*, D 102).

Ergo ex his, Adam, *primus homo*, peccans, transfudit peccatum in *suam progeniem* i.e. in nos, seu in *omne genus humanum*, seu in *singulos* (ut mortem), una excepta B.Virgine (D 792). Et quidem ita ut illud ex eo trahant *omnes generatione* seu *propagatione*, non *imitatione* transfusum. Ergo iis: a) Certo *definitur factum universale* peccati originalis. b) Ea doctrina non definitur *expresse*, sed nisi *definiatur implicite*, saltem *supponitur clare*, id transmitti *propagatione* seu *generatione*, et eo ipso totum genus humanum venire per *generationem* ex Ada, ita ut hoc sit saltem *fidei proximum* vel saltem necessario conexum cum dogmate peccati originalis seu *theologicae certum*. Quod valet, etsi patres conciliares ignorarent polygenismum ac hodierna problemata palaeontologica et proinde non intenderent *expresse* docere monogenismum, cum eam doctrinam tradant quae necessario istum includit, sine quo illa stare substantialiter nequiret.

At primo aspectu et ad rigidam textus exegesis litteralem, videretur ibi, contra neopelagianos, dicentes peccatum originale nobis non *propagatione* (certe *imitatione*) transmitti, de hoc uno statuendo agi: nobis omnibus inesse peccatum *non imitatione* transfusum; ac proin doceri Adam fuisse *unum individuum*, peccatum originans fuisse *praecise unum*, id transmitti *generatione* (certe non *imitatione*). His positis, etsi conciliares cogitarent *transmissionem* peccati per *generationem*, ut de facto vident nunc fieri, non repugnaret menti eorum *propagatio* peccati unius ad omnes homines, etiam forte non ab illo descendentes, per *iuridicam eius imputationem*^{10*}. Sed:

a) Si conciliares dicebant peccatum originale transmitti *media propagatione* seu *generatione*, haec sumebant ut *TT. saeculorum praecedentium*, seu peccatum a parentibus filiis transmitti, quin ergo eis iure tribuatur *occulta* quaedam intentio non docendi nisi *unum id*, peccatum originale non propagari *imitatione*. Sine dubio ii respiciebant doctrinam

^{10*} Cf. K.RAHNER, S.I., *Theologisches zum Monogenismus*: ZkathTh 76 (1954) 10-15. 201-204. Etiam et quidem minuens vim obviam documentorum Ecclesiae et Scripturae, quae singillatim sumpta solent afferri pro monogenismo, DE FRAINE, *La Bible...* 49s.67s. 86-121.

de ea re traditionalem, seu excultam ab Augustino, quod peccatum ab Ada commissum omnibus generatione transfundatur, et quam negabant pelagiani, maxime efferentes nullum peccatum generatione transmitti posse (D 102). Concilium ergo volebat definire complexive doctrinam catholicam de peccato originali, in qua unum ex praecipuis elementis est sine dubio *modus* propagationis eius, ut constat ex tota traditione.

b) Ceterum in erroribus quos prae oculis Concilium habuit, ii etiam erant: «Ille notissimus Pelagii, nos non nasci aut etiam concipi peccatores, sive nullam peccati labem ex nostra generatione contrahere. Quem errorem damnavit concilium Milevitanum. Secundus est Valentini, Manichaei et Priscilliani, ex christiano coniugio natos non contrahere originalis culpa contagionem... Tertius decimus... eorum qui tenent, non unum esse peccatum originale, sed plura». Ergo considerabat errores non solum quoad puram negationem peccati originalis, sed quoad id quod nil peccati contrahatur generatione.

c) In formula «propagatione, non imitatione transfusum» (D 790), sine dubio affirmatur definiri elementum *negativum* seu «non imitatione», a fortiori dicendum est definiri *positivum* et primo ac directe elatum seu «propagatione». At hoc verbum ex se indeterminatum indicat in Concilii mente generationem, ut patet ex eius verbis (D 791-794, maxime 795) et ex Actis.

Sane TT. dixerunt: «Contrahitur per propagationem, non autem imitationem»; quod sic sumebant: «Distinguitur hoc ab aliis peccatis, quia hoc contrahitur natura ex carne infecta per praevagationem Aadae, in ipsa generatione». Pariter Patres conciliares insistebant: «Fit in nos... ex generatione, quia omnes eramus in Adam, cum ipse peccavit». «Transfunditur non tantum quoad imitationem, sed etiam in rei veritate, per quantum ipsa natura infecta est... Naturam habemus vitiatam... in Adam per peccatum». «Est peccatum originale in Adam, in quo omnes peccavimus, quia in eo omnes eramus... Hoc peccatum: traducitur natura, deficiente gratia Dei... eam naturam ita ad nos Adam traduxit». «Peccatum originale, traduci ad nos omnes radice infecta». «Omnes eramus in Adam, cum ipse peccavit... cum nascimur, Adam in nobis est... Propagatur in omnes non per imitationem, sed per propagationem». «Dico, omnes homines qui nascuntur peccasse in Adam peccante..., quod natura, quam ab Adam accipiunt propagati, fuit in Adam peccante vitiata...» «Transfunditurque in nos per propagationem, non imitationem... Transfunditur in omnes ex carne infecta ex generatione et natura, deficiente gratia Dei

in primo parente». Haec sufficiant ut appareat: a) Conciliares vidisse modum propagationis unice in generatione. b) Eos ipsum peccatum concepisse ut peccatum quod in oppositione ad alia transmittitur generatione. In quo omnes consentientes insistebant, dum valde dissentiebant de modo quo influxus generationis connectatur cum peccato originali.

c) Imo ut patet ex erroribus quos Concilium habuit prae oculis, non solum pelagianos damnavit, sed et alios (Valentinum, manichaeos, priscillianistas) negantes filios christianorum concipi in peccato ac proin eos egere baptismo; ergo non mere dicentes peccatum propagari solum imitatione, sed simpliciter negantes peccatum aliquod transmitti in matrimonio christiano¹¹.

His positus, difficile iustificatur illa operatio anatomica, qua pura propagatio *negativa* peccati seu ut «non imitatione», ut unum elementum *clare definitum*, separaretur ab aliis et *individualitatis* Aadae et *unicitatis* peccati originantis et eius transmissionis *per generationem*, ut quae non constet definiri. Putamus ergo ea elementa in mente Patrum Concilii non posse iure disiungi, et proinde eos definire peccatum originale quale mente concipiebant seu ut peccatum origine unum (in uno Ada) non imitatione sed propagatione seu generatione transfusum, ita ut una ex notis propriis peccati originalis, quale existit, sit eius transmissio per generationem. Ideo viderentur per se omnia illa elementa in notione peccati originalis a Concilio doceri.

Definit ergo Concilium monogenismum? Si ex dictis admittitur ab eo definiri peccatum originale transmitti praecipue *generatione*, alii dicent sic *definiri implicite* etiam propagationem carnalem omnium ab uno peccante, dum alii dicent id ibi solum doceri virtualiter seu quatenus id necessario connectitur cum illo dogmate ac proin esse *theologicae certum*.

Haec confirmantur iis verbis quae, post illa (D 793) «cum omnes homines in praevagatione Aadae innocentiam perdissent», dicuntur: «Sicut revera homines, nisi ex semine Aadae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur, cum ea renascentia...» Et ea iustificatio describitur ut «translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Aadae, in statum gratiae... per secundum Adam Iesum Christum...»

His non solum dicitur *omnes* contrahere peccatum originale qua *generato* mediate vel immediate *ab Ada*, sed *clare* contra ponitur uni Christo unus Adam, ergo ut *unus homo* et unus auctor peccati *omnibus* transfusi. Ex quo

¹¹ CTr 5, 212s (errores 1s.13). 165s.172-176.178-181. Cf. A.ZUERICH, *Monogenism teologico*: DivThom (Pi) 59 (1956) 243; R.GIBELLINI, *La generazione come mezzo di trasmissione del peccato originale nel decreto Tridentino*: *De peccato originali*: StudPat 3 (1956) 389-420.

etiam clarius fit id quod etiam locis nuper memoratis per se patet, Adam esse *unum hominem*, non collectionem, et *ut unum* admisisse peccatum, quod proin non sit collectivum plurium, sed aliis propagatione, non imitatione transfusum^{11*},

542. LEO XIII: «Nota omnibus et nemini dubia commemoramus; posteaquam sexto die formavit Deus hominem de limo terrae, sociam illi voluit adiungere... Qua in re voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret»¹².

543. *Commissio de re biblica* (D 2123). In factis quae christianae religionis fundamenta attingunt, de quibus narratio genesiaca litteraliter historice est intelligenda, sunt: «Peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas». Haec vero unitas, cum memoretur post creationem primi hominis et primae mulieris, nequit sumi ut mere specifica, quae per se patet et de qua directe non est quaestio dogmatica, sed ut originis.

544. PIUS XII: «Ac praeterea narrant (Biblia) ex primo hominis feminaeque coniugio duxisse originem ceteros omnes, quos referunt... variis tribubus fuisse gentibusque distinctos, per variasque terrarum orbis partes disseminatos... Atque Apostolus gentium, utpote huius praeco veritatis, qua homines in magnam familiam fraterne coalescunt, haec nuntiat Graecorum genti: Fecit... (Deus) ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae...»^{12*}. Ergo iuxta Scripturam, omnes homines sunt ab Ada et Heva.

Serius idem Pontifex, qui paulo ante per S.Congregationem de Seminariis querebatur quod in dubium verteretur origo omnium ab Ada et Heva ita ut simul excitarentur vacillationes de supernaturali elevatione hominis, de peccato originali ac eius transmissione, cum sine dubio iam pareretur encycl. *Humani Generis*, in hac postquam exposuit relativam quamdam libertatem, quae theologis ac scientificis sit, investigandi theoriam transformismi, addit de polygenismo: «Cum vero de alia coniecturali opinione agitur, videlicet de polygenismo, quem vocant, tum Ecclesiae filii eiusmodi libertate minime fruuntur. Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam

11* Cf. FLICK, *Il poligenismo e il dogma del peccato originale*: Greg 28 (1947) 557-563; LENNERZ, 432s; GIBELLINI, *La generazione come mezzo di trasmissione del peccato originale nel decreto Tridentino «De iustificatione» e documenti recenti del magistero*: DivThom(Pi) 59 (1956) 230-245.

12 LEO XIII, Encycl. «*Arcanum divinae sapientiae*»: ASS 12 (1879-1880) 386.

12* PIUS XII, Encycl. «*Summi Pontificatus*»: AAS 31 (1939) 426s.

qui retinent, asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum; cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium»¹³ (D 3897).

Ex his, christianus nequit tenere fuisse in terris post Adam homines (num alii fuissent ante ipsum extincti non deciditur) qui ab illo generatione naturali non descenderent, vel Adam sumi collective, seu ut multitudinem protoparentum; quia nullo modo appareat componi ea asserta cum iis quae fontes revelationis (in concreto Rom 5,12-19 ibi citatum) et acta Magisterii (v.gr. C.Tridentini, cuius doctrinam refert) proponunt de peccato ut facto vere *historico*, ut commisso *ab uno Ada* et quidem *ut homine physice individuo*, ut *generatione* transfuso in omnes homines (distinctos ab Ada) ut singulis proprio.

His expresse non qualificantur ea asserta prohibita; at aequivalenter dicuntur haec fontibus vel implicite vel saltem arguitive excludi, ac proin asserta eis contraria esse vel implicite definita vel saltem theologice certa. Nec his obstant verba «cum nequaquam appareat» quasi non negent eam conciliationem posse aliquando apparere, ut aliqui putarunt¹⁴; nam haec interpretatio excluditur: a) energica voce «nequaquam» voci «appareat» adiuncta; b) praevio asserto absoluto ac sine limitatione personarum vel temporum vel gradus certitudinis, quod nullus fidelis polygenismum tenere queat; c) cum secus supponeretur fieri posse ut unus Adam individuus multis aequivaleret, vel ut per generationem ab Ada peccatum sit multis, qui non sint ab Ada; d) cum implicite ex contextu videatur accenseri haec opinio iis quae doctrinae a Deo revelatae directe vel indirecte adversentur. Etsi Pontifex potuisset alia formula uti qua indubie polygenismus reiceretur, voluit quadam mitiore uti erga catholicos et quidem bona intentione ductos, qui eum ante istud documentum vel probarunt vel omnino non reiecerunt¹⁵.

At si qua *possibilis sit* opinio pro polygenismo, quae teneat *omnes* homines post Adam esse per *generationem* ab ipso ut persona *individua*, seu non collectiva, et quae aliunde cum doctrina catholica de peccato originali con-

¹³ Epist. ad Episc. Brasiliae (7 mart. 1950) 42 (1950) 839; Encycl. «*Humani Generis*»: AAS 42 (1950) 576.

¹⁴ Sic v.gr. J.M.ALONSO, C.M.F., *La Enciclica «Humani Generis»*: IlustrCler 44 (1951) 16; RAHNER, l.c., 7; J.HAVET, *L'encyclique «Humani Generis» et le polygénisme*: RevDiocNam 6 (1951) 114-127; Id., *Note complémentaire sur l'encyclique «Humani Generis» et le polygénisme*: Ibid. 219-224; ECHARRI, *Evolución y polygenismo...* 139-141. Explicationem simplicem proponit R. J. PENDERGAST, S.I., *Terrestrial and cosmic polygenism*: DownRev (1964) 189-198.

¹⁵ Cf. BEA, *Die Enzyklika «Humani Generis»*. Ihre Grundgedanken und ihre Bedeutung: Schol 26 (1951) 52-54; F.TAYMANS, S.I., *L'Encyclique «Humani Generis» et la Théologie*: NouvRcvTh 73 (1951) 18; BOYER, *Les leçons...* 533; ASENSIO, l.c., 551; LABOURDETTE, 162; BARTINA, 76-78; Id., *El milenario salernitano de San Mateo y la XIII Semana Bíblica Italiana*: EstBibl 14 (1955) 98-100; MICHEL, *Pie XII lumière de la Théologie*: AmCl 68 (1958) 664; J.M.SAIZ, Pbro., *Polygenismo y pecado original*: XVII SemEspT (Madrid 1960) 173-176; O.ALBERTI, *L'unità del genere umano nell'insegnamento del magistero della Chiesa*: Div 5 (1961) 769-791; cf. Id., *L'unità del genere umano* (Roma 1962); FLICK, o.c., 261; A.COTTER, S.I., *The Encyclical «Humani Generis»* (Weston 1951) 96s; F.J.CONNELL, C.S.S.R., *Theological Content of Humani Generis*: AmEcclRev 123 (1950) 321-330.

ciliari queat, verbis Pontificis nec reicitur nec probatur. Hinc ipse nec quidquam *directe* decedit in re scientifica, nec prohibet quin scientifici catholici suas prosequantur investigationes, modo non admittant omnes homines non esse physice ab Ada et quidem ut persona individua.

Hinc si attente respiciatur longa discussio TT. de sensu verborum «cum nequaquam appareat», non videtur ea significare dissensionem de ipsa re, nam omnes sine dubio admittunt polygenismum qualis encyclica describitur cum notione catholica peccati originalis ibi concise exposita non posse conciliari nunc vel umquam in futurum. De alio vero polygenismo Ecclesia non loquitur, cum careat motivis ad excludendas ut possibiles alias formas polygenismi, quae cum illa doctrina peccati originalis forte non pugnent¹⁶.

Verba ergo encyclicae non constat continere de monogenismo definitionem sollemnem vel saltem doctrinam practicam irreformabilem, dum tamen cetero exigunt assensum internum. At ea *non impediunt*, quin: a) Theologus ex aliis fontibus monogenismum possit forte censere revelatum seu de fide, ut post tridentinam declarationem praecisivam (D 792) et ante eius definitionem dogma Immaculatae Conceptionis. b) Possit *theorice* polygenismus reici argumentis inferentibus reiectionem transformismi v.gr. si obiective ille ab hoc separari nequiret. c) Polygenismus posset ut pura hypothesis scientifica *videri* vel etiam (nisi ex dictis monogenismus dicatur esse implicite definitus aut saltem virtualiter seu *theologicè certus*) esse probabilis^{16*}.

N.B. 1) Addi posset testimonium C.Vaticani, quod paraverat eam doctrinam definiendam sive positive per enuntiationem unitatis physicae hominum in Ada sive negative per damnationem erroris contrarii, ita ut diceretur ea contineri implicite in dogmatibus universalitatis et peccati originalis et redemptionis per Christum¹⁷. Quae sat indicant TT. eius temporis hanc thesim habuisse ut de fide et ideo ut de fide definibilem.

2) Etsi allata documenta Ecclesiae memorent Adam ut patrem omnium hominum, non vero Hevam ut eorum matrem, nemo dubitat quin etiam id postremum (ad obvium sensum Geneseos 2-3) illa documenta supponant.

545. Valor theologicus. Thesis est saltem *fidei proxima*.

Etsi non constet thesim esse umquam explicite magisterio sollemni definitam, alii theologi eam expresse vel aequaliter habent communis ut de fide vel simpliciter (Pesch, Flick, Card.Ruffini), vel divina (Lahousse, Minges) vel etiam catholica (Janssens, Van Noort, Beraza, Hugon) vel etiam saltem implicite definita (Lercher, Pohle-Gummersbach, Muncunill, Daffara, Lennerz, Huarte, Bozzola)¹⁸.

Lennerz ait: «Theologi usque ad nostra tempora quaestionem de monogenismo... considerant... doctrinam in revelatione contentam», seu «quae ex revelatione habetur...» «S. Scriptura clare et explicite docet monogenismum... In explicata de-

¹⁶ Cf. BEA, l.c., 54; WEIGEL, l.c., 544-547.

^{16*} Cf. ZUERICH, l.c., 2448, contra RAHNER aliter opinantem, l.c., 4-8; FLICK, o.c., 2618.240.

¹⁷ CL 7.515.5448.555.566.1623.1633.16378. De momento eius testimonii; cf. LABOURDETTE, 1568.

¹⁸ PESCH, 3 n.153; FLICK, 563; CARD.RUFFINI, p.123; LAHOUSSE, n.68; MINGES, o.c., 1 n.358; JANSSENS, p.754; VAN NOORT, n.179; BERAZA, n.807; HUGON, De homine q.2 a.1 n.10; LERCHER, n.553; POHLE-GUMMERSBACH, 1 p.4758; MUNCUNILL, n.525 («saltem»); DAFFARA, n.522 («saltem»); LENNERZ, l.c., 432; HUARTE, n.156; BOZZOLA, n.427.

finitione Ecclesiae monogenismum est fundamentum doctrinae de peccato originali et de redemptione.

Alii vero thesim habent ut fidei proximam (Tanquerey, Garrigou-Lagrange, Cuervo, Saiz) aut saltem theologicè certam (Rahner) aut certam (Ott).

Etiam post *Humani Generis* thesis dicitur *de fide* (Pohle-Gummersbach, Brinktrine), eius esse certitudinis ut contraria sit *error theologicus* (vel etiam contra veritatem *implicite definitam*) (Boyer); *implicite definita* (Alberti); *theologicè certa*, sed potest ac debet dici *de fide divina*, si certo constat Scripturam de hac re sumendam esse litterali sensu proprio (Flick)¹⁹.

546. Probatum ex sacra Scriptura. «Generis humani unitas» est unum ex factis quae prioribus Geneseos capitibus includi tenendum est (D 2123); ergo saltem ex traditione dicenda est ea verbis Geneseos doceri (ita vero ut id non appareat maiore certitudine sed nec minore ea quam acta Magisterii Ecclesiae monogenismo tribuunt). At constat id etiam quoad nos illis verbis solis in se sumptis seu sine ope traditionis? Id nobis ita esse videtur²⁰.

Ante Adam et Hevam formatos, nemo erat in terra. Ab Heva sunt cuncti viventes. Gen 2,6: *Homo non erat qui operaretur terram*. V.7: *Tunc formavit igitur Dominus Deus hominem*, antonomastice dictum (τὸν ἄνθρωπον, haadam). At cum esset solus, dixit Deus (v.18): *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi*. V.21s: *Et quia Adae... non inveniebatur adiutor similis eius. Immisit... Deus soporem in Adam... Et aedificavit... costam quam tulerat de Adam in mulierem*. 3,20: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium*.

His consonat saltem ut interpres sensus Geneseos Sap 10, 1: *Haec illum qui formatus est a Deo pater orbis terrarum* (κόσμου, seu generis humani)^{20*}, *cum solus esset creatus, custodivit...*

¹⁹ LENNERZ, 425-427-434; TANQUEREY, 2 n.834; GARRIGOU-LAGRANGE, 202; M.CUERVO, O.P., *Evolucionismo, Monogenismo y Pecado Original*: Salm I (1954) 275 (addens tamen inferius rem esse de fide vel fidei proximam, 294); SAIZ, l.c., 176-186; RAHNER, *Monogenismus*: LThK 7 (1962) 561; l.c., 204, pro quo *theologicè certum* est id, de cuius revelatione cum absoluta certitudine non constat, at internum assensum exigens, quin Ecclesia contrarium teneri permittat (4 not.4); L.OTT, *Grundriss der Dogmatik* (Freiburg 1953) 110. LABOURDETTE dicit Tridentinum non cogitasse de ea re definienda, at quam formulis definitionis includat (1558.165-204); POHLE-GUMMERSBACH, 541; BRINKTRINE, 274; BOYER, 177; (1962) 562; ALBERTI, l.c., 754-766; ID., o.c.; FLICK, o.c., 261.263.

²⁰ Id negat RAHNER, 188-192; ID., *Monogenismus*: LThK 7 (1962) 562; affirmant CLAMER, l.c., 143; HEINISCH, *Problemi...* 648; JUNKER, l.c., 20; MARIANI, *Il poligenismo e la Bibbia*: EunDoc 6 (1953) 188-230; RAMBALDI, 78-81; RENIE, o.c.; ARNALDICH, 99-102.147; BARTINA, 368; VAN IMSCHOOT, o.c., 2,68; M.JOIN-LAMBERT, *Adam: VocTheBibl* (Paris 1962) 12; H.VOLK, *Erbschaffung des Menschen*: LThK 3 (1959) 1045; Díez MACHO, l.c., 262-267. Rem non decidunt; RENCKENS, o.c., c.228; MORANT, o.c., 135, iuxta quem solo N.T. fit definitive clarus monogenismus.

^{20*} CORNELY, *Comment. in libr. Sap.* 371-373, cf. 245; ZORELL, *Novi Testamenti lexicon graecum* 2 col.730 n.5a.

Adam vero (pariter Heva) illis locis sumitur *singulariter* (ac proin peccatum eius) non collective, ut patet: a) Ex toto contextu, qui solum per vim hunc alterum sensum admitteret, cum Ada et Heva inducantur ut individua (Gen 2; Sap 10, 1-3). b) Ex iis quae serius adduntur (Gen 2,25): *Erat uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius*, et dein in tota narratione de Heva tentata, peccante, inducente in peccatum Adam isti assentientem etc. (Gen 3). c) Ex Gen 4,1s et 5,1-32 et 10,1-32, ubi dicuntur Adam ac Heva (cf. Gen 3,20) genuisse Cain, Abel, Seth; aetas Adae defigitur; enumeratione descendendum ab Ada supponitur omnes homines ab ipso provenire. d) Ex allusione quae est in Mt 19,4-6.

Nec dicantur ea verba Geneseos de monogenismo esse forte descriptionem popularem nostro historiae conceptui non respondentem²¹; nam auctor sacer, volens statuere omnes homines, quantumvis diversos, esse unius eiusdemque naturae, finis, sortis spiritualis, et eos, cum tamen alii ab aliis procedant, ab uno Deo originem ducere, optimo iure putari potest, voluisse depingere processum quo omnes sint ab uno pari, qui uno vel alio modo a Deo creatus sit: secus problema originis hominum, quod sine dubio solvere intendebat, intactum in sua obscuritate lectoribus relinqueret.

Thesim probari ex Gen 1,26-28 (*Faciamus hominem... Et creavit Deus hominem...; masculum et feminam creavit eos... Crescite et multiplicamini et replete terram*) negant Ceuppens, Hauret, asserunt Vaccari (ut videtur), Heinisch, Anardlich, non decedit Lennerz²². At, etsi ea verba sumpta in se sola sint vaga (masculus et femina non necessario sunt de duobus individuus), absolute continent thesim, cum sint parallela loci de Ada et Heva (Gen 2,7.18-22), ut patet ex utriusque contextus comparatione; ex Mt 19, 4-6; ex Gen 4,1 et 5,1-5.

547. Act 17,24-26: *Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt..., nec... colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam... et omnia. Fecitque ex uno (ἐξ ἑνὸς) omne (πᾶν, seu omnes et singulos) genus (ἔθνος seu populum, nationem) humanum (ἄνθρωπων, seu hominum) inhabitare super universam (ἐπὶ παντὸς, totam) faciem (προσώπου, superficiem) terrae*²³.

Haec verba Pauli; quae ab auctore sacro approbari censenda sunt et quae immerito putarentur non dici a Paulo ut apostolo ac proin ut inspirata, confirmant ea, quae certo ibi memorantur

²¹ PIUS XII, *Encycl. «Humani Generis»*: l.c., 576s; BEA, *L'Enciclica «Humani Generis» e gli studi biblici*: CivCatt (1950.4) 427-430.

²² CEUPPENS, *Le Polygénisme et la Bible*: Ang 24 (1947) 20-32; ID., *Quaestiones selectae...* p.38; C.HAURET, *Origines de l'Univers et de l'Homme*³ (Paris 1952) 162; VACCARI, *La Sacra Bibbia I* (Roma 1945) p.65; ARNALDICH, 98-112; LENNERZ, 429.

²³ ZORELLI, o.c., 1013 n.14.1014 n.34.359 n.1.1152 n.2b.

ex Gen 2-3 de origine hominum. Hinc ergo cum Deus fecerit omnia (ergo et homines) et vitam det omnibus (ergo et hominibus), ex horum uno (ergo diverso a Deo, et etiam non ex multis) fecit omnes homines. Ille vero unus, non nominatus hic, est sine ullo dubio Adam (1 Cor 15,45-50).

Sic ergo Apostolus *unicitatem* Dei probat contra polytheismum asserentem singulos homines esse a suis diis: sane omnes ab Adam, hic vero a Deo. Ea autem est et affirmatio paulina et simul illuminatio Geneseos.

«Hic ergo videtur sensus huius textus (ex Act), ait Lennerz. Sed ne in hac expositione errarem, plures consului commentatores, catholicos et non catholicos, et omnes, sine ulla exceptione, hoc eodem modo (seu de monogenismo) textum explicant. Omnes inveniunt his verbis Apostoli enuntiatam originem totius generis humani ex uno protoparente, et plures explicitè notant, haec dicta esse praecise contra illas opiniones gentilium, speciatim contra athenienses. Non solum nullum inveni, qui aliter textum explicaret, sed neque ullum qui indicaret se cognoscere aliquos, qui alio modo textum exponant»^{23*}.

Item simul ac illuminatur sensus litteralis Geneseos docetur monogenismum in Rom 5,12-21, ubi Adam inducens peccatum in mundum apparet ut una persona physica, quatenus describitur singulariter ut Moyses (v.14), ut contrapositus omnibus hominibus (v.12.15.17-19.21), et maxime dum inducit peccatum in mundum seu in omnes homines ut antitheticus *Christo uni* (v.15.17.19.21: cf. 1 Cor 15,22.45-50), qui affert salutem etiam omnibus hominibus²⁴. Ergo ubi Paulus iacit fundamentum suae thesisi fundamentalis de salute a Christo pro omnibus credentibus in eum, revocat litteraliter narrationem genesiacam de uno primo homine omnium hominum patre ac inducente peccatum in mundum.

Ex sensu Redemptionis. Christus apparet ut Redemptor noster, non mere solum qua homo (2 Tim 2,5), sed quia est frater noster secundum carnem peccati, ita ut Ipse et redempti ex uno simus, qui, ut patet ex contextu de cognatione carnali, non est Deus sed Ada (Rom 8,3.5.29; Hebr 2,11-14; Lc 3,38). Et ideo praecise seu quia sumus eiusdem carnis fimus heredes gloriae (Rom 8,17.29). Ergo redemptio fit per communionem carnis peccati hominum cum Christo, non solum per communionem moralem seu gratiae.

Ea unitas stirpis valet a fortiori quoad peccatum originale. Omnes morimur, quia «portavimus imaginem (Adae terreni)» (1 Cor 15,21.48s). Id est etiam de peccato originali sive quia mors pleno sensu paulino includit etiam mortem spirituales sive saltem quia mors physica in mente Pauli consequitur peccatum (Rom 5,12-19)^{24*}. Ceterum, si Christus, ut nos redimat, assumit non mere naturam humanam sed nostram carnem, sine dubio ille qui nos fecit peccatores erat noster pater secundum carnem.

^{23*} LENNERZ, 248; RENIÉ, *Actes des Apôtres*: PirClam 11-1 (Paris 1951) 245s; C.S.DES-SAIN, *The Acts of the Apostles: A Catholic Commentary on Holy Scripture* (London 1953) 1038; BARTINA, 40; ARNALDICH, 102,151.

²⁴ LENNERZ, 429, putat ex solo textu Rom 5,12-21 non probari peccatum originale solis Adae filiis transmitti seu sola generatione, ac proin omnes homines esse ab Ada, aliter tamen opinantibus JOIN-LAMBERT, l.c., 13; VOLK, l.c.; CEUPPENS, *Le polygénisme...* 29-31; ID., *Rilievi ad una nota sul poligenismo*: Sap 2 (1949) 108s; MARIANI, 145; GARCÍA CORDERO, l.c., 476; RENIÉ, 106-108; ARNALDICH, 152s; VAN IMSCHOOT, l.c., 6. Cf. tamen DE FRAINE, o.c., 98-100.

^{24*} Cf. RAHNER, l.c., 207-210.

548. Probatur ex traditione. Cum SS. Patres rem clarissime et unanimiter doceant²⁵, pauca eorum testimonia hic proferantur.

S. AUGUSTINUS (R 1813): *Adam et Heva sunt parentes et iudaeorum et omnium gentium.* «In ipso exordio Adam et Heva parentes omnium gentium erant, non tantummodo iudaeorum...»

THEODORETUS (R 2147): *Ut pateret omnes homines esse eiusdem naturae, praecipit Deus ut omnes propagarentur ex duobus, et ipsam mulierem ex viro formavit.* «Ne diversas esse hominum naturas existimaret quisquam, ex una illa duorum copula innumeratas propagari gentes praecipit. Ob hanc quoque causam mulierem non aliunde formavit, sed ex viro illius effingendae materiam desumpsit, ne et ipsa, putans se aliam a viro habere naturam, contumacem viro se praerberet».

S. AMBROSIIUS (R 1278): *Heva ex Ada facta est, ut sciremus in iis esse unum fontem generis humani.* «Nec illud otiosum, quod non de eadem terra de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adae costa facta sit mulier, ut sciremus unam in viro et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani. Ideo non duo a principio facti vir et mulier, neque duo viri, neque duae mulieres, sed primum vir, deinde ex eo mulier. Unam enim naturam volens hominem constituere Deus, ab uno principio creaturae huius incipiens multarum et disparium naturarum eripuit facultatem».

S. EPHRAEM (R 723): «Accepit Deus costam de Ada et fecit mulierem, ut esset unum caput mundo».

549. Ratio theologica. Ea ratio in eo communiter a theologis ponitur, quod unitas originis sit quasi fundamentum dogmatis peccati originalis, quale fontibus traditur, seu ut peccatum ab uno Ada commissum et omnibus ac singulis hominibus post ipsum existentibus transfusum, ita tamen ut tota eius propago illud contrahat et quidem sola, cum istud praecise via generationis ex Ada propagetur.

Sane omnes et singuli homines post Adam trahunt peccatum originale ex uno Ada illud committente. Sed illud contrahunt praecise generatione ab Ada. Ergo omnes et singuli homines veniunt generatione ab Ada.

Ergo polygenismus, qualis hodie describitur, nequit conciliari cum peccati originalis notione, quae ab Ecclesia traditur, etsi forte cum alia notione eius peccati componeretur^{25*}.

²⁵ Cf. LENNERZ, 300.

^{25*} RAHNER (200-215) insistit in probatione indirecta, quam ipse fortissimam omnium esse putat, in eo sita, quod monogenismus sit necessarium praesuppositum doctrinae et Re-

550. Obiectiones. I. Gen 4,13s: *Dixitque Cain ad Dominum...: Omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* 4,17: *Cognovit autem uxorem suam, quae concepit et peperit Henoch; et aedificavit civitatem...* Ex his, tempore Cain iam erant in terra alii homines. Sed cum hoc facta monogenismus non cohaeret. Ergo monogenismus non datur.

Dist. mai. Tempore Cain erant in terra alii homines descendentes ab Ada, *conc. mai.*; *secus, nego mai.*

Adam dicitur genuisse filios et filias (Gen 4,5). Si ergo computationes annorum Adae et patriarcharum (Gen 5,3-32: *Vixit... Adam centum triginta annis et genuit... Seth... Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta...*) sumantur, non praecise ad litteram (maxime cum sint diversae in textu hebraico et in samaritano et in LXX), sed certe ut exprimentes in genere longaevitatem²⁶, obiecta potuerunt facile poni post magnam hominum multiplicationem. Si vero illae sumantur symbolice²⁷, quin tamen, ut forte non est omnino improbabile, ullam longaevitatem specialem indicent, obiecta simpliciter significarent et timorem Cain in suos fratres ac consanguineos, et urbem, non ut nostras magnas ac consummatas²⁸, sed locum familiaribus Cain electum, qui tuguriis repleretur.

A fortiori ruit difficultas, si admittatur eam narrationem de Cain in suo fonte non agere de filiis Adae, sed eam illis applicatam esse ab hagiographo, ut ostenderet viam corruptionis moralis hominum ex peccato Adae inceptam²⁹.

2. Posito monogenismo, filii Adae nuberent cum sororibus suis. At id legi naturali repugnat. Ergo monogenismus non datur.

Dist. min. Nubere cum sorore repugnat praecipit primariis legis naturalis, *nego min.*; *secundariis, subdist.*: ita ut ea repugnantia a Deo in illis adiunctis removeri posset, *conc.*; *secus, nego.*

Praecepta legis naturalis: *primaria* praecipunt ea quae ad finem primum a Deo intentum in aliqua re sunt necessaria, et prohibent ea quae illum tollunt; *secundaria* praecipunt ea quae ad fines secundarios in aliqua re sunt necessaria, vel eis aut fini primario valde convenientia, et prohibent ea quae fines primum vel secundarios difficiles reddunt vel eis minus congruunt, aut fines secundarios tollunt. At matrimonium inter fratres non tollit necessario finem primum (et ceterum Deus posset impedire quin id fieret) nec fines secundarios.

551. 3. Peccatum originale pariter staret, si esset actus collectivus plurium protoparentum, a quibus in filios propagaretur. Ergo monogenismus non est necessarius ad istud explicandum.

Dist. antec. Peccatum originale, ut actus collectivus plurium protoparentum, pariter staret in alio ordine providentiae, *trans. antec.*; in hoc, *nego antec.*

Sane in hoc peccatum originale est «origine unum» in Ada; transfunditur sola generatione ex Ada, et quidem omnibus ac singulis hominibus post Adam existentibus.

demptionis et peccati originalis. Item insistit in principio metaphysico oeconomiae, quod Deus non interveniat miraculose in ordine naturali, nisi ubi apparet aliquod ens (v.gr. primus homo) vel factum metaphysice omnino novum; iam vero, quoniam dedit primo pari hominum potentiam generativam quae posset esse origo totius generis humani, illi principio contraheret si per se ipsum faceret alios homines et quidem facultate generandi donatos: *Monogenismus*; LThK 7 (1962) 562. Sed repugnat quin ipse initio plures pares per se crearet, si v.gr. volebat ut homines citius propagarentur?

²⁶ J. BRUCKER, *Genèse*: DAF 2,290s; BEA, *De Pentateucho*² p.131.

²⁷ HEINISCH, *Problemi...* c.4.

²⁸ HETZENAUER, o.c., p.105-107.

²⁹ ARNALDICH, 280-300; cf. CHAINE, 77s.80. De longaevitae patriarcharum cf. RENÉ, 123-132; HEINISCH, *Problemi...*

Ceterum gratuito supponitur in peccato committendo unanimitas plurimum hominum (maxime cum essent omnes dono integritatis ornati), etsi ii putarentur in aliqua exigua regione versari, ubi omnes mutuo cognoscerentur; at ii potius, ut congruentius esset cuilibet hypothesei polygenismi, putandi essent vivere vel in diversis regionibus vel in una regione sat ampla sparsi ac mutuo ignoti, et quidem qui peccarent omnes antequam filios generarent; quod si non accideret, vel si eorum protoparentum aliqui non peccarent, universalitas peccati originalis facile rueret³⁰.

4. Peccatum originale staret, si peccatum unius Adae omnibus hominibus cum ipso vel post ipsum, etsi forte non ab ipso, existentibus, a Deo imputaretur³¹. Ergo non est opus monogenismo ad istud explicandum.

Dist. antec. Si peccatum Adae imputaretur omnibus, etsi forte non ab ipso existentibus, peccatum originale staret in alio ordine providentiae, *trans. antec.*; in hoc, *nego antec.*

In hoc enim ordine peccatum Adae non imputatur, ex probatis, nisi filii Adae. Quo posito, ne obiciatur vel Christum mere iuridice (seu non per vinculum descententiae hominum ab ipso) fuisse novum Adam, vel communionem sanctorum in terris non effici vinculis physicis; quae ceterum non sunt omnino vera, cum humanitas Christi sit consanguinea Adae ac nostrum et communio sanctorum in terris solum inter filios Adae habeatur³². In alio vero ordine (immo et in hoc relate ad homines quos quis supponeret exstitisse et extinctos esse ante Adam, et quibus sine ratione positiva peccatum originale tribuere vellet) peccatum originale posset omnibus inesse ex imputatione Adae (etiam sine origine omnium ab ipso)³³, ut censemus, modo tamen ea transmissio explicaretur per divinam institutionem Adae in caput omnium iuridicum administrans bonum eorum commune iustitiae originalis ad eius vel conservationem vel amissionem³⁴.

552. **Scholion 1.** De unitate speciei humanae scientificae sumpta. Nihil alicuius momenti affertur contra eam unitatem. Nam eae quae sunt inter stirpes differentiae coloris (pellis, capillorum, oculorum), morphologicae (statura, forma capitis, capacitas cranealis, angulus facialis), physiologicae (compositio sanguinis), ut omittamus religiosas, psychicas, linguisticas, sunt non *qualitativae*, quasi sint exclusive propriae alicuius stirpis quae talis, sed *quantitativae*, seu quoad frequentiam vel gradum. Eae sunt (diversis et frequentia et gradu) in omnibus stirpibus; in his omnibus sunt plura individua, quae a pluribus aliarum stirpium individuis vix differant; maiora discrimina quam inter homines diversarum stirpium sunt in pluribus vegetabilibus et animalibus, quae novimus esse ab uno stipite v.gr. in canibus et in equis.

Aliunde efformatio diversarum stirpium facile explicatur per medium ambiens, seu complexum conditionum vitae (regionis, tempestatis, laboris, nutritionis, etc.), per repentinas mutationes v.gr. atavicas vel alius rationis, per commercium sexuale. Si autem ob oculos nostros planctae, animalia, homines, miras modificationes subeunt, a fortiori sine dubio putandum est tales modificationes produci, si eae supponantur, ut primum est, a remotissimis temporibus fieri incoepisse.

³⁰ Cf. LENNERZ, 419-424; CUERVO, 283-298; RAMBALDI, 74-78; LABOURDETTE, 159-162; RENÉ, 112-119.

³¹ F.FREIHERR VON HUENE (*palaeontologus*), *Werk Gottes in Natur* (Marburg 1937); MANCINI, 365-367.

³² K.ADAM, *Der erste Mensch im Licht der Bibel und der Naturwissenschaft*: ThQschr 123 (1942) 15-18.

³³ VERRIELLE, o.c., p.225.

³⁴ Huic hypothesei nequit adhaerere qui explicationem transmissionis per Adam ut caput mere naturale (BILLOT, *De personali...* p.143-146) haberet forte ut necessariam ad quamlibet notionem peccati originalis; BATAINI, *Monogenisme et polygenisme...* 366.

553. Rationes scientificae potius *monogenismum* confirmant. Sane similitudines inter diversas stirpes vehementer illa discrimina superant, nempe *morphologicae* (structura, organorum numerus et distributio, etc.), *physiologicae* (functiones organorum in ordine sive ad vitam individui sive ad speciei conservationem, gradus caloris, celeritas media pulsus, duratio media vitae, leges generationis et gestationis et partus, inclinationes, instinctus, maxime interfecunditas illimitata inter diversas stirpes et propensio sexualis ad cuiuslibet horum individua); *psychologicae* (lingua articulata, notio boni et mali, cultus religiosus, facultas intelligendi et libere volendi, capacitas progrediendi in omni ordine, studium earumdem artium, dominium in animalia, etc.).

Hinc unitas speciei et originis ab uno stipite, non solum non obest scientiae, sed potius ea sola explicat innumera phaenomena exsurgentia in comparandis diversis stirpibus inter se³⁵.

Diversitas linguarum non arguit necessario *polygenismum*, cum ea possit effici, non modo praeternaturaliter, sed et naturaliter, ut patet etiam experientia quotidiana (per commercium inter nationes, per studium linguarum, per influxus politicos, per derivationes aliarum ab aliis, etc.); nec tamen arguit necessario *monogenismum*, nisi constet certo omnes linguas ad unam communem originariam reduci posse (at id est valde probabile), et ceterum eam unitatem non fuisse effectum naturalem vel praeternaturalem (extra *monogenismum*)³⁶.

554. Si quae tamen videantur esse verae difficultates scientificae in *monogenismum*, eae vel obiective non existunt vel alio modo (extra *polygenismum*) solvuntur v.gr. si putentur fuisse homines, et quidem extincti, ante Adam; si dispersio fossilium humanorum explicetur per emigrationem antiquissimam descententium Adae³⁷. Ceterum, ait Lennerz: «Si vera sunt, quae antea sunt exposita, cum certitudine dicere possumus: scientiae *polygenismum* nunquam probabunt; ratio autem est, quia verum vero non potest unquam contradicere».

Cum Deus potuerit homines producere per *polygenismum* vel per *monogenismum*, ipsius fuit hunc prae illo eligere et eum nobis, deficiente alio vel teste vel documento, revelare. Hinc, etsi quando probetur certo etiam quoad hominem *factum* evolutionis, ac huius leges inferre *per se* *polygenismum* vel *hologenismum*, immo omnes species homine inferiores hac ratione exstitisse, nondum id *de facto* etiam per homine valere probaretur, cum Deus pro hoc aliud vel praeter legem communem statuere libere potuerit³⁸.

555. **Scholion 2.** De antiquitate generis humani. Ea quaestio non est omnino aliena theologiae, cum ea ex pendeat computatio temporis ante Christi adventum elapsi (quin ceterum a priori excludatur eius temporis durationem esse longissimam potuisse, cum mysteria Dei sint inscrutabilia, v.gr. ut nunc post plura saecula innumeri ethnici adhuc Redemptorem ignorent); at cum desint rationes theologiae ad eam certo solvendam, ea cen-

³⁵ GUIBERT, l.c.; CARLES, 84-100; M.SCHULIEN, o.c.; L.BAUR, *Abstammung*: LTK 1,505; PICARD, 68-78; MARCOZZI, 346-362; Id., *L'uomo...* 397-402.

³⁶ A.TROMBETTI, *L'unità d'origine del linguaggio* (Bologna 1905); qui et alia dein scripsit de origine linguarum ab una communi (cf. C.T., *Trombetti, Alfredo*: EIT 34,402s). Cf. ut eiusdem fere opinionis, P.E.SANTANGELO, *L'origine del linguaggio* (Milano 1949), de quo agit O.ASSIRELLI, *L'origine du langage*: Sc 85 (1950) 320-323; BAUR, 51; A.DREXEL, *Die Frage nach der Einheit des Menschengeschlechtes im Lichte der Sprachforschung* (Innsbruck 1925); C.TRAGLIAVINI, *Lingue*: Clt 21,206. Cf. tamen J.PERZL, S.I., *Die Einheit des Menschengeschlechtes im Lichte der neueren sprachwissenschaftlichen Forschung*: ZkathTh 60 (1936) 120-122.

³⁷ BATAINI, l.c., 369 not.27.

³⁸ LENNERZ, 434; LABOURDETTE, 163-165; PICARD, 78-89.

setur communius esse libera, et potius ad scientias naturales esse remittenda, modo antiquitas hominis leviter non nimis producatur³⁹.

Ex computationibus biblicis (Gen 5 et 11,10-32) sunt aetatis hominis ab Ada ad Christum pro textu massoretico ca.4117 anni, pro samaritano ca.4418, pro LXX ca.5613; at genealogiae patriarcharum iis numeris indicatae non sunt completae (cf. Gen 1.c.; Mt 1; Lc 3; 4 Reg 8,24s; 11,2; 14,21; 2 Par 26,1) et enumerationes diversorum textuum non omnino conveniunt, ac ideo sunt valde difficiles⁴⁰. Hinc ergo res deduci nequit, ita ut, dum Martyrologium Romanum proponit 5199, SS.Patres varia statuunt v.gr. S.Augustinus infra 6.000 annos⁴¹. Id vero nil impedit quin sine conflictu scientia naturalis plures annos homini assignet, cum fieri potuerit ut ex huius origine ad initium historiae israeliticae longum temporis spatium defluerit hebraeis ex eorum traditionibus et ex revelatione ignotum, dum genealogiae biblicae (v.gr. Gen 5) fuerint sensu orientali vere historicae ut respicientes potius doctrinam religiosam quam successionem accuratam factorum praeteritorum⁴².

556. De facto studia historica, praehistorica, linguistica, praesertim scientifica multo plures annos exigunt. Hinc homini assignant v.gr. Carles fere 200.000 vel ad summum 500.000 annos; Breuil saltem 550-600.000; imo a.1950 erant qui assignarent 700-2.000.000; sed mox eae computationes imminutae sunt: Piteveau 500-800.000 alii 600.000; Boné plus quam 300.000⁴³; alii simpliciter multa millennia ponunt sine ulteriore determinatione, nisi forte ut duratio temporum praehistoricorum ulterius minuat; sed hodie, sunt qui, ut Aguirre, retineant ut minimum 1.750.000⁴⁴. In re adeo obscura et tantae opinionum apud scientificos diversitatis difficile proponeretur haec vel illa computatio ut probabilior: «at non minus imprudenter ageret, ait Köppel, is qui ingentem hunc laborem a viris magnae auctoritatis ultimis decenniis factum aut negligeret aut parvipenderet. Scientia catholica quae nullo umquam tempore a veritatibus naturalibus certe statutis discrepare potest, revelationis luce illustrata et ab infallibili Ecclesia secure conducta, etiam his quaestionibus suam solutionem afferet»⁴⁵.

³⁹ RUFFINI, o.c., 192-196; Id., *Chronologia V. et N. Testamenti* (Romae 1924) p.39.89; BEA, o.c., n.128-131; Id., *Praehistoria et Exegesis libri Genesis: VerbDom 17* (1937) 362-366; BOYER, 205-207; HEINISCH, *Problemi...* 119-131. Cf. tamen J.M.SCHNEIDER, *Theologisches und Geologisches zur Lehre über das Alter der Menschheit: DivThom(Fr)* 5 (1927) 313-326.

⁴⁰ Cf. S.HIERONYMUS, *Epist.* 62: ML 22,676.

⁴¹ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 1.18 c.40; ML 41,600; SUÁREZ (*De Incarn.* d.6 s.1 n.1) dicit: «De annorum numero ab urbe condita usque ad Christum tot sunt fere sententiae quot scriptores. Cum enim ex Scriptura sacra numerum certum non habeamus et humanae historiae, ex quibus haec computatio magna ex parte pendet, multum inter se discordant, nihil firmum et indubitatum affirmari potest. Unde alii plusquam quinque mille annos numerant, alii quater mille ducentos, alii quater mille centum, alii quater mille: quibus nonnulli viginti et triginta superaddunt, alii demunt». Et inferius (n.22): «Ex quibus omnibus licet colligere, incarnationem factam esse circa quater millesimum annum a creatione mundi...»

⁴² A.IBÁÑEZ ARANA, *La edad del género humano y las genealogías del Génesis: Lum 6* (1957) 193-216.

⁴³ J.CARLES, *Le premier homme a-t-il vu le jour en Afrique?*: ScAv, mart. 1956: cf. CRISTIANI, *L'Afrique, berceau du premier homme: AmCl 66* (1956) 273; H.BREUIL, *La conquête de la notion de la très haute antiquité de l'homme: Anthr 37-40* (1942-1945) 686s; PITEVEAU, l.c.; BONÉ, *La paléanthropologie: Et 318* (1963) 75; Id., *Devenir...* c.1.

⁴⁴ Cf. S.DEZANI, *L'alba dell'umanità* (Torino 1945) p.62; MARCOZZI, *L'uomo...* 282s; E.WEINERT, *Wie alt ist der Mensch: Sc 48* (1954) 192-196; R.MOUTERDE, *Les premiers hommes: AmCl 64* (1954) 33-41; A.S.WAGNER, *Die Stammtafel des Menschengeschlechtes* (Saarbrücken 1947); OVERHAGE, *Mensch: LThK 7* (1962) 280; E.AGUIRRE, S.I., *Reflexiones sobre nuestro conocimiento de la evolución humana: Origen de la vida y del hombre* (Madrid 1963) 394s.

⁴⁵ R.KÖPPEL, S.I., *Ultimae investigationes de aetate generis humani: Bibl 15* (1934) 427.

CAPUT II

De proprietatibus animae humanae

557. Statuta corporis humani origine, agendum venit de hominis anima, de qua eae fere quaestiones exsurgunt: de eius existentia, seu an anima sit homini et quotuplex et quidem individualis; de eius natura et proprietatibus, seu an ea sit substantia et spiritualis, simplex, immortalis, rationalis seu intellectiva ac libere appetitiva; de eius ad corpus unione et huius effectibus, seu an sit eius forma et, hac posita, exsurgat una natura, una persona, una substantia; tandem de eius origine, seu an sit generata an creata.

Ex his vero quaestionibus aliquae nobis praetermittendae hic esse videntur, sive quia facile sive theologice sive philosophice de earum solutione constat, sive quia reliquis quaestionibus tractandis sufficienter includuntur vel supponuntur. Sic animam humanam existere, eam esse substantiam, et quidem rationalem ac libere appetitivam, patet sive theologice (ex modo loquendi fontium de anima vel ut per se stante vel ut contrapositione corpori, ac de eorum unione in unum ens substantiale seu hominem, et de eius indole morali) sive philosophice (fere ex iisdem rationibus naturaliter inspectis).

Dicemus ergo de animae humanae unicitate ac individualitate, spiritualitate ac simplicitate, immortalitate, unione eius ut formae cum corpore in unam naturam ac personam ac substantiam, origine.

ARTICULUS I

DE ANIMAE UNICITATE

Thesis 22. In homine est anima una et quidem rationalis.

S.TH., 1 q.76 a.2s; 2 CG 58.73.75; SUÁREZ, *De anima* 1.1 c.3-6; PALMIERI, *De creatione* th.29; LERCHER, 2² n.569-573; BERAZA, n.1080-1108; PIAULT, o.c., 149-154; FLICK, o.c., 183-232.

558. Nexus. Venit ergo primo de *unitate* animae humanae quaestio. Haec vero aliam praeviam supponit de hominis *compositione ex anima et corpore*, quae tamen non assumitur hic directe probanda, cum de ea clarissime constet sive ex documentis Ecclesiae, Scripturae, SS.Patrum, sive ex ratione, ut patebit etiam ex argumentis in hac thesi afferendis, ita ut ea dicenda sit *de fide* (explicite vel saltem implicite) *definita*.

559. Notiones. HOMO, qui *metaphysice* sumptus est animal rationale, *physice* nunc inspectus est ens constans ex corpore, seu substantia quadam inhaerentem sibi quantitatem exigente ac variis qualitatibus sensitivis affecta, et alia substantia corpori ut eius subiecto adiuncta, seu anima.

ANIMA est primum a materia diversum principium vitae in vivente corporeo.

UNA, seu indivisa in se, non triplex sive solo numero sive etiam essentia, seu pro triplici hominis vita vegetativa, sensitiva, intellectiva, sed una anima ex qua triplex illa vita emanet aliquo modo nunc non determinando.

RATIONALIS, seu substantia intellectiva.

560. Adversarii. In genere hic memorantur: *Materialistae*, qui theseos suppositum negant, seu esse in homine aliquid superius corpore organizato et ab hoc distinctum. *Monistae* animam ad modum (vel quid simile) unius entis absoluti statuentes. *Marxismus rigidus*, pro quo sua Factio est totum in ordine morali, anima vero nihil. *Razismus rigidus* omnia reducit ad sanguinem¹. *Manichaei* ponentes in homine duas animas rationales, unam bonam, et aliam malam propriam carnis². *Averroistae*, dicentes hominibus esse unam animam intellectivam omnibus communem et aliam sensitivam individualementem seu singulis propriam³.

561. In specie respiciuntur hic maxime: PLATO, homini tribuens voce unam animam quae habeat tres partes, seu unam rationalem, aliam irascibilem, aliam concupiscibilem, at re tres animas, cum diversas sedes in corpore illis partibus assignet (I q.76 a.3)⁴.

APOLLINARIS, dicens humanitati Christi deesse animam rationalem et huius vices ipsum Verbum gerere, tribuit homini, praeter corpus et mentem seu animam rationalem, animam seu principium sensitivum ex quo corpus vivat et sentiat⁵.

GÜNTHER (quem BALTZER, KNOODT, alii secuti sunt) volens verbis defendere dichotomiam, tenuit re trichotomiam, seu

¹ HABERT, l.c., 282-234; KATSCHTHALER, l.I s.2 n.207 not.3; CRISTIANI, *Les idées contemporaines sur l'âme*: AmCl 66 (1956) 439s.

² Cf. S.AUGUSTINUS, *De duabus anim. cont. Manich.* c.1 n.1: ML 42,93s; *Retract.* c.12 n.16: ML 32,105s; G.BARDY, *Manichéisme*: DTC 9,1877.

³ Cf. A.CHOLLET, *Averroïsme*: DTC 1,2629,2635. Intelligi potest Aristoteles modo fere simili? Cf. F.NUYENS, *L'évolution de la psychologie d'Aristote* I (Louvain 1948), qui sic opinatur, dum G.SOLERI dissentit; Sa 2 (1949) 323s.

⁴ Cf. S.SOULHÉ, S.I., *De Platonis doctrina circa animam*: TexDoc, ser.philos. (Romae 1930) p.20-41. Cf. S.Th., I q.76 a.3.

⁵ Cf. TIXERONT, o.c., 29 p.96s; H.DE RIEDMATTEN, *Apollinarismus*: LThK I (1957) 716; THEODORETUS, *Haer. fab. com.* l.4 n.8: MG 83,425; S.GREGORIUS NYSS., *Antirhet. cont. Apoll.* n.8,46: MG 45,1137s.1233. Trichotomiam videtur tenuisse, saltem aliquando, Origenes (Platonem sequens): cf. ARNOU, l.c., 2366; G.BURKE, S.I., *Des Origenes Lehre vom Urstand des Menschen*: ZkathTh 72 (1950) 218.

homini esse corpus et duas animas, cum diceret illum constare ex spiritu ut principio cogitandi et ex corpore praedito vita sensitiva derivante ab ipso. Dum ergo spiritus realiter distinguitur a corpore, principium illud sentiendi ac vegetandi non distinguitur a corpore ut *res a re*, sed ut *vis* qua corpus vivit et sentit. At ex his sequitur *trichotomia* vera, cum, ablato principio illo cogitandi ut distincto a sensitivo, vita sensitiva et vegetativa nequeat, ut patet, esse a corpore quod careat anima sensitiva et vegetativa⁶.

562. Doctrina Ecclesiae. Non videretur apte explicari unitas hominis qualis in ea exprimitur, nisi putetur docere unicam animam: a) *Implicite*, cum asserit constanter ac simpliciter hominem constare ex corpore ac ex anima et quidem rationali, vel dicit simpliciter corpus hominis animari anima rationali; nam sic contraponit unam animam, et quidem rationalem, corpori, quod sane ex se, seu sine illa anima, supponitur sine dubio aliquid inerte et mortuum esse. Nec umquam memorat aliquid elementum distinctum ab anima rationali, quod dicatur corpus hominis aliquatenus vivificari seu animari. b) *Explicite*, cum asserit nonnisi unam animam homini esse.

Christus dicitur esse perfectus homo, utpote compositus simpliciter ex corpore et anima rationali. Symb. Athanasianum (D 40): «... Iesus Christus... Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens». C.Chalcedonense (D 148): «... Dominum Nostrum I.C. ... docemus... Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore...» Pariter C.Constantinopolitanum III (D 290), ALEXANDER III (D 393), C.Lateranense IV (D 429), C.Viennense (D 480), C.Toletanum XI (D 283).

In Christo anima rationalis dicitur animare corpus. C.Constantinopolitanum II (D 216): «Si quis... non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali... secundum subsistentiam factam esse... a.s. ...» Pariter C.Lateranense (D 255): «Si quis... non confitetur... Deum Verbum a caelo descendisse, et incarnatum... et venturum iterum cum gloria paterna cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius...»

⁶ Cf. P.GODET, *Günther Antoine*: DTC 6,1993; H.BRUCK, *Baltzer, Joh.Bapt.*: KL I,1908; KLEUTGEN, *Die Philosophie...* n.818-824; F.J.CLEMENS, *Die speculative Theologie A.Günthers und die katholische Kirchenlehre* I (Köln 1853); Id., *Die Abweichungen der Güntherschen Speculation von der katholischen Kirchenlehre* I (Köln 1853) contra (Baltzer); Id., *Offene Darlegung des Widerspruchs der Güntherschen Speculation mit der katholischen Kirchenlehre* I (Köln 1853) (contra Knoodt); ORBÁN, o.c., p.39-74; A.DEMPFF, *Günther Anton*: LThK 4 (1960) 1276; P.WENZEL, *Das wissenschaftliche Anliegen des Güntherianismus*, t.I (Essen 1961) part.3 c.1.

Homo dicitur constare simpliciter ex corpore et ex anima rationali. Symb. Athanasianum (D 40): «... Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus...» *C.Lateranense IV* (D 428): «... Qui (Deus)... utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam». *C.Vaticanum* (D 1783) eadem verba repetit. *C.Toletanum XV* (D 295).

563. *Statuitur unicitas animae.* 1) *C.Constantinopolitanum IV* (D 338): «Veteri et Novo Testamento unam animam rationabilem et intellectualem habere hominem docente... in tantum impietatis quidam... devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrorationabilibus conatibus... propriam haeresim confirmare pertentent. Itaque sancta haec... Synodus... talis impietatis inventores... et his similia sentientes magna voce anathematizat et definit..., neminem prorsus habere... quoquo modo statuta huius impietatis auctorum...»

His definitur: a) *Certo*, non esse homini nisi unam animam rationalem. b) *Saltem probabilius*, non esse homini aliam animam saltem sensitivam a rationali distinctam, cum tradatur simpliciter non esse ei «duas... animas». Verba «rationalem et intellectualem» (λογικήν τε καὶ νοεράν) sunt adiecta mere ut appositio (i.e. quae est rationalis...), ut patet ex eo quod inferius non adiciantur, cum memorantur dicentes «duas eum habere animas» (δύο ψυχὰς ἔχειν) sine harum naturae determinatione⁷.

At historice non constat certo qui *dualismus* damnetur hic, an *manichaeus* (quo posito, valeret definitio de una anima rationali), ut est minus probabile, cum is nec tunc renatus esse videatur nec ab Ecclesia damnari soleret nisi sub generali thesi de duplici principio, uno bono, alio malo; an potius *apollinaristicus*, qui tunc saltem apparenter excitatus esse videatur. Nam Photius, contra quem habitum est hoc Concilium, quin necessario putetur, v.gr. cum Hefe-Leclercq⁸, trichotomiam docuisse, accusatus est quondam de ista, sic ut ea forte occasione illa definitio lata sit⁹.

564. 2) Pius IX (D 1655 nota 3): «Sententiam quae unum in homine ponit vitae principium: animam sc. ratio-

⁷ M.M.JUGIE, *Constantinople (IV^e Concile de)*: DTC 3,1300S. At cf. BOYER (159): «Hic tamen tantum de unitate animae rationalis quaestio est. Et sane, non obstante ea damnatione, non pauci postea dualismum tenuerunt: cf. MICHEL, *Forme du corps humain*: DTC 6,559-564.

⁸ HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles 4* (Paris 1911) p.526.420; JUGIE, l.c. Ceterum cf. ATHANASIUS: Msi 16,6; SIMEO: MG 109,736.

⁹ Cf. J.HERGENRÖTHER, *Photius, Patriarch von Constantinopel 3* (Regensburg 1869) p.444-446; JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientantium 2* (Parisii 1933) p.582; L.PETIT, *Ames*: DTC 1,1007S; PALMIERI, n.5; Msi 16,166.404; 6,157.406; CLEMENS, *Die speculative Theologie...* 51S; Id., *Die Abweichungen...* I p.12-16.33-41; Id., *Offene Darlegung...* I p.10. Cf. ORBÁN, p.59-62.

nalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio nec proinde sine errore in fide possit negari».

Etsi his *expresse* non memoratur, praeter sensitivam, vita vegetativa ut proveniens ab anima rationali, tamen ea verba et sunt contra eos güntherianos (ut I.B.Baltzer) quibus haeretica esset opinio unici principii vitalis et ideo defendunt praecise contrariam quod sit «unum... vitae principium», a quo quidem corpus generaliter dicatur accipere «et motum et vitam omnem et sensum», ergo sine dubio quidquid includit vita sensitiva ac vegetativa¹⁰. Licet ea ponatur solum ut sententia *communissima et quae plerisque ac probatissimis doctoribus theologice certa esse videatur*, facile patet ex eo contextu eam a Pontifice approbari¹¹.

3) *C.Coloniense* (prov.): «... Dubium esse nequit, e conciliorum mente anima rationali a Deo creata ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici... Cavendum igitur est a sententia eorum, qui a sana doctrina aberrantes, praeter animam rationalem in homine aliud quoddam fingunt vitae corporalis principium, quod animam sentientem vel somaticam vocant, sive hoc vitae corporalis principium psychicum seu vegetativum etiam a corpore distinguant, sive unam eandemque cum illo substantiam esse affirmant».

Tamen cum in C.Vaticano pareretur doctrina quod anima rationalis non «per aliam animam seu quoddam aliud vitae principium, sed per se ipsa corpus ad esse homini proprium determinat», *expresse* declarabatur his non definiti «contra quosdam catholicos scriptores, nullam aliam animam... in homine posse admitti... quae corpus ad recipiendam primam formam, animam sc.rationalem disponat...» Sed non constat ea verba aequivoce (probabilius sumenda de ipsa infusione animae rationalis) esse de nostra re, cum ibi etiam pareretur canon contra affirmantes «praeter animam rationalem aliam ab hac realiter distinctam in homine esse»¹².

565. *Valor dogmaticus.* *De fide divina et catholica definita* (D 338) est non esse homini nisi unam animam rationalem.

Immo etiam definitum est, ut *probabilius* putamus¹³, nullam ei esse animam *sensitivam* distinctam ab illa rationali. Saltem est id (fidei proximum et) *theologice certum*, utpote immediate deducendum sive ex definitione formaliter implicita de compositione hominis ex carne (quam sane ut ab anima ra-

¹⁰ Cf. Pius IX: AAS 8 (1874) 443S; PALMIERI, p.272; MAZZELLA, n.613 not.

¹¹ Cf. PESCH, 3 n.117; MICHEL, 564. Cf. tamen BOYER, p.160.

¹² *Decreta* p.1 t.4 c.14: CL 5,293. De C. Vaticano cf. CL 7,566.1633.1637.1639; ORBÁN, o.c., 81-94.

¹³ Sic et BERAZA, n.1090; LERCHER, n.569; DAFFARA, n.432. Cf. tamen HUARTE, n.234.

tionali distinctam nemo putat esse vivam) et ex animante illam rationali anima (D 148 216 255 393 429), sive ex ea definitione quod anima ut intellectiva sit corporis forma (D 481) cum, qua talis, non det illi praecise intellectualitatem.

Ex eadem fere ratione, nullam animam *vegetativam* distinctam ab illa rationali ei esse, est *certum in theologia*, immo et *fidei proximum*¹⁴.

Ratiocinium nuper indicatum, quod ulterius nunc non evolvitur, clarius patebit ubi inferius constabit de homine, ut una natura, et de anima, ut corporis forma.

566. Probatur ex sacra Scriptura. Idea biblica hominis non respondet dualismo platonico vel aristotelico: cum hebraeus non respiciat entia nisi ut empyrica et concreta, non videt in homine vel materiam vel corpus vel spiritum ut huic oppositum, sed quid unum ac totale dynamicum physio-psychologicum. At in eo effert duplicem aspectum, quod sit:

1) Ens materiale, nam: a) Eius corpus est sexuale (Gen 1, 27s) et fit a Deo ex terra (2,7). b) Totus homo dicitur caro (6,12; Is 40,6) fere ut alia viventia materialia (Gen 7,16; Iob 34,15).

2) Persona vivens. Cum anima (nephesh, psyché) sit vitae signum ac forte principium (Gen 19,19; 3 Reg 20,31s; Iob 11,20; Ier 15,9) et designet individuum etiam animale (Gen 2, 19), totus homo dicitur excelsior anima vivens (2,7), nam inducitur ut persona seu individuum humanum rationale, quatenus: a) Solus posita speciali deliberatione divina fit ad imaginem et similitudinem Dei (1,26s). b) Fit cooperator Dei in paradiso et huius custos (2,15). c) Differt ab omnibus animalibus, quibus ceterum nomina imponit (2,19s). d) In iis non invenit adiutorium sibi simile quod cupit quodque tamen specialiter a Deo factum accipit (2,20-25). e) Est capax loquendi cum Deo, praecepti, peccandi, imperandi animalibus (Gen 2-3; Eccli 15,11-18; 17,1-12; Ps 8,5-9) et cum quo libere unitur in societatem coniugalem (ibid.).

Iam vero, etsi Scriptura expresse ac directe non definiat philosophiam compositi humani, tamen eo quod ab initio et dein constanter in V. ac N.T. hominem inducat ut ens corporeum-rationale, videtur eum sua notione concipere ut corpus vivificatum principio spirituali, vel saltem id ex eius notione hominis erui ita ut huic ideae entis compositi ex corpore et anima rationali optime consonet: a) Creatio Adae ex corpore et alio elemento vivificante (Gen 2,7; cf. Iob 10,9-12). b) Mors ut qua «revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus

¹⁴ Sic et LERCHER, l.c. Pro DAFFARA (l.c.) de fide.

redeat ad Deum, qui dedit illum» (Eccl 12,7) seu ut separatio pulveris et spiritus (Ps 103,29s; 145,4) vel ut peregrinatio e corpore ad Dominum (2 Cor 5,6-8; cf. 2 Petr 1,13s), qua «corpus sine spiritu mortuum est» (Iac 2,26; cf. Act 20,9s). c) Resurrectio ergo ut qua ossa non viventia quia «spiritum non habebant» reviviscant, quatenus «ingressus est in ea spiritus» (Ez 37,1-14; cf. Lc 8,49-55). d) Capacitas mortis corporis sine morte animae per eos «qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere» (Mt 10,28)¹⁵.

567. Probatur ex traditione. SS. Patres, etsi non pauci eorum philosophiae platonicae (servatis servandis) adhaerent¹⁶, tamen maxime post Apollinarismum exortum¹⁷, *dichotomiam* docuerunt *explicite* quoad exclusionem animae sensitivae distinctae a rationali; in genere saltem *implicite*, quoad exclusionem animae vegetativae distinctae a rationali, quatenus animam rationalem ponunt ut unicum principium vitae corporis, et quatenus hominem constanter inducunt ut compositum ex uno corpore et ex una anima.

568. a) Ante Apollinarismum. ATHENAGORAS (R 170): *Homo constans ex anima et corpore fit ex utroque unum animal.* «Omnis communiter hominum natura ex anima immortali constat et corpore, quod cum anima in creatione coniunctum fuit...; necesse est omnino ut, cum unum sit ex utroque animal, quod patitur quaecumque anima patitur et corpus...»

S. IRENAEUS: *Anima rationalis dat corpori vitam et incrementum.* «Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori... Sed non amittit suam scientiam»¹⁸.

TERTULLIANUS (R 352): *Anima separata punietur vel recreabitur ob cogitatus malos vel bonos, in quibus carne non eguit; at et ipsa per corpus agit.* «Congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur. Quid nunc, si et in carnalibus prior est quae concipit..., disponit..., impellit? Et si quando invita, prior tamen tractat, quod per corpus actura est»^{18*}.

¹⁵ De conceptu biblico hominis cf. VAN IMSCHOOT, o.c., 2 (1956) 3-38; M. BAILY, C.S.S.R., *Biblical man and some formulae of christian teaching*: IrishThQuart 27 (1960) 173-200; X. LEON-DUFOUR, *Ame: VocThBibl* (Paris 1962) 29-33; H. HAAG, *Mensch: BibLex* (Einsiedeln 1951) 1104-1107.

¹⁶ ARNOU, l.c., 2258-2392; cf. 2388-2390 (conclus.).

¹⁷ Apollinaris videtur, non ab initio, sed serius (at ante a.374) trichotomiam defendisse (cf. TIXERONT, l.c., 97).

¹⁸ S. IRENAEUS, *Adu. haer.* 2,33,4: MG 7,833.

^{18*} G.T. ARMSTRONG, *Die Genesis in der Alten Kirche* (Tübingen 1962) 87: Tertulliani est primus tractatus de anima...

CLEMENS ALEX.: *Homo est ex corpore et anima rationali.* «Merito ex terra corpus dicit formari Moyses..., animam autem ratione praeditam desuper inspiratam fuisse in faciem...»¹⁹

569. b) *Post Apollinarismum exortum.* S.GREGORIUS NYSS. (R 1021): *In homine est una anima a qua est vita rationalis et sensitiva et vegetativa.* «Etsi... declaratum est triplex esse in vivendi facultate discrimen, ut alia sit vita quae... nutriatur...; alia et nutriatur et sentiat...; alia denique et ratione utatur et perfecta sit perque facultates ceteras omnes diffusa...; nemo tamen ideo putet tres in humano opificio animas esse..., ut naturam hominis ex pluribus animabus conflata putare debeamus. Nam... perfecta anima reapse unica quaedam est, intelligens, immaterialis, sed per sensus naturae illi crassae mixta».

Anima rationalis dat sensibus facultatem vivendi. «Anima est... essentia vivens, intellectualis, corporeis sensuum instrumentis vivendi et ea quae cadunt sub sensus, percipiendi facultatem per se suggerens...» (R 1056).

S.AUGUSTINUS (R 1563): *Anima et spiritus in homine unum sunt.* «Tria sunt quibus homo constat: spiritus, anima, corpus: quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur (pars enim quaedam eiusdem rationalis, qua carent bestiae, spiritus dicitur), principale nostrum spiritus est».

S.CYRILLUS ALEX. (R 2062): *Homo est corpus anima rationali animatum.* «Quid enim aliud est humanitatis natura, nisi caro per animam intelligentem animata...?»

Homo constat duobus, anima et corpore. «Nonne unum dicimus hominem..., etsi... simplex non sit, sed potius ex duobus compositus, anima, inquam, et corpore?» (R 2135).

S.IOANNES DAMASC. (R 2357): *Anima rationalis dat totam vitam corpori.* «Anima est... rationalis et intelligens..., organo instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se seiunctam mentem habens (mens enim est subtilissima ipsius pars...).»

GENNADIUS (R 2225): *In homine nonnisi una est anima et rationalis et vivificans carnem.* «Neque duas animas esse dicimus in homine... unam animalem qua animetur corpus... et alteram spiritualem quae rationem ministret; sed dicimus unam esse eandemque animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat..., ut... eligat cogitatione quod vult»²⁰.

¹⁹ CLEMENS ALEX., *Strom.* 5,14: MG 9,139.

²⁰ De mente SS.Patrum, cf. J.BAINVEL, *Ame:* DTC 1,977-1006; ORBÁN, 51-54.

570. *Ratio theologica.* In fontibus theologicis homo continuo apparet ut constans simpliciter ex anima et corpore, et quidem ita ut mors ei eveniat ex utriusque separatione. At id supponit totam vitam homini esse ex illa anima. Ergo homo habet unicam animam.

571. *Ratio naturalis* idem confirmat. Ex conscientia experimur unum idemque esse subiectum sentiens et subiectum intelligens, ita ut pariter dicamus: cogito, audio, ambulo. Ergo in nobis unum idemque est principium intellectionis et principium sensationis. At principium sensationis in nobis est idem ac subiectum vegetationis: a) ob unionem quae apparet inter vitam sensitivam et vitam vegetativam; b) eo vel maxime quod terminus nutritionis est pars organismi capax sentiendi, vel ad hoc ultimo disposita, et terminus generationis est animal sentiens, ita ergo ut neutrum queat produci principio non sensitivo, ne effectus sit perfectior quam causa. Ergo in homine unum est principium triplicis vitae seu una anima.

572. *Obiectiones.* Si hebraei respiciebant hominem ut unum quid concretum seu ut syntheticum organismum physio-psychicum, quin ergo distinguerentur in eo velut partes (iuxta notiones aristotelicas) corpus (sôma) vel caro (sarx), anima (psyché, nephesh), spiritus (pneuma, ruah) melius dicatur Scriptura directe nec dichotomiam nec trichotomiam docuisse. Sed dum in ea generatim anima (nephesh) est principium vitae vegetativae ac animalis et spiritus (ruah) est principium activitatis intellectivae ac spiritualis, adhibet alias animam et spiritum ut voces synonymas eiusdem realitatis (Iob 7,11; 12,10; Is 26,9; Bar 3,1), in concreto de principio vitali (Sap 15,8,11,16) vel dum anima adhibetur ut principium vitae rationalis (Iob 19,2; Ps 85,4; 138,14; Prov 19,2) ut spiritus, hic etiam sumitur ut halitus vitalis (Gen 6,17; 7,15,22; Ez 37,10-14; Ps 103,29s) ut anima. Alias anima sumitur pro tota persona (Gen 14,21; Ex 1,5). Alias caro indicat totum hominem (Gen 2,24) alias apparent ut voces vel ideae synonymae anima et caro (Ps 62,2; 83,3; Iob 14,22), homo et caro et anima (Ps 15,9s), homo et spiritus (Ps 30,6), homo et anima (Ps 48,16). Numquam vero caro, anima, spiritus simul adhibentur²¹.

Et cum aliunde Scriptura ex dictis (n.566) innuat (v.gr. Gen 2,4-7) hominem esse ens compositum ex duobus elementis, quae aptius respondeant nostro corpori ac nostrae animae rationali, vel saltem ita loquatur ut ea compositio iure deduci queat, immerito supponeretur docere trichotomiam, si quibusdam paucis locis hanc indicare videretur. Potius hi modi loquendi, desumpti ex philosophis graecis, habendi sunt vel ut metaphorici vel ut indicantes, non duas animas diversas, sed duos aspectus reales eiusdem animae, vel ut distinguentes ordinem supernaturalem a naturali. Haec ergo prae oculis habeantur maxime apud S.Paulum, qui multiplici sensu adhibet vocem «spiritus»²¹.

a) Anima in se simplicissima potest vocari spiritus vel anima, prout respiciatur ut intellectiva (et sic operans, ut spiritus, cum intrinseca independentia a materia) vel sensitiva (et sic ut animans corpus) aut etiam secundum affectus superiores vel inferiores.

b) Potest vocari spiritus id quod est in homine principium vitae supernaturalis, anima vero principium vitae naturalis, ita ergo ut, iuxta hanc

²¹ VAN IMSCHOOT, *o.c.*, 2,16-35; BAILY, *l.c.*, 182-186; J.GUILLET, *Esprit: VocThBib* (1962) 311s; P.HEINISCH, *Teologia del Vecchio Testamento* (Torino 1950) 181s; H.HAAG, *Mensch: BibLex* (Einsiedeln 1951) 1105; ALLO, *Première épître aux Corinthiens* (Paris 1934) p.91-94; PRAT, *o.c.*, 489-492.

vel similem ideam, spiritus connotet aliquid supernaturale ex vivificatione Spiritus S. proveniens, anima vero vitam naturalem. Hinc corpus resuscitatum dicitur spirituale (πνευματικόν), mortale vero animale (ψυχικόν) (1 Cor 15,44-46); item gratia supernaturalis dicitur spiritualis (Rom 1,11), dum sensu peiore illusores novissimi temporis «secundum desideria sua ambulantes in impietatibus» dicuntur animales (Iud 19).

573. 1. Dan 3,86: *Benedicite, spiritus et animae iustorum, Domino. Hic tribuuntur iusto spiritus et anima. Ergo docetur trichotomia.*

Dist. antec. Tribuuntur iusto spiritus et anima ut diversa principia unius eiusdemque substantiae, *conc. antec.*; ut diversae substantiae, *nego antec.*

Sane propheta singulas res mundi expresse memoratas ad laudandum Deum ferventer adhortans, vult ut etiam homo totis suis viribus sive rationalibus (intellectu ac voluntate i.e. spiritu) sive sensitivis (potentiis sensitivis i.e. anima) Deum laudet, fere ut iubetur ipsum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute (Mc 12,30). Ceterum anima (nephesh) et spiritus (ruah) in V.T. sunt voces non mutuo oppositae sed parallelae, saepe mutuo substituuntur, numquam simul adhibentur²².

2. Lc 1,46s: *Magnificat, anima mea, Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Distinguitur in homine anima a spiritu. Ergo traditur trichotomia.

Dist. antec. In homine anima a spiritu distinguitur voce, *conc. antec.*; re, *nego antec.* Ut patet ex contextu, utraque vox indicat synonymice animam rationalem²³. Est usus parallelismi poetici.

3. 1 Cor 2,14: *Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei... Spiritualis autem iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur.* Pariter hic distinguitur implicite anima a spiritu. Ergo supponitur trichotomia.

Dist. antec. Distinguitur anima a spiritu relate ad vivificationem et illuminationem Spiritus S., *conc. antec.*; relate ad naturalia, *nego antec.*

Spiritualis homo est qui percipit et iudicat res ex luce et vivificatione Spiritus S.; animalis vero qui ea iudicat secundum rationem suam naturalem²⁴.

Ceterum, si anima differret a spiritu, animalis homo, seu non percipiens ea quae sunt spiritus, hoc careret.

574. 4. 1 Thess 5,23: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu D.N.I.C. servetur.* Hic distinguitur in homine spiritus ab anima. Ergo traditur trichotomia.

Dist. antec. Spiritus ab anima distinguitur ratione, seu secundum aliquem aspectum, *conc. antec.*; ut res a re, seu simpliciter, *nego antec.*

Fere ut nuper dictum est (n.573,1) Paulus vult ut sanctus sit *totus homo*, seu secundum corpus et secundum animam sive ut principium intellectivum (seu spiritum) sive ut principium vitale (seu animam), ergo effert non duo principia hominis, sed duos huius aspectus psychologicos (ut Gal 5,16-25)²⁵.

Ceterum Paulus adhibet ut aequivalentes voces «spiritus» et «anima» (Phil 1,27), illam primam simpliciter opponit voci «corpus» (1 Cor 5,3s; 7,34; Rom 8,10) vel voci «caro» (Col 2,5), dum contra adhibet vocem «ani-

ma» sensu vocis «spiritus» (Eph 6,6s; Col 3,23) vel etiam simpliciter pro tota persona humana (Rom 2,9; 13,1)²⁶.

575. Eadem fere dicenda sunt de Hebr. 4,12: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti; ac pertingens usque ad divisionem animae et spiritus.* Haec videtur esse formula emphatica ad efferendam vim cognoscendi corda, quae sit verbo Dei.

Et hoc fere modo intelligitur S.Iustinus, qui videretur trichotomiae favere: «Nam domus est animae corpus, et spiritus domus anima. Trihaec in iis qui sinceram spem et fidem minime dubiam habuerint in Deo, salvabuntur» (R 148). Paulo ante dixerat: «Quid est enim homo nisi animal rationale ex anima et corpore constans?»²⁷

576. 5. Operationes specie diversae (intellectio, sensatio, nutritio) supponunt in homine principia specie diversa. Ergo homini sunt plures animae.

Dist. antec. Operationes specie diversae supponunt principia proxima specie diversa, *conc.*; remota, *subdist.*: virtualiter diversa, *conc.*; re diversa, *nego.*

Nil impedit quin una simplex entitas habeat vim ad operationes etiam specie diversas, quas tamen per diversas potentias ponat. «Sic... anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, nutritiva plantarum...» (1 q.76 a.3).

6. At sunt in homine operationes etiam mutuo oppositae. Ergo et diversae animae.

Dist. antec. In homine sunt operationes mutuo oppositae per accidens, *conc. antec.*; per se, *nego antec.*

Sic, etsi operationes sensitivae sint eiusdem rationis, aliae tamen adversantur rationi, aliae non; aliae sine sui intrinsicam mutatione alias adversantur rationi, alias non. Ergo illa oppositio non est *per se*, seu ex ipso principio naturae, sed *per accidens*, seu ratione adiunctorum et obiectorum. Nec est inconveniens aliquid idem existens secundum diversas vires vel partes moveri ad opposita; et ideo licet substantia animae humanae sit eadem sensitivae et intellectivae, tamen potest secundum diversas partes et vires moveri ad opposita...» (Quodl. II q.5 a.5,2)²⁸.

Aliquando operationes ipsius vitae rationalis sunt mutuo oppositae (1 q.79 a.9), quin tamen homini sint plures animae rationales.

7. Nequeunt in eadem anima esse motus contrarii. At in homine sunt motus contrarii. Ergo in homine sunt plures animae.

Dist. mai. In eadem anima nequeunt esse motus contrarii efficaces, *conc. mai.*; inefficaces, *nego mai.*

Anima potest diversis potentiis ferri in obiecta contraria v.gr. in obiectum honestum et in obiectum delectabile illi honesto contrarium, non vero in utrumque simul efficaciter²⁹.

577. Scholion I. *De individualitate animae humanae.* Haec est singularis hominibus *individualis*, seu numerice ab anima rationali cuiuslibet alius hominis distincta in oppositione ad *communem*, qualem statuerunt Averroistae (cf. n.558).

²⁶ Cf. ALLO, p.92.104; FESTUGIÈRE, *L'idéal religieux des grecs et l'évangile* (Paris 1932) 196-220.

²⁷ S.IUSTINUS, *De resurr.* n.10.8: MG 6,1589.1585. Etsi non constet certo hunc tractatum esse S.Iustini (cf. B.ALTANER, *Patrologie*² [Freiburg im Br. 1950] p.92), tamen est eiusdem temporis et fere eiusdem spiritus, ita ut ille ad explicandum obiectionem iure appellatur: cf. BAINVEL, 978-980.

²⁸ Cf. BERAZA, n.1106.

²⁹ Cf. MAZZELLA, n.243.

²² LINDER, o.g., p.209s; VAN IMSCHOOT, 35.

²³ LAGRANGE, *Évangile selon Saint Luc* (Paris 1927) p.458.

²⁴ ALLO, p.48s; PRAT, p.490. De vario usu vocum pro hac re in N.T. cf. J.CAMPOS, Sch.P., «Anima y animus en el N. Testamento: Salm 4 (1957) 585-601.

²⁵ PRAT, p.62s.490; J.M.VOSTÉ, O.P., *Commentarius in epistolas ad Thessalonicenses* (Romae 1917) p.167-169; A.M.FESTUGIÈRE, O.P., *La trichotomie de 1 Thess. 5²³ et la philosophie grecque: RechScRel* 20 (1930) 385-415; ALLO, p.102-104; LEAL, *Cuytas a los Tesalonicenses: SagrEscr* 2 (Madrid 1962) 929s.

Id est *de fide divina et catholica definita* in C.Lateranensi V (D 738) damnante «omnes assentes, animam intellectivam... esse... unicum in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes, cum illa... vere per se et essentialiter humani corporis forma existat..., verum... et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata et multiplicanda sit...»³⁰

Ceterum id fontes theologici evidenter et semper supponunt in ordine ad vitam christianam (v.gr. quoad instructionem de rebus fidei et susceptionem fructuosam sacramentorum), ad vitam moralem et ad sanctionem praemii vel poenae.

Ipsa ratio naturalis (accedente experientia) plenam independentiam intellectualem et moralem hominum inter se praedicat (I q.76 a.1s; 2 CG 73)^{30*}.

578. Scholion 2. *De spiritualitate animae humanae.* Anima humana est *spiritualis*, seu nec est corpus, nec *intrinsicè* dependens in esse et in operari a corpore ut a subiecto inhaesionis (quali inhaeret accidens vel sustentationis (quali inest anima brutorum et plantarum); quin tamen ea excludat dependentiam *extrinsecam* (qualem etiam excludit spiritus purus seu Deus et angelus) ab illo ut a subiecto informationis.

Id est contra Materialistas³¹, *de fide divina et catholica et forte definita* in C.Lateranensi IV (D 428): «Qui (Deus)... condidit creaturam, spiritualem et corporalem... ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam», quae C.Vaticanum repetit (D 1783)³². Nisi potius dicatur spiritualitas animae iis solum obiter ac indirecte tradi³³, cum tamen clare exprimat hominem, praeter corpus, spiritum habere (etsi illa quaestio non decidatur, num angelis sit aliquale corpus)³⁴.

Scriptura permittit eam eruere dum inducit animam ut a corpore distinctam origine et destinatione (Eccl 12,7; 2 Cor 5,6-8; cf. 1 Cor 13,12), entitate (subsistente: Mt 10,28), operatione (1 Cor 2,11), inclinatione (Gal 5,17), praestantia (Rom 8,16; 1 Cor 2,11)³⁵ vel in genere dum tribuit homini activitatem omnimodam intellectivam.

Idem clare docent SS.Patres (v.gr. S.Irenaeus, R 252; S.Gregorius Nyss., R 1021; S.Augustinus, R 1438), praeter quosdam antiquiores obscurius de hac re loquentes (forte quia clara notione spiritus carerent) ut Tertullianum (R 346s 349)³⁶.

Ratio theologica id deducit ex ordine gratiae, quae (visio Dei, gratia sanctificans, virtutes infusae, dona Spiritus S., actus meritorii, etc.) spiritualitatem animae supponit.

Ratio naturalis idem deducit ex animae immortalitate naturali, nam, si anima exigit natura sua vivere post mortem hominis, est intrinsicè independentis a corpore in esse et consequenter, cum in illo statu debeat posse convenienter agere, in operando; ex libertate, qua facultas organica caret;

³⁰ Cf. F.VERNET, *Léran (V^e Concile Oecuménique du)*: DTC 8,2681-2683. M.de Unamuno non admittit animam ut spiritualem, immo nec ut substantiam, sed ut conscientiam permanentem in sua successione: cf. Q.PÉREZ, S.I., *El pensamiento religioso de Unamuno frente a la Iglesia* (Santander 1947) 58-60.

^{30*} Potius philosophice B.VON HEBENSTREIT, *Individualität der Seele*: LThK 5 (1960) 654s.

³¹ Cf. BERAZA, n.1115-1118; HABERT, Lc.; H.KUHN, *Materialismus*: LThK 7 (1962) 161-163.

³² Cf. DAFFARA, n.386.

³³ BERAZA, n.1121; HUARTE, n.227; LERCHER, n.584.

³⁴ Cf. BOYER, p.141s. Ceterum, etsi fontes minus loquantur de animae spiritualitate quam de eius immortalitate (quae hominum maxime interest), tamen, ubi immortalitas naturalis, et illa implicite docetur.

³⁵ DONDEYNE, Lc., 269-272; VACANT, 456s. Cf. in genere E.FLORIT, *L'anima umana e la Bibbia: La creazione...* (Garofalo, o.c.) 172-178.

³⁶ Cf. BERAZA, 1127-1129; E.PEILLAU, *Ame*, 8 (La Spiritualité): DTC 1,1021-1028. De S.Augustino ponente essentiam animae in spiritualitate cf. SCIACCA, *La esencia del alma y San Agustín*: Cris 1 (1954) 544-549.

ex cognitione et immaterialium, et materialium per abstractas notas universales, et relationum (I q.75 a.1s)³⁷. Ceterum, ut constat contra A.Bonnetty (D 1650): «Ratiocinatio... animae spiritualitatem... cum certitudine probare potest».

579. Corollarium. *Anima humana est: a)* Certo *integraliter simplex* seu carens partibus non essentialiter distinctis, cum haec non concipiuntur esse nisi enti quantitatem habenti, seu corpori, vel saltem a corpore intrinsicè dependenti. *b)* Certo, ut etiam potest dici contra S.Bonaventuram et alios antiquos theologos scholae franciscanae³⁸, *essentialiter simplex*, seu non constans ex *forma* et *materia* quadam *spirituali*, cum non sint multiplicanda entia sine necessitate; cum secus non appareat cur tota anima sit actus intelligendi ac principium volendi, et cur pariter illud elementum formale non sit compositum.

ARTICULUS II

DE IMMORTALITATE ANIMAE

Thesis 23. Anima humana immortalis est.

S.Th., I q.75 a.6; 2 CG 79-82; S.BONAVENTURA, In 2 d.19 a.1; q. 1; SUÁREZ, *De anima* l.1 c.10; BERAZA, n.1130-1140; MUNCUNILL, n.546-555; DAFFARA, th.23; BOYER, th.5; LERCHER, 2³ n.585-580; FLICK, o.c., 183-212.

580. Nexus. Cum ex probatis constet de existentia humanae animae et quidem unius, ac de eius et individualitate et spiritualitate et simplicitate, quaestio iam nobis occurrit tractanda de eius immortalitate.

581. Notiones. ANIMA HUMANA, seu illa unica quae est in homine.

IMMORTALE dicitur ens vivum quod gaudet *immortalitate*, seu impotentia amittendi vitam: 1) Vel *essentiali*, seu *propria entis de cuius essentia est esse et cui proin metaphysice repugnat mors, qualis est unus Deus.*

2) Vel *naturali*, seu *propria entis ab alio habentis esse, at de cuius exigentia naturali est perpetuo esse et cui proin physice repugnat*, sed non absolute seu etiam prae omnipotentia Dei.

³⁷ Cf. PEILLAUBE, 1028-1041; DONDEYNE, *Spiritualitas ratione demonstratur*: CollatBrug 31 (1931) 366-372; J. PHAN-VAN-LONG, *La spiritualité de l'âme humaine*: LavThPh 12 (1956) 152-174; L.ZANI, *Annotazioni sul tema «spiritualità e immortalità dell'anima»*: Sap 16 (1963) 166-171. Pro I.M.RODRÍGUEZ, O.P., *El más antiguo y discutido argumento para probar la incorporeidad del alma humana* (Las Caldas de Besaya-Santander 1952) argumentum praecipuum est id, quod intellectus humanus, utpote qui omnia corpora cognoscat, sit incorporeus. Ergo cerebrum non est instrumentum animae, etsi haec ab eo certe pendeat extrinsece ad actus spirituales: MICHEL, *Cerveau, instrument de l'âme*: AmCl 69 (1959) 258.

³⁸ S.BONAVENTURA, In 2 d.3 p.1 a.1 q.1s; cf. edit. Quaracchi t.2 p.92-94 (ubi alii auctores memorantur); ROBERT, o.c.; ALEXANDER HAL., *Summa* p.2 q.20; cf. E.LEINEIDAM, *Das Problem der hylemorphen Zusammensetzung der geistigen Substanzen im 13. Jahrhundert behandelt bis Thomas von Aquin* (Liebenthal 1930); quem complet O.LOTTIN, *La composition hylemorphique des substances spirituelles*: RevNéoscolPh 33 (1932) 21-41.

3) Vel *gratuita* seu propria entis ab alio habentis esse, at cui, praeter eius exigentias, *dono Dei gratuito datur ut perpetuo sit* (ergo immortalitas semper de facto, numquam de iure), ita ut ea immortalitas sit aut *necessario inamissibilis*, seu qualis est corpori beatorum, aut *conditionate inamissibilis*, seu qualis fuit corpori protoparentum.

Immortalitas, utpote non competens nisi enti vivo et quod mori nequit, differt ab *incompactibilitate*, quae opponitur corruptioni, et quae proin, non solum convenit enti vivo immortalis, sed et omni enti simplici, seu partibus carenti.

582. Est, sc. anima est *immortalis* et *de facto*, seu quatenus ea numquam morte afficietur, et *de iure*, seu quatenus ex exigentia suae naturae nequit amittere vitam, sed non metaphysice et proin prae omnipotentia Dei.

Cum animae immortalitas *de facto* clare constet ex omnibus quibus fontes sortem omnium animarum ut aeternam efferunt (ut patet ex tractatu *De Novissimis*), ea hic fere non respicitur, nisi ad immortalitatem *de iure* confirmandam.

583. **Adversarii.** 1. Immortalitatem *de facto* negant plurimi v.gr.:

Materialistae omnes, ut per se patet, antiqui et hodierni ¹.

Sadducaei negantes cum resurrectione et cum existentia spirituum immortalitatem animae (Act 23,8) ².

Quidam *Arabes* s.III dicentes animam cum corpore perire et cum hoc esse resuscitandam. Apud plures *Protestantes* hodiernos, ut K.Barth, qui substituit immortalitati resurrectionem, crescit opinio quod anima in morte totaliter annihiletur et in resurrectione sit iterum omnino creanda ³.

Thnetopsychitae s.VII dicentes animas humanas ut animas brutorum perire ⁴. *Arnobius*, quoad malos ⁵, *Sociniani* quoad non christianos ⁶. *Adventistarum* (qui non omnes ad eandem sectam pertinent) plures quoad malos ⁷. *Fideles germanici* ⁸.

¹ HABERT, L.c., 282ss; KATSCHTHALER, I.1 s.2 n.207 not.3.

² Cf. J.FELTEN, *Neutestamentliche Zeitgeschichte oder Judentum und Christentum zur Zeit Christi und der Apostel* 2-3 I (Regensburg 1925) p.4178.

³ Cf. EUSEBIUS, *Hist. eccl.* I.6 c.37; MG 20,598; S.AUGUSTINUS, *De haeres.* n.83; ML 42,46. De Barth cf. D.T.STROTMANN, *Justification et sanctification: Iren 30* (1957) 409s; B.GHERARDINI, *Immortalità e Risurrezione in Karl Barth: EuntDoc 12* (1959) 182-211 ostendit negationem barthianam eius immortalitatis esse apud protestantes novitatem. Etiam tenet animam mori cum corpore H.ENGLAND, *Unsterblichkeit der Seele: EvLex 3* (1959) 1579s.

⁴ Cf. S.IOANNES DAMASC., *De haer.* I.1 n.90; MG 94,757.

⁵ ARNOBIUS, *Adv. nat.* c.61; ML 5,908.

⁶ Cf. CRISTIANI, *Socinianisme: DTC 14*, 2322. De Testibus Jehovah cf. SIWEK, *Eresie...* 178-180.

⁷ Cf. A.TANQUEREY, *Adventistes: DTC 11*, 513s; K.ALGERMISSEN, *Adventisten: LThK I* (1957) 161-164; G.REGINA, *Le sette protestanti: ScuoCatt 87* (1959) 139.

⁸ Cf. M.FAULHABER, *Unsterblichkeit. Das Fortleben nach dem Tode in christlicher und in deutschgläubiger Auffassung: Stimm 131* (1936) 218-231.

Existentialistae rigidi ⁹. *Averroistae* quoad animam sensitivam singulis propriam, non quoad intellectivam eorum communem et quasi impersonalem ¹⁰.

584. 2. Immortalitatem *de iure* negarunt v.gr.: ARNOBIUS, ut videtur ¹¹. Plures *Adventistae* ¹². Quidam *Neoaristotelici* s.XVI in schola Padovae ¹³. Etiam M.DE UNAMUNO ¹⁴. CULLMANN (prot.): N.T. est aliena idea graeca immortalitatis animae et conceptio platonica unionis animae et corporis; pro Paulo homo non est, ut pro graecis, anima immortalis liberanda a corpore per mortem, sed simul anima et corpus; anima est immortalis non natura sed gratia redemptionis, at exspectat necessario resurrectionem, cum persona humana non concipiatur perfecte sine corpore, nisi forte Cullmann putetur cum aliis ut Garofalo et Pieper asserere mortem animae cum corpore usque ad resurrectionem, etsi interea homo censeatur non omnino cessare post mortem, sed manere in quadam unione cum Deo et Christo ^{14*}.

Logice negant *individualement* immortalitatem, etiam *de facto*, ii omnes philosophi qui animam reducunt vel ad fluxus phaenomenorum (*Phaenomenistae*) vel ad modalitates unius entis absoluti (*Pantheistae*) ¹⁵.

⁹ Cf. R.VERARDO, O.P., *Il problema dell'immortalità: Sap 2* (1949) 294,300-302; SCIACCA, *La filosofia*, hoy, trad. C.M.ROSSI (Barcelona 1947) p.193-209; C.MAZZANTINI, *Martino Heidegger. Linee fondamentali della sua filosofia: RivFilNeos 25* (1937) 14-30.

¹⁰ Cf. A.CHOLLET, *Averroïsme: DTC 1*, 2635s. De Averroes cf. B.H.ZEDLER, *Averroes and Immortality: NewSchol 28* (1954) 436 453; habet ut possibilem immortalitatem etiam animae personalis; eam docet iuxta S.GÓMEZ NOGALES, S.I., *La immortalidad del alma a la luz de la noética de Averroes: Pens 15* (1959) 155-175. Aristotelem eam immortalitatem tenere (ut probabilibus putant communiter Scholastici) non semper omnes admisserunt. Cf. SUÁREZ, I.1 c.11; RONDET, *Nature et surnaturel dans la théologie de Saint Thomas d'Aquin: RechScRel 33* (1946) 73 not.3. Iuxta G.SOLERI, *L'immortalità dell'anima in Aristotele* (Roma 1952), admittit clare alteritatem intellectus humani (quin hic sit intellectus agens averroisticus omnes mentes illuminans); cetera omnia, etiam intellectus passivus, sunt mortalia. HUONDER, o.c., 170-179; E.BARBONTIN, *Deux témoignages patristiques sur le dualisme aristotélien de l'âme et de l'intellect: Autour d'Aristote...* (Louvain 1955) 375-385.

¹¹ ARNOBIUS, *Adv. nation.* 2,32-36; ML 5,860-865. Cf. TIXERONT, o.c., I p.406 (quoad rem); ALTANER, o.c., p.153; BAINVEL, 999; A.J.FESTUGIÈRE, O.P., *La doctrine des «Viri novi» sur l'origine et le sort des âmes d'après Arnobe, II*, 11-66; Memorial Lagrange (Paris 1940) 99-114. De mente S.Irenaei circa immortalitatem naturalem animae disputatur, iuxta M.AUBINEAU, S.I., *Incorruptibilité et divinisation selon Saint Irénée: RechScRel 44* (1956) 34-36.

¹² TANQUEREY, L.c., 513; ALGERMISSEN, L.c., 164; REGINA, L.c., 139. Etiam Calvinus negavit immortalitatem essentiali animae, iuxta C.CALVETTI, *La filosofia di Giovanni Calvino* (Milano 1955); cf. J.L.L.ARANGUREN, *Calvino y la filosofia: RevFil 14* (1955) 399.

¹³ HEFFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles 8* (Paris 1917) 419-421; N.PICARD, *Aristotelismo: EncCatt I* (1949) 1941; A.TOGNOLO, *Aristotelismo: EncFil I* (1957) 373. Ibi maxime memoratur Pomponazzi, de cuius mente quoad immortalitatem animae naturalem multum scriptum est: cf. v.gr. M.DE ANDREA, O.P., *Il razionalismo di Pomponazzi: Sap 3* (1950) 48-59; E.WEIL, *Die Philosophie des Pietro Pomponazzi: ArchGeschPhil 41* (1932) 127-172; C.CARBONARA, *Pomponazzi: EncFil 3* (1957) 1509-1511; F.VERDE, O.P., *A proposito del «caso Pomponazzi»: Sap 16* (1963) 154-165; E.NARDI, *Alessandrino: EncCatt I* (1948) 779.

¹⁴ Cf. PÉREZ, 60-64. Etiam immortalitatem de facto forte negat vel in dubium vocat.

^{14*} O.CULLMANN, *Immortalité de l'âme ou Résurrection des Morts?* (Paris 1956); cf. J.J.COLING, S.I., *Reflections on Cullman's immortality of the soul: CathBiblQuart 22* (1960) 410; G.DE ROSA, *Immortalità dell'anima e rivelazione: Div 9* (1960) 81-101; GHERARDINI, L.c., 194. Cf. tamen J.PIEPER, *Tod und Unsterblichkeit: Cath 13* (1959) 81-100; S.GAROFALO, *Sulla «escatologia intermedia» in S. Paolo: Greg 39* (1958) 336s. R. MEHL (prot.), *Notre vie et notre mort* (Paris 1957) sequitur Cullmann.

¹⁵ Cf. P.SIWEK, S.I., *Psychologia metaphysica* (Romae 1932) p.362; J.G.MORÁN, S.I., *Psychologia 2* (Mexici 1949) n.672.

At non negant immortalitatem *de iure* ii qui putantur philosophicam eius demonstrabilitatem negare, ut Caietanus¹⁶, Scotus¹⁷, nec necessario *Positivistae* (censentes eam durationem esse indemonstrabilem, cum ea experientiam superet)¹⁸ et multi hodierni *Protestantes*, dicentes «omnem demonstrationem a Kantio ostendi impossibilem»¹⁹.

585. Doctrina Ecclesiae. Omnia symbola et documenta memorantia vitam aeternam iustorum vel infernum aeternum impiorum (in tractatu *De Novissimis* recensenda) statuunt eo ipso *saltem factum* immortalitatis animae.

LEO XIII damnavit errorem 23 Rosmini (D 1913): «In statu naturali anima defuncti existit perinde ac non existeret: cum non possit ullam super se ipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni semipterni».

Haec damnatio clare supponit animam in ordine naturali inspectam pergere in vita, et quidem perpetua, cum Rosmini eam perpetuitatem supponat²⁰.

586. Lateranense V (D 738): «Cum... diebus nostris... zizaniae seminator, ... nonnullos perniciosissimos errores... in agro Domini superseminare... sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit..., et nonnulli temere philosophantes, secundum saltem philosophiam verum id esse asseverent: contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus... omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse..., et haec in dubium vertentes, cum illa non solum vere per se et essentialiter corporis forma existat... verum et immortalis...»

His definitur contra neoaristotelicos immortalitas: a) *Saltem de facto*, ut patet. b) *Immo*, et *de iure*: cum sine dubio directe damnetur ipse error introductione decreti memoratus, sc. «de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus... secundum saltem philosophiam...»; cum pariter ad *naturam* animae referantur et immortalitas et unitas (quae sane est naturalis); cum dicatur

¹⁶ E. VERGA, *L'immortalità dell'anima nel pensiero del Card. Gaetano*: RivFilNeosc (Suppl. Il cardinale Tommaso di Vio Gaetano) 27 (1935) 21-46, iuxta quem Caietanus primo (a.1503-1507) non negavit posse ratione immortalitatem animae probari, sed dein (a.1532-1534).

¹⁷ S.VANNI ROVIGHI, *L'immortalità dell'anima nel pensiero di Girolamo Duns Scoti*: RivFilNeosc 23 (1931) 78-104. De mente Scoti alii scripserunt v.gr. H.KLUG, *Die Lehre des sel. Joh.Duns Scotus über die Seele*: PhJahrb 37 (1924) 60-68; J.S.JAPOWIEZ, *Probatio immortalitatis animae in doctrina Ven.J.Duns Scoti* (Cracoviae 1939); F.LUGER, *Die Unsterblichkeitsfrage bei Johannes Duns Scotus* (Wien 1933); Z.VAN DE WOESTYNE, O.F.M., *Cursus philosophicus* 2² (Mechliniae 1933) p.592-595.

¹⁸ Cf. SIWEK, l.c.; MORÁN, l.c.

¹⁹ Cf. J.FRÖBES, S.I., *Psychologia speculativa* 2 (Friburgi Br. 1927) p.282.

²⁰ Cf. MICHEL, *Rosmini-Serbati*, Antonio: DTC 13,2949.

anima esse immortalis ut est corporis forma et forma sit ex natura sua²¹; cum eam immortalitatem docere et, quantum id fieri possit, demonstrare iubeantur *philosophi* (quod praecceptum non placebat Caietano), quorum tamen non est factum *praeternaturale* statuere, sed de *natura* animae agere, ita ut qua *philosophi factum* immortalitatis ex immortalitate solum *iuris* ostendere possint²². At non definit Concilium eam immortalitatem posse sola ratione demonstrari, etsi doceat omnia argumenta philosophica contraria posse solvi; sane Caietanus adhuc postea negabat eam demonstrabilitatem.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* quoad immortalitatem et *de facto* et, ut videtur, *de iure* (D 738), nisi pro hac dicatur thesis saltem *fidei proxima* vel potius *de fide divina et catholica*.

587. Probatur ex sacra Scriptura. 1. In genere omnes textus tam ex N. quam ex V.T.—qui sane hic non afferuntur²³—statuentes vel supponentes post hominis mortem animam iusti adire vitam aeternam, animam vero impii adire aeternum infernum, docent *implicite* immortalitatem: a) *De facto*, ut per se patet. b) *De iure*, nam clare videtur repugnare: bonitati Dei, ut anima natura sua mortalis reddatur immortalis ut puniatur; iustitiae Dei, ut, si anima sit natura sua mortalis, poena eius non exstinguatur adveniente naturaliter ipsius fine (etsi ponatur donum immortalitatis ante decretum reprobationis esse concessum), cum sic mutetur *substantialiter* eius poena.

Verum est hominem natura sua mortalem quoad corpus damnari et quidem, etiam quoad hoc, in aeternum. At sic poena hominis non mutatur nisi *accidentaliter*, cum non fiat maior quam poena solius animae nisi mere extensive. Id enim quod dicitur de beatitudine, sc. eam non augeri in resurre-

²¹ His tamen Concilium non intendit immortalitatem animae inde probare quod haec sit corporis forma. Cf. A.DENEFFE, S.I., «Die geradezu lücherliche Thorheit der päpstlichen Theologie»: Schol. 5 (1930) 380-387; Id., *Die Absicht des Lateran Konzils*: Schol 7 (1933) 359-370.

²² Cf. Msi 32,8428; VERNET, l.c., 2681-2683. Interpretationem nostram praemiserant alii: PALMIERI, th.32 n.3; HUARTE, n.215; BOYER, p.1318; DENEFFE (l.c.), ut videtur; FLICK, o.c., 203-205; MICHEL, *L'immortalité de l'âme*: AmCl 72 (1926) 1638; *de fide definita*, vel saltem *de fide catholica*. Putant vero immortalitatem *de facto* hic directe definiti, immortalitatem vero *naturalem* solum indirecte in introductione tradi, BERAZA (n.1139), pro quo thesis quoad postremum punctum «non videtur continere doctrinam fide tenendam, sed utique doctrinam catholicam omnino certam»; LERCHER (n.588), pro quo thesis «est fidei proxima».

²³ In genere de libris V.T. in hac re, cf. VACCARI, *De immortalitate animae in veteri Testamento*: VerbDom 1 (1921) 258-263, 304-309; J.TOUZARD, *Le développement de la doctrine de l'immortalité. A propos d'un livre récent*: RevBibl 7 (1898) 207-241; A.DURAND, S.I., *Les rétributions de la vie future dans l'Ancien Testament*: Et 83 (1900) 22-48; F.SCHMID, *Der Unsterblichkeits- und Auferstehungsglaube in der Bibel* (Brixen 1902); LAGRANGE, *Le Judaïsme avant Jésus-Christ* (Paris 1931) p.343-353; PERRELLA, *La dottrina dell'Oltretomba nel Vecchio Testamento*: DivThom(Pi) 37 (1935) 196-204.

tione corporis nisi accidentaliter, seu per extensionem ad corpus, damnationi applicandum est. Quo posito, data immortalitate naturali animae, nil obest iustitiae Dei, quin totus homo peccans in aeternum puniatur.

588. 2. Plura testimonia biblica ostendunt animam non perire simul cum corpore. Unde sequitur eam *de facto non mori*, maxime cum Scriptura numquam memoret mortem animae. At inde ulterius videtur sequi *immortalitas naturalis*, cum nullibi dicatur ea animae permanentia post hominis mortem esse ex dono Dei, ac proin supponatur ea esse ex animae conditione naturali:

Mt 10,28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timeate eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*. Ergo anima est immortalis *de facto*, cum ea, occiso corpore, vivere pergat; *de iure*, ut videtur, cum dicatur Deus eam posse perdere in gehennam ac proin in aeternum.

Lc 16,22-31: *Mortuus Lazarus portatur in sinum Abrahae; mortuus epulo portatur in infernum*. Lc 23,43: *Hodie mecum eris in paradiso*. Phil 1,23: *Coarctor... e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*. 2 Cor 5,1-4: *... Si terrestri domus nostra huius habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in caelis...*

Christus alludens ad doctrinam immortalitatis animae traditam in A.T. (Ex 3,6) haec dicit sadducaeis Mt 22,31-33 (Mc 12,26s; Lc 20,37-39): *... Non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: «Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob?» Non est Deus mortuorum sed viventium*.

Apoc 6,9-11: *... Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei... et clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine... non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum...*

Haec ceterum eo clarius constant, quod tempore Iesu omnes iudaeos, extra sadducaeos, tenebant immortalitatem animae^{23*}.

Ex V.T. ut liber qui maxime efferat immortalitatem animae citetur Sap 2,23: *Quoniam Deus creavit hominem inextinguibilem et ad imaginem similitudinis suae fecit illum... Ex his, homo est immortalis (saltem quoad animam), et quidem ut videtur, quia est similis Deo; at iam est talis, et quidem saltem*

^{23*} J.B.FREY, *La vie de l'au-delà, dans les conceptions juives au temps du Jésus-Christ*: Bibl 13 (1932) 129-168; M.DELCOR, *L'immortalité de l'âme dans le livre de la Sagesse et dans les documents du Qumrân*: NouvRevTh 77 (1955) 614-630; J.VAN DER PLOEG, *The Belief in Immortality in the Writings of Qumrân*: BiblOr 18 (1961) 118-124.

praecipue, ob animam rationalem naturaliter sumptam. Ergo anima est naturaliter immortalis. 3,1-4: *Iustorum animae in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori... Illi autem sunt in pace... Spes illorum immortalitate plena est*.

Et relate ad malos, quin eorum resurrectionem memoret, dum tamen censet eos vivere, dicit 5,1-14: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt... Videntes turbabuntur timore horribili... Dicentes intra se, paenitentiam agentes... Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum... Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei... Ergo erravimus a via veritatis... Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*²⁴.

589. **Probatur ex traditione.** Patres docent immortalitatem *de facto*, ut per se patet, cum tota religio christiana hac idea sit imbuta; *de iure*, ut patet v.gr. ex sequentibus:

ATHENAGORAS: *Homo resurgens, cuius anima iam ab initio erat immortalis, fit ex dono talis quoad corpus*. «Homines autem ab ipso quidem ortu immutabilem permansionem secundum animam habeant, at secundum corpus immutationis beneficio incorruptionem assequantur»²⁵.

NOVATIANUS: *Corpus moritur, anima vero ita est extra leges mortis, ut nequeat interfici*. «Quid enim si divinitas in Christo non moritur, sed carnis solius substantia exstinguitur, quando et in ceteris hominibus... caro quidem sola incursum interitus... patitur, extra leges autem... mortis anima incorrupta cernatur?... Si... hanc habet generositatem immortalitatis anima in quovis homine, ut non possit interfici, multo magis hanc habet potestatem generositas Verbi Dei ut non possit occidi»²⁶.

S.AUGUSTINUS: *Omnes naturali instinctu volumus immortalitatem*. «Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales et beati esse vellemus, nisi esse possemus»²⁷.

590. TERTULLIANUS (R 349): *Ergo anima dicitur immortalis ut dicitur rationalis, etc., ac proin ex natura sua*. «Definimus animam Dei flatu natam immortalem..., substantia sim-

²⁴ Ceterum de doctrina immortalitatis in hoc libro, cf. H.BÜCKERS, C.S.S.R., *Der Unsterblichkeitsglaube im Buch der Weisheit. Ihr Ursprung und ihre Bedeutung* (Münster 1938) p.9-25; LAGRANGE, *Le livre de la sagesse. La doctrine des fins derniers*: RevBibl 4 (1907) 93-97. VAN IMSCHOOT, 2,45s.

²⁵ ATHENAGORAS, *De resurr. mort.* n.16: MG 6,1006.

²⁶ NOVATIANUS, *De Trin.* c.25: ML 3,963.

²⁷ S.AUGUSTINUS, *Cont. Iul.* 4,1,19: ML 44,747. Ceterum scripsit tractatum *De immortalitate animae* (ML 32,1021-1034). De mente eius, qui petat immortalitatem ex adhaesione animae ad Veritatem immortalem ut ad suum finem obiectivum, agit J.BARBOSA, *Santo Agostinho e a Imortalidade da Alma. Originalidade da sua prova*: RevFilPort 11 (1955) 154-165. Cf. et G.VERBEKE, *Spiritualité et immortalité de l'âme chez Saint Augustin*: AugMag 1 (1954) 332-334.

plicem... liberam arbitrii..., rationabilem...» S. IOANNES DAMASC. (R 2357): «Anima est vivens, simplex et incorporea substantia..., invisibilis, immortalis, rationalis, et intelligens...»

Constit. Apost.: *Anima est immortalis, utpote rationalis et libera.* «Animam nostram incorpoream et immortalem confitemur... utpote rationabilem ac liberae potestatis»²⁸.

S.AMBROSIIUS: *Anima, cum sit vita, nequit mori.* «Quomodo substantia eius interire potest, cum utique anima sit quae vitam infundit?... Anima ergo vita est. Quomodo enim potest mortem recipere cum sit contraria?...»²⁹

591. Ratio theologica. Anima damnati est *de facto* immortalis. At bonitati et iustitiae Dei repugnat, quod anima naturaliter mortalis fiat immortalis ut punitur (n.587). Ergo anima humana est naturaliter immortalis.

592. Ratio naturalis idem statuit. a) Anima ex una parte nequit corrumpi vel per se, seu per dissolutionem partium, cum sit simplex, vel per accidens, seu ut forma materialis per subtractionem subiecti quod informat, cum sit spiritualis seu independens intrinsece a materia in essendo; ex alia parte est apta, utpote independens intrinsece a materia in intelligendo et in volendo, ut agere et proin existere sine corpore possit. Ergo anima est naturaliter immortalis^{29*}.

b) Homo naturaliter desiderat, appetitu innato et elicito, esse semper. Ergo, cum desiderium naturae nequeat esse inane, homo eius naturae est saltem quoad animam, ut sit semper (1 q.75 a.6; 2 CG 55.79-81)³⁰.

c) Rectus ordo moralis infert sanctionem perfectam (seu universalem et absolute efficacem) pro hominum meritis vel demeritis. At haec deesset, si anima esset ex se mortalis (cum in ordine naturali Deus non putaretur eam esse miraculose conservaturus, saltem si ea punienda esset). Ergo anima est naturaliter immortalis³¹.

²⁸ Constit. Apost. l.6 c.11: MG 1,937.

²⁹ S.AMBROSIIUS, *De bono mortis* c.9 n.42: ML 14,559. De SS.Patribus, cf. BAINVEL, 977-1005; BERAZA, n.1141; SUÁREZ, c.10 n.118; W.GÖTZMANN, *Die Unsterblichkeitsbeweise in der Väterzeit und Scholastik bis zum Ende des dreizehnten Jahrhunderts* (Karlsruhe 1927).

^{29*} Cf. A.MICHEL, *L'immortalité de l'âme*: AmCl 72 (1962) 162s; Id., *Encore l'immortalité de l'âme*: ibid. 654s; A.MOTZKO, *Stoffliches, Nichtstoffliches und die Seele*: ThPrakt Qschr 110 (1962) 177-93; L.ZANI, *Annotazioni sul tema «spiritualità e immortalità dell'anima*: Sap 16 (1963) 166-171 (de Bergson et S.Thoma).

³⁰ DONDEYNE, *Immortalitas animae e naturali desiderio felicitatis demonstratur*: Collat-Brug 32 (1932) 35-39. Cf. tamen R.JOLIVET, *Le problème de la mort* chez M.Heidegger et J.-P.Sartre (Abbaye Saint Wandrille 1950). De mente S.Thomae circa philosophicam demonstrationem immortalitatis multi scripserunt v.g.: J.LEMAIRE: *CollMechl* 1 (1927) 35-49; F.LOCATELLI, *Alcune note sulla dimostrazione dell'immortalità dell'anima in S.Tommaso*: RivFilNeosc 33 (1941) 413-428; L.RAEER, O.S.B., *Die Bestimmung des Menschen. Der philosophische Beweis seiner Unsterblichkeit im System von Thomas von Aquin und Othmar Spann. Ein Vergleich*: DivThom(Fr) 22 (1944) 51-84; A.Cocco, *Il problema dell'immortalità dell'anima nella Summa Theologiae di S.Tommaso d'Aquino*: RivFilNeosc 38 (1946) 298ss; J.C.LINEHAN, *The rational Nature of Man with particular Reference to the effects of Immortality on Intelligence according to St.Thomas* (Washington 1937); J.I.JOLIF, O.P., *Affirmation rationnelle de l'immortalité de l'âme chez Saint Thomas*: LumVie 22 (1955) 57-77; ZANI, l.c.

³¹ Cf. SUÁREZ, l.1 c.10 n.16-35; G.HEIDINGSFELDER, *Die Unsterblichkeit der Seele* (München 1930); LESSIUS *De providentia numinis et animi immortalitate* [Parisiis 1880] p.430-459 proponit viginti rationes naturales (praeter alias theologicas p.459-464). De mente Scholasticorum in hac re multi scripserunt v.g. B.BENDELD, *Grundlegung und Beweisführung der Unsterblichkeitslehre in der Beginnenden Hochscholastik* (Emsdetten 1940); M.KREUTHE, *Die Unsterblichkeitslehre in der Scholastik von Altmun bis Thomas von Aquin*: PhJahrb 31 (1918) 341-381; Id., *Die Unsterblichkeitslehre in der Zeit nach Thomas von Aquin*: PhJahrb

d) Vehementer confirmantur haec consensu *universali* sive populorum antiquorum et hodiernorum³², sive philosophorum, etiam non scholasticorum, antiquorum et hodiernorum³³.

593. Obiectiones. 1. Dicitur in Eccl 3,18-21: *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis et iumentorum et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia et nihil habet homo iumento amplius; cuncta subiacent vanitati et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum et si spiritus iumentorum descendat deorsum?*

Ex his, possibile est ut eodem tendant spiritus et bestiae et hominis morientium. Ergo immortalitas spiritus humani est saltem dubia.

Dist. antec. Possibile est ut eodem tendant spiritus et bestiae et hominis, si spiritus hominis non sumitur pro anima humana, *trans. antec.*; secus, *nego antec.*

His non dicitur anima humana ut anima bruti mori, nam: a) *Supponitur* ea a Deo iudicanda esse, quod sensu careret si anima moreretur cum corpore (3,17): *Iustum et impium iudicabit Deus* (cf. et 5,7; 11,9; 12,13s). Tale vero iudicium non habetur in hac vita. b) Anima in morte hominis dicitur redire ad Deum (12,7), ire ad inferos (9,10) «in domum aeternitatis suae» (12,5)^{33*}.

594. Ceterum eius loci sat difficilis multae proponuntur interpretationes, quarum aliqua hic enumerantur, exclusis etiam illis, quae, cum hagiographus nullum errorem proferre possit, probari nequeunt, ex quibus ille denegaverit homini vitam superiorem vita bruti vel etiam immortalitatem (etsi forte de hac expresse non cogitet). Hinc Ecclesiastes memorat ea quae sunt homini ac bruto communia et describit mortem utriusque prout ea exterius apparet quasi aequa sit sors eorum, ita ut ibi (18-20) spiritus indicet non principium vitale, sed halitum, et dicantur homo ac brutum pariter mori, quatenus spiritus utriusque, seu halitus, pariter perit; alii ver-

40 (1927) 40-56. A.BREMOND, S.I., *Le syllogisme de l'immortalité*: RevPhLouv 40 (1948) 161-176, infirmare conatur argumentum ontologicum (et teleologicum) S.Thomae, ut ipse novum quoddam repetat ex cognitione cum amore in Bonum aeternum, quasi cogitas ac volens Deum sit immortalis; eum refutat et argumenta Angelici effert A.COCCIO, *Attorno al sillogismo dell'immortalità*: RivFilNeosc 45 (1953) 106-142; S.VANNI ROVIGHI, *Immortalità dell'anima nei maestri francescani del sec.XII* (Milano 1935); Id., *L'immortalità dell'anima nei maestri francescani del sec.XIII* (Milano 1936).

³² Cf. KNABENBAUER, *Das Zeugnis des Menschengeschlechtes für die Unsterblichkeit der Seele* (Freiburg im Br. 1878): Ergänzung zu den «Stimm. aus M.Laach» t.6; LAGRANGE, *Études sur les religions sémitiques. Les morts*: RevBibl 11 (1902) 212-239; J.T.ADDISON (protestans), *La vie après la mort dans les croyances de l'humanité* (Paris 1930); M.EDER, *Totenseelen und Ahnengeister in Japan*: Anthr 51 (1956) 97-112; H.KEES, *Totenglauben und Jenseitsvorstellungen der alten Aegypter*² (Berlin 1956). De classicis cf. SOLERI, *L'immortalità dell'anima nel mondo classico*: ScuoCatt 80 (1952) 108-126.

³³ Cf. SUÁREZ, n.13-15; GÖTZMANN, l.c. (initio); SOULHÉ, l.c., p.46-80; ARNOU, l.c., 2268; M.D.ROLAND-GOSSELIN, O.P., *Les idées et les preuves de l'immortalité dans le «Phaedon»*: RevScPhTh 3 (1909) 84-88; HUONDER, o.c., 129-144 (de Platone); H.D.SAFFREY, O.P., *Origine en Grèce de la croyance en l'immortalité de l'âme*: LumVie 24 (1955) 11-32; A.INAUEIN, S.I., *Epikurs Zeugnis für das Dasein Gottes und die Unsterblichkeit der Seele*: Kzath Th 40 (1916) 188-191; B.R.RAFFO, *El estoicismo y su teoría del hombre*: Sa 11 (1956) 292s; E.CIAFARDINI, *L'immortalità dell'anima in Cicerone*: RivFilNeosc 13 (1921) 245-263; L.FOUCHER, *La notion d'immortalité de l'âme dans la philosophie française du XIX^e siècle*: RevScPh Th 21 (1932) 25-53; G.MELZI, *L'immortalità dell'anima nella filosofia di Henri Bergson*: RivFilNeosc 42 (1950) 238-255; VERARDO, l.c., 292-300; cf. 287-292; SIWEK, *Psychologia* p.263s; MORÁN, l.c., n.672; L.REY ALTUNA, *La inmortalidad del alma a la luz de los filósofos* (Madrid 1959).

^{33*} Cf. M.GARCÍA CORDERO, O.P., *Intuiciones de la retribución en el más allá en la literatura sapiencial*: XV SemBiblEsp (Madrid 1955) 70-74; R.PATRUÉL, S.I., *L'Ecclesiaste*³ (Paris 1958) 22-39 (de 12,7): cf. tamen BUZY, o.c., 277.

bis, describitur mors secundum leges pure organicas mortis ac bruti³⁴ Quid vero de sensu v.21: *Quis novit si spiritus filiorum...*?

Haec opinio nobis videtur probabilior.

a) Iuxta alios, cum tempore quo liber scriptus est, apud iudaeos ut nova diffundi inciperet opinio esseniorum, qui cum Platone et aliis graecis tenerent animas defunctorum in *superna* ascendere, dum illi communiter tenebant eas in locum aliquem *infernum* descendere, hagiographus eam opinionem memorans, quam tamen auctoritas religiosa iudaea nondum probasset, non damnat, sed nec approbat, etsi serius ei videatur favore (12,7)³⁵.

b) Iuxta alios, spiritus est ibi, non anima, sed vis vitalis seu quasi spiritus impersonalis seu quod facit vivere, ita ut vitalitas hominis non superet vitalitatem bestiae, cum uterque sit eiusdem originis ac durationis et eiusdem finis: et his positis dubitatur, admissa immortalitate, utrum ille spiritus pergat ad Deum et anima bestiae ad terram (ut communiter tenebant iudaei) an potius ambo ad Deum vel ambo ad terram. At videtur opinio communis tribuisse spiritui vitae directionem diversam³⁶.

c) Iuxta alios, eo posito quod spiritus hominis ad Deum redeat (12,7), dubitatur an et anima bestiae ad Deum et non ad terram redeat³⁷.

d) Iuxta alios, auctor loquitur admirative hoc fere sensu: pauci considerant (vel forte etiam—id quod fere in idem redit—pauci certo sciunt) spiritum filiorum hominis ascendentem, spiritum autem bestiarum descendentem³⁸.

e) Iuxta alios, auctor dicit se quondam de ea re dubitasse³⁹.

595. 2. S.Iustinus dicit animas vivere quamdiu Deus vult, et omne quod factum est perire. Ergo negat immortalitatem animae.

Dist. antec. S. Iustinus negat immortalitatem animae essentialem, *conc. antec.*; aliam, quae tamen a Deo dependeat, *nego antec.*

Sane ipse dicit (R 132): «Non ergo immortales sunt? Non, siquidem statuimus mundum esse genitum. Non tamen perire dico omnes animas; vere enim de lucro id esset improbis. Quid igitur? Piorum quidem animas in meliore loco manere, iniquorum autem... in deteriore, iudicii tempus exspectantes...» Cf. et R 133.

Inst. Ipse S.Iustinus dicit animas impiorum non obtenturas esse immortalitatem. Ergo hanc saltem pro impiis negat.

³⁴ HETZENAUER, *Theologia biblica* I (Friburgi Br. 1908) p.536s; G.GIETMAN, S.I., *Commentarius in Ecclesiasten* (Parisii 1890) p.182-186; R.CORNELY-A.MERK, S.I., *Introductionis in S.Scripturae libros Compendium* 2 (Parisii 1934) p.407s; DONDEYNE, S.*Scripturae de natura hominis doctrina*: CollatBrug 32 (1932) 10-15; P.D.BUZY, S.C.J., *L'Ecclesiaste*: PirClam (Paris 1946) 222-224; DUBARLE, *Le concept de l'homme dans l'Ancien Testament*: SacPag I (Paris 1959) 527. Et idem videtur sentire E.PODECHARD, *L'Ecclesiaste* (Paris 1912) 187s. 310-316.

³⁵ A.CONDAMIN, S.I., *Etudes sur l'Ecclesiaste*: RevBibl 8 (1899) 493-502; 9 (1900) 369-374; A.PARENTI, S.I., *De animae humanae immortalitate in Eccl* 3,21: Greg 2 (1921) 117-121; VACCARI, *Ecclesiaste*: Elt 3,994; PERRELLA, l.c., 198 not; M.LEAHY, *Ecclesiastes*: CathComm HScr (London 1953) 378a.

³⁶ E.PODECHARD, *L'Ecclesiaste* (Paris 1912) 187s.310-316.

³⁷ L.DI FONZO, O.F.M.Conv., «*Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum...*?» *Eccl* 3,21: VerbDom 19 (1939) 257-268.289-299; 20 (1940) 166-176.

³⁸ Sic forte plus minus ei qui putant illam formulam non necessario esse interrogativam v.gr.: S.HIERONYMUS, in *Eccl.*: ML 23,10418; CORNELY, *Historica et critica introductio in V.T. libros sacros* (Parisii 1925) p.179s; MOTAIS, VIGOUROUX, ap. VACANT, l.c., 471; A.LA-PIDE, in *Ecclesiasten* (Parisii 1860) p.156s.

³⁹ DURAND, l.c., 43-46. Cui accedit, ut videtur, L.HUGO, *Die Unsterblichkeitslehre im Buche Kohelet*: ZkathTh 37 (1913) 400-414. Cf. S.TH., *De anima* a.14 ad 1. Alia alii dicunt v.gr.: H.SIMON-I.PRADO, C.SS.R., *Praelectiones biblicae* 2 (Taurini 1937) p.203; E.PHILIPPE, *Ecclesiaste (Le livre de l')*: DB 2,1535; L.BIGOT, *Ecclesiaste (Livre de l')*: DTC 4,2018.

Dist. antec. S.Iustinus negat animis impiorum immortalitatem supernaturalem et beatam, *conc. antec.*; aliam, *nego antec.*

Cum vita aeterna sit supernaturalis et per gratiam Dei obtinenda, immortalitas iustorum, qua beatorum, est iis gratuita, et damnatis non datur. Hinc horum status potest equiparari morti sempiternae. Quo sensu intelligi potest locus obiectus, cum ipse Iustinus dicat: «Nos vero immortalitatem eos consequi solos didicimus qui Deum vitae sanctitate et virtute propius contingunt; qui autem improbe vivunt nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri»⁴⁰.

Hoc eodem sensu interpretandi sunt alii Patres fortasse scribentes ut S.Irenaeus: «Non enim ex nobis neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitae et gratias egerit ei qui praestitit, accipiet et in saeculum saeculi longitudinem dierum... In grati... iuste non percipiet a Deo in saeculum saeculi longitudinem dierum»⁴¹.

596. 3. Arnobius docet animas natura sua esse mortales et animas impiorum post longissimum cruciatum totaliter consumi⁴².

Haec scriptis cum esset adhuc catechumenus, nec perfectus doctrinae catholicae gnarus⁴³.

4. Tatianus videtur docere animas impiorum (seu ignorantium veritatem) mori cum corpore et dein resurgere cum corpore cruciandas in immortalitate (R 157): «... Moritur enim (anima)... cum corpore, si veritatem ignoret; postea autem resurgit in fine mundi una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens...»

Videtur Tatianus non agere de vera morte, sed de quodam statu soporis. Sane paulo inferius, rationem reddens ob quam animae defunctorum non possunt praestigia facere, supponit existentiam earum animarum quibus praestigia tribuebantur, quae certe non sunt nisi animae impiorum: «Perdifficile est existimare animam immortalem, quae corporis membris impeditur, sagatiorem, cum ex eo migraverit, fieri»⁴⁴.

597. Scholion. *De immortalitate animae in libris V.T. ante exilium scriptis.* Rationalistae negarunt his libris eam immortalitatem doceri⁴⁵. At primo id esset mirum, quod ea veritas, quae apud omnes populos orientales v.gr. apud Chaldaeos et Aegyptios tenebatur, a populo hebraeo omnium religiosissimo, ignoraretur⁴⁶. Et omnes fatentur iudaeos etiam primaevos illam cognovisse⁴⁷. Quod patet v.gr. ex sequentibus:

a) Mors pro iudaeis est: ire ad patres (Gen 15,15; de Abraham); congregari ad populum suum (Gen 25,8; de Abraham; 49,29; de Iacob); apponi ad populum suum (Gen 25,27; de Ismael; 35,29; de Isaac; 49,32; de Iacob; Deut 32,50; de Aaron); iungi populis suis (Deut 32,50; de Moyses); pergere ad populos suos (Num 20,24; de Aaron); ire ad populum suum (Num 27,13; de Moyses et Aaron). Illud vero factum distinguitur ab ipso

⁴⁰ S.IUSTINUS, *Apol.* I n.21: MG 6,361. Cf. BARDY, 2267s; J.RIVIÈRE, *S.Justin et les apologistes du II^e siècle* (Paris 1907) p.204.

⁴¹ S.IRENAEUS, *Adv. haer.* 2,34,3: MG 7,836; cf. l.4 c.28 n.2: MG 7,1061s. Eadem fere dici possent de Tatiano (R 157); cf. TIXERONT, l.c., p.259.

⁴² ARNOBIUS, *Adv. nat.* l.2 c.14,35s: ML 5,831.863-865.

⁴³ Cf. ALTANER, § 36; HIERONYMUS, *Eusebii Pamphili chronicon*: ML 27,497.

⁴⁴ TATIANUS, *Adv. graec.* n.16: 6,840. Cf. de mente eorum Patrum, BAINVEL, l.c.; PALMIERI, l.c., th.32 n.7s; BERAZA, l.c., n.1136-1138. LESSIUS (l.c., p.465-473) varias proponit et solvit obiectiones ex ratione naturali.

⁴⁵ VACANT, 465.

⁴⁶ VACANT, 466.

⁴⁷ LAGRANGE: RevBibl 16 (1907) 422-433; *L'immortalité de l'âme dans l'Ancien Testament*: AmCl 65 (1955) 554s; VAN IMSCHOOT, 45; R.CRIADO, S.I., *La creencia popular del Antiguo Testamento en el más allá, el Se'ól* (Madrid 1955); HAAG, o.c., 1661; SEELE, o.c., 1496s; *Unsterblichkeit* 1661.

sepelio (Gen 35,29; de Isaac; 49,29; de Iacob; 1 Reg 28, 19; de Saul). Ceterum nec illud indicat necessario sepulcrum commune, quod saepe tale vel esse non potuit vel de facto non fuit v.gr.: pro Abraham sepulto prope Ephron in Palaestina (Gen 25,9s), dum iacent eius avi «in Ur Chaldaeorum» (11,28) et parentes in Haram (11,32); pro Ismaele Abrahae filio qui obiit in regione orientali (25,17s); pro Moyse cuius sepulcrum in valle terrae Moab ignoratur (Deut 34,6); pro Aaron, mortuo in monte Hor (32,50)... (cf. et 3 Reg 2,10; 16,28; 4 Reg 21,18). Ergo indicant viventes cum viventibus convenire post mortem.

b) In specie Iacob vult in infernum descendere ad Ioseph, filium suum (Gen 37,35), quem tamen putat bestia devoratum esse (37,33), dum ipse vult sepeliri in Ephron cum patribus suis (49,29-31).

c) Putantur ire in «sheol», seu locum infernum defunctorum⁴⁸, animae morientium omnium (Gen 37,35; 42,38; 44,29-31; Iob 3,13-19; 7,9; 30,23; Ps 6,6; 88,49; Is 5,14) sive bonorum (Gen 37,35; Ps 48,15s) sive malorum (Ps 48,15; Num 16,30-33; Is 14,9.11.15). Qui ceterum certo differt a sepulcro, cum sit idem pro omnibus (Iob 30,23; Ps 82,49) et hi habeant ibi quamdam vitam (Is 14,9-20; Eccli 11,28), sive bonorum (Gen 37,35; Ps 48,15s) sive malorum (Ps 48,15; Num 16,30-33; Is 14,9.11.15).

d) Iudaei vetantur, quin mortuos interrogent (Deut 18,11). Ceterum Saul interrogavit Samuelem (1 Reg 28,7-20). Cf. et Is 8,19.

e) Unde patriarchae respiciebant hanc vitam ut peregrinationem (Gen 47,9) quae sane respicit aliquem terminum stabilem. Cf. Ps 38,13.

f) Hinc patriarchis fuisse fidem vitae aeternae et Christus (Mt 22, 32—cf. 8,11—iuxta Ex 3,6) et S.Paulus (Hebr 11,13-16; cf. 13,14) supponunt⁴⁹.

598. Nec formulae «occidere animam», «interficere animam», similes, quae sane, non de morte morali (ut Mt 10,28), sed de physica adhibentur (Gen 37,22; Deut 22,26; Ier 40,15; Eccli 21,3; Ez 13,19; 17,17, etc.), nostrae conclusioni obstant, cum iis locis «anima» supponatur pro «vita», ut aliis multis locis (Gen 19,17; Iud 12,3; 1 Sam 19,5; Ps 118,109; Iob 2,6; Iud 16, 30; Iob 36,14, etc.), seu pro vita in abstracto, vel pro vivente in concreto, vel saepe pro persona ac vicem pronomini personalis gerente.

Ii loci quibus videretur dici homo non esse «immortalis» (Eccli 17,29) vel post mortem iam non esse (Ps 38,14; Iob 7,21; 14,10) vitam terrestrem respiciunt, quae breviter duret, sed sit peregrinatio (Gen 47,9; Ps 38,13; Eccl 7,1)⁵⁰.

Constat ergo iudaeis notum fuisse *factum*, quod defuncti vivere pergant. At fatendum est posteriores determinationes de modo eius vitae futurae nonnisi paulatim progrediente revelatione traditas esse⁵¹. Hinc «sheol» describebatur apud iudaeos ut terra tenebrosa et operata mortis caligine, terra miseriae, ubi sempiternus horror inhabitat (Iob 10,21s), ut deglutiens (Prov 1,12) et insatiabilis (30,16; Is 5,14s), ut immitis (Cant 8,6). Attamen non putabantur boni esse sine ulla laetitia (Eccli 11,28)⁵² et a fortiori sine ulla actione, non tamen meritoria (Eccl 9,10; Ps 6,6; 113,17; Is 38,18)⁵³.

⁴⁸ VACANT, *Enfer*: DB 2,1792-1794; W.GESENIOUS-F.BUHL, *Hebraisches und aramaisches Handwörterbuch... über das Alte Testament* (Leipzig 1915) 197.

⁴⁹ VACCARI, l.c., 259s; HEINISCH, *Theologie des Alten Testament* § 24 n.6; § 41s; BERAZA, n.1143-1146; VACANT, 462-472. Plura ap. VAN IMSCHOOT, o.c., 2,43-56.

⁵⁰ VACCARI, 260s. Cf. M.DAHOOD, S.I., *Immortality in Proverbs* 12,28: Bibl 41 (1960) 176-181.

⁵¹ VACCARI, 261-263,304-309; VACANT, l.c.; CORNELI, l.c., p.180.

⁵² Cf. A.LAPIDE, *In Ecclesiasticum* 11,28 (Parisiis 1850) 358. Cf. et PESCH, 2 n.287.

⁵³ KNABENBAUER, *Commentarius in Isaiam Prophetam* 2² (Parisiis 1923) 62s. De mente iudaeorum circa hanc rem cf. et A.G.: AmCl 64 (1954) 457s.

CAPUT III

De unione animae et corporis

ARTICULUS I

DE UNIONE IN UNAM NATURAM

Thesis 24. In homine anima et corpus uniuntur in unam naturam.

S.TH., I q.76 a.1.3; SUÁREZ, *De anima* l.I c.12; BERAZA, n.1150-1178; LERCHER, 2³ n.574-576; PALMIERI, th.19.

599. **Nexus.** Constat ex probatis hominem ex corpore et anima componi; quid vero ea unione efficitur: mera extrinseca coniunctio duarum substantiarum an novum aliquod ens substantiale, distinctum et ab anima et a corpore et a pura summa utriusque? Si vero novum ens substantiale efficitur, ulterius quaeritur, qualis ergo sit modus unionis inter utrumque elementum. Si probatur ea unio esse ut in materiam et formam, facile patet novum ens substantiale ex iis effectum esse; tamen claritatis causa id postremum primo et brevius expeditur, ut in thesi sequenti de illo unionis modo disputetur.

600. **Notiones.** IN HOMINE i.e. in composito exsurgente ex unione corporis et unius animae rationalis.

ANIMA, seu primum a corpore diversum principium vitae et vegetativae et sensitivae et rationalis in homine.

CORPUS est hominis pars materialis (sive sit materia prima sine ulla forma saltem substantiali sive sumatur ut substantia completa sive saltem ut materia prima cum forma corporeitatis, cum de ea quaestione nondum hic agatur).

UNIUNTUR, i.e. fiunt *unum* seu indivisum in se (et divisum a quolibet alio) et quidem *per se*, seu in esse substantiali (ut patebit ex notione naturae); ita vero ut ea unio sit, ut patet, *compositionis* seu propria entium actu compositorum et in eorum partes divisibilem, non *simplicitatis* seu propria entium simplicium ac proin indivisibilem¹.

601. NATURA est principium quo primum (seu radicale ac remotum) agendi et patiendi.

Distinguitur ergo a supposito, seu *principio quod*, et a potentia vel facultate, seu *principio quo proximo* actionis vel passionis.

¹ Cf. URRÁBURU, *Ontologia* p.219s.238-243.

Ea est *ens substantiale*: a) *Simplex vel compositum*, exurgens sive ex substantiis incompletis in unicam completam unitis sive (si id fieri possit, de quo tamen nondum agimus) ex completis in ratione substantiae et incompletis in ratione naturae ad sic ac non aliter agendum. b) *Unum ut principium*, et proin ex quo sit *una actio*, non ergo mere ut respiciens unum effectum communem (2 CG 57). c) *Specificè in ratione substantiae diversum* ab aliis entibus, saltem quatenus est principium primum agendi et patiendi².

Ergo, iuxta haec, ex corpore et anima fit una natura i.e. unum ens substantiale, in specie viventis et quidem humani constitutum, quod ita est primum principium agendi, ut utrumque illud elementum requiratur, v.gr. ad sentiendum, immo et ad intelligendum per species e rebus sensibilibus haustas³. Quae technica notio *naturae humanae*, non quidem iis verbis expressa revelationis fontibus, facile tamen consonat horum notioni naturae humanae, quasi haec sit adeo intimus et harmonicus corporis et animae complexus, ex quo ens vivum rationale et fons actionum nec a solo corpore nec a sola anima prodeuntium seu homo, existat⁴.

602. Adversarii. 1) *Parallelismus psycho-physicus*: in homine realitas et psychica et physica sunt duae series actuum parallelae sine ullo inter eas influxu, nisi intra eandem seriem, at sic harmonice se evolventes, ut certo processui organico certus processus psychicus semper respondeat, et contra.

Est: a) *Dualisticus*, si duae series sunt aequae reales, sed independentes (pauci defensores). b) *Monistico-realisticus*, si utraque series est modus quo una eademque realitas se ostendit (FECHNER, JODL, etc.). c) *Monistico-materialisticus*, si re non est nisi una series physica, cuius altera est epiphaenomenon (TITCHENER, BLEULER, etc.). d) *Monistico-idealisticus*, si re non est nisi una series psychica, cuius altera est epiphaenomenon (SCHOPENHAUER, EBBINGHAUS, WUNDT, etc.)⁵.

2) *Interactionismus*. a) PLATO: anima est forma assistens, utens corpore, ut motor mobili⁶. b) Forte similiter DESCARTES (nec clare nec uniformiter loquens) putat animam corpori ita uniri, ut anima cogitet sine ullo interventu corporis et hoc

² *Essentia* est id quo quaevis res est id quod est, seu illud primum ac praecipuum, quo ens quodvis in suo esse constituitur. Ea, quatenus est etiam principium agendi, dicitur *natura*. Illa vero notio *essentiae*, ac proin et *naturae*, in omni ente, etiam accidentali, reperitur, ut patet; at absolute et primo valet de *substantiis* et posterius de accidentibus. Hinc *essentia* dicitur simpliciter *substantia*, quatenus est id, quo quaevis res consistit, et in se subsistit. Unde *natura*, sumpta simul ut *essentia-substantia*, est ens substantiale in determinato esse specificè constitutum, quod est principium primum agendi et patiendi. Cf. S.TH., *De ente et essentia* c.1: edit. M.D.ROLAND-GOSSELIN, O.P. (Kain 1926); URRÁBURU, l.c., p.52-54.

³ Eae notiones facile admittebantur etiam ab atomistis (de quibus inferius), si tamen ens substantiale modo explicato sumatur. Cf. S.TONGIORGI, S.I., *Institutiones philosophicae* 3 (Parisiis 1880?) n.183,5; PALMIERI, p.277.

⁴ Cf. P.GALTIER, S.I. (*De Incarnatione ac Redemptione* [Parisiis 1947] n.83): «Natura... vocatur complexus virium, qualitatium, substantiarum et organorum quo aliquis agere potest vel in certa specie collocatur».

⁵ Cf. MORÁN, o.c., n.6998; SIWEK, o.c., p.409-412; FRÖBES, o.c., 308-311.

⁶ PLATO, I Alcib. 129s; Tim. 42s; *Phaedr.*, c.30. Cf. S.TH., *De anima* a.1; 2 CG 57; SOULHÉ, l.c., p.16-19; ARNOU, l.c., 2667. Cf. tamen P.GRENET, *La Matière et la Forme*: AmCl 72 (1962) 323.

exerceat suas actiones sine influxu animae directo sed solum ope spirituum vitalium. Ea tamen unio, quae mere accidentaliter esse videtur, est iuxta ipsum substantialis, quatenus anima sic est substantialis forma corporis, quae aliquo modo sentit huius dolores ut suos per quamdam velut confusionem animae et corporis in sentiendo⁷.

Doctrinae catholicae non repugnat quilibet inter corpus et animam influxus physicus, v.gr. si hic sumatur de mutua inter corpus ut causam materialem et animam ut causam formalem causalitate, qualem scholastici inducunt, vel inter phenomena physiologica et psychologica ideoque inter animam et corpus (*De ver.* q.26 a.10), sed is qui ipsam unionem animae et corporis mere in mutua horum causalitate efficiendi ponat.

603. 3) *Occasionalismus* strictus est opinio qua solus Deus est causa efficiens, quae omnia operatur, dum creaturae sunt causae mere occasionales, quatenus positae in determinatis adiunctis dant occasionem ut Deus sine ulla mora exsequatur effectum: cum anima et corpus sint duae substantiae sine ullo mutuo influxu, Deus (solus per omnes causas agens) occasione idearum facit motus corporeos illis consentaneos, et viceversa. Sic MALEBRANCHE⁸; et primi quidam cartesiani⁹.

4) *Harmonia praestabilita*: motus corporei et motus animae sunt inter se causaliter independentes, perfecta tamen harmonia inter utramque seriem regnante, cum Deus ita animam et corpus fecerit, ut illius cogitationes motibus huius respondeant, et viceversa, praesciens mutuum illam eorum harmoniam. Sic LEIBNIZ¹⁰.

604. 5) GÜNTHER et *güntheriani* (BALTZER, KNOODT, etc.): homo constat spiritu et corpore sensitive animato, quin ille istud vivificet ac conglutinet; ea ergo duo sunt principia essentialiter diversa vitae (etiam conscientia vel spirituali vel sensitiva praeditae) essentialiter diversae, quae realiter ac substantialiter uniuntur, dum inter se commiscuntur, at dynamico-organice, quatenus mutuo et vires suas coniungunt et suas conscientias commiscunt; quin vero ea unio dicatur substantialis, sed formalis¹¹. Ergo, ut patet, post unionem manent ut duae naturae completae.

⁷ Cf. CHOLLET, *Descartes*: DTC 4,549-553; SIWEK, *Problema valoris in Philosophia S.Thomae et Cartesii*: Descr 18 (1937) 529s. Sed cf. et GRENET, l.c.

⁸ Cf. J.WEHRLE, *Malebranche, Nicolas*: DTC 9,1786; J.LATOUR, *Occasionalismus*: LThK 7 (1962) 1123-1125; M.F.SCIACCA, *L'anima* (Brescia 1954) 171-233 (iuxta A.Guzzo-F.Barone); G.RODIS-LEWIS, *Nicolas Malebranche* (Paris 1963) 200-209.

⁹ LATOUR, l.c., 1124. De ipso Descartes cf. CHOLLET, 552s; MICHEL, *Forme du corps humain*: DTC 6,567; A.ALVAREZ DE LINARES, *Las relaciones entre el alma y el cuerpo en Descartes y Santo Tomás*: RevFil 6 (1947) 115-122.

¹⁰ J.W.LEIBNIZ, *Essais sur la bonté de Dieu...* part.1 n.59-66; Id., *La Monadologie* n.62-81: edit. M.A.JACQUES (Paris 1846) p.144-148.473-476. Cf. MICHEL, 568.

¹¹ Cf. KLEUTGEN, l.c., n.791-793.818-824; KUPPER, *Günther, Antoine*: KL 5,1330-1332; ORBÁN, o.c., 39-94; WENZEL, l.c.; Id., *Güntherianismus*: LThK 4 (1960) 1277.

6) ROSMINI: anima corpori unitur ut sensitiva, quatenus sensu percipit istud, et ut intellectiva, quatenus sensitivam illam perceptionem seu illum *sensum fundamentalem* (ut a Rosmini is vocatur) et per eum corpus cognoscit. Ergo anima ut sensitiva sentit suum corpus et ut intellectiva id cognoscit. Sic corpus est terminus sensitivo-cognoscitivus animae humanae. In ea ergo perceptione intellectiva, immanenti continua illius fundamentalis sensus stat nexus animae et corporis¹².

Si haec adeo obscura formula sumatur ut sonat, illa unio animae et corporis videretur obiective (praecisa mente Rosmini) esse mere intentionalis.

605. Doctrina Ecclesiae. C.Chalcedonense (D 148): «Unum eundemque confiteri Filium et dominum nostrum I.C. consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem...; genitum... ex Maria virgine... secundum humanitatem: unum eundemque Christum Filium... in duabus naturis inconfuse... agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem magisque salva pro- portione utriusque naturae...»¹³

C.Lateranense IV (D 428): «Firmiter credimus...: qui (Deus)... utramque de nihilo condidit creaturam..., angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam... Et tandem unigenitus Dei Filius I.C., a tota Trinitate communiter incarnatus..., verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona» (cf. *C.Vaticanum*, D 1783).

«Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis: qui... passus et mortuus, descendit..., resurrexit in carne ascenditque ... venturus... iudicaturus...» (D 429).

C.Viennense (D 480): «... Confitemur, unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus... verus Deus existens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem... assumpsisse... ad unitatem suae hypostasis et personae. Et quod in hac assumpta natura... affigi cruci et in ea mori voluit...»

¹² Cf. M.LIBERATORE, S.I., *Del composto umano* (Roma 1862) n.323-355; MICHEL, Rosmini-Serbatii, Antonio: DTC 13,2323s; SCIACCA, *El pensamiento filosófico de Rosmini* (Barcelona 1954) 197-206.

¹³ Ut patet, in hoc documento natura sumitur ut quid praescindens a persona in qua subsistit: cf. M.JUGIE, *Eutychés et Eutychnisme*: DTC 5,1596.

Symb. Athanasianum (D 40): «... Dominus noster I.C.... Deus et homo est... Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo..., unus est Christus..., assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiae, sed unitate naturae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est... descendit... resurrexit... ascendit...»

His ergo documentis directe: a) Statuitur Christum esse verum hominem, et quidem quatenus est ex anima rationali ac corpore constans, seu perfectum in humanitate seu (aequivalenter, etsi implicite) in natura humana. b) Tribuuntur Christo secundum humanitatem certae actiones et passiones; hae vero eae sunt quae nec a sola anima nec a solo corpore prodire queant. Ergo *natura humana* proponitur, vel explicite vel saltem implicite, ut *ens substantiale indivisum* in se (fere ut, servata proportione, natura divina), quod est *principium agendi et patiendi*.—Ceterum *natura humana* putanda est significare in traditione christiana, et maxime tempore Scholasticismi, saltem id quod nos indicavimus.

PIUS XI (D 2212): «Neque... oblivisci umquam licebit, christiane educandum totum esse hominem, quantus est, nimirum in unam naturam per spiritum et corpus coalescentem...»

606. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica* (saltem implicite) *definita* (D 148 429 480).

607. Probatur ex sacra Scriptura. Cum semita non respiciat directe in homine ut diversa constitutiva corpus et animam, sed potius ipsum hominem ut unum quid concretum in se totale, videtur eo ipso clarius ac aristotelici ipsum considerare, si non quoad notionem naturae, certe quoad rem ut unam naturam.

1. *Indirecte.* Uni eidemque principio pariter tribuuntur: a) Anima et corpus, et quidem intime mutuo unita. Iob 14,22: *Attamen caro eius, dum vivet, dolebit, et anima illius super semetipso lugebit.* Eccl 2,3; Is 10,18. b) Animae et corporis actiones, quae ceterum saltem a solo corpore esse nequeunt. Gen 18,2: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum... et adoravit in terram.* Gen 19,1s; 27,7; 2 Reg 1,2; 3 Reg 21,7; 2 Par 25,14; Esth 3,2; Mt 8,2; 9,1-8.20-23.

2. *Directe.* Ex descriptione creationis hominis per duos actus divinos quibus duo elementa diversa coniunguntur in unum organicum concretum in se totale. Gen 2,7: *Formavit... Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spirita-*

culum vitae, et factus est homo in animam viventem. Ergo ex fusione illius duplicis elementi existit homo, seu ens rationale et vivum etiam quoad corpus, ac proin unum primum principium actionum vitalium sive spiritualium sive corporalium (Gen 2,15: operatur; v.16s: comedit; v.19s.23: loquitur...; 4,1s: generat; v.3s: offert munera Deo...) 14. At natura est primum principium agendi. Ergo ex anima et corpore fit una natura. I Cor 15,44-48.

Mors proponitur ut separatio spiritus et corporis, quod fit iners in ordine vitali. Eccli 2,7: *Revertitur pulvis in terram suam unde erat et spiritus redit ad Deum qui dedit illum. Mt 27,50; Iac 2,26.*

Resurrectio habetur quatenus corpus mortuum iterum vivit accepto spiritu. Ez 37,1-14: *Erant ossa arida, non viventia, quia spiritum non habebant (v.8), at ingressus est in ea spiritus et vixerunt (v.10). Lc 8,48-55; Act 20,9s.*

608. Probatur ex traditione. Hic eadem fere valent quae in thesi superiore allata sunt; tamen aliqua traditionis capita doctrinae proponantur:

ATHENAGORAS (R 170): *Homo constans ex anima et corpore fit ex utroque unum animal patiens quae anima et quae corpus patiuntur, et operans ea quae sensuum vel rationis iudicio continentur. «Omnis communitur hominum natura ex anima immortali constat et corpore...; necesse est omnino ut cum unum sit ex utroque animal, quod patitur quaecumque anima patitur et corpus».*

NEMESIUS: *Plato destruit unitatem hominis. «Non vult animal constare ex anima et corpore, sed ipsum esse animam, quae corpore utatur et velut corpore vestita sit... Quomodo enim unum esse potest cum vestitu anima? Non enim unum est tunica cum eo quod tunica est indutum» 15.*

S.AMBROSIUS: *Natura humana est corpus et anima. «Homo igitur, ut homini apparet, anima rationali constat et corpore; si alterum tollas, totam naturam hominis sustulisti» 16.*

S.AUGUSTINUS: *Homo est animal rationale (ex corpore et anima). «Deus... qui fecit hominem rationale animal ex anima et corpore». «Est ergo (homo) animal rationis capax; verum ut melius et citius dicam, animal rationale». «Homo est... animal rationale mortale... Homo est substantia rationalis constans ex anima et corpore» 17.*

14 Assertum est independens a quaestione de origine organica vel inorganica corporis Adae, cum ut homo appareat ut vivens ex spiraculo. Cf. CEUPPENS, o.c., 179s.

15 NEMESIUS, *De natura hom.* c.3: MG 40,593.

16 S.AMBROSIUS, *De incarn. Dom.* c.2 n.11: ML 16,821.

17 S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 5,11: ML 41,153 (cf. 9,13,3; ibid., 267; cf. 21,10,1: ibid., 725; *De ordine* 2,11,31: ML 32,1009); *Serm.* 43 c.2: ML 38,255; *De Trin.* 15,7,11: ML 42,

609. S.CYRILLUS ALEX.: *Verbum habitavit in carne, non ut in sanctis habitat, sed potius ut anima in corpore (qua ratione dicendi effertur contra Nestorianos unio Verbi ad carnem substantialis ac physica, non accidentalis ac moralis). «Licet Verbum in nobis habitavit omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter in Christo inhabitare litteris proditum sit, attamen non ita in illo habitavit ut in sanctis inhabitare dicitur. Habitavit enim secundum naturam unitum, non in carnem mutatum, tali inhabitatione, qualem dici potest hominis animam erga sibi proprium corpus habere» 18.*

FACUNDUS: *Verbum et humanitas non fiunt una natura ut anima et corpus. «Potuit enim hominis anima in unam naturam cum sua carne componi; de Christi vero divinitate inconvertibiliter simplici, non sine ingenti blasphemia dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit» 19.*

RUSTICUS (contra Monophysitas): *Verbum non patitur, ut anima cum corpore. «Anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequaquam» 20.*

610. Ratio theologica. Ex fontibus, homo exsurgit ex anima et corpore ita intime connexis, ut sit unum principium actionum, quae nec solo corpore nec sola anima edi possint. Ergo ex anima et corpore exsurgit homo ut una natura.

Ratio naturalis idem concludit. Operationes vegetativae et sensitivae, quae sunt essentialiter vitales et immanentes, nequeunt esse: a) a sola anima, cum secus haec reciperet in se sola effectum vegetationis seu assimilationem, et sensationem, cum tamen haec, ut patet ex experientia v.gr. doloris, sit materialis; b) a solo corpore, cum operatio vitalis et immanens (ergo

1065. Ex his et aliis patet, S.Doctorem de unione corporis et animae in unam naturam recte sensisse, nec aliquatenus platonice esse sumendum, si quando initio (a.388) formulas quasdam fere platonicas adhibuerit v.gr. dicens: «Homo anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore» (*De mor. Eccl. cath.* 27,52: ML 32,1332; cf. *De quant. anim.* 13,22: ML 32,1048). Cf. L.CILLERUELO, agust., *La formación del cuerpo según San Agustín: Ciudad 162 (1050) 445-473; H.A. PARISSIS, O.M.C., De unione animae cum corpore in doctrina S.Augustini: ActHebdAugThom (Taurini-Romae 1931) 271-311; M.DEL RÍO, El compuesto humano según San Agustín: RelCult 9 (1930) 17-37; E.PORTALIÉ, Augustin (saint): DTC 1,2358s; E.GILSON, *Introduction à l'étude de Saint Augustin* (Paris 1929) 54-60; M.F.SCIACCA, *O composto humano na Filosofia de Santo Agostinho: RevFilPort* 11 (1955) 125-141. Cf. tamen CH.COUTURIER, S.I., *La structure métaphysique de l'homme d'après S.Augustin: AugMag* 1 (1954) 543-550, cui videtur Augustinus possuise unionem animae et corporis nec accidentalem nec substantialem sed hypostaticam seu duarum naturarum in persona animae; sed hanc interpretationem corrigit E.FORTIN, *Saint Augustin et la doctrine néoplatonicienne de l'âme: ibid.* 371-380 statuens hominem esse iuxta Augustinum, duo principia completa in unione substantiali. De unione substantiali seu non platonica, at nec aristotelica, sed personali humana loquitur S.ALVAREZ TURIENZO, O.S.A., *El problema de la unidad del hombre en una metafísica creacionista: Ciudad* 175 (1962) 649-683.*

18 S.CYRILLUS ALEX., *Epist.* 17 (ad Nest.): MG 77,111; *Epist. ad monach. Aegypti: MG* 77,21. De usu apud S.Doctorem declarandi contra Nestorium unionem hypostaticam in Christo per unionem animae et corporis in homine, cf. JUGIE, *Nestorius et la controverse nestorienne* (Paris 1912) 162-167.

19 FACUNDUS, *Pro defens. trium cap.* l.1 c.6: ML 67,556.

20 RUSTICUS, *Disp. cont. aceph.*: ML 67,1191. Cf. de Patribus, BERAZA, n.1156-1160; CLEMENS, *Die Abweichungen der Güntherschen Speculation...* 1,12-57.

recipienda in ipso principio a quo procedit) exigit natura sua principium altius solo corpore ex se inerte; c) sed consequenter (cum alia explicatio desit) *ab organo anima informato*. At si ita est, ex corpore et anima fit *unum principium quo agendi et patiendi*, seu una natura. Ergo ex corpore et anima fit una natura (2 CG 57; *De anima* a.19) 20*.

611. Scholion 1. *Anima et corpus ununtur in unam personam.* *Persona*, seu suppositum rationale, est «naturae rationalis individua substantia» (Boëtius) 21, seu alia vulgata definitione, rationalis substantia singularis tota in se 22. Statuitur ergo unitas personae, seu *personalis*, exurgens (connaturaliter, seu extra miraculum mox memorandum) ex duabus naturis quarum neutra sit persona; non ergo *hypostatica*, seu exurgens ex duabus naturis quarum una est persona alteram ut sibi propriam in se assumens, qualis est uni Christo.

Assertum negant re, etsi non voce, omnes negantes thesim nuper expostitam v.gr. GÜNTHER, iuxta quem, una hominis persona exoritur ex una sui conscientia, qua spiritus se et corpus amplectitur 23, et ROSMINI, iuxta quem, persona est anima quatenus ex suis actibus internis obtinet sui conscientiam 24.

612. *At est de fide divina et catholica, immo et implicite definita* (D 148 429) sive quia docetur corpus et animam hominis esse unam naturam (quae sane, si est in se subsistens, eo ipso est persona) sive quia, dum efferitur in Christo esse duas naturas sed unam personam (divinam), eo ipso supponitur humanitatem ex se (seu nisi ab altiore persona assumatur) esse personam (cf. v.gr. C.Constantinopolitanum II, D 216s).

Symb.Athanasianum (D 40): «... Licet Deus sit et homo [duae naturae], non duo tamen, sed unus est Christus [una persona], unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo [una natura personalis], ita Deus et homo [duae naturae], unus [una persona] est Christus».

Scriptura dicens (Gen 2,7, ut alia omittamus) «factus est (ex corpore et anima) homo in animam viventem» seu ens vivum rationale, eo ipso illum ut personam inducit.

Traditio idem supponit, ut patet ex textibus nuper allatis, quibus accedunt et alii et hi: Pseudo-Athanasius, iuxta quem, «homo... una persona et unum animal est ex spiritu et carne compositum, ad cuius similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam et non duas» 25. S.Vincentius Lirin., iuxta quem, «in homine aliud caro et aliud anima, sed unus idemque homo anima et caro» 26.

Ex Scriptura et traditione, unus idemque homo dicitur nasci, manducare... intelligere, credere..., seu inducitur ut unum subiectum cui pariter attribuantur intrinsece omnia quae homini, ratione sive animae sive corporis, conveniunt. At id supponit unam personam, seu corpus et animam esse partes intrinsece constitutivas personae humanae; nam, cum pronomen «ego» personam exprimat, nequiret dici «ego dormio» vel «ego cogito», si

20* De ea intima animae et corporis unione, ex qua exsurgat, una natura, etc., cf. G.TRAPP, S.I., *Humanae animae competit uniri corpori* (S.Th. I q.51 a.1 c). *Überlegungen zu einer Philosophie des menschlichen Ausdrucks*: Schol 27 (1952) 382-390.

21 A.M.S.BOETIUS, *De persona et duabus naturis* c.3; ML 64,1343. Cf. de ea definitione, T.DE REGNON, S.I., *Etudes... sur la Sainte Trinité* I (Paris 1892) 227-232.

22 Cf. URRÁBURU, l.c., p.833-846; MICHEL, *Hypostase*: LTC 405-429.

23 Cf. MICHEL, 431s; KUPPER, l.c., 1332; KLEUTGEN, l.c., n.818; WENZEL, l.c.

24 Cf. LIBERATORE, l.c., n.5-8; MICHEL, 432.

25 PSEUDO-ATHANASIUS, *De Incarn. Dei Verbi* n.2: MG 28,92.

26 S.VINCENTIUS LIRIN., *Common.* c.13: ML 50,655.

corpus dormiens vel si anima cogitans esset quid extrinsecum personae quae dicitur dormire vel cogitare, ut nequit dici «ego cremor», si sola vestis crematur 27.

613. *Anima sola non est persona*, etsi sit substantia rationalis in se subsistens extra corpus, cum sit natura incompleta et ex se ordinata ad constituendum cum alia natura incompleta unum principium radicale agendi in specie humana (1 q.75 a.4 ad 2) 28.

Corpus vero recte dicitur animae instrumentum, at non separatam, sed coniunctum, et quidem substantialiter, cum causa principali, anima, ita ergo ut omne quod est corporis dicatur esse hominis; quod non valet quoad omnia de instrumento separato et accidentaliter coniuncto, ut v.gr. dicat homo «ego cado», si calamus cadit (3 q.2 a.6 ad 4).

614. Scholion 2. *Anima et corpus ununtur in unam substantiam.* *Substantia* est ens per se stans, seu, aliis verbis, cui convenit esse in se, non autem in alio tanquam in subiecto inhaesionis. Ea dicitur: a) *Completa*, si in se est vel concipitur esse plene integra ut substantia, nec proin ex se ordinatur ad aliam substantiam constituendam. b) *Incompleta*, si in se est pars substantiae, ac proin ex se ad aliam constituendam ordinatur 29.

Assertum nostrum, quod est *commune scholasticorum*, ponitur principaliter occasione eius opinionis Palmieri, iunioris, quod sive anima sive corpus sint completa in ratione substantiae, non vero in ratione naturae, et proin uniantur, non in unam substantiam, sed solum in unam naturam (quod tamen sufficiat ut dicantur uniri substantialiter) 30. Idem sentiunt re in genere *atomistae*, ut Tongiorgi, Ramière, Bottalla 31.

615. At Palmieri, senior, suam opinionem retractavit:

«Sunt qui censeant... corpus et animam substantias esse, completas quidem in ratione substantiae..., substantias vero incompletas in ratione naturae, naturam porro dicimus principium sufficiens operationis: constat sane ad singulas sensationes neutrum elementum sibi sufficere sed utrumque requiri... Ex duabus ergo substantiis fit una natura completa, eaque unio substantialis dicitur, quia ex duabus substantiis fit una nova natura subsistens. Quando sane ex pluribus substantiis una natura nova existit, unio nequit dici accidentaliter. Uniuntur porro istae substantiae... in ipsa activitate seu principio actionis ut fiat unum principium agendi, alterum vero elementum h.e. anima, cum sit per se vivens et vivere faciat corpus, forma eiusdem dicitur...»

«Nihilominus haec ratio explicandi unionem animae et corporis philosophis haud satisfacit, et substantialem illam unionem quae fide docetur, nequaquam attingit; eamque nos, licet olim comprobaverimus, nunc insufficientem prorsus esse non dubitamus affirmare. Revera non explicatur unitas huius substantiae compositae, quae est homo. Sentit enim homo, non anima, non corpus...; porro in hypothesi duplicis substantiae in ratione substantiae completae, hic sensus non haberet locum...»

«Oportet scilicet, animam esse formam corporis hoc pacto, ut ipsa intrinsece essentia sua constituat corpus, ideoque uniatu immediate essentia

27 Cf. BERAZA, n.1164.

28 Cf. BERAZA, n.1167.

29 Cf. URRÁBURU, l.c., p.792-806.

30 PALMIERI, *Institutiones philosophicae* 2 (Romae 1875): *Anthropologia* th.12.34 p.410-415; I (1874): *Ontologia* th.15; Id., *De Deo Creante et Elevante* (Romae 1878) 243s.

31 TONGIORGI, l.c., n.180-183; H.RAMIÈRE, S.I., *L'accord de la philosophie de saint Thomas et de la science moderne* (Paris 1877) p.26s; P.BOTTALLA, S.I., *La composition des corps d'après les deux principaux systèmes qui divisent les écoles catholiques* (Poitiers 1878); cf. Id., *La lettre de Mgr.Czacki et le thomisme* (Paris-Poitiers 1878).

sua materiae quae prima dicitur quaeque potentia tantum substantia est, et propterea anima rationalis sit quoque forma corporeitatis, h.e. intrinsece corpus constituat, dans materiae primae... esse corporis»³².

616. Nam, cum primum principium agendi non sit nisi ipsum esse rei, seu ipsa substantia, ubi est una natura non est nisi una substantia. Ergo si, fatente Palmieri, in homine est una natura, non est nisi una substantia (2 CG 57)³³.

Operatio sequitur esse. Ergo ubi est una virtus, una actio, unus effectus, nequit esse nisi unum esse.

Ceterum fontes revelationis praedicant de homine operationes ac proprietates et animae et corporis, ut de una eademque realitate in se clausa et indivisa. At id esset saltem aequivocum, si anima et corpus manerent in homine ut substantiae completae³⁴.

ARTICULUS II

DE ANIMA UT FORMA CORPORIS

Thesis 25. In homine anima est corporis forma vere, per se, essentialiter.

S.TH., 1 q.76 a.1; 2 CG 56; De anima a.9; SUÁREZ, De anima l.I c.15; BERAZA, n.1170-1225; BOYER, thes.6; DAFFARA, thes.24; HUARTE, n.244-255.

617. **Nexus.** Si ex probatis anima humana est spiritualis ac immortalis, et si aliunde ea unitur hominis viventis corpori, quod est materiale ac mortale, existit problema de unione inter animam et corpus, nempe quomodo anima relate ad illud se habeat. Ulterius ex nuper probatis constat animam et corpus uniri in unam naturam, personam, substantiam. Quenam ergo est animae relatio ad corpus, qua ea mira unitas utriusque obtineatur? Estne anima forma corporis? Quomodo?

Ea quaestio non est pure philosophica, cum ex eius solutione pendeat recta idea et de hominis natura et consequenter de Verbi incarnatione. Cum vero in ea sint alia dogmatica, ac proin omnibus tenenda, alia quae apud catholicos disputentur, nos, his postremis praecisis, thesim stricte ad exigentias dogmatis definiemus, et proin iis solis notionibus ac ratione status quaestionis praemittendis, quae omnium catholicorum menti convenient.

618. **Notiones.** IN HOMINE i.e. in composito exsurgente ex unione corporis et unius animae rationalis.

³² PALMIERI, De creatione (Prati 1910) th.29 p.277s.

³³ De argumento contra atomistas, cf. J.B.WIMMER, S.I., De anima intellectiva ut forma corporis: ZkathTh 43 (1919) 581-616.

³⁴ Cf. BERAZA, n.1171-1178.

ANIMA, seu primum a corpore diversum principium vitae in homine, ac proin *rationalis* (seu primum principium quo intellectionis), sumitur hic ut *quae* est rationalis, seu secundum totalitatem suae essentiae rationalis, non vero *qua* rationalis, seu secundum virtutem rationalem, quasi eam corpori informato communicaret¹.

CORPUS est pars materialis hominis, ut in thesi superiori (n.600).

619. **FORMA** est perfectio quae, ut actus, coniungitur cum alio ente, ut subiecto seu potentia determinabili, ad constituendum aliquod ens specificum novum (saltem ut naturam). Ergo perficit subiectum quatenus sua communicatione illud determinat essentialiter seu constituit in nova specie ontologica, vel actuat ut id specificum novum quod antea erat solum in potentia sit actu v.gr. planta, animal.

Unde anima rationalis est forma corporis, quatenus ut actus (seu perfectio) unitur corpori, quod determinat ad constituendum hominem seu ad esse speciei humanae.

Hinc in ea generali notione *forma* respicitur: a) Non stricte, seu prout anima est substantia *incompleta*, quae ut talis coniungatur cum corpore ad novam substantiam *completam* constituendam. Quo excluderentur omnia systemata catholica non peripatetica. b) A fortiori nec *strictius*, seu prout anima coniungitur cum corpore ut pura materia prima (seu qualibet forma carente). Quo excluderetur systema tenens animam uniri corpori formam corporeitatis habenti. c) Sed *generice* ac simpliciter ut est actus perficiens corpus in linea essentiae, seu faciens ut sit corpus naturae humanae (ergo viventis ac rationalis)².

N.B. Anima potest dici forma *substantialis*: a) Quatenus est substantia. b) Quatenus ex eius unione cum corpore exsurgit una natura vel quatenus *hoc sensu* constituit substantiam seu ponit corpus in substantiae viventis specie³. c) Non vero si anima sumatur ut substantia incompleta, nisi eo ipso excludantur systemata catholica non peripatetica.

Anima potest dici *forma* sive *corporis* quod informat sive *hominis* quem constituit; at cum istum constituat praecise quatenus per suae entitatis

¹ S.TH., De anima a.9 ad 11: «Dicendum, quod licet anima sit forma corporis secundum essentiam animae intellectualis, non tamen secundum operationem intellectualem». Cf. 1 q.76 a.1; 2 CG 68; De anima a.10.

² Multa possent dici de notione formae deque huius divisionibus in *increatam* (quatenus forma dicit ex se perfectionem seu actum, qui, ut patet, in Deo est ipsa eius essentia), et *creatam* sive *accidentalem* (accidens) sive *substantialem*, quae sit *separata* seu assistens (v.gr. angelus), vel *informans* sive *subsistens* (v.gr. anima humana) sive *non subsistens* (v.gr. anima belluina). At haec et alia ulterius hic non exponimus, cum ea hic potius possent facile confusionem gignere, dum volumus consulto dogmatica a systematicis in hac thesi omnino separare. Cf. URRÁBURU, *Cosmologia* p.589-602; MICHEL, *Forme*: DTC 6,541-546.

³ Eam unionem animae substantialem admittunt omnes catholici, etiam atomistae v.gr. TONGIORGI, o.c., 3 n.183; PALMIERI, *Institutiones philosophicae* 1: *Ontologia* th.25 p.467; 2 (1875); *Anthropologia* th.11 p.77-380s; *De Deo Creante et Elevante* (Romae 1878) th.26 p.224s.

communicationem corpus ad esse humanum determinat, si dicitur esse forma corporis, eo ipso dicitur etiam esse forma hominis.

620. VERE, seu non metaphoricè, sed proprie, seu quatenus anima est forma physica et re distincta a subiecto quod informat et istud in eius realitate physica perficiens⁴.

PER SE i.e. non mediate seu per aliud distinctum a corpore et ab anima rationali v.gr. per aliam formam, ut esset pars animae sensitiva (distincta a rationali), sed per ipsam substantiam animae rationalis.

ESSENTIALITER i.e. per ipsam substantiam animae qua rationalis, seu non mere per virtutem vel per operationem vel per aliquam formam distinctam ab illa substantia.

Ut patet ex eorum expositione, termini «vere, per se, essentialiter» globatim sumpti id unum significant: animam per ipsam suam substantiam rationalem esse formam (sensu proprio huius vocis) corporis. Tamen, si fontes formaliter asserunt id quod isti termini eo sensu sumpti expriment, quin aliunde ullo modo indicent animam esse talem formam per miraculum vel quasi per exceptionem, iure putantur supponere, animam esse talem formam *ex natura sua*, ita ut «per se» dicat etiam «non per accidens» (v.gr. animam non infundi corpore mere ut puniatur), et «essentialiter» etiam significet «non accidentaliter» seu quasi formae ratio animae non ex huius essentia conveniat⁵.

621. Adversarii. In genere omnes recensiti in thesei superiore debent logice hanc thesim negare. In specie pro ROSMINI, cum anima corpori uniat intentionaliter seu quatenus illud percipit (n.604), forma corporis est ea perceptio, ac proin anima non est forma corporis, sed potius causa eam efficiens (D 1914)⁶.

622. In specie PETRUS J.OLIVI (1248-1289): Homo est unum suppositum, constans ex corpore (cum forma corporeitatis) et *unica* anima eaque *rationali*. Quae constat, ut partibus essentialibus, ex materia spirituali et ex triplici elemento formali eam materiam determinante: nempe, parte intellectiva, parte sensitiva, parte vegetativa inter se distinctis (saltem) formaliter ex natura rei et in unam animam unitis per materiam illam spiritualementem.

⁴ Sic dicitur analogice forma, ea quae identificatur re cum materia (v.gr. forte verba consensus coniugalium) vel quae materiam physice non perficit (v.gr. formula baptismi) vel in genere forma sacramentorum in quibus distinguuntur materia et forma solum ex quadam proportione ad res corporeas (BILLOT, *De sacramentis* 1⁶ [Romae 1924] th.1 p.298). Pariter caritas analogice dicitur forma virtutum (2.2 q.23 a.8). Item improprie memoratur forma sive metaphysica, seu essentia abstracta respectu concreti, sive logica, seu ens metaphysicum identificatum cum suo subiecto. Cf. MICHEL, l.c., 543.

⁵ P.Aureolus non nisi ex Dei miraculo explicat animam incorpoream et immortalem esse formam corporis. Cf. A.BALDISSERA, *La decisione del Concilio di Vienne* (1311) «substantia animae rationalis seu intellectiva vere ac per se humani corporis forma» nell'interpretazione di un contemporaneo: RivFilNeosc 34 (1942) 212-232.

⁶ LIBERATORE, o.c.; MICHEL: DTC 13,29238.2940; Id., l.c., 6,432.

Anima rationalis est forma corporis, non vero per partem intellectivam (haec vox, ut patet, inadaequate distinguitur iuxta Olivi, a voce «rationalis» toti animae applicata), sed per partem sensitivam et vegetativam. At cum pars intellectiva sit *substantialiter*, seu per materiam spiritualementem, unita aliis partibus, quae sunt corpori substantialiter unitae, recte dicitur esse corpori unita *substantialiter*, etsi non *formaliter* (seu ut forma), et recte dicitur sensu explicato, seu ut unita est aliis partibus, *forma hominis*.

Haec conficta sunt, ne, si diceretur pars intellectiva esse corporis forma, immortalitas sive libertas sive intellectualitas illius destrui videretur, et contra, corpus, ut accipit esse vivum ac sensitivum, etiam esse immortale liberum intellectualem accipere sequeretur⁷.

Ea ergo theoria, ut patet, ita explicat relate ad corpus sive informationem substantialem ex parte animae rationalis sive unionem substantialem ex parte animae ut intellectivae, ut uno eodemque asserto et genuinam informationem ex parte animae rationalis et veram unionem eius ut intellectivae ad corpus corruptat; nempe quatenus dicit animam rationalem non per partem intellectivam corpus informare, illam animam ut rationalem reddidit quodammodo independentem a corpore, ita ut unio animae rationalis et corporis in unam naturam vel re destruat vel saltem in discrimen adducatur: quo posito, unitas et forte (per facilem remotionem partis intellectivae sub Verbo) integritas naturae humanae Christi vacillare putatur.

623. *Id ergo est proprium doctrinae Olivi: Non formarum substantialium* (v.gr. corporeitatis) *pluralitas*, quam multi, etiam eius adversarii, tunc et postea docuerunt⁸. Nec compositio animae ex *materia spirituali et forma*, quod plurimi, ut S.Bonaventura, tenuerunt⁹. Immo, nec *compositio* eius *formae ex tribus partibus* natura rei distinctis, quod et alii, ut Kilwardby, O.P., archiepiscopus Cantuariensis, statuerunt¹⁰. Sed id, quod anima rationalis sit forma corporis, non vero *per partem rationalem*¹¹. Item distinctio terminorum, quod tota anima vocetur *rationalis*, sed non *intellectiva* nisi solum

⁷ B.JANSEN, S.I., *Fr.Petrus Iohannes Olivi, O.F.M. Quaestiones in secundum librum sententiarum* (Quaracchi 1924) q.51.59 (cf. q.16.50.54). Cf. V.Heynck, *Olivi, Petrus Iohannis*: LThK 7 (1962) 1149; E.BETTONI, O.F.M., *Le dottrine filosofiche di Pier di Giovanni Olivi* (Milano 1959); C.PARTEE, O.F.M., *Peter John Olivi: Historical and doctrinal study*: FrancisSt 20 (1960) 215-260. Id mirum est quod Olivi, qui ut spiritualium dux tam multos sectatores habuit, in ea opinione sic solus manserit, ut non nisi unus eius discipulus cognoscatur: cf. E.LONGPRÉ, O.F.M., *Pietro de Trabibus un discipolo di Pier Giovanni Olivi*: StudFranc 8 (1922) 267-290; JANSEN, *Petrus de Trabibus. Seine spekulative Eigenart oder sein Verhältnis zu Olivi*: Baumker-Festschrift (Münster W. 1923) 243-254.

⁸ Card.F.EHRLE, S.I., *Der Augustinismus und Aristotelismus in der Scholastik gegen Ende des 13. Jahrhunderts*: ArchLitKirchMA 5 (1886) 603-635; P.TEDESCHINI, *Dissertatio historica de sententia Scholasticorum circa essentiam corpoream* (Romae 1878); P.DE MARTIGNE, O.M.Cap., *La scolastique et les traditions franciscaines* (Paris 1888) 175-198; JANSEN, *Die Definition des Konzils von Viena: substantia animae rationalis...*: ZkathTh 32 (1908) 300-306; R.ZAVALLONI, O.F.M., *Richard de Mediavilla et la controverse sur la pluralité des formes* (Louvain 1951), et *La métaphysique du composé humain dans la pensée scolastique prétériste*: RevPhLouv 48 (1950) 5-36; R.MASI, *Una celebre controversia di S.Tommaso*: EuntDoc 2 (1952) 241-247; VANNI ROVIGHI, *La controversia sulla pluralità delle forme nel secolo XIII*: RivFilNeosc 44 (1952) 246-253.

⁹ S.Bonaventura, *In 4 d.3 p.1 a.1 q.1*: cf. *Opera* 2: Schol p.92-94.

¹⁰ Cf. EHRLE, o.c., 5,624-635; TH.M.ZIGLIARA, O.P., *De mente Concilii Viennensis in definiendo dogmate unionis animae humanae cum corpore deque unitate formae substantialis in homine* (Romae 1878) p.97; Chart. Univ. Paris 1,550.

¹¹ Cf. M.DEBIEVRE, *La définition du Concile de Vienne sur l'âme*, 6 mai 1312: RechScRel 3 (1912) 336-341.

quoad unam eius partem, et quod anima rationalis dicatur corpori uniri *substantialiter*, non vero *formaliter*.

Ergo Olivi non tenuit: Dualismum animarum, ut putavit Palmieri¹², etsi ille forte ex eius theoria logice sequatur¹³. Nec animam rationalem simpliciter non esse formam *substantialem* corporis, ut indicat Zigliara¹⁴, immo nec eam ut intellectivam non uniri *substantialiter* corpori, sed solum ut motore mobili¹⁵, ut saltem primo sensit Jansen¹⁶. Sed utrumque, ut nuper dictum est, erroneo modo explicavit.

*Distinctio inter illas tres partes animae videtur certo poni ab Olivi ut realis*¹⁷, nec mere ut *formalis ex natura rei* (notione scotistica)¹⁸. At ea distinctio non mutat essentiam eius doctrinae, ut patet ex nuper praemissa huius expositione, cum in omni casu id habeatur, iuxta ipsum, ut pars intellectiva non per se immediate, sed mediate per aliud informet corpus.

624. Doctrina Ecclesiae. 1. Re, etsi non verbo, Concilia docent informationem, quatenus dicunt animam corpus animare. *C.Ephesinum* (D 111a): «Asserimus... Verbum unita sibi secundum hypostasim carne animata rationali anima... hominem factum».

C.Constantinopolitanum II (D 216): «Si quis... non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali... a.s.»

C.Lateranense (D 255): «Si quis... non confitetur... Verbum... incarnatum... venturum iterum... cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius... condemnatus sit».

Haec valent maxime cum ea Concilia supponant, ut patet, ex anima et corpore exurgere unam naturam seu hominem (v.gr. D 215s 219-221 255 257-264).

625. 2. *C.Viennense* (D 480): «... Confitemur... Dei Filium..., partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus existens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse».

¹² PALMIERI, *Instil. philos.* 2: *Anthropologia* th.14 p.394-396; Id., *De Deo Creante* (1878) 772-776; F.DESJACQUES, *Bulletin théologique*: Et 46 (1889) 477s. Contra, cf. ZIGLIARA, o.c., p.06ss; JANSEN, l.c., 477-481.

¹³ Cf. VITALIS DU FOUR, *De rerum principio* q.9 a.2 n.16-24; q.11 a.2 n.6s (cf. IOANNIS DUNS SCOTI... *Opera omnia* 4, Parisiis 1861).

¹⁴ ZIGLIARA, p.120; Id., *Summa philosophica* 214 (Paris 1905): *Psychologia* l.2 c.1 a.1 n.9. Contra, Cf. EHRLÉ, 2 (1886) 396; DEBIEVRE, 324-336. Cf. et MICHEL, l.c., 6,548.

¹⁵ Cf. OLIVI, In 2 q.51, edit. Jansen, 2 p.121s.

¹⁶ JANSEN, *Quonam spectet definitio Concilii Viennensis de anima...*: Greg 1 (1920) 83; cf. edit. oper. Olivi, 2 p.9; cf. tamen t.3,603 nota. Contra eum E.MÜLLER, O.F.M., *Das Konzil von Vienne 1311-1312. Seine Quellen und seine Geschichte* (Münster 1934) 367-381.

¹⁷ JANSEN, *Die Seelenlehre Olivis und ihre Verurteilung auf dem Viennener Konzil*: Franz-Stud 21 (1924) 297-314; cf. Id.: *Schol* 10 (1935) 241; DEBIEVRE, 335 not.3. At, ut hic auctor notat (ib. 334 nota), iuxta Olivi, partes non distinguuntur ab essentia, sed in essentia.

¹⁸ Cf. B.ECHEVERRÍA, O.F.M., *El problema del alma en la Edad Media* (Buenos Aires 1941); MÜLLER, 371-374.

«Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei..., reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit fidei sinceræ veritas ac pracludatur universis erroribus aditus ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere..., pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus» (D 481). *C.Lateranense V* (D 738) eandem doctrinam tradit.

Hic sunt hae tres formulae: «Animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem». «Substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis... forma». «Anima rationalis seu intellectiva... forma corporis humani per se et essentialiter».

In iis formulis: a) «Forma» sumitur saltem eo minimo sensu quo ab omnibus theologis tunc admittebatur et omnibus futuris admittenda erat, i.e. saltem ut corpus perficiens in specie hominis seu ad unam naturam constituendam. Anima rationalis dicitur esse forma, non mere hominis, sed corporis (humani). Identificantur quoad animam voces «rationalis» et «intellectiva»; ergo non est locus (saltem quoad informationem attinet) distinctioni quam facit Olivi. Vox «vere» in eadem formula semel ponitur et semel omittitur; ergo est emphatica, nec specialem sensum innuit aliis verbis non satis indicatum. Ubi omittitur vox «essentialiter», ponuntur verba «substantia animae rationalis»; ergo «essentialiter» est idem ac «per ipsam essentiam».

Ergo a Concilio docetur *saltem* id: animam rationalem per ipsam suam essentiam rationalem seu intellectivam, seu ipsam substantiam animae rationalis, esse corporis formam. Ergo docetur nostra thesis saltem limitibus a nobis definita; et quidem licet praescindatur a vi particulae «per se», quae ceterum, sensu obvio, debet sumi saltem ut «non per aliud», ita ut illum vocis «essentialiter» sensum confirmet.

Haec vero valent, etsi Concilii verba in se ipsis absolute respiciantur, seu cum praecisione (vel et cum ignorantia) auctoris cuius doctrina ab illo attingi directe censeatur, cum nemo a Concilio expresse memoretur.

At si istud doctrinam Olivi directe damnavit, ut videtur¹⁹

¹⁹ EHRLÉ, *Zur Vorgeschichte des Concils von Vienne*: Ibid. 2 (1886) 353-416; *Petrus Johannes Olivi, sein Leben und seine Schriften*: Ibid. 3 (1887) 443-451; DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, *Collectio iudiciorum de novis erroribus I* (Paris 1755) p.228 col.2; JANSEN, *Die Seelenlehre Olivis* 241-244; Id., *Ein neues gewichtiges Zeugnis über die Verurteilung Olivis*: *Schol* 10

contra aliquos²⁰, tunc a fortiori docere putaretur eo anima rationalis intellectiva esse corporis forma i.e. non mere per aliud, seu v.gr. per partem sensitivam, sed immediate per suam substantiam rationalem etiam qua intellectivam, ita ut hoc unum idemque significant particulae «per se» et «essentialiter», quas vox «vere» corroboret.

626. Ergo, cum rationes vel ex ipso textu vel ex historia in contrarium desint, tenendum est Concilium noluisse damnare: *dualismum animarum*, ut voluit Palmieri²¹, etsi iure dici possit hunc virtualiter et indirecte damnare, si iste logice sequitur necessario e doctrina Olivi²². Immo nec *animae divisionem in tres partes*, nisi forte etiam virtualiter et indirecte, si ea logice ad doctrinam definitam negandam ducat²³. Nec a fortiori *formarum substantialium pluralitatem*²⁴.

Aliunde noluit definire: ut patet etiam ex postremo asserto, *theoriam thomisticam* de unione animae et corporis, ut putavit Mandonnet²⁵. Nec ipsam theoriam *scholasticam* de anima forma substantiali, ut voluit Zigliara²⁶, ita ut sic excludantur alia systemata etiam catholicorum non scholastica de unione animae et corporis²⁷. Immo nec simpliciter animam rationalem esse *substantialem* corporis formam et proin corpori uniri *substantialiter* (de quo ceterum sat constabat ex aliis definitionibus de unione animae et corporis in unam naturam: D 40 148 428). Sed id unum statuere: eam informationem substantialem fieri *per ipsam substantiam animae etiam ut intellectivae*, ita ut vis definitionis directe ponatur in verbis «substantia...», per se et essentialiter²⁸.

Tamen eo ipso tradit—et id est proprium huius Concilii—relationem animae ad corpus esse *formae* ad subiectum informatum; at quin sumat vocem «forma» sensu certi cuiusdam systematis philosophici, sed eo quo ab omnibus ea intelligitur et admittitur, seu ut indicans actum corpori substantialiter advenientem ad unam naturam humanam cum eo constituendam,

(1935) 406-408; J.KOCH, *Die Verurteilung Olivis auf dem Konzil von Vienne und ihre Vorgeschichte*: Schol 5 (1930) 489-522; Id., *Das Gutachten des Aegidius Romanus über die Lehren des Petrus Ioannis Olivi. Eine neue Quelle zum Konzil von Vienne (1311-1312)*: SoSacR (Köln 1935) 142-168; L.AMORÓS, O.F.M., *Sensu condemnationum et processum contra doctrinam et sequaces Petri Ioannis Olivi* (e cod. Vat. Ottob. lat 1816): ArchFranchHist 24 (1931) 495-512.

²⁰ HEFELLE-LECLERCQ, o.c., 6 (Paris 1915) p.670; L.JARRAUX, O.F.M., *Pierre-Jean Olivi, sa vie, sa doctrine*: EtFranc 45 (1933) 527-529; ECHEVERRÍA, l.c. Saltem de condemnatione non constare dicit MÜLLER, 381-384 et, ut videtur, J.LECLERCQ, *Vienne (Concile de)*: DTC 15,2975s. Cur tamen Olivi non nominatus est? Non constat. At nec Lateranense V (D 738) nec Tridentinum nec Vaticanum quemquam nominarunt; ceterum cf. HEFELLE-LECLERCQ, l.c., 668-670; EHRLÉ, 3,448s. Certe, Olivi personaliter non est ut haereticus damnatus.

²¹ PALMIERI, *Animadversiones in recens opus de mente Concilii Viennensis* (Romae 1878); Id., *Anthrop. th.14 p.397-399*; Id., *De Deo Creante* (1878) p.770-772.

²² Cf. JANSEN, *Die Definition des Konzils von Vienne: substantia...: ZkathTh 32* (1908) 484-486; MICHEL, l.c.: DTC 6,558; PALMIERI, *De Deo Creante* 771s; DESJACQUES, 477s.

²³ Cf. EHRLÉ, 5,635; Card.D.J.MERCIER, *Psychologie* 2¹¹ (Paris 1923) p.307s; JANSEN, *Quonam spectet definitio...: Greg 1* (1920) 85.

²⁴ Cf. EHRLÉ, 2,369; 3,421s; 5,635; MARTIGNÉ, o.c., 175-198; ZIGLIARA, *De mente Concilii Viennensis... p.96s.137-140*; PORTALIÉ, *Augustinisme: DTC 1,2505s*; B.BAUDOUX, O.F.M., *De forma corporeitatis scotistica: Ant 13* (1938) 445-458 (cf. supra not.8).

²⁵ P.MANDONNET, O.P., *Frères Prêcheurs (La Théologie dans l'Ordre des)*: DTC 6,896. Forte dicit idem ac Zigliara; at saltem non exacte loquitur.

²⁶ ZIGLIARA, l.c., p.90,96,150; Id., *Psychologia 2* l.2 c.1 a.1 n.9.

²⁷ Id constabat maxime ex verbis Pii IX inferius afferendis. Ceterum cf. PALMIERI, l.c., 770-776; JANSEN, l.c., 486; qui tamen (*Quonam spectet definitio...: Greg 1* [1920] p.87) inepte intelligit Zigliara de hylemorphismo thomistico.

²⁸ Cf. BERAZA, n.1223; BOYER, 156.

ita ut sic sumpta, seu ut pertinens ad philosophiam hominum communem, a Concilio consecrari saltem quoad animam humanam iure dici possit²⁹.

Posita illa animae rationalis informatione per se et essentialiter, affirmatur sufficienter substantialis unio animae rationalis etiam ut intellectivae cum corpore, quam theoria damnata in discrimen vocabat. At ulterius eo ipso damnari censetur implicite vel virtualiter omnia systemata etiam futura, quae cum ea definitione non cohaereant, ita ut eam appellent v.gr. C.Lateranense V «contra averroisticam opinionem de unica anima rationali pro omnibus hominibus (D 738) et Pius IX contra conceptionem gūntherianam de unione animae et corporis (D 1655). Sane Concilium rem definit, «ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praeccludatur universis erroribus aditus, ne subintrent...» (D 481)³⁰.

627. 3. Pius IX (D 1655): «Noscimus, iisdem libris (A.Günther) laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma».

His nihil novi additur definitioni Viennensi, sed solum: omittitur vox «intellectiva» (cum nimis clarus sit sensus, maxime cum et pro Günther ipsa anima rationalis esset intellectiva); pro voce «essentialiter» ponitur vox «immediata» (i.e. non mediante alio), qua ergo habetur declaratio quaedam authentica definitionis Viennensis, et quidem eo sensu quem supra proposuimus³¹.

628. Cum vero ex iis Pontificis verbis, et aliis (laudis ad doctorem Travaglini quod sectaretur «Angelici Doctoris principia de animae intellectivae unione cum corpore humano, deque substantiali forma et materia prima»³² quidam contenderent, unam doctrinam *thomisticam* de anima corporis forma omnibus esse tenendam, Pio IX mandate scriptum est: «Graviter abuti litteris a Sanctitate sua... ad doctorem Travaglini datis, quibus opus ab eo susceptum commendatur, eos omnes qui exinde contendunt Sanctitatem Suam voluisse per eam commendationem improbare systemata quaedam philosophica illi opposita... Ad systemata ista alia scholarum catholicarum improbanda, merito proferri nequaquam posse litteras a Summo Pontifice datas ad Em.Card.Coloniensem, vel ad Revmum.Episc.Vratislaviensem (cf. D 1655 et not.3), aliave Ecclesiae decreta et definitiones: ea namque documenta pertinent tantummodo ad decendam unitatem substantialem naturae humanae...; dum eae controversiae... doctrinas mere philosophicas respiciunt, super quibus catholicae scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt: quoniam suprema Ecclesiae auctoritas numquam pro altera iudicium tulit, quod alteram excluderet»³³.

²⁹ Cf. L.DE GRANDMAISON, S.I., *L'élasticité des formules de foi. Ses causes et ses limites*: Et 76 (1898) 488-490; DEBIEVRE, 3258.342.344; MICHEL, l.c., 550.557s. Ut ergo notat DE GRANDMAISON (488), post Concilium multa de unione animae et corporis adhuc disputanda manent.

³⁰ Cf. PALMIERI, l.c., 771s; DESJACQUES, l.c., 478; DE GRANDMAISON, 488.

³¹ Ceterum gūntheriani eum definitionis viennensis sensum quaesierunt, quo eorum systema non laederetur; at frustra, ut patet ex verbis Pii IX. Cf. HEFELLE-LECLERCQ, l.c., 670-672; MICHEL, l.c., 562s; ORBÁN, o.c., p.63-68.

³² PIUS IX, *Dilecto filio Alphonso Travaglini Doctori medico-chirurgo*: ASS 8 (1874) 496s. Cf. L'Accademia filosofico-medica di S.Tommaso d'Aquino: CivCatt (1874,4) 148-163.

³³ W.ZACKI, *Litterae iussu Sanctissimi Patris Pii Papae IX datae ad D.Eduardum Hauttour... Rectorum Universitatis Catholicae Insulensis* (5 iun. 1877): AAS 10 (1877) 258s.

Ergo ex his, illae litterae, Ecclesiae decreta et definitiones (de hac re): *positive* nihil aliud docent nisi *unitatem substantialem* naturae humanae; *negative* nequeunt afferri ad improbanda systemata scholarum catholicarum *non thomistica*. Quo ergo etiam constat C.Viennense non statuere systema scholasticum, et a fortiori nec thomisticum, ut supra diximus.

629. 4. *C.Coloniense* (prov.): «Homo corpore et anima ita absolvitur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma... Cum igitur secundum Conciliorum decreta anima rationalis vere ac per se sit corporis forma, et cum illorum temporum doctores gravissimi formam illud dicant principium quo corpus vivit, sentimus, movemur et intelligimus, sicut et Patres priores corpus humanum anima rationali animari dixerant: dubium esse nequit e Conciliorum mente anima rationali a Deo creata ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici, eamque esse veram per se atque immediatam corporis formam»³⁴.

630. *Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita* (D 481).

631. *Probatur ex sacra Scriptura*. Fere ut in thesi superiori, ex iis quae Scriptura docet de hominis creatione (Gen 2,7), morte (Eccl 12,7), resurrectione (Ez 37,1-14; Lc 8, 49-55; Act 20,9s). Iuxta ea quae supra diximus, etsi Scriptura directe non definiat philosophiam compositi humani, tamen eo quod ab initio et constanter in V. ac in N.T. hominem inducat ut ens corporeum-rationale, videtur eum sua notione concipere ut vivificatum principio spirituali vel saltem id ex eius notione hominis erui, ita ergo ut ea quasi infusione spiraculi vitae exsurgat corpus hominis ut constitutum *in specie viventis* et quidem *humani* seu in unum cum spiraculo primum principium actionum humanarum, dum recessu eiusdem spiraculi transit *in speciem entis mortui*. Ea sane optime consonant ideae entis compositi ex corpore et alio elemento quasi *informante*, quod obiective nequeat esse nisi anima.

632. *Probatur ex traditione*. Patres, etsi explicite non dicant animam esse corporis humani formam, censendi sunt id implicite et quoad rem asserere, dum inducunt animam sic intime corpus occupare, ut illud vivificet, seu illud constituat principium novae et quidem vitalis actionis. Id autem fere constat ex verbis eorum supra (n.568s) allatis.

S.IRENAEUS: *Anima dat corpori vitam et incrementum*. «Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa

³⁴ *C.Coloniense* (a.1860), *Decreta concilii...* tit. c.14: CL 5,292s.

spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori...»³⁵

S.GREGORIUS NYSS. (R 1021): *In homine una anima rationalis per sensus corpori immixta dat huic totalem vitam* (cuius illud est capax): «Etsi superiore oratione declaratum est triplex esse in vivendi facultate discrimen, ut alia sit vita quae quidem nutriatur..., alia et nutriatur et sentiat..., alia denique et ratione utatur et perfecta sit per facultates ceteras omnes diffusa, ut et in iis existat..., nemo tamen idcirco existimet tres in humano officio animas exsistere..., ut naturam hominis ex pluribus animis conflata putare debeamus. Nam vera et perfecta anima reapse unica quaedam est, intelligens, immaterialis, sed per sensus naturae illi crassae mixta».

Anima rationalis dat corpori organico facultatem vivendi et percipiendi sensibilia. «Anima est essentia... intellectualis, corporeis sensuum instrumentis vivendi, et ea, quae cadunt sub sensus, percipiendi facultatem per sese suggerens...» (R 1056).

633. S.AUGUSTINUS: *Anima totum corpus animat, vivificat; congruentiam eius conservat in crescendo, in gignendo*. «Anima facta est animans carnem, et eius sensibus velut nuntiis utens». «Per totum quippe corpus quod animat, non locali diffusione sed quadam vitali intentione porrigitur...» «Haec... corpus hoc terrenum atque mortale praesentia sua vivificat, colligit in unum atque in uno tenet... congruentiam eius modumque conservat..., etiam in crescendo atque gignendo...»³⁶

S.CYRILLUS ALEX. (R 2062): *Homo est caro per animam rationalem animata, ita ut ipsa patiatur*. «Cum vero divina Scriptura dicat ipsum carne passum, satius est nos quoque sic dicere quam in natura humanitatis... Quid enim aliud est humanitatis natura nisi caro per animam intelligentem animata, in qua passum fuisse carne Dominum fatemur?»

GENNADIUS (R 2225): *Ipsa anima rationalis vivificat corpus*. «Neque duas animas esse dicimus in homine..., unam animalem, qua animetur corpus..., et alteram spirituales, quae rationem ministret; sed... unam esse eandemque animam in homine, quae et corpus... vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantia eligat cogitatione quod vult».

S.IOANNES DAMASC. (R 2357): *Anima dat corpori totalem vitam* (cuius illud est capax). «Anima est... incorporea sub-

³⁵ S.IRENAEUS, *Adv. haer.* 2,33,4: MG 7,833.

³⁶ S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 7,8,11: ML 34,360; *Epist.* 166,2,4: ML 33,722; *De quant.* an. 33,70: ML 32,1074. Ceterum de recta (non ergo platonica) S.Doctoris conceptione unionis animae et corporis, cf. CILLERUELO, *l.c.*; A.PARISIUS, *l.c.*; DEL RÍO, *l.c.*; PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2358; GILSON, *l.c.*

stantia..., rationalis et intelligens..., organis instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se seiunctam mentem habens...»

634. Ratio theologica. Iuxta fontes, ex infusione unius animae rationalis in corpus exurgit ens vivum humanum et quidem ut unum principium agendi ac patiendi. At id quod dat corpori ut sit vivum et humanum et una natura cum anima nequit non dici iure forma eius. Ergo anima rationalis est forma corporis humani.

635. Ratio naturalis idem deducit. Anima unica (ergo rationalis, ex effectu) infusione suae substantiae (cum per aliquid vel mere extrinsecum vel accidentale nequiret is effectus obtineri) in corpus constituit istud in specie viventis et quidem humani seu cum eo constituit unam naturam. At id quod sui infusione corpus ponit in certa entium specie dicitur et est forma eius. Ergo anima est per suam substantiam forma corporis³⁷.

636. Obiectiones. 1. Si anima ut intellectiva esset forma corporis, amitteret immortalitatem, spiritualitatem, libertatem, etc. At eas non amittit. Ergo non est forma corporis.

Dist. mai. Anima amitteret immortalitatem, etc., si esset forma corporis, ita ut eo ipso fieret formaliter corpus, *conc. mai.*; secus, *subdist.*: si dependet in esse a corpore, *conc.*; secus, *nego*.

Anima informans manet independens a corpore in esse ac proin omnes proprietates sibi proprias conservat. Etsi vero tota sit in corpore, non est ita totaliter in eo immersa ut ei totam suam perfectionem communicet (v.gr. intellectivam), sed solum eas quarum illud capax est (v.gr. sensitivam, vegetativam, corporeitatem, quas ceterum ipsa solum virtute continet), ita ut solum eatenus corpus informet, quatenus formae materialis (cuius aptitudines virtute habet) locum tenet³⁸. Quod sane non repugnat.

Inst. At si anima esset forma corporis, hoc fieret immortale, spirituale, etc. At non fit tale. Ergo anima non est forma corporis.

Dist. mai. Corpus fieret immortale, etc., si anima esset forma eius secundum totam suam virtualitatem, *conc. mai.*; secus, *nego mai.*³⁹

637. Scholion 1. De unitate formae substantialis in homine. In hac re, de qua quondam vehementer disceptatum est⁴⁰, hae exstant opiniones apud auctores catholicos, qui omnes, ut patet, admittunt definitionem Viennensem, ac proin animam esse formam corporis substantialem:

1) *Thomistica*: anima est unica forma substantialis corporis, quod ergo ab illa est ens vivum, corpus, ens. Quod ita fit, ut materia prima, tamquam pura potentia passiva, se subiciat animae actuandam omni perfectione quam ei anima communicare potest, at cuius illa est capax, et ut anima, tamquam forma, communicatione sui intima, materiam primam determinet (non influxu efficienti, sed eo ipso quod ut actus illam invadit) ad perfectiones

³⁷ Cf. WIMMER, l.c., 581-586.

³⁸ S.Th., 1 q.76 a.1; *De spir. creat.* a.3; SUÁREZ, *Disp. met.* d.15 s.10 n.7-27. Cf. MICHEL, 570.

³⁹ Olivi, cuius sunt eae obiectiones, ex falso conceptu informationis putavit formam et materiam ita commiseri, ut fiat fere unica utriusque realitas quasi per transitum ontologicum unius in alteram. Cf. OLIVI, *In 2 q.51*; JANSEN, *Quoniam spectet definitio...* Greg 1 (1920) 86.

⁴⁰ Cf. EHRLE, l.c., 5,603-635; A.C.PEGIS, *St. Thomas and the Problem of the Soul in the thirteenth Century* (Toronto 1934); ZAVALLONI, o.c., etc. (cf. not.8).

corporis, etc., non vero ad eas (v.gr. intellectualitatem), cuius materia incapax est.

Hinc substantia et natura (in anima), etsi ratione differunt quatenus illa dicit ut per se stet et ultimum accidentium ac modificationum subiectum, dum haec est primum agendi principium, ita re identificantur, ut anima et materia prima sint incompletae, non mere in ratione naturae, sed et in ratione substantiae.

Eam sequuntur S.Thomas⁴¹ (quin tamen ipse sit auctor eius)⁴² ac schola thomistica⁴³, et quatenus, mutatis mutandis, tenent unicitem formae substantialis, Suárez⁴⁴ ac auctores iesuitae fere communiter⁴⁵.

Eas praecipue habet rationes pro se: a) *Philosophicam*, quod, certo et iuxta omnes, homo sit unum ens simpliciter et non secundum quid, seu unum compositum substantiale, et non mere accidentale, in quo proin non sit nisi unum ens substantiale (quod, ut patet, proveniat a forma substantiali). Atqui ubi est unum esse simpliciter debet esse unica forma substantialis, nam secus essent duo entia substantialia. Ergo anima est unica forma substantialis corporis. b) *Theologicas*: Quod dicatur deduci logice e definitione Viennensi. Quod sic bene intelligatur in resurrectione idem corpus suscitari⁴⁶. Ceterum eas rationes obicit ut difficultates opinioni sequenti.

638. 2) Scotistica, seu quam Scotus maxime excoluit⁴⁷, etsi etiam ante ipsum alii tenuerint eam, forte saltem remote in S. Augustino fundatam, quamque schola franciscana communiter accepit. Ea putat animam esse formam substantialem corporis, quatenus ei dat esse vivum; at vero esse homini etiam aliam formam (*corporeitatis*) ex qua illud sit substantia et corpus organicum, ita ergo ut hoc, independenter ab anima, sit compositum substantiale ex materia prima et illa forma. Quod tamen corpus nondum est completum, quatenus est in potentia ad animam formam substantialem ultimam, cui ceterum forma corporeitatis subordinata est, ita ut consequenter ex corpore non completo et anima exurgat una substantia completa⁴⁸.

Haec opinio, quae, ex supra dictis, nullo modo a Concilio Viennensi damnata est, sed quae potius, iuxta plures, definitionibus Ecclesiae sit congruentior⁴⁹, habet pro se et alias et eas (ordinis theologici) rationes: Quod excludat formam cadavericam, et quod ideo mortuum corpus Christi sit prorsus idem quod vixerat, nec ceterum dicatur Christus dimisisse

⁴¹ S.Th., 1 q.76 a.4-6; *De spir. creat.* a.3; *De anima* a.9; *Quodl.* 11 q.5. Cf. ZIGLIARA, l.c., p.1 c.6-10; F.C.COPLESTON, *De unitate formae substantialis*: DivThom(Pi) 11 (1934) 582-593; J.LONCKE, *De unione corporis inter et animam humanam iuxta S.Thomam*: Collat-Brug 43 (1947) 414-419.

⁴² Cf. O.LOTTIN, *La pluralité des formes substantielles avant saint Thomas d'Aquin*: RevNeoscol 34 (1932) 449-467.

⁴³ Cf. MICHEL, l.c., 570. Hominem non posse in ea opinione recte dici constare ex anima et corpore, sed ex anima et materia prima, notat ALVAREZ DE LINERA, *Los componentes del hombre a la luz de la muerte y de la resurrección*: RevFil 11 (1952) 601-630.

⁴⁴ SUÁREZ, l.c., d.13 s.3; d.15 s.10. At eius opinio differt a thomistica et in aliis et in eo quod pro Suárez, opinionem Scoti definitive perficiente (S.BELMOND, O.F.M., *L'essenza e l'esistenza secondo Duns Scoto*: RivFilNeosc 2 [1910] p.281-289) essentia solum ratione ab existentia distinguatur (disp.31) ac proin hanc materia a forma non accipiat (disp.13 s.4 n.138; disp.15 s.9), dum re distinguatur pro thomistis (iam post Báñez communiter), etsi de mente Angelici, qui de ea re expresse non egit, acriter disputetur (A.R.MARTÍNEZ DEL CAMPO, S.I., *Doctrina Sancti Thomae de Actu et Potentia et Concursu* [Mexici 1944] n.54-74).

⁴⁵ Cf. MAZZELLA, n.620.

⁴⁶ PIGNATARO, th.33 p.202; MICHEL, l.c., 581; T.PÉGUES, O.P., *Commentaire littéral de la Somme théologique* 4 (Toulouse 1909) 296.312-317.

⁴⁷ Scotus, *In 4 d.11 q.3 a.2 n.22-58*.

⁴⁸ BAUDOUX, 445-453; MICHEL, l.c., 5748. Cf. auctores citatos supra (not. 8.24). In ea theoria copiose et acute defendenda emittit Olivi: cf. P.G.RICCI, P.Olivi e la pluralità delle forme sostanziali: StudFranc 33 (1936) 225-239; JANSEN, edit. oper. Olivi 2 p.9. Eam vero non esse augustinianam, contendit G.THERY, O.P., *L'augustinisme médiéval et l'unité de la forme substantielle*: ActHebdAugThom (Taurini-Romae 1931) 140-200.

⁴⁹ Cf. EHRLE, *Die Scholastik und ihre Aufgaben in unserer Zeit*² (Freiburg i. Br. 1933) 58.

aliquid (formam cadavericam), quod semel assumpsit. Quod in consecratione eucharistica bene intelligatur vi verborum poni solum corpus, animam vero per concomitantiam. Quod Patres sumant corpus ut rem completam. Quod ei v.gr. symb. *Athanasianum* faveat («anima rationalis et caro unus est homo», D 40). Eas rationes ceterum ut difficultates opinioni thomisticae obicit.

Contra eam opinionem ratio philosophica nuper allata pro thomistica maxime valet.

639. 3) *Atomistica* assentitur scotistis in eo quod corpus non habeat ab anima esse completum; et ideo una cum eis thomisticam opinionem impetit⁵⁰. At etiam ab eis differt, quatenus putat res inanimatas non stricte constare materia et forma, sed solum atomis (quorum indolem et mutuum unionem alii aliter explicant) sine ulla ab iis realiter distincta forma substantiali⁵¹.

Item haec opinio corporis et animae causalitatem explicat, non, ut scholastici, eo quod anima corpus ut subiectum determinabile sua substantia intime pervadens reddat formaliter vivum, sed sic ut v.gr., iuxta Tongiorgi, vim suam vi corporis propriae associet et admisceat⁵², iuxta Palmieri, non uniantur corpus et anima solum dynamice quadam virium collatione, sed unitate naturae ut partes incompletae per intimam utriusque coniunctionem in unum totum vegetans ac sentiens, unde anima corpori adveniat et *formaliter*, quatenus determinat speciem totius entis seu cum eo tale totum constituit, et ulterius *efficienter*, quatenus illud intrinsece modificat certum existendi modum ei praebendo, seu quatenus efficienter producit in eo motum quemdam perennem et vitalem, nempe modum quemdam realiter indistinctum ab ipso corpore, quod eo redditur vivens⁵³.

Etiam contra eam opinionem ratio philosophica nuper allata pro thomistica maxime valet.

Item si hi auctores ob rationes scientificas atomismum statuunt, cur contenti iis assertis de modo unionis animae et corporis nullam rationem scientificam pro iis afferunt? In specie nequiret illa unio quam inducit Tongiorgi dici nisi mere dynamica et accidentalis?⁵⁴ Et difficile mente capitur quis sit ille a Palmieri statutus modus realiter distinctus ab anima, a qua ut causa mere efficienti veniat, quo corpus reddatur vivum. At ceterum memoremus eum auctorem opinionem suam retractasse⁵⁵.

Ii auctores obiciunt scholasticis, maxime thomistis, quasdam difficultates metaphysicas, fere ut Olivi⁵⁶.

640. *Scholion 2. De animae sede.* Si anima est secundum suam substantiam forma corporis, sine limitatione debet esse in toto corpore. Si ea est spiritualis, ac proin simplex, et indivisibilis, debet esse tota in qualibet parte; non ergo extensione quantitativa, qua ea caret, nec mere virtualiter per suum influxum, cum deficeret unio formalis, sed definitive seu tota in toto corpore et tota in singulis partibus⁵⁷. Aliae vero opiniones quae pone-

⁵⁰ Cf. MICHEL, 575-578.

⁵¹ Cf. TONGIORGI, *Institutiones philosophicae* 3 n.183; PALMIERI (junior), *Cosmologia* th.19-23; cf. Id., *Anthropologia* th.115; Id., *Ontologia* th.15; Id., *De Deo Creante* (1878) 243; RAMIÈRE, o.c.; BOTTALLA, *La composition des corps...*; Id., *La lettre de Mgr.Czacki*. Cf. et A.MITTERER, *Das Ringen der alten Stoff-Form Metaphysik mit der heutigen Stoff-Physik* (Innsbruck 1935).

⁵² TONGIORGI, *Psychol.* n.167-169.

⁵³ PALMIERI, *Ontologia* th.25 p.462-469.

⁵⁴ Cf. BOYER, l.c., 168 not.47; HUARTE, n.262; WIMMER, l.c., 587-616; 44 (1920) 1-42.

⁵⁵ PALMIERI, *De creatione* (Prati 1910) 277s.

⁵⁶ PALMIERI, *De Deo Creante* (1878) 243s. Cf. BERAZA, n.1200-1202; HUARTE, n.268s;

MICHEL, l.c., 575.

⁵⁷ S.TH., I q.76 a.8; 2 CG 72; *De spir. creat.* a.4. Cf. et S.AUGUSTINUS, *De immortalitate animae* 16,25; ML 32,1034.

rent animam vel extra corpus vel non in omnibus huius partibus v.gr. in glandula pineali (Descartes)⁵⁸, etc., nequeunt cum doctrina Ecclesiae componi⁵⁹.

At *est anima in sanguine?* Difficilis sane quaestio. Si res affirmatur, quomodo explicatur substantialis unio sanguinis cum corpore? Si negatur, quomodo explicatur unio hypostatica in sanguine? Rem affirmant alii, ut Caietanus, Valencia, negant alii ut Suárez⁶⁰.

CAPUT IV

De origine animae humanae

ARTICULUS I

DE FACTO CREATIONIS ANIMAE

Thesis 26. Anima humana creatur immediate ex nihilo et quidem a solo Deo.

S.TH., I q.90.118; 2 CG 83-89; S.BONAVENTURA, *In 2 d.18 a.2 q.2s*; S.R.BELLARMINO, *De amissione gratiae et statu peccati* l.4 c.11; BERAZA, n.986-1048; W.REANY, *The Creation of the human Soul...* (New York 1932); R.LACROIX, *L'origine de l'âme humaine*: *RevUniv-Ott* 14 (1944) 61-97.175-202.209-249; M.ALESSANDRI-R.MASI, *Sull'origine dell'anima umana*: *EuntDoc* 15 (1955) 60-95; FLICK, o.c., 244-252.

641. *Nexus.* Post disputationem de animae et existentia et proprietatibus et unione cum corpore persolutam, duae quaestiones exsurgunt: *unde anima sit*, et *quando esse incipiat*. Prima illa de qua iam nunc nobis agendum est, *ontologicè* sumpta praebet, ut patet, aliis omnibus de anima quaestionibus; at *logice* inspecta, seu iuxta rationis cognitionem, est aliis posterior, cum ratio nonnisi cognita animae existentia ac natura ducatur in eius originem attingendam. Ideo et nos maluimus hanc in fine omnium investigare.

Constat corpora hominum esse, ut omnes res, ex nihilo, at solum mediate; item ea, si excipiatur corpus protoparentum, ab hominibus produci. Quid vero dicendum de anima humana? Eam esse saltem mediate ex nihilo patet; at immediate undenam est? En quaestio.

642. *Notiones.* ANIMA HUMANA, sc. sive protoparentum sive omnium hominum ab ipsis descendendum.

⁵⁸ CHOLLET, l.c., 552. De aliis huiusmodi opinionibus, cf. MICHEL, 581s.

⁵⁹ Cf. MICHEL, 582-584.

⁶⁰ CAIETANUS, *In 1 q.119 a.1 n.9*; VALENCIA, *In 1 d.6 q.2 p.3 in fine*; SUÁREZ, *De anima* l.2 c.5. Cf. MICHEL, 584; J.POHLE, *Seele*: KL 11,51-53.

Si fuissent praeadamitae, thesis de iis valeret philosophice, non vero necessario theologicæ, cum de iis fontes loqui non putentur.

CREATUR, seu producitur ex nihilo sui et subiecti.

IMMEDIATE EX NIHILLO. His effertur productio ex nihilo, non remota seu ex alia re facta ex nihilo, sed proxima seu nullo posito praevio termino *positivo a quo*.

A SOLO DEO, ergo non mere ut causa prima concurrente, sed ut *principalis*, immo et *unica* causa. His excluditur, non omnis creaturae cooperatio, seu etiam materiae *dispositiva*, sed stricte *creativa*, seu qua creatura, posito concursu Dei, ordinario, vel ut causa *principalis*, seu virtutem habens effectui proportionatam, vel ut causa *instrumentalis*, seu virtute causae principalis agens, verum influxum creantem exercent.

Id vero quod hic sumitur solum *de facto*, seu praecisa quaestione *de posse*, sine ulteriore probatione supponitur in thesi, cum fontes *unum* Deum ut animas creantem, sine ulla alius causae etiam remotae mentione, inducant, et cum aliunde cooperatio, v.gr. parentum, sat explicetur sine influxu creativo; qui ceterum, utpote sic mirus, deberet serio probari.

Statuitur ergo *creatianismus* seu doctrina tenens animas immediate creati et quidem a Deo.

Id vero notetur: 1) Creatio singularum animarum fit ex lege *ordinaria* Dei, qui ex ea, semper ac sufficienter praeparatur per generationem materia illam creat et huic materiae infundit. Ergo ea creatio non dicitur miraculum strictum. 2) Dum vero creatio mundi nullam materiam praerequirebat, creatio animae ex dictis necessario supponit ex parte parentum subiectum praevis paratum quod ex illa lege exigit infusionem animae qua constituatur novum individuum humanum; ergo parentes iure dicuntur huic naturam humanam communicare et ideo eam personam vere generare. 3) Inde apparet dignitas actus generativi humani quo parentes cooperantur cum Deo novum hominem.

643. Adversarii. In *pantheismo* omnis generis negante, ut patet, thesim, v.gr. qui res dicit esse modos unius divinae substantiae¹, citandus est expresse *emanatismus*, seu opinio tenens animas esse uno vel alio modo ex substantia Dei, ut putarunt *Stoici*, *Manichaei*, *Priscillianistae*². Aliquo modo J.ECKART (D 527)³ (at cf. supra n.143).

644. Traducianismus (seu *generatianismus*) tenet animam venire a parentibus per generationem; at duplici opinione:
a) *Iuxta materialem*, ea fit per semen corporeum, ut cor-

¹ De eo plura F.A.SCHALCK, *Pantheisme*: DTC II,1855-1874.

² S.HIERONYMUS, *Epist.* 126,1: ML 22,1085; MICHEL, *Traducianisme*: DTC 15,1351S.

³ Cf. tamen, F.VERNET, *Eckart, Jean*: DTC 4,2065-2073.

pus. Citantur pro eo (probabiliter) et *Luciferiani*⁴ et TERTULIANUS (R 1448)⁵. Addendi sunt ii *materialistae* qui non distinguunt animam a corpore ut rem a re⁶.

b) *Iuxta spiritualem*, anima venit modo mysterioso ex anima parentum ut ignis ex igne, lux ex luce. Sic APOLLINARIS⁷; recentius citatur ut ei favens LUTHERUS⁸. Post pelagianismum usque ad s.VII multi Patres⁹, et forte aliqui scriptores usque ad tempus P.Lombardi, in eum dubitantes propendebant¹⁰. In iis fuit maxime S.AUGUSTINUS, ratione explicandae clarius propagationis peccati originalis, quem ducem tantae auctoritatis alii in ea vacillatione secuti sunt¹¹.

Dum vero *creatianismus*, quem tenuerunt iam plures PP. (Hieronimus, Ephraem, Caesarius Naz., Hilarius, Constit. Apost.) et post s.XII fere unanimiter TT., dein a s.XVIII iterum traducianismum ut probabilem habuerunt ad melius explicandam propagationem peccati originalis NORIS ac BERTI, quin tamen eam praeferebant, sed contrariam haberent ut probabiliorum (saltem Berti)¹². UBAGHS traducianismum habuit ut probabiliorum. H.KLEE non audebat rem dirimere¹³. Hurter citat etiam nominatim aliquos ex pluribus *Protestantibus*, qui post Lutherum usque ad nostros dies illud systema amplexi

⁴ Cf. S.AUGUSTINUS, *De haer.* 81: ML 42,45; E.AMANN, *Lucifer de Cagliari*: DTC 9, 1039S.

⁵ Cf. TIXERONT, 1,407; MICHEL, 1354; S.AUGUSTINUS, *Epist.* 190,4,14: ML 33,861.

⁶ Cf. O.HABERT, *Matérialisme et Monisme*: DTC 10,282-334.

⁷ Cf. NEMESIUS, *De anima*, serm.1: MG 45,205 (in oper. S.Gregorii Nyss.); S.HIERONYMUS, l.c.

⁸ Cf. H.KLEE, *Manuel de l'histoire des dogmes chrétiens* 1 (Paris 1848) 408.

⁹ S.GREGORIUS M. (*Epist.* 1,1, 52: ML 77,989S): «Tua caritas sciat, quia de origine animae inter sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quaestionem. Gravis enim est quaestio, nec valet ab homine comprehendi, quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quae de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta». Item S.ISIDORUS (*De eccles. offic.* 2,24,3: ML 83,818) in sententiis a doctoribus christianis traditas eam recenset: «Quod animae incerta sit origo». De pelagiana origine vocis «traducianismus» cf. S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. contra Iul.*, 1,6: ML 45,1053.

¹⁰ P.LOMBARDUS (2 d.18 n.8): «Quemadmodum mulieris corpus de viri corpore traductum fuit, ita putaverunt aliqui ipsius animam de viri anima propagatam: et omnes animas, praeter primam, de traduce esse sicut corpora. Alii autem putaverunt simul omnes animas ab initio creatas. Catholica autem Ecclesia nec simul ex traduce factas esse animas docet; sed in corporibus per coitum seminatim atque formatim infundi et infundendo creati».

¹¹ S.AUGUSTINUS, l.c., p.15: ML 33,861. SCIACCA, *L'origine dell'anima secondo Sant'Agostino*: *GiornMet* 9 (1954) 542-550, putat ex mente Augustini ipsum Deum extrahere animam filii ex anima parentum, quem modum vocat «creatianismum traducianistam»: cf. C.RIVA, *Creazionista o traducionista, S.Agostino?*: *RivRosm* 50 (1956) 1-5. De historia traducianismi et eius transitu ad creatianismum, MICHEL, 1352-1358; breviter POHLE-GIERENS, 1,402-404; KLEUTGEN, *Ueber den Ursprung der menschlichen Seele*: *ZkathTh* 7 (1883) 197-229 (agit directe de creatianismo). De mente S.GREGORII NYSS. (*De opif. hom.* 2): MG 44,235) disputatur; at congruentius ea sumitur de creatianismo: MICHEL, 1353; D.L.REBECCHI, *L'antropologia naturale di San Gregorio Nissenso*: *DivThom(Pi)* 20 (1943) 325-330.

¹² H.DE NORIS, *Vindiciae augustinianae* 4,3: ML 47,700S; J.L.BERTI, *De theologicis disciplinis* 2 (Pedeponiti 1749) 1,12 c.4 n.9-16.

¹³ G.C.UBAGHS, *Anthropologiae philosophicae elementa* (Lovanii 1848) n.428; H.KLEE, *Katholische Dogmatik* 2 (Mainz 1835) p.234; cf. Id., *Specielle Dogmatik* 1³ (München 1844) p.1 l.1 s.3 § 7.

sunt, et aliquos catholicos vel idem proponentes vel, ut Heremes, ei faventes¹⁴.

ROSMINI dixit animam a parentibus generari ut *sensitivam*, quae tamen dein, apparente ei idea entis, rationalis fiat (D 1910s)^{14*}. Fere idem tenuerant quidam antiqui (I q.118 a.2 ad 2).

645. FROHSCHAMMER putavit animam *creari* a parentibus «vi potestatis creandi secundariae, quae naturae humanae immanens et in prima rerum origine a Deo collata est... Itaque generatio est actio creationis ex nihilo, per potentiam secundariam a Deo humanitati collatam»¹⁵.

646. **Doctrina Ecclesiae.** 1. In *emanatismum*. LEO IX (D 348): «Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam..., credo...»

His damnatur *emanatismus*. Utpote huic directe obiecta, formula «ex nihilo» non necessario ulterius etiam creationem *immediatam* includit; at cum agatur de animae origine nec ulla *materia ex qua* indicetur, iure de illa creatione sumi potest; maxime cum iam tunc temporis (a.1053) theologi communiter *omnem traducianismum* damnarent.

Nec id obstat, quod serius creatianismum Hugo a S.Victore ut probabiliorem, Alexander Halensis ut probabilem proponerent¹⁶, cum hi (maxime ille) eas qualificationes forte non sumerent sensu tecnico hodierno, et cum documentum pontificium forte ignorarent; nam paulo post eos S.Thomas tenet doctrinam traducianismi iam ab Ecclesia damnatam esse (*De pot.* q.3 a.9).

C.Vaticanum (D 1804): «Si quis dixerit, res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam: a.s.» Cf. *C.Toletanum* prov. (D 20 31); *C.Braccarense II* (D 235).

¹⁴ HURTER, 2 n.280. Cf. F.LAKNER, *Kreatianismus*: LThK 6 (1961) 597s. Et P.ALTHAUS, (prot.), *Die christliche Wahrheit*⁵ (Gütersloh 1959) 334s.

^{14*} A.LUCIANI, *L'origine dell'anima umana secondo Antonio Rosmini* (Belluno 1950) ed.2 (Padova 1958). At orthodoxe interpretatur Rosmini C.RIVA, *Il problema dell'anima intellettuale* (Domodossola 1956) cui assentitur P.BARALE, S.D.D., *L'origine dell'anima intellettuale secondo Rosmini*: Sales 20 (1958) 118-128. Etiam orthodoxe intelligit Rosmini G.DEL DEGAN, *Ancora a proposito dell'origine dell'anima intellettuale secondo A. Rosmini*: GioMet 14 (1959) 96-108: cf. RIVA, *Breve nota sull'origine dell'anima secondo Rosmini*: GioMet 14 (1959) 547-549. Cf. et RIVA, *A proposito dell'origine dell'anima in A. Rosmini*: GioMet 13 (1958) 365-374; DEL DEGAN, *L'origine dell'anima umana e la Filosofia di S.Tommaso d'Aquino*: ibid. 14 (1959) 195-225; G.MUZIO, *La creazione dell'anima umana secondo S.Tommaso* (Roma 1961).

¹⁵ I.FROHSCHAMMER, *Ueber den Ursprung der menschlichen Seele. Rechtfertigung des Generationismus* (Munich 1854). Cf. JANSSENS, *De hominis natura* 597s.

¹⁶ HUGO A S.VICTORE, *De sacramentis christianae fidei* 1,7,30: ML 176,300; ALEXANDER HAL., *Summa theologiae* p.2 q.60 membr.3 a.3.

His damnatur omnis sive *emanatismus* sive in genere *pantheismus*.

647. 2. In *Traducianismum*. ANASTASIUS II (D 170): «... Putant (quidam «intra Galliam») hoc rationabili se assertionem suadere, quod humano generi parentes, ut ex materiali faece tradunt corpora, ita etiam vitalis animae spiritum tribuant... Quomodo ergo contra divinam sententiam carnali nimis intellectu animam ad Dei imaginem factam putant hominum permixtione diffundi..., cum ab illo, qui ab initio hoc fecit, actio ipsa hodieque non desinat sicut ipse dixit: *Pater meus adhuc operatur...?* ... Si igitur... visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum usque nunc operatur: sanae igitur doctrinae acquiescant, quod ille indat animas, qui *vocat ea quae non sunt tamquam sint*. Ita... redargui volo qui in novam haeresim prorupisse dicuntur, ut a parentibus animas tradi generi humano asserant, quemadmodum ex faece materiali corpus infunditur, ut sciant secundum apostolicam praedicationem se quidem iam mortuos...»¹⁷

Hoc documentum (a.498), forte non indubie authenticum, damnat *clare* traducianismum *materiale*, et infert aliquem specialem Dei influxum in animae productione; at *creativum*, et proin qui etiam traducianismum *spirituale* excludat? Negandum videtur. Sane agitur de opinione *locali* (etsi de cuius tamen sectatoribus non constet), dum iste traducianismus latius tenebatur (solum ut dubius) iam a tempore S.Augustini et adhuc tempore S.Gregorii perstabat, quin umquam damnatus esse putaretur¹⁸.

BENEDICTUS XII ut quorundam Armenorum eum errorem recenset (D 533): «Item quod quidam magister Armenorum vocatus Mechitritz... de novo introduxit et docuit, quod anima humana filii propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore...»

His, reiecto traducianismo spirituali, non statuitur *expresse creatianismus*; sed supponitur. Quod patet etiam ex responso ad haec a Concilio Episcoporum Armenorum dato: «Hic error, quod anima hominis propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore... semper fuit excommunicatus in ecclesia Armenorum, et maledictus sit, quia dicta ecclesia sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animae creantur noviter a Deo, et in tempore animandi, simul fit creatio animae et positio in corpore»¹⁹.

¹⁷ Cav 645s.

¹⁸ Cf. P.GALTIER, S.I., *Saint Augustin et l'origine de l'homme*: Greg 11 (1930) 17s.

¹⁹ Msi 25,1193; cf. 1186.

648. 3. *Creatianismus. Lateranense V* (D 738): «Cum... zizaniae seminator..., nonnullos perniciosissimos errores..., in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus..., damnamus... omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus..., cum illa... pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit...»

His docetur directe animas singulas singulis hominibus esse; at simul traditur eas esse ita multiplicandas, ut *infundantur*, quod sane aptius *creatianismo* convenit.

ALEXANDER VII (D 1100): «Vetus est Christi fidelium erga... Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia... a macula peccati originalis praeservatam immunem...» Quibus indirecte etiam supponitur *creatam* et *infusam* esse Mariae animam, quae ceterum a nemine putatur alius originis fuisse ac aliae animae.

C.Vaticanum haec definienda paraverat: «Adam... dicitur pater orbis terrarum..., quippe a quo cuncti qui incolunt terram, naturali generatione descendant carne de carne nascente, cui anima a Deo in singulis de novo creata, infunditur».

Haec ostendunt doctrinam de immediata animae creatione tempore Concilii fuisse absolute certam et communem in christiana praedicatione, etsi eam noluerit ut dogma fidei definire, sed solum incidenter declarare contra errorem contrarium alicubi tunc revisiscentem²⁰.

C.Coloniense (a.1860): «Dubium esse nequit e Conciliorum mente, anima rationali, a Deo creata, ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici»²¹.

Pius XII, agens «de humani corporis origine» relate ad transformismum, dicit: «Animas enim a Deo immediate creati catholica fides nos retinere iubet»²².

In his agitur: a) de *creatione*, in praesentia («creari»); b) *immediata* in oppositione ad corporis formationem ex materia viva vel non viva, ergo de productione ex nihilo; c) *animarum*, plurali numero, dum corpus singulariter exprimitur et quidem in genere, ergo agitur de animis in genere, nec solum protoparentum; d) *iuxta fidem catholicam tenenda*. Haec tamen omnia indicantur per transennam.

²⁰ Schema reformatum constitutionis dogmaticae de doctrina catholica c.2 n.3: CL 7, 545-547,555 n.4.16398.

²¹ *Decreta Concilii a Sancta Sede recognita* p.1 tit.4 c.14: CL 5,293.

²² *Encycl. «Humani Generis»*: AAS 42 (1950) 575.

649. Viderentur his omnibus de creatianismo praemittenda fuisse S.Leonis I verba: «Referuntur (Priscillianistae) asserere animas quae humanis corporibus inseruntur fuisse sine corpore et in caelesti habitatione peccasse, atque ob hoc... per aërias... potestates... corporibus esse conclusas... Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt; sed omnes eos catholica fides a corpore suae unitatis abscondit, constanter praedicans atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum»²³.

Docetur his directe creatianismus? Ita videtur ex sensu magis obvio. At hic valent ea quae diximus de documento Anastasii II; item Deus dicitur pariter creator et animarum et *corporum* quae sane *mediate* creantur. Ergo forte reicitur directe et emanatismus, cum Deus creet animas ut corpora, et praesistentianismus, ut clare patet, et incorporatio animarum per aërias potestates²⁴.

650. 4. In *Rosmini*. LEO XIII eius doctrinam de hac re damnavit (D 1910): «Non repugnat, ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur, eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum procedere». «Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale» (D 1911).

In *Frohschammer*. Opus eius *Indici librorum prohibitorum* accensus est a.1857.

In *Ubaghs*. Iussus est a Pio IX (a.1866) ideam traducianismi ex opere suo expungere²⁵.

651. **Valor dogmaticus.** Thesis est: a) In emanatismum, *de fide divina et catholica definita* (D 1804). b) In traducianismum materialem, *de fide catholica ex magisterio ordinario*. Iure ille dicitur *haereticus* a theologis (S.Thoma, Beraza, Huarte)²⁶. c) In traducianismum spiritualem et pro creatianismo, pariter *de fide catholica ex magisterio ordinario*²⁷. Id verbis Pii XII nuper citatis clarius factum esse videtur. Haec qualificatio certo valet saltem de anima protoparentum.

Ab aliis vero quoad postremum (de anima posteriorum Adae) dicitur «fidei proxima» (Lercher, Beraza), «ad minimum... doctrina catholica omnino

²³ *Epist. ad Turribium* 15 c.10: ML 54,684s. De eius authentia, quam K.KÜNSTLE (*Antipriscilliania*, Freiburg 1905) negaverat, cf. O.BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* 4 (Freiburg im Br. 1924) 621; t.3,415s; J.A.DE ALDAMA, S.I., *El Símbolo Toledano I* (Romae 1934) 54-56.

²⁴ Cf. BOYER, 125s. Ceterum etiam de hoc cf. *C.Vaticanum*: CL 7,545s.

²⁵ Cf. JANSSENS, 602.

²⁶ S.Th., I q.118 a.2, qui proprie loqui putandus est, cum haberet rem ut ab Ecclesia iam declaratam (cf. n.646); BERAZA, n.998; HUARTE, n.185.

²⁷ Sic et a BOYER, 140 («magisterio ordinario Ecclesiae docetur, et est saltem theologice certum, ex consensu theologorum»); MICHEL, *Rosmini-Serbati*, Antonio: DTC 13,2939; DAFFARA, p.221; id praefert HUARTE, n.185: «Saltem theologice certum... vel etiam de fide, quia continetur haec veritas, ut revelata, in magisterio Ecclesiae, etsi nullum detur documentum explicite rem definiens ut revelatam.»

certa» (Ottén), «saltem theologice certa» (Pignataro), *theologice certa*, ut quae deducatur ex dogmate immortalitatis naturalis (ob spiritualitatem) animae (Flick) vel opinio contraria dicitur «nunc vel haeretica vel certe erronea et valde temeraria» (Valencia)²⁸.

652. Probatur ex sacra Scriptura. I. *Anima Adae.* Gen 2,7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*

Cum Scriptura non describat naturam eius spiraculi nec eo anthropomorfismo indicet *modum* concretum quo Deus illud produxit, difficile constabit certo eum modum fuisse creativum. Sed dum productio plantarum et animalium inducitur ut *unica* Dei actio et quidem cum cooperatione terrae (Gen 1,11-24), productio hominis proponitur ut perfecta *duobus actibus*, quorum uno dicitur fieri corpus ex limo terrae et alio istud corpus fit individuum humanum vivum; ergo videtur exprimi pro spiraculo seu halitu distinctus productionis modus, qui, cum nequeat esse emanatio, posset esse aliqua simplex effectio entis sine materia ex qua seu obiective aliqua creatio. Sane ibi effertur actio qua Deus *immediate* in corpus infundit aliquod elementum quasi immateriale (in oppositione ad corpus) quo homo fit ad imaginem Dei; nihil ergo mirum si hagiographus cogitaret actionem indolis omnino specialis, quae difficile concipitur esse alia nisi creatio²⁹.

2. *Anima Evae*, si ex dictis supponatur creatio animae Adae, a pari diceretur a Deo immediate esse creata, maxime cum modus anthropomorficus educationis mulieris non videatur alludere expresse nisi ad eius corpus (Gen 2,21-23)³⁰.

3. *Anima omnium hominum.* Eccl 12,7: *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Cum hic locus manifeste alludat ad Gen 2,7, sensus illius pendet a sensu huius. Ex eo solo difficile statueretur productio spiritus praecise ut creatio.

Hinc S.HIERONYMUS: «Ex quo satis ridendi qui putant animas cum corporibus seri et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, manifestum est Deum patrem animarum esse, non homines»³¹.

653. Probatur ex traditione. I. *In emanatismum*, qui, ut patet, nullo modo a Patribus admittebatur. S.AUGUSTINUS

²⁸ LERCHER, 2³ n.562; BERAZA, 1003; OTTÉN, n.150; PIGNATARO, 245; VALENCIA, *Commentariorum* t.I (Venetiis 1608) I disp.6 q.8 punct.2; FLICK, 241S. De valore theologico theoseos cf. utiliter C.Vaticanium, *Adnotationes in primum schema const. de doct. cath.* n.37: CL 7,545-547.

²⁹ DIEZ MACHO, l.c., 240S. At cf. P.DENIS, O.P., *Les origines du monde et de l'humanité* (Paris 1950) 118.

³⁰ Cf. CEUPPENS, *Quaestiones selectae de historia primaeva* 99.122.196; PIROT, *Adam et la Bible*: DBS 1,191; HUMMELAUER, o.c., 127,146.

³¹ In Eccl 12,7: ML 23,1112.

(R 1700): «Nunc autem de anima... nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, et sit incorporea, id est, non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo...»

2. *In traducianismum materialem*, qui etiam, ut patet, a Patribus reicebatur. S.AUGUSTINUS: «Illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt et corpulentis seminibus exoriri: quo perversius quid dici potest?»³²

THEODORETUS: «Ecclesia... divinae... Scripturae fidem praebens, animam dicit una cum corpore creari, non quae ex seminis materia causam habeat creationis, sed quae auctoris voluntate post corporis existat formationem»³³.

654. 3. *In traducianismum spiritualem.* Traducianismum in genere, ante pelagianismum nemo forte ex latinis praeter Tertullianum, et nemo forte ex orientalibus praeter Apollinarem, tenuit. Sed post pelagianismum, S.Augustino duce, istum (at spiritualem) plures latini proposuerunt, cum aliter propagationem peccati originalis apte non explicare sibi viderentur, nec adhuc immediata animae creatio ab Ecclesia explicite tradita esset; quin vero illam ideam ab eis mere *hypothetice* admissam ullus eorum, saltem qui esset alicuius nominis, diserte affirmaret.

Immo ipsi eo animo erant, ut si illa propagatio in creatianismo apte teneri posset, hunc libenter admitterent, ut patet v.gr. ex verbis S.Augustini (R 1441): «... Causa... reddenda est, quare damnentur animae quae novae creantur singulis quibusque nascentibus, si praeter Christi sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta scriptura et sancta est testis ecclesia. Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua»³⁴.

Hinc etiam post pelagianismum communiter orientales, et non pauci latini, creatas esse, non solum animam Adae, ut etiam S.Augustinus tenuit cum aliis omnibus (R 1879), sed et animas ceterorum hominum tradiderunt.

³² Epist. 190,4,14: ML 33,861.

³³ Haer. fab. comp. 5,9: MG 83,481.

³⁴ De mente Augustini, cf. PORTALIÉ, *Augustin (Saint)*: DTC 1,2359-2361; SCIACCA, *L'origine dell'anima secondo Sant'Agostino*: GiorMet 9 (1954) 542-550; A.GUZZO, *Agostino e Pelagio*: ibid. 516-522; A.CORTIGELLI, O.E.S.A., *Osservazioni... August 2* (1962) 137. (Cf. not.11.) De mente antiquiorum SS.Patrum circa originem animae, cf. H.KARPP, *Probleme altchristlicher Anthropologie. Biblische Anthropologie und philosophische Psychologie bei den Kichenvatern des dritten Jahrhunderts* (Gütersloh 1950).

655. LACTANTIUS: «Neque ex utroque (parentes) neque ex alterutro seruntur animae. Corpus enim ex corporibus nasci potest...; de animis anima non potest, quia ex re tenui... nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subiacet»³⁵.

Constit. Apost. (R 1232): «Hominem qui non erat, ex diversis in hominem constituit, data ei ex nihilo anima... Qui in utero hominem ex semine exiguo format, et animam ex non ente creans ipsi indit... idem et omnes homines ad vitam (per resurrectionem) revocabit...»

THEODORETUS (R 2146): Deus «et ex praestitutis corporibus animalium corpora effingit et ex iis quae non sunt animas creat, non cunctorum quidem animalium, sed hominum dumtaxat».

S.HIERONYMUS (R 1385): «... Omne... humanum genus, quibus animarum censetur exordiis? Utrum ex traduce, iuxta bruta animalia, ut, quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima? ... An certe ... cotidie Deus fabricatur animas, cuius velle fecisse est, et conditor esse non cessat?»

PRUDENTIUS: «Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis transfundi in sobolem credatur fons animarum sanguinis exemplo; cui texta propagine vena est. Non animas animae pariunt»³⁶.

S.HILARIUS (R 875): «Sed ut per se (Dei Filius) sibi assumpsit ex virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit; quae utique numquam ab homine gignentium originibus praebet. Si enim conceptum carnis ex Deo virgo non habuit, longe magis necesse est anima corporis, nisi ex Deo, aliunde non fuerit».

GENNADIUS (R 2224): «... Dicimus... corpus tantum per coniugii copulam seminari... ac formato iam corpore (animam) creari et infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore».

656. Ratio theologica. Anima humana exhibetur fontibus: 1) ut ens essentialiter distinctum a Deo, ergo non est ex emanatione, cum secus esset ens essentialiter divinum; 2) ut substantia spiritualis, ergo est: a) Ex creatione, cum ens spirituale nequeat educi (in casu per generationem) ex subiecto vel materiali, ut patet, vel spirituali, utpote essentialiter simplici (I q.90 a.2; q.118 a.2). b) Et quidem divina, cum fontes Deo creationem omnium constanter tribuant, nec umquam

³⁵ De officio Dei 19: ML 7,73.

³⁶ Apoth. v.915-918: ML 59,994.

indicent eam potentiam adeo miram universaliter datam esse (etiam si id forte non repugnaret) hominibus, qui ceterum universaliter eam et ignorent et exercent inscii vel etiam inviti.

Haec declarat et confirmat *ratio naturalis*. Anima humana: 1) Non est a Deo per *emanationem*, cum id divisionem aut saltem mutationem in Deo supponeret, quod actui purissimo repugnat.

2) *Nec est a parentibus per traducianismum*: a) *Materialem*, cum actus generationis, utpote organicus ac proin materialis, sit insufficiens ad ens spirituale producendum; et cum sic ens spirituale, intrinsece independens in esse a materia, educeretur e materia, quod in se repugnat. b) *Spiritualtem* (exclusa creatione), cum sic anima filii vel esset ipsa anima parentum, quod nequit esse, vel esset pars animae parentum, et sic ens simplex divideretur, vel educeretur e materia, et sic intrinsece dependeret a materia. c) *Vel quasi anima generetur ut sensitiva* et ex apparitione ideae entis fiat rationalis, cum repugnet animam pure sensitivam intueri ens; et cum intelligi nequeat quomodo anima sensitiva fieri possit rationalis, maxime per inauditum illud genus causae; et cum ea transformatio animae sensitivae in intellectivam (nisi haec supponatur creari) simplicitatem animae rationalis destruat.

3) *Ergo venit per creationem*, posita exclusione alius modi productionis; et quia anima, utpote independens in esse a materia, fieri debeat independentem ab hac, cum fieri sit via ad esse et proin productio rei sit iuxta huius esse.

Ea vero creatio non est ab angelis vel a parentibus, cum nullus eorum saltem naturaliter (de quo solum hic agitur) creare possit; et cum de facto nulla sit ratio istam adeo miram operationem creationis per creaturas admittendi, maxime cum cooperatio parentum ad generationem satis explicetur per dispositionem materiae; ergo ea creatio est a Deo et quidem solo.

657. Obiectiones. 1. Gen 12,5: Tultique Sarai uxorem suam et Lot... et animas quas fecerant in Haram... 46,26: Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum et egressae sunt de femore eius..., sexaginta sex. Filii autem Ioseph qui nati sunt ei in terra Aegypti, animae duae. Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. Hebr 7,10: Et Levi...; adhuc enim in lumbis patris erat quando obviavit ei Melchisedech. Ex his, anima fit a parentibus. Ergo non creatur immediate a Deo.

Nego suppos. Anima in iis sumitur, ut per se patet, pro homine.

2. Gen 2,1s: Igitur perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat; et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.

Ex his, Deus post primaevam creationem iam non creat. Ergo nec animas.

Dist. antec. Deus post primaevam creationem non creat novas naturas, conc. antec.; quatenus creatas non conservat eas multiplicando, nego antec.

Ad conservationem vero naturae humanae pertinet novarum animarum creatio³⁷. Quae proin non est quid absolute novum et operi Dei iam consummato additum, sed quid conferens ad complendam creationem iuxta voluntatem divinam. Nec illud «requievit» est nisi quidam anthropomorfismus, qui nullo modo indicat Deum omnino desiisse a suo labore proseguendo in mundo et cum viribus mundi (Io 5,17).

3. Parentes generant hominem. Ergo et animas.

Dist. antec. Parentes generant hominem, quatenus ii sunt causa ultimo

³⁷ S.AUGUSTINUS, Epist. 166,4,12: ML 33,726.

determinans unionem animae cum corpore, *conc. antec.*; quasi ipsi faciant quiddam est in homine, *nego antec.*

Cum dispositionem materiae in generatione necessario ex lege Dei consequatur infusio animae ut fiat homo, actio parentum censetur tendere in *totum suppositum* producendum, ita ut ii iure dicantur proprie generare *hominem*.

Hinc, cum terminus generationis sit compositum, non vero materia vel forma, non est de ratione generationis ut generans producat totum effectum, sc. materiam, ut per se patet, vel etiam formam, si haec est spiritualis, ut occidens hominem non putatur occidere animam.

658. 4. Productio animae praesupponit materiam. Ergo anima non creatur.

Dist. antec. Productio animae praesupponit materiam in quam infundatur anima seu subiectum informationis, *conc. antec.*; materiam ex qua educatur anima, seu subiectum sustentationis, *nego antec.*

5. Filii non raro assimilantur parentibus iuxta dispositiones animae. Ergo anima eorum ab anima parentum procedit.

Dist. antec. Filii assimilantur parentibus iuxta animae dispositiones, quia hae pendent saltem saepe a dispositione corporis, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

6. Deus creans animas cooperaretur actibus adulteri et fornicarii. At id teneri nequit. Ergo animam non creat.

Dist. mai. Cooperatur actibus adulteri qua physicis, *conc. mai.*; qua formaliter peccaminosis, *nego mai.*

Haec difficultas est essentialiter eadem quae obicitur concursui Dei ad peccata hominis³⁸.

7. Argumenta allata non excludunt animam eductam esse ex subiecto aliquo spirituali. Ergo non omnino concludunt eam esse immediate creatam.

Dist. mai. Argumenta allata non excludunt educationem animae ex subiecto spirituali explicite, *conc. mai.*; implicite ex natura rei, *nego mai.*

Nam illud subiectum ex quo anima educeretur, substantialiter corrumpere vel alio modo divideretur, quod fieri repugnat. Hinc vel ii auctores qui, ut S. Bonaventura, posuerunt in anima materiam quamdam spiritualement, dixerunt animas immediate a Deo creari. Item, iuxta S. Augustinum, qui ceterum eam animae materiam potius negavit, anima Adae, etiam supposita ea materia, ex nihilo facta est³⁹.

N.B. *Dispositio materiae ad animam.* Generatio hominis non est concipienda simpliciter ut composita ex alia actione humana corpus efficiente et alia Dei animam creantis ac illi infundentis. Sed homo ita concursu divino parat materiam, ut dispositiones huius exigant animam, quae natura sua ordinatur ad corpus ita ut Deus saltem sine miraculo nequiret eam positus iis dispositionibus non creare vel sine iis positus creare; quod valet etiam de dispositionibus praeexistentibus ultimae dispositioni (quae connaturaliter ac necessario supponit illas, quarum ceterum ea est intrinseca continuatio) si haec ut tenet schola thomistica non fit nisi ipsa animae infusione. Ergo ad actum completum generationis Deus concurrat eo specifico concursu quo praeparatur corpus natura sua exigens creationem animae, quae simul natura sua ordinatur ad illud; sic ergo totus homo efficitur et a parentibus per actionem quae disponat corpus ontologice exigens animam ontologice ad illud ordinatum et a Deo concurrente ad totum opus eo concursu qui necessario inferat animae creationem.

³⁸ S. AUGUSTINUS, *l.c.*, n.15: ML 33,727; S. HIERONYMUS, *Apol. adv. libr. Rufini* 3,28; ML 23,478.

³⁹ S. BONAVENTURA, *In 2 d.18 a.8*; S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 7,27,39: ML 34,369.

Is influxus Dei iure dici posset *concursum creativum*, ut distinguatur a creatione divina alicuius substantiae nullo praesupposito subiecto et ab aliis influxibus Dei ad extra vel naturalibus vel supernaturalibus. Qua praecisione posita (et si habeatur simul prae oculis eas dispositiones non produci ab ipso corpore, sed a generante habente animam rationalem) non videtur per se requiri ut homo generans elevetur in sua potentia ad producendum aliquid suis viribus superius per specialem aliquem concursum (non vero per communicatam virtutem creativam) qui primo aspectu sat congruens ei specificae actioni videretur, at notione obscurus et difficilis intellectus in connexionem causae primae et secundae, dum aliunde sine eo salvatur peculiaritas actionis creativae hominis quam efferunt fontes, quin ullus hiatus inter influxum humanum et divinum statuatur⁴⁰.

Ulterius ex dictis illud etiam patet, quod cum leges naturae sint constantes, ut illa de creatione animae ad dispositionem materiae, ita ut exceptio dicenda esset miraculum, difficile admitteretur ea conceptio quod Deus creat animam humanam solum cum corpus est sufficienter dispositum in ordine naturali seu ad accipiendam animam et simul habet—vel habebit—sufficientem dispositionem ad finem ultimum supernaturalem, scil. cum Deus sua scientia videt eum hominem habiturum esse media de se sufficientia ad salutem aeternam⁴¹.

ARTICULUS II

DE MOMENTO CREATIONIS ANIMAE

Thesis 27. Anima humana creatur cum corpori infunditur.

S. TH., I q.90 a.4; q.118 a.3; 2 CG 83; S. BONAVENTURA, *In 2 d.18 a.2 q.2*; BERAZA, n.1023-1034.

659. Nexus. Anima humana, ex probatis, immediate creatur; at mox quaeritur *quando* id accidat. Haec vero quaestio existit per respectum sive ad momentum infusionis eius in corpus sive ad huius efformationem. Ea ergo, nunc solum posita in primo respectu, in id tandem venit, utrum anima creetur ante eius infusionem in corpus an in ipso eius infusionis momento. Quid dicendum?

660. Notiones. ANIMA HUMANA, scil. et protoparentum et omnium filiorum eorum.

CREATUR, seu esse incipit (per creationem).

CUM CORPORI INFUNDITUR, seu quin ante eam infusionem esse incipiat; cum vero ea non infundatur in corpus nisi ut *proxime* dispositum, ea non existit ante istam dispositionem obtentam. Ergo in uno *saltem moraliter eodem* momento tem-

⁴⁰ Cf. FLICK, *Problemi teologici sull'omizzazione*: Greg 44 (1963) 65-67, de A. OVERHAGE-K. RAHNER, S.I., *Das Problem der Hominisation* (Freiburg 1961).

⁴¹ Cf. A. ROLDÁN, S.I., *La ley que rige la generación humana*: Pens 18 (1962) 278-315, cuius indicatam theoriam refutat P. BLÁZQUEZ, O.P., *La ley que rige la generación humana*: Studium 3 (1963) 339-357.

poris ea et creatur et infunditur; immo ex communi conceptione theologorum, in uno eodemque *physice indivisibili* momento.

661. Adversarii. Tenentes *metempsychosim*, seu systema tenens transmigracionem animarum, ita ut anima huius defuncti infundatur in novum corpus conceptum (cf. SThS 4 tr.6 n.5). De ea opinione valeant dicenda (ibid., th.2) de iudicio particulari et de id consequente immediata animarum retributione, cui doctrinae illa opponitur.

Tenentes *praeexistentianismum*, seu systema dicens animas ante infusionem earum in corpora existere.

Ille est: a) *Rigidus*, si dicit eas, iam cum angelis creatas, dein, quia peccassent, corporibus esse in poenam infusas. Sic sequentes PLATONEM, ORIGENES, ut communius fertur¹, at qui melius dicitur rem dubie et hypothetice proposuisse²; *Priscillianistae*³; *Marius Victorinus Afer*⁴.

b) *Mitigatus*, si dicit animas, ab initio mundi creatas, dein (sine peccato existentes) corporibus lege Dei vel earum voluntate annexas esse. Sic quondam NEMESIUS⁵, et, iuxta S.Hieronymum, *quidam ecclesiastici*⁶. Ipse S.AUGUSTINUS id, non tenendo, sed disputando, ut probabilius de anima Adae habuit⁷. Nec defuit apud TT. protestantes qui ei opinioni faveret, ut theosophismus⁸.

662. Doctrina Ecclesiae. S.LEO I: «Referuntur (Priscillianistae) asserere animas quae humanis corporibus inseruntur fuisse sine corpore et in caelesti habitatione peccasse, atque ob hoc... per aërias... potestates... corporibus esse conclusas... Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt; sed omnes eos catholica fides a corpore suae unitatis abscidit...» (cf. n.649).

VIGILIUS (D 203): «Si quis dicit aut sentit, praeexistere hominum animas..., et in deterius conversas esse..., demissasque esse in corpora supplicii causa: anathema sit» (cf. SThS 4, tr. 6 n.162).

¹ Cf. G.BARDY, *Origène*: DTC 1,15318; ARNOU, *l.c.*, 2267,2308; ALTANER, *o.c.*, § 40 p.171; TIXERONT, *o.c.*, 111 p.3108; TEICHTWEIER, *o.c.*, 99-101.

² *De princ.* 1,7,4: 2,8,38; MG 11,1738,222-224. Cf. BAINVEL, *Ame*: DTC 1,996; MICHEL, *Traducianisme*: DTC 15,1352. At ipsum non loqui de intelligentiis praeexistentibus, sed de ideis platonis, assertit CROUZEL, *Origène et la philosophie* (Aubier 1962) 199s.

³ Cf. TIXERONT, 2,256.

⁴ Cf. H.DE LEUSSE, S.I., *Le problème de la préexistence des âmes chez Marius Victorinus Afer*: RechScRel 29 (1939) 197-239.

⁵ *De natura hom.* c.2: MG 40,5728.

⁶ *Epist.* 126,1: ML 22,1085s; cf. *Epist.* 37: ML 30,266.

⁷ *De Gen. ad litt.* 7,24: ML 34,368; cf. *Retract.* 2,24,1: ML 32,640.

⁸ Cf. J.BRINKTRINE, *Die Lehre der Schöpfung* (Paderborn 1956) 246.

C.Bracarense II prov. (D 236): «Si quis animas humanas dicit prius in caelesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terra deiectas, sicut Priscillianus dixit, a.s.»

C.Lateranense IV (D 428): «Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus... qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videl. et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestionem peccavit».

C.Lateranense V (D 738): «... Damnamus... omnes asserentes animam intellectivam... esse... unicam in cunctis hominibus..., cum illa... pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata et multiplicanda sit».

His, quibus statuitur directe contra quosdam philosophos renascentistas averroisimum quadantenus renovantes, animam intellectivam non esse unicam pro omnibus hominibus, sed singulas singulis, asseritur eam pro corporibus quibus infunditur multiplicandam esse; quod sane supponit eam pro singulis ante infusionem eius in corpus non existere.

663. Valor dogmaticus. Thesis contra praeexistentianismum: a) *Rigidum*, nisi cum aliis communiter⁹ dicitur esse *de fide divina et catholica implicite definita* (D 203 738), est *de fide divina et catholica*. b) Contra mitigatum, *saltem fidei proxima*, sed dicitur rectius cum aliis (implicite) *definita de fide* (D 738)¹⁰. Contra Leibniz, *saltem certa in theologia*.

664. Probatur ex sacra Scriptura. 1. In genere contra omnem praeexistentianismum. Gen 2,7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem*. Etsi, ut diximus, non constat ibi spiraculum vitae significare animam humanam qua talem, at Deus eo loco inducitur ut efficiens quasi de novo totum illud (praeter materiam) quod hominem constituit ut ens concretum humanum totale et non quasi aliunde aliquod elementum ad suum opus revocaret.

Ea etiam omnia indirecte valent, quibus probatur anima esse forma substantialis corporis humani; anima enim putanda est in ordinaria providentia (quae per se supponenda est,

⁹ BERAZA, n.1024; HUARTE, n.186; LERCHER, 2³ n.563. Ex *epist.* S.Leonis M., BOYER, 145.

¹⁰ BERAZA, *l.c.*; HUARTE, *l.c.*; LERCHER, *l.c.*

nisi de extraordinaria clare constet) creata esse iuxta suam naturam, ac proin ut corpus informans.

2. In specie contra praeexistentialismum rigidum, seu tribuentem peccatum animae nondum corpori infusae. Gen 1, 31: *Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Quae dicuntur post creationem narratam et aliorum et proto-parentum (v.26s), de quibus sine dubio etiam quoad ordinem moralem valent, imo a fortiori.*

Gen 1,28: *Benedixitque illis Deus et ait: crescite et multiplicamini (cf. Deut 1,11). At si anima corpori ut punienda infunditur, multiplicatio hominum esset potius maledictio.*

Rom 5,12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Ergo omnes trahunt peccatum per unum hominem; ergo non singuli per suas animas.*

Rom 9,11: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... ex vocante dictum est ei...: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Ratio, qua S.Paulus asserit illos nondum peccasse, est, quod ii nondum nati fuissent; quae sane valet de omni homine; ergo antea eorum animae non peccarant. 10**

665. Probatur ex traditione. SS.Patres unanimiter, et quidem brevibus verbis, reiciunt praeexistentialismum, nec solum quoad peccatum animarum praeexistentium negandum, sed et quoad ipsam praeexistentiam. Ceterum ii qui in traducianismum propendebant, eo ipso probantur praeexistentiam reiecisisse.

S.GREGORIUS NAZ. (R 1004): *Opinio absurda et aliena a fide Ecclesiae. Vereor ne absurda etiam cogitatio cuiquam obrepat, tamquam anima alibi usquam versata sit ac deinde corpori huic adstricta fuerit, et prout illic se gesserit, alii prophetiam accipiant, alii, qui improbe vixerunt, condemnentur... Hoc existimare nimium absurdum est et ab ecclesiastica fide alienum».*

S.HIERONYMUS *eam opinionem vocat haeresim. Accusatus a Rufino doctrinae origeniana ab ipso probatae, et alia et haec respondet: «Et audeat quisquam post huiusmodi sententiam nos Origenis haereseos accusare?»*

Ea opinio est stulta persuasio. «An in thesauro habeantur Dei olim conditae animae, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt» 11.

10* De praeexistentia non est Sap 8,19s: cf. SUTCLIFFE, *Providence and Suffering in the Old and New Testament* (Londres 1953).

11 *Apol. adv. lib. Rufini 1,22: ML 23,416; et l.c.*

S.IOANNES DAMASC.: *Origenes in hac re deliravit. «Porro corpus et anima simul creata sunt, non vero, ut deliravit Origenes, haec prius, illud posterius» 12.*

S.GREGORIUS NYSS., acer eius opinionis impugnator (R 1058): *Unum fuit initium et corporis et animae. «Quaestio erat, an praeexistenter animae corporibus, quando et quomodo fiant... Si enim detur animam ante corpus in propria quadam conditione vivere, prorsus necesse est existimemus valere absurdas illas sententias eorum, qui propter peccatum animas inhabitare faciunt corporibus... Restat igitur unum et idem animae et corporis initium subsistentiae putare».*

«Tota ipsorum ratio et capite caret et fine, quae probare conantur animos antequam in carne vivant, inter se degere, vitiisque primum contaminatos, corporibus alligari... Sed cum unus et idem homo sit, qui corpore et animo constat, unum esse communeque tribuendum ei dicimus existendi principium, ne parte hac seipso prior, altera iunior sit et posterior» 13.

S.CYRILLUS ALEXANDRINUS: *Opinio nimis absurda et adversus Ecclesiae dogmata. «Istiusmodi nugas adversus Ecclesiae dogmata et vanas fabulas simpliciorum auribus ingerentes, iure audient: vae qui prophetant de corde suo et prorsus non vident...» «Quod autem absurdissimum sit putare animam ante corpus existere, et ob praecedentia peccata in terrena corpora ipsam demitti, ex subiunctis argumentis quantum in nobis est probare conabimur» (R 2105).*

Dein affert pro sua thesi viginti et quatuor argumenta, quae maxime et directe peccatum in vita praeexistente, at indirecte etiam ipsam praeexistentiam impetunt, ut patet v.gr. ex iis: *«Opportune igitur et iuste a nobis exigit ut in hac carne non peccemus, cum existendi tempus istud solum habeamus, quod in hunc mundum venimus, illud prius non esse...» 14.*

666. Ratio theologica. 1. In genere *contra praeexistentialismum*. Anima est naturaliter forma corporis; ergo per se est essentialiter ordinata ad corpus; ergo sine unione ad hoc esset in statu minus perfecto. At nequit statui sine solida ratione Deum ab initio animam creasse in statu ei minus convenienti. Ergo anima putanda est non esse creata ante unionem eius ad corpus.

12 *De fide orthod. 2,14: MG 94,922.*

13 *De opif. hom. 29: MG 44,324. De eius mente plura, REBECCHI, l.c., 322-325; E.STE-PHANOU, La coexistence initiale du corps et de l'âme d'après saint Grégoire de Nysse et saint Maxime l'Homologue: EchOr 31 (1932) 304-315.*

14 *In Jo. 1,1 c.9: MG 73,134s; JOLIVET, San Agustín y la preexistencia de las almas: Aug 1 (1956) 49-51 refutat E.GILSON, Introduction a l'étude de Saint Augustin² (Paris 1943) 45s, dicentem Augustinum primis suis operibus inclinasse ad doctrinam praeexistentiae.*

His *ratio naturalis* consonat. Anima naturaliter eget sensu ad cognoscendum; ergo sine corpore nequiret naturaliter cognoscere. At sic eam creatam esse, nequit sine solida ratione asseri. Ergo censendum est animam non esse creatam ante unionem eius ad corpus.

Anima praeexistens aut appeteret aut non appeteret unionem ad corpus. Si primum, cur prohiberetur ab unione? Si alterum, ea unio esset coacta, et proin non putaretur ordinari nisi in poenam; ergo ob peccatum aliquod praecedens. Ergo anima non praeexistit corpori.

Anima praeexistens deberet uniri corpori aut aliena aut propria voluntate. Si primum, esset in statu violento. Si alterum, qua lege non gratis supposita convenit cum eius voluntate et cognitione voluntas generantis?

Anima praeexistens, *moraliter* sumpta, aut nihil aut male aut bene ageret. Si nihil, cur praeexisteret? Si male, origenismus esset verus. Si bene, ergo habuit ante unionem aliquod meritum quod per unionem ad corpus amiserit. At inauditum est in Ecclesia animam aliquid boni vel mali egisse ante unionem ad corpus.

S. AUGUSTINUS: «Noli credere nec dicere nec docere animam meritum aliquod perdidisse per carnem, tamquam boni meriti fuerit ante carnem, si vis esse catholicus. Nondum namque natos Apostolus nihil egisse dicit boni vel mali. Unde ergo anima potuit ante carnem habere meritum bonum, ubi nihil egerat boni? An forte audebis eam dicere ante carnem bene vixisse, quam non potes ostendere vel fuisse?... Haec dogmata, quibus putatur anima ante carnem habuisse... meritum bonum, si forte nescis, exceptis antiquis haereticis etiam recentius in Priscillianistis iam catholica damnavit Ecclesia... Prorsus vel bonum vel malum meritum credere habuisse animam ante carnem, catholicum non est»¹⁵.

667. 2. In specie *contra Origenismum*. Mors non esset poena peccati, sed liberatio e carcere.

Anima infusa corpori in poenam deberet peccati sui meminisse, ut pro eo paenitentiam ageret. At id est contra experientiam. Ergo anima ante unionem in corpus non peccavit.

668. *Obiectiones*. 1. Homines alii alios donis Dei superant. At id non explicatur apte sine diversitate meriti in praeexistentia. Ergo haec datur.

Nego min. Ea donorum diversitas apte explicatur ex sola libera Dei voluntate.

2. Homines in terris nihil peccantes patiuntur, et quidem alii aliis acerbius. At id supponit praevium demeritum. Ergo animae praexistunt.

Nego min. Poenae innocentium non supponunt nisi peccatum originale vel etiam Deum illis eas virtutis exercendae occasiones praebere.

3. Anima post mortem manet separata. Ergo et ante unionem ad corpus potuit sic esse.

Dist. cons. Anima potuit existere ante unionem cum corpore, absolute, *conc. cons.*; connaturaliter, *nego cons.*

Sane anima, utpote forma corporis, putanda est per se, seu nisi quid in contrarium obstat, in sua destinatione poni, et ideo praeexistentia non probatur. At separationis post mortem ratio datur: nam illa separatio consequitur mortem ut poenam peccati; etiam sine praevio peccato illa adveniret aliquando naturaliter (nullo posito dono praeternaturali), cum mors esset naturalis; appetitus unionis iam ante mortem, quatenus id fieri potuit, impletus est. Ceterum anima iam separata vel punitur vel supernaturaliter praemio iuvatur.

ARTICULUS III

DE MOMENTO INFUSIONIS ANIMAE IN CORPUS

669. *Notio*. Ex dictis, anima creatur cum in corpus infunditur. Infunditur vero, ut patet, cum corpus proxime dispositum est ad eam; at *quando* id accidit? Corpus ut *humanum* (saltem destinatione), seu plus minus proxime ad animam rationalem dispositum, incipit existere a momento *conceptionis passivae*, seu foecundationis ovuli feminei per sperma masculinum; quod posset absolute post plures horas a momento *conceptionis activae*, seu actus seminationis, contingere.

Quaeritur ergo utrum infusio animae rationalis cum momento conceptionis passivae conveniat (animatio *immediata*), an potius istam, post aliquod plus minus longum temporis intervallum, consequatur (animatio *mediata*). Haec quaestio est magni pretii moralis ac iuridici v.gr. in ordine ad baptizandos fetus abortivos, imo et ad ipsam indolem moralem abortus ut peccati clari aestimandam.

670. 1. *Animatio mediata*. Plerique auctores antiqui usque ad ultima saecula requirunt ad infusionem animae in fetum aliquam huius evolutionem ontogenicam, cuius durationem non unanimiter determinant.

Hinc, iuxta S.Thomam (I q.118 a.2), dixerunt: a) Alii, animam non infundi corpori ante huius ortum. Quod sane serius damnavit Innocentius XI (D 1185). b) Alii, tres animas homini tribuentes, ei inesse primo vegetativam, dein sensitivam, tandem rationalem. At id destruit unicitatem animae in homine. c) Alii (partim fere ut nuper Rosmini, D 1910)

¹⁵ De anima et eius origine l.3 c.7 n.98: ML 44,518.

homini inesse primo animam vegetativam, quae dein virtute seminis fiat sensitiva, et serius extrinseca Dei illuminatione in rationalem sit tandem reddenda. At haec opinio, si, ut sonat, sumatur, est absurda et ob alia et quia destruit animae rationalis simplicitatem.

Reiectis ergo his opinionibus, quae admitti catholice nequeunt, animationem mediatam, etsi non uno modo explicatam, tenuerunt:

a) Ex antiquis: alii, ut Scotus, ponentes in embryone plures mutationes, quibus novae formae organicae (non ergo animae inferiores) respondeant, donec inducitur forma corporeitatis ut proxime dispositiva ad animam rationalem, quae simul tempore, sed posterius natura, ac illa vel ultima forma organica partialis, infunditur, et proin in fetum iam plene organizatum¹.

Plerumque vero, et quidem communius usque ad ultima saecula, alii, ut S.Thomas, dixerunt advenire primo animam vegetativam, qua ulterius fetus perficiatur ad animam sensitivam accipiendam, donec ille, accedente anima sensitiva, et corrupta simul vegetativa, proxime disponatur ad rationalem, quae tandem, corrupta sensitiva, infundatur. Ea opinio fuit quondam communissima².

b) Ex hodiernis vero Liberatore, Pignataro, Mercier³, et nunc Lanza, Boyer, Hering, Hudeczek, dum rem in medio relinquit Daffara⁴.

671. 2. *Animatio immediata.* Eam tenuerunt saltem implicite ii Patres qui traducianismo adhaeserunt; expresse vero, si forte non omnes generatim, saltem Tertullianus, S.Gregorius Nyssenus, S.Maximus et (saltem probabiliter) S.Augustinus⁵.

b) Defendunt eam hodie communiter auctores. Eaque sententia, quae *multo probabilior* et forte *moraliter certa* dici potest, multiplici argumento confirmatur.

Ex Christi conceptione. Verbum assumpsit animam et cor-

¹ Cf. BAUDOIX, l.c., 459-466.

² SUÁREZ, *De anima* 2,8; A.CHOLLET, *Animation*: DTC 1.1308-1310; ZAVALLONI, *La métaphysique...* 10-12, addens S.Albertum M. primum memorasse creationem animae coniectam cum effectione corporis, quod non praexistat ut embryon animatus per se vel per influxum matris.

³ LIBERATORE, o.c., n.289s; PIGNATARO, 254-256; MERCIER, o.c., n.278; CHOLLET, 1310, memorat paucos alios.

⁴ A.LANZA, *La questione del momento in cui l'anima razionale è infusa nel corpo* (Roma 1939): cf. BollFil (1938) 211.335-367; (1939) 36-97; BOYER, 151s; H.M.HERING, O.P., *De tempore animationis foetus humani*: Ang 28 (1951) 18-29; M.M.HUDECZEK, *De tempore animationis foetus humani secundum embryologiam hodiernam*: Ang 29 (1952) 162-181; DAFFARA, n.499.

⁵ TERTULLIANUS, *De anima* 27: ML 2.604s; S.GREGORIUS NYSS., *De opif. hom.* 29: MG 44.234-239: cf. REBECCHI, 324s; S.MAXIMUS, *Ambiguorum liber*: MG 91.1335-1342: cf. STEPHANOÛ, l.c. De S.Augustino, cf. A.C.VEGA, *¿Defendió San Agustín la «animación mediata» del cuerpo humano?*: RelCult 15 (1931) 345-358.

pus in primo instanti conceptionis huius⁶. At sine solida ratione diceretur id esse exceptio, quia «corpus Christi propter infinitam virtutem agentis fuit perfecte dispositum in instanti...» (3 q.33 a.2 ad 3); nam, si ita est, etiam nativitas eius anticipata esset (nisi miracula gratuito multiplicata esse dicantur), et tamen Ecclesia eam, praecise post novem menses ab Annuntiatione, festo die memorat.

Ex Immaculata Mariae Conceptione. Pius IX (D 1641): «... Definimus, doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse... ab omni originalis culpa labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam...» Peccatum vero est in anima. Ergo.

Si vero dicatur is textus posse sumi, non necessario de *conceptione carnis*, sed de *conceptione hominis*, i.e. de conceptione adaequata, seu animatione, tamen Ecclesia sic rem intellexit, ut festum illud praecise nono mense ante Nativitatem S.Mariae celebrandum decreverit.

Ex baptismo fetuum^{6*}. Ecclesia praecipit: «Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione» (CIC 747). Baptismus nequit nisi *conditionate* conferri, si dubium prudens sit de eius validitate; id vero dubii est, si non constat fetum esse hominem. Tamen Ecclesia praecipit *absolutum* baptismum fetus «quovis tempore editi» et hac una conditione posita: si certo vivat; non vero ea: si certo sit animatus anima rationali.

Ad calcem eius canonis citatur ut eius fons hoc decretum S.Officii (a.1713): «De Baptismo foetus abortivi: Si suppetat rationale fundamentum dubitandi an foetus ille sit animatus anima rationali, tunc potest et debet baptizari sub conditione; si vero non suppetat rationale fundamentum, nullatenus potest baptizari»⁷. Ergo admittitur posse dari dubium de praesentia animae rationalis in fetu, sive fundatum (id esset v.gr. si fetus viveret et formam humanam ostenderet) sive infundatum (ut esset v.gr. si fetus signis vitae careret).

At allatus ille canon omittit mentionem *animae rationalis*, et non de dubio, sed de *certitudine* (quoad solam praesentiam vitae) loquitur, et cogit ad baptizandum *absolute*. Ergo cen-

⁶ Cf. A.BREITUNG, S.I., *De conceptione Christi Domini inquisitio physiologico-theologica*: Greg 3 (1924) 391-423.351-368.

^{6*} De historia quaestionis pro baptismo abortivorum informium primum propositae a.1658 ac intime connexae cum quaestione de momento infusionis animae rationalis, egit ample ac erudite C.PUJOL, S.I., *El problema del bautismo de los fetos abortivos informes*: Rev-EspDC (1946) 697-720 (1947) 53-75.

⁷ Cf. P.GASPARRI, *Codicis Iuris Canonici Fontes* 4 (Romae 1926) n.777.

sendus est supponere praesentiam animae rationalis in omni fetu vivo.

Ideo, quin dicatur animatio immediata canone *doctrinaliter* ut certa decidi (et de facto etiam nunc non ab omnibus admittitur) videtur nostra interpretatio praeferenda esse et quidem esse *moraliter certa in praxi*.

Hinc videretur interpretationem (quam proponit Vermeersch), qua verba «si certo vivant» aequivalent verbis «si certo vivant anima rationali»⁸, admitti nullo modo posse; maxime cum experimentaliter numquam possit attingi praesentia animae rationalis in fetu, dum non difficile percipitur huius vita.

Ex philosophia. Hodie est scientificè certum, embryonem ab initio conceptionis passivae vivere. Quo posito, non sunt multiplicanda entia sine necessitate. At nulla est necessitas statuendi successionem animarum in fetu, cum anima rationalis sit in homine principium et vegetativum et sensitivum et rationale.

Embryo ab initio est humanus saltem quatenus teleologicè evolvitur ontogenice in corpus humanum. Ergo id supponit formam substantialem specificè distinctam a forma cuiuslibet alius viventis. At unica forma specificè humana de cuius existentia certo constat est anima rationalis. Ergo haec putanda est inesse ab initio embryoni, dum non ostendatur id clare repugnare⁹.

APPENDIX

De homine imagine Dei

672. Notiones. Effectus natura sua aliquo modo causam suam refert; ergo omnes creaturae Deum Creatorem suum pariter referunt, ut supra dictum est (n.213-221). At cum haec repraesentatio plus minusve perfecta sit pro perfectione qua importatur, potest aliquando ea esse quae iure *imago Dei* dicatur? Cum vero, iuxta humanum loquendi modum, ad rationem imaginis non sufficiat quaelibet repraesentatio v.gr. quae est in vestigio pedis, sed requiratur ea quae sit aliquo modo iuxta propriam rei repraesentatae formam, patet rationem imaginis Dei creaturis irrationalibus deesse. At inest

⁸ A.VERMEERSCH-J.CREUSEN, S.I., *Epitome iuris canonici* 2⁵ (Mechliniae 1934) n.31. De sensu canonis pulchre agit PUJOL, I.C., (1947) 803-818. Tamen (can.2350,1) abortus, effectu secuto, punitur excommunicatione, quin ille vocetur homicidium vel ut quid simile efficitur.

⁹ De tota re, cf. CHOLLET, 1,1305-1320; BERAZA, n.1035-1048; Card.RUFFINI, o.c.: 181-187; W.STOCKUMS, *Historisch-Kritisches über die Frage: «Wann entsteht die geistige Seele?»*: PhJahrb 37 (1924) 225-252; M.D'HALLUIN, *Animation et désanimation* (Paris 1944).

ea homini? Responsum pendet ex *imaginis* conceptu apud homines communiter vigente.

IMAGO est similitudo ex altero expressa secundum speciem vel individuum. Est ergo: similitudo; derivata ex archetypo, seu facta ad ipsius imitationem, qui ideo dicitur exemplar (I q.93 a.1); secundum speciem vel individuum, seu, aliis verbis, in natura specifica vel quasi-specifica vel in accidente speciei proprio (non communi) v.gr. in figura (I q.35 a.1).

Imago est *perfecta*, si est ad aequalitatem, seu refert totum eius cuius est, iuxta id in quo est imago, et simul existit vi productionis, seu actionis formaliter assimilatricis.

Ergo respectu Dei, solus Filius est imago perfecta Patris, in quo nihil vel formaliter vel virtualiter est, quod Verbum ad aequalitatem non referat, et quidem per generationem (seu actionem natura sua assimilatricem) a Patre acceptum, ita ergo ut, stante utroque requisito, Filius dicatur antonomastice *imago Patris* (Col 1,15; Hebr 1,3; S.Th., I q.35 a.2), non vero *ad imaginem* (I q.93 a.1 ad 2). Deficiente vero altero requisito, seu processione assimilatrice, Spiritus S. aequalis Patri et Filio secundum divinitatem, non dicitur imago Dei ut Filius.

Ex his patet, hominem, absente illo utroque requisito, non posse esse imaginem perfectam Dei. Aliunde, cum Deus nec sit intra aliquam speciem, nec ulla accidentia habeat, homo nequit imago Dei esse in natura specifica vel in ullo accidente.

At potest homo esse similis Deo in natura quasi-specifica, seu in ea nota quae a nobis concipitur esse velut ultima differentia entis, et quae sane ad rationem imaginis sufficit: in *intellectualitate* (i.e. in natura rationali seu intellectivo-volitiva), cum nihil sit quo conceptus Dei, distinctius ac perfectius quam per illam notam, efformari queat. Unde homo, quatenus est Deo similis in intellectualitate, iure dicitur ipsius imago (I q.43 a.7; q.93 a.6).

Concipitur vero illi esse Dei imago: a) *Naturalis*, seu in iis quae naturae ipsius qua tali competunt. De hac sola hic agitur. Cum vero nihil Deo sit magis proprium quam intellectualitas, quaelibet alia imago Dei, in homine forte concipienda, solum in intellectualitate supposita stare potest.

b) *Supernaturalis*, seu in perfectione gratuito addita naturae hominis et hanc constitutive, consecutive, exigitive superante. Ea est formaliter, at quasi initialiter, per gratiam in iusto viatore, consummative vero per gloriam in beato. Ea autem supponit imaginem naturalem, cui accedit ut perfectio illius velut accidentalitatis, etsi sit superioris ordinis. De hac nunc non agitur (cf. SThS 3 tr.3 n.201-207).

Ceterum utraque, etsi formaliter non consistat in *actibus* vitae intellectualis, qui natura sua transeunt, dum imago est quid permanens, per eos tamen et declaratur et splendet et perficitur.

Ulterius tamen, si homo ut rationalis dicitur Dei imago, huius ratio reperitur oportet in omnibus proprietatibus naturam intellectualem naturaliter consequentibus v.gr. in libertate, spiritualitate, immortalitate, dominio in irrationalia, et servata proportione, iuxta dicta, in omnibus actibus rationalibus¹. Haec enim omnia habet homo quia et quatenus est natura rationalis.

Iam vero, ratio imaginis Dei, si res bene perspicitur, ad dignitatem humanam efferendam valde confert; et proin simul praedicat sive amorem Dei in hominem, quem ea benevolentia ornarit, elevarit, sive officium istius qui vitam agat qualem ratio imaginis Dei exigit. Hinc nil mirum, si traditio christiana ea idea imaginis Dei (quin tamen forte semper sat distinxit naturalem a supernaturali) adeo delectata sit, ut patet ex verbis Patrum eam communiter efferentibus², etsi theologi, ut SS.Thomas³, Bonaventura⁴, eam diligentius excoluerint⁵.

673. Homo ergo est imago Dei. Gen 1,26-28: *Et ait: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et prae-sit piscibus maris et volatibus caeli... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et*

¹ Id consulto notatur, ut modus loquendi Patrum intelligatur: cf. HUMMELAUER, 109.

² Cf. v.gr. A.STRUCKER, *Die Gottebenbildlichkeit des Menschen in der christlichen Literatur der ersten zwei Jahrhunderte. Ein Beitrag zur Geschichte der Exegese von Genesis 1,26* (Münster 1913); A.MAYER, O.S.B., *Das Bild Gottes im Menschen nach Klemens von Alexandria* (Rom. 1942); E.PETERSON, *L'immagine di Dio in S.Ireneo: ScuoCatt 69* (1941) 46-54; REBECCHI, l.c., 189-195; J.GROSS, *La divinisation du chrétien d'après les Pères grecs* (Paris 1938) 144-159 (de S.Ireneo); J.T.MUCKLE, *The Doctrine of St.Gregory of Nyssa on Man as the Image of God: MedStud 7* (1945); R.LEYS, S.I., *L'image de Dieu chez saint Grégoire de Nysse* (Bruxelles 1951) p.2 c.1; H.MERKI, *Ἐπιφάνεια Θεῶν. Von der platonischen Angleichung an Gott zur Gottähnlichkeit bei Gregor von Nyssa* (Freiburg Zw. 1952); H.C.GRAFF, *L'image et la structure de l'âme d'après les Pères Grecs: VieSpir* (1952) 331-339; H.DU MAUNOIR, S.I., *Dogme et spiritualité chez Saint Cyrille d'Alexandrie* (Paris 1944) 81s; W.J.BURGHARDT, S.I., *The Image of God in Man according to Cyril of Alexandria* (Woodstock 1957); R.BERNARD, *L'image de Dieu d'après saint Athanase* (Aubier 1952); J.B.SCHOEMANN, *Eikon in den Schriften des hl.Athanasius: Schol 16* (1941) 335-350; H.CROUZEL, S.I., *Théologie de l'Image de Dieu chez Origène* (Paris 1956); TH.CAMELOT, O.P., *La théologie de l'image de Dieu: RevScPh-Th 40* (1956) 443-471. De origine eius rei in traditionibus mysticis plurimum populorum; cf. Id., *L'homme, image de Dieu: Bijdr 20* (1959) 126-145.

³ I q.93. Cf. R.ROHNER, O.P., *Thomas von Aquin oder Max Scheler. Das Ebenbild Gottes: DivThom(Fr) 1* (1923) 329-335; P.PALUSCSAK, O.P., *Imago Dei in creaturis: XenThom 2* (Romae 1925) 110-154; *Isten képmása az emberben sz.Tamásnál: Rel 63* (1924) 1-8.112-129, de quo cf. CH.V.HERIS, O.P.: *BullThom* (1926) 191; F.DANDER, *Gottes Bild und Gleichnis in der Schöpfung nach der Lehre des hl.Thomas von Aquin: ZkathTh 53* (1929) 1-40.203-246; I.HÜBSCHER, O.S.B., *De imagine Dei in homine viatore secundum doctrinam S.Thomae Aquinatis* (Lovanii 1932); A.HOFFMANN, O.P., *Zur lehre von der Gottebenbildlichkeit des Menschen in der neueren protestantischen Theologie und bei Thomas von Aquin: DivThom(Fr) 19* (1941) 3-35; L.BERG, *Die Gottebenbildlichkeit im Moralsubjekt nach Thomas von Aquin* (Mainz 1948); M.J.DE BEAURECUEIL, *L'homme image de Dieu selon saint Thomas d'Aquin: EtRech 8* (1952-45-82; 9 (1955) 37-96; A.SQUIRE, *The Doctrine of the Image in the De Veritate of St.Thomas: DomSt 4* (1951) 164-177; J.BOVENMARS, M.S.C., *De Leer von S.Thomas over het imago creationis: Bijdr 15* (1954) 139-161; G.LAFONT, O.S.B., *Le sens de l'image de Dieu dans l'anthropologie de saint Thomas d'Aquin: RechScRel 47* (1959) 560-569.

⁴ Cf. In 2 d.16. D.SCARAMUZZI, O.F.M., *L'immagine di Dio nell'uomo nell'ordine naturale secondo S.Bonaventura* (Padova 1942); B.MADARIAGA, O.F.M., *La «imagen de Dios» en la metafísica del hombre, según San Buenaventura: VerVid 7* (1949) 145-194.299-235. De S.Bernardo, cf. M.STANDAERT, S.T.L., *La doctrine de l'image chez saint Bernarde: SyllExcerptDiss 14* (Lovanii 1947) 70-129.

⁵ PETAVIUS, *De opif. sex dier. 2,2-4*; SCHEEBEN, l.c., 2 § 146-148; Y.JEILER, *Ebenbild Gottes: KL 4,64-73*; A.ROSSI, C.M., *Similitudo Dei in creaturis: DivThom(Pi) 31* (1928) 417-448; BITTREMIEUX, *De mensch. Gods evenbeeld en gelijkenis: OnsGel 12* (1926) 241-253. 289-303; LONCKE, *De vestigiis et imaginibus Dei in creaturis: CollatBrug 43* (1947) 36-40; R.HAUBST, *Das Bild des einen und dreieinen Gottes in der Welt nach Nikolaus von Kues* (Trier 1952); C.KALIBA, *Die Welt als Gleichnis des dreieinigen Gottes. Entwurf zu einer trinitarischen Ontologie* (Salzburg 1952).

feminam creavit eos. Benedixitque... et ait...: replete terram et subicite eam...

Quid vero est id? PP. non raro sumunt imaginem de natura et similitudinem de supernaturalibus. At id non videtur stare; nam: a) Termini ex se id non exigunt. b) Textus videtur tribuere eam similitudinem homini qua homini seu «Aadae» qui est quasi persona corporativa omnium hominum. De facto ea obtinetur generatione (Gen 5,1-3). c) Manet post peccatum originale (9,6).

Idea ergo imaginis indicat potius aliquam permanentem in ipso esse hominis relationem ad Deum. Non vero in differentia sexuali seu mutua relatione viri ac mulieris, ut sine fundamento dixit solus Barth.

Plures independentes posuerunt eam imaginem in esse hominis physico, corporali, externo, ut statura vel figura recta. Sane vox hebraica «selem» indicat ordinarie imaginem physicam seu materialem, et «demut» significat similitudinem abstractam vel concretam ut hic. At ea conceptio esset anthropomorphismum nimis absonum, imo absurdus relate ad Deum consideratum ut hominem. Sed iidem patroni eius opinionis non excludunt sensum spiritualem, nisi potius dicant eam formulam corporalem ex mente semita adhiberi ad exprimendam similitudinem spiritualem.

Potius diceretur eam formulam referri ad totum hominem (5,3), quatenus vero filius assimilatur patri praesertim indole rationali seu characteri humano. Et si quando forte primaevi auctores V.T. inducunt Deum ut corporeum, notio incorporea Dei fuit semper eis clarior.

Hinc ex opinione communi ratio imaginis Dei est in rationalitate seu indole intellectivo-volitiva hominis. Et sane id est proprium naturae divinae: rationalitas. Ideo, etsi dominium hominis in mundum (1,28) non sit elementum essentiale imaginis, ut quidam volunt, at est huius sequela et signum. Item facultas procreandi qua humana seu quatenus efficiens novas Dei imagines (1,27s; 5,1-3; Lc 3,38) complet eam imaginis rationem.

Ulterius ea imago videtur extolli «gloria et honore» quibus Deus hominem coronavit minuens «eum paulo minus ab angelis» et constituens «eum super opera» sua ac subiciens «omnia... sub pedibus eius» in caelo et in terra (Ps 8,5-9)⁶ seu ei dans illud omnium dominium.

Ea ratio imaginis, dum effertur quoad praecedentia seu quoad

⁶ De sensu eius loci, cf. M.SCHUMPP, O.P., *Psalm. 8 und die Gottebenbildlichkeit des Menschen: DivThom(Fr) 26* (1948) 331-335; sed et BEA, *Il Nuovo Salterio Latino* (Roma 1946).

plenam rationalitatem et quoad amplum dominium eam consequens, illuminatur profundo sensu morali ac religioso in Eccli 17,1-14: *Deus creavit... hominem... secundum imaginem suam... Et secundum se vestivit illum virtute... Et dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram... Consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius. Addidit illis disciplinam et legem vitae haereditavit illos. Testamentum aeternum constituit cum illis et iustitiam et iudicia sua ostendit illis. Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum. Et dixit illis: attendite ab omni iniquo. Et mandavit illis unicuique de proximo suo...*

Imo ea ratio imaginis includit immortalitatem seu participationem aeternitatis Dei (Sap 2,23), quae ex contextu est immortalitas beata qua iusti donabuntur (2,22; 3,1-4) et impii privabuntur (2,24).

Ceterum ea imago non est mere statica, sed dinamica, quatenus homo: a) Ita in creaturas quasi vices Dei gerit (9,2), ut suo labore illud dominium magis magisque perficiat. b) Vocetur ad imitandum suum sanctum exemplar per actus morales ac religiosos (Eccli 17,1-14).

Ea est excelsa dignitas qua in creatis unus homo gaudet (Gen 1,26s; 9,6), et qua elevatur super ea, quae facta sunt «iuxta genus suum» (1,11s.21.24s). Sed nec est imago Dei perfecta, ut indicatur ipso textu (1,26s) in quo, ut hodie communiter admittitur, imago ac similitudo ita differunt ac mutuo complentur, ut, etsi sint voces synonymae, haec temperet ac minuat sensum illius, quae proin indicet imaginem non perfectam seu quasi imaginem (1 q.93 a.1 ad 2). Ceterum eam imperfectionem ex eo patet quod homo subsit voluntati et praeceptis ac gubernationi Dei (Gen 1-2) ac labori et mulier sive Deo sive marito sive filiis⁷.

S. Augustinus (R 1806): «Non distas a pecore nisi intellectu; noli aliunde gloriari. De viribus praesumis? A bestiis vin-

⁷ Cf. CEUPPENS, o.c., 36s; PIROT, l.c., 88s; HEINISCH, o.c., § 24 n.5; VAN IMSCHOOT, o.c., 2,7-11; J. DE FRAYNE, S.I., *La Bible et l'origine de l'homme* (Bruges 1961) 36-39; P.G. DUNCKER, O.P., *L'immagine di Dio nell'uomo* (Gen 1,26-27): Bibl 40 (1959) 384-392; A.M. DUBARLE, O.P., *Le concept de l'homme dans l'Ancien Testament: SacraPag 1* (Paris 1959) 522-536; H. GROSS, *Gottesbildlichkeit*: LThK 4 (1960) 1087s; P. LAMARCHE, *Image: VocThBibl* (1962) 462; X. LÉON-DUFOUR, *Homme*: ibid., 442-444; G. SÖHNGEN, *Die biblische Lehre von der Gottesbildlichkeit des Menschen*: MünchThZ 2 (1951) 52-76; R. Mc L. WILSON, *Genesis 1.26 and the New Testament*: Bijdr 20 (1959) 117-125; FLORIT, l.c., 175-177; DE FRAYNE, o.c., 69-84.

ceris. De velocitate praesumis? A muscis vinceris. De pulchritudine praesumis? Quanta pulchritudo est in pennis pavonis. Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu»⁸.

Ex dictis supra, homo similis est Deo in natura quasi-specifica, seu in ultima differentia entis seu secundum naturam intellectualem (1 q.93 a.6). At id, ut patet, ad rationem imaginis longe sufficit. Ergo.

Potest etiam addi ex dictis dominium, sed, ut credimus, ut sequela et signum imaginis potius quam ut constitutum eius. Item facultas procreandi hominem qua hominem. Etiam participatio aeternitatis Dei per immortalitatem. Et quidem ea omnia sensu non mere statico, sed et dinamico seu perfectivo. Ulterius scholastici addiderunt cum Augustino similitudinem ex efficientia, quatenus omne agens agit simile sibi, quod sine dubio maxime ac primo convenit primae ac universali causae^{8*}.

Ergo *et vir et mulier* in intellectualitate sunt imago Dei. Hinc, etsi iuxta S. Paulum (1 Cor 11,7) *vir... imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est, his non excluditur imago Dei a muliere, sed quantum ad aliud secundarium imago Dei invenitur in viro secundum quod Deus est principium et finis omnis creaturae* (1 q.93 a.4 ad 1; cf. 1 Cor 11,12).

Ergo imagines Dei imperfectae indefinite multiplicari possunt, cum nulla creatura Deo ad aequalitatem assimilari queat (1 q.47 a.1 ad 2).

Ergo quo natura intellectualis est perfectior, imago Dei in ea perfectior est v.gr. in viro, in angelo... At nihil impedit quin ea in homine sit secundum aliquam rationem, quae secundario ad imaginis rationem spectat, perfectior quam in angelo v.gr. in dominio universi quasi Dei vice gerendo⁹; item quatenus in homine quasi sensibilibus ea imago ostenditur pariter ac Deus in creaturis.

Ergo corpus humanum, non quidem ut ab anima rationali separatum, sed ut illa animatum, dici potest formaliter, etsi secundario, esse imago Dei, quatenus vitam rationalem sua statione, suis gestibus, sua loquela, suis moribus externis prodit, ita ergo ut simpliciter *totus homo* imago Dei esse dicatur¹⁰.

674. Homo est imago Trinitatis. Cum homo sit imago Dei, qui est trinus, est etiam imago Trinitatis? Non quidem

⁸ J. HEIJKE, *St. Augustine's Comments on 'Imago Dei'* (Worcester 1960), colligit omnia loca augustiniana de imagine Dei in homine (ca.150), at sine commentariis; putat Augustinum deprompsisse theologiam de ea re ex Ambrosio G.A.Mc COOL, *The Ambrosian Origin of St. Augustin's Theology of the Image of God in Man*: ThSt 20 (1959) 62-81; de ea doctrina augustiniana, cf. H. SOMERS, S.I., *La gnose augustiniennne: sens et valeur de la doctrine de l'image*: RevEtAug 7 (1961) 1-15; Id., *Image de Dieu*: ibid., 105-125; J.E. SULLIVAN, *The image of God: The doctrine of St. Augustine...* (Dubuque 1963); L. HÖDL, *Zur Entwicklung der frühsch. Lehre v.d. Gottebildlichkeit des Menschen*: L'homme... CongrIntPhMéd (Louvain 1960) 347-359. Cf. et SZYDZIK, *Die geistige Ursprünge...*: ThGl 53 (1963) 161-176.

⁹ Cf. F. LAKNER, *Gottesbildlichkeit*: LThK 4 (1960) 1091.

¹⁰ Cf. S. BONAVENTURA, *In 2 d.16 a.2 q.15*.

¹¹ PETAVIUS, 2,4,7s. Cf. S. AUGUSTINUS, *De Trinit.* 11,1: ML 42,983s. De imagine Dei in homine secundum animam et corpus iuxta liturgiam, cf. W. DÜRIG, *Imago. Beitrag zur Terminologie und Theologie der römischen Liturgie* (Munich 1952).

ea, ex qua solis naturae viribus ad Trinitatem probandam pervenire possimus; Trinitas enim est mysterium stricte dictum (seu cuius intrinsicam possibilitatem ne post eius quidem revelationem naturaliter cognoscere valeamus). At, cum Deus trinus hominem fecerit, forte in eius effectu aliquod eius mysterii signum impressit, ex quo, post cognitam per fidem existentiam Trinitatis et rationem qua ipsa in Deo exsurgit, statui possimus hominem esse Deo ut trino aequaliter repraesentative proportionatum.

Ut in Deo per intellectum Patris procedit Filius ut Verbum, seu ut terminus operationis intellectus Patris, et per voluntatem Patris ac Filii procedit Spiritus Sanctus, ut terminus amoris inter Patrem et Filium, ita in homine per operationem intellectus cognoscentis procedit verbum mentis seu terminus immanens intellectionis, et per operationem voluntatis procedit amor, ut terminus immanens illius productionis. Ergo in homine datur aliqualis repraesentatio naturae divinae immanenter operantis, seu imago Trinitatis.

Hinc S. Augustinus, qui eam doctrinam imaginis Trinitatis in homine adeo extulit, ut in ea imagine essentiam partis humanae superioris, seu mentis, constituerit et eam doctrinam quasi in medullis suae de homine conceptionis fecerit¹¹, videt imaginem Trinitatis in interna relatione mentis, notitiae, amoris¹², et sine dubio clarius in mutua activitate memoriae, intellectus, voluntatis in una anima.

Iuxta ipsum, homo non est factus ad imaginem unius Filii, sed totius Trinitatis: «Dixit enim Deus faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen 1,26s). Nostram certe, quia pluralis est numerus, non recte diceretur si homo ad unius personae imaginem fieret, sive Patris sive Filii sive Spiritus Sancti; sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est, *ad imaginem nostram*»¹³.

Ea imago est in mente, intellectione, amore: «Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus Trinitatem: nondum quidem Deum, sed iam imagi-

¹¹ Cf. L.A. KRUPA, O.F.M., *De homine secundum imaginem Dei* (Lublin 1948): de quo opere polonice scripto, cf. F. PAWLOWSKI, O.F.M.: Ant 24 (1949) 362-364; BOYER, *L'image de la Trinité synthèse de la pensée augustinienne*: Greg 27 (1946) 173-199, 333-352; TH. HUYBERS, O.S.C., *Het Beeld van God in de Ziel volgens Sint Augustinus 'De Trinitate'*: August 2 (1952) 88-107, 205-229.

¹² Ibid., 9,2-7: ML 42,961-967; H. SOMERS, S.I., *Image de Dieu et illumination divine*: AugMag 1 (1954) 451-462; SCIACCA, *Trinité et unité de l'esprit*: ibid., 521-533; J. HEIJKE, *God in het diepst van de Gedachte*: Bijdr 16 (1955) 357-377; cf. et G.B. LADNER, *St. Augustine's Conception of the Reformation of Man to the Image of God*: AugMag 867-878.

¹³ De Trinit. 12,6,6: ML 42,1,1001. Non obstante hac S. Augustini aliorumque Patrum eius loci (Gen 1,26s) interpretatione de imagine, non simpliciter Dei, sed Trinitatis, non constat ibi agi de imagine non simpliciter Dei, sed Trinitatis, quin tamen eo ipso negetur illo loco saltem vestigium mysterii Trinitatis inveniri: cf. HUMMELAUER, 106-110.

nem Dei»¹⁴. S. Ambrosius: Ea imago est in una anima ut memoria, intellectu, voluntate: «Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres dii sunt sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates; atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo»¹⁵.

S. Thomas: «Sic igitur dicendum est in homine esse imaginem Dei et quantum ad naturam divinam et quantum ad Trinitatem Personarum; nam et in ipso Deo in tribus Personis una existit natura» (1 q.93 a.5). «Cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem verbi a dicente, et amoris ab utroque..., in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi secundum intellectum et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatae per quamdam repraesentationem speciei» (1 q.93 a.6).

Ea est maxime secundum actus intellectionis et amoris: «Et ideo primo et principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus: prout scilicet ex notitia quam habemus, cogitando, interius verbum formamus, et ex hoc in amore prorumpimus» (ibid. a.7)¹⁶.

Ex istorum cognitione (ergo mediate et indirecte) devenitur in Deum: «Et sic imago (Dei) attenditur in anima, secundum quod fertur, vel nata est ferri in Deum. Fertur autem in aliquid mens dupliciter. Uno modo directe et immediate. Alio modo indirecte et mediate: sicut cum aliquis videndo imaginem hominis in speculo dicitur ferri in ipsum hominem. Et ideo Augustinus dicit... quod mens meminit sui, intelligit se, et diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem eum, sed iam imaginem Dei» (ibid. a.8)¹⁷.

¹⁴ Ibid., 14 c.8: ML 42,1044.

¹⁵ De dignit. condit. hum. c.2: ML 17,1016.

¹⁶ De fundamento eius imaginis in cognitione profundiore Dei, cf. I. HILLOP, O.P., *Man, the Image of the Trinity, according to St. Thomas*: DomSt 3 (1950) 1-9.

¹⁷ Cf. et S. BONAVENTURA, In 1 d.3 p.2 c.2s. A. DE VILLALMONTE, *Investigación de la Santísima Trinidad en el Libro de las Criaturas, según San Buenaventura*: EstFranc 53 (1952) 235-244.

LIBER IV

De hominis elevatione

675. Dictum est hucusque de hominis creatione ac de eius natura. Cum vero Deus hominem creans ipsum gratis ornarit donis, quae eius naturam sive supernaturaliter sive praeternaturaliter elevarint, nunc venit agendum de ea conditione gratuita in qua de facto homo initio suae existentiae constitutus est.

Quoniam elevatio naturae supponit huic aliquid superaddi, id merito et apte *supernaturale* vocatur. Hinc ergo, ut illa elevatio rite intelligatur, ea prima quaestio menti solvenda occurrit, quid notione *supernaturale* significetur. Item, cum ea elevatio multiplex esse queat, praecipui status possibiles considerandi ac inter se et cum ipsa natura humana qua tali comparandi erunt, ut melius cognoscatur is qui pro homine a Deo hunc creante et elevante de facto electus fuit. Tandem, is postremus iam diligentius perspicendus est, quatenus de miris quibus ille constabat donis quaeratur et ulterius eorundem supernaturalitas investigetur. De his ergo singillatim et ordine indicato dicendum est.

CAPUT I

De ente supernaturali

ARTICULUS I

DE NOTIONE ENTIS SUPERNATURALIS

CL.SCHRADER, *De triplici ordine, naturali, supernaturali et praeternaturali*² (Parisiis 1878); MICHEL, *Supernaturel*: DTC 14,2849-2859; I.VAN DER MEERSCH, *De notione entis supernaturalis*: EphThLov 7 (1930) 227-263; BAINVEL, *L'idée du naturel. Histoire et théologie*: Et 89 (1901) 193-221; BERAZA, *De Deo Elevante* n.6-114; PALMIERI, *De ordine supernaturali* th.1-6; CALA-ULLOA, G., O.P., *E possibile una elevazione al soprannaturale non gratuita?*: Sap 5 (1952) 36-39.

676. Nexus. Cum *supernaturale* multiplici notione adhiberi possit et etiam falsa non raro adhibitum sit, oportet ut eam sensu hic praefereendo explicemus. At cum illud sumatur et *absolute* seu secundum perfectionem entis super-

naturalis propriam et *relative* seu per habitudinem eius ad naturam, hic agitur primo et quidem maxime de *supernaturali relative* sumpto, ita vero ut pauca etiam de eo *absolute* sumpto inferius addenda sint.

677. SUPERNATURALE, seu id quod est *supra naturale*, praesupponit huius notionem; *naturale* vero, seu id quod ad naturam refertur, praesupponit notionem naturae. Quid ergo est *natura*, et inde quid est *naturale*? Quo posito, quid est *supernaturale*? En nostra quaestio et eius processus.

678. NATURA. VOX «natura», a voce «nascor», indicat: a) *originarie*, nativitatem; b) *ulterius derivative*, sive principium generationis, sive etiam huius terminum seu id quod generatione transmittitur; c) *statice*, essentiam cuiusvis substantiae, vel etiam accidentis sive naturalis sive supernaturalis; d) *dynamicice*, essentiam rei, prout est principium radicale actionum et passionum, quae ei conveniunt per se; e) *concrete (statice-dynamicice)*, substantiam creatam (vel creabilem) secundum eius et esse et agere et pati in ordine ad aliquem finem ultimum ipsi proportionatum.

Hoc postremo sensu, qui *solus* ex praedictis nostra hic interest, sumpta, *natura* potest esse: a) *Singularis* seu una substantia. b) *Complexiva*, multiplici modo ad libitum determinando, v.gr. omnes substantiae eiusdem speciei, vel omnes speciei diversae numero limitatae, vel omnes creatae, vel omnes creatae et creabiles, etc. c) *Complexiva cosmica* seu ille complexus substantiarum sensibilium existentium certis legibus mutui influxus coordinatarum, in quo singulae substantiae creatae sunt secundum suum et esse et agere et pati in ordine ad aliquem ultimum finem singulis affixum et proportionatum. Eo complexu includuntur, praeter omnes res inferiores, et homo ac proin etiam eius anima, et angeli prout influxum in entia sensibilia secundum vires suas naturales exercere possunt et ipse Deus ut causa efficienter providens per conservationem, concursum, gubernationem, exemplaris, finalis. Hic sensus *complexivo-cosmicus* maxime respici solet in voce «natura», ita ut *ordo naturae* vel *naturalis* dicatur id omne quod intra naturae cosmicae ambitum illo triplici modo dicto continetur¹.

Nos vero hic in ordine ad *supernaturale* sumimus naturam sensu amplissimo, prout ea est *concrete* finita substantia secun-

¹ De multiplici sensu vocis «natura», cf. AE.FORCELLINI, *Totius latinitatis lexikon* (Praetii 1868): «Natura». Item cf. E.STEPHANUS, *Thesaurus linguae graecae* (Parisiis): vox φύσις quae saltem philosophice et theologice sensu fere parallelo voci «natura» adhibetur. R.PALDA, *De ente supernaturali* l.1 d.1 s.1. J.A.WEISHEIPL, O.P., *The concept of Nature*: NewSchol 17 (1954) 377-408.

dum esse vel agere vel pati in ordine ad aliquem finem sibi proportionatum, ita ut quoad eius extensionem singulis casibus contextu determinandam possit esse *singularis* vel plus minus *complexiva* quoad numerum aut diversas species aut sive solum existentes sive et dein existuras sive etiam mere possibles.

A libero Dei arbitrio pendet existentia cuiuslibet naturae finitae v.gr. hominis, at non ut ea his vel aliis notis constituatur in sua essentia et proin ut habeat has vel illas specificas capacitates et quidem ad hunc vel alium finem. Si existit homo, constat necessario ex anima rationali et corpore per se corruptibili, habet determinatas potentias activas vel passivas, ordinatur ad finem aliquem suae naturae proportionatum. Sic inspectus est immutabilis^{1*}. Ceterum hic consideratur natura prout ea de facto nobis apparet.

679. NATURALE ergo est id quod pertinet ad naturam, at non quolibet modo, cum id sit nimis indeterminatum et etiam dono supernaturali congrueret², sed:

1) *Secundum esse*, seu id sine quo natura nequiret simpliciter, vel saltem convenienter subsistere, ut essent partes substantiales vel integrantes aut accidentia v.gr. in homine anima, oculi, quantitas extensa.

2) *Secundum agere*, seu *potentiae activae* sensitivae vel spirituales, et earum sive *activitates* sive *effectus* v.gr. in homine intellectus, eius actio, cognitio obtenta.

3) *Secundum pati*, seu *potentiae passivae* sensitivae vel spirituales, sive physicae sive morales et earum *impletio*, relate ad id omne quod, licet forte ab extrinseco eveniens, est necessarium vel conveniens vel saltem utile, ne ipsa et aliae substantiae ac earum potentiae activae et passivae dispareant vel sint frustra, qualia sunt v.gr. finis proportionatus, media ad hunc, providentia Dei ordinaria per conservationem et concursum ac gubernationem, obiecta activitatis potentialium, aliarum causarum influxus sine quo agi nequiret, id omne quod ex aliis substantiis per suas vires operantibus accipi potest.

Naturale ceterum, formula illa classica rem paulo aliter exprimente, est id quod ad naturam pertinet *vel constitutive*, seu ut pars essentialis, *vel consecutive*, seu ut ab essentia procedens, ut sunt potentiae physicae vel morales tam activae in ordine ad obiectum eis congruum quam passivae in ordine ad agens eis proportionatum, et earum actio, *vel exigitive*, seu ut ab essentia postulatum, ne ea et suae potentiae vel harum aliqua sint frustra³.

^{1*} Cf. R.GARRIGOU-LAGRANGE, O.P., *De evolutionismo et de distinctione inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem*: EvolFT 230s.

² Sic vox «naturale» conveniret iustitiae originali, si sumeretur v.gr. pro originali vel pro convenienti naturae, vel pro non personali (respectu Adae). Cf. BERAZA, n.9 nota; DE BROGLIE, *De fine ultimo humanae vitae* (Paris 1948) p.129s.

³ *Naturale hoc pluribus aliis modis exprimi potest*. Sic v.gr. negative: *Id quod non est supra naturam*. Vel: *Id quod non est super vires et exigentias (a fortiori super esse) naturae*.

Cum vero *exigentia naturae* connotet *debitum* et aliunde ea in genere praedicari possit *latissime* de iis quae constitutive, *late* de iis quae consecutive, *stricte* de iis quae exigitive pertinent ad naturam, *naturale* etiam definitur ut id quod est *naturae debitum*.

680. Ea *exigentia* dicit ordinem ad *debitorem* Deum, quin vero sit *iuridica*, quasi Deus ea fere *ex iustitia* obligetur, sed *ontologica*, seu appellans alia attributa divina, quatenus Deus sibi debet id implere quod sua sapientia et sua voluntas statuit⁴.

Exigentia naturae vero connotat appetitum obiecti diversum, prout hoc ut necessarium vel ut valde conveniens natura *postuletur*, aut mere prout ad illud in hac sit *positiva ordinatio*, ut in potentia passiva actuabili per vires ordinis naturalis. Ea *positiva ordinatio* cuilibet substantiae esse censetur relate ad omnes effectus, quos in ea per vires ad ordinem naturae pertinentes produci possunt; non vero ad ea ad quae substantia habet capacitatem, at actuabilem solum per vires agentis natura superioris i.e. *potentiam obedientialem*⁵.

Ea omnia quae vel sunt in *eodem genere perfectionis*, at in ea specierum et individuorum varietate quae exigentias naturae superat (v.gr. multiplex cibus), vel quae in diversis individuis aut sunt in eadem perfectione at *intensive varia* (v.gr. ingenium) aut *necessario divisa*, etsi natura in sua totalitate exigantur (v.gr. congrua omnium scientiarum scientia) iure dicuntur *naturalia*. Ceterum ea sunt *intra ordinem naturae*.

Naturale est tale: a) *intrinsece*, si ipsa rei *entitas* est naturalis; b) *extrinsece* vero, si talis est etiam *modus* eam obtinendi. At id quod vires naturae simpliciter superat, sed ipsa natura exigitur, iure habetur ut *naturale* v.gr. creatio animae humanae in generatione; maxime si illud, ut in hoc casu, est entitative *naturale*. Immo derivative id dicitur non superare vires naturae, quatenus haec, ut est in animae creatione, disponit subiectum quod illam creationem exigit et per se infallibiliter obtineat.

Item *naturale* est tale: a) *simpliciter*, si est intra ordinem naturae complexive sumptae pro omnibus substantiis etiam creabilibus, b) *secundum quid*, si est intra ordinem naturae restrictae v.gr. angelicae, non vero humanae.

681. SUPERNATURALE⁶, relictis aliis vocis sensibus, est *perfectio accidentalis quae*, iuxta varias eius in idem recidentis definitiones: *Nec secundum esse, nec saltem secundum age-*

Positive: *Illud dicitur esse naturale rei, quod convenit ei secundum suam substantiam, et hoc est quod per se inest rei* (1.2 q.10 a.1).

⁴ S.Th., I q.21 a.1 ad 3; a.4; 1.2 q.111 a.1 ad 2.

⁵ De ea inferius pauca dicuntur.

⁶ Hoc verbum, quod primo SCOTO ERIGENAE eo saepe utenti tribuebatur (A.DENEFF, S.L., *Geschichte des Wortes «supernaturalis»: ZkathTh 46 [1922] 337-360*) eodem s.9 adhibitum erat prius ab HILDUINO (cf. G.THERY, O.P., *Etudes Dionysiennes* I [Paris 1932] p.138 nota 1; 2. *Hilduin Traducteur de Denys. Edition de sa traduction* [Paris 1937] p.486-488). In documenta Ecclesiae primo illud inducit a.1567 PRUS V (D 1021 1023). Cf. DENEFF, *Ein Enchiridion terminorum pro theologia: Schol 20-24 (1949) 380-389*. Conceptum vero *supernaturalis* aliis formulis expressum ab initio non defuisse, per se patet; cf. DENEFF, *Geschichte... 338-341*; J.MARTÍNEZ, S.L., *Notas sobre unas notas para la historia de la palabra «sobrenatural»: ArchTG 1 (1938) 58ss*; K.RAHNER, S.L., *De termino aliquo in theologia Clementis Alexandrini, qui aequivalet nostro conceptui entis «supernaturalis»: Greg 18 (1937) 426-431*. Notionem *supernaturalis* suo modo exponit B.M.XIBERTA, O.Carm., *De ratione entis supernaturalis: Carm 4 (1957) 7-19*.

*re vel pati pertinet ad naturam*⁷. Vel: *nec constitutive, nec saltem consecutive vel exigitive pertinet ad naturam*. Vel: *est naturae positive indebita*. Vel consequenter: *est naturae positive gratuita*⁸. Vel: *est supra esse aut saltem supra vires et exigentias naturae*.

De ratione supernaturalis est ut sit, non mere consecutive, sed et *exigitive* supernaturalis, ut patet ex propositionibus Bai damnatis (D 1021 1026)⁹.

682. *Divisiones supernaturalis*, independentes inter se seu quin una alterius sit subdivisio.

1) *Supernaturale ratione excellentiae obiecti*. Per se, primum *supernaturale* est Deus in se ipso, utpote ens a se et transcendens sua omniperfectione omne ens ab alio, cui opponitur ut infinitum finito, ita ut sic recte dicatur *supersubstantiale*^{9*}; sed eo sensu non dicitur ens *supernaturale*, cum haec vox ex se dicat comparationem ad creaturam respectu cuius aliquid ita vocatur. Sub hac vero connotatione comparativa eius termini, Deus non est simpliciter ac positive sed solum negative ens *supernaturale* ut creans ordinem naturae ad sui exemplaritatem et ei sua providentia relate ad se ut eius finem ultimum proportionem consulens per conservationem, concursum, gubernationem, cum eo sensu potius dicendus sit ad ordinem naturae cosmicae pertinere. Tamen aliter potest iure distingui *supernaturale*: a) *Increatum* seu ipse Deus prout se dat substantia-liter creaturae praesentia immensitatem eius superante v. gr. per unionem hypostaticam, visionem beatificam, inhabitationem sanctificantem. b) *Creatum* vel late seu etiam quidquid est praeternaturale vel potius stricte seu quidquid naturam superat per suam connexionem immediatam cum *supernaturali* increato.

⁷ Omne *supernaturale* est *accidens*; ipsa unio hypostatica est *substantialis*, ad non substantia ab humanitate et Verbo distincta. Ceterum non unus idemque sensus voci *supernaturale* semper fuit: cf. DE LUBAC, *Supernaturel...* 369-428. De usu eius vocis apud S. Thomam cf. R.W.MEAGHER, *Nature and Supernature*; ClerRev N.S.29 (1948) 12-18.

⁸ Dicitur *indebita positive*, utpote *indebita* subiecto iam *existenti*, dum bona *naturalia*, utpote fundata in creatione ante quam nihil erat ea exigens, dicuntur mere *negative indebita*, quae subiecto post creationem *existenti* sunt *positive debita* (PALMIERI, th.3 n.2). Pariter haec dicuntur mere *negative gratuita* ita ut *supernaturalia* dicantur *gratuita* per antonomasiam (*In* 2 d.28 q.1 a.1; *De ver.* q.17 a.6 ad 3; *Comp. theol.* c.144, etc.). At cum nec bona *naturalia* sint stricte *debita*, sunt etiam simpliciter *gratuita*: quaerenti vero quo sensu *supernaturale* dicatur *specialiter gratuitum*, respondet DE BROGLIE, *ibid.*, p.154-157. Hinc etiam patet, *supernaturale* non recte definiri ut id quod Deus ex iustitia (vel quasi ex iustitia) non tenetur dare.

⁹ Dona iustitiae esse consecutive *supernaturalia*, ad exigitive *naturalia*, dixerunt ceteros *baiani*, iuxta RIPALDA, qui optime eos refutat (*Adversum Baium et baianos* l.1 d.5 s.7 n.63, 72-76).

^{9*} Ps.DIONYSIUS, *De div. nom.* 2 n.3; MG 3,640. MICHEL, *Supernaturel*: DTC 14,2852, vocat Deum ens *supernaturale per essentiam* (maxime in ipsius vita intima unitrinitaria sive communicatione hypostatica vel accidentaliter ad naturam) in oppositione ad *supernaturale per participationem* seu *creatum*.

2) *Supernaturale, ratione modi supernaturalitatem habendi*, est tale: a) *Intrinsece* (*entitative, quidditative, quoad substantiam*), si sua *physica entitate* naturam superat, ut visio beata. b) *Extrinsece* (*quoad modum*), si non sua entitate, sed *modo* quo producitur naturam superat, ut miraculosa sanatio.

3) *Supernaturale, ratione gradus in supernaturalitate*, est tale: a) *Simpliciter*, si naturam complexive sumptam pro omnibus substantiis creatis et etiam creabilibus superat vel *entitative*, ut gratia sanctificans, vel *extrinsece*. b) *Secundum quid*, si unam alteramve naturam sed non omnem, etiam creabilem, superat vel *intrinsece* seu sua entitate, ut immortalitas Aadae, vel *extrinsece* seu modo quo fit, ut sanatio miraculosa.

683. *Definitio supernaturalis* convenit plene *supernaturali intrinsece simpliciter*, seu est id quod nec secundum esse nec secundum agere nec secundum pati pertinet ad naturam; vel quod et constitutive et consecutive et exigitive naturam superat.

Istud *elevat* naturam ad altiorem ordinem finis et operationis. Ceterum ita superat etiam vires *cognoscitivas* naturae, ut non modo *essentia eius naturaliter*, etiam post revelatam eius existentiam, sed nec eius *possibilitas*, sine revelatione, saltem certo et infallibiliter, cognosci queat¹⁰.

Si iam ulterius *supernaturale* cum natura conferatur hae determinationes efferrentur:

1) *Supernaturale* excludit in natura: a) *Potentiam activam* qua haec suis viribus (concursu ordinario Dei) illud sive comparet vel etiam illud producat. b) *Potentiam passivam* quae importet aliqualem veram exigentiam proximam vel remotam ordinis moralis aut strictam seu ius strictum v.gr. ad hereditatem in filio (quod sine iniuria non violaretur) aut latam seu ius non strictum v.gr. in peritiore ad munera altiora (quod sine recta ratione violaretur); a fortiori si ferat quamlibet exigentiam ordinis physici, seu indigentiam quae veram necessitatem pariat, quatenus natura sine *supernaturali* vel non sibi sufficeret ut congruenter esset aut ageret vel saltem se non bene haberet ad suum finem.

c) *Ordinationem naturae* ad illud vel quatenus haec seipsam moveret quolibet modo efficaci ad illud: vel ut potentiae ad actum (seu materiae ad formam) cum quo unum novum ens per se compositum constituat: vel ut potentiae ad actum sine quo non esset plene constituta v.gr. ut semen tritici in ordine ad spicam aut sine quo saltem in aliqua linea non esset completa, ut v.gr. medicus ad scientiam astronomicam: vel ut potentiae magis magisque actu complendae ut v.gr. in sapiente ad maiorem sapientiam. Sane dum in natura putatur esse stricta proportio *potentiae* ad congruum *actum*,

¹⁰ Possibilitatem ordinis *supernaturalis* ex sola ratione probabiliter demonstrari putarunt plures auctores, quos refert G.DE BROGLIE, S.I., qui nostris diebus rem fere e pulvere excitavit et fortiter defendit: *De la place du surnaturel dans la philosophie de saint Thomas*: RechScRel 14 (1924) 193-240.481-496; 15 (1925) 5-53; Id., *De ultimo fine humanae vitae asserta quaedam*: Greg 9 (1928) 628-630; Id., *Le mystère de notre élévation surnaturelle*: NouvRevTh 65 (1938) 1153-1176; Id., *De fine ultimo humanae vitae* 192-200. Item J.ALFA-RO, S.I., *Transcendencia e inmanencia de lo sobrenatural*: Greg 38 (1957) 15-50.

qui censetur eam in sua linea complere, supernaturale eam non complet quasi ea non esset plene perfecta, sed eam elevat¹¹.

2) Supernaturale vero non excludit in natura potentiam *obedientialem* seu *realem capacitatem* naturae ad supernaturale: a) *Passivam* seu *possibilitatem* positivam ex non repugnantia notarum. b) *Positivam congruentiam* notarum seu *aptitudinem* positivam v.gr. in intellectu humano ad videndum Deum. c) Imo positivam *convenientiam*, quatenus natura vere perficatur v.gr. visione Dei. d) Etiam *appetitum* non solum post supernaturalis cognitionem, nec solum quatenus natura ex experientia suae indigentiae ac insufficientiae ad officia legis naturalis recte vel cognoscenda vel et implenda facile cogitare posset de aliquo ordine transcendentis, sed quatenus in ea est quaedam affinitas ontologica ad supernaturale sine quo ea non esset definitive perfecta et quae, modo excludatur quaelibet exigentia, forte vocari possit appetitus innatus, imo vera indigentia illius perfectionis supremae at quae non includat eius necessitatem.

e) Imo *potentiam activam* saltem remotam, seu qua natura elevata per gratiam possit uno vel alio modo aliquid agere ad supernaturale vel obtinendum v.gr. iustificationem vel efficiendum v.gr. actus salutare. Imo iuxta plures TT. potentiam proximam seu qua natura suis propriis viribus, posito tamen concursu supernaturali Dei, aliquid confert ad actus supernaturales efficiendos¹².

Ut ergo iam ex dictis patet, supernaturale nec destruit naturam, ut novum aliud esse singulare ei substituat, nec eam excludit quasi independentem ab ea se evolvat, sed ita potius eius dispositionibus utique nullo modo exigentibus convenit, ut ea elevatio naturae appareat tamquam valde rationalis et perfectam inducens harmoniam inter eum statum hominis supernaturalem et constitutionem naturalem subiecti, quatenus supernaturale perficit istud in eius esse accidentali et cum eo unum novum ens mysticum ac fontem altioris vitae constituit, imo posset dici per unionem supernaturalem naturae cum Deo quidditative sumpto existere homo ut nova quaedam persona supernaturalis¹³.

Id vero notetur, eas determinationes supernaturalis quoad naturam esse omnino independentes ab opinione existentialis supernaturalis, qua dicitur Deus ita vocasse hominem ad salutem per intrinsecam actionem supernaturalem eius naturae ut sic ordinatae ad finem visionis beatificae, ut ea natura non ex se sed certe prout nunc concrete constituta existit efficaciter et absolute exigat supernaturale¹⁴.

¹¹ Cf. BILLOT, *De virtutibus infusus* (Romae 1928) proleg. 2 § 2 p.26. Ideo minus placet modus quo loquitur A.VERRIELLE de supernaturali ut de *complemento perfectionis* et ad quod sit in natura *velut positiva ordinatio* (o.c., 358.50 et cetera).

¹² PIUS XI (D 2206): «... Supernaturalis ordo... tantum abest, ut naturalem ordinem destruat atque extenuet, ut, contra, eundem extollat ac perficiat: quorum quidem ordinem alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum...» Notetur illud «*quasi* (complementum)». Item PIUS X (D 2103) queritur quod quidam catholici «adeo incaute faciunt, ut in natura humana non *capacitatem* solum et *convenientiam* videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunitis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis *exigentiam*»: A.MICHEL, *Nature et surnaturel*: AmCl 67 (1957) 435-440; J.ALFARO, S.I., *Transcendencia e immanencia de lo sobrenatural*: Greg 38 (1957) 15-50; RIPALDA, *De ente supernaturali* disp.29-30 s.1-2.

¹³ VAN DER MEERSCH, 233s. Cf. BILLOT, *l.c.*, § 3 p.44; S.TH., l.2 q.51 a.1. Iis locis aliqua sunt de relatione non indifferenti bonitatis naturae ad ordinem supernaturalem. Cf. XIBERTA, *l.c.*, 35-49; M.J.DONNELLY, S.I., *The Supernatural Person*: IrishThQuart 30 (1963) 340-347.

¹⁴ E.BRISBOIS, S.I., *Le désir de voir Dieu et la métaphysique du vouloir selon saint Thomas*: NouvRevTh 63 (1936) 1103-1105; RAHNER, *Über das Verhältnis von Natur und Gnade*: Schr.zur Theol. 1 (1954) 323-347; L.MALEVEZ, S.I., *La gratuité du surnaturel*: NouvRevTh 75 (1953) 561-586; 673-689. Cf. tamen J.ENDRES, C.SS.R., *Menschliche Natur und übernatürliche Ordnung*: FreibZPhTh 4 (1957) 3-18; B.DE ARMELLADA, O.F.M.Cap., *Una solución existencial al problema del sobrenatural*: EstFranc 62 (1961) 17-35.

684. *Supernaturale intrinsece secundum quid non elevat proprie naturam seu ad ordinem altiozem, sed improprie quatenus est ei indebitum. Est ergo positum quadantenus in linea naturae et cuius in hac sit aliqualis inchoatio, ita ut dicatur naturam perficere in ordine suo seu in ordine ad finem et operationes intrinsece naturales; sic immortalitas et integritas dabant Adae naturaliter potenti aliquamdiu vivere et concupiscentiam imperfecte coercere, ut semper vivere et perfecte concupiscentiam refrenare posset.*

At illud supernaturale est *formaliter indebitum* naturae, cui affert «*perfectionem specie diversam*», nam «*immortalis vita in ratione boni specie differt a vita mortali*»¹⁵. At vero est ei *indebitum*, non constitutive seu supra ipsam essentiam naturae, sed consecutive quatenus natura suis viribus nequit illud assequi et exigitive quatenus eo non eget ut in sua linea perfectionis sit completa. Nihil vero impedit quin ea ad perfectionem dono praeternaturali collatam quantum fieri possit obtinendam totis suis viribus contendat.

Istud supernaturale iure dicitur *praeternaturale*. At in hac re diversus modus loquendi auctorum antiquorum et recentiorum maxime attendendus est¹⁶.

Supernaturale et gratuitum. Iuxta notiones supra expositas, supernaturale est simpliciter gratuitum et indebitum, quatenus omnimodo aspectu constitutivo, consecutivo, exigitivo superat naturam. Etiam praeternaturale est gratuitum et indebitum aspectu consecutivo et exigitivo, non vero constitutivo, cum perfectio eo collata *proprie* non elevet naturam ad altioris ordinem. Sed etiam dona naturalia sunt gratuita et indebita quatenus ex pura benevolentia dantur, dum tamen naturae iam creatae debentur constitutive, consecutive, exigitive. Ergo gratuitum et indebitum etsi modo generico valeat pariter de donis supernaturalibus, de praeternaturalibus et de naturalibus, quatenus omnia illa dona semper dantur radicibus ex pura benevolentia Dei, tamen respectu alicuius subiecti iam creati eae voces habent sensum illum diversum antea indicatum, quia supernaturale est etiam supra essentiam subiecti, praeternaturale solum supra vires ac exigentias eius, naturale nullo modo est supra illud; ergo hoc dicitur gratuitum et indebitum solum quatenus ex pura benevolentia constituitur subiectum, cui iam constituto debetur, dum illa dicuntur gratuita et indebita quatenus etiam subiecto constituto dantur ex pura benevolentia.

685. *Corollarium. De falsa notione supernaturalis. Supernaturale non est idem ac: a) Suprasensibile, cum et anima humana sit talis. b) Divinum, infinitum, cum secus nihil extra Deum esset supernaturale. c) Religiosum, cum queant dari actus naturales religionis. d) Morale et liberum, cum id per se non sit supra naturam¹⁷.*

¹⁵ PALMIERI, th.4 n.2.

¹⁶ SUÁREZ (*De opere sex dierum* l.3 c.12 n.23) vocat naturale id quod, etsi homini indebitum, eum perficit in ordine suo; quod nos vocamus *praeternaturale*. Cf. et BELLARMINO, *l.c.*, c.5. Ex recentioribus aliter loquitur v.gr. BOYER, *De Deo Creante*... 226-228.

¹⁷ Cf. LERCHER, n.599. De supernaturali iuxta rationalistas et hodiernos philosophos acatholicos, cf. A.MATIGNON, S.I., *La question du surnaturel* (Paris 1861) part.1 c.1.6; DE LUBAC, *Surnaturel*, 416-418.

686. Scholion. De supernaturali absolute inspecto. Hucusque egimus de supernaturali relative sumpto, illud nempe describentes ut perfectionem quae naturam excedat¹⁸. Si vero illud absolute inspicitur secundum perfectionem eius in se ipsa, quis est eius character proprius et ratione cuius absolute seu constitutive, consecutive, exigitive naturam superat et quidem simpliciter seu omnem naturam existentem, existituram, etiam mere possibilem? Quae est ergo ontologica ratio entis supernaturalis et in quo differt a natura respectu cuius dicitur supernaturalis? Cum multiplex sit supernaturalis et proin singula consideranda essent, nos in specie illud quaerimus quod in hac re sit velut princeps analogatum sc. *supernaturale simpliciter intrinsece*. De hac re saepe egerunt TT. posttridentini, maxime post controversiam baianam, usque ad nostros dies, ut notionem supernaturalis penitus indagarent. Fuerunt qui normam ponerent ut in dono ab omnibus agnito ut supernaturali, in gratia sanctificante, unde proprius donorum supernaturalium conceptus est connexio quidditativa cum gratia sanctificante, physica, intentionalis, immediata aut mediata, antecedens aut consequens. Sed ea norma facile ab omnibus reicitur ut quae tandem maneat in ordine creaturae ac proin non indicet quem titulum haec habeat ut respectu aliarum creaturarum vocetur supernaturalis. Ideo alii confugiunt ad consortium divinae naturae ut in se est seu in analogica participatione perfectionum proprie divinarum, ut est sanctitas vel natura divina ut visionis intuitivae Dei principium, etc. Sed cum perfectiones propriae divinae ut tales nequeant communicari, illae etiam participationes tandem sunt creaturae, et proin iterum surgit quaestio de iure quo eae dicantur supernaturales respectu omnium creatorum.

Ideo alii TT. recurrunt ad coniunctionem naturae cum ipso Deo quidditative sumpto, seu prout est in se, non ut similitudine est in creaturis, quocumque modo ea unio explicetur. Et sane si ens supernaturale est supra omnem naturam creatam ac etiam creabilem constitutum, pertinet ad ordinem divinum, in quo iam non est nisi ipse Deus quidditative sumptus seu prout est in se. Notetur vero eam unionem non sumi ut quid mere creatum v.gr. visionem vel gratiam seu quid creatum nos Deo uniens, sed ut ea exprimit complexive ipsam specialem praesentiam Dei in natura et dona quae ea in hac vel supponit vel producit. Unde supernaturale non concipitur sine ipso Deo ut est in se unito naturae. Ulterius vero dicuntur supernaturalia, praeter illam unionem, omnia dona quae intrinsece cum ea connectuntur vel antecedenter vel consequenter.

De facto entia simpliciter intrinsece supernaturalia nobis nota et ab omnibus agnita ut talia ex revelatione sunt vel unio hypostatica, quae est unio substantialis Verbi et naturae humanae hanc substantialiter sanctificans vel visio beatifica, qua beatus accidentaliter coniungitur cum ipso Deo et sic ut particeps ipsius Dei accidentaliter deficiatur, vel gratia sanctificans, quae cum Deo physice inhabitante in anima hanc accidentaliter coniungit, vel aliquid ad aliquam earum unionem intrinsece spectans et quod proin censetur esse eiusdem intrinsecae perfectionis: Ad unionem enim hypostaticam refertur divina maternitas Mariae; ad visionem referuntur lumen gloriae et caritas consummata; ad gratiam sanctificantem referuntur virtutes infusae, quae gratiam ut potentiae ex ea dimanantes consequuntur, gratia actualis ut principium actuum salutarium ad illam gratiam vel habendam vel augendam disponentes, Ecclesia habens et sacrificium missae ut collationis eius gratiae meritum et sacramenta ut proxima eiusdem gratiae principia instrumentalia.

¹⁸ Definitio tamen supernaturalis relative sumpti, ut per se patet, non est mere negativa, quasi mere delectare, quid non sit supernaturale, ut dixit A.MERCIER (*Le surnaturel*: RevThom [1902] 127).

Iam vero ea est ratio unioni hypostaticae, visioni beatificae, gratiae sanctificantis communis, et quidem tota earum ratio, ut naturam cum Deo quidditative sumpto coniungat vel substantialiter, ut illa prima, vel accidentaliter, ut haec duae postremae. Ergo etiam ea est ratio communis iis omnibus quae intrinsece ad illas tres uniones respective pertinent, qualia sunt ea omnia enumerata, ut ad unionem cum eo quidditative sumpto intrinsece ordinatur. Ergo *supernaturale simpliciter intrinsece* iure dicitur esse unionem cum Deo quidditative sumpto et id quod ad eam unionem intrinsece ordinatur¹⁹.

687. Etsi his videatur quaestio iam esse substantialiter soluta, adhuc manet res de genere causae qua Deus uniri creaturae censetur. Vix videtur solvi recte quaestio nisi dicatur Deus uniri naturae non mere ut causa efficiens, cum sic non differret essentialiter ab unione qua ut immensus uniri omni creaturae, nec ut formalis, cum Deus nequeat quidquam recipere a creatura vel in ea recipi ut actus in potentia cum qua efficiat unum ens physicum per se vel ab ea limitari, sed certe *quasiformalis*, quatenus exercet eam causalitatem quae subiectum ab intrinseco actu et in eo determinat perfectionem qua deficitur per consortium divinae naturae ut talis. De facto per eam causalitatem explicatur unio Verbi cum humanitate, Dei Trini cum beato et nunc a multis unio Spiritus S. cum anima iusti viatoris.

N.B. *Substantia supernaturalis*. Communiter TT.²⁰ negant contra Ripalda posse dari aliquam substantiam in possibilibus per omnipotentiam Dei, cui connaturalis esset gratia sanctificans et alia dona supernaturalia ei annexa, quae proinde ab illa vere exigenterent. Sed difficile ea negatio probatur, si supernaturale ponatur mere in aliqua perfectione creata et consequenter finita, nec potius recurratur ad ipsam unionem naturae cum Deo quidditative sumpto, quae unio certe ex se apparet ut prorsus indubitata cuilibet creaturae etiam ex possibilibus utpote connotans specialem praesentiam substantialem ipsius Dei.

ARTICULUS II

DE STATIBUS NATURAE HUMANAE

SUÁREZ, *De gratia* proleg.4 c.1-6; GONET, *Glypeus theologiae thomisticae* tr.8; SALMANTINENSES, *De gratia* d.1 c.2 n.23-60; BERAZA, n.248-259; J.E.MASSON, O.P., *Nature (Etats de)*: DTC 11,36-44; J.KIRSCHKAMP, *Stand der Natur und der Uebernatur*: KL 11,712-715; MICHEL, *Justice originelle*: DTC 8,2020-2042; CALA ULLOA, l.c., 33-36.39-42.

688. *Supernaturale* in praemissis definitum potest esse multiplex, ut patet, ac proin vario modo sive actu sive habitu naturae humanae advenire, quae ergo in diversa conditione sit pro diversa ratione qua illo afficiatur. Unde oportet *diversas hypotheses considerare*, quibus ea naturae elevatio et quidem ut *habitualis* haberi concipitur, atque illas inter se et cum ipsa natura conferre, ut conditio *realis* de qua per se hic agitur, seu in qua homo de facto conditus est, melius cognoscatur.

¹⁹ Cf. BERAZA, n.64-83; RIPALDA, o.c., disp.4; XIBERTA, l.c., 20-35.

²⁰ M.DE LA TAILLE, S.I., *Actuation crée par acte incréé*: RechScRel 18 (1928) 253-268; K.RAHNER, S.I., *Zur scholastischen Unbegreiflichkeit der ungeschaffenen Gnade*: Schr.zur Theol. 1 (Einsiedeln 1954) 347-375: cf. SAGUÉS, SThS 3, tr.3 n.212 nota 32.

689. Cum *status* quamdam *stabilitatem* indicet v.gr. *status* religiosus vel matrimonialis (2.2 q.183 a.1) et cum natura hic totum genus humanum designet, *status naturae* sumitur a nobis nunc ut *conditio permanens qua genus humanum se habet, secundum legem divinae providentiae, respectu finis ultimi et mediorum ad eum obtinendum*¹. Connotat ergo et legem Dei hominem ad finem ultimum dirigentis, et complexum omnium quibus homo relate ad illum finem assequendum vel iuatur vel impeditur.

Cum vero statim menti occurrant *status termini*, seu beatorum vel damnatorum², et *status viae*, seu peregrinantium in patriam, quorum primo maxime ratio status ob aeternam eius immobilitatem convenit, hic de *statu viae* solum agitur. In quo iterum multi status concipi queunt, alii mere *possibiles*, seu in quibus utpote non repugnantibus homo esse potuit, sed numquam de facto fuit, ut *status naturae purae*, naturae integrae, naturae elevatae, et alii *reales*, seu in quibus homo de facto *vel fuit aliquando vel nunc est*, ut *status iustitiae originalis*, naturae lapsae, naturae lapsae-reparatae. De his singulis pauca dicemus, omissis aliis multis statibus qui excogitari possent.

690. 1) *Possibiles*. *Status naturae purae* est ille in quo natura *positive* sumpta, haberet omnia quae consecutive, constitutive, exigitive ad naturam spectant; *negative* sumpta, *careret* donis supernaturalibus ac praeternaturalibus, et peccato originali, quod est extranaturale.

Status naturae integrae, seu integras vires habentis in ordine ad ultimum suum naturalem finem, adderet praecedenti perfectam concupiscentiae subiectionem, vel etiam omnia quae ad perfectam rectitudinem naturae in ordine naturali requiruntur, ut esset quaevis immunitas ab inclinatione, etiam mentis, ad peccatum. Ceterum utraque immunitas et a concupiscentia sensitiva et a concupiscentia spirituali difficile concipitur esse nisi per modum unius.

Status naturae elevatae esset ille in quo natura destinaretur ad finem supernaturalem, fruens mediis ad eum obtinendum necessariis, at careret et donis praeternaturalibus et peccato originali.

691. 2) *Reales*. *Status iustitiae originalis* est ille in quo natura ante peccatum Adae destinata est ad finem superna-

¹ SUÁREZ, l.c., c.1 n.1.

² *Status damnationis*, ut patet, non per se, sed solum per accidens, seu ob peccata hominum absolute praevia, a Deo intentus est.

turalem, fruens ad eum donis quibusdam supernaturalibus, et simul ornata erat donis quibusdam praeternaturalibus, ut mox dicitur.

Status naturae lapsae est ille in quo natura ob peccatum Adae contraxit peccatum originale (quod facile alia personalia consequuntur), *privata* est donis supernaturalibus ac praeternaturalibus iustitiae originalis, manente natura forte vel intrinsece vel saltem extrinsece laesa. Num vero iste status ut *realis* habendus sit, pendet a modo quo status naturae lapsae-reparatae definiatur.

Status naturae lapsae-reparatae est ille in quo per Christum natura lapsa liberatur a peccato originali (et ab aliis personalibus quae forte adsint), dona in Ada amissa recipit in re supernaturalia, in spe pro altera vita praeternaturalia (D 795s).

At si distinguatur alia elevatio per dona supernaturalia vel habitualia iam accepta in baptismo, vel mere actualia, qualia omnes adulti probabiliter accipiunt; alia quasi illi praevia per ius promissum ad media fini supernaturali congrua, quale est etiam homini qui nondum ulla dona supernaturalia acceperit, putandum est genus humanum huic elevationi per Christum subiaccuisse a momento peccatum Adae subsequente, ac proin hunc statum identificari cum statu naturae lapsae. Merito hic status antonomastice dicitur *status naturae lapsae*³, quin ergo ille nuper hac denominatione descriptus fuerit realis.

Ut denominationes «natura pura», «natura lapsa», etc., indicant nunc status correspondentes, pariter fieri potest ut in fontibus theologicis sola vox «natura» sumatur pro «natura qualis fuit in Ada» vel «natura qualis est in se ipsa» vel «natura lapsa». Quod bene notandum est ad rectam eorum fontium interpretationem obtinendam.

692. At hic nostra maxime interest *status iustitiae originalis*, qui etiam passim *naturae innocentis*, *naturae integrae*, etc. vocatur, et continebat *iustitiam*, seu rectitudinem generalem qua homo erat intra se ac in ordine ad Deum moraliter rectus, *originalem*, seu naturae in Ada datam in eius *origine* et quae singulis cum eorum *origine* esset danda. Hic ergo status:

a) *Adaequate* sumptus includebat maxime subiectionem corporis ad animam per immunitatem a morte ac infirmitatibus, subiectionem appetitus sensitivi ad rationem per immu-

³ Logice debent tenere B.Virginem in *statu iustitiae originalis* fuisse, quotquot putant eam utpote peccato originali *caventem* aut mortuam non esse aut de iure immortalem uti eo iure noluisse: de his cf. DE ALDAMA (SThS 3 tr.2 n.204). Ceteri melius dicunt eam, utpote gratia ac donis supernaturalibus huic annexis et dono praeternaturali integritatis ornatam, fuisse in statu speciali (at personali), ut putant v.gr. CAIETANUS (In 1.2 q.109 a.2 n.5); SUÁREZ (De mysteriis vitae Chr. d.4 s.6; De opere sex dierum 3,20,47; De gratia proleg.4 c.3 n.8); SALMANTICENSES (l.c., tr. 4 d.1 n.41).

nitatem a concupiscentia, subiectionem animae ad Deum per gratiam et dona supernaturalia huic annexa (1 q.95 a.1).

b) *Inadaequatae* sumptus erat ipsa gratia sanctificans ut donum praecipuum, quod erat radix sive, *per se et ex natura rei*, virtutum infusarum et aliorum donorum supernaturalium *intrinsece* cum ea connexorum sive, *per accidens et ex ordinatione Dei extrinseca* vel etiam quasi *connaturaliter*, integritatis, immortalitatis ac impassibilitatis, quae *extrinsece* erant connexae cum gratia, sc. quatenus Deus statuit ut ea dona, gratuito data homini ut ornamentum et auxilium gratiae conservandae et per bonos actus augendae, ita huius sorti alligarentur ut simul cum ea starent vel amitterentur⁴, vel simul etiam quasi *connaturaliter* seu ut effusiones quasi exigitive promanantes ex ea in corpus, fere ut gloria corporis beati ex gloria animae.

693. Haec ergo supponunt in iustitia originali gratiam *realiter distinguam* a donis praeternaturalibus, a iustitia vero originali solum *inadaequatae*, ut partem a toto v.gr. ut anima ab homine. Et sic optime explicantur duo: gratiam eiusdem speciei ac illam posse esse sine donis illis praeternaturalibus, qualis est v.gr. in nobis; dari hierarchiam in donis iustitiae originali, ita ut inferiora sortem praecipui, nempe gratiae, sequantur.

At ab hoc modo, post S.Thomam quoad substantiam communi, rei explicandae⁵, recedunt: 1) Alii cum Soto putantes, ut videtur, gratiam *adaequatae* identificari cum iustitia originali, ita ut ante peccatum originale effectus integritatis, etc., produceret, quos post illud peccatum non producit⁶. 2) Alii tenentes gratiam *realiter adaequatae* distinguam a iustitia originali, qua homo esset moraliter et quidem *perfecte* (sed non supernaturali gratia) rectus intra se ac in ordine ad Deum⁷.

⁴ SUÁREZ, *De opere sex dier.* 3,20,108.20-23.

⁵ Cf. v.gr. CAPREOLUS, *In 2 Sent.* d.31 q.1 a.3; GONET, l.c., d.1 a.3-5; MOLINA, *In 1 d.27; Suárez, l.c.* Ea sola differentia est, quod alii auctores, in genere thomistae, addunt gratiam esse, non solum radicem, sed elementum formale iustitiae originalis, cuius dona praeternaturalia sint elementum materiale: cf. MICHEL, l.c., 2040-2042. At BELLARMINO (l.c., c.33), iure dicit: «sive autem gratia gratum faciens dicenda sit pars originalis iustitiae, sive tantum radix et causa, non multum referre videtur». Etiam S. Augustinus identificat gratiam et iustitiam originalem, iuxta A.SŁOMKOWSKI, *Relatio gratiam sanctificantem inter et iustitiam originalem secundum doctrinam S. Augustini*: *CollTh* 18 (1937) 32-52; E.D. CARRETERO, O.S.A., *Antropología teológica de la «Ciudad de Dios»*: *Ciudad* 2 (1954) 227. De mente S. Anselmi, am gratiam sanctificantem iustitiae originali annexerit, non clare constat: cf. H. VIGLINO, J.M.C., *De mente Sancti Anselmi quoad primum hominis statum*: *DivThom* 42 (1939) 233-239.

⁶ SOTO, *De natura et gratia* l.1 c.5; MEDINA, *In 1.2 q.83 a.2*; VALENCIA, *Comment. Theol.* l.1 d.7 q.2 punct.2; BILLUART, *De gratia* diss.2 a.1 § 3; ZUMEL, iuxta M. RODRÍGUEZ, O. de M., *La justicia original según Zumel y Saavedra*: *Est 11* (1955) 33-39. Forte et P.L. (LAURENT), O.P., *Quelques notes concernant la pensée de Sylvestre de Ferrare et de Cajetan sur la justice originelle, d'après leurs commentaires sur la Somme contre les Gentils et la Somme théologique*: *RevThom* 11 (1928) 428-441.

⁷ DURANDUS, *In 2 d.20 q.5*; A.CATHARINUS, de quo cf. L.SCARINGI, *Bened-Silvest., Giustizia primitiva e peccato originale secondo Ambrogio Catarino*, O.P. (Città del Vaticano 1947) 51-53; BÁÑEZ, *In 1 q.95 a.1*, ut eum interpretantur alii v.gr. LAURENT, l.c., dum A.FERNÁNDEZ, O.P., *Iustitia originalis et gratia sanctificans iuxta D.Thomam et Caietanum*: *DivThom* (P) 8 (1931) 242-245 eum de distinctione inadaequata intelligit. Nec mens eius videtur clarior fieri in *De vitii et peccatis* (q.71-89), ed. V. Beltrán de Heredia (Matriti 1944) q.81 a.2 n.3; q.82 a.1. Item qui dicunt Adam creatum esse in iustitia originali, at sine gratia ei non nisi dein infundenda, v.gr. ALEXANDER HAL, S.BONAVENTURA, RICH. A. MEDIAVILLA, de quibus, cf. J.KAUP, O.F.M., *Zum Begriff der «iustitia originalis» in der älteren Franziskanerschule*: *FranzStud* 29 [1942] 44-55; FRASSEN, *Scotus Academicus* t.5 (Romae 1901) p.241-244. De S.Bonaventura cf. M.DA GAGGIO MONTANO, O.F.M.Cap., *Dottrina bonaventuriana sul peccato originale* (Bologna 1943) p.105; E.CATAZZO, O.F.M., *De iustitia et peccato originali iuxta*

De mente S.Thomae in hac re acriter nostris diebus disceptatum est, tributibus ei aliis hanc postremam opinionem, ita ut iustitia originalis esset donum naturae, gratia vero donum personae⁸; aliis distinctionem inadaequatam inter utramque, ita ut gratia esset elementum formale, et dona praeternaturalia elementum materiale⁹, aliis interpretationem D.Soto¹⁰. Forte dicitur melius solutionem esse difficilem, quia S.Doctor diverso modo loquatur, ita ut gratiam iustitiae originali alias tribuat, alias non tribuat¹¹.

CAPUT II

De iustitia originali

694. Nobis acturis de iustitia originali, duae quaestiones occurrunt investigandae: quatenam dona ea contineret et ulterius quomodo illa dona relate ad naturam se haberent. De his ergo quaestionibus venit statim nobis dicendum, ita ut singula illa dona secundum illum duplicem aspectum consideremus, nempe gratiam sanctificantem, integritatem, immortalitatem ac impassibilitatem, et dein de scientia Adae infusa agamus.

S.Bonaventura (Vicenza 1942); cf. et R.BRUCH, *Die Ungerechtigkeit des Willens nach der Lehre des hl. Bonaventura*: *FranzStud* 33 (1951) 180-206.

⁸ J.BITREMIEUX, *La distinction entre la justice originelle et la grâce sanctifiante d'après saint Thomas d'Aquin*: *RevThom* 4 (1921) 121-150; J.B.KORS, O.P., *La justice primitive et le péché originel* (Kain 1922); M.D.CHENU, O.P.: *BullThom* (1925) 345-347; J.COPPENS (ut videtur), *Une controverse récente sur la nature du péché originel*: *EphThLov* 1 (1924) 185-191; A.D'ALÈS, S.I., *Justice primitive et péché originel*: *NouvRevTh* 50 (1923) 416-427; R.MARTIN, O.P., *La doctrina sobre el pecado original en la «Summa contra gentiles»*: *CiencTom* 10 (1914) 397-399; cf. Id.: *RevScPhTh* 10 (1921) 641s; A.VAN HOVE, *Der erfomde* (Anvers 1936) p.156-158.

⁹ FERNÁNDEZ, l.c., 130-146.241-260; R.GARRIGOU-LAGRANGE, O.P., *Utrum gratia sanctificans fuerit in Adamo innocente dos naturae, an donum personale tantum*: *Ang 2* (1925) 133-144; HUARTE, *De distinctione inter iustitiam originalem et gratiam sanctificantem*: *Greg 5* (1924) 183-207; HUGON, *De gratia primi hominis*: *Ang 4* (1927) 371-381; J.VAN DER MEERSCH, *De distinctione inter iustitiam originalem et gratiam sanctificantem*: *CollatBrug* 22 (1922) 424-506-515; MICHEL, *La grâce sanctifiante et la justice originelle*: *RevThom* 4 (1922) 424-431, at videtur id serius (*Justice originelle*: *DTC* 8,20,40) reicisse; J.NAULAERTS, *Quid est iustitia originalis?*: *VieDioc* 12 (1923) 550-554; S.M.RAMÍREZ, O.P.: *CiencTom* 31 (1925) 262s; M.CUERVO, O.P.: *CiencTom* 44 (1931) 345s; STUFLEER: *ZkathTh* 47 (1923) 77-82; PESCH, 5 (1925) 203; M.DE SAINTE MARIE, O.C.D., *La justice originelle selon les Salmantienses et Saint Thomas d'Aquin*: *EphCarm* 2 (1948) 205-304; C.VOLLERT, S.I., *Saint Thomas on Sanctifying Grace and Original Justice*: *ThSt* 2 (1941) 369-387; Id., *The Doctrine of Hervaeus Natalis on primitive Justice and Original Sin* (Rome 1947) p.41-44; LABOURDETTE, o.c., 68; W.A.VAN ROO, S.I., *Grace and Justice according to St.Thomas* (Rome 1955).

¹⁰ Sic, ut videtur, LAURENT; JOURNET, *Le mal...* 239.

¹¹ Sic M.JUGIE, *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche. La doctrine du péché originel chez les Pères Grecs*: *EchOr* 28 (1925) 157 nota; L.TEIXIDOR, S.I., *Una cuestión lexicográfica. El uso de la palabra Justicia original en Santo Tomás de Aquino*: *EstEcl* 6 (1927) 337-376. Immo TEIXIDOR (Suárez y S.Tomás. *Notas críticas. Exactitud con que Suárez se conforma con Santo Tomás en las cuestiones sobre el pecado original*: *EstEcl* 15 [1936] 67-82) ostendit Suárez voce «iustitia originalis» uti diverso sensu, ut S.Thomam. Ceterum uti auctores putant S.Thomam vel distinctionem inadaequatam in dies clarius tenuisse (JUGIE) vel simpliciter pro ea potius fuisse (TEIXIDOR). Censet illum iuniorum tenuisse inadaequatam, senioreum vero adaequatam, E.J.FITZPATRICK, *The Sin of Adam in the Writings of Saint Thomas Aquinas* (Mundelein 1950) 20-23. De evolutione mentis thomistarum in hac re cf. P.DE LETTER, S.I., *Original Sin, Privation of Original Justice*: *Thom* 17 (1954) 469-509.

ARTICULUS I

DE ERRORIBUS CIRCA IUSTITIAM ORIGINALIEM

695. Antequam expositionem iustitiae originalis aggrediamur, oportet ut praecipuos errores in hanc, immo et in peccatum originale, quatenus ii istud attingunt, breviter indicemus.

696. *Pelagianismus*¹. Contra ideam manichaeam substantiae quodam fatalismo malae, vult bonum naturae humanae, ab omni determinismo hereditario, physiologico ac psychologico immunis, efferre. Ad hoc statuit id principii fundamentalis: homo natura sua est plene liber a quavis necessitate interna sive ad bonum sive ad malum, ita ut suis viribus omne peccatum vitare possit ac debeat, quin ea libertas peccato infirmetur.

Hinc repugnat quod Adam peccatum nobis non liberum transmiserit i.e. peccatum originale². «Quoniam, ex verbis Caelestii, infantes qui nascuntur, in eo statu sunt in quo Adam fuit ante praevocationem» (R 2019); ergo ii non egent baptismo ut a peccato purgentur, nisi forte a peccatis possibilibus pro futuro, ut serius in decursu discussionis pelagiani dixerunt, sed ut ii sanctificentur et regnum caelorum ingrediantur, qui secus non obtinerent istud, sed vitam aeternam beatam, quin vero constet certo de natura discriminis, iuxta pelagianos, inter hanc et illud³. Peccatum Adae filiis huius non nisi exemplo nocuit et imitatione propagatur. Adae innocenti erat ut nobis et concupiscentia et mortalitas et passibilitas⁴.

¹ R.HEDDE et E.AMANN, *Pelagianisme*: DTC 12,675-715; G.DE PLINVAL, *Pelage, ses écrits, sa vie et sa réforme* (Lausanne 1943); TIXERONT, o.c., 2^o c.11 § 1-2; SCHEEBEN, o.c., 2 § 161 (de Pelagianismo, Baiianismo, Iansenismo); N.MERLIN, O.E.S.A., *Saint Augustin et les dogmes du péché originel et de la grâce* (Paris 1930); B.KLOPPENBURG, O.F.M., *De relatione inter peccatum et mortem* (Romae 1951) 22-31; Id., *Pelagio e Pelagianesimo*: EncCatt 9, 1071-1077; B.PIAULT, *Autour de la controverse pelagienne. Le troisième lieu*: RechScRel 44 (1956) 481-514; H.ULBRICH, *Augustinus Briefe...*: RevEtAug 9 (1963) 51-75.234-258; F.REFOU-LÉ, O. P., *Julien d'Éclane...*: RechScRel 52 (1964) 42-84.232-247; A.HAMMAN, *Pelagianismus*: LThK 8 (1963) 246-249.

² MARIUS MERCATOR (*Common*, n.1-2: ML 45,168os) putavit Pelagium errorem in peccatum originale hausisse per Rufinum Syrum a Theodoro Mopsuesteno; at iuxta DE PLINVAL (p.133 nota 1), ideae communes Pelagii et Theodori ex communi amborum recursu ad eundem fontem v.gr. Diodorum Tarsensem explicantur (qui, ut videtur, negat peccatum originale). Ceterum Theodorus est pelagianus quatenus peccatum originale negat, ut videtur, et quatenus cum primo tenuisset concupiscentiam et mortem consecraria peccati Adae fuisse, dein dixit Adam ante peccatum mortalem fuisse: cf. W.DE VRIES, S.I., *Der Nestorianismus Theodors von Mopsuestia in seiner Sakramentenlehre*: OrChP 7 (1941) 998; JUGIE, *Theologia dogm...* 5 p.250-252. Aliter tamen, putans Theodorum non negasse peccatum originale, R.DEVRESSE, *Essai sur Théodore de Mopsueste* (Città del Vaticano 1948) p.98-102.109.161-165; contra quem cf. I.ORTIZ DE URBINA, S.I.: OrChP 15 (1949) 443; J.GROSS, *Theodor von Mopsuestia, ein Gegner der Erbsündenlehre*: ZKirch 65 (1953-1954) 1-15.

³ Cf. PETAVIUS, *De Deo* l.9 c.11 n.28; SCHEEBEN, o.c., n.622.
⁴ Initio putarat Pelagius mortem fuisse poenam peccati Adae; at dein videtur eam ut phaenomenum naturale hausisse (DE PLINVAL, p.150s.390s). Item concupiscentia non memorata est, ut videtur, nisi serius, in pugna pelagiana Iuliani (cf. R.ORBÉ, *San Agustín y el problema de la concupiscentia en su marco histórico*: RevEspT 1 [1941] 313-337). KLOPPEN-

Ergo ea una *gratia interna* fuit Adae innocenti, nempe dona naturae, ut existentia, liberum arbitrium etc., quae voce «gratia» antonomastice a pelagianismo designabantur.

Hoc systema damnatum est in C.Carthaginensi XVI (D 101ss), in Ephesino (D 126)⁵, in Arausicano (D 174ss, directe tamen contra semipelagianos habito), in Tridentino (D 87ss, directe contra protestantes habito)⁶.

697. *Protestantismus*⁷. Iustitia originalis, qua homo Deo gratus erat et ipsum amabat, erat *de essentia hominis*. Hic natura sua gaudebat perfecta virium harmonia et recta sui relatione ad Deum. Peccato Adae illis bonis, incluso libero arbitrio, privatus est et proin intrinsece corruptus.

Ea corruptio naturae, iam nihil non peccaminosum efficere potentis, considerata positive est concupiscentia, in qua consistit peccatum originale, nemini iam delendum, sed tantum iustis mere non imputandum. Zwinglius ab aliis dissentiens dicit eam propensionem ad peccandum amore sui, in qua etiam, iuxta ipsum, est peccatum originale, non esse proprie peccatum, sed effectum peccati et inclinationem ad peccandum; ergo peccatum originale est improprie peccatum.

Dona ergo iustitiae originalis, iuxta protestantes, erant debita homini innocenti *debito essentiae*. Immortalitatem illi homini fuisse eamque ei indebitam videntur protestantes non negasse⁸.

Sed difficile defigitur doctrina de his hodiernorum protestantium, pro quorum pluribus narratio creationis hominis et peccati primaevi, quin sint eventus historici, solum indicat illum esse creaturam Dei et eum sua culpa esse semper peccatorem. Sic pro Prenter iustitia originalis et lapsus dramatis biblici non sunt eventus singulares, sed oppositiones existentes in homine permanentemente pugnantibus, ita ut creatio et peccatum incessanter iterentur. Iuxta Brunner, homo a Deo creatus vocatur ad amorem Dei in participatione vitae divinae: est indebilis imago Dei, at non mere passiva, sed libere debet respondere vocanti ad vitam amoris Dei et tunc sua existentia est authentica: in eo est ut una realitas sub duplici aspectu imago *formalis* Dei sui persona vocata ad vitam amoris et *materialis* seu ea ipsa vita amoris: peccatum aufert *materiale*m seu supernaturalem iustitiam originalem ut elementum essentiale hominis seu responsum Deo vocanti vel existentiam in fide ac amore, quae ipsum hominem definit, et sic facultatem faciendi ac volendi bonum, non vero *formalem* seu esse hominis dynamice ordinati ad Deum.

BURG, 29-31. De probabili historico processu logico erroris pelagiani, cf. PALMIERI, *De peccato originali* th.1 n.4. De rationibus haereseos, cf. S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont. Iul.* 3,678s: ML 45,1278ss; *Cont. Iul.* 1.1-2,6: ML 44,641-702.822-874. De doctrina Iuliani, cf. S.M.DE SIMONE, S.U.D., *Il problema del peccato originale e Giuliano d'Éclane* (Posilipo-Neapoli 1950)

⁵ C.SMITS, O.F.M., *Ephese en het Pelagianisme*: StudCath 7 (1930-1931) 446-456.

⁶ In multis aliis conciliis particularibus actum est contra Pelagianismum: cf. HEFELÉ.

⁷ J.MÖHLER, *Symbolik*¹⁰ (Regensburg 1921) § 25.6-9; BELLARMINO, *De gratia primi hominis* c.1; *De amissione gratiae et statu peccati* 1.5 c.5; J.LONCKE, *Doctrina de peccato originali apud protestantes*: CollatBrug 44 (1949) 222-225; A.GAUDEL, *Péché originel*: DTC 12,511s.

⁸ Cf. MÖHLER, *ibid.*, 2 p.38; nec BELLARMINO (*De grat. prim. hom. c.8s*) eos ut adversarios in hanc memorat; GAUDEL, l.c. P.JACOBS, *Urstand*: EvK 3 (1959) 1597, videtur tribere homini adhuc innocenti, ut imagini Dei, integritatem et, etsi obscure, immortalitatem.

Contra, iuxta Schneider, cui narratio genesiaca de primo homine est «parabola paradisi», ita ut Ada non sit primus homo ex quo alii derivant, sed homo typicus, Deus non fecit nos iam ipsius imaginem, sed eo *fine* ut fieremus ea imago. Pro Barth, cui Ada est nomen indeterminatum cui applicatur instar fabulae narratio paradisiaca, qua doceatur historiam hominis incepisse in superbia ac peccato eius, non est nec fuit aetas aurea, sed homo in Eden peccavit *mox* 8*.

698. Iam vero et doctrina recentiorum protestantium de peccato originali difficile determinatur. Dixit Pesch: «Ceterum inter protestantes de hac re tot sunt sententiae, quot capita. Inter plurimos quidem convenit peccatum originale non posse esse peccatum proprie dictum» 9.

Iuxta Schleiermacher, peccatum originale non est nisi dispositio hereditaria peccaminosa nobis illata influxu generationum praecedentium, ita ut peccatum Adae influxu in huius posteros alia peccata non superarit. Iuxta Ritschl, cuius doctrinam proponit Kirn, datur, praeter peccata individualia, regnum quoddam peccati, quatenus singuli homines peccantes, huic regno subiecti, peccatis suis alios ad malum movent ac simul ad id peccatis aliorum moventur. In genere iuxta Protestantes Liberales, narratio de peccato Adae non est historica, sed mera repraesentatio metaphorica lactae in nobis ex concupiscentia exortae, vel ad summum narratio ad cuius imitationem omnia peccata fiunt; peccatum originale est connaturalis concupiscentia, quae ex proavum influxu augetur 10.

699. *Baianismus* 11. Homo creatus est in natura rectitudine seu integritate. Haec includebat negative absentiam peccati; positive vero sanctitatem per Spiritus S. inhabitationem ac virtutes (fidem, caritatem, etc.) isti annexas (Baius gratiam sanctificantem Adae numquam memorat, eam vel admit-

8* R.PRENTER, *Die Lehre von der Schöpfung* (Göttingen 1958) p.241; de Brunner, cf. S.CAIAZZO, S.I., *La teologia di E.Brunner e il soprannaturale*: CivCatt (1959, 1) 380-392; E.E.SCHNEIDER, *Mysterium iniquitatis*: Theolog.Zeitsch. 19 (1963) 118.122.

9 PESCH, 2 n.236 not.

10 SCHLEIERMACHER, apud GAUDEL, 561s; O.KIRN, *Sünde*: REPT 163 p.142-144; A. LE-MAITRE, *Foi et vérité* (Genève 1954) 174.101-193. Cf. LONCKE, l.c., 223-255; J. GROOT, *Karl Barth en het theologische kernprobleem* (Heiloo 1946); L.MALEVEZ, S.I., *Een recente confrontatie van de theologie van Karl Barth met de katholieke theologie*: Bijd 9 (1948) 59s; H.BOUILLARD, S.I., *Karl Barth 2* (Aubier 1957) 39-53; K.BARTH, *Christ et Adam d'après Romains*, 5 (Genève 1959) p.48; MALEVEZ, *La pensée d'Emile Brunner sur l'homme et le péché...*: Rech-ScRel 34 (1948) 407-453; G.RABEAU, *L'homme dans la contradiction selon Emil Brunner*: MelScRel 4 (1947) 205s; G.VOLK, *Emil Brunners Lehre von dem Sündens* (Münster 1950) c.2; FEINER, l.c., 233-235; E.BRUNNER, *Das Aergernis des Christentums* (Zürich 1960) p.63; J.P.MAKEY, D.D., *Moral Philosophers and Original Sin*: IrishThQuart 19 (1962) 223-234; SCHNEIDER, o.c., 118; F.J.LEENHARDT, *L'Épître de Saint Paul aux Romains* (Neuchâtel 1957) p.82s; E.KINDER, *Die Erbsünde* (Stuttgart 1959) p.89. Cf. et W.BARCLAY, *Great Themes...* Romans V... ExposTimes 70 (1959) 132-135.172-175; C.R.SMITH, *La doctrine biblique du péché* (Londres 1953); J.MURRAY, *The imputation of Adam's Sin* (Grand Rapids 1959); J.HERING, *Péché*: VocBibl (1956) 225.

11 LE BACHELET, S.I., *Baius, Michel*: DTC 2.37-67; F.-X.JANSEN, S.I., *Baius et le Baianisme* (Louvain 1927); RIPALDA, *Adversum Baium et Baianos*; cf. De ente supernaturali, append.; LONCKE, *De natura peccati originalis iuxta Baium et Iansenium*: CollatBrug 44 (1948) 262-266; GAUDEL, 531-540; F.LITT, *La question des rapports entre la nature et la grâce de Baius au synode de Pistioie* (Fontaine-l'Évêque 1934); J.ALFARO, S.I., *Sobrenatural y pecado original en Bayo*: RevEspT 12 (1952) 3-75. De historia Baianismi cf. et F.CLAEYS, *Un épisode peu connu Bayo de la procédure instituée contre le Baianisme à Louvain, 1571-1575*: EphThLov 28 (1952) 277-284; Id., *La soumission de Michel Baius fut-elle sincère?*: Ibid., 30 (1954) 457-464; E.VAN EIJL, *Les censures des universités d'Alcalá et de Salamanca et la censure du Pape Pio V contre Michel Baius* (1565-1577): RevHistEcl 48 (1953) 719-776.889-891; M.ROCA, *Documentos inéditos en torno a Miguel Bayo* (1560-1582): AnthAnn 1 (Roma 1953) 303-476; Id., *El problema de los orígenes y evolución del pensamiento teológico de Miguel Bayo*: Ibid. 5 (1957) 417-492; P.SMULDERS, *Baianismus*: LThK 1 (1957) 1196-1199.

tens vel reiciens), immunitatem a concupiscentia et morte, destinationem ad visionem beatificam, potentiam vitandi omne peccatum ac merendi bonis operibus vitam aeternam.

Eorum donorum quodlibet erat naturae humanae *qua tali* (non ergo mere historice sumptae in Ada innocenti) debitum, ita ut eius absentia esset malum illi naturae qua tali; at quin illud ad hanc pertineret constitutive, nec necessario consecutive seu ex ea ut e principio emanans 12, sed certe exigitive (exigentia vero, non iuridica, sed ontologica, seu quae appellaret, non iustitiam, sed alia attributa Dei ut bonitatem, sapientiam, etc.).

Hinc Deus creavit eam naturam necessario munitam illis donis, nec poterat eam sine quolibet eorum facere. Quae tamen sunt *gratuita*, et quatenus Adae innocenti non data sunt ob eius merita, et etiam respectu hominis lapsi, cui solum ob merita Christi redduntur.

Peccatum originale habet rationem peccati in se seu sine recurso ad voluntatem Adae vel ad propriam eius cui inest; huic vere imputatur «si vel actu vel habitu ei dominetur, sic ut non gerat contrarium mentis affectum» (D 1048); quo modo habituali dominatur parvulo non baptizato, cui est habituali eius voluntate voluntarium.

Consistit in privatione integritatis naturae; quae proin iam sit in se ipsa radicaliter impotens ad ullum opus morale bonum et ad ullam peccandi tentationem vincendam. In concreto consistit in concupiscentia habituali. Haec ceterum, etiam ut actualis, utpote transgressio praecipiti «non concupisces», est essentialiter mala in se ipsa, seu etiam sine recurso ad voluntatem Adae vel propriam eius cui inest. Ea tamen sive habitualis sive actualis iusto non imputatur, cum ei iam non dominetur, dum Spiritus S. in eo habitat et habitualiter dominatur.

Baius recte definit *supernaturale* ut naturae humanae *indebitum* 13. At errat dum statuit id omne esse *naturale*, seu naturae *debitum*, quod homini in prima creatione datum est et generatione posteris eius erat transmittendum 14; dum supponit unum idemque naturae innocenti esse naturale, ei vero lapsae esse supernaturale; dum in supernaturali aspectum exigitivum fere unice respicit, quasi pro ipso supernaturale intrinsecum non existat 15.

Errores baiani a S.Pio V damnati sunt (a.1567), «quamquam nonnullae [sententiae] aliquo modo sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento...» (D 1001-1080). Sed aliquae non sunt Baii.

At cum ex stylo Curiae in bulla originali deessent signa punctuationis,

12 Cf. tamen J.L.BERTI, O.S.A., *Augustinianum systema... vindicatum* diss.2 c.1 § 3; F.X.LINSENMANN, *Michael Baius und die Grundlegung des Jansenismus* (Tubingen 1867) p.97ss. SCHREIBEN, l.c., n.635; LE BACHELET, 46.

13 BAIUS, *De prima hominis iustitia* c.4; cf. LE BACHELET, 42.

14 BAIUS, *ibid.*, c.6.

15 Cf. LE BACHELET, 110.

si comma ponatur post «possent», eae damnantur *praecise in sensu auctorum*, etsi earum aliquaee possint habere interpretationem orthodoxam; si vero ponatur post «intentio», damnantur *ut iacent*, quia iuxta obvium earum sensum sunt damnabiles, etsi nonnullae aliquo modo sustineri possent in sensu iis ab auctoribus intento et ea ratione damnationem fugere.

Baius et baiani hoc alterum, eius adversarii illud primum tenebant. Horum opinio videbatur iam esse per saecula admissa sine discussione. Nuper tamen Van Eijl, etsi admittens interpretationem antibaianam esse congruentiorem, suscitavit dubium de ea quaestione. Sed mirum videretur quod propositiones damnarentur ob aliquem earum possibilem sensum et non ob sensum earum in operibus et mente suorum auctorum praelatum; unde etsi *expresse* non damnarentur in hoc altero sensu, id a priori per se supponendum esset, nisi contrarium clare constaret. Si vero de facto historice censetur non constare de ea interpretatione hucusque comunissime recepta, non erit insistendum in ea, sed putentur esse damnatae *ut iacent* seu iuxta sensum earum obvium, qui tamen ordinarie erit sensus auctorum (ita ut in dubiis ad hunc videtur esse recurendum). Ceterum res practice non est forte magni momenti: etsi aliquaee earum propositionum haberent apud suos auctores sensum ab obvio diversum, in quo saltem aliquo pacto sustineri possent, omnes severe proscribuntur a Pontifice et ex theologia catholica omnino sunt excutiendae¹⁶. Nos sequemur opinionem communem.

700. *Iansenismus*¹⁷. Est heres baianismi, seu huius prolongatio. Homo creatus est undequaque sanctus in unione cum Deo per amorem supernaturalem, et sic in ipsum ut vitam aeternam tendens, in plena harmonia appetituum per subiectionem perfectam inferiorum ad rationem, in immortalitate ac impassibilitate. Deus vero debebat suis attributis, nempe iustitiae, sanctitati, sapientiae, bonitati, etc. non creare hominem sine illis perfectionibus. Ergo eae debebantur homini non qua tali, cum in se omni iure careret, sed ut Deus sibi satisfaceret, et hoc sensu, potest dici, *debito decentiae*.

Sane creatura innocens nequit a Deo affligi et sic misera reddi per privationem vitae in Deo aeternae, quam illa ex sua natura appetit. Item homo nequit creari a Deo sine ordinatione in ipsum per amorem iustitiae, qui est amor caritatis; ergo debet accipere gratiam—ceterum supernaturalem etiam iuxta Iansenismum—ad eum amorem necessariam. Item cum motus concupiscentiae sint mali, Deus nequit creare hominem concupiscentia affectum; ergo *debetur* homini ut sine ea creetur. Tandem, cum miseriae corporales, maxime mors, creaturam infelicem reddant, Deus nequit eas creaturae sine praer-

¹⁶ LE BACHELET, *ibid.*, 67-111; LENNERZ, *Opuscula duo de doctrina baiana* (Romae 1938); SMULDERS, *l.c.*, 1197s; G.FOURURE, *Les Châtiments divins* (Tournai 1950) p.46; L.CRISTIANI, *La condamnation de Baius*: AmCl 65 (1955) 640s; *Id.*, *Baius mis en cause dans une thèse récente*: *ibid.* 641s. Cf. tamen E.VAN EIJL, *L'interprétation de la bulle de Pie V portant condamnation de Baius*: RevHistEcll 50 (1955) 499-542; J.ORGIBAL, *De Baius a Jansenius*: RevScRel 36 (1962) 115-139; E.BOISSARD, *Note sur le sens «propre et rigoureux» de certaines propositions de Baius*: *ibid.* 140-153. Baius in quibusdam habuit P.Olivi ut antecessorem: cf. STUFELER, *Das Wesen der Erbsünde nach Petrus Olivi*: ZKathTh 55 (1931) 468-475.

¹⁷ J.CARREYRE, *Jansenisme*: DTC 8,318-529; GAUDEL, 546-550; L.COIGNET, *Le Jansenisme* (Paris 1961).

via huius culpa infligere; ergo homini debetur immortalitas ac impassibilitas.

Ex quibus patet, hominem a Deo non posse creari in statu naturae purae, seu in vitam in Deo aeternam non destinatae, gratia carentis, subiectae rebellionis partis inferioris et mortalitati ac passibilitati.

Ceterum peccatum originale est concupiscentia, quae animam omnesque eius potentias corrumpit, et in qua (concupiscentia) sunt tam ipsa qua talis, quam iniquitas, seu culpa vel macula. Haec (reatus culpae) deletur baptismo, illa tamen post eum remanente, quae in peccatum impellit, nec nisi delectatione caelesti vinci potest.

Peccatum vero originale venit a voluntate Adae, ex cuius malitia natura corrupta est concupiscentia, quae, cum actui generationis insit, transmittitur infanti cum natura fere ut aliae infirmitates hereditariae; ea sane est virtute in semine humano, ita ut anima corpori infusa huius contactu maculam contrahat, quin ergo in hac contractione sit alia voluntarietas praeter illam Adae remotam, quae concupiscentiam induxit¹⁸. Illud peccatum in altera vita poena sensus, iuxta Iansenismum, puniri videtur¹⁹.

De notione iansenistica supernaturalis haec nota: gratia amoris Dei est, ex dictis, naturae *debita*, quatenus Deus sibi debet eam dare; at est simpliciter *gratuita*, cum ea a sola libertate donantis et non a meritis recipientis pendeat. Ergo unum idemque supernaturale est eidem naturae simul debitum et gratuitum. Ceterum eo sensu dici debet omnia dona Dei, etiam naturalia, esse gratuita, utpote non data ob merita.

Doctrina iansenistica damnata est ab Innocentio X (D 1092ss), ab Alexandro VIII (D 1291ss), a Clemente XI in erroribus P.Quesnell iansenisticae (D 1351ss), a Pio VI in erroribus Synodi Pistoriensis iansenisticae-gallianae (D 1501ss)²⁰.

701. *Socinianismus*²¹. Adam perfecta erat libertate, quam, utpote naturalem, nec sibi nec aliis peccato amitteret; poterat suis viribus recte vivere, ut et eius posteris, nisi sint corrupti. Item, etsi natura erat mortalis, Deus dedisset ei immortalitatem, nisi peccaret. Non est peccatum originale; tamen ex Adae peccato mors in omnes eius posteros transiit.

¹⁸ Cf. KLEUTGEN, *Die Theologie der Vorzeit* 2 p.614s.

¹⁹ Cf. CARREYRE, 355. De influxu iansenismi in Gallia et nostris diebus v.g. apud scriptores catholicos, cf. L.CRISTIANI, *Pour et contre le jansenisme*: AmCl 65 (1955) 755-758 (citantur Mauriac, Bernanos, ut cui sit principium basicum: «Il est plus grave de nier le péché originel que l'existence de Dieu»).

²⁰ De Quesnel, cf. CARREYRE, «Unigenitus» (Bulle): DTC 15,2061-2162. De Synodo Pistoriensis, cf. *Id.*, *Pistoia (Synode de)*: DTC 12,2134-2230.

²¹ MÖHLER, *o.c.*, § 90; L.CRISTIANI, *Socinianisme*: DTC 14,2326-2334; L.KNÖPFELER, *Socinianer*: KL 11,473. De rationalismo doctrinae Socini cf. G.PIOLI, *Fausto Socino, Vita, opere, fortuna* (Parma 1952).

702. *Rationalismus* 22. Reicit revelationem ut fontem veritatis, quin ullam doctrinam religiosam admittat, quae ipsi rationi non sit evidenter intelligibilis; hinc supernaturale accipi nequit. Ergo et iustitiam originale logicè negare debet. Negat pariter peccatum originale.

703. *Semirationalismus*. 1. *Hirscher* 23. Status in quo ob Adae peccatum nascimur sine gratia filiationis, cum concupiscentia et morti subiecti, est *innaturalis*; ergo consequenter status in quo homo innocens illa omnia haberet ei *naturalis* esset.

2. *Hermes* 24. Adam innocens similis erat Deo, hinc per suas facultates, illinc moraliter per voluntatis rectitudinem, quae perfectam appetituum ac facultatum harmoniam continebat et naturam integram reddebat ac eam in statu iustitiae ac sanctitatis cum capacitate iuste ac sancte agendi ponebat. Erat ei etiam gratia sanctificans supernaturalis, sed quae non esset nisi extrinseca complacentia Dei in homine ob illam eius iustitiam. Ille status erat homini innocenti, non essentialis, cum sine eo hic subsistere posset, sed certe sequela creationis, etsi—in quo Hermes loquitur ut Iansenius—*gratuitus*, quatenus non daretur ob praevia hominis merita.

Ergo, iuxta Hermes, in Ada erat iustitia naturalis, quae esset ei debita ut sequela creationis, etsi gratuita utpote non data ob merita, et gratia sanctificans, quae erat quid pure extrinsecum et iustitiae naturali respondens ac proin non strictè supernaturalis, etsi ita ab Hermes vocaretur.

Peccatum vero originale est inordinata concupiscentia habitualis; non est ergo proprie peccatum—in quo cum Zwinglio sentit—sed «qualitas peccaminosa» quatenus in peccatum ducit. Adam peccans dextruxit naturalem harmoniam inter rationem et partem inferiorem; sic proin mutata est natura, quae iam ita inclinata in peccatum et qua talis Deo abominabilis (etiam sine respectu ad ullam voluntatem v.gr. Adae) nobis transmittitur. In baptizato ea concupiscentia manet, at, adveniente gratia, ea hominem iam in peccatum trahere nequit, et proin eum peccaminosum ac Deo abominabilem facere.

Gregorius XVI in damnatione operum Hermes memorat in iis «absurda et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena» etiam «circa protoparentum statum, peccatum originale ac hominis lapsi vires» (D 1620).

704. Ex systematibus ergo recensitis: a) Alia (Pelagianismus, Rationalismus, et quoad rem moralem Socinianismus)

22 MATIGNON, o.c., p.1 c.1; C.CONSTANTIN, *Rationalisme*: DTC 13,1689s; GAUDEL, 556-561,569-580.

23 KLEUTGEN, *Lc.*, p.547-551.

24 KLEUTGEN, 551-581.607-644; A.THOUVENIN, *Hermès*: DTC 6,2297s.

efferunt naturalismum seu bonum naturae omni perfectione indebita nudae. b) Alia (Protestantismus, Baianismus, Iansenismus, Semirationalismus) conceptionem optimisticam status normalis hominis produnt, quatenus huius naturae innocenti tribuunt ut essentialis (Protestantismus), vel saltem ut debitas, quasdam perfectiones quae naturaliter ei non competunt. Consequenter haec systemata posteriora pessimismum infralapsarium naturae peccato intrinsece laesae tradunt, dum priora illa eundem naturalismum post peccatum servant 25.

ARTICULUS II

DE GRATIA SANCTIFICANTE ADAE CONCESSA

Thesis 28. Adam ante peccatum ornatus fuit gratia sanctificante.

S.TH., I q.95 a.1; In 2 d.20 q.1 a.2; Quodl. I a.8; S.BONAVENTURA, In 2 d.20 a.2 q.1; BELLARMINO, De gratia primi hominis c.3; SUÁREZ, De opere sex dierum 1,3 c.17; PALMIERI, De ordine supernaturali th.19; BERAZA, De Deo Creante et Elevante... n.271-309; HUGON, De gratia primi hominis: Ang 4 (1927) 371-381; VAN HOLVE, De elevatione protoparentum ad ordinem supernaturalem: CollMechl (1939) 158-163; FLICK, o. c. 302-323.

705. *Nexus*. Cum iustitiae originali id muneris praesertim competeret, ut naturam humanam intime cum Deo coniungeret, pronum est ut imprimis memorentur ea dona quae censentur fuisse vinculum strictae illius connexionis inter Deum et hominem innocentem, qualis est maxime gratia sanctificans. De ea ergo primo hic dicetur.

706. *Notiones*. ADAM solus inducitur, at dicenda de illo valent ex fontibus etiam de *Heva*, immo, ut patebit ex argumentis, et de *tota natura humana*. Ille ergo respicitur hic non tam ut persona individualis, quam ut persona eam naturam complectens, cum de hac maxime nostra intersit.

ANTE PECCATUM ORNATUS FUIT. Hac formula asseritur *factum* infusionis gratiae, et simul vitatur quaestio apud TT. discussa de eius infusionis *momento*; at quin negetur Adam amissam gratiam post peccatum recuperasse.

GRATIA SANCTIFICANS est illud donum permanens, quod nunc datur per Christum et quo homo redditur formaliter iustus, consors divinae naturae, filius Dei adoptivus, heres vitae aeternae. Ea coniungitur in hoc ordine cum dono in-creato Spiritus S. et cum aliis creatis (virtutibus infusis, etc.).

25 Iuxta DE LUBAC (*Supernaturel...* p.1 c.1-3), Baius et Iansenius, qui doctrinam S. Augustini haurire intenderunt, sic inepte eam intellexerunt, ut renatum quemdam pelagianismum docuerint.

Posita hac definitione gratiae sanctificantis per eius effectus formales, si fontes tribuunt Adae aliquem ex iis effectibus v.gr. adoptionem, vel etiam sine ulteriore declaratione aliquod donum cum ea gratia in hoc ordine connexum v.gr. inhabitationem Spiritus S., iure putantur ei ipsam gratiam adscribere.

Communiter auctores tenent non posse dari plures species gratiae sanctificantis; unde ii TT. qui hanc gratiam cum iustitia originali adaequate identificarunt, non censendi sunt putasse gratiam Adae fuisse perfectioris alius speciei ac nostram (n.693). At sequens Granado admisit Ripalda possibiles esse plures species gratiae sanctificantis et virtutum nobiliores ac ignobiliores, aliam pro sola natura humana, aliam pro angelica, aliam pro utraque, etc. Sed in nostro casu, si quod esset inter gratiam Adae et nostram discrimen, ea nostra potius dicenda esset perfectior, utpote ex meritis Christi data (Rom 5,12-21) et quae proinde contineret a fortiori omnia dona iustitiae originalis¹. Ceterum quaestio videtur non esse magni momenti, modo gratia Adae esset vere sanctificans ac ei eosdem effectus formales consortii divini et adoptionis ac nobis nostra tribueret.

707. Adversarii. *Pelagiani, Sociniani, Rationalistae, HERMES* quoad rem (cf. n.696.701-703).

Iuxta S.Bonaventuram, «quidam... dicere voluerunt» Adam ante peccatum gratiam non accepisse. Id E.AMORT serius certo tenuit, pro se appellans etiam Aegidium Romanum^{1*}.

708. Doctrina Ecclesiae. *C.Tridentinum* (D 788): «Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisset... a.s.»

Implicitè definitur his Adam habuisse, cum eas peccando amiserit, *sanctitatem* et *iustitiam*. At his terminis, vel utroque vel alterutro (si forte vox «iustitia» litteraliter dona praeternaturalia Adae indicat) saltem *gratiam sanctificantem* significari, patet ex usu ecclesiastico ac biblico eorum verborum, et ex stylo Concilii de nostra iustificatione sic agentis: «*Iustificatio... et sanctificatio* et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem *gratiae* et *donorum*, unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae» (D 799; cf. et D 800).

Cum memoratus iste Tridentini canon in primo suo schemate exprimeret «sanctitatem... in qua creatus fuit» Adam, quo videretur decidi quaestio apud TT. disputata, ut res dubia, de *momento* infusionis gratiae, ne id

¹ RIPALDA, *De ente supernaturali*, disp.132 s.39 n.520-525 (ubi citatur I.GRANADO, In 3 controv.8 tr.4 disp.4 n.2): cf. MICHEL, *Jésus-Christ*: DTC 8,1283.

^{1*} S.BONAVENTURA, In 2 d.29 a.2 q.1; E.AMORT, *Theologia ecclectica* 2 (Bononiae 1753); *De peccato originali et gratia* d.1 q.2; ubi citatur AEGIDIUS ROMANUS (In 2 d.29 q.3), de quo cf. et SCHEEBEN, *Colonna, Aegidius de*: KL 3,670.

fieret, voluerunt alii ut voci «sanctitatem» vox «rectitudinem», alii ut voci «creatus» alia v.gr. «constitutus», substitueretur; id postremum factum est².

C.Arausicanum (D 192): «Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsa, creatore suo non adiuvante, servaret; unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?» Ergo *salus amissa ab Ada* censetur hic *esse eadem quae nunc reparatur*. At haec importat gratiam sanctificantem.

Idem de tota natura definit *C. Tridentinum* (D 789).

C. Vaticanum paraverat caput doctrinae, ex qua «rerum Conditor... humanum genus in primo parente super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem elevare voluit, in quo divini ipsius consors efficeretur naturae... Itaque praeter dona quibus in propria natura perfereret, Spiritum S. ei infudit, ut, natura quidem servus, sanctitatis autem gratia filius..., charitate desuper infusa..., aeternam hereditatem promeretur. Ad haec carnem spiritu gratia sua plene subiectam fecit, et morte ipsius timorem a mortali removit. Mortalis quippe erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris». Item repetit doctrinam *C. Tridentini* quod Ada suo peccato «sanctitatem et iustitiam tam sibi quam nobis amisit». Etiam paravit canones: 1. «... Humanum genus in primo parente ad statum supernaturalem elevatum esse». 2. «... Privationem gratiae sanctificantis de eius [peccati originalis] ratione esse».

Haec documenta, etsi non pervenerint ad sanctionem definitivam illius concilii oecumenici, sunt maximi momenti, ut quae ostendant quid tunc temporis per suos TT. totius orbis sentiret Ecclesia de statu iustitiae (originalis) et quam interpretationem daret canonibus *C. Tridentini*.

C. Coloniense prov. (a.1860): «Cum Concilio Tridentino docemus primum hominem in sanctitate et iustitia fuisse constitutum... Supernaturalis... dicenda est gratia illa sanctificans, qua homo adeo supra conditionem suam elevabatur, ut filius Dei esset per adoptionem fieretque idoneus qui felicitatem illam consequeretur, quae, cum in Dei cognitione intuitiva consistat, omnem hominis facultatem naturalem transcendit»³. Etiam hoc documentum a S.Pontifice approbatum etsi non ex cathedra, est magni momenti, ut testans interpretationem tunc vigentem in Ecclesia canonis 1 supra citati ex *C. Tridentino*.

Valent etiam pro hac re documenta quaedam inferius afferenda pro *gratiae supernaturalitate*, utpote hanc directe docentia (D 1021 1024 1385 1516).

709. Valor theologicus. *De fide divina et catholica (implicitè) definita* (D 788s)⁴.

710. Probatur ex sacra Scriptura. Opus Christi apparet actu ut nobis *restituens* aliquod bonum per Adam amissum.

² Cf. CTr 5,196-219; F.CAVALLERA, S.I., *Le décret du Concile de Trente sur le péché originel*: BullLitEcccl (1913) 289-291; L.PENAGOS, S.I., *La doctrina del pecado original en el Concilio de Trento*: MiscCom 4 (1945) 208-213; SCARINGI, o.c. 518; LABOURDETTE, o.c. 348. De documentis Ecclesiae, cf. LONCKE, *Doctrina Magisterii de primi hominis elevatione ad ordinem supernaturalem*: CollatBrug 44 (1948) 8-13.

³ Schema reform. constit. de doctr. cath. c.7: CL 555-558.566.1633.1637. De Coloniensi, cf. CL 5,294.

⁴ H.LANGE, S.I. (Schol 3 [1928] 605s), videtur dubitare de qualificatione a nobis data, ex qua Amort esset haereticus (materialiter).

At nobis restituit praecise ac maxime gratiam sanctificantem (prout hoc nomen connotat omnia dona increata et creata ab ipso homini allata). Ergo Ada eam gratiam sanctificantem habuit.

Maior. Momenti essentialis est apud S. Paulum connexio misteriosa inter Christum et Adam, ut recte intelligatur nostra connexio moralis cum Ada. Sane Christus nobis attulit salutem quatenus egit ut totius generis humani caput, quod sibi omnes homines per unionem in unum corpus mysticum insereret, ita ergo ut eius opus esset quasi essentialiter sociale in se et in suis effectibus. Id vero supponit nos cum Ada, ut per eius peccatum consortes in peccato et morte, a fortiori ante peccatum fuisse in quadam velut unione misteriosa cum ipso in ordine ad dona sanctitatis quae a Deo accepisset, quae proin dona haberent amplissimum sensum socialem ut extendenda ad omnes homines.

Quod ceterum optime consonat toti conceptioni biblicae vere sociologicae et collectivisticae solidaritatis velut organicae qua individua (quin ut talia disparerent, sed vere firmiter subsisterent ut talia ante Deum et alias creaturas) pendent a communitate, dum simul haec non raro censetur esse quasi contenta in individuis. En conceptus «persona corporativa», qui voce recenti concise exprimit doctrinam A.T. de unione individui et communitatis seu collectionis praeteritae, praesentis, futurae, qua, pro israelita magis quam pro quolibet alio populo antiquo vel moderno, aliquis individuus dum talis manet sic refert communitatem (familiam, populum, nationem, humanitatem) ad bonum vel ad malum, ut censeatur ea agere per eum et is agere nomine omnium qui eandem sortem bonam vel malam eius subeant.

Sic ergo Ada erat simul individuus et quasi humanitas futura, cuius morales res et actus ad nos modo misterioso pertinerent. Ergo Ada erat velut summa omnium sive iustorum ante suum peccatum sive post hoc peccatorum, qui omnes in eo peccarint. Iam vero Christus venit ad restaurandum ordinem amissum per primum peccatum; qui ergo ordo primaevus solum ex ipso opere Christi intelligi potest: si nempe ipse venit, aliquid magnum hominibus affert, ergo aliquid magnum fuit in Ada 4*.

En brevier ideae basicae Pauli. Christus dicitur «novissimus Adam» (1 c.15.21s.45) cuius totum munus in eo sit, ut reparet opus primi Adae 5. Unde si *per unum hominem pec-*

4* J. DE FRAYNE, S.I., *Adam et son linage* (Bruges 1959) 12-18.121-127.132; R.P. PEN-
DERGAST, S.I., *The supernatural existential, human generation and original sin*: DownRev
(1962) 2s.0s.

5 De conceptu paulino novi Adae, cf. utiliter A.VITTI, S.I., *Christus-Adam. De paulino
hoc conceptu interpretando...*: Bibl 7 (1926) 121-137; PRAT, o.c., 2 p.203-213; GALTIER, *Les*

catum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt (R 5,12), Christus inducitur ut *vitam et iustitiam* afferens, quasi reddens homini vitam et iustitiam quam is amisit per Adam; nam *si... unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit* (v.15)... *Iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem* (v.16)... *Sicut... enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi* (v.19)

Iam vero eo loco supponit Paulus opus Christi ordinari ad omnes homines, non solum adultos sine ulla exceptione (etsi forte adhuc nullo peccato gravi personali maculatos) sed etiam infantes, qui immerito excluderentur, quos proinde omnes censet esse affectos peccato (Rom 1-5). Ergo agit de restituenda aliqua iustitia et ea vita quam ante omne peccatum habuerit Ada; hinc nil mirum si eandem ideam operis Christi alibi aliis formulis Paulus expresserit, quae indicant velut reditum ad illum primum statum, ut sunt fere omnes quae uno vel alio modo efferunt *iustificationem* omnium (Rom 3,24; 5,1.9; 4,25; 8,30; 1 Cor 6,11), v.gr. in genere: *mortui sumus peccato per vitam in Christo* (Rom 6,1-11), consequenter *sumus nova creatura* (2 Cor 5,14-17) seu *resuscitati ex morte peccati sumus ipsius factura, creati in Christo* (Eph 2,1-10) et *regenerati ac renovati per Spiritum S.* (Tit 3,3-7) ergo *filiu adoptivi ac heredes* (Gal 4,4-7) et sic *translati de potestate tenebrarum in regnum Filii dilectionis suae* (Col 1,12-14) non sumus iam tenebrae sed *lux in Domino* (Eph 5,8). In specie vero illud opus depingitur ut:

a) *Reconciliatio*, quasi restituit aliquam iustitiam seu vitam amicitiae cum Deo (Rom 5,19) amissam ab omnibus, ergo etiam ante peccata personalia, seu non nisi in Ada, qui proin eam habuit. Rom 5,10s: *Cum inimici essemus Dei reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius... Gloriamur in Deo per Dominum N.I.C., per quem nunc reconciliationem* (τὴν καταλλαγὴν) *accipimus*. Cf. et 2 Cor 5,18s; Col 1,20.

b) *Redemptio* (ἀπολύτρωσις) seu negative liberatio a servitute peccati et simul positive communio cum Deo, quasi reddat libertatem filiorum Dei amissam ab omnibus, ergo etiam ante peccata personalia seu in Ada. Eph 1,7-14: *In quo* (Christo)

deux Adam (Paris 1947); J.M. BOVER, S.I., *Theologia de San Pablo* (Madrid 1946) p.220-223.436-439.571.579; X.M.A. VALLISOLETO, O.M.C., «Christus-Adam»: VerbDom 15 (1925) 87-93.114-120; A.HULSBOSCH, O.E.S.A., *Conceptus paulini vitae ac mortis*: DivThom(Pi) 21-23 (1944-1945) 35-55. Item de conceptu protestantico novi Adam, cf. E. TOBAC, *Note sur la doctrine du Christ novel Adam*: RevHistEcl 20 (1924) 243-273. De parallelismo in hac pericopa cf. LABOURDETTE, 23-25.

habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis... in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. Notiones vero «acquisitionis» et «emptonis» (1 Cor 6,20; 7,23) declarant etiam sensum «redemptionis» 6.

711. Minor. At vero id quod nobis allatum est a Christo synthetice designans omnia eius dona in nos est gratia sanctificans, ut sat patet: 1) Ex complexu locorum nuper memoratorum. 2) Ex eo quod opus Christi facit nos: a) Iustos. Rom 5, 9: ... Ita et per unius obedientiam iusti (in contrapositione ad «peccatores») constituentur multi. Cf. et 1 Cor 6,11. b) Consortes divinae naturae. 2 Petr 1,4: ... Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae. c) Filios Dei adoptivos et heredes vitae aeternae. Rom 8,15-17: ... Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi... Cf. et Gal 4,4-7.

At haec tria seu quod fiamus iusti, consortes divinae naturae, adoptivi, sunt effectus formales gratiae sanctificantis (ut probatur in tractatu *De Gratia*) et proin eam supponunt.

Non arguimus: a) Ex verbis: *Instaurare omnia in Christo*, etsi haec ideam restorationis clare indicent; nam in originali est verbum ἀνακατασκευασθαι pro «instaurare», et ideo locus hodie communiter sumitur de unione omnium, quae peccata Adae discissa erant, plena cum harmonia in Christo; ubi idea reparationis magis indirecta est, etsi etiam implicita, ut putamus, quasi supponatur ibi per primum peccatum et eius occasione per peccata actualia evenisse profunda harmoniae universalis dissolutio inter Deum ac homines et inter hos ac alias creaturas (angelos, ipsos homines vel ut individuos vel intra familias vel ut membra sive familiae sive cuiuslibet alius societatis, alia entia inferiora) dum Christus venit ut mediator Dei et hominum (1 Tim 2,5) ut omnia restitueret in pristinam omnium unitatem cum Deo inter se per sanctificationem hominum universalem donis suae gratiae promovendam. Eph 1,3-10: *Benedictus Deus... qui praedestinavit nos... ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae... in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso 7.* b) Ex Eph 4,23: *Renovamini... et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate...*

⁶ Cf. ST. LYONNET, S.I., *De peccato et redemptione* 2 (Romae 1960), ubi exponitur notio paulina redemptionis, emptionis, acquisitionis; J.M.FONDEVILA, S.I., *La gracia capital de Adán y la carta a los romanos: EstEcl 37* (1962) 147-158; E. TESTA, O.F.M., *Gesù pacificatore universale* (Assisi 1956) c.2; P.F.M. URICCHIO, O.F.M.Conv., *Grazia e peccato in S. Paolo* (Padova 1955).

⁷ Cf. PRAT, L.C., 110-112; VOSTÉ, *Commentarius in epistolam ad Ephesios* (Romae 1921) p.1065; BOVER, *Las epistolas de San Pablo* p.289s; LONGKE, *Doctrina recapitulatio in probando statu Adae supernaturali*: CollatBrug 44 (1948) 117-122; R.HAUBST, *Anakephalosis*: LThK 1 (1957) 466s; H.CAZELLES, *Instaurare omnia in Christo*: Bibl 40 (1959) 342-354. De mente PP. in ea re cf. J.M.PUFOURT, S.I., *La récapitulation paulinienne dans l'exégèse des Pères*: ScEcl 12 (1960) 21-38.

cum novus homo possit esse vel Christus, vel iustus in oppositione ad priorem statum peccati 8. c) Ex Gen 1,26s: ... *Et creavit Deus hominem ad imaginem... nostram*; cum haec possint intelligi de imagine naturali v.gr. per animam et eius potentias 9. d) Ex Eccl 7,30: ... *Quod fecerit Deus hominem rectum*; cum id sine gratia sanctificante esse potuerit 10.

N.B. In Gen 1-3 splendet benevolentia Dei in protoparentes, quos in magna felicitate per integritatem, immortalitatem, impassibilitatem, dominium in alias res, scientia eminenti constituerat, et maxime cum quibus familiariter cotidie ageret, ita ut cum iis deambularet «in paradiso ad auram post meridiem» (3,8). Infuderat ergo iis et donum gratiae sanctificantis? Certe ea vita familiaris cum Deo est symbolum *status gratiae*, ut conditionis ordinariae hominis ante Deum unius intentae a Deo, at ea gratia expresse ibi non effertur, sed in N.T. 10*.

712. Probatur ex traditione. SS.Patres 11 profitentur clare illud adagium S.LEONIS M. (R 2192): «Quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo». S.IRENAEUS in suo conceptu «recapitulationis» maxime effert eam ideam restitutionis hominis per Christum in statum pristinum: «... Ostendimus enim, quia non tunc coepit Filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est et homo factus longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdidimus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu recipere». Accipimus autem per Christum adoptionem, unionem cum Deo, inhabitationem Dei, participationem vitae divinae 12.

1) *Dicunt nos recipere iustitiam ex qua cecidit primus homo.* S.AUGUSTINUS (R 1698): «Quomodo ergo, inquit, renovari dicimur, si non hoc recipimus quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum et non hoc recipimus secundum quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritualis corporis

⁸ Cf. KNABENBAUER, in h.l.; PESCH, 3 n.172.

⁹ HUMMELAUER, in h.l.; BEA, *De Pentateucho* p.139; SCHEEBEN, *Mysterien des Christentums* § 33; BERAZA, n.284.

¹⁰ KLEUTGEN (o.c., p.500-502) valde insistit in hoc loco per alia loca Scripturae pro thesi declarando; HETZENAUER (*Theologia biblica* 1 p.547) haec scribit: «Ex Novo Testamento... patet Adamum et Evam peccantes gratiam sanctificantem amisisse itaque Deo dissimiles factos esse; ex Vetere tamen Testamento haec veritas demonstrari nequit, quia nullo loco Veteris Testamenti probari potest [clare, adderemus nos] protoparentes gratia sanctificante ornatos fuisse». Ceterum de argumento scripturistico, cf. VANDENBERGHE, *De elevatione hominis ad statum supernaturalem*: CollatBrug 37 (1937) 329-333.

^{10*} Cf. ARNALDICH, 227-229; ID., *Perspectivas cristianas en la historia bíblica primitiva*: CultBibl 20 (1963) 215.

¹¹ De Patribus ante S. Augustinum, cf. SLOMKOWSKI, *L'état primitif de l'homme dans la tradition de l'Église avant Saint Augustin* (Paris 1928).

¹² S.IRENAEUS, *Adv. haer.* 3,18,1; 3,20,1; 4,20,2; 5,9,3; MG 7,932-939s.1034.1145. Cf. F. VERNET, *Irenée (Saint)*: DTC 7,2451.2455s; D'ALÈS, *La doctrine de la récapitulation en St. Irenée*: RechScRel 6 (1916) 185-211; VERRIELLE, *Le plan du salut d'après saint Irenée*: RevScRel 4 (1934) 493-524; E.SCHARL, *Recapitulatio mundi. Der Rekapitulationsbegriff des heiligen Irenäus und seine Anwendung auf die Körperwelt* (Freiburg Br. 1941); LONGKE, l.c., 120-122; J.LAWSON, *The Biblical Theology of St. Irenaeus* (London 1948): cf. TH.CAMELOT: RevScPhTh (1951) 311.

recipimus...; sed recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo». At iustitia christiana importat gratiam¹³.

2) *Dicunt nos recuperare per gratiam imaginem Dei Adae impressam*. S.BASILIIUS (R 973): «Homo ad imaginem... Dei factus est; sed peccatum... deformavit imaginis pulchritudinem. Deus autem... vera est vita. Itaque qui Dei similitudinem amisit, is perdidit vitae consortium; qui vero extra Deum est, vitam beatam degere non potest. Revertamur igitur ad gratiam nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum, et rursus iuxta Dei imaginem exornemus nosmetipsos». His videretur indicari similitudo obtenta per vitam bonam; at in mente christiana id importat gratiam. S.IRENAEUS (R 253); S.AMBROSIIUS (R 1318); S.LEO M. (R 2192).

3) *Tribuunt Adae inhabitationem Spiritus S. quam ab ipso amissam per Christum recuperamus*. S.CYRILLUS ALEX. (R 2086): «Simul... natura hominis ad existentiam adducta est et coniunctione cum Spiritu decorata. Inspiravit enim in faciem eius spiraculum vitae, vivente non aliter habituro... splendorem sanctificationis..., nisi Spiritus S. participatione ornetur. Propterea cum Unigenitus factus est homo, naturam humanam... initiali bono destitutam inveniens, in illud eam reformare festinavit, immittens velut e propriae plenitudinis fonte et dicens: *Accipite Spiritum S., corporeo... flatu naturam Spiritus utique designans*». TATIANUS (R 159).

4) *Asserunt Adam habuisse sanctitatem et per consortium divinum gratiam*. S.IRENAEUS (R 225): «... Quoniam, inquit (Adam), eam quam habui a Spiritu S. sanctitatis stolam amisi per inobedientiam». S.IO.DAMASCENUS (R 2360): «Hunc itaque hominem... condidit, divinam ei gratiam suam impertiens seque per eam ipsi communicans...»

713. Ratio theologica. a) In mente ecclesiastica (biblica, patristica, theologica) incarnatio reparat opus Adae. At id reparatur de facto per gratiam sanctificantem. Ergo haec amissa erat per opus Adae; ergo Adam habuit eam.

b) Si privatio visionis beatificae est poena peccati originalis, ut dein probabitur, iam ante peccatum homo erat destinatus ad eam visionem, cum secus huius carentia non esset *privatio*, et sic nec *poena*. At ea destinatio postulat in providentia supernaturali ordinaria, quae *per se* supponenda est, principium *connaturale*, qualis est gratia sanctificans. Ergo Adam ante peccatum hanc habuit.

¹³ De S. Augustino, cf. SŁOMKOWSKI, *Status primitivus hominis iuxta S. Augustinum* (Lwow 1933); hoc opus scriptum polonice habet (p. 173-179) compendium gallicum; G.B. LADNER, *St. Augustine's Conception of the Reformation of Man to the Image of God*: AugMag 2 (1954) 867-874.

N.B. Nostrae probationes non fundantur in eo quod Redemptio sit restituito *adaequata* bonorum Adae, sed in eo quod iustitia allata per Christum sit restituito iustitiae quam Adam habuit. Ceterum nunc *iure* et *spe* pro altera vita obtinemus omnia alia bona ab Ada nobis amissa¹⁴.

714. Scholion 1. *Infusa est Adae gratia in ipso creationis momento?* Hugo a S. Victore, P. Lombardus (ut videtur), Alexander Halensis, S. Bonaventura, Petrus a Tarantasia, S. Albertus M., Richardus a Mediavilla¹⁵, Scotus et Scotistae¹⁶, negative respondent; cum enim Deus ex lege communi praevisum hominis adulti dispositionem ad gratiam requirit, Adam, creatus in naturalibus i.e. in rectitudine naturali (quae tamen, iuxta ipsos, erat praeternaturalis) post aliquod tempus, praevisum dispositione, accipit gratuita i.e. gratiam.

At S. Thomas, qui iunior putarat esse probabilius Adam, in naturalibus creatum, gratiam in primo instanti creationis ad Deum conversum accepisse (In 2 d. 29 q. 1 a. 2), dein affirmative respondit (1 q. 95 a. 1) et eum plerique TT. secuti sunt, ita ut hodie ea opinio sit *communis*¹⁷. Ceterum Deus produxit res in statu perfecto relate ad earum finem; at homo destinatus erat ad finem supernaturalem. Item, si Adam non peccasset, filii eius concepti essent in gratia. Nec lex praeparationis ad hanc est sic certa de homine *innocenti*; at si ea exigebatur, Adam potuit gratiae in primo instanti suae creationis consensisse (ibid., ad 5)¹⁸.

715. Scholion 2. *De fide Adae.* Communiter tenetur Adae fuisse fidem theologiam ut nostram, cum sint mysteria stricte dicta, et quorum revelatio pro Ada possibilis fuerit; revelationem vero ea fide suppositam factam ei esse mediate per angelum, vel immediate per Deum, locutione interna vel externa, de omnibus mysteriis quae fide tenebat; haec fuerunt sine dubio, praeter existentiam Dei et Creatoris et Remuneratoris, visio beatifica cum suis principiis (ut est gratia sanctificans), probabilissime Trinitas, Incarnatio (quin eo ipso Adam futurum suum lapsum nosceret) iuxta eam sententiam quae pro Suárez «communis est vera sententia est» quamque tenent ipse, S. Thomas, etc.¹⁹

¹⁴ Cur Christus omnia illa bona iam nunc non reddat, cf. apud WAFELAERT, *De hominis creatione, elevatione atque lapsu, et de promissione Redemptoris*: CollatBrug 8 (1903) 517-524.

¹⁵ Cf. KORS, o.c., 468 (de Hugone), 568 (de P. Lombardo), 62-63 (de P. a Tarantasia, Alberto M., Alexandro Hal., S. Bonaventura); KAUP, *l.c.* (de Alexandro Hal., S. Bonaventura, Richardo a Med.); BITREMIEUX, *De instanti collationis Adamo iustitiae originalis et gratiae. Doctrina S. Bonaventurae*: EphThLov 1 (1924) 168-173; DA GAGGIO MONTANO, o.c.; CAZZAZZO, o.c.; F. MITZKA, S.I., *Die Lehre des hl. Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligmachende Gnade*: KzathTh 50 (1926) 50-55. Cf. S. Bonaventura *opera omnia* (Quaracchi) 2 p. 702 Schol.

¹⁶ SCOTUS, In 2 d. 29 n. 7; FRASSEN, o.c., 5 tr. 3 d. 2 a. 2 p. 241, sic Magistrum interpretans, ut et alii franciscani v.gr. editores S. Bonaventurae (*l.c.*); MINGES, 1^o n. 406. H. DE MONTEFORTINO, *J. Duns Scoti...* Summa Theologica 3 (Romae 1901) p. 857, ipsi contrariam opinionem, saltem verbis, adscribit. Res non est clara, iuxta J. FINKENZELLER, *Erbsünde und Konkupiszens nach der Lehre des Johannes Duns Scotus*: Theol. in Gesch. u. Gegenw. (München 1957) 528.

¹⁷ PRAEPOSITINUS: cf. KORS, *l.c.*, p. 61; S. THOMAS, 1 q. 95 a. 1; SUÁREZ, *l.c.*, 3.17.5-18. Iuxta ipsos editores S. Bonaventurae (*l.c.*) «sententia S. Thomae nostra aetate in scholis catholicis omnino praevaluit»; sic et pro MINGES (*l.c.*) «communis sententia est... et haec videtur magis concordare cum effatis Scripturae et Patrum». HUGON (*l.c.*, p. 374) opinionem thomisticam vocat «doctrinam certam, licet non definitam» (cf. et p. 376): «doctrina hodie certa»; at non est idem «communis» ac «certa» et TT. hodierni, ut recte notat LANGE (Schol 3, 128, 606), censent eam mere ut «probabiliorum»; sine dubio etiam hodie, ut tempore ESTII (In 2 d. 25 § 1) nihil temeritatis vel periculi est primae opinioni. S. ANSELMUS putandus est praevise Praepositino et S. Thomae, si, iuxta ipsum, iustitia in qua creatus est Adam donum supernaturale gratiae includebat, ut putat v.gr.: R.M. MARTIN (*La question du péché originel dans Saint Anselme*: RevScPhTh 5 [1941] 739); at de ea re alii dubitant, ut KORS (*l.c.*, p. 27-29), BAINVEL, *Anselme (Saint)*: DTC I, 1346s.

¹⁸ De modo quo id forte fieri possit, cf. BERAZA, *l.c.*, n. 299-303.

¹⁹ S. TH., 2.2 q. 5 a. 1; 2.2 a. 7; 3 q. 1 a. 3 ad 5; SUÁREZ, *l.c.*, 3.18.8-10; PESCH, n. 185.

His non obstat quin iure credatur cognitio supernaturalis Adae fuisse non qualiscumque, sed sublimis (quae merito posset perfecte mystica dici) ²⁰. Nec forte aliud sibi volunt S.Bonaventura, Alexander Halensis, dicentes cognitionem mysteriorum apud Adam fuisse mediam inter nostram fidem et visionem, non veram fidem, cum haec, utpote obscuritatem importans, perfectioni status innocentiae repugnet et cum fides sit ex auditu ²¹.

ARTICULUS III

DE SUPERNATURALITATE GRATIAE ADAE

Thesis 29. Gratia sanctificans Adae fuit supernaturalis.

S.TH., I q.95 a.1; BERAZA, n.451-468; BOYER, th.9; HUARTE, n.309-313.327-338.

716. Nexus. Cum ex probatis constet Adam gratia sanctificante ornatum esse, nunc quaeritur de eius gratiae relatione ad naturam, seu utrum ea huic debita an indebita esset.

717. Notiones. GRATIA SANCTIFICANS ADAE i.e. specificae eadem ac nostra et proin ex se eosdem effectus formales habens. Si ergo constet gratiam nostram, vel eius effectus formales ac proin gratiam eos producentem, esse supernaturales, eo ipso idem constabit de gratia Adae.

SUPERNATURALIS i.e. non mere *secundum quid*, quasi gratia alicui naturae superanti humanam naturaliter conveniat, sed *simpliciter* seu nec constitutive nec consecutive nec exigitive pertinens ad naturam vel humanam vel angelicam vel aliam quamlibet possibilem. Maxime vero attendimus ad *exigentiam* gratiae naturalem excludendam, cum in ea sit specialis difficultas.

At supponimus ex tractatu *De Deo Uno* visionem Dei intuitivam esse *simpliciter supernaturalem* etiam *exigitive*, et proin ibidem refutatam esse opinionem R.Ripalda de *substantia supernaturali* ac eius obiectiones esse solutas, ita vero ut in thesi, etsi theorice ab ea opinione praescindatur, practice ea etiam impugnetur.

718. Adversarii. *Protestantes, Baiani, Iansenistae* (n.697-700).

719. Doctrina Ecclesiae. S.PIUS V damnavit *in sensu ab auctore intento* quasdam propositiones Baii, nempe quod

²⁰ Cf. S.GREGORIUS M., *Dial.* I.4 c.1: ML 77,317; S.TH., I q.94 a.1; *De ver.* q.18 a.2: cf. FITZPATRICK, *o.c.*, 24-30; PH.H.DUNAND, *L'enseignement de l'Eglise et le bonheur de l'autre vie*: RevClerFr 9 (1897) 475-477; A.STOLZ, *Teologia de la mística*, trad. L.Pelayo, C.M.F. (Madrid 1951) 113-136; D.BARSOTTI, *Adamo e la mística*: CittVit 6 (1951) 328-339. Cf. en WAFFELAERT, *De distinctione reali inter iustitiam et gratiam sanctificantem brevis adnotatio*: EphThLov 8 (1931) 614s.

²¹ S.BONAVENTURA, *In* 2 d.23 a.2 q.3; ALEXANDER HAL., *Summa* 2 q.91 memb.2 c.1 a.1 n.512 (Quaracchi), qui tamen expresse Adae fidem tribuit.

Adae innocenti deberetur sive consortium divinae naturae per inhabitationem Spiritus S. sive naturae integritas, quae, iuxta Baium, et sanctitatem interioram per inhabitationem Spiritus S. ac virtutes et concupiscentiae subiectionem includebat (cf. n.699): «Humanae naturae... in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis» (D 1021).

«Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio» (D 1026). Haec damnatio est saltem de elemento principali seu de sanctitate interiora per inhabitationem Spiritus S. Quae omnia valent pro nostra thesi, etsi forte Baius gratiam creatam habitualement non agnosceret.

Aliae propositiones damnantur ob censuram quam proferrunt, et, cum damnentur ad sensum Baii, ob earum doctrinam, quae sane ipsius est (D 1021); nec ea est negatio *donorum* de quibus agit, cum ipse haec admittat (cf. D 1021), sed *supernaturalitatis* eorum: «Absurda est eorum sententia qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret» (D 1023).

«A vanis et otiosis hominibus... excogitata est sententia quae ad Pelagianismum reicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et ad Dei filium exaltatus» (D 1024) ¹.

Ut doctrinam baianam reddentes: CLEMENS XI damnavit errorem Quesnellii de «gratia Adami» ut «debita naturae sane integrae» (D 1385) ². PIUS VI damnavit ut *erroneam* doctrinam synodi Pistoriensis «quatenus complexive accepta (i.e. ut complectens et sanctitatem interioram per caritatem et integritatem) innuit statum illum... fuisse... debitum ex naturali exigentia... humanae naturae...» (D 1516) ³; quae damnatio valet saltem de elemento *principali* seu *de gratia*.

C.Vaticanum paraverat doctrinae caput, quo de elevatione praevisae humanae generis in Ada «super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem... in quo divinae ipsius consors efficeretur naturae...» seu gratiae sanctificantis, et ad dona «quibus in propria natura perfereretur seu integritatis et immortalitatis (cf. n.708) dicit: «Haec illa est hominis elevatio, quam... DD. catholici recte supernaturalem vocaverunt, ut quae naturae creatae tum vires tum exigentiam transcendat...» Item paravit canones: 1. «... Humanum genus in primo parente ad statum supernaturalem ele-

¹ Cf. LE BACHELET, *l.c.*, 67-70.4.9-12.22-26.40-45; ALFARO, *l.c.*; RIPALDA, *Adversus Baium et Baianos*, disp.1 s.4-6, putat omnes errores baianos damnari et quoad eorum doctrinam, nec solum quoad censuram.

² Cf. CARREYRE, «Unigenitus» (Bulle): DTC 15,2095.

³ Cf. CARREYRE, *Pistoie* (Synode de): DTC 12,2208.

vatum esse». 3. «... Sanctitatem et iustitiam, in qua homo ante lapsum constitutus erat..., fuisse supernaturalem».

Etsi videretur ibi non clare ut distincta efferri supernaturalitas gratiae sanctificantis et integritatis ac immortalitatis, satis de ea distinctione constat, cum illa dicatur elevare «super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem», dum haec dicuntur perficere hominem «in propria natura».

Item iuxta C.Coloniense prov. (a.1860) agens de iustitia et sanctitate Adae, «supernaturalis... dicenda est gratia illa sanctificans»... (cf. supra n.708) 4.

720. Valor theologicus. Supernaturalitas gratiae relate ad naturam humanam est *theologice certa*, prout negatio eius esset erronea (D 1516) et *proxime definibilis* (Vatic.); relate ad *angelicam est certa in theologia*; relate ad *quamlibet* possibilem, *moraliter certa in theologia* 5.

721. Probatur ex sacra Scriptura. Scriptura, ut vidimus in priori thesi, docet nos fieri *consortes divinae naturae* (2 Petr 1,4) *filios Dei et heredes caeli* (Rom 8,13-17; Gal 4,4) qui sunt effectus formales gratiae sanctificantis, ut constat ex tractatu *De gratia*. At illa tria sunt dona *simpliciter supernaturalia*. Ergo gratia est simpliciter supernaturalis.

Minor. Cum omnis creatura, etiam perfectissima, sit ex se *serva Dei*, iis solum iuribus fruens quae acceperit a Deo, nulla, vel perfectissima inter posibles, concipitur ullum ius ex se habere posse:

a) *Ut elevetur in consortium, seu ad aliquam participationem ipsius divinae naturae qua talis.* Si participatio alicuius qualitatis proprie angelicae esset homini *plane indebita*, a fortiori erit *indebita cuilibet creaturae* participatio alicuius rei proprie divinae, ob infinitam distantiam inter quamlibet creaturam et Deum.

b) *Ut adoptetur a Deo*, sc. ut assumatur a Deo in filiationem cum omnibus iuribus filii naturalis. Si *adoptio* etiam inter homines, qui inter se sunt aequales, putatur esse quid *gratuitum*, a fortiori erit gratuita inter quamlibet creaturam et Deum, cum sit inter utrumque extremum distantia infinita.

c) *Ut assignetur in heredem caeli*, sc. bonorum quae sunt propria solius Dei, qualis est visio beatifica. Si vel inter homines accessio ad bona aliena mere temporalia est quid *gratuitum*, a fortiori erit gratuita accessio ad bona propria Dei 6.

4 Schema *reform. constit. de doctr. cath.*, l.c.: CL 7,556-558,566.1633.1637. Sine sufficienti ratione iudicat non clare constare iis definiti supernaturalitatem donorum, nec potius mere ipsam solum elevationem ad ordinem supernaturalem G.COLOMBO, *La dottrina della elevazione all'ordine soprannaturale al Concilio Vaticano I: ScuoCatt* 88 (1960) 346-351. De Coloniensi, cf. l.c. (n.708).

5 Pro LERCHER (2 n.618) est solum «sententia longe communior».

6 Cf. LANGE, *De gratia Christi* n.269.

722. Probatur ex traditione. SS.Patres ea dicunt de gratiae supernaturalitate respectu hominis, quae valeant etiam respectu *cuiuslibet* creaturae etiam *pure possibilis*.

S.ATHANASIUS (R 766): *Homo filius Dei fit a Deo, non ut effectore, sed gratia seu per acceptum Spiritum S.; nec aliter id fieri poterat, cum homo ex natura sua sit creatus.* «Haec est Dei benignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater gratia postea fiat..., cum creati homines... Spiritum Filii eius... suscipiunt. Hi porro sunt qui, suscepto Verbo, potestatem ab eo accepere filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum (Filii)... acceperint».

S.GREGORIUS NYSS. (R 1027): *Homo qui ex sua natura est vanitas, filius Dei fit; superat naturam cum fit Deus.* «Huic tali... rei (naturae divinae)..., homo qui pro nihilo in mundo existimatur, cinis, foenum, vanitas, familiaris fit, in filii locum a Deo ... assumptus. Quid gratia illa dignum est invenire ad gratiarum actionem?... Quem animi motum per quem gratia insuperabilis celebretur? Excedit suam naturam homo... factus... deus ex homine...»

S.CYRILLUS ALEX. (R 2106): *Homo filius Dei fit ex gratia in oppositione ad Filium ex natura, nam creatura, utpote facta et serva, non nisi nutu Dei ascendit ad supernaturalia.* «... Ascendimus ad supernaturalem dignitatem per Christum; non autem erimus filii Dei sicut ille..., sed per gratiam qua illum imitatur: est enim Filius ex Patre existens genuinus, nos vero adoptivi ex benignitate... Facta enim et serva creatura vocatur ad supernaturalia solo nutu ac voluntate Patris; Filius vero... ex ipsa substantia Patris... proprium eius substantiae bonum secundum naturam accipit».

723. S.AUGUSTINUS. Cum Pelagiani tenerent peccatum Adae nihil huius filii nocuisse, ac proin hos se habere ut illum ante peccatum, et pariter ut illum posse per vires naturae, seu sine ulla alia gratia, salutem operari, S.Doctor vult probare hominem, peccato originali infectum, certis donis in Ada a Deo acceptis privatum esse, qui proin nunc *per se* non sit potens ut Adam innocens ad iustitiam operandam; ergo agit directe de *existentia* illorum donorum ante peccatum et de eorum absentia post peccatum, non vero de eorum *ratione debiti* vel *indebiti* relate ad naturam qua talem.

Ergo considerat saepius naturam hominis *historicam* sive innocentem sive iam peccato Adae lapsam, non vero ut naturam *qua talem*, seu *puram*, respectu cuius illa dona dicantur debita

vel indebita. Quod bene notandum est ut quaedam obiectiones Baianorum ex doctrina Augustini desumptae recte solvantur.

At aliunde S.Doctor sat clare supernaturalitatem gratiae indicat, ut patet v.gr. ex sequentibus:

a) *Homo a Deo conditus, non natus, gratia fit quod non erat i.e. filius adoptivus, a qua generatione gratiae discernitur Filius Dei.* «Iste itaque modus quo nos Deus, cum iam essemus ab ipso non nati, sed conditi..., gratia sua genuit ut filii eius essemus, adoptio vocatur»⁷. «Haec... natiuitas, spiritualis, ideo... ex Deo. Haec etiam adoptio vocatur. Eramus enim aliquid antequam essemus filii Dei, et accepimus beneficium ut fieremus quod non eramus; sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur nondum erat filius eius a quo adoptatur, iam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiae discernitur ille Filius... Dei...» (R 1433).

b) *Caritas Dei est nobis per Spiritum S. nobis datum.* «Caritas... Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum S. qui datus est nobis»⁸. Ceterum *ea caritas dicitur gratia*: «... Quis fecerat, nisi ille qui eos (angelos) cum bona voluntate, id est, cum amore casto quo illi adhaerent, creavit, simul iis et condens naturam et largiens gratiam?» (R 1755). Iam vero *gratia est gratuita*: «Quia gratis ideo gratia; non est enim gratia, si non gratuita»⁹.

724. Ratio theologica. Visio beatifica est simpliciter supernaturalis (etiam exigitive), ut hic aliunde supponimus (tr. I n.48-55). At gratia sanctificans: a) cum in hoc ordine sit unicum medium illam obtinendi, debet *per se* (seu nisi contrarium constet, ut non est in casu) esse simpliciter supernaturalis, ut sit proportio inter medium et finem; b) immo est semen et inchoatio illius visionis, ut probatur in tractatu *De gratia*. Ergo gratia sanctificans est simpliciter supernaturalis.

725. Obiectiones. I. Quod non debetur peccatori potest deberi innocenti. Ergo gratia naturae humanae peccato Adae lapsae indebita potuit deberi ipsi innocenti.

Dist. antec. Quod non debetur peccatori potest deberi innocenti, si id est indebitum peccatori mere qua peccatori, *conc. antec.*; si est ipsi indebitum qua talem naturam habenti, *nego antec.*

Gratia est indebita homini, ratione peccati, sed primo ratione naturae, ut constat ex argumentis. Et sane filius recuperans iura filiationis per crimem amissa non diceretur *adoptari*, sed mere in iura sua pristina *restitui*¹⁰.

Ceterum natura solo peccato originali peccatrix non privaretur gratia sibi naturaliter debita.

2. Rom 2,9-14: *Tribulatio... in omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum et graeci; gloria autem... omni operanti bonum, Iudaeo primum et graeco...* At *gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt...*

Ex his gentes *naturaliter* legem implent ita ut caelum mereantur. Atqui id supponit gratiam et caritatem. Ergo gratia et caritas ipsis naturalis est.

Dist. mai. Gentes legem implent naturaliter i.e. natura duce cognitam, *conc. mai.*; naturaliter i.e. per vires naturae, *subdist.*; aliquid legis, *trans.*; totam, *nego.*

Legem totam saltem diu posse viribus naturae impleri, Paulus alibi negat (Rom 7,7-8,4), nec id diceret solum de gentibus, cum iudaei natura ab iis non differant et etiam difficili praeecepto non concupiscendi teneantur. Potius, ut patet legenti totum contextum (2,9-16..., maxime v.12.15), solum dicit omnes de legis impleione iudicandos, etiam gentes, cum hae, etsi lege scripta careant, ea quae sunt legis ex sua conscientia (et ideo naturaliter) norint. In qua explicatione *probabilissima* supponitur gentes posse implere legem, at nihil dicitur explicite de modo (an per naturam vel per gratiam, an merito gloriae remoto vel proximo) quo eam impleant¹¹. Ergo in ea non supponitur gratiam et caritatem deberi naturae innocenti.

Est alia loci interpretatio *minus probabilis* de gentibus, quasi hae *viribus naturae aliquid legis*, non vero totam legem impleant: at id saltem explicite non videtur eo loco doceri. Nec vero haec explicatio supponit gratiam et caritatem naturae innocenti deberi¹².

Inst. Ex S. Augustino agitur ibi *de gentibus ad fidem conversis*, quae naturaliter agunt ea quae sunt legis (R 1732). Ergo supponit S. Doctor gratiam et caritatem naturae humanae innocenti deberi.

Dist. antec. Gentes ad fidem conversae ea quae sunt legis agunt naturaliter i.e. per naturam reparatam gratia, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Cum Pelagiani locum intelligerent *de gentibus operantibus salutariter*, Augustinus, incumbens totus statuendae contra eos necessitati gratiae ad opera salutaria, dicit Paulum loqui de gentibus conversis, sed ita ut vox «naturaliter» includat gratiam quatenus haec erat homini data cum ipsa natura; ergo sumit naturam *historice*, seu in statu reali creationis^{12*}.

«Nec moveat quod *naturaliter* eos dixit quae legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis» (R 1732). Et dein: «Non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura». Ceterum S. Augustinus non reicit interpretationem loci de gentibus non conversis (R 1733).

3. S. Augustinus dicit: «Respondete... Vos enim dicitis: vitam quidem habebit iste non baptizatus aeternam, sed non habebit regnum caelorum. Ille contra, imo et vitam et regnum caelorum. Quare enim patrimonium regni caelorum acripiis innocenti?... Quae est ista iustitia?... Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam, nec suam nec de parente tractam...?»¹³ Ex his, parvulo innocenti debetur regnum caelorum. Ergo et gratia.

¹¹ CORNELI, in h.l. p.1355; LAGRANGE, *Epître aux Romains* (Paris 1931) p.49; BOVER, *Teologia de San Pablo* p.161; PRAT, I p.236; J.A.VICENTINI, S.I., *Carta a los Romanos: SagrEscr 2* (Madrid 1962) 203.

¹² Sic SUÁREZ, *De gratia* l.1 c.8 n.42-45.

⁷ S.AUGUSTINUS, *Cont. Faustum* 3,3: ML 42,2158. Cf. *In Io.* tr.2 c.1 n.13: ML 35,1394.

⁸ Ep. 140 *ad Honor.* 37,85: ML 33,567. Cf. *De civ. Dei* 12,9,2: ML 41,357.

⁹ S.AUGUSTINUS, *In Ps* 18,22: ML 36,158. Cf. BOYER, 242-244; GARRIGOU-LAGRANGE, *De natura creata per respectum ad supernaturalia secundum sanctum Augustinum*: ActFebAug-Thom (Romae 1931) 223-240; DE BROGLIE (etiam alios Patres memorans), *De gratuitate ordinis supernaturalis*: Greg 29 (1948) 440-444.

¹⁰ PALMIERI, th.8 n.2.

^{12*} H.RONDET, S.I., *Naturel et connaturel*: RechScRel 48 (1960) 248: Augustinus carens notione philosophice firmae naturae, hanc sumit plerumque historice seu ut fuit ornata privilegiis paradisiacis; cf. tamen C.BOYER, S.I., *La notion de nature chez S. Augustin*: DocComm (1955) 65-76.

¹³ Sermo 294 n.5-6: ML 38,1338s.

Dist. antec. Parvulo innocenti debetur regnum caelorum, si arguitur ad hominem, seu iuxta principia pelagiana, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

S. Augustinus ibi non exponit suam mentem, sed, ut patet ex ipsis eius verbis, arguit ad hominem in Pelagianos negantes peccatum originale et proin excludentes a regno caelorum parvulos non baptizatos ¹⁴.

4. Ex S. Augustino non est medium inter caritatem et vitiosam cupiditatem (R. 1933). Ergo caritas debetur homini.

Dist. antec. Non est medium inter caritatem *late* sumptam, seu pro amore cuiuslibet boni honesti, et vitiosam cupiditatem, *conc. antec.*; inter hanc et caritatem *stricte* sumptam, seu pro amore supernaturali, *nego antec.*

Cum caritas sumi possit *stricte*, seu pro amore theologico supernaturali, et *late*, seu pro amore boni honesti, S. Doctor eam passim *late* sumit. «Caritas alia est divina, alia humana; alia est humana licita, alia illicita... Licita est humana caritas qua uxor diligitur; illicita qua meretrix vel uxor aliena... Licitam ergo caritatem habete; humana est, sed, ut dixi, licita est... ita ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere coniuges... Omnia enim ista nomina habent... gluten quodam modo caritatis. Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum...» (R. 1528) ¹⁵.

726. Corollarium 1. *De capacitate Adae habituali ad actus supernaturalis.* Ad pro gratiam sanctificantem erat *intrinsece* et *habitualiter* capax agendi *supernaturaliter*, seu congruenter fini ultimo supernaturali, omnes suos actus deliberatos, utpote *intrinsece* elevatus per illam ad ordinem supernaturalem, cuius finis ultimus erat visio beatifica, quae est supernaturalis.

Corollarium 2. *De virtutibus per se infusis Adae.* Si Adam accepit eandem gratiam sanctificantem quam nos habemus, eo ipso censendus est accepisse sive omnes virtutes nobis infusas, connaturaliter illi gratiae annexae, quaeque sunt eius velut potentiae agendi proximae, sive dona Spiritus S. At non habuit nisi *quoad habitum*, ut patet, virtutes paenitentiae et misericordiae, cum actus earum supponant respective peccatum commissum et miseriam alienam (1 q.95 a.3).

ARTICULUS IV

DE DONO INTEGRITATIS ADAE CONCESSO

Thesis 30. Adam ante peccatum ornatus est integritate seu immunitate a concupiscentia.

S.Th., 1 q.95 a.1-2; *De ver.* q.26 a.8; S.BONAVENTURA, *In* 2 d.30 a.1 q.1; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 1.3 c.12; BERAZA, n.310-330; LERCHER, 2 n.608-610; VANDENBERGHE, *De dono integritatis protoparentum*: CollatBrug 37 (1937) 394-398; CHOLLET, *Concupiscentia*: DTC 3,803-814; FLICK, 302-325.

727. Nexus. Etsi Adae, ex nuper probatis, data sit gratia sanctificans, haec tamen non infert necessario integritatem, ut patet in nobis; ideo nunc ulterius probare contendimus ipsi innocenti istud donum etiam collatum esse.

¹⁴ RIPALDA, l.c., d.8 s.8; P.DUMONT, S.I., *Le surnaturel dans la théologie de Saint Augustin*: RevScRel 12 (1932) 209-212.

¹⁵ Cf. RIPALDA, d.20 s.6 n.688. Plures difficultates cf. apud BERAZA, n.460-468; HUARTE, n.328-338.

728. Notiones. ADAM sumitur ut in thesi 28.

ANTE PECCATUM ORNATUS EST. Nulla est dissensio apud TT. de momento quo Adae data sit integritas, cum haec, iuxta omnes, sit pars iustitiae originalis in qua ille creatus est; ideo ad istud factum, in se non magni momenti, probandum non attendimus.

CONCUPISCENTIA sumitur hic: a) Non *latissime*, seu pro quolibet appetitu boni etiam suprasensibilis. b) Nec *late*, seu pro quolibet appetitu boni sensibilis. c) Sed *stricte*, seu pro appetitu boni sensibilis, independenter a ratione seu prout ille: vel exurgit *ante* voluntatem ratione ductam et explicite aut saltem implicite consentientem, vel *praeter* hanc permanet, vel *contra* eam pugnat.

Nostra hic interest haec postrema concupiscentiae notio, in qua:

1) *Appetitus* non sumitur ut innatus seu ut inclinatio ingenta subiecti ad omne sibi bonum seu in terminum sibi conveniens, sed *elicitus* seu inclinatio in obiectum praevis cognitum: et id sive *positive* seu per immediatam prosecutionem boni, sive *negative* seu per mediatam in aversione a malo quod obest bono intento. Sic concupiscentia est *actualis* seu ipsa motio appetitus, vel *habitualis* seu ipsa potentia appetendi. Haec *habitualis* non est idem ac *habitus*, nam illa inest naturaliter subiecto, dum hic acquiritur repetitione actuum, etsi tamen possit illam augere. Est vero entitas *positiva* et qua talis est perfectio subiecti, quae fuit etiam in protoparentibus et in Christo.

2) *Bonum* est hic aliquid concretum uno vel alio modo subiecto appetenti conveniens sive sensibile (obiecta quaelibet materialia, ut divitiae, delectationes corporeae, pulchritudo physica, etc.) sive insensibile (intentionale, morale, spirituale ut honores, gloria, scientia, pulchritudo moralis, etc.). Compositum basicum hominis, *corpus-spiritus*, importat duas facultates cognoscitivo-appetitivas: aliam sensitivam ad bonum sensibile, qua sola homo in sua conditione actuali immediate coniungitur cum mundo externo, aliam spiritualem ad obiectum insensibile vel etiam sensibile. Eae vero, etsi formaliter sunt diversae in se et quoad suum obiectum, numquam agunt cum mutua independentia vel sine mutuo influxu, cum sensitiva non moveatur ad obiectum nisi ut spiritu informata ac simul cum aliquo motu facultatum superiorum, ad illud et cum spiritualis nequeat operari nisi post contactum sensitivum cum mundo externo ac dum consequenter per phantasiam apprehendit suum obiectum, ita ut de facto homo agens eo veluti dualismo facultatum, potius appareat ut unum subiectum operans quasi per unam sensitivo-spiritualem, quae iure pro ratione obiecti alias sensitiva alias spiritualis esse diceretur. Sed generatim nomine concupiscentiae effertur *sensitiva*, cum ea praecipue excitetur homo et quia, cum omnis cognitio incipiat a sensu qui mox excitat phantasiam cuius operatio praebet efficaciter actui intellectus eumque comitatur, illa concupiscentia sensitiva iure dici potest radix omnis concupiscentiae; ideo in definitione eius memoratur bonum «sensibile», et generatim concupiscentia inducitur ut appetitus *sensitivus*, etsi ex dictis connotetur iis verbis apud nos etiam bonum insensibile et proin etiam appetitus spiritualis. Illud vero bonum sensibile vel insensibile in quod tendit appetitus potest esse

moraliter vel bonum vel (theorice) indifferens vel sive ex se sive ex fine sive ex adiunctis malum¹.

3) *Independenter a ratione*. Haec est nota característica concupiscentiae strictae, quatenus ea immediate indicat non obiectum moraliter hoc vel illud, sed independentiam appetitus a libertatis decisione quia vel exsurgit ante mentis deliberationem vel post hanc praeter voluntatem ut rationalem pergit vel etiam huius imperio saltem implicito resistit. In homine quidem potest considerari natura eius qua talis seu ut principium remotum agendi per suas facultates, quod cum sibi obicitur terminus sibi conveniens sensibilis vel insensibilis, tendit sponte in eum et, dum is est illi praesens, non cessat in sua tendentia appetitiva, etiam post deliberationem mentis vel contra quamlibet sui motus coercionem voluntatis. Ut persona vero seu ut suppositum rationale homo potest libere tendere in suum finem ultimum, sed in sua tendentia potest invenire impedimentum in sua natura ut principio agendi, quatenus hoc quaerit aliud obiectum distinctum a fine ultimo vel non cum positiva subordinatione erga hunc. Ergo in uno eodemque subiecto humano vel magis concrete in una eius voluntate ut potentia agendi habetur inclinatio ad aliquod obiectum spontanea et simul independens ab eadem voluntate ut facultate rationali. Ea vero vis naturae est aliquod quod homini ut personae in sui finis ultimi prosecutione obest per eius libertatis imminutionem vel forte etiam interdum abolitionem.

Ergo in concupiscentia elementum essentiale est in hoc, quod ea suo motu praeeat libertati vel ab ea praescindat vel ei resistat. Id per se valet relate ad obiectum moraliter bonum vel indifferens vel malum, sed in hoc ultimo casu seu cum independentem a ratione tendit ad obiectum malum, ea dicitur simpliciter et quasi per antonomasiam concupiscentia et concise definitur ut *appetitus contra dictamen rationis*². In qua ergo bene debent distingui ipsa potentia appetendi ut talis seu quae est perfectio subiecti, et ipsa eius inordinatio seu pronitas ad appetendum malum vel etiam huius appetitum. Inde ergo venit magnum eius psychologici phaenomeni momentum theologicum seu in hac nostrae salutis oeconomia. Nam:

Concupiscentia theologice sumpta est appetitus boni elicitus, positivus vel negativus, sive actualis sive habitualis, contra dictamen rationis.

Ea practice sic sumitur in fontibus theologicis, ubi apparet utipotesas personificata nobis immanens, quae procedit ex peccato et conatur nos trahere ad peccatum (D 792-793; Rom 1 24s; 5-7; 1 Tim 6,9) seu ad inimicitiam in Deum. Ea, quae vocatur *fomes peccati*, connotat indirecte actuale, directe eam sine qua haec nequit dari seu habituale. Quae etsi ut potentia appetendi est perfectio positiva, ut prona ad actum contra dictamen rationis est quid negativum seu defectus *subiectionis appetitus ad rationem*. Ea ergo non est habitus vitiosus libera repetitione actuum acquisitus, sed is potest illam augere, ut et medium sociale et occasiones externae ac dispositiones internae et influxus hereditarius.

Ea maxime respicitur in re turpi, sed «in quocumque corporis sensu caro contra spiritum concupiscit, ipsa cognoscitur»³. Sic potest dici omnia peccata capitalia esse eius formas quibus concrete apparet, imo eam includi quamlibet passione quae uno vel alio modo nos moveat ad peccandum: ver-

¹ Cf. F.LAKNER, S.I.: ZkathTh 61 (1937) 437-441. De concupiscentia ut sensitiva et ut spirituali, cf. S.AUGUSTINUS, *Confess.* 10,35-39; ML 32,802-806; *De mendacio* 7,10; ML 40,496; «Libido quoque ipsa definitur: appetitus animi quo aeternis bonis quaerit temporalia praeparantur».

² Hinc S.AUGUSTINUS (*De civ. Dei* 14,7,2; ML 41,411): «Hoc tamen loquendi obtinuit consuetudo, ut si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur cuius rei sit, non nisi in malo possit intelligi».

³ S.AUGUSTINUS, *Opus imperf.* 4,28; ML 45,1352.

bo potest dici eam non esse nisi amorem sui inordinatum seu egoismum quo inordinate appetuntur et propria excellentia et commoda sensuum.

Ulterius vero, cum ea sit ingenita naturae humanae, est maximi influxus non solum pro singulis individuis, sed etiam socialis. Qui etiam inde crescit, quod non raro concupiscentiae individuorum convergunt in ardentem concupiscentiam collectivam sive familiares sive populares sive nationales⁴.

N.B. *Integritas et immortalitas*. Illa est formaliter distincta ab hac; at de facto vix concipitur ea sine immortalitate ac praesertim sine impassibilitate, cum timor mortis et maxime dolor physicus facile foveat concupiscentiam *negative* sumptam seu prout haec est aversio a malo quod impedit bonum v.g. a labore vel in genere ab impletionem universali et constanti officiorum corpori incommodorum, maxime si ea impletio affert aliquale periculum infirmitatis vel etiam mortis.

INTEGRITAS est hic, non complexus donorum naturalium⁵, nec iustitia originalis (D 192 1026), sed immunitas a concupiscentia (D 2123 2212) *stricte sumpta sensibili (et spirituali)*.

Importat ergo *perfectam* subiectionem appetitus sensitivi (et spiritualis) ad voluntatem, utpote quae in eum exercent dominium, non mere *politicum*, seu quale nunc habemus, sed *despoticum* quale nunc ei est in pedes, manus etc., quatenus ille nequiret sine voluntatis imperio saltem implicito vel in actum prodere vel actum inceptum prosequi (1 q.81 a.3 ad 2). Sic esset in Ada plena harmonia omnium facultatum per subordinationem perfectam appetituum ad voluntatem sub dictamine rationis, ita ut natura vere integra seu unum quid integrum et harmonicum esse dici posset.

Integritas ergo non est immunitas a potentia appetendi, vel ab huius actibus, vel a delectatione his annexa⁶, immo nec a concupiscentia stricta *concomitante* peccatum, sed ab appetitus rebellione.

Definimus eam *negative*, seu ut immunitatem, non *positive* v.g. ut vigorem naturae additum ad perfecte agendum in ordine morali, etsi ita sine

⁴ Cf. CH.BAUMGARTNER, S.I., *Concupiscentia*: DSpir 2, 1343-1350. De quadam notione theologica speciali concupiscentiae cf. K.RAHNER, *Zum theologischen Begriff der Konkupiscentie*: Schr.z.Theol. 1,377-387; Id., *Begierde*: Kleines theologisches Wörterbuch (Freiburg Br. 1961) 45; J.P.KENNY, S.I., *The Problem of Concupiscentia*: Australasian Catholic Record 29 (1952) 290-304; 30 (1953) 23-32; quam partim perficit J.B.METZ, *Begierde*: LThK 2 (1958) 108-112; *Handbuch theologischer Grundbegriffe* (ed. H.Fries, München 1962) 1, 843-851. eamque seriae crisi subicit B.STOECKLE, *Erbsündige Begierlichkeit*: MünchThZ 14 (1963) 225-242.

⁵ SUÁREZ, *De gratia* proleg.4 c.2 n.1.3.

⁶ S.Th., 1 q.98 a.2 ad 3: «... In statu innocentiae... non... esset minor delectatio secundum sensum, ut quidam dicunt (fuisset enim tanto maior delectatio sensibilis, quanto esset purior natura et corpus magis sensibile): sed quia vis concupiscibilis non ita inordinate se effudisset super huiusmodi delectatione, regulata per rationem; ad quam non pertinet ut sit minor delectatio in sensu, sed ut vis concupiscibilis non immoderate delectationi inhaereat...» Contra, «non erat tanta quanta est modo», iuxta S.BONAVENTURAM, *In 2 d.20 a.1 q.3*, et ALEX.HALENSEM, *Univ. theol. summa* p.2 q.99 memb.2. Dum apud graecos a s.3 et 4 quidam putarunt sexualitatem non institutam esse a Deo nisi ob praeventum Adae peccatum, ita ut, nisi hoc fuisset, homines aliter propagarentur, S.Augustinus tenuit ut unum medium eius propagationis in paradiso matrimonium, sed sine *libidine* in eius actu. Id acceperunt et primi scholastici (Anselmus de Laon, Guillelmus Campellensis...), donec illud (seu absentiam *libidinis* in matrimonio Adae) negavit Abaelardus, quem secutus est Robertus de Melun et tandem horum opinio omnino invaluit: cf. M.MÜLLER, *Die Lehre des hl. Augustinus von der Paradiese und ihre Auswirkung in der Sexualethik des 12. und 13. Jahrhunderts bis Thomas von Aquin* (Regensburg 1954).

dubio melius definiretur; at absolute non videtur repugnare quod ea mere extrinsece per providentiam externam (v.gr. per remotionem occasionum vel per concursus negationem) obtineatur, ita ergo ut ad thesim sufficiat excludere concupiscentiam actualem et habitualem, saltem quatenus ea prohibetur (quocumque modo id fiat) externa Dei providentia, quin exeat in actum; sed ex infirmitate naturae lapsae aptius supponeretur illam integritatem dono *intrinsico* naturam roborante obtentam esse (D 2212).

Difficilior est alia definitio simpliciter *positiva* integritatis, quae sit non immunitas a motibus etiam *spontaneis* (ergo praemorales) appetitus sensitivi ad obiectum (bonum vel malum), sed perfectum dominium voluntatis in eos motus *naturae* quatenus ii resistunt *personae* ne huius perfectae libertati obsint in malo vitando et bono faciendo⁷. Nam cum imperfectum esse videatur ut in ente rationali exsurgat, inconsulta ratione, motus appetitus elicit in obiectum morale, maxime cum is motus, posita deliberatione, forte reprimi debeat, habetur communiter a TT. ut privilegium primi status etiam immunitas ab iis motibus *spontaneis* appetitus in obiectum (I q.95 a.2)^{7*}. In quo non apparet impossibilitas psychologica praeternaturalis. Quae impossibilitas si admittatur, debet a fortiori ea admitti ut voluntas, etiam integritate ornata, possit, dum appetitus sensitivus est ante suum obiectum et spontaneae ac necessario (cum ille, etiam spiritalis, ut merum principium agendi erga suum obiectum non sit liber sed eo ineluctabiliter trahatur) in illud tendit, sic motus eius reprimere, ut homo qua persona agat *perfecta* libertate in suum finem. Sic etiam melius intelliguntur verba «erat... uterque nudus... et non erubescerant» (Gen 2,5). Item sensus tristitiae et timoris in Christo non necessario putandi sunt fuisse spontanei, sed deliberate permisi; secus, admitteretur in Christo potuisse nasci spontaneos motus superbiae, avaritiae, luxuriae, etc., imo etiam blasphemiae, etsi iis nullo pacto consentire posset?

729. Adversarii. *Pelagiani*, maxime IULIANUS⁸, *Sociniani*, *Rationalistae* (n.696 701S).

SCOTUS, obscure et dubitanter ante Tridentinum scribens, videtur admittere levissimos motus concupiscentiae ut Adae possibles: «Nec forte necesse est ponere quod nullus sensitivus appetitus potuit tunc tritari: potuit enim tunc visus videre turpe visibile, et auditus audire turpe audibile, et utrumque potuit offendere appetitum sensitivum, sicut et conveniens sensibile delectare. Sed voluntas tunc bene usa fuisset istis tristitiis et delectabiliter appetituum inferiorum, ita quod non contristata fuisset immoderate ab appetitibus inferioribus, sicut bene usa fuisset delectabilibus eorum, non immoderate delectando»⁹.

730. Doctrina Ecclesiae. *C. Tridentinum* (D 792): «Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus (R 6,12ss) *peccatum* appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholi-

⁷ Sic RAHNER, *Zum theologischen...* 402-405; METZ, *Integrität*: LThK 5 (1960) 718s

^{7*} SUÁREZ, *De opere sex dierum* 1.3 c.12.

⁸ S.AUGUSTINUS, *Cont. Iul.* 6,18.56: ML 44,855: «Sensus est (iuxta Iulianum) igitur concupiscentia, et mala qualitas non est; ergo quando minuitur concupiscentia, sensus minuitur». *Opus imperf. cont. Iul.* 1,71: ML 45,1094: «Hanc autem voluptatem et concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse res illa declarat, quia ad delictum vira per concupiscentiam fuit, quae cum pomi decore oculos incitasset, spem etiam iucundi irripavit saporis. Non ergo potuit haec concupiscentia... fructus esse peccati, quae docetur, non suo quidem vitio, sed voluntatis, occasio fuisse peccati». Cf. ORBE, l.c.

⁹ SCOTUS, *In 2 d.29*. Cf. FRASSEN, o.c., t.5 tr.3 d.2 a.3 q.1 in fine: «Quibus Doctor in dubio reliquit quidnam sentiendum sit circa propositam quaestionem» (i.e. de perfectissima subiectione appetitus sensitivi); FINKENZELLER, l.c., 532-535.

cam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: A.S.»

His *definitur directe*, contra Protestantes, *Ecclesiam numquam intellexisse* concupiscentiam non vocari peccatum, quod vere sit peccatum, sed quia *ex peccato* (Adae) est et ad peccatum inclinat. At haec definitio nullius esset momenti, nisi contineret concupiscentiam *esse ex peccato et ad peccatum inclinare*. Ergo *implicite definitur* eam *ante peccatum* non fuisse.

C. Arausicanum (D 174): «Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum, id est secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium... adversatur Scripturae...»

Nisi immerito putetur ibi agi de laesione *intrinsicae* libertatis *ut naturalis*, dicenda est ea esse ex amissione *alicuius doni* quo libertas esset perfecta, ut laesio corporis est ex amissione *doni* immortalitatis¹⁰.

Commissio Biblica in suo responso de historicitate priorum capitum Geneseos asserit de ea non posse dubitari, «ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt... originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis, immortalitatis...» (D 2123 2302 2329). Integritas ibi sumitur haud dubie sensu tecnico, ut patet ex ipso textu, ubi ea distinguitur ab aliis donis iustitiae originalis et ex mente auctorum, qui nostris diebus loquentes volunt sine dubio suis verbis simpliciter elatis id quod hodie communiter iis exprimitur.

PIUS XII (D 2212): «Neque... oblivisci umquam licebit..., hominem scilicet, quem a pristina nobilitate delapsus, Christus redemit in eamque supernaturalem dignitatem restituit, ut adoptivus filius Dei esset, minime tamen iis redditus praeter naturam privilegiis, ex quibus ante et corpus immortale et animus aequus fuerat atque integer. Unde factum, ut quae foeda in hominum naturam ab Adami culpa profluxere, praesertim voluntatis infirmitas effrenataeque animi cupiditates, in homine supersint».

C. Vaticanum. paraverat eam doctrinam, ex qua Deus Adae praeter dona gratiae concessit alia «quibus in propria natura perficeretur... Carnem spiritui gratia sua plene subiectam fecit...»^{10*}

¹⁰ Nec in Tridentino ea verba sumebantur de laesione *intrinsicae* naturae; nam praecise ea non inclusa sunt in canonem 1 (D 788), ne videretur iis verbis doceri naturam humanam fuisse peccato originali *intrinsicae* laesam, sensu Protestantium: cf. CTr 5,2051.10-24; CAVALLERA, l.c., 201; PENAGOS, l.c., 210S. De Concilio (D 792) cf. B.BARTMANN, *Die Konkupiszenzen*: *Herkunft und Wesen*: ThGl 24 (1932) 415-419.

^{10*} *Schema reformatum...* CL 7,556s.1633 (cf. supra n.708).

Valent etiam pro hac re documenta inferius afferenda pro integritatis praeternaturalitate (D 1026 1516; cf. 1074s).

731. Valor dogmaticus. De fide divina et catholica implicitate definita, immunitas a concupiscentia sensibili, de qua sine dubio directe agitur in canone Trid. (D 792)¹¹. Saltem certa in theologia, immunitas a concupiscentia spirituali. Idem dicendum est, ut putamus, de levissimis illis motibus quos memorat Scotus.

732. Probatur ex sacra Scriptura. De protoparentibus haec dicuntur: 1) Ante peccatum. Gen 2,25: *Erat autem uterque nudus... et non erubescabant.* 2) Post peccatum. Gen 3,7: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.* Id cognoverunt ob peccatum. Gen 3,11: *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?*

Si ergo protoparentes ante peccatum non erubescabant et solum post hoc ac propter hoc erubuerunt, ante illud non experiebantur motus concupiscentiae, cum homo normalis, eos sentiens praeter voluntatem excitatos, pudore afficiatur, ut protoparentes post peccatum¹². Et sane id quod non erubescerent, notatur in illis adiunctis ut quid *singulare*, quasi auctor supponeret eam carentiam verecundiae esse praeter ordinariam hominis indolem. Ergo concupiscentia apparet ut primus effectus sensibilis effectus peccati, et ut signum innocentiae qua protoparentes fruebantur in amicitia cum Deo ac destructionis harmoniae quam culpa attulit mundo.

In his videtur agi directe de concupiscentia carnali. At, cum haec sit principalis, aliae illius conditionem sequi censendae sunt, cum donum coercens motus vehementiores supponatur a fortiori debiliores continere.

Nec dicas protoparentes tunc, cum non erubescabant: a) *Caruisse usu rationis.* Nam statim post peccatum erubuerunt; acceperant praeceptum (Gen 2,17); id transgressi sunt libere (3,6); Adam nomina imposuit animalibus (2,19s); Heva locuta est cum diabolo (3,15). b) *Ignorasse rem matrimonii.* Nam copula carnalis indicatur praecepto propagationis (1,28); statim post creationem Hevae est allusio ad copulam carnalem: *Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una*

¹¹ Alii vero, non audentes dicere thesim esse de fide definita, censent eam esse proximam fidei v.gr. POHLE-GIERENS 1^o (p.506) vel saltem fidei proximam (LERCHER, n.608) vel doctrinam catholicam (BERAZA, n.323; FLICK, o.c., 439).

¹² Cf. HUMMELAUER, o.c., p.149; BEA, *De Pentateucho* p.154; CEUPPENS, p.125; LAMBERT, *Le drame...* 76 (1954); NouvRevTh 1052s; ARNALDICH, *El origen del mundo...* 196s. 239; SUTCLIFFE, *Genesis: CathCommHScr* 1431.1444; CLAMER, o.c., 125.137; DE VAUX, o.c. (1953) 47. Ideo minus placet ea temperatio FRASSEN (l.c.): «Credere tamen probabilius esse, in illo... statu ita fuisse motus appetitus sensitivi rationi subditos, ut nunquam ipsi repugnarent nec ipsam praecurrerent...»

(2,24). Quae verba, etsi forte non sint Adae, sed auctoris sacri¹³, ostendunt quae esset huius mens de illo matrimonio.

733. Rom 6-7. Ibi vox «peccatum» (ἡ ἀμαρτία) indicat concupiscentiam, quatenus significat vel *peccatum originale*, saltem praecipue, at non solum ut iustitiae oppositum, sed et ut *fontem concupiscentiae*¹⁴, vel ipsam *concupiscentiam*, saltem praecipue, ut consecretarium illius peccati¹⁵. Sic: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato... Peccatum enim vobis non dominabitur...* (Rom 6,12-14). Item illud peccatum depingitur ut quid in corpore residens vel ut corpori annexum (cf. et 6,6) et ut trahens ad peccata.

Iam vero sic praecise (ἡ ἀμαρτία) vocatur concupiscentia mox ac ea voce appellatur ipsum Adae peccatum, quo omnes homines peccarunt (5,12), ita ergo ut illa cum hoc saltem inadaequate identificari iure censeatur; et aliunde in toto contextu, in quo de illo peccato agitur (c.6-7), concupiscentia manifeste exhibetur ut inordinatio, quae istud peccatum consequatur, vel etiam ut unum quid cum eo constituens. Ergo ea logice sumi debet ut ontologice et originarie cum peccato originali connexa, ac proin ut isto peccato inducta, quaeque ideo pari voce designetur (D 792).

734. Probatur ex traditione. SS.Patrum testimonia occurrunt iam ante Pelagianismum sed maxime post eum exortum.

S.IRENAEUS (R 225): *Adam, cum stolam sanctitatis amisisset, sensit concupiscentiam.* «Retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem et puerilem amiserat sensum et in cogitationem peiorum venerat, frenum continentiae sibi et uxori suae circumdedit... Quoniam, inquit, eam, quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et nunc cognosco quod sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam praestat, mordet autem et pungit corpus».

S.I.CHRYSOSTOMUS (R 1150): *Ante peccatum erant quasi angeli, quin concupiscentias sentirent, utpote gloria superna vestiti.* «Usque ad illam (praevaricationem) quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes... Peccato enim... nondum praesente, gloria, quae superne venerat, vestiti erant et ideo non erubescabant; post transgressionem autem praecepti, introgressa est et erubescencia et nuditatis agnitio».

¹³ Cf. HUMMELAUER, 147.

¹⁴ Sic BOVER, *Las epistolas de San Pablo* p.38.42s; Id., *Teologia de San Pablo* p.267s.

¹⁵ CORNELY, *Epist. ad Rom.* p.312ss; F.C.CEULEMANS, *Commentarium in epistolas S.Pauli* (Mechliniae 1901) p.50ss. BARTMANN, l.c., 407-411 videtur indicare non erui absolute ex his locis concupiscentiam esse ex peccato originali, sed Apostolum potius in genere eam ipsi naturae humanae tribuere.

S. AUGUSTINUS praesertim rem contra Pelagianismum docuit (R 1952): *Adam per magnam gratiam accepit e suo Conditor bona, quae suis meritis non comparaverat, in quibus bonis id erat, ut non pateretur malum legis membrorum.* «Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam... Ille in bonis erat quae de bonitate sui conditoris acceperat; neque enim ea bona ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti vero in hac vita ad quos pertinet liberationis haec gratia, in malis sunt ex quibus clamant...: *Libera nos a malo...* Ille non opus habebat eo adiutorio quod implorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis...* Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus... sua secum pace fruebatur»¹⁶.

S. I. DAMASC. (R 2388): *Ante peccatum divina gratia tegebantur, incorruptela vestiebantur, nec nuditatem et concupiscentias persentiebant.* «Enimvero... nudus quondam erat Adam et Heva, nec erubescabant... nequaquam cogitabant quo pacto nuditatem suam tegerent... Quinimo, etsi corpore nudi erant, divina tamen gratia tegebantur. Corporale nullum ipsis operimentum erat, sed incorruptela vestiebantur. Nam quantum per obedientiam Deo addicti... erant, tantumdem incorruptionis vestibus operiebantur. At vero ex quo inobsequentes fuerunt, procul facti sunt a gratia qua tegebantur... Corporis sui nuditatem persenserunt; huius saeculi oblectamenta expetiverunt...»¹⁷

Iuxta Theophilum Antioch., Clementem Alex., S. Irenaeum, quem nuper secutus est Hirscher, Adam et Heva nudi non erubescabant eo quod essent infantes¹⁸. At, si ii ita rem, ut ea sonat, sumpserunt, utpote sensui Scripturae repugnantes reiiciendi sunt; aliter vero ii intelligendi sunt, nam v. gr. Irenaeus (R 225) supponit Adam fuisse capacem praecepti accipiendi, peccandi et, statim post hoc, concupiscentiam sentiendi.

Potius videntur ii putasse protoparentes ob gratiam (Spiritus S.) fuisse ut infantes quoad concupiscentiam; sic S. Irenaeus: «... Non erubescabant, quia in eis erant innocentes sensus infantiae et non intelligebant has res quae per malum nascuntur in anima ex concupiscentia et turpibus desideriis, propterea quod in hoc tempore servaverant suam naturam sanam: nam

¹⁶ S. AUGUSTINUS (R 1706): «Erant ergo ambo nudi... Nec pudebat eos; quid ergo pueret quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suae? Quae illos poena peccati post perpetrationem praevaricationis secuta est... Quod antequam fieret, nudi erant... et non confundebantur: nullus erat motus in corpora, cui verecundia deberetur; nihil putabat velandum, quia nihil senserant refrenandum». Cf. et *De civ. Dei* 1.14 c.17.21. 23s.26: ML 41, 425s.428s.430-433.454; *Cont. Iul.*: ML 44, 641-874; *Opus imperf. cont. Iul.*: ML 45, 1049-1608.

¹⁷ Ex graecis, cf. et S. CYRILLUS ALEX. (R 2122): «... In paradiso deliciarum mens (Adae) tota et semper in Dei visione erat, corpus autem in tranquillitate et quiete, sine omni turpi voluptate, non enim erat in eo absurdorum motuum tumultus. Cum vero cecidit in peccatum... inde irreperunt in carnis naturam voluptates impurae et nata est in membris nostris saeva lex...»

¹⁸ THEOPHILUS ANTIOCH., *Ad Autolycom* 2,25: MG 6, 1092; CLEMENS ALEX., *Protrept.* 11: MG 8,228; *Strom.* 3 c.17: MG 8,1205; S. IRENAEUS, *Adv. haer.* 3,32,4; 4,38; 4,39,1: MG 7,759.1105-1110. De HIRSCHER et eius refutatione, cf. KLEUTGEN, *o.c.*, 2 p.505-527.

in momento creationis in eis insufflatus erat spiritus vitae. Porro quamdiu hic spiritus suum ordinem ac locum servabat, excludebat cogitationes... malas»¹⁹ (cf. et R 225).

735. Ratio theologica (congruentiae). Cum Adam *non-dum peccator* eximium gratiae sanctificantis donum accepisset, censendus est sine dubio *minus* integritatis donum naturae suae rationali sic congruum accepisse; quod illi gratiae esset et ornamento et auxilio ad eius sive conservationem sive augmentum.

Ceterum haec maxime valent si dicatur gratia petere in suo subiecto per se (forte physice vel saltem moraliter, nisi Deus aliter statuatur v. gr. ob peccatum originale) perfectas dispositiones, ut ea per suas virtutes sine speciali impedimento facile ac totaliter agat et sic homo vita divina intenta a Deo plene et constanter vivere possit; quod maxime valet de natura innocentium. At concupiscentia est magnum impedimentum actioni totali et constanti gratiae; unde potius mirandum esset si Deus ADAE innocenti non dedisset integritatem.

736. Obiectiones. I. Concupiscentia perficit naturam humanam. Ergo credendum est eam ADAE non esse ablatam.

Dist. antec. Perficit naturam humanam concupiscentia *late sumpta*, seu ut est potentia appetendi bonum sensibile, *conc. antec.*; *stricto sumpta*, seu ut est potentia appetendi contra dictamen rationis, *nego antec.*

Sic enim non connotat nisi *defectum* subiectionis appetitus ad rationem.

2. In ADA erant sine dubio spontanei motus appetitus in suum obiectum. Ergo erat ei concupiscentia.

Dist. antec. In ADA erant spontanei motus appetitus in obiectum inordinatum, *nego antec.*; in ordinatum, *subdist.*: sub imperio saltem implicito voluntatis, *conc.*; secus, *nego.*

In omni actu appetitus, etiam obiective honesto, ut exerceretur vel dum exercebatur, requirebatur *voluntatis consensus*, si forte non semper formalis et explicitus, certe *saltem virtualis et implicitus.*

3. Posita integritate, usus sensibilibus esset saepe impossibilis. Ergo ADA eam non habuit.

Dist. antec. Posita integritate, usus sensibilibus esset impossibilis independentem a ratione, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

Sane ADAE integritas excludebat solum appetitus independentiam a voluntate sub dictamine rationis.

4. Heva vidit quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum aspectu quae delectabile (Gen 3,6) et comedit. Ergo sensit tentationem.

Dist. cons. Heva sensit tentationem ex diabolo, *conc. cons.*; ex concupiscentia, *subdist.*: ante peccatum externum, *trans.*; ante omne peccatum etiam internum, *nego.*

Si, ut creditur, primum peccatum grave Hevae quae cuperet esse ut Deus, sciens bonum et malum, fuit *superbiae* et quidem *internae*, eo posito, cessavit integritas, quae proin iam non impediret quin Hevae appetitus in fructum prohibitum tenderet. «Praecessit mala voluntas, qua serpenti sub-

¹⁹ *Demonstr. apost. praedic.* 4: PO t.12 p.669s. Cf. F. VERNET, *l.c.*, 2456; LE BACHELET, *Adam*: DTC 1,370; BOYER, 267-269.

dolo crederetur, et secuta est mala concupiscentia qua cibo inhiaretur illi-
cito»²⁰.

Ceterum quod Eva viderit lignum... pulchrum oculis aspectuque delectabile, non supponit necessario motum concupiscentiae antecedentem, cum ea potuerit videre et admirari ante peccatum omnes res pulchras, maxime si hae, ut lignum, erant intrinsece honestae, quin excitaretur ad peccatum.

Lercher putat non videri certum Hevam suo peccato integritatem amis-
sisse, cum ex Gen 3,7 concupiscentiam simul cum Ada experiri primum videatur; forte illam non amisit nisi dependenter a peccato Adae ut capite generis humani, ita ut motus Hevae obiecti libere admissi esse potuerint²¹. At haec explicatio minus probabilis videtur, cum, gratia peccato amissa, non censeatur integritas manere.

5. Forte protoparentes habuerunt concupiscentiam *habitualement*, etsi non actuam ante peccatum ob occasionis defectum. Ergo integritas nequit saltem ut certa asseri.

Nego *antec*. Mirum esset id, quod ambo essent nudi et nonnisi praecise *post ac propter peccatum* de nuditate erubescerent.

737. Corollarium 1. De capacitate Adae ad legem naturalem servandam. Adam per integritatem poterat facillime totam legem naturalem quoad substantiam observare, quin contra eam sive ullum peccatum grave vel leve sive ullam imperfectionem moralem saltem positivam admitteret.

Corollarium 2. De virtutibus per accidens infusis Adae. Si Adam magnum illud integritatis donum ante peccatum habuit, pariter dicendus est ante peccatum accepisse omnes virtutes morales per accidens infusas, cum eae rectitudinem naturalem hominis in ordine ad Deum et ad ipsum perficiant et compleant (1 q.95 a.1; 1.2 q.63 a.2)²².

ARTICULUS V

DE INTEGRITATIS PRAETERNATURALITATE

Thesis 31. Integritas Adae fuit praeternaturalis.

S.Th., 1 q.95 a.1; 4 CG 52; In 2 d.31 q.1 a.2 ad 3; BELLARMINO, De gratia primi hominis c.5; SUÁREZ, De gratia proleg.4 c.2; BOYER, th.10; BERAZA, n.469-484; PALMIERI, th.15 n.7-11; HUARTE, n.349.355-361.

738. Nexus. Adam ergo, ex probatis, ante peccatum ornatus est integritate; nunc vero ulterius quaeritur de eius proprietatis relatione ad naturam. Facile autem patet, non quaeri de eius supernaturalitate relate ad *quamlibet* naturam, sed relate ad *humanam*.

739. Notiones. INTEGRITAS est hic, non complexus donorum iustitiae originalis, sed immunitas a concupiscentia, prout ea in superiore thesi explicata est.

²⁰ S.AUGUSTINUS, Opus imperf. cont. Iul. 1,71; ML 45,1095; S.Th., 1 q.94 a.4 ad 1; 2.2 q.163 a.1; BAINVEL, Naturel et surnaturel p.1978.

²¹ LERCHER, p.365.

²² SUÁREZ, l.c., 3,11.

PRAETERNATURALIS i.e. supernaturalis *secundum quid*, quatenus naturam *humanam* superat, quin forte alias naturas superiores, v.gr. angelicam, excedat; non ergo supernaturalis *simpliciter*, ut gratia sanctificans.

740. Adversarii. Protestantes, Baiani, Iansenistae (numeris 697 700).

741. Doctrina Ecclesiae. S.Prus V damnavit errorem Baii 26 (D 1026): «Integritas primae creationis non fuit in debita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio».

Cum integritas a Baio sumeretur complexive seu et pro sanctitate interiori per inhabitationem Spiritus S. et pro immunitate a concupiscentia, videretur eius propositionis damnatio esse complexiva, ideoque ex ea non posse concludi doni integritatis praeternaturalitatem, ut putant v.gr. Scheeben, Van der Meersch¹. At communis opinio aliter sentit², et quidem iure, cum Baii propositiones damnentur in sensu intento ab eius auctore, in cuius conceptione innocentis naturae ea integritas sit elementum essenziale. En v.gr. eius verba quae in C. Vaticano I memorata sunt: «Consistebat primae rectitudinis integritas ... non tantum in hoc, quod mente per integram legis notitiam et voluntate per plenam obedientiam suo creatori adhaerebat, sed etiam in eo quod inferioris animae partes superioribus et omnia corporis membra voluntatis imperio ad nutum serviebant»³.

Idem a pari, et ex eadem ratione relate ad doctrinam iansenisticam, dicendum est de eo errore Synodi Pistoriensis (D 1516): «Doctrina synodi de statu felicitatis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis...; quatenus complexive accepta innuit, statum illum... fuisse... debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae...: falsa... erronea...»

¹ SCHEEBEN, Handbuch der kath. Dogmatik 2 n.649; VAN DER MEERSCH, Explicatio quomodo immunitas a concupiscentia, licet sit humanae naturae positae indebita, dici possit integritas naturae: CollatBrug 18 (1913) 438. Cf. et LENNERZ, Opuscula duo... p.455. Antea putarant damnationem referri ad gratiam sanctificantem GONET, De homine d.6 a.1 § 3 n.17; maxime ESTIUS, In Sent. 2 d.25 § 6, valde dubitans de praeternaturalitate integritatis. Cf. BERTI, o.c., diss.1 c.1 § 2 n.4; diss.2 c.1 n.98. Iuxta SCHEEBEN (l.c.) gratuita integritatis non effertur specialiter in damnatione Baii.

² SUÁREZ, l.c., n.7; DAFARA, De peccato originali... n.66; RERALE, p.130; LERCHER, n.622; PESCH, 2 n.196; BOYER, l.c., p.263; BERAZA, n.469; PARENTA, Adversus Baium... disp.4 s.3 n.198; disp.8 s.2 n.19; disp.9 s.1 n.4.

³ Cf. SCHEEBEN, n. 647; ALFARO, l.c.; BAIUS, De prima hominis iustitia, c. 3; cf. C. Vaticanum: CL 7,548 nota 4.

Damnata est etiam illa Baii propositio (D 1055): «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur» (cf. et D 1079). Ea non est Baii quoad verba, sed certe quoad rem et in contextu eius refertur directe ad concupiscentiam. Ergo praeciso, ut patet, peccato originali, homo potest creari concupiscentia affectus qua nunc nascitur. Ergo integritas non est ei debita ⁴.

C. Vaticanum elevationem Adae per gratiam «super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem» distinguit ab aliis donis «quibus in propria natura perficeretur», dum inferius effert id: «carnem spiritui gratia sua plene subiectam fecit...», ita ut mox status ille Adae complexive sumpsit ibi dicatur esse «illa... hominis elevatio, quam... DD. catholici recte supernaturalem vocaverunt, ut quae naturae creatae tum vires tum exigentiam transcendat...» ^{4*}.

742. **Valor theologicus.** *Certa in theologia*, vel ut supra (n.720: cf. D 1516) *theologicæ certa* ⁵.

743. **Probatur ex sacra Scriptura.** Ut nuper vidimus (n.732), extollitur id ut quid *singulare* quod protoparentes ante peccatum erant nudi et tamen non erubescabant.

744. **Probatur ex traditione.** SS. Patres, ut nuper vidimus (n.734), efferunt integritatem Adae, et quidem ut speciale donum Dei. Sic S. IRENAEUS (R 225); S. I. CHRYSOSTOMUS (R 1150); S. AUGUSTINUS (R 1952); S. I. DAMASCENUS (R 2388).

S. AUGUSTINUS (R 1967): «Ad miseriam iustae damnationis pertinet ignorantia et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae; nec ab isto malo quisquam nisi Dei gratia liberatur. Quam miseriam Pelagiani nolunt ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum, quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus».

Ex his homo potuit creari in ignorantia et difficultate (ad bonum), quae nunc ei sunt, quin culpandus esset Deus. Ergo integritas Adae non erat naturalis, cum posset abesse quin culpandus esset Deus. Damus cum Boyer hanc obviam loci interpretationem ⁶, cui tamen alii alias subtiliores substituunt ⁷.

⁴ Cf. SCHEEBEN, n.648.650; LE BACHELET, *Baius*: DTC 2,715; ALFARO, 34-37. Ergo omnino improbabiler, credimus, dissentient KLOPPENBORG, 121, ea propositio referretur unice ad gratiam sanctificantem, ut putat GONET, *Clypeus theol. thom.* tr.8 s.6 n.17.

^{4*} *Schema reformatum...* CL 7,556-558.1633.

⁵ LERCHER, n.622: «Theologicæ certæ»; BOYER, p.263: «Doctrina communis et certa, atque in decretis contra Baium et Iansenistas contenta»; HUARTE, n.357: «Est definitum contra Baianos et Iansenistas»; F. DIEKAMP, *Katholische dogmatik* 2⁵ (Münster 1921) § 29 p.121: «Fidei proximum» (ut supernaturalitas gratiae).

⁶ BOYER, 270-273; Id., *Dieu pouvait-il créer l'homme dans l'état d'ignorance et de difficulté?* Greg 11 (1930) 32-57; Id., *Essais sur la doctrine de S. Augustin* (Paris 1932) 237-271; Id., *La concupiscentia est-elle impossible dans un état d'innocence?* AugMag 737-744.

⁷ DE NORIS, l.c., c.3,2: ML 47,609. Aliter Y. DE MONTCHÉUIL, S.I., *L'hypothèse de l'état originel d'ignorance et de difficulté d'après le «De libero arbitrio» de saint Augustin*: RechScRel 23 (1933) 197-221; cf. Id., *Mélanges théologiques* (Aubier 1946) 93-111. Cf. de his inferius n.809.

745. **Ratio theologica.** Integritas non est naturae humanae: 1) *Constitutivum*, seu ut eius pars, vel *consecutivum*, seu ut eius essentiam consequens. Nam cum homo habeat et appetitum sensitivum, cuius obiectum est bonum delectabile, et appetitum rationalem, cuius obiectum est bonum honestum, ita ut ille cognitioni sensitivae et hic cognitioni intellectivae respondeat, primum est:

a) Ut, cum cognitio sensitiva boni delectabilis praecedat intellectivae, appetitus sensitivus, qui ex se, ut patet, est caecus et necessarius, tendat in bonum delectabile, moraliter bonum vel malum, ante interventum appetitus rationalis. b) Ut, dum obiectum suum maneat illi praesens, tendat in illud, etiam praeter vel contra voluntatis imperium. c) Ut ille iam excitatus alliciat voluntatem ad consensum, cum uterque in eadem anima radicetur (1 q.81 a.3 ad 2) ⁸.

2) *Nec exigitive*, quasi natura nequiret sine integritate legem naturalem rite implere et proin ultimum suum finem obtinere. *Concupiscentia* enim: a) *Nec est* in se vel in suis motibus *peccatum formale* utpote praecedens libertati. b) *Nec infallibiliter ducit in peccatum*, cum voluntas posset etiam moraliter motibus eius resistere vel per se vel per media apta, si quando iis egeret, quae Deus censeretur ei daturus esse ad illis motibus non consentiendum; ita ut sic semper homo *omne* peccatum grave et etiam, saltem distributive, levia vitare vel moraliter posset. Quo posito, non opus esset ut homo haberet in sua natura *per integritatem* potentiam moralem numquam peccandi. c) Aliunde id boni afferret, quod esset occasio et recurrendi ad Deum per orationem et obtinendi, Deo adiuvante, splendoras victorias virtutis ac meriti.

746. **Obiectiones.** 1. Ex 1 Io 2,16: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae, quae non est ex Patre sed ex mundo est.* Hinc concupiscentia non est a Deo. Ergo nequit esse naturalis.

Dist. antec. Concupiscentia actualis deliberata non est a Deo, *conc. antec.*; indeliberata vel habitualis non est a Deo, *subdist.*: in ordine historico, *conc.*; in ontologico, *iterum dist.*: a Deo intendente, *conc.*; permittente, *nego*.

⁸ SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,12,10; SCHEEBEN, § 156; LAMINNE, *Déchéance originelle* (Paris 1914) p.55: «La raison qui délibère n'est mise en éveil que par les impressions sensibles; or celles-ci influencent immédiatement les instincts sensuels, tandis que la raison a besoin d'un certain temp pour se rendre compte, réfléchir et comparer. Dès lors, la volonté que conduit la raison, ne peut être mise en branle qu'après les tendances sensuelles et les mouvements de ces dernières proviennent nécessairement l'activité de celle-là. Nous savons aussi que notre volonté n'a pas un empire absolu sur notre organisme, et il est naturel qu'il en soit ainsi; car si toute l'activité organique dépendait de notre volonté, notre activité consciente ne suffirait pas à en assurer le fonctionnement. Il est dès lors naturel que les mouvements de la sensibilité ne cedent pas immédiatement devant l'opposition de la volonté et que nous constatons en nous-même la lutte intérieure de la volonté avec les mouvements passionnels indélébiles qui caractérisent la concupiscentia». Cf. VANDENBERGER, l.c., p.398 not.1.

Motus concupiscentiae libere admissi, cum sint peccata, nequeunt esse a Deo nisi ut mere permittente. Concupiscentia vero habitualis et motus eius indeliberati, etsi non sunt peccata, non debuerunt esse in homine historico qualem Deus creavit, et ideo nunc non sunt homini nisi ex peccato⁹. Immo si ontologicè respiciuntur, sunt *physicum malum late dictum seu negative*, cum sint pura carentia boni naturaliter indebiti, at attingunt ordinem moralem; ideo videntur ne per accidens quidem posse a Deo intendi, sed mere permitti.

2. Concupiscentia est aliquid malum. Ergo nequit esse naturalis.

Dist. antec. Concupiscentia est malum physicum, *conc. antec.*; morale, *subdist.*: est tale materialiter, *conc.*; formaliter, *nego*.

Concupiscentia *physice* est mala (sensu nuper explicato) at est naturalis, cum sit defectus quidam naturae; *moraliter* vero non est mala *formaliter*, seu peccatum formale, sed mere *materialiter*, quatenus continet *materiam peccati*, si ponatur assensus (non vero quate conveniat cum peccato *materiali*, cum hoc possit fieri consentiente voluntate v.gr. per ignorantiam vel forte per vehementem impetum passionis) aut *effective*, quatenus est ex peccato, aut *occasionaliter*, utpote movens ad peccatum, aut *apparenter* coram aliis, qui tamen internam resistantiam ignorant, aut *poenaliter*, quatenus est poena peccati, aut *privative*, quatenus est vera *privatio* (integritatis) ob peccatum.

Materialiter vero et *occasionaliter* vel *causaliter* et proin etiam *apparenter* est naturalis, cum sit defectus quidam naturae. At *effective*, *poenaliter*, *privative* mala dicitur per relationem ad peccatum; ideo eo triplici sensu dicenda est potius *innaturalis* vel etiam *contra naturam*, quatenus peccatum potest dici innaturale vel etiam contra naturam (n.750s).

747. 3. Concupiscentiae nos pudet. At eius nos non puderet, si esset naturalis. Ergo non est naturalis.

Dist. min. Concupiscentiae, si esset naturalis, nos non puderet, si nos numquam puderet naturalium, *conc. min.*; secus, *nego min.*

Sane nos pudet multorum defectuum naturalium ordinis intellectualis, moralis, physici. Pudor ex concupiscentia non est quia ea sit peccatum, cum non sit, nec quod sit poena peccati, cum et mors sit talis, sed quia sit rebellis rationi (n.752)¹⁰.

Inst. At nos pudet eius, quia deprimit naturam rationalem qua talem. Ergo nequit esse naturalis.

Dist. antec. Concupiscentia deprimit naturam rationalem, quatenus appetitus sensitivus est rebellis rationi, *conc. antec.*; quasi ipsa concupiscentia, vel motus eius indeliberati sint aliquid *moraliter* deonestans naturam, *nego antec.*

Concupiscentia deprimit aliquo modo naturam rationalem, et eo sensu nos pudet eius, cum pugnet contra rationem et cum huius perfecto exercitio possit aliquando impedimento esse. At is est defectus *physicus*, qui non deprimit naturam rationalem, quasi ei aliquid dedecus *morale* inferat; quo postremo sensu non pudet nos concupiscentiae.

Aliunde haec potest dici deprimere naturam rationalem qua talem, quatenus eam *allicit* ad peccatum, non verò quasi eam a bono honesto perficiendo *efficaciter* removeat, cum potius sit homini occasio honeste agendi, dum eam coërcet et sic abicit peccatum. Immo, potest homo, pietate roboratus, sic eam reprimere, ut dominium fere despoticum in eius motus, saltem turpiores, obtineat, ita eam convertens in decus potius quam in dedecus sui, iam viventis in corpore instar cuiusdam angeli. Hinc homini debentur

⁹ CEULEMANS, *Commentarius in epistolas catholicas* (Mechliniae 1904) p.126s.

¹⁰ S.AUGUSTINUS, *De nupt. et concup.* 1,5: ML 44,416; *De civ. Dei* 14,23,2: ML 41,431.

media quibus concupiscentiam vincere possit, non quibus ab ea sit immunis sine labore¹¹.

4. At repugnat homini qua tali inclinatio praeter rationem. Ergo concupiscentia non est ei naturalis.

Dist. antec. Repugnat homini inclinatio praeter rationem, si haec nequeat resistere illi motui, *conc. antec.*; secus, *nego antec.*

748. 5. Concupiscentia, utpote saepe nos inducens ad peccatum, est formaliter peccatum. Ergo ea nequit esse naturalis.

Dist. antec. Concupiscentia inducens in peccatum est formaliter peccatum, si quidquid nos inducit in peccatum est formaliter peccatum, *conc. antec.*; secus, *subdist.*: concupiscentia est formaliter peccatum, posito consensu, *conc.*; secus, *nego*.

Sunt multa quae, quin sint formaliter peccatum, nos movent ad peccatum v.gr. pictura obscoena. Ceterum motus concupiscentiae, cum sit contra rationem, est *materialiter* peccatum, quatenus continet *materiam* peccati ita ut, posito consensu, fiat peccatum formale. Ideo, etsi est naturalis, non licet ei consentire.

6. Si concupiscentia est naturalis, ordo naturae exigit ut animus sibi repugnet. At id admitti nequit. Ergo concupiscentia non est naturalis.

Dist. mai. Si concupiscentia est naturalis, natura exigit ut animus sibi repugnet, iuxta eandem rationem, *nego mai.*; iuxta diversam, *subdist.*: ut repugnet per accidens, *conc.*; per se, *nego*.

Cum homo sit ens adeo speciale, utpote compositum ex corpore et spiritu, et hinc potentias ac operationes valde diversas habens, nihil mirum, si iuxta diversas illas vires moveatur ad opposita (*Quodl.* 11 q.5 a.5 ad 2). Pugna vero illa non est ex intrinsecis naturae, seu *per se* quasi appetitus sensitivus necessario debeat insurgere in rationem, sed ex eo quod illi appetitui obiecta appetibilia occurrunt independenter a ratione; at id respectu ipsius naturae hominis non est nisi *per accidens*.

7. Homo innocens nequiret constanter concupiscentiam vincere et ideo finem ultimum assequi. Ergo concupiscentia homini qua tali repugnat.

Dist. antec. Homo concupiscentiam vincere nequiret *physice*, *nego antec.*; *moraliter*, *subdist.*: sibi relictus, *conc.*; adiutus a Deo, *nego*.

Cum concupiscentia non tollat libertatem physicam hominis, hic habet semper potentiam *physicam* ad eam vincendam¹². At etiam, cum Deus non putandus sit creaturam innocentem deserere in iis quae ad ultimum finem requiruntur, homini innocenti cum concupiscentia creato daret media, quibus iste haberet etiam potentiam *moralem* vincendi illam et sic obtinendi suum ultimum finem.

8. Ex S.Thoma concupiscentia est contra naturam: «In tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem; concupiscentia autem quae transcendit limites rationis, inest homini contra naturam: et talis est concupiscentia originalis peccati» (1.2 q.82 a.3 ad 1). Ergo ea non est naturalis.

Dist. conc. Concupiscentia non est naturalis quatenus est defectus *physicus* naturae rationalis qua rationalis, *conc. cons.*; quasi sit opposita naturae, *nego cons.*

Imprimis *negative* patet, S.Thomam nolle indicare concupiscentiam humanae naturae opponi, cum saepe dicat *integritatem* esse *supra naturam* (1 q.95 a.1; In 2 d.31 q.1 a.2 ad 3); cum statuatur vel supponatur illud principium,

¹¹ Cf. LERCHER, n.626.

¹² SUÁREZ, *De gratia* proleg.4.9,12; 1,28,9. Iuxta ipsum tamen (*h.l.*, c.2 n.13-15) «in physico rigore solum debentur naturae intrinsecae facultates cum generali concursu...» At potius, cf. MAZZELLA, *De gratia Christi*⁴ (Romae 1895) n.396-403 (qui FRANZELIN appellat) et LANGE, *De gratia* n.159.

hominem non posse privari bonis naturalibus nisi ob peccatum personale (De malo q.5 a.2; Comp. theol. c.195); cum etiam mortem quam supponit naturae debere (1 q.97 a.1) dicat non esse «secundum inclinationem formae» (1.2 q.85 a.6) et ideo praecise esse «contra naturam» (De malo q.5 a.5). Positive potest dici concupiscentia esse «contra naturam» iuxta S.Thomam, quia ea est defectus physicus naturae quatenus movet ad obiecta mala (etsi non formaliter ut mala) et hoc sensu contra dictamen rationis utpote contra inclinationem partis rationalis (ib., 4 a.2 ad 1)¹³. Si vero haec solutio non satisfacit, restat ut dicatur cum Rondet: iuxta S.Thomam, si respicitur natura humana in se ipsa, concupiscentia ita est ei naturalis, ut sine integritate creari potuerit; si vero respicitur concrete ut de facto existit seu ut initio constituta in iustitia originali, tunc concupiscentia est ei contra naturam, sc. ut historice elevatae, quasi S.Doctor alias sumat etiam naturam non philosophice sed theologice seu secundum eius elevationem vel primaeavam, ut saepe S.Augustinus, vel actuale (1.2 q.87 a.7)^{13*}.

749. Scholion 1. Quomodo obtinebatur ea immunitas a concupiscentia? Certo per aliquod donum intrinsecum vel extrinsecum naturae additum. At quid vel quale fuit hoc? Exclusa explicatione per intrinsecam facultatum mutationem sine ulla forma adiuncta, cum ea mutatio facultatum intrinsece indivisibilem sit impossibilis et inintelligibilis, imprimis aliquae explicationes proponuntur vel minus probabiles vel insufficientes.

Iuxta Durandum, per habitum appetitui sensitivo additum, eum ad unum determinantem. At quomodo potentia sensitiva sic perfecte solo habitu ligari poterat, ut ante imperium voluntatis semper et infallibiliter a suis actibus abstinere? Iuxta Caietanum, per quemdam inditum vigorem rationis. At quomodo obtinetur ille vigor? Iuxta Vázquez, per specialem Dei protectionem omnia removementem quae appetitum excitare possent. At is modus, etsi possibilis, videtur minus connaturalis. Iuxta Boyer, «maxime» per gratiam sanctificantem, «quae habenda est ut causa proxima dono integritatis». Ita est, si gratia sumatur ut radix doni integritatis, et sic videtur loqui S.Thomas ab ipso appellatus (1 q.95 a.1); at sumi potest ea ut causa quasi formalis integritatis, maxime cum agatur de effectu ordinis naturalis?¹⁴

Iuxta ergo probabiliorum opinionem, integritas haberetur «partim per intrinsecos habitus et actus, partim per specialem Dei providentiam». Illis habitibus, quorum multi essent singulis potentiis, disponderetur ratio «ad considerandum et iudicandum seu imperandum convenienter», voluntas «ad sequendam rectam rationem delectabiliter et ad movendum appetitum fortiter», ipse appetitus «ad obediendum prompte». «Unde colligimus omnes virtutes voluntatis et appetitus quos in Adamo esse diximus ad hoc donum complendum concurrisse vel per ipsos habitus formaliter, si haec rectitudo quasi in actu primo consideretur, vel effective per suos actus, illos frequentius et perfectius exercendo. Qui frequens usus multum iuvare poterat ut aliis motibus inordinatis... non daretur locus. Et ad hoc etiam multum iuvare poterat divina contemplatio et fervens amor, quamdiu durabat, quia anima valde intenta... spiritualibus rebus vix potest ad sensibilia simul attendere, nisi forte aliqua extrinseca causa vehementer moveat: illa tamen in illo statu removeretur...»

¹³ Cf. HUARTE, n.357; BERAZA, n.484. Cf. et ALFARO, *Lo natural y lo sobrenatural* (Madr. 1952) 245-256.

^{13*} H. RONDET, S.I., *Naturel et contre nature*: RechScRel 48 (1960) 241-257; Huarte n.358; de S.AUGUSTINO ceterum cf. BOYER, *La notion de nature...*: DocComm (1955) 65-76 et F. REFOULÉ, O.P., *Misère des enfants et péché originel d'après saint Augustin*: RevThom 63 (1963) 252-254.

¹⁴ DURANDUS, In 2 d.29 q.2 n.6; CAIETANUS, In 1.2 a.109 q.2 n.6s; cf. GONET, *Clypeus* tr.8 d.3; VÁZQUEZ, In 1 d.132 c.7 n.30.32; BOYER, l.c. p.280s, cui assentitur LERCHER, n.625.

Ad eum effectum in ordine naturali «sufficerent... virtutes per accidens infusae». «Quia vero homo simul creatus est ad finem supernaturalem et propter illum maxime perficiebatur, ideo necessariae etiam fuerunt virtutes per se infusae... ut anima etiam in illo ordine esset perfecta et intrinsece potens ac facilis ad rectitudinem illius ordinis servandam. Unde etiam factum est, ut haec dona... etiam multum iuvarent per suos actus ad ipsammet rectitudinem naturalem observandam... Fuerunt ergo haec dona supernaturalia valde utilia ad huiusmodi effectum praestandum etiam in ordine naturali». «Nunc... breviter assero, nullum habitum fuisse necessarium ad hanc subordinationem potentialium praeter habitus operativos virtutum moralium et intellectualium»¹⁵.

Tamen putamus, etiam dona immortalitatis ac impassibilitatis ad illam integritatem de facto concurrisse, cum perfecta sanitas corporis et harmonicum exercitium functionum vegetativarum et sensitivarum congruenter ad eam integritatem cooperari possent¹⁶.

Hinc, si fomes peccati «extinctus dicitur, si per gratiam inferior pars hominis tam perfecte subditur rationi, ut independenter ab ea moveri non possit, ligatus vero, si gratiae effectus per se quidem non est tantus, sed si Deus simul per externam providentiam cavet, ne umquam motus fiat contra rationem»¹⁷, dicendus est in protoparentibus, eodem fere modo ac in B.Virgine, fuisse potius «extinctus, nec mere ligatus, cum in ea re pars praecipua habitus tribuenda esset. «In Christo extinctio explicatur non dono aliquo praeternaturali, sed remote per unionem hypostaticam, quae metaphysica necessitate exigit extinctionem, et proxime per visionem beatam Christi et quidem eo, quod omniscientia necessitate morali extinctionem causavit»¹⁸.

750. Scholion 2. De ratione boni et mali in concupiscentia habituali. In quolibet ordine, haec ut connotans potentiam appetendi bonum sensibile: a) *Simpliciter*, est perfectio naturalis ordinis physici «Deo auctore a natura nobis insita»¹⁹, ut in animalibus. b) *Sub dictamine rationis*, est perfectio ordinis moralis, cum homo ea recte utens se moraliter perficiat. c) *Independenter a ratione*, est malum naturae rationali qua tali, cum debitus ordo exigat ut in homine appetitus sensitivus, utpote inferior, rationali, utpote superiori, subsit. Est vero malum sive physicum (negative) cum sit in appetitu defectus subiectionis ad rationem et in hac defectus perfecti domini in illum (In 2 d.30 q.1 a.1 ad 4), sive morale (seu ordinem moralem attingens, fere ut potestas peccandi): non vero formaliter, cum non sit a subiecto moralitatis, utpote praeciens libertati sine qua deest ordo moralis, sed *occasionaliter vel causaliter*, utpote ad peccatum alliciens, et *materialiter*, quatenus continet materiam peccati.

In ordine naturae purae est malum physicum negative seu pura carentia perfectionis indebitae.

In nostro ordine est malum: a) *physicum privative*, cum sit privatio integritatis seu carentia perfectionis debita (in hypothese elevationis primaeavae); b) *morale*, nam est poena peccati originalis (post quod vero remissum manet ut pura poenalitas), non *directe* seu *positive* ab eo inducta, sed *indirecte* seu *privative* illata, quatenus ea consequitur *formaliter* poenam privationis iustitiae originalis ob illud peccatum *directe* illatum (In 2 d.30 q.1 a.1). Ergo concupiscentia, ut peccati causa, effectus, poena, seu «quia ex peccato est

¹⁵ SUÁREZ, 3,12,11-26.

¹⁶ VAN DER MEERSCH, l.c., 436-439.

¹⁷ PESCH, 4 n.338.

¹⁸ LERCHER, n.625. Cf. CHOLLET, l.c., 812-814.

¹⁹ Catech. Rom., 3,10,6.

et ad peccatum inclinat» (D 792), iure dicitur peccatum vel, in specie ut causa peccati, *fomes peccati*.

De concupiscentia actuali valent eadem, servata proportione. Id unum addendum: a) eam esse materialiter peccatum, quatenus continet materiam peccati, ante assensum; b) eam esse malum morale formale seu peccatum formale, si accedat voluntatis consensus. Etiam recte vocari potest *fomes peccati*.

S. Augustinus, in pugna cum Iuliano, concupiscentiam ut bonum naturale seu ut vigorem naturae proponente, eam vocat malum, vitium peccatum²⁰, at non quod sit peccatum formale (nisi consensus voluntatis accedat), sed quia est ex peccato, ad hoc inclinatum et quatenus, ut effectus ac causa peccati, est naturae rationali inconveniens (R 1549 1871 1887 1969)²¹.

Estne Deus auctor concupiscentiae? Utique quatenus ea aliquid positivi connotat seu ut est potentia appetendi sensibilia, cum sic naturam perficiat; quatenus vero ea connotat limitationem naturalem et perfectae subiectionis in appetitu et perfecti dominii in ratione, est a Deo ne per accidens quidem intendente, ut videtur, sed mere permittente.

N.B. De conscientia concupiscentiae. In protestantismo experientia numquam extincti fomitis peccati est velut primario regens conscientiam religiosam, quatenus ea homo semper putatur manere peccator sine alio remedio praeter recursum hominis per fidem ad misericordiam Dei. Nos catholici quiescimus in spe veniae peccatorum per sacramenta obtentae et in spe gratiae nobis oblatae ad superandos stimulos concupiscentiae. At ut foveamus incessanter sensum humilitatis et eo ad fervidas preces Deo frequenter offerendas moveamur, nec forte praesumptione nostram salutem committamus donis Dei ut secure possedis quasi iis ab omni serio periculo prohibeamur, videbitur esse nobis utile futurum, ut instinctus catholicus profundus nos docet, considerare saepius realitatem dramaticam humanae concupiscentiae et maleficos peccati effectus quos ubique assequitur, quin vero putemus hominem posse illi legi se subtrahere cum iis scientificis quos Pius XII memoravit, qui censent scientiam, cum pervernerit ad plenam cognitionem compositi humani, illam subtractionem esse obtenturam^{21*}. Aliunde cum concupiscentia ut iam diximus respiciatur maxime in appetitu sensitivo, curandum ne quadam mente platonica vel etiam manichaea eam quasi divisionem moralem inducamus inter hominis corpus et animam, ut illud velut huic hostem respiciamus, quem proinde potius frequenti castigatione afficere logice debeamus. Nam cum homo constet corpore et anima, quae in hoc statu utitur necessario illius ope ad suas operationes etiam spirituales ac supernaturales, potius illud ut quid omnino proprium ac intimum et amicum homini respiciendum est et ardentem amore prosequendum, ita ut is amor norma sit qua illud pro rerum adiunctis vel praemio vel seria castigatione educetur ad suum auxilium alacriter et constanter animae praestandum²².

²⁰ S. AUGUSTINUS, *Cont. Iul.* 3, 21, 42; 5, 7, 288; 5, 8, 8; ML 44, 723, 801s. 787.

²¹ Cf. BERAZA, n. 340-347; ORBE, l.c., 313-337. S. Doctori assentitur antiqua schola augustinianna: G. DÍAZ, O.S.A., *La escuela agustiniana pretridentina y el problema de la concupiscentia*: CiuD 174 (1961) 317-345.

^{21*} M. DE PAILLERETS, O.P., *Comment la théologie luthérienne peut enrichir un théologien catholique*: Ist 9 (1963) 1248; PIUS XII, cf. si lubet et A. M. PARENT, *Le marxisme, comme tentative de soustraire l'homme à la loi de la concupiscentia déréglée-lex fomitis*: LavThPh (1955) 149-156. De sequelis doctrinae concupiscentiae quoad vitam spirituale, cf. BAUMGARTNER, l.c., 1362-1372.

²² G. SIEWERTH, *L'homme et son corps* (Paris 1957) parte 2; P. DAUBERCIES, *La condition charnelle* (Tournai 1959); V. POUCEL, *Apologia del cuerpo* (Madrid 1959); B. STOECKLE, *Die Lehre von der erbündlichen Konkupiscentz in ihrer Bedeutung für das christliche Leibethos* (Ettal 1954) parte 2.

751. Scholion 3. De pudore. a) De eius sensu. Pudor est verecundia quam experimur, aut in genere de quolibet aliquale dedecus nobis afferente defectu etiam ordinis physici sive corporei sive intellectivi (*pudor late sumptus*), aut in specie ordinis moralis, ut sunt passiones non subiectae et maxime concupiscentia sexualis ac ea quae illam aliquatenus excitant vel foveant vel significant (*pudor stricte sumptus*).

Hic, quem nunc directe respicimus, potest esse varius amplitudine et gradu pro variis personis, regionibus, temporibus; at crescit pro maiore apud homines aestimatione hominis ut entis rationalis et proinde per discretam educationem potest recte evolvi ac perfici, ita ut de facto indicet et elevet dignitatem moralem ac humanam, quae potius apud omnes reverentiam excitet. Indicat hominem non esse purum spiritum, utpote qui appetitum sensitivo careat, nec purum animal, cui nullus est pudor. Provenit non ex eo quod sit vel peccatum, cum non sit, vel poena peccati originalis, cum mortis, etiam illius peccati poenae, neminem pudeat, sed ex eo quod sentitur *rebello appetitus et impotentia rationis ad eum cohibendum*: «Pudet animum, ait S. Augustinus, resisti sibi a corpore, quod ei natura inferiore subiectum est» (2.2 q.151 a.4)^{22*}. Formaliter dici potest esse inclinatio quaedam ad prohibendum ab alieno desiderio aliquid bonum physicum, quod non nisi finibus Creatoris reservetur. Ideo pudor est naturalis seu innatus, et inscriptus in ipsa natura humana²³, qui apparet cum ipsa conscientia morali ac pro huius gradu augetur, ita ut apud omnes populos reperitur²⁴, imo apud ipsos turpissimos omnium homines²⁵, etsi nesciamus unde proprie procedat.

Est medicinalis quatenus iuvat et mentem ad cognoscendum quid sit licitum vel illicitum in sensibilibus et voluntatem ad fugiendum peccatum et inordinationem sensualem.

Et ideo si sentitur in omni actu malo, tamen, Deo providente, maxima concupiscentia i.e. sexualis maximo pudore afficitur sive quia vehementius trahit ad peccatum sive haud dubie ut matrimonii bono aptius consulatur et ante illud per integram naturae praeparationem physicam ac moralem et in illo sive per exactam custodiam unitatis ac indissolubilitatis sive per honestam moderationem in actibus sexualibus omnino ratione temperandis.

Adae ante peccatum, utpote immuni a concupiscentia, non erat pudoris sensus; qui ergo, utpote peccatum originale consequens, est eius et signum et poena²⁶.

b) De momento modestiae. Pudor, utpote tendens mere ad vitandum dedecus qua tale, non est virtus, quae tendit ad bonum honestum, sed instinctus praeciens liberae electioni. At est fundamentum pudicitiae (seu modestiae) quae est virtus ad gubernandas passiones, praesertim sensuales, et sic naturale praesidium castitatis («quae castitatis prudentia revera dici potest», ait Pius XII), nam ea actus proxime connexi cum huius obiecto reguntur iuxta rationem seu omnia quae concupiscentiam aliquomodo excitant vel foveant vel declarant, sive interna ut cogitationes et affectus et desideria, sive externa ut habitus se gerendi, incessus, gestus, oscula, aspectus, ver-

^{22*} S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14, 23, 2; ML 41, 431.

²³ S. AUGUSTINUS, *ibid.* 14, 20; ML 41, 428: «Pudet igitur huius libidinis humanam sine dubitatione naturam».

²⁴ J. SURBLE, *La moral en sus relaciones con la Medicina y la higiene*, trad. A. Sorroa (Barcelona 1937) part. I c.3; J. DE LA VAISSÈRE, S.I., *El pudor instintivo* trad. P. Cucart (Madrid 1940); J. GUITTON, *Essai sur l'amour humain* (Paris 1948) 69-72.

²⁵ S. AUGUSTINUS, l.c., 14, 20, 18; ML 41, 426: «Sed hanc etiam ipsi turpes turpitudinem vocant: cui licet sint amatores, ostentiores esse non audent».

²⁶ Longam dissertationem de pudore, cf. ap. JANSSENS, *De hominis elevatione...* p.133-174.

ba, etc., imo et vestes ita ut unus ex eius maximis inimicis sit nudissimus 26*.

c) *De theologia vestis.* Pudor utitur ut instrumento quasi extrinseca homini veste, quae, apud omnes populos semper adhibita²⁷, habet finem et *psychicum* defendendi corpus ab agentibus externis et *psychologicum* effrendi pulchritudinem corporis ac ostendendi laetitiam vel luctum, auctoritatem, conditionem sociale, indolem muneris (militaris, sacri...) et *moralem* sive cohibendi sive velandi concupiscentiam. Hinc illa iuxta rationem debet esse, quae quoad suam formam et amplitudinem, pro aetate personarum ac sanis moribus populorum, operiat omne id quod plus minus proxime, etiam praeter intentionem, concupiscentiam ostendere vel excitare vel fovere apud se vel apud alios valet.

Protoparentes ante peccatum erant nudi corpore, at integritate induti; hac vero nudati ac pudore affecti dicuntur accepisse ab ipso Deo vestem et quidem in auxilium pudoris, ut sic indicetur eam aut esse a Deo primo institutam aut homini convenire ut maxime intentam a Deo²⁸, et quidem in signum spiritualis conditionis hominis ac dignitatis quam per peccatum amisit et ad quam recuperandam, non obstante concupiscentia, instanter vocatur. Ideo nunc est signum peccati originalis, et ut gravamen iam necessarium est etiam poena. At cum ea per se non sufficiat ad concupiscentiam cohibendam, est simul signum alius vestis interioris qua homo per baptismum a Deo induitur (D 800), scil. gratiae sanctificantis cum iure ad omnia auxilia, quibus homo, in concupiscentiam ferventer et constanter agens, dominium fere despoticum in eam obtineat, ita nempe ut in ea pugna homo per gratiam et per media rectae educationis psychologicae et asceticae obtineat quandam connaturalitatem ad bonum quantum fieri potest similem aequilibrio humano paradisiaco, ut iam supra diximus, dum ceterum homo multiplici suo triumpho magnum meritum praemii aeterni reportet²⁹.

752. *Scholion 4. De virginitate in statu iustitiae originalis.* Iuxta S. Thomam in eo statu fuerit generatio (1 q.98 a.2) et virginitas non fuisset perfectior quam continentia coniugalis (1 q.98 a.2 ad 3; In 4 d.49 q.5 a.3 sol.1 ad 3). Pro SS.Patribus graecis in eo statu conditio hominis esset potius virginalis, forte quatenus virginitas est donum caeleste ac aeternum pertinens ad hominem, qualem Deus esse volebat, seu ut filium Dei, spiritualement ac liberum a necessitate carnis, a Spiritu S. generatum, dum matrimonium maneret ut bonum naturae ad corpus generandum; exurgente vero per peccatum necessitate carnis, Christus veniens ut nos liberet a necessitate carnis eiusque sequelis, effert virginitatem ut signum victoriae spiritus in carnem³⁰.

26* S.TH., 2.2 q.144; cf. C.ANIZ, O.P., *Suma Teológica* 10 (Madrid 1955) 60-65; Prus XII, *Enc. «Sacra Virginitas»*: AAS 46 (1954) 185; Id., *Alloc. conventui «Unione Lat. Alta Modae»*: AAS 49 (1957) 1012-1014; E.G., *Réflexions morales sur le Nudisme*: AmCl 66 (1956) 5188. E. G., *Nudisme et respect des voisins*: AmCl 73 (1963) 30.

27 L.WALK, *Der älteste Mensch*: ChrPädBlätt 58 (1935) 254.

28 LAGRANGE, *L'innocence et le péché*: RevBibl (1897) 357; LAMBERT, *Le drame...* 10528. 1056.

29 SURBLED, part.7 c.9; E.PETERSON, *Theologie des Kleides*: BenMonatsch 16 (1934) 347-356. Cf. huius versionem gallicam in VieSpür (1936) 168-180; H.MICHAUD, *Pour une théologie du vêtement*: 64 (1937) 55-60; E. HAULOTTE, *Vêtement*: VocThBibl (1962) 1098-1101. Cf. et RONDET, «Nature... l.c.», 255; FLICK, 334; FONDEVILA, *La doctrina de la gracia y los ejercicios de San Ignacio*: Man 34 (1962) 1638; J. DANIELOU, S.I., *Platonisme et théologie mystique* (Aubier 1944) 90-93.

30 F.BOURASSA, S.I., *La virginité dans l'état d'innocence*: ScEccl 6 (1954) 249-257.

ARTICULUS VI

DE DONO IMMORTALITATIS ADAE

Thesis 32. Adam ante peccatum ornatus est immortalitate.

S.TH., 1 q.97 q.1.3.4; 2.2 q.164 a.1; In 2 q.19 a.2.3-5; S.BONAVENTURA, In 2 d.19 a.2 q.18; a.3 q.18; BELLARMINO, l.c., c.8; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3.14-15; BERAZA, n.352-377; PALMIERI, th.23; LERCHER, 2 n.611-613; VANDENBERGHE, *De protoparentum immortalitate*: CollatBrug 37 (1937) 427-431; TH.RODY, *Der Leib in der Herrlichkeit des Glaubens* (München 1947).

753. *Nexus.* Constat ex probatis Deum ornasse Adam innocentem, non solum in ordine spirituali-morali per gratiam sanctificantem, sed et in ordine physico-morali per integritatem, qua omnes appetitus inferiores hominis harmonice appetitui rationali subiciebantur. Nunc ergo quaerimus an etiam in ordine physico-corporeo ipsum peculiari aliquo dono ornavit, et maxime immortalitate.

754. *Notiones.* ADAM ANTE PECCATUM ORNATUS EST, sumitur ut in thesi 30.

IMMORTALITAS, seu impotentia amittendi vitam, intelligitur hic: 1) Non *essentialis*, seu propria entis *de cuius essentia est semper esse*, et cui proin *absolute* repugnat mors, qualis est unus Deus. 2) Nec *naturalis*, seu propria entis *de cuius exigentia naturalis est semper esse*, et cui proinde mors *physice* repugnat, sed non *absolute* seu etiam prae omnipotentia Dei. 3) Sed *gratuita*, seu propria entis cui, praeter eius exigentias, *ex dono Dei* advenit, a) non vero ea quae sit *necessario inamissibilis*, qualis est in beatis, b) sed ea quae sit *mere conditionate inamissibilis*, scil. si non peccetur, quae ergo consistat in immunitate a *necessitate* moriendi seu in *possibilitate non moriendi*.

Sic Adam erat *mortalis* quatenus poterat mori, at non quasi deberet necessario mori, et *immortalis* quatenus poterat non mori, at non quasi non posset mori. De facto moreretur vel non moreretur pro libera eius voluntate peccandi vel non peccandi.

At ea *immortalitas* non est concipienda mere ut *factum non mortis*, seu solum quasi ille transferendus esset in caelum ante adventum naturalem mortis eius, ut putavit Scotus, sed ut vera *impossibilitas moriendi* sub conditione non peccandi¹.

In Gen 2-3 verba «mors» et «vita» congruentius sumi possunt sensu plenario, quatenus primo indicetur vita unio temporalis et aeterna cum Deo-Vita ac fonte vitae et morte separatio a Deo temporalis et aeterna ac ideo consequenter mors corporalis. Hinc S. Augustinus quaesitio «quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si

¹ SCOTUS, In 2 d.19 n.3-5; cf. FINKENZELLER, 5368; KLOPPENBURG, 43-45.

ab eo mandatum transgrederentur acceptum..., utrum animae, an corporis, an totius hominis, an illam quae appellatur secunda: respondendum est, ait: Omnes...» Et Paulus eum conceptum pariter servat, ita ut mors physica non sit nisi signum mortis spiritualis^{1*}. Sed nunc non attendimus nisi ad physicam seu corporalem, cuius origo in A. et N.T. tribuitur peccato.

755. Adversarii. Pelagiani. Iis accensendus est probabiliter THEODORUS MOPSUESTENUS, qui, etsi primo mortem peccato Adae tribuebat, dein videtur tenuisse Adam ante peccatum fuisse mortalem². **Sociniani. Rationalistae** (n.696-701S).

Quidam exegetae independentes dicunt Adam factum esse mortalem et vel sine immortalitatis spe (H.GUNKEL, H.SCHMIDT, A.UNGNAD, L.KOHLER) vel ita ut, nisi peccaret, immortalitate donaretur, quam tamen, posito peccato, numquam habuerit ac proin peccato non amiserit (A.DILLMANN, S.R.DRIEVER, O.PROCKSCH)^{2*}.

Ceterum apud protestantes hodiernos est quoddam problema de origine mortis: utrum ea sit ex prima creatione an ex peccato³.

756. Doctrina Ecclesiae. C.Carthaginense XVI (D 101): «Placuit omnibus episcopis...: ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret moreretur in corpore hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, a.s.»

Definitur his Adamum sic factum esse, ut non moreretur necessitate naturae, sed solum si peccaret. Si forte quis immerito, ut videtur, putet hoc Concilium non fuisse sollemniter approbatum a S.Zosimo, teneat tamen illud haberi in Ecclesia ut quod res *fidei divinae et catholicae* tradat.

C.Arausicanum (D 174): «Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum... in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium..., adversatur Scripturae...»

Definitur his *directe* Adamum secundum animam per peccatum in deterius esse commutatum, et *indirecte* eum secundum corpus corruptioni obnoxium factum esse (cf. D 175)^{3*}.

^{1*} S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei*, 13,12.15; 14,1: ML 41,385-387.403. De Paulo, in multis cf. v.gr. A. FEUILLET, P.S.S., *Mort du Christ et mort du chrétien d'après les épîtres pauliniennes*: RevBibl 66 (1959) 485; P. A. HULSBOSCH, O.S.A., *La vida y la muerte en la Biblia*: RevAgEspir 4 (1963) 361-374.

² DE VRIES, l.c., 998. PHOTIUS eius mentem sic describit (*Biblioth. cod.177*: MG 103, 515): «Iam inde ab initio quidem formatum esse mortalem Adam, sed Deum, ut scilicet peccata odissemus, ita tantum simulasse, quasi pro peccato poenae loco mors imposita fuerit. Cf. tamen DEVRESSE, o.c., 988.109.

^{2*} Cf. CEUPPENS, o.c., 100.106; W.GOOSSENS, *L'immortalité corporelle dans les récits de Gen. 2,4b-3*; EphThLov 12 (1935) 723; cf. Id., *Immortalité corporelle*: DBS 4,299.

³ Cf. H. ENGELLAND, *Tod*: EvK 3 (1959) 14558.

^{3*} Cf. de his B.KLOPPENBURG, o.c., 39-42.67-104. Non audent dicere S.Zosimum sollemniter approbasse canones Carthaginensis XVI DE PLINVAL, *Pelage...* 3278, et maxime

C.Tridentinum (D 788): «Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus..., incurrisse... mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus... a.s.»

His *definitur* Adam ob peccatum incurrisse mortem.

Commissio Biblica in suo responso de historicitate priorum capitum Geneseos asserit de ea non posse dubitari, «ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt... originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis...» (D 2123 2302 2329).

C. Vaticanum paraverat eam doctrinam, quod Deus Adae, praeter dona gratiae, alia infudit «quibus in propria natura perficeretur... mortis ipsius timorem a mortali removet. Mortalis quippe erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris»⁴.

Valent etiam de hac re documenta inferius afferenda pro immortalitatis *praeternaturalitate* (D 1078 1517).

Idem de tota natura humana definiunt Arausicanum (D 175), Tridentinum (D 789).

757. Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita (D 101 174 788).

758. Probatur ex sacra Scriptura. In A. et N.T. mors ut ea hodie occurrit seu in adiunctis laboriosis et cum sequenti corruptione, tribuitur primo peccato hominis; sed cum exprimitur absolute, supponendum est ibi efferri ipsum factum mortis, non ergo quaelibet adiuncta phaenomenica eius. Immortalitas qua frueretur homo nisi peccasset, indicatur sat clare, modo habeatur debita ratio modi anthropomorifici ac metaphoricis quo suis generibus litterariis sacer auctor utitur.

A) *Ex arbore vitae.* Gen 2,9: *Produxitque Dominus... lignum etiam vitae in medio paradisi... 2,16: Ex omni ligno paradisi comede... 3,22-24: Et ait: Ecce Adam... Nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum. Et emisit eum Dominus... de paradiso voluptatis... Eiecitque Adam et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium... ad custodiendam viam ligni vitae.*

Quomodocumque sumatur ea arbor sive ut realis sive ut symbolica alicuius doctrinae, cum, etiam in hac postrema hypothesis, dicatur Ada potuisse ad eam accedere et in ea suam immortalitatem invenire, asseritur ipsum fuisse in statu quo, si non peccaret, non moreretur^{4*}. Ibi enim agi de immortalitate

F.FLOERI, *Le Pape Zosime et la doctrine augustinienne du péché originel*: AugMag 2,759. Cf. tamen B.PIAULT, l.c., 510-513; SACŪÉS, *El pecado heredado de Adán, ¿peccato restricto?*: EstEcl 32 (1958) 151.153; REFOULÉ, *Julien...*: RechScRel 52 (1964) 64; HAMMAN, l.c., 247.

⁴ Schema reformatum 556 CL 556. 1633 (cf. supra n.709).

^{4*} HUMMELAUER, p.131.172; W.GOOSSENS, l.c., 736-741; cf. DBS 4,308-312; CEUPPENS, p.100-106S.116; LAGRANGE, *L'innocence et le péché*: RevBibl (1879) 363S; J.COPPENS: Eph-

corporali, patet ex memorata arbore vitae ad eam fovendam et ex effectu cui prohibitio accedendi ad illud lignum protoparentes exponebat (3,19): *Donec revertaris in terram de qua sump-tus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

B) Gen 2,15-17: ... *Deus... dicens (Adae): ... de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Haec verba supponunt Adam et Hevam eodem praecepto ac illum obligatam (3,1-3), si peccarent, morituros esse: in poenam peccati et quidem corporaliter, ut patet ex sententia eis illata: *donec revertaris in terram...* (3,19)⁵ et ex prohibitione accedendi ad lignum vitae: *nunc ergo ne forte... sumat etiam de ligno vitae...* (3,22-24). Ergo si non peccassent, non fuissent morituri corporaliter⁶.

Etsi formula «in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris» (2,17) videtur indicare poenam mortis mox infligendam ut criminalibus: Lev 20,1; 24,17), ut putavit Hummelauer (ceterum admittens immortalitatem Adae innocentis), quam tamen dein misericorditer mitigaverit Deus ac distulerit⁷, tamen alias habet ampliorem sensum temporalem quin significet «immediate» (1 Reg 2,36-46) et hic non intelligitur apte nisi de *capacitate moriendi seu de privatione immortalitatis*, ut videtur: a) Ex sententia illata, quae supponit diuturnum tempus patiendi ac laborandi: *Mulier... dixit: multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios... Adae vero dixit: ... maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sump-tus es...* (3,16-19). b) Ex poena eis imposita prohibitionis a ligno vitae, ergo non immediate moriendi (3,22-24)). c) De facto ii diu vixerunt: *Adam vero cognovit uxorem suam Hevam, quae concepit et peperit Cain... Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam et peperit filium... Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta...* (4,1,25; 5,5).

Nec iure obiceretur ea omnia solum probare mitigationem sententiae: a) cum id nullo indicio appareat; b) minae adeo severae (2,13; 3,3) non mitigarentur quin id aliquomodo exprimeretur, maxime cum auctor manifeste originem mortis explicare intendat; c) ipsa intimatio poenae adeo rigorosa (3,17-19) videtur eam mitigationem excludere⁸; d) imo, in intentione divina mortis subito inferendae, nulla supponeretur connexio inter peccatum Adae et mortem filiorum eius, qui in illa hypothesi non exstinc-

ThLov 19 (1942) 112; CLAMER, 119.143-146; JUNKER, 20; LAMBERT, l.c., 928s; HAURET, Origines... 137; ARNALDICH, 184s.185.263. Dicta valent, etsi, ut pauci auctores contra perloque teneant, in 2,9 non memoraretur arbor vitae: cf. ARNALDICH, 161s; CLAMER, 118s.

⁵ Si forte his solis verbis non videretur evidenter mors proponi, non ut effectus constitutionis hominis, sed ut poena peccati, id ex toto contextu sufficienter patet, maxime cum id clare constet ex Gen 3,22-24. Cf. GOOSSENS, l.c., 733-735 et DBS 4,306; CEUPPENS, p.149s.

⁶ GOOSSENS, 725s; DBS 4,301; J.FREUNDORFER, *Ersünde und Erbtod beim Apostel Paulus...* (Münster 1927) p.26s. Ceterum modo ea intelligantur etiam de morte corporis, nihil impedit quin et de morte animae sumantur: cf. S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 13,12: ML 41, 385s; *De pecc. merit. et remis.* 1,2: ML 44,109s.

⁷ HUMMELAUER, p.141. Eum sensum sequitur A.EBERHARTER, *Sünde und Busse im Alten Testament* (Münster 1927) p.47; nec eum reicit CLAMER, 122.

⁸ GOOSSENS, p.727s; DBS 4,302; FREUNDORFER, p.18-20.26; S.LANDERSDORFER, *Der Sündenfall*: ThGl 27 (1925) 52; CEUPPENS, p.117; HEINISCH, *Problemi...* 83s; JUNKER, 16.

turi essent, nisi iterum fingatur sine ullo iure ex narratione, Deum mutasse primum suum decretum ut poena infligeretur etiam posteris Adae⁹. Sensus ergo naturalis non videtur esse nisi is: *In quocumque die i.e. «tempore quo» comederis ex eo, morte morieris seu «poena mortis in te dicitur, dono immortalitatis privaberis», quin momentum eius mortis determinetur¹⁰, vel «morti eris obnoxius»¹¹.*

Si verba «morte morieris» alibi (Lev 20,1; 24,17) significant mortem mox infligendam, iis locis alius est contextus, cum agatur de hominibus certo mortalibus; at etiam ibi agitur de poena non subeunda mox post peccatum, sed post sententiam iudicis.

759. Consonant iudis: a) Eccl 25,33 (*A muliere initium factum est peccati et per illam omnes morimur*), ubi evidenter memoratur Heva¹². b) Sap 1,13 (*Deus mortem non fecit*) et 2,23 (*Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*). Haec quae sine dubio difficultate non carent, cum ea de morte spirituali et de immortalitate animae aeterna forte primario sumenda sint (attento contextu v.gr. 1, 11-15; 2,21-3,5), tamen saltem includunt mentionem *physicae et mortis peccato inductae et immortalitatis peccato ablatae*, ut patet ex clara allusione ad Gen 2 et 3, maxime cum ea scriberentur tempore quo in scriptis iudaicis donum immortalitatis ac mors haereditaria saepe memorarentur et de iis communiter Gen 2 et 3 sumerentur¹³.

760. C) Ex N.T. Novum T. eidem ideae consonat quod Ada ita mortuus est ob suum peccatum ut, si non peccasset, non moriturus esset.

Rom 5,12: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors. Hic agitur de morte: a) Inducta per Adam, ut patet ex v.14: Sed regnavit mors ab Adam... b) Physica, cum, non solum ad Gen 2,17 et 3,17ss aperte alludatur, sed etiam (5,12-14) ex universalitate mortis physicae universalitas peccati originalis deducatur. c) Per peccatum. Ergo ante peccatum ea non erat^{13*}.*

I Cor 15,21s: *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Hic, ubi etiam manifeste alluditur ad*

⁹ PALMIERI, *De peccato originali*² (Romae 1904) p.220.

¹⁰ Sic CEUPPENS, p.117; GOOSSENS, p.730-732; DBS 4,304s; ARNALDICH, 185. Utprope improbabile non memoravimus interpretationem quam proposuit TIRINUS, quod homo ipsa die peccati moreretur, eo quod coepisset interne mori modo quo nunc homo incipit mori a momento quo nascitur: cf. HUMMELAUER, p.141.

¹¹ Cf. BEA, p.159 nota 1. Sic et S.Io. CHRYSOSTOMUS (*In Gen. hom. 17 n.9; MG 53,147*): «Hoc est, sententiam accipitis, mortales posthac vos futuros».

¹² Cf. J.FREY, *L'état originel et la chute de l'homme d'après les conceptions juives au temps de J.-C.*: RevScPhTh 5 (1911) 516s; FREUNDORFER, p.119; GOOSSENS; DBS 4,314; T.GALLUS, S.I., «A muliere initium peccati et per illam omnes morimur» Sir 25,24 (33): VerbDom 23 (1943) 272-277.

¹³ R.SCHUTZ, *Les idées eschatologiques du livre de la Sagesse* (Paris 1935) 43-62; FREY, 517-520; CORNELY, *Comment. in librum Sap.* p.60-73.111-117; FREUNDORFER, p.60-65; GOOSSENS, 315s; BÜCKERS, o.c., p.10-25. Iuxta VAN IMSCHOOT, 294s, Sap 2,24, quin neget mortem physicam debere peccato, de ea non agit sed de spirituali seu privatione immortalitatis beatæ. Ibi nec danser nec excludi mortem esse haereditariam ex peccato dicit DURABLE, *Le péché originel dans les livres sapientiaux*: RevThom 56 (1956) 597-619. Sed ei iure repugnat, dum tamen effert ibi maxime agi de immortalitate spirituali, S.I.YONNET, S.I., *Le sens de τριτογενειν in Sap. 2,24 et la doctrine du péché originel*: Bibl 39 (1958) 27-36.

^{13*} Cf. L.CAMPEAU, S.I., «Regnavit ab Adam usque ad Moysen (Rom. 5,14)»: ScEcl 5 (1953) 57-60.

Gen 2 et 3, agitur de morte: a) *Physica*, cum ea opponatur resurrectioni corporum de qua ibi agitur. b) *Inducta ab Adam*, ut patet, et quidem *libere*, ut Christus libere induxit resurrectionem mortuorum.

761. **Probatur ex traditione.** PP. magnum momentum tribuerunt immortalitati Adae, quae iis esset velut compendium iustitiae originalis, quod proin designabat etiam ipsam gratiam. Respiciebant immortalitatem et incorruptionem ut donum propriissime divinum, ita ut nostra deificatio esset ut quaedam participatio illius perfectionis divinae. Haec maxime valent de S.Irenaeo, cui deificatio totius hominis et sanctificatio eius non est nisi participatio immortalitatis seu naturae divinae, cuius effectus attingat etiam ipsum corpus: ea ergo incorruptibilitate, quae ex Deo nequit esse homini nisi ut donum omnino gratuitum, homo accedit ad ipsum Deum. Cum vero peccatum sit aversio a Deo-vita-immortali, est mors quatenus eo homo immortalitate privatur; ceterum peccatum Adae fuit in eo quod aestimaret suam immortalitatem ut bonum sui proprium et sic bonum proprie divinum sibi vindicaret. Opus ergo Christi etiam in eo est, ut hominem restitueret ad incorruptibilitatem amisam seu ad participationem naturae divinae. Sanctificatio est maxime in immortalitate et ideo resurrectio est velut culmen eius sanctitatis¹⁴. Hinc immortalitatem corporalem Adae ii iam ante, sed maxime post exortum pelagianismum memorant et quidem ut gratuitum donum Dei.

S.THEOPHILUS ANTIQCH. (R 184): *Deus fecit hominem nec mortalem nec immortalem, sed capacem utriusque, prout is peccaret vel non.* Unde homo non est factus mortalis, sed ipse sibi potest peccando mortem inferre; accepit ius ad immortalitatem aliquando *de facto* obtinendam, nisi peccaret; ergo factus est simpliciter immortalis sed non immortalitate quae ut divina iam amitti nequiret. «Igitur nec mortalis natura nec immortalis factus. Nam si immortalem ab initio fecisset, Deum eum fecisset. Rursus si mortalem, videretur Deus causa illius mortis esse. Nec immortalem igitur fecit nec mortalem, sed capacem utriusque, ut si ad ea ferretur quae ducunt ad immortalitatem, observandis Dei mandatis, mercedem ab eo acciperet immortalitatem...; si vero deflecteret ad ea quae ducunt ad mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset...»

TATIANUS (R 156): *Verbum fecit hominem participem im-*

¹⁴ G. LANGEVIN, S.I., *Le thème de l'incorruptibilité dans le commentaire de saint Cyrille d'Alexandrie sur l'Évangile selon saint Jean*: ScEcll 8 (1956) 295-316; M. AUBIGNEAU, S.I., *Incortupibilité et divinisation selon Saint Irénée*: RechScRel 44 (1956) 25-52; J.M.ARRÓNIZ, *La inmortalidad como definición del hombre en S.Ireneo*: ScrVict 8 (1961) 262-287.

mortalitatis et quidem divinae (quae homini non est debita). «Verbum... illud caeleste... ad imitationem Patris a quo genitum est, imaginem immortalitatis, hominem fecit; ut quemadmodum immortalitas est apud Deum, sic homo, Dei portio participans factus, immortalitatem etiam habeat».

S.CYPRIANUS (R 566s): *In primo peccato firmitas corporis discessit cum immortalitate, quae erat gratia a Deo accepta.* «Cum illa prima transgressione praecepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit et cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi nisi cum recepta et immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate... luctari...» «... Adam contra caeleste praeceptum cibi letalis impatiens in mortem cecidit nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit».

S.ATHANASIVS (R 750): *Homines natura mortales, si boni mansissent, immortales fuissent, ita gratia Verbi conditionem naturae superantes.* «... Homines... sibi ipsis corruptionis mortis auctores facti sunt; qui... ex natura quidem mortales erant, sed gratia qua Verbi erant participes, naturae conditionem haud dubie effugissent, si boni utique permansissent. Siquidem propter Verbum, quod cum illis fuisset, ad eos naturalis corruptio non accessisset».

S.AMBROSIVS (R 1325): *Deus mortem non fecit, sed eam ob peccatum imposuit homini, ut in terram suam terra rediret* (quo sat clare natura hominis mortalis indicatur). «Si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed, postquam lapsus in flagitium est praevaricationis et fraudis, sententia comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, inveniemus mortem finem esse peccati...»

S.AUGUSTINUS (R 1699): *Homo erat mortalis, quia poterat mori, immortalis quia poterat non mori, ita ut mortalis conditione naturae immortalis beneficio Dei esset.* «Illud quippe (corpus) ante peccatum et mortale secundum aliam et immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae; a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui, nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris»^{14*}.

^{14*} Cf. C.HARTMANN, *Der Tod in seiner Beziehung zum menschlichen Dasein bei Augustinus*: Cath 1 (1932) 159-190; KLOPPENBURG, o.c., 32-60. De S.Athanasio cf. RECHEIS, l.c., 244, 253-257. De S.Cyrrillo Alex. cf. G.LANGEVIN, S.I., *Le thème de l'incorruptibilité dans le commentaire de saint Cyrille d'Alexandrie sur l'Évangile selon saint Jean*: ScEcll 8 (1956) 295-316.

762. Ratio theologica (congruentiae). 1) Etsi gratia sanctificans nullam habeat intrinsecam connexionem cum immortalitate quae tota quanta afficit corpus, tamen ea ex se videtur petere in toto subiecto, praeter virtutes infusas, perfectas dispositiones, ut ea per illas virtutes facile et constanter agere possit hic et in caelo, ita ut homo sine speciali impedimento, qualis videretur esse necessitas moriendi cum praevia capacitate infirmitatum, vita divina a Deo intenta vivere posset. Quod maxime valere debet pro natura innocentium (etsi idem lapsae Deus non dederit); unde potius mirandum esset, si Deus eam immortalitatem Adae non dedisset.

2) Cum verus amicus avertat, quantum fieri potest, omnia mala ab amico suo, congruebat ut Deus factum mortis, adeo displicens homini, averteret ab hoc innocenti, ut eum perficeret secundum corpus, quem adeo secundum animam perfecerat per gratiam et integritatem.

Homo esset perfecte harmonicus in suo esse, si, cum in eo perfecte anima subiecta Deo esset per gratiam et appetitus perfecte esset subiectus rationi, corpus etiam perfecte esset subiectum animae per immortalitatem.

ARTICULUS VII

DE IMMORTALITATIS ADAE PRAETERNATURALITATE

Thesis 33. Immortalitas Adae erat praeternaturalis.

S.Th., I q.97 a.2; De malo q.5 a.5; S.BONAVENTURA, In 2 d.19 a.3 q.1; BELLARMINO, c.9; PALMIERI, De ordine supernaturali th.17; BERAZA, n.485-503; HUARTE, n.364-370-372.

763. Nexus. Si immortalitas Adae ulterius cum natura creata comparetur, mox patebit eam non superare omnem naturam, cum v.gr. angelicam non superet. Quid vero relate ad naturam humanam? En quaestio.

764. Notiones. IMMORTALITAS sumitur hic ut potentia conditionata, seu si non peccetur, numquam moriendi, iuxta explicata in thesi superiore.

PRAETERNATURALIS sumitur etiam hic ut *supernaturalis secundum quid*, quatenus superat naturam humanam, non vero omnem naturam creatam vel creabilem.

765. Adversarii. Baiani, Iansenistae (n.699s). Quidam exegetae independentes (K.BUDDE, W.STAERK, etc.) dicentes hominem factum esse sua natura immortalem¹.

766. Doctrina Ecclesiae. S.PIUS V damnavit Baii errorem (D 1078): «Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio»².

PIUS VI damnavit quamdam Synodi Pistoriensis propositionem (D 1517) «quatenus... insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio: captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa...»

C.Vaticanium paraverat eam doctrinam ex qua Deus Adae, praeter dona gratiae eum elevantia «super naturae conditionem ad statum quemdam sublimem» dedit alia dona «quibus in propria natura perficeretur» et mox post gratiam effert integritatem ac mox dicitur «mortalis... homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris». Statim vero de iustitia originali complexive sumpta dicit: «Haec illa est hominis elevatio, quam... DD. catholici recte supernaturalem vocaverunt, ut quae naturae creatae tum vires tum exigentiam transcendat»^{2*}.

767. Valor theologicus. Doctrina catholica.

768. Probatur ex sacra Scriptura. Assignans lignum vitae ut causam immortalitatis protoparentum, sat indicat illud fuisse medium extraordinarium ex puro beneficio Dei, non ex exigentia naturae.

Sat etiam indicat mortem esse terminum naturalem vitae hominis, iis verbis (Gen 3,19): *Donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris*, quasi iis diceretur: cum ex pulvere factus sis et maneat pulvis, etiam redibis in pulverem³.

769. Probatur ex traditione. SS.Patres simul ac Adae immortalitatem memorant, eam ut donum gratuitum Dei explicite vel implicite efferunt (n.761): TATIANUS (R 156); S.THEOPHILUS ANTIOCH. (R 184); S.CYPRIANUS (R 566); S.ATHANASIUS (R 750); S.AMBROSIUS (R 1325); S.AUGUSTINUS (R 1699).

770. Ratio theologica. Immortalitas non pertinet ad hominem: 1) *Constitutive*, ut patet, cum non sit quasi eius pars vel essentialis aut integralis.

² LE BACHELET, l.c., 72s; ALFARO, l.c., 39.

^{2*} Schema reformatum... CL 556-558.1633 (cf. supra n.710).

³ Cf. GOOSSENS, 724s.733; DBS 4,300; CEUPPENS, 149. De Eccli 17,1s cf. DE FRAYNE, o.c., 75s.

¹ Cf. CEUPPENS, o.c., 100.106; GOOSSENS, l.c., 723s; DBS 4,299.

2) *Consecutive*, seu ut proprietates essentialium consequens, cum corpus sit ex se corruptibile, utpote obnoxium agentibus sive externis mortem violentam ei inferentibus, sive internis mortem naturalem ei afferentibus, et cum continuo processu organico in dies infirmetur ac consumatur, ut in plantis et in brutis accidit. Haec omnibus patent ex ipsa natura rei ac experientia, etsi dicatur materia non esse a priori incorruptibilis (v.gr. natura prima) et proinde mortalitas naturalis hominis non esse quid analyticum, sed syntheticum^{3*}.

3) *Exigitive*, vel ex parte corporis, cum hoc de se tendat in corruptionem, vel ex parte animae, cum haec sine corpore possit: a) vivere; b) ut ens intellectivum suas operationes cognoscendi ac amandi exercere, imo facilius ac perfectius sine dependentia etiam extrinseca a materia; c) obtinere beatitudinem essentialem, quae est in cognoscendo et amando Deo, ita tamen ut, si ad perfectiorem hominis beatitudinem requiratur vita corporis, sufficiat ut haec post certum tempus per resurrectionem naturalem obtineatur.

771. **Obiectiones.** 1. Ex Carthaginensi XVI (D 101), Adam non moreretur ex necessitate naturae. Ergo erat natura sua immortalis.

Dist. antec. Adam non moreretur ex necessitate naturae, quasi ex natura sua non eset mortalis, *nego antec.*; quatenus illa mortalitas non reduceretur in actum mortis nisi ex peccato, *conc. antec.*

Cum Pelagiani dicerent Adam moriturum esse sive peccaret sive non peccaret, seu eum innocentem non esse immortalem, Concilium docet eum non moriturum esse, nisi peccaret. Non ergo statuit rationem debiti vel indebiti eius immortalitatis.

Similiter possent intelligi ea verba S. Augustini (R 1760), scil. «corporis mortem non lege naturae, qua nullam mortem Deus homini fecit, sed merito inflictam esse peccati».

Sane his et aliis locis similibus contra Pelagianos non erat quaestio nisi de existentia donorum, quae Adam ante peccatum habuerit et per istud amiserit, non vero de horum ratione debiti vel indebiti. Hinc, considerato homine historico, seu qualis fuit in Ada et dein qualis nunc nascitur, non vero ipsa natura humana qua talis, seu secundum eius pure naturalia, dicitur iis homo innocens illa dona habuisse, quibus homo lapsus ob peccatum careat, non vero ea fuisse innocenti debita vel indebita. Ergo ex iis locis nihil potest obici contra thesim.

2. Ex C. Tridentino (D 788, cf. C. Arous. D 174) homo ob peccatum corruptioni subest. Ergo homini innocenti debebatur incorruptio.

Dist. antec. Homo ob peccatum corruptioni subest, quatenus aliquid amisit quod sine peccato habuit, *conc. antec.*; quasi aliquid amiserit ei naturale, *subdist.*: naturale seu de facto annexum naturae a Deo institutae, *conc.*; naturale seu annexum et proinde debitum naturae qua tali, *nego.* Etiam de his valent dicta nuper.

3. Ex Arausicano II (D 175), negans mortem corporis esse ex peccato, iniustitiam dat Deo. Ergo homo innocens habet ius immortalitatis.

^{3*} MACKAY, *Original Sin...* IrishThQuart 30 (1963) 197s.

Dist. antec. Negans mortem corporis esse ex peccato iniustitiam dat Deo, posita divina immortalitatis gratuita promissione, *conc. antec.*; ea non supposita, *nego antec.*

Pariter his Concilium loquitur supponens pro homine innocenti divinam immortalitatis promissionem, qua posita, iam illi homini *deberetur immortalitas*. Haec ei non ablata est nisi ex peccato, ita ergo ut qui dicit hominem non mori ex peccato, censeatur dicere Deum non reddere innocenti debitum immortalitatis.

Similiter possent intelligi illa verba S. Augustini (ex quibus arguit Berti)⁴, qui sane, ut supra vidimus, asserit gratuitatem immortalitatis Adae: «Iustum enim erat ut imago Dei nullo fuscata... peccato, tali insereretur corpori...», ut ei de ligno vitae subministrata vivendi stabilitas permaneret; ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separaret⁵.

772. 4. Homo nequit obtinere plenam beatitudinem sine immortalitate. At beatitudo ei debetur. Ergo et immortalitas.

Dist. mai. Homo nequit obtinere plenam beatitudinem sine omni immortalitate corporis, *nego mai.*; sine resurrectione corporis in posterum immortalis, *subdist.*: beatitudinem supernaturalem, *conc.*; naturalem, *trans.*

Deus vult ut in hoc ordine beatitudo essentialis compleatur accidentaliter gloria corporis resurgentis; resurrectio vero convenire beatitudini naturali non probatur nisi ad summum ut *conveniens*, ut placet quibusdam auctoribus catholicis, *non ut necessarium*. At etsi id probaretur, nondum constaret ipsam *immortalitatem* corporis pertinere ad beatitudinem. Sane in nostro ordine habetur plena beatitudo sine ea immortalitate.

Ceterum omnia quae obiciuntur contra immortalitatis praeternaturalitatem ex requisitis beatitudinis, arguunt ad summum beatitudinis naturalis exigi resurrectionem, non vero hominem in stadio terrestri esse natura sua immortalem.

5. Per separationem a corpore anima fit minus perfecta. At animae debetur perpetua conservatio in eius perfectione. Ergo separatio a corpore non est naturalis.

Dist. mai. Per separationem a corpore anima est minus perfecta in suo esse, *nego mai.*; in sua operatione, *subdist.*: in specifica, *nego*; in aliis, *iterum subdist.*: per se, seu per impedimentum appositum, *nego*; per accidens, seu ut consecretarium formale separationis a corpore, *conc.*

Anima separata manet in suo esse perfecta. Item, fit perfectior in operatione spirituali cognoscendi et amandi, quae ei convenit per se et quasi specificae, cum eam ceterum separata possit perfectius et facilius exercere⁶. Non exercet sane separata operationes sensitivas et vegetativas, at ei haec conveniunt virtualiter ratione sui, formaliter ratione unionis cum corpore et ideo dum corpus est aptum unioni cum ea. Ceterum separata potius ea servitute privatur.

6. Unio animae et corporis est naturalis. Ergo immortalitas homini debetur.

Dist. antec. Unio animae et corporis est naturalis, quatenus ea est in unam naturam, *conc. antec.*; quatenus ea exigitur a natura hominis, *subdist.*: unio temporalis, *conc.*; perpetua, *iterum subdist.*: potentialis, *conc.*; actualis, *nego.*

Anima exigit unionem actualem cum corpore, *dum hoc est capax vitae*, non vero in perpetuum, etsi etiam post separationem conservet capacitatem,

⁴ BERTI, o.c., diss.2 c.8 § 8.

⁵ S. AUGUSTINUS, *Opus imperf. cont. Iul.* 6,39: ML 45,1599.

⁶ Cf. S. TH., I q.89 a.1 ad 3; a.2 ad 1; *De ver.* q.19 a.1; SUÁREZ, *De anima* 6,8; A. ROYO, O.P., *Psicología del alma separada*: CienTom 82 (1955) 421-447.

non vero exigentiam, novae unionis cum illo. Hinc separata a corpore non est in statu violento, quod non satietur eius appetitus unionis cum corpore. Item, cum sit per se et essentialiter forma corporis, retinet separata capacitatem, non vero exigentiam, semper illud actu informandi ⁷.

7. Homo abhorret a morte. Ergo immortalitas est ei naturalis.

Dist. antec. Homo abhorret a morte ut animal, *conc. antec.*; ut ens rationale, *subdist.*: vincibiliter, *conc.*; secus, *nego*.

In homine, ut in brutis, appetitus sensitivus abhorret a morte. Etiam appetitus rationalis, vehementer allectus bonis mundi, abhorret ab ea, at ita ut hic horror ab ipsa ratione superari queat per considerationem bonorum superiorum, ut fit in militibus vel in sanctis.

N. B. Ut diximus de concupiscentia, S. Thomas dicit de morte et alia et haec: «Mors quodammodo est secundum naturam et quodammodo contra naturam» (*De malo* 5 a.5; 1.2 q.85 a.6; 2.2 q.164 a.1 ad 1; In Ep. ad Rom. c.5 lect. 4). Ergo eadem solutio danda erit: ea intelligit Thomas iuxta inclinationem formae seu animae rationalis, nisi potius appelletur ea alia solutio quod dicitur mors esse secundum naturam humanam in se sumptam, sed contra naturam historice sumptam seu ut ea fuit in Ada. ⁷

773. Scholion 1. *Quomodo obtinebatur immortalitas Aadae?* Ea erat, iuxta omnes, diversa ab immortalitate beatorum (1 q.97 a.1). Etsi multis modis a Deo induci posset, tamen, relicta ut improbabiliter explicacione, quam forte tenuit Molina, per quamdam corpoream qualitatem toto corpore diffusam, et illa alia minus probabili, forte a Soto propugnata, per gratiam sanctificantem ^{7*}, haec videntur probabiliter dicenda:

Causae externae mortis violentae possent vitari, partim per curam ipsius Aadae, viri fortis, sapientis, prudentis, partim per specialem Dei protectionem, non necessario valde specialem, cum etiam nunc sic plerique homines vitent mortem violentam. *Ex causis internis* seu afferentibus mortem naturalem: infirmitates poterant removeri partim et cautione hominis et speciali protectione divina, partim optima corporis dispositione, passionum moderatione, cibo exquisito paradisi (S. Augustinus, R 1762; In 2 d.19 q.1 a.2); senectus, seu lenta virium consumptio, eodem fere modo vel etiam per fructum ligni vitae, si forte hoc erat reale, posset vitari (1 q.97 a.4) ⁸.

His addit S. Bonaventura donum supernaturale animae datum ⁹. Imo et iuxta S. Thomam, «inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset» ¹⁰, quod tamen Suárez minus probabiliter putat posse intelligi de vi rationis (sapientiae, etc.), qua Adam se custodiret ¹¹.

774. Scholion 2. *De ligno vitae.* Iis omnino admissis ut indubie genuinis quibus illud ter in Gen (2,9; 3,22.24) ¹² ac ut unum ¹³, memoratur,

⁷ RONDET, *Naturel...* 244-247; HUARTE, n.357. Cf. et ALFARO, *Lo natural...* 245-256.

^{7*} Cf. SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,14,10-18.

⁸ Cf. SUÁREZ, *l.c.*, n.16.19-26.

⁹ S. BONAVENTURA, In 2 d.19 a.3 q.1.

¹⁰ S. TH., 1 q.97 a.1. Cf. *ibid.*, a.3 ad 1; q.95 a.1; *De malo* q.4 a.6 ad 4; In 2 d.19 q.1 a.2.

¹¹ SUÁREZ, *l.c.*, n.19. Ceterum S. Doctor dicit immortalitatem corporis non esse «per aliquem... vigorem in eo existentem» (1 q.97 a.1) ut «secundum aliquam dispositionem animae inhaerentem» (a.3 ad 1). Alibi tamen supponit immortalitatem Aadae fuisse per dispositionem quamdam corporalem divinitus eius corpori datam: «Animae igitur praeter ordinem suae naturae a Deo aversae, subtracta est dispositio quae eius corpori divinitus indita erat ut sibi proportionaliter responderet; et secuta est mors» (4 CG 81; cf. *Comp. theol.* c.149). Sic SALMANTICENSIS explicat immortalitatem Aadae per vim quamdam animae supernaturalem, sed ita ut et corpori esset specialis dispositio, qua anima per informationem perfectius dominium in illud exerceret: cf. DE SAINTE MARIE, *l.c.*, 273-275.

¹² Cf. CEUPPENS, 1035; GOOSSENS, 736-740; DBS 4,308-312.

¹³ Aliter opinatur COPPENS, *Een, twe of meer levensboomen in het Paradijs?* EphThLoy 20 (1943) 66-70; eum refutat HEINISCH, 79 not.37.

«lignum vitae est, ait S.Th. (1 q.102 a.1 ad 4), quaedam materialis arbor... quia eius fructus habebat virtutem conservandi vitam... et tamen aliquid significabat spiritualiter». Ea arbor censetur specialem vim habuisse ^{13*}, supernaturalem iuxta S. Bonaventuram ¹⁴, vel naturalem iuxta alios ¹⁵, conferendi, saltem ex parte sua et ideo posito composito humano integre sano, qualis erat et poterat conservari Adam in vita paradisiaca, ac remotis agentibus externis nocivis ¹⁶, vitam corporis, vel iuxta Scotum, per aliquod tempus ¹⁷ vel, iuxta alios in perpetuum ¹⁸, per suum fructum sumendum vel saepius, iuxta alios ¹⁹, vel semel, iuxta Bellarmino aliosque veteres ²⁰. Iuxta Lagrange et alios ei specialem ullam vim producenti vitam negantes, solum indicabat illud lignum, utpote dominio Aadae subiectum, potestatem ad illud accedendi vel huius amissionem, significare immortalitatem vel huius amissionem ²¹.

At, dum alii lignum vitae sumunt ut reale ²², iam Origenes illud habebat ut symbolicum, quem hodie, praeter quosdam exegetas independentes, plures in dies catholici, ut Lagrange (potest, ait, litteraliter, sed potius symbolice sumi), Ceuppens, Heinisch, Arnaldich, etc., sequuntur, putantes illud et eius fructus posse saltem non esse realia, sed solum symbola immortalitatis datae ²³. Quod ergo, etsi sine difficultate concedatur, adhuc stat illud lignum immortalitatem significare ²⁴. Ceterum, etsi «materialis», «aliquid significabat spiritualiter» (1 q.102 a.1 ad 4) et iam a SS. Patribus comparabatur cruci in qua penderet Christus ut vitae fructus, quem christiani in Eucharistia in pignus immortalitatis sumunt ²⁵: *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobiliss...* Dulce lignum... De parentis protoplasti fraude Factor condolens, quando pomi noxialis in necem morsu rotat, Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret... Certe opus nostrae salutis effertur

^{13*} S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 8,5,11; ML 34,377: «Illud... addo... cibum talem tamen illam arborem praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta».

¹⁴ S. BONAVENTURA, In 2 d.10 a.2 q.2. Sic et HOFER, *o.c.*, p.33.

¹⁵ S. TH., 1 q.97 a.4, ubi ceterum S. Doctor supponit cum S. Augustino fructum ligni vitae et alere ut cibum et modo medicinae corruptionem prohibere; SUÁREZ, *l.c.*, c.15 n.25; A. LAPIDE, In Gen. 2,9; HUMMELAUER, p.131. Cf. et HEINISCH, *o.c.*, p.114; BEA, *De Pentateuco* p.150.

¹⁶ Cf. SUÁREZ, *l.c.*, n.12.14. Hinc S. TH. (2.2 q.164 a.2 ad 6): «Homo si post peccatum de ligno vitae comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset, sed beneficio illius cibi potuisset vitam magis prolongare». Iuxta CLAMER, 145, immortalitatem dabat non immediate ac definitive, nec indecebat dispositionem aliquam physicam ad eam, sed praeservabat a corruptione, et id ex vi ei indita a voluntate Dei.

¹⁷ SCOTUS, In 2 d.19 n.3-6.

¹⁸ S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 3 c.20.23; ML 41,394.396; S. TH., 1 q.97 a.4.

¹⁹ S. AUGUSTINUS, *ibid.*; S. TH., *ibid.*; A. LAPIDE, *ibid.*; HUMMELAUER, p.131.

²⁰ BELLARMINUS, *l.c.*, c.18: «Altera sententia multorum est veterum Patrum et (nisi ego fallor) valde conformis Scripturae sacrae et rationi. Docet haec sententia, lignum vitae... ut vel semel gustatum perfectam adferret immortalitatem qualem habebimus post resurrectionem, et ideo non ante sumendum fuisse, quam transferendi essent homines de statu gratiae in quo poterant non mori ad statum gloriae in quo non possent amplius mori». Appellat pro se Ruppertum, Theodoretum, S. Chrysost., S. Irenaeum, etc., «quos, ait A. LAPIDE (*l.c.*), citat et sequitur Abulensis in c.13, ubi haec omnia fuisse pertractat».

²¹ Cf. CEUPPENS, p.105.

²² Sic H. JUNKER, *Baum der Erkenntnis*: LThK 2 (1958) 67; SCHEDL, *o.c.*, 77 n.15; cf. A. KROPP, O.P., *Urgeschichte in katholischer Sicht*: FreibZPhTh 9 (1962) 44.

²³ ORIGENES, In Gen.: MG 12,97-101; *De princ.* 4,16; MG 11,375; W. STAERK, Th. ORBINK; cf. CEUPPENS, p.1055; LAGRANGE, *l.c.*, 363; CEUPPENS, p.1798; HEINISCH, *Problemi...* 95; ARNALDICH, 183-185; SCHWEGLER, *Die biblische Urgeschichte...* p.95; MORANT, *Die Anfänge...* p.113; P.E. BONNARD, *Arbre*: VocThBibl (1962) 59; J.A. DE ONATE, *Notas exegeticas* (Gn 2, 8-17). *El paraíso terrenal*: CultBibl 18 (1961) 19.

²⁴ Cf. GOOSSENS, p.742; CEUPPENS, p.107.

²⁵ E. MANGENOT, *Arbres de la vie et de la science du bien et du mal*: DB 1,896; A. LAPIDE, *ibid.*; TERTULLIANO (?), *Carmen de ligno vitae*: ML 2,1113; cf. JUNKER, 18, et LAMBERT, *Le drame du jardin d'Eden*: NouvRevTh 86 (1954) 1069; de assimilatione ligni vitae et ligni crucis in iconographia, cf. A. LEGNER, *Lebensbaum*: LThK 6 (1961) 864s.

ut reditus ad arborem vitae (Prov 3,18; 11,30; Eccli 24,12-22), per Christum (Apoc 2,7), cuius crux est signum maledictionis quam ipse assumpsit pro nobis (Gal 3,13; Col 2,14; 1 Petr 2,24) et quae nobis facta est arbor iustitiae (Sap 14,7) ut in vero paradiso obtineamus arborem vitae (Apoc 22,2.14) 26.

N.B. Isti influxui ligni immortalitatis non videtur id obstare, quod corpus hominis aliquas immutationes paulatim subiret (modo statim vires eius reficerentur) et maxime in transitu eius ad vitam caelestem 27.

ARTICULUS VIII

DE FELICITATE PARADISIACA

Thesis 34. Adam ante peccatum in magna erat felicitate externa, includente etiam dominium perfectum rerum inferiorum.

S.TH., 1 q.97 a.2; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,14; PALMIERI, *De ordine supernaturali* th.24; BERAZA, n.426-438; JANSSENS, *De hominis elevatione...* q.106 a.1s.

775. Nexus. Cum ex praecedentibus constet Adam in ordine physico fuisse dono adeo eximio immortalitatis ornatum, nunc ulterius quaerimus in qua conditione fuerit ille relate ad dolores physicos et ad externa adiuncta vitae.

776. Notiones. ADAM ANTE PECCATUM sumitur ut in thesi 30.

MAGNA FELICITAS, quae sumitur hic pro quadam *beatitudine late dicta*, seu pro certo statu *insignis* sive absentiae dolorum sive gaudii vitae, intellegitur nunc: a) Non *spiritualis*, seu ut oriens *ex unione Adae cum Deo* sive per habitus supernaturales sive per actus contemplationis; quod indicatur etiam descriptione paradisi ut loci, ubi Deus habitat (Gen 3,8) et Adam fruitur amico commercio cum ipso Deo 1. b) Nec *moralis*, seu ut oriens sive *ex integritate* et ob summam facilitatem ad omnes operationes honestas et ob absentiam anxietatum internarum, sive *ex immortalitatis possessae cognitione*, sive *ex scientia infusa* de necessariis et convenientibus ad vitam et *ex immunitate ab errore*, de quibus inferius dicendum est.

c) Sed *physica*, seu ut oriens: *negative*, ex impassibilitate seu immunitate conditionata, nempe nisi peccaret Adam, ab omni dolore vel molestia corporali (v.gr. a defatigatione, fami, senectute, infirmitate, laesione, frigore, calore) et *positive*, ex adiunctis externis vitae valde delectabilis.

DOMINIUM est hic potestas: sive *physica*, seu rebus infe-

rioribus utendi vel eas cogendi aut transferendi aut etiam destruendi; sive *moralis*, seu *ius* ea potestate physica utendi.

PERFECTUM i.e. maius quam illud quod nunc homo habet, nempe quatenus res ei et nihil nocerent et rationabiliter imperanti prompte obedirent. At esset diversum pro natura rerum in quae ageret, et ideo etiam servata earum proportione.

RES INFERIORES, nempe: animalia, etiam ferocia; a fortiori plantae; inanimatorum terrestres et, servata proportione, etiam caelestes. Non ergo angeli 1*.

777. Adversarii. Pelagianni, Sociniani, Rationalistae (n.696.701s).

778. Doctrina Ecclesiae. C.Tridentinum (D 789): «Si quis... asserit... inquinatum illum (Adam) per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum... A.S.»

Definitur his *directe* Adam generi humano transfudisse peccatum, *indirecte* vero eum transfudisse *poenas corporis*. Ergo *implicite definitur*, etsi *indirecte*, genus humanum ante peccatum fuisse immune ab iis poenis.

Commissio de re biblica (D 2123): «Utrum speciatim sensus litteralis et historicus [trium priorum capitum libri Geneseos] vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera..., originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis... Resp.: Negative».

Hic videtur agi *directe* de felicitate prout ea oriebatur ex gratia, integritate, immortalitate; at sensu obvio intelligitur etiam locus saltem de immunitate a poenis corporis, cum haec sint semper aliqualis praeparatio ad mortem, ac sine dubio etiam de gaudio vitae externae, cum hoc clare memoretur in Genesi, et vox «felicitas», ubi agitur de vita hominis in terris, idem per se indicet.

Pius XII: An Deus, qui momento creationis «dedit homini potestatem eorum quae sunt super terram» suum verbum revocavit? Minime. Longius absens quin homini potestatem dominandi terram retraheret, Deus eam illi confirmavit, quo die Filium suum Unigenitum humana carne induit cum «proposuisset... instaurare omnia in Christo, quae in calis et quae in terra sunt, in ipso» ... Christus... asseruit dominium in mundum esse diverso gradu in Deo et homine et ideo non posse obtineri nisi in Spiritu Dei...

1* Cf. SUÁREZ, l.c., c.16 n.15.

26 Cf. BONNARD, l.c., 59.

27 Cf. MICHEL, *Sur l'immortalité d'Adam avant la chute*: AmCl 64 (1954) 239.

1 Cf. JUNKER, 18.

Creator misit hominem, imaginem sui Spiritus, in mundum, ut sit eius dominus cognitione, voluntate, operatione, sibi ut suam obtinendo... «intensive et collective» similitudinem aeternae veritatis et bonitatis, extensive diffusae in mundo...²

His et sequentibus Pontifex memorat dominium in mundum quod homo accepit initio quodque peccato amissum recuperat in Christo per Spiritum S.

779. Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita (D 789) est immunitas a poenis corporis. Communis et certa in theologia est thesis de magna felicitate et de dominio etiam, ut videtur, perfecto.

780. Probatur ex sacra Scriptura. 1) *Impassibilitas.* Gen 3,16-19: *Mulier... dixit: Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos (i.e. aerumnas conceptuum tuorum): in dolore paries filios et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui. Adae vero dixit: ... maledicta terra in opere tuo (i.e. vel in peccato tuo vel propter te)^{2*}; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinus et tribulos germinabit tibi et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane...*

Haec sententia lata post et ob peccatum supponit ea quae continet non fuisse protoparentibus ante peccatum, saltem eo modo quo molesta sunt. Ea vero videtur complecti omnia quae ad matremfamilias qua talem et ad virum sive qua patremfamilias (a pari) sive qua agricolam pertinet, et proin practice omnia quae ad eorum vitam spectant v.gr. in muliere incommoda quae graviditatum (quibus sine dubio accedunt omnia incommoda quae ratione filii alendi et educandi, etc., ei obveniunt ut matri). Unde iure arguitur a pari ad absentiam aliarum molestiarum.

Diximus «saltem eo modo quo molesta sunt», nam et sine peccato sive vir laboraret (2,15) sive mulier suo modo subiceretur viro³, sive essent labores (non dolores) partus, sive etiam sine dubio terra tribulos germinaret⁴.

² Pius XII, Nunt. radioph. (22 dec. 1957): AAS 50 (1958) 13.15s...; AAS 49 (1957) 8.

^{2*} HUMMELAUER, p.169.

³ Ceterum verba «aerumnas et conceptus tuos» sumunt: a) Alii, ut HEINISCH (*Das Buch Genesis...* p.127) et K.A.LEIMBACH (*Die biblische Urgeschichte*, Gen. 1,1.9 [Fulda 1937] p.71) de poenis vitae domesticae et de doloribus conceptuum. b) LAGRANGE, de doloribus vitae domesticae: cf. CEUPPENS, 146s. c) Alii, ut HUMMELAUER (l.c., p.167), COPPENS (*La soumission de la femme à l'homme*: EphThLov 14 [1937] 638, BEA (o.c., n.112) de laboribus conceptuum et partuum. In genere de molestiis graviditatum; et «in dolore» pariter et ex parallelismo punitionis Adae, sumit ut molestia, defatigatio, etc., non necessario ut dolor, a P.G.DUNKER, O.P., «In dolore paries filios» Gen. 3,16: Ang 34 (1957) 21-26. Item ipse explicat de desiderio habendi filios quod mulierem inclinat vehementer ad maritum suum, qui tamen se habet ut dominatorem in eam: 26s, dum verba «et sub viri potestate eris et ipse dominabitur» COPPENS (l.c., 67s), CEUPPENS (p.147s), sumunt de dominatione, non domestica et sociali, sed quoad vitam sexualem.

⁴ HUMMELAUER, p.169; CLAMER, 142s; HEINISCH, 94; P.DE SURGY, Tavaill: VocThBibl 1073-1075.

2) *Adiuncta externa honeste delectabilia.* Gen 2,8-17: *Plantaverat... Dominus (ex quo patet sollicitudo Dei in eos et proin sine dubio magna praestantia operis)... paradisum (in textu hebraico «gan»—vox originis sumericae—i.e. hortum) voluptatis (in textu hebraico «beedem» seu «in Edem», et ideo, ad sensum huius vocis originis etiam sumericae, vel «in deliciis» vel—id quod est multo probabilius—in regione vocata «Edem» praecise ob eius ubertatem)⁵ a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque... de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave; lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison... Tulit... Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur (labore facili ac iucundo, ut patet ex poena Adae imposita) et custodiret illum (i.e. ne peccando illum amitteret⁶ vel, probabilius, ut eum servaret et quidem talem qualem acceperat)⁷; praecepitque ei dicens: *Ex omni ligno paradisi comedere... Quae censenda sunt valere de aliqua vera realitate, etsi ipse paradisus forte sumatur symbolice, ut dein dicitur.**

3) *Copia bonorum Adae concessorum et dominium rerum inferiorum ei datum.* Gen 1,28s: *Replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus quae moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semem super terram et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam...*

4) *Perfectio domini patet ex eo quod omnia animalia adducuntur ad Adam, ut eis nomina imponat: Formatis igitur, Dominus... cunctis animantibus terrae et universis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea... (Gen 2,19s)⁸.*

781. Probatur ex traditione. 1) *Felicitas.* S.AUGUSTINUS (R 1762): *Nihil molestum corpori aderat, aderat vero magna copia bonorum, nec aberat id omne quod Adam recte cuperet. «Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat...; vivebat sine ulla egestate... Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret... Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas*

⁵ A.DEIMEL, *Wo lag das Paradies?*: Or 15 (1924) 45-48; Id., *Gen. cc. 2-3 cum monumentis assyriis comparata*: VerbDom 4 (1924) 281-283; BEA, n.108 not.3; HEINISCH, p.113; CEUPPENS, p.101s.

⁶ S.Th., 1 q.102 a.3; HUMMELAUER, p.140; HEINISCH, p.117.

⁷ CEUPPENS, p.115; LEIMBACH, n.49.

⁸ HUMMELAUER, p.143; HEINISCH, p.118; CEUPPENS, p.120; ARNALDICH, 88-91; D.TOBIN, S.L., *The Notion of Dominion in Genesis*, 1-3: CathBibIQ (1954) 277-294. Non desunt inter catholicos qui eam additionem ut merum symbolum sumant, quo hominis prioritatis ac dominium in animalia et forte eius mira scientia exprimitur, ut LAGRANGE, l.c., 364; CEUPPENS, p.181s.

molestias ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas... In paradiso nullus aestus aut frigus...»

«... In tantorum tanta affluentia bonorum..., nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo; nec aberat quidquam quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet... Quam igitur felices erant primi homines..., nullis corporum laedebantur incommodis...»⁹

S.I.CHRYSOSTOMUS: *Adam erat sine ullo dolore et fruens omni felicitate ac omnibus deliciis.* «Ego [Deus] ... volebam te degere sine doloribus, laboribus, sudoribus et aerumnis et omni felicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse...»

«Quoniam... omnis replebatur voluptate et aspectus iucunditate ac laetitia inde parta fruebatur..., ideo praecepit Deus ut *custodiret et operaretur illum*... Voluit ut parvam quamdam et sibi congruam gereret curam partim custodiendo, partim operando... Nunc vero in operatione occupatus, quae neque dolore neque molestiam afferret, moderatori esse poterat»¹⁰.

2) In specie *dominium*. S.I.CHRYSOSTOMUS: «Ostenditur enim ex iis quae dicta sunt, hominem ab initio plenum et perfectum super bestias principatum habuisse... Quod autem, nunc terrori nobis sint bestiae et timeamus et dominio exciderimus, neque ipse nego; verum hoc non arguit falsam Dei promissionem. Nam ab initio res non ita se habebant, sed timebant et tremebant bestiae et venerabantur dominum. Ubi autem ex inobedientia fiduciam apud Deum amisimus, etiam principatus mutilatus est. Subiecta enim homini animalia omnia fuisse accipe ex Scriptura quae dicit: *Adduxit Deus bestias et omnia bruta ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Et cum videret iuxta se bestias, non resiliit, sed tamquam dominus aliquis servis subditis nomina imposuit: *Et omne quod vocavit Adam, inquit, hoc nomen est illi;* quod utique domini signum»¹¹.

THEODORETUS: «Adamo priusquam peccasset, assistebant bestiae obsequium deferentes»¹².

782. Ratio theologica. Impassibilitas. Immortalitas in ferebat consequenter immunitatem ab omnibus aerumnis, quae

⁹ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14,10: ML 41,417.

¹⁰ S.I.CHRYSOSTOMUS, *In c.1 Gen. hom.17 n.9; hom.14 n.28*: MG 53,146.113-115.

¹¹ *Ibid.*, hom.9 n.4: MG 53,78s. Cf. hom.14 n.5: ML 53,116s.

¹² THEODORETUS, *Quaest. in Gen. c.1 quaest.18*: MG 80,97. Tamen inferius hanc limitationem addit (quaest.20: MG 80,115): «Non tamen propter hominem sunt ceti illi magis feraeque terrestres». In quo ipsum refutat SUÁREZ, *l.c.*, n.13.

essent vel remotissima dispositio ad mortem. Ergo ab omni prorsus dolore physico.

Magna felicitas, incluso dominio. Ea felicitas immunis a dolore et copiosa bonis externis harmonice cohaerebat cum complexu reliquorum donorum Adae.

Perfectum dominium. Homo habens rationi subiectum appetitum, a fortiori haberet extrinseca sibi subiecta¹³.

Ceterum ut diximus quoad integritatem ac immortalitatem in earum connexione cum gratia Adae, dicendum esse videtur de impassibilitate ac dominio indicatis, servata proportione: scil. gratia ex se connaturalitate physica vel saltem morali (nisi Deus nolit v.gr. ob peccatum originale illi exigentiae satisfacere) petit in subiecto cui datur optimas dispositiones et internas et externas, ut ea sine ullo impedimento rite agere queat et homo vita divina plene et constanter vivere possit. Ergo censendum est id per se, seu nisi contrarium constet, in natura innocenti obtinuisse etiam per copiam bonorum exteriorum ac per absentiam difficultatum ex aliis creaturis materialibus, cum id omne iuvare multum possit ad opus gratiae perfecte complendum.

783. Scholion 1. *Felicitas externa Adae fuit praeternaturalis.* Ecclesia damnavit eas propositiones Baii, quibus videretur innui dolorem homini non deberi nisi ob peccatum: «Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum...» (D 1072); «... Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis» (R 1073).

Etiam damnavit eam P.Quesnel: «Numquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem» (D 1420)¹⁴.

Doctrina ex his damnationibus fluens consonat ideae quam fontes theologici supponunt: non omnes afflictiones temporales hominum sive individuales sive collectivae esse necessario in poenam alicuius peccati, sed eas non raro posse deberi aliis causis, ita ut, sine revelatione divina, numquam constet certo hanc vel illam afflictionem concretam esse in poenam alicuius peccati^{14*}.

S.Scriptura sat clare indicat conditionem felicitatis externae Adae ut puram gratiam, in ipsa descriptione: a) *Paradisi*, ut loci specialiter praeparati pro homine extra eum, ut videtur, creato, in eum translato (ergo non ob eius merita, sed gratuito Dei beneficio). Gen 2,8.15: *Plantaverat... Deus paradisum voluptatis... in quo posuit hominem quem formaverat... Tulit ergo...*

¹³ Cf. SUÁREZ, *l.c.*, n.10; BAINVEL, *Nature et surnature*⁵ p.85s. His consonat traditio veterum populorum de *aetate aurea*; OVIDIUS, *Metamorph.* l.1 v.19: «Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo sponte sua fidem rectumque colebat».

¹⁴ LE BACHELET, *Baius*: DTC 2,108-110; J.CARREYRE, *Unigenitus*: DTC 15,2108.

^{14*} FOURURE, *o.c.*, eas propositiones ac earum doctrinam crisi subicit et ex fontibus doctrinam contrariam nuper indicatam ut indubiam conclusionem deducit. Cf. et J.SCHARBERT, *Der Schmerz im Alten Testament* (Bonn 1956); J.SALGUEIRO, *El dolor constituye una prueba saludable para el hombre*: CultBibl 20 (1963) 280-299; *Id.*, *Finalidad del dolor*: CiencTom 90 (1963) 369-395; J.P.SCHALLER, *Aspectos espirituales de la enfermedad: ¿Prueba o castigo?*: RevEspir 21 (1962) 367-375. De poenis vero peccati in S.Scriptura, cf. J.CHARON, *Châtiments*: VocThBibl, 122-124; L.MORRIS, *The Punishment of Sin in the Old Testament*: Australasian Biblical Review 6 (1958) 61-86.

Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis... 15 b) *Vitae paradisiacae*, ut ea copia et varietate bonorum circumdatae, quae nullo modo ad vitam humanam honeste gerendam requirantur (Gen 1,26-30; 2,8-20).

Ratio theologica ostendit: a) *Impassibilitatem* esse quasi praerequisitum immortalitatis, quae erat praeternaturalis. At, si agentia externa vel interna potuissent per se homini mortem afferre, a fortiori potuissent ei parvos dolores inducere. b) *Hominem sine ea felicitate* potuisse et finem suum ultimum assequi et multas occasiones virtutis exercendae ac merita beatitudinis invenire 16.

In specie pro *dominio*. Si intra ipsum hominem appetitus sensitivus non esset *naturaliter* plane subiectus rationi, quid mirum si animalia ab eo physice separata possent *naturaliter* ei non esse plane subiecta?

Obi. a) Initio humanitatis partus erant sine dolore. Ergo saltem ea impassibilitas non est praeternaturalis.

Trans. mai. Nuper id assertum est a quodam sapiente, cum functio naturalis seu iuxta leges ordinarias nequeat esse adeo violenta, ita ut illa phaenomena doloris non nisi serius apud homines existerint ex associationibus arbitrariis seu ex reflexis conditionatis.

Sed id nullo modo probatur. Ex historia religiosa et prophana nobis nota in partibus communiter (forte fuerunt exceptiones) erant dolores. Nec id repugnat naturae, quae bene concipitur posse velle conscientiam eius actus physiologicae et psychologicae illo modo inducere.

Si ab initio fuerunt ii dolores, hagiographus eos indicare vult; ceterum de facto id videtur supponere textus sacer. At etsi ii dolores ab initio non fuerint, ille textus plene stat. Nam hic dicit matri ut matri multa ferenda esse, at non dicit qualia. Ceterum cum auctor sacer videret suo tempore esse dolores in partu, nil mirum si eos saltem implicite memoret in Gen 3,16, at quin asserat eos iam ab initio in partibus necessario fuisse 17.

N.B. a) Nequit dici *innocentia* fuisse *Adae ratio exigens* dona iustitiae originalis vel aliquod eorum, cum ea esset *mere negativa* seu pura carentia peccati, quae ut talis nequit esse ratio exigendi plus quam natura per se exigit.

b) *De modo quo obtineretur impassibilitas Adae*, nihil speciale dicendum est, praeter dicta de modo obtinendi huius immortalitatem, quam illa censeretur connaturaliter consequi (1 q.97 a.2 ad 4).

c) Ipsa impassibilitas Adae iam per se etiam sine alia ratione exigeret per se quoddam specialae dominio in mundum externum, cum secus illa difficile servaretur sine continuis Dei miraculis; ne ergo ea miracula necessario multiplicarentur, sunt qui hypothetice recurrant ad illam obtinendam ad vires quasdam occultas hominis naturaliter vel praeternaturaliter excitandas, v.gr. telepathiam, clarividentiam 18.

784. Scholion 2. De paradiso. a) *De eius situ.* Hagiographus loquitur de paradiso ut de loco reali geographico determinatis copiae et pulchritudinis adiunctis realiter ornato; unde exegetae, quaerentes de eius situ, multas

15 S.T.H., 1 q.102 a.4; HUMMELAUER, p.140; CEUPPENS, p.15; VACCARI, *Il soprannaturale in Gen. 2-3*; QuestBibl I (Roma 1949) 184-201.

16 Cf. A.CASINI, S.I., *De statu naturae purae* (Romae 1724) a.3; BERAZA, n.512-527. Apud hos auctores solvuntur etiam obiectiones ex S.Augustino desumptae; LERCHER, n.631-633.

17 Cf. PIUS XII, Alloc. *L'accouchement sans douleur*: AAS 48 (1956) 908; DUNKER, *l.c.*, 18-31; A.PEINADOR, *El discurso del Padre Santo a los médicos sobre el parto sin dolor*: RevEspDerC 10 (1955) 699-708; J.GERAUD, *L'accouchement sans douleur*: AmCl 66 (1956) 199-200; A.DE SOBRADILLO, O.F.M.Cap., *El alumbramiento sin dolor*: Salm 3 (1956) 184-206.

18 PENDERGAST, *The supernatural Existential...* DownsRev (1964) 10-12; A.WIESINGER, *Okkulte Phänomene* (Graz 1952) 124-137.

hypotheses confingere, ex quibus alii eum extra hanc terram, catholici vero ac plerique acatholici in hac terra statuebant, sed ei assignantes multa diversa loca ac saepe valde dissita (Asiam, Americam, Africam, Europam) 19.

Ceterum «secundum auctores catholicos fere omnes, ait Ceuppens, et etiam secundum plures non catholicos sive in Mesopotamia, sive in regionibus immediate adiacentibus est; at quando ab eis maiora determinatio petitur, non amplius consentiunt» 20, ita ut eum collocent alii, ut Hummelauer, Theis, Murillo, Ibero, Delitzsch, in Mesopotamia 21; alii, ut Lagrange, Rijckmans, in Chaldea prope Arabiam 22; alii, ut Riessler, Landersdorfer, Hommel, Feldmann, in Arabia 23; alii, ut Deimel, Sanda, Hoberg, Hetzenauer, in Armenia 24; alii, ut Van Tichelen, Heinisch, Bea, Clamer, dicant eius situm exacte non posse determinari 25; dum Ceuppens putat «hagiographum non voluisse, neque potuisse paradisi situm nobis indicare, eo quod situs exactus et praecisus suo in tempore ignotus erat; intentionem solummodo habuit paradisi descriptionem nobis praebere, ideoque facilius protoparentum felicitatem in horto voluptatis monstrandi... Auctor e traditione populari narrationem suam hausit, et hortum descripsit sicut populum illum fuisse creditum» 26.

b) Imo, *paradisus adamiticus* semper existit, iuxta multos Patres, ita ut ii PP. identificantes paradisi adamiticum cum paradiso eschatologico conceperint totam vitam christianam ut reditum ad amissum paradisi 27. Petavius scripsit: «Omni propemodum christianae vetustati persuasum illud fuit, etiamnum manere pristinum illud in terra fortunatorum hominum domicilium» 28. Pro S.Thoma «locus ille seclusus est a nostra habitatione...» (1 q.102 a.1 ad 3); nec ideo «est frustra, quia non est ibi hominum habitatio post peccatum...; per huiusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem et quid homo peccando amiserit; quamvis (ut dicitur) nunc Enoch et Elias in illo paradiso habitent» (ibid., a.2 ad 3; cf. 3 q.49 a.5 ad 2); «et dum per ea quae corporaliter in illo paradiso sunt, instruitur de his quae pertinent ad paradisi caelestem, quo aditus homini praeparatur per Christum» (2.2 q.164 a.2 ad 4) 29. De facto fuit apud christianos ea traditio, quae usque ad s.xvi pervenit, quod adhuc subsisteret paradisi, et quidem, ut communiter putabatur, in tertio caelo (2 Cor 12,2) 30.

19 Cf. de his et de tota re: HUMMELAUER, p.133-135; F.DELITZSCH, *Wo lag das Paradies?* (Leipzig 1881); VIGOUROUX, *Paradis terrestre*: DB 4,2120-2128; KAULEN, *Paradies*: KL 9,1457-1463; J.FELDMANN, *Paradies und Sündenfall* (Münster 1913); FRÜHSTORFER, *Welschpfung und Paradies* (Linz a.D. 1927) 63-89; J.IBERO, S.I., *El paraíso terrenal*: EstEcl 4 (1925) 217-219; CEUPPENS, p.175-179; J.THEIS, *Das Land des Paradieses* (Trier 1928).

20 CEUPPENS, p.176.

21 HUMMELAUER, p.136-140; THEIS, p.35; MURILLO, *El Génesis* 280s; IBERO, *l.c.*; DELITZSCH, p.27.

22 LAGRANGE, *La controverse minéo-sabée-biblique*: RevBibl II (1902) 268-272; G.RIJCKMANS, *Het Boek Genesis* (Brugge 1927) p.19.

23 P.RISSLER, *Zur Lage des Gottesgartens beiden Alten*: ThQschr 98 (1916) 273-313; S.LANDERSDORFER, *Die Bibel und die südarabische Altertumsforschungen* (Münster 1920) p.50; F.HOMMEL, *Ethnologie und Geographie des Alten Orients* (München 1926) p.11; FELDMANN, *o.c.*

24 DEIMEL, *l.c.*, 44-54; A.SANDA, *Moses und der Pentateuch* (Münster 1926) p.140; HOBERG, *Die Genesis*, p.368; HETZENAUER, *Comment. in Genesim*, p.52-55.

25 T.VAN TICHELEN, *Schepping en Zondvloed* (Brussel 1920) p.35; HEINISCH, *o.c.*, p.116; BEA, *o.c.*, n.109: «Praehistoria autem hucusque statueri non potuit ex qua regione genus humanum processerit. Quare omnes theoriae de situ paradisi fundamentis satis labilibus innituntur»; CLAMER, 1178; HEINISCH, 73-75.

26 CEUPPENS, p.178s. Cf. et VACCARI, *Il soprannaturale...* 192-195.

27 E.COTHENET, *Paradies*: DBS 6 (1960) 1218s; A.STOLZ, O.S.B., *Teologia de la mistica* (Madrid 1951) 32-47; L.LELOIR, O.S.B., *Hodie, mecum eris in paradiso* (Lc., XXIII, 43): RevDiocNam 13 (1959) 471-473; FLICK, *o.c.*, 333s.

28 PETAVIUS, *De optif. sex dierum* 1.2 c.5 n.14.

29 Cf. et S.BONAVENTURA, *In 2 d.17 a.2 q.3 dub.3*; d.29 a.3 q.2 dub.3.

30 I.AYER DE VUIPPENS, O.M.Cap., *Le Paradis terrestre au troisième ciel?* (Fribourg 1925); cf. Id., *Ou plaq-t-on le paradis terrestre?*: EtFranc 36 (1924) 117-140.371-398.581-589;

Sed moderno tempore, dum rationalistae et non pauci acatholici exegetae narrationem paradisiacam ut mythicam habent³¹, apud acatholicos semper aliquid ibi historicum videntes etiam de felici conditione externa vitae Adae, alii paradisum ut locum geographicum firmiter tenent, ut Schedl, alii etsi dubitantes de ea re sensum realem praeferrunt, ut Morant, alii censent eam narrationem esse symbolicam seu ea designari, non praecise locum sed statum seu conditionem simul naturalem ac supernaturalem protoparentum, qui fruerentur vitali familiaritate cum Deo, harmonica pace interna singuli secum et externa cum aliis creaturis, copia bonorum ad iucundam vitam, immortalitate per arborem vitae³².

c) *De usu vocis «paradisus»*. Ceterum haec vox, originis persicae, applicata loco originali protoparentum (Gen 2,8.15) iam apud iudaeos temporis messianici significavit locum quo iusti (saltem quidam) mox post mortem adibant, ut dein in N.T. (Lc 23,43; 2 Cor 12,4; Apoc 2,7); etiam Christum, B.Virginem, primis saeculis maxime exegetae viderunt in paradiso figuram Ecclesiae et in eius fluminibus tyrum aquarum baptismalium³³.

ARTICULUS IX

DE SCIENTIA INFUSA ADAE

Thesis 35. Adam ornatus est scientia infusa.

S.TH., I q.94 a.3; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3 c.9; BERAZA, n.378-425; PESCH, 3 n.206-216; HUGON, *Utrum primus homo habuerit scientiam omnium*: Div.Thom(Pi) 4 (1927) 445-453; RIVIÈRE, *La science et l'intégrité morale d'Adam*: RevClFr 79 (1914) 345-349.

785. Nexus. Deus ornavit sive voluntatem Adae per dominium perfectum in appetitum sensitivum sive corpus eius per immortalitatem ac impassibilitatem; quid vero de eius intellectu? Haud dubie is veritatibus fidei ornatus est; at in qua conditione positus est a Deo quoad scientiam naturalium? En quaestio.

786. Notiones. ADAM indicat hic solum primum hominem, cum de eo directe sint argumenta, etsi dicenda etiam Hevae applicanda proportionaliter esse videantur.

At scientia infusa censetur esse *donum personale* protoparentum ac proin eorum posteris generatione non transmittendum.

SCIENTIA, sumitur hic ut *excellens* quaedam cognitio: a) Non *acquisita*, quae obtinetur usu naturali facultatum seu discursu et experientia. b) Nec *infusa per se*, seu quae est intrinsece supernaturalis, qualis est cognitio mysteriorum fidei quam habuit Adam (n.715), et quae proin ei supernaturaliter a Deo

data est. c) Sed *infusa per accidens*, seu quae est intrinsece naturalis i.e. non entitative diversa ab acquisita a nobis per naturalem usum facultatum naturalium, at quae Adae *praeter-naturaliter* seu immediato divino influxu in intellectum eius a Deo data est (I q.94 a.3 ad 1).

Ea in genere esset saltem de Deo, de lege morali, de natura physica; sed non intenditur hic determinare perfectionem et gradum eius scientiae, nisi ea formula generali quod ea congruenter respondeat et donis iustitiae originalis et conditioni qua erat primus homo in ordine ad vitam humanam in mundo illius iustitiae.

787. Adversarii. *Pelagiani, Rationalistae* (n.696-702). HIRSCHER, GÜNTHER, alii, protoparentibus dantes eximiam cognoscendi facultatem, at quae pedetentim se evolveret, quin scientiam primitus haberet¹.

788. Valor theologicus. *Communis et certa in theologia.* «Certum est, ait Suárez, habuisse Adam statim ac fuit a Deo creatus naturalem scientiam a Deo sibi inditam»².

789. Probatum ex sacra Scriptura. Haec non agit diserte de insigni scientia Adae, at ea docet quae difficile sine illa supposita intelligantur³. Sic Gen 2,19s: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et univ-ersis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et univ-ersa volatilia caeli et omnes bestias terrae.*

Si Adam *per se solus* vocavit animalia et quidem *nomini-bus suis*, scil. naturas eorum describens sufficienter ex eorum sensibilibus proprietatibus, habebat eam scientiam, quae adiunctis primi hominis difficile diceretur non esse infusa. Hoc ratiocinium non excludit ibi agi de aliqua descriptione metaphorica qua hagiographus intendat aliquam doctrinam specialem nec praecise scientiam quam Ada habebat de animalibus; sed effert hagiographum occasione eius descriptionis tribuere Adae scientiam quae in homine unico non instructo ab alio difficile inveniretur. Ceterum apud babylonios et hebraeos impositio nominis indicabat scientiam perfectam naturae rei cui illud imponebatur, ut solent notare auctores⁴.

¹ KATSCHTHALER, o.c., p.1, *De homine* n.280 not.; KLEUTGEN, o.c., p.505-527.

² SUÁREZ, l.c., n.2. Per excessum peccat, ut putamus, HUGON (l.c., 447) dicens: «Primo homini inditum fuisse a Deo sermonem cum perfecta scientia, est de fide propter evidentissima divinae Revelationis testimonia».

³ Ita PESCH, n.208: «S.Scriptura... ea docet de eius (Adae) scientia, quae intelligi nequeant, nisi admittamus scientiam infusam».

⁴ HEINISCH, o.c., p.118; PIROT, *Adam et la Bible*: DBS I,98; CEUPPENS, 120; CLAMER, 123; JUNKER, 16; ARNALDICH, 88-91; TOBIN, l.c.; HUMMELAUER (p.143), haec de ea scientia advertit: «Profecto non sunt supponenda nomina ab Adamo animantibus indita fuisse di-

37 (1925) 21-44, 113-145; E.NIEDERHUBER, *Die Eschatologie des heiligen Ambrosius* (Paderborn 1907) p.52-55; STOLZ, o.c., 32-41.

31 Cf. HUMMELAUER, p.134s; H.HAAG, *Sündenfall*: BibLex (Einsiedeln 1951) 1567.

32 SCHEDL, o.c., 75s; MORANT, o.c., 148s; OSATE, l.c., 19,21; (ut videtur) RENCKENS, o.c., c.17s; forte E.COTHENET: *Paradis*: DBS 6 (1960) 1198.

33 VIGOUROUX, *Paradis*: DB 4,2119; BERAZA, n.431; COTHENET, 1218.

Ea vero scientia, quae de animalibus directe proponitur, iure censetur esse de omnibus quorum notitia erat Adae utilis, maxime ut apte munere fungeretur: a) Domini omnium rerum terrae (Gen 1,28-30): *Replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus... Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen... et universa ligna..., ut sint vobis in escam...* b) Agricola (2,15): *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret (seu ut conservaret rite cultum) illum.*

790. Eccli 17,1-9: *Deus creavit de terra hominem... Creavit ex ipso adiutorium simile sibi...; disciplina intellectus replevit illos... Mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.*

Deus ergo protoparentes, de quibus ex sensu obvio directe agitur: a) Disciplina intellectus sine dubio sat perfecta, et proin non solum supernaturali per fidem, sed et naturali vera scientia replevit. Id petit etiam potestas eis data in ea quae sunt super terram (v.3s)⁵. b) *Mala et bona docuit* i.e. indidit eis legem naturalem qua bona et mala ostendit eis *sat clare*, ut patet, cognoscenda. c) *Magnalia operum suorum docuit* i.e. eos sic illustravit, ut illa magnalia bene cognoscere et rite aestimare possent⁶.

791. **Probatur ex traditione.** S.I.CHRYSOSTOMUS: *Indicium scientiae ineffabilis Adae id fuit, quod cognosceret tot animalium genera.* «Vide hic quae quomodo cum ineffabili illa sapientia, ei a Deo superaddita, cuius nobis indicia demonstrata sunt per nominum impositionem, quae tot brutorum animalium generibus indidit, et propheticam gratiam acceperit»⁷.

S.AUGUSTINUS (R 2011): *Indicium excellentissimae sapientiae fuit impositio nominum; quod et sola ratio ostendit.* «Neque secundum christianam cogitatis fidem, qualis sit factus Adam, qui universis generibus animarum vivarum nomina imposuit: quod excellentissimae fuisse indicium sapientiae, in saecularibus etiam litteris legimus. Nam ipse Pythagoras... dixisse fer-

versi cuiusdam et altioris ordinis, quam ea nomina, quae ipse 2,23 et 3,20 uxori imposuit, cum eam viraginem appellavit et vitam: iam vitae nomen licet mulieri vere tribuatur, at non eo totam eius naturam describit... Ergo cognitio quam nominum attribuit in Adamo supponit, alia non est ab ea quam homines etiamnum habent de variorum animalium indole et usibus, quae cognitio in Adamo utique fuit non acquisita sed infusa. Fuit amplior nostra, at non fuit diversi seu altioris ordinis...» Cum accedat exegetis assensus communis TT., patet non esse audiendum LAHOUSE (n.185), habentem istum locum ut omnino «inefficax» ad rem probandam.

⁵ Hinc Sapiens (Sap 9,1-4; cf. 10,1s) petit a Deo sapientiam, qualem Adae ad mundum in aequitate regendum dederat.

⁶ KNABENBAUER, *Commentarius in Ecclesiasticum* (Parisiis 1902) 194-197.

⁷ S.I.CHRYSOSTOMUS, *In Gen.* c.2 hom.15 n.2: ML 53,122. Cf. et *In Gen.* c.2 hom.14 n.28; ML 53,116s.

tur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus».

S.CYRILLUS ALEX. (R 2104): *Adam a primo instanti habuit perfectam sapientiam.* «Adam non in tempore, ut nos, sapientiam videtur esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia praeditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibata in seipso conservaret...»

S.I.DAMASCENUS (R 2360): *Adam more prophetae nomina animalibus imponit.* «Hunc... hominem creator masculum condidit, divinam ei gratiam suam impertiens seque per eam ipsi communicans: quo factum est ut in morem prophetae animalibus... nomina imposuerit».

792. **Ratio theologica.** Deus, qui res immediate a se productas condit perfectas, putandus est indubie Adae iam adulto et eximiis donis supernaturalibus ac praeternaturalibus etiam quoad corpus ornato et in dominum omnium constituto, perfectionem etiam intellectus per scientiam infusam ei indidisse: a) *Ut personae carenti magistro*, quae nosset mox res ad vitam quotidianam pertinentes, vitaret multos errores, posset melius Deum glorificare, emereret harmonico complexu donorum. b) *Ut capiti hominum*, quod filios apte instruere posset⁸.

Ceterum gratia petit in suo subiecto saltem innocenti per se (seu nisi Deus aliud statuatur v.gr. ob peccatum originale), ut quoad alia dona iustitiae originalis dictum est, eas condiciones internas et externas, quibus sine speciali impedimento possit per suas virtutes agere et homo plene ac constanter ea vita gratiae naturae innocentis vivere queat; iam vero ceteris paribus gratia invenit faciliorem viam agendi in homine gnaro rerum etiam naturalium quam in earum ignaro; ergo censendum est Adae innocenti ab initio scientiam quendam naturalem infusam esse.

793. *Ada innocens et homo primitivus.* In hypotesi transformismi humani praecipua difficultas exurgens ex theologia Adae innocentis est ea, quod non recte videatur ille status perfectionis physicae et culturalis ac intellectualis, quam elaboratio TT. primo homini tribuere solet, conciliari cum inventis scientiae palaeanthropologicae de primis hominibus ut biologice ac psychice valde imperfectis. Eius problematis quaesitae sunt plures solutiones:

1) Dictum est Adam debuisse elicere actum optionis fundamentalis relate ad suum finem *primo momento* vitae suae moralis. Eo enim momento

⁸ Cf. SUÁREZ, l.c., n.45; G.SCHMIDT, *La révélation primitive*, trad. A.Lemonnyer (Paris 1914) p.208s. LABOURDETTE, 174, putat thesim de scientia Adae probari magis munere eius quam testimonio directo Scripturae.

habebat dona indebita ad optionem necessaria seu *integritatem*, qua cum plena claritate ac plena aequanimitate cognoscitivo-volitiva et proin cum perfecta libertate, fere ad modum angeli, in eo momento ageret, et *gratiam sanctificantem*. At in metaphysica thomistica ens libere agens sine concupiscentia (ut angelus vel anima separata) si elicit actum bonum, eo ipso iam nequit ulterius peccare seu definitive confirmatur in gratia; ergo Ada si elegisset actum bonum, iam dein non posset peccare; ergo necessario (necessitate mere logica,) commisit primum suum peccatum primo momento vitae suae moralis; ergo sic reiecit gratiam ei datam quin eam acceptaret et proin quin vel ullo instanti ipse fuerit in amicitia cum Deo. Reliqua vero dona (immortalitatem, impassibilitatem, etc.) eo primo momento optionis non habuit nisi ut oblata, quae accepisset nisi peccasset; ea ergo et pertinebant ad complexum donorum Aadae, sed non ut experientiae subiecta. Cum de facto Ada peccarit, explicatur Deum ex una parte homini surgenti ex evolutione infudisse integritatem et gratiam, quam tamen is reiecit, nihil vero iam egisse ad Adam sive corporaliter sive intellectualiter modo praeternaturali perficiendum, ita ergo ut physice ac intellectualiter numquam fuerit perfectior ac ipsa origo evolutionistica exigeret⁹.

Sed haec solutio, quae primo aspectu adeo congrua videtur esse ad difficultatem obiectam solvendam, habet ea incommoda: a) Historicam, quatenus volens sequi quamdam theoriam Thomae de optione quam ipse dicit ponendam homini usum rationis attingenti, omittit S.Doctorem distinguere in Ada actum primum quo gratiam libere acceptat (1 q.95 a.1) ab actu quo dein eam reiecit; item quatenus illa solutio difficile conciliaretur cum participatione Hevae in peccato Aadae, imo cum tota narratione genesiaca qualis ab exegetis solet sumi de diuturniore duratione paradisiaca. b) Theologicam, quatenus difficile servat Adam de facto habuisse gratiam sanctificantem et maxime immortalitatem ac impassibilitatem. c) Philosophicam, quod in uno eodemque instanti Ada cognoscat clare terminos possibiles suae optionis, tentetur a diabolo, rem adeo gravem pro se ac suis pueris definitive decidat.

2) Alia solutio radicaliter data est, quod Ada accepit dona iustitiae originalis, sed quoad alias perfectiones physicas et quoad cognitiones naturales sua conditio fuerit ea quam palaeanthropologia invenit in primis hominibus^{9*}.

Sed si in hac solutione admittitur Deum ornasse primum hominem ex evolutione natum adeo miraculoso modo donis supernaturalibus (cum opportuna mysteriorum revelatione) imo miris donis praeternaturalibus quibus in ipsa sua natura mire perficeretur seu intergritate et immortalitate ac impassibilitate, omnino congruum est supponere Deum ei infudisse specialem aliquam scientiam rerum naturae: a) Ut gratia in homine instructo facilius ageret ad eum cum Deo magis ac magis uniendum et ut cetera dona enumerata connaturalis influxum suum in vitam hominis exercerent sine impedimentis natis ex ignorantia. b) Ob rationes superius datas ex speciali conditione primi hominis.

Haec ergo videntur tenenda, non praecise ut doctrina fidei vel ut absolute certa, sed utique ut bene fundata, etsi non possemus solvere rite difficultatem obiectam de eius doctrinae conciliatione cum scientia naturali iam acquisita. Haec enim difficile ostendit eos homines quos putat esse primos, non habuisse longam seriem praedecessorum, in cuius evolutione intellectuali non fuerint regressus, cum hi etiam in epocha iam historica evererint. Sed de facto cum hodie iam non distinguantur ea stadia evolutionis humanae successivae seu

⁹ P.OVERHAGE-K.RAHNER, S.I., *Das Problem der hominisation* (Freiburg Br. 1961) 84-90; cf. FLICK, *Problemi teologici sull' «ominazione»*: Greg 44 (1963) 67-70.

^{9*} C.REILLY, S.I., *Adam and primitive man*: IrishThQuart 26 (1959) 331-345.

formae arcaicae, neardentalicae (quae potius videtur esse regressu degenerata), sapientis, quia iisdem temporibus sunt exemplaria triplicis formae, sunt in scientia qui censeant et formas hominum arcaicas fuisse biologice iam perfecte humanas, imo et hodiernas fuisse illis antiquiores, quin ergo scientia exigat ut primos homines, saltem omnes, tamquam belluis proximos respiciamus; quod posset forte valere et quoad eorum psychismum¹⁰.

3) Imo per se etsi Ada de facto ex bruto processerit, non constat eum necessario simul ac dona praeternaturalia et gratiam debuisse accipere *constitutionem biologice perfectam* et *scientiam naturalem eminentem*. Potuit ergo initio apparere ea forma qua sunt typi antiqui inventi, quae paulatim perficeretur naturaliter vel etiam praeternaturaliter; in quo postremo casu filii eius post peccatum potuerunt nasci in ea forma physica imperfecta, qua naturaliter essent saltem si Ada non ornatus esset iustitia originali. Quoad scientiam, Ada cum donis supernaturalibus accepit revelationem veritatum religiosarum quibus creditis debitum cultum Deo tribueret, quod in primo homine sine potenti vi intellectiva esse non potuisset; quoad cognitiones rerum naturalium: a) Sine dubio ex lucidissima mente ob integritatem et cetera dona praeternaturalia erat ei magna potentia discendi. b) Unde potuit initio eas cognitiones infusas accipere quae ei sufficerent ad necessariis vitae rite consulendum, nec necessario scientiam perfectam quam ipse per se facillime posset obtinere. Post peccatum vero nil impedit quin, amissis donis praeternaturalibus, Ada et dein filii eius iam carerent mira illa facilitate discendi; hi vero ceterum potuerunt nasci in ea conditione intellectuali plus minus quam habuissent nascentes in statu pure naturali. Ulterius vero non est exclusus nec improbabilis regressus intellectualis hominum per plura saecula quae historiae humanae praecesserunt. Iis ergo omnibus non videntur obstare dona iustitiae originalis.

794. Corollarium. Cum probaverimus Aadae fuisse scientiam per accidens infusam, eo ipso probavimus eam esse *praeternaturalem*. Nam: a) Ex parte *potentiae*, modus cognoscendi homini *proportionatus* is est: per species intelligibiles quas eius intellectus, praevia sensatione, a phantasmatis abstrahat. b) Ex parte *exigentiae*, Adam posset sine illa adeo ampla scientia vitam vere honestam agere. Hinc SS.I.Chrysostomus^{10*}, Cyrillus Alex. (R 2104), S.I.Damasceus (R 2360), eam scientiam gratiae Dei tribuunt (n.791).

795. Scholion 1. *Quando fuit scientia naturalis Aadae infusa?* Iuxta Suárez, «statim ac fuit a Deo creatus»¹¹. Id verius videtur, cum ea statim fuerit Aadae conveniens. De facto iam ante formationem Hevae utitur scientia rerum et sermonis humani (Gen 2,19s). S.CYRILLUS ALEX. (R 2104): «... Adam... statim a primis ortus sui temporibus perfectus in intelligentia ostenditur».

Scholion 2. *Qualis fuit scientia infusa Aadae?* Eadem ac nostra quoad obiectum et quoad modum cognoscendi, seu per species eiusdem rationis ac nostras et per conversionem ad phantasmata. Diversa a nostra quoad modum eam acquirendi, cum Deus ipsi indiderit immediato influxu species intellectivas ac eis praevias species sensibiles, quas nos ope sensuum et

¹⁰ Cf. LABOURDETTE, 1778; FLICK, o.c., 328s; MICHEL, *Quelle était la perfection humaine de l'état originel?*: AmCl 65 1955) 595s; Id., *Evolutionnisme, origine et état du premier homme*: AmCl 69 (1959) 338s; FEINER, 257-262; OVERHAGE, *Um das Erscheinungsbild der ersten Menschen* (Freiburg Br. 1959) 40.47.100s (cf. tamen MARCOZZI: Greg 42 (1961) 607s).

^{10*} S.I.CHRYSTOSTOMUS, *In Gen.* c.2 hom.15 n.2: ML 53,122; CASINI, o.c., a. 5; BERAZA, n.504-511; PALMIERI, o.c., th.16.

¹¹ SUÁREZ, l.c., n.2. Item PALMIERI, th.22 n.4: «Scientia homini communicata est a Deo in ipso actu creationis. Id facile colligitur ex locis citatis».

phantasiae obtinemus; item quoad accidentalem perfectionem ipsorum actuum ob excellentiam et ingenii et phantasmatum sensuumque ac moderationem passionum, etc.¹²

Scholion 3. De ambitu scientiae infusae Adae. Iure Pesch: «De qua re cum revelatio nihil doceat, student (TT.) probabilibus coniecturis ambitum huius scientiae determinare»¹³. Veteres TT. eam nimis extendebant. Ita S.Thomas: «Primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui. Et haec sunt omnia illa quae virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quaecumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt» (I q.94 a.3)¹⁴. Et sic fere Suárez, ac nuper Mazzella, Palmieri¹⁵. Ergo consequenter Adam in scientia infusa progredi nequiret¹⁶.

Hodierni TT., forte ex influxu exegeseos criticae¹⁷, moderatius loquuntur de ea re. «Cuiusmodi autem fuerit haec scientia, ait Perrone..., quanta eius amplitudo, qui limites ardua res est determinare; hoc unum dici potest, eam fuisse pristinae illius conditioni omnino consentaneam»¹⁸. Cui principio posteriores TT. libenter assentiuntur¹⁹. In concreto posset dici ipsum accepisse eam rerum religiosarum, moralium, physicarum scientiam (cuius gradus determinari nequeat) quam exiebat eius et conditio hominis innocentis (eximiis donis indebitis ornati) ac solius et munus capitis hominum, ut ab initio sufficienter necessariis ac convenientibus vitae consuleret et ulterius sua mente clara ac potenti magnos progressus in ea facere posset. Unde non supponenda est ea attigisse: a) Secreta cordium, futura libera vel alia quae homo naturali usu facultatum cognoscere nullo modo potest (I q.94 a.3). b) Imo, per se nec alia quorum cognitionis nullum vestigium manet in eius posteris^{19*}. c) Certe eas notitias haberet quae perfectum exercitium donorum supernaturalium ac praeternaturalium, v.gr. impassibilitatis, conaturaliter forte exigeret in quotidiano usu rerum materialium.

Scholion 4. Potuit Adam errare? a) Utique peccando: sive graviter v.gr. per haeresim vel grave iudicium temerarium, cum esset liber ad graviter peccandum, sive leviter v.gr. per leve iudicium temerarium, si forte Adam innocens peccare venialiter potuerit, de quo disputatur, ut inferius dicetur. Item sine peccato probabiliter, iuxta S.Bonaventuram, at non firma adhaesione, sed per aliqualem aestimationem ac solum in re opinabili et cuius scientia infusa ille careret, maxime cum sic nec in peccatum nec in ullum damnum incurreret²⁰.

¹² S.TH., I q.94 a.3 ad 1: «Primus homo habuit scientiam omnium per species a Deo infusas nec tamen scientia illa fuit alterius rationis a scientia nostra»; SUÁREZ, l.c., n.6-26; BERAZA, n.380-383.

¹³ PESCH, n.211.

¹⁴ S.TH., De ver. q.18 a.4: «Quidquid unquam homo aliquis de cognitione eorum [omnium ad quae virtus primorum principiorum se extendere potest] naturali ingenio assequi potuit, hoc totum Adam naturali cognitione habitualiter scivit».

¹⁵ SUÁREZ, l.c., n.8-20; MAZZELLA, n.785; PALMIERI, th.22 n.1: «Scientiam callebat, qua omnium animantium naturam... nosset, atqui scientia huiusmodi praeclarissima est, quam nemo ex posteris eius adhuc integre est assecutus... Dubitari non licet ceteris quoque scientiis naturalibus instructum fuisse, praecipue vero illis, quae cum ea necessario nectuntur». (At cf. n.3.)

¹⁶ S.TH., I q.94 a.3 ad 3: «Adam in scientia naturalium scibillum non profecisset quantum ad numerum scitorum, sed quantum ad modum sciendi; quia quae sciebat intellectualiter, scivisset postmodum per experimentum...»; SUÁREZ, l.c., n.278; HUGON, l.c., 4518.

¹⁷ Cf. LAGRANGE, l.c., 348-364.

¹⁸ PERRONE, De homine c.2 prop.2 n.311.

¹⁹ BERAZA, n.393-399; VAN NOORT, n.209; PESCH, n.211; ID., Gott und Götter (Friburgi 1890) p.62. Cf. et G.SCHMIDT, o.c., p.2088.

^{19*} De his plura LABOURDETTE, 174-177; MICHEL, Adam était-il un «primitif»? AmCl 64 (1954) 1218; ID., Evolutionisme... AmCl 69 (1959) 338s.

²⁰ S.BONAVENTURA, In 2 d.23 a.2 q.2.

b) Non vero errore non peccaminoso, quo falsum habeatur pro vero vel incertum pro certo²¹, aut contra, iuxta S.Augustinum, S.Thomam (a.4), Suárez, alios communiter, cum errare sit grave malum ac proin statui innocenti videatur repugnare²². Ea inerrantia repeteretur ex praestantia ingenii, ex scientia infusa et maxime ex providentia divina. At, ut iure notat Beraza, nullibi probatur perfectio status Adae fuisse tanta, quae omnem errorem excluderet. Hurter ulterius addit: «Et sane si potuit peccare, quare non et errare?»²³ Tamen, possibilitate errandi forte stante, impassibilitas semper salva esset. Ceterum inerrantia non excluderet inscientiam, seu puram limitationem scientiae, cum haec rationem mali non habeat; nec dubium prudens positivum vel negativum, cum neutrum contineat errorem.

Scholion 5. De aptitudine Adae ad discendum. Adam eximia pollebat discernendi aptitudine, cum ei inessent magnum ingenium²⁴, summa passionum moderatio, optimi sensus et obediens ac perfecta phantasia, aptissima dispositio organorum ad intellectionem extrinsece concurrentium, nulla cura rerum vitae quaerendarum.

796. Scholion 6. Quid ex scientia Adae transmitteretur posteris eius simul cum aliis donis iustitiae originalis? Non ipsa scientia actualis, cum nulla sit ratio id asserendi vel ex Scriptura et SS.Patribus vel ex conditione illorum, utpote quae esset distincta a conditione Adae, hominis solius et capitis generis humani. «Sufficiebat autem, ait S.Thomas, si habebant tantum de perfectione mox nati, quantum initium perfectionis naturalis requirit» (De ver. q.18 a.7)²⁵.

Utique transmitteretur eis: a) Aptitudo discendi, quatenus haec erat consectorum donorum iustitiae originalis; hinc: «Pueri in statu innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo» (I q.101 a.1). b) Inerrantia eo gradu quo ea esset Adae, cum eius ratio valeat et pro huius filii.

797. Scholion 7. De origine linguae. Agitur de lingua, non naturali seu per quoscumque sive gestus sive sonos exprimenda, sed de artificiosa seu in vocibus articulatis et apte mutuo connexis ad conceptus mentis manifestandos consistente.

Relictis Materialistis, qui, excluso interventu Dei, eam ipsi homini se evolventi referre logice debent, eam tribuunt: a) Revelationi divinae, vel quia, hac posita, homo de facto linguam invenit vel quia eam sine illa invenire per se nequisset, plures TT. antiquiores ut Pereira, quidam Philosophi ut Balmes, Traditionalistae ut Bonald²⁶. At nulla probabilis ratio probatur id seu Deum Adam singulas et voces et locutiones docuisse. b) Ipsi homini, qua ille erat aptitudine a Deo accepta, pauci PP. qui de hac re egerunt, ut S.Augustinus (R 1537), S.Gregorius Nyss. (R 1051), alii ut Schmidt²⁷. At

²¹ S.AUGUSTINUS, Enchir. c.17: ML 40,239: «Cum aliud nihil sit errare quam verum putare quod falsum est falsumque quod verum est, vel certum habere pro incerto incertumve pro certo, sive falsum sive verum».

²² S.AUGUSTINUS, De lib. arb. 3,18,52: ML 32,1296; De Gen. ad litt. 11,30,39: ML 34, 445 (ergo deceptio Evae per diabolum, supponit apud ipsam praevium peccatum internum superbiae); SUÁREZ, l.c., c.10.

²³ BERAZA, n.419; HURTER, 2 n.333.

²⁴ S.AUGUSTINUS, Opus imperf. cont. Iul. 5 c.1: ML 45,1432: «... Et quis dubitet christianus eos, qui in hoc saeculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniosissimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucris testudines distant?»

²⁵ Cf. SUÁREZ, 5,8,17-22.

²⁶ B.PEREIRA, S.I., Comment. in Gen. 2,20 t.I (Romae 1607); J.BALMES, Filosofia fundamenti, ed. I.Casanovas, S.I. t.4 (Barcelona 1925) l.10 c.17 n.184; BONALD ad. BERAZA, n.422 not.4, ubi et alii auctores eiusdem opinionis memorantur.

²⁷ S.GREGORIUS NYSS., Cont. Eunom. l.12: MG 45,975.1006; G.SCHMIDT, p.199-210.

potuit homo solitarius, etiam ingenio praestantissimus, tam brevi tempore linguam efformare sine praeternaturali auxilio Dei? c) *Partim homini partim Deo* illum vel per scientiam infusam etiam ad id disponente vel alio modo praeternaturaliter adiuvante, Pesch, Boyer, Pohle-Gierens, Beraza, Schmid, etc.²⁸

Id vero ita fieri potuit, ut Deus Adae (et pariter Hevae), praeter organum loquendi aptissimum et inclinationem naturalem ad conceptus vocibus exprimendos, occasionem id exercendi praebuerit; ulterius ei suggereret modo praeternaturali (vel habitualiter vel per modum actus) diversos modos emitendi sonos ac verba iungendi, et iuvaret eius memoriam, ut verba iam prolata ac locutiones efformatas retineret. De facto iam ante creationem Hevae inducitur Ada animalibus nomina imponens (2,19s); in omni hypothese supponendum est Adam ea conditione relate ad linguam ab initio fuisse, ut nihil ex eius defectu vel imperfectione pati aut impedimentum ad sua munera rite implenda invenire posset. Aliunde vero multi modi excogitari possent quibus ipsi protoparentes naturalibus suis facultatibus in ea re obtinenda, v.gr. per connexionem signorum verbalium ac significationis realis, laborare et proficere potuisse censeantur²⁹.

ARTICULUS X

DE CONDITIONE POSTERORUM ADAE IN STATU IUSTITIAE ORIGINALIS

798. Si Adam non peccasset, in qua conditione esset genus humanum? Haec quaestio generalis plures speciales includit, quarum praecipuae hic veniunt memorandae.

799. *De transmissione iustitiae originalis.* Etsi theses superiores sint directe de iustitia originali Adae, sat constat ex earum argumentis illas valere etiam de Adae posteris. Nunc ergo de hac re directe dicitur. Dona ergo gratiae sanctificantis, integritatis, immortalitatis ac impassibilitatis etiam posteris Adae infundenda erant.

Ea transmissio dicenda est constare, salvis coarctationibus mox faciendis, eadem certitudine qua constat Adam illa dona habuisse, et ideo nostrum assertum quoad singula dona esse eiusdem valoris theologicis ac quoad singula dona Adae.

Istud ceterum probatur iisdem fere rationibus quibus probatur Adam ea habuisse, seu quatenus fontes illud explicite aut implicite docent: vel asserentes in genere Adam et sibi et nobis iustitiam ac sanctitatem cum aliis donis corporis et animae amisisse; vel dicentes ea dona ante peccatum exstitisse, ita ut privatio eorum e peccato evenerit; vel exponentes

²⁸ PESCH, n.216; BOYER, 296; POHLE-GUMMERSBACH, 579s; BERAZA, n.424s; F.SCHMID (*Die Ursprung der Sprache und die Dogmatik*: ZkathTh 23 [1890] 22-47) id idfert, protoparentes, ex dictis Scripturae, fere mox ac esse coeperunt, facile loqui potuisse.

²⁹ F.BRUNI, *L'origine del linguaggio* (Roma 1958); G.FANO, *Saggio sulle origini del linguaggio* (Torino 1962).

nostram restaurationem per Christum factam, ut reditum ad id quod per Adam amiserimus; vel simpliciter describentes adiuncta felicitatis in quibus homo creatus a Deo positus est, cum non sit ratio prudens supponendi eam conditionem fuisse stricte personalem Adae nec potius toti humano generi destinata; vel testantes nos in Ada illa dona accepisse aut peccando in ipso ea amisisse.

Idem videtur dicendum, servata proportione, de copia bonorum cum perfecto dominio in res mundi, etsi non constet de gradu quo illa transmitteretur, cum nec constet num omnes homines in paradiso mansuri essent, quod minus probabile videtur¹. Scientia per accidens infusa posteris Adae non transmitteretur, quod et de per se infusa valere videtur, cum omnia necessaria vel utilia ab Ada ii discere possent.

Ex donis illis transmittendis, praecipuum erat gratia sanctificans, ut facile patet *ex fontibus* qui vel eius amissionem ut graviorem memorant (C 789) vel Christum inducunt ut per id doni nos in pristinum statum restituentem, et *ex natura rei*, cum homo illo dono in supernaturalem unionem cum Deo elevaretur. Hinc illud est sive finis ceterorum, quibus simul et ornaretur et facilius conservaretur atque augetur, sive eorum radix, quatenus ab illo ut a *conditione sine qua non* stante vel pereunte penderet eorum conservatio vel amissio, et forte ut a *causa* totaliter vel partialiter ea producente (cf. n.693).

Iustitia originalis vero (quaecumque sint eius elementa, et proin iuxta omnes) est, non lege naturae sed positiva ordinatione Dei, *donum naturae*, seu patrimonium ita annexum humani generis unitati sive originis sive stirpis, ut omnes Adae posteris via generationis (quocumque modo id explicetur) istud ab illo, simul cum ipsa natura, acciperent et simili iure quasi haereditario².

Sic transmitteretur, seu ut *donum naturae*, etiam gratia sanctificans, iuxta eos qui eam cum iustitia originali, etsi inadaequate, identificant, non vero quasi a parentibus produceretur ut corpus, vel ut gratia datur sacramentis; nam «non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim cum habuisset animam rationalem» (S.Th., I q.100 a.1 ad 2).

Tandem iuxta eos recentiores qui gratiam sanctificantem a iustitia originali adaequate distinguunt, ea posteris Adae infunderetur ut *donum personae*, seu intuitu huius, non natu-

¹ Cf. PESCH, 3 n.219.

² Sic illud «donum quodammodo fuit naturae: non quasi ex principiis naturae causatum, sed quia sic fuit homini datum ut simul cum natura propagaretur» (4 CG 52). Cf. CIAPPI, l.c., 125; LABOURDETTE, 39.51s.

rae, ut iustitia originalis, ita vero ut ea gratia esset conditio sine qua non infusionis reliquorum donorum³.

Formula «transmissio iustitiae originalis per generationem» indicat in genere, fuisse specialem Dei legem, ut omnes ab Ada descendentes eam acciperent. In specie vero generatio non est putanda directe disponere ad gratiam sanctificantem, nisi quatenus disponit corpus ad animam quam Deus illi infundit ea gratia ornatam. At nil impedit quin physice transmittat, non ex natura, sed, posita speciali ordinatione Dei, dona praeternaturalia, quatenus haec concipiantur corpori potuisse annecti, vel saltem quatenus istud ad ea positive disponeret^{3*}.

800. *Iustitia originalis ut socialis.* Iustitia Adae erat bonum sociale, quatenus destinabatur ut bonum commune ad omnes homines futuros. Sed ulterius quatenus ex natura sua fuisset efficacissimum vinculum unionis omnium hominum: ex gratia sanctificante ac virtutibus infusus omnes viverent in intima familiaritate cum Deo, ut Ipsius filii adoptivi et consequenter ut fratres omnium hominum per purissimam caritatem in longe perfectiore connexionem mutua qua nunc fratres consanguinei: ex integritate carerent ea inordinatione passionum, quae nunc obest internae paci individuali et inde harmoniae communi: ex immortalitate ac impassibilitate et congrua bonorum materialium copia, non solum prohiberentur a malis physicis invicem inferendis, sed esset in honesta omnium felicitate occasio communis gaudii ut in externa manifestatione amoris Dei et aliquali futurae beatitudinis aeternae praelibatione⁴. De facto vero illud bonum commune amissum est et quidem ita ut hoc factum amplia consecraria socialia tulerit, essentialiter in difficultate unionis omnium per caritatem, sed occasionaliter in irruptione concupiscentiae cum toto suo passionum rebellium comitatu, quae maxime est quasi profunda radix perpetuae discordiae residens in cordibus omnium, ut quae attingit totam vitam socialem.

Iam vero posita illius boni communis amissione, placet intellectui quaerere quoad multa quid accidisset si illud bonum apud homines permansisset. Ut patet, omnes quaestiones possibiles nequeunt esse nisi futuribiles ac proinde nequeunt obtinere responsa certa sine revelatione; quae tamen illis quaestionibus non videtur directe respondisse, nisi ad summum quatenus nos docet quid mali peccatum nobis attulerit. Tamen eae quaestiones, quae viderentur esse inutiles, non carent omni momento theologico, quatenus sunt occasio accuratius investigandi benevolam Dei propositum in sua creatione ac elevatione generis humani. Ex iis solum aliquae seligimus.

De modo propagationis generis humani^{4*}. Quidam Patres, ut S.Athanasius (R 804), S.I.Chrysostomus (R 1150), S.I.Damasenus, putarunt matrimonium non nisi post peccatum protoparentum exsistere; immo,

³ Sic KORS, o.c., p.1408. De tota quaestione: SCHEEBEN, o.c., 2 § 184; BOYER, 300-308; LERCHER, n.634-638; DAFFARA, *De peccato originali* n.90-101; LONGKE, *De donis status innocentiae humano generi transmittendis*: Collat Brug 44 (1948) 142-146; SUÁREZ, l.c., 1,5 c.8.

^{3*} Ideo vitanda esset ratio ambigua explicandi aliquo modo transmissionem iustitiae originalis per influxum physicum generationis fere ut alia accidentia specifica naturae transmittuntur, ut loqui videtur E.VIGANO, *La solidaridad del Cuerpo Místico* (Santiago de Chile 1948) 75, cui repugnat, etiam quoad dona praeternaturalia, CIAPPI, 126.

⁴ Cf. PENDERGAST, *The supernatural...* 10-13.

^{4*} In re de qua agimus, prae oculis maxime habendum est illud (1 q.99 a.1): «Ea quae sunt supra naturam sola fide tenemus, quod autem credimus auctoritati debemus. Unde in omnibus asserendis sequi debemus naturam rerum, praeter ea quae auctoritate divina traduntur, quae sunt supra naturam». Hinc ea quae nullo modo revelata sunt de statu innocentiae, putanda sunt futura fuisse iuxta eam normam, quod in homine innocenti ratio perfecte subiceretur Deo, appetitus sensitivus rationi, corpus animae, ita ut omnis dolor sive moralis sive physicus ab homine absens. Ea ergo quae his non obstant, censenda sunt per se futura fuisse secundum ordinem pure naturalem.

iuxta S.Gregorium Nyss.⁵, ut videtur, ipse sexus solum ob praevisionem peccati institutus est, ita ut iuxta eos, absente peccato, homines non generatione, sed aliter propagarentur.

At iis obstat Scriptura (Gen 1,27s; 2,23s) testans generationem esse directe a Deo intentam et quidem ante peccatum. Item S.Augustinus⁶, qui tamen prius putarat, ut videtur, hominem in paradiso non habiturum esse nisi spirituale fecunditatem⁷. Certe concupiscentia sexualis esset perfecte subiecta rationi, quin vero id impediret condignam ac licitam delectationem (1 q.98 a.1s).

In qua conditione physica et usus rationis pueri nascerentur? Sine dubio in eadem qua nunc pueri nascuntur, exclusis tamen horum defectibus, quibus illi impedirentur in sua evolutione sive physica sive intellectuali sive morali; ergo nec sufficientem virtutem haberent ad movenda membra, nisi ad motus pueritiae convenientes (1 q.99 a.1), nec perfecto usu rationis gauderent, nec perfecta scientia (1 q.101 a.1s).

Tamen, iuxta S.Thomam (ibid., a.2), «habuissent... perfectiorem (usum rationis) quam nunc, quantum ad ea quae ad eos pertinebant quantum ad statum illum, sicut et de usu membrorum superius dictum est». Egerent ergo educatione, qua vero posita, facile devenirent in rerum scientiam iis congruam⁸.

Num pueri nascerentur confirmati in gratia. Affirmat id S.Anselmus, iuxta quem, ipsi protoparentes, si non peccassent, eam confirmationem accepissent etiam suis posteris transmittendam. Assentitur Scotus, quatenus, iuxta ipsum, etsi pueri non nascerentur confirmati in gratia, at non nascerentur nisi electi⁹.

Negatur probabilius cum S.Augustino, qui contrarium supponit¹⁰ et cum S.Thoma (1 q.100 a.2), cum ipsi protoparentes carerent ea confirmatione, et cum si eam in praemium obedientiae accepissent, id esset eis privilegium personale ac proin non transmittendum, ut non esset transmittenda possibilis eorum confirmatio in malo.

Si qui eorum, absente confirmatione in gratia, peccarent, ii subessent, servata proportione, adiunctis vitae naturae lapsae.

Num omnes homines essent aequales. Certe quoad dona iustitiae originalis specificative sumpta. Non vero quoad sexum et quoad aetatem, ut patet; nec, ut congruentius putandum est, quoad perfectiones corporales, cum eae penderent ex diversis causis; nec quoad perfectionem scientificam; nec quoad potestatem subditos gubernandi; nec quoad perfectionem religiosam, seu augmentum gratiae ac virtutum, et consequenter nec quoad meritum (augendi gratiam et gloriam), cum ea omnia diverso libertatis exercitio responderent (1 q.96 a.3).

Num in eo statu esset societas. Non herilis, cum ea esset superflua, et cum illi statui minus conveniret. Certe sive domestica, utpote ad generationem et congruam educationem necessaria, ita vero ut patresfamilias eam valde paterno modo regerent, sive politica, cum ea homini natura sociali, etsi non necessaria ob indigentiam corporum, esset valde utilis ad scientias tradendas et perficiendas, ad virtutes exemplis ac verbis promovendas, ad religio-

⁵ S.I.DAMASC., *De fide orthod.* 2,30; 4,24; MG 94,975.1207; S.GREGORIUS NYSS., *De hom. opif.* c.17; MG 44,188s.

⁶ *Retract.* 1,10.13.10; 2,22; ML 32,599.605.615.639. Cf. *De civ. Dei* 14,26; ML 41,434; *Cont. Jul.* 4,13,62; ML 44,768.

⁷ *De Gen. cont. Manich.* 1,19,30; ML 34,187.

⁸ SUÁREZ, *De opere sex dierum* 5,8,17-22. At cf. PENDERGAST, l.c., 138s.24.

⁹ S.ANSELMUS, *Cur Deus homo* 1,18; ML 158,387; SCOTUS, *In 2 d.20 q.1s*: cf. FRASSEN, t.5 p.249-253. Idem, ut videtur, dixerat antea S.GREGORIUS M., *Mor.* 4,31,63; ML 75,670s.

¹⁰ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14,10; ML 41,417. Cf. P. DE LETTER, S.I., *If Adam had not sinned...*: IrishThQuart 28 (1961) 115-125.

nem publice ac privatim fovendam, etc., ita vero ut praesides paterno modo subditos in finem communem dirigerent (I q.96 a.4) ¹¹.

801. *De duratione status innocentiae.* Putandum est singulos homines mansuros esse in eo statu usque ad aetatem adultam, et quidem usque ad evolutionem suorum corporum pro cuiusque virtute naturali perfectam, ita ut dein transferendi essent in gloriam, non simul omnes in fine mundi, sed successive, cum sic etiam vivere inciperent, et cum secus nimio numero homines in terra congregarentur.

Decedentes vero nullo dolore afficerentur, utpote qui voluntatem Dei omnibus aliis bonis praeferrent et qui sine dubio potius, more sanctorum, adire patriam averent. Ceterum forte ipsa vita unionis cum Deo eos in dies magis «spirituales» etiam quoad corpus redderet, quo proxime disponerentur ad qualitates gloriosas induendas ¹².

802. *Excludebat status iustitiae originalis peccatum veniale ante admissum peccatum mortale?* Facile affirmatur id de peccatis *semidiliberatis*, stante dono integritatis. At *de deliberatis?* *Negative*, iuxta Scotum, cum id et aliis iustis competat. *Affirmative* ob perfectionem status, iuxta S.Thomam (I.2 q.89 a.3), Alex.Halensem, S.Bonaventuram, et ea opinio, ait Suárez, est «omnium scribentium» ¹³. Haec nobis *probabilior* videtur, quia illi statui non conveniret peccatum veniale, utpote quod in se esset magnum malum, ac diminutio rectitudinis; esset obiectum doloris ac tristitiae; inferret poenae temporalis reatum. Attamen forte non constat tantam fuisse perfectionem illius status, quae id peccati excluderet; quare Palmieri, Hurter, Lercher putant protoparentes a peccato veniali immunes non necessario fuisse ¹⁴.

ARTICULUS XI

DE POSSIBILITATE STATUS NATURAE PURAE

Thesis 36. Status naturae purae est possibilis.

SUÁREZ, *De gratia* proleg.4 c.1-2; PALMIERI, *De ordine supernaturali* th.18; BERAZA, n.528-559; PESCH, 3 n.224-227; HURTER, 2 n.344-351; HUARTE, n.378-394; DAFFARA, *De peccato originali...* n.82-89; LONCKE, *De statu naturae purae in doctrina Ecclesiae et theologorum:* CollatBrug 44 (1948) 198-202.

803. Nexus. Haec quaestio ponitur, ut conditio *gratuita* iustitiae originalis clarius appareat. Solutio eius hic proponenda est corollarium thesium praecedentium; at cum ista quodammodo a quibusdam catholicis impetita sit, oportet ut ea contra hos statuatur. Quaestio attingit praecipue elevationem *ad ordinem supernaturalem* (gratiae sanctificantis et visionis beatificae); sed cum relate ad istam elevationem alibi tractetur (tr.I n.56-64), hic *solum relate ad dona praeternaturalia* disputatur.

¹¹ Cf. SUÁREZ, l.c., 5,7,1-16. Qui multas quaestiones de statu innocentiae tractat v.gr. de divisione bonorum, de muniis hominum (ib. n.17-21), de virginitate (l.5 c.2) etc.

¹² S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 9,6,10: ML 34,396s.

¹³ SCOTUS, *In 2 q.21 n.3:* cf. FRASSEN, t.5 p.241.244-249; ALEXANDER HAL., *Univ. Theol. Summa* p.2 q.104 memb.6; S.BONAVENTURA, *In 2 d.21 a.3 q.1:* SUÁREZ, 3,13,16.

¹⁴ PALMIERI, *De peccato originali*, append. q.3 p.221s; HURTER, 2 n.333; LERCHER, n.639. Cf. BERAZA, n.584-591.

804. Notiones. STATUS NATURAE PURAE, qui de facto nec fuit nec videtur esse umquam futurus, esset ille in quo: a) *Positive sumpto*, natura haberet omnia quae constitutive, consecutive, exigitive ad eam pertinent. b) *Negative sumpto*, natura *careret* et peccato originali et donis indebitis iustitiae originalis (ac proin etiam destinatione ad visionem Dei ad quam gratia intrinsece ordinat).

Hic sumitur *negative*, seu in quo natura esset nec lapsa (peccato originali) nec (et id maxime hic respicitur) ornata donis indebitis.

Etsi auctores agentes de possibilitate naturae purae hanc complexive considerant, nos sumimus eam hic mere *negative*, quia per se id sufficit pro eius praecipuo fine dogmatico connotandi plenam gratuitatem doni supernaturalis.

At, ea sic statuta, sat obvio ratiocinio philosophico, ut videtur, deducitur possibilitas naturae purae *positive* inspectae, seu quae ordinetur in finem ultimum ei connaturaliter proportionatum ac mediis connaturalibus obtinendum; quo sensu, notio naturae purae est etiam magnae utilitati theologo maxime de gratia agentis ¹.

In eo statu *positive* sumpto: esset providentia naturalis hominem ad eum finem dirigens per omnia media sive interna (v.gr. honestas cogitationes et affectiones) sive externa (v.gr. remotionem aliquarum occasionum) moraliter necessaria ut homo posset rite ac perseveranter, etsi libere, totam legem naturalem implere et sic finem suum ultimum obtinere ².

Essent proin in eo et auxilia quibus homini condigna religionis naturalis cognitio esset moraliter possibilis sine revelatione. *Esset* et ratio impetrandi a Deo, sive precibus sive bonis operibus, beneficia; immo sine dubio et medium contritionis naturalis, vel aliud, obtinendi a Deo veniam peccatorum ³.

In ea conceptione naturae purae *positive* sumptae, quae est communis apud defensores naturae purae, finis ultimus hominis esset cognitio *abstractiva* (seu per creaturas) Dei, in qua homo obtineret perfectam beatitudinem; nec in ea esset homini ante revelationem ullum desiderium videndi Deum, sed ad summum aliquale, seu velleitatem ⁴. At alio modo concipitur natura pura, in qua esset verum, etsi inefficax et conditionatum, desiderium naturale videndi Deum, ita ut illa extra hanc visionem nonnisi imperfectam in cognitione Dei abstractiva beatitudinem posset obtinere ⁵.

Sed haec distinctio non interest nunc nostra, cum nos in thesi nec asseramus nec negemus homini esse aliquem naturalem appetitum visionis Dei, nec proin in qua conditione esset homo in alio fine diverso a visione Dei.

¹ Utiliter legentur ea quae de natura pura disserit, DE BROGLIE, *De gratuitate ordinis supernaturalis:* Greg 29 (1948) 455-463; cf. Id., *De fine ultimo vitae humanae* p.184-186.

² Id supponunt communiter defensores naturae purae v.gr. GONET, d.6; GOTTI, *Theol. Schol. Dogm.* tr.IO q.11; DAFFARA, n.89; PESCH, n.227.

³ SUÁREZ, *De fine hominis* d.15 s.2 n.11; LESSIUS, *De summo bono* I.1 c.9 n.63; FRANZELIN, S.I., *De divina traditione et Scriptura* ³ (Romae 1882) append.3 § 4 p.635-643; MICHEL, *Etat de nature, péché, enfer:* AmCl 68 (1958) 549s; I.ROZCYKI, (*Quaestio de natura et gratia seu reparabilitas omnium peccatorum in statu naturae purae* [Krakow 1946] cf. v.gr. p.71-92-94-153.164) exponit miram thesim, quod in eo statu omnia peccata essent *reparabilia* et *de facto reparanda*, quin infernus esset aeternus, ita ut haec aeternitas pertineat ad solum ordinem *supernaturalem*, et proin sola ratione probari nequeat.

⁴ SUÁREZ, *De gratia* proleg.4 c.1: *De fine hominis* d.16.

⁵ DE BROGLIE, *De ultimo fine humanae vitae:* Greg 9 (1928) 628-630 (resumen suae theoriae); J.MARÉCHAL, S.I., *Le point de départ de la Métaphysique* 5 (Louvain 1926) 312-316; MALEVEZ, *L'esprit et le désir de Dieu:* NouvRevTh 69 (1947) 12.27s (ut videtur).

In eo statu *negative* sumpto homo esset obnoxius *omnibus* miseriis quae absentiam donorum indebitorum iustitiae originalis formaliter consequuntur, ita tamen ut eae non connotarent *privationem* illorum donorum, nec proin essent *poena* peccati, ut in nostro statu, sed solum *naturalis* conditio hominis.

Imo ut concupiscentia nunc potest esse diverso gradu apud homines diversarum regionum vel etiam eiusdem regionis vel in eodem homine iuxta diversa adiuncta interna vel externa, sic a fortiori concipitur naturam puram potuisse condi in diversa hypotesi concupiscentiae plus minus vehementis, quin sciamus in qua de facto conderetur ac proin quousque comparari posset cum natura lapsa. At id est verum: eam semper afficiendam fuisse concupiscentia et quidem saltem non sic vehementi, quae mediis ordinariae providentiae vinci nequiret. Cum ea ergo sic sumpta comparatur natura lapsa, quatenus haec, servata proportione (seu saltem habita ratione illorum mediorum), dicitur non esse peioris conditionis ac illa.

Ceterum ab iis miseriis naturam humanam quasi sponte consequentibus distinguerentur eae, quae forte nascerentur ex malitia humana, ut nunc accidit. Hinc illegitime adscriberentur naturae purae *qua tali* concupiscentia effrenata qua nunc homo saepe afficitur, quaeque forte etiam peccatis actualibus maxime debetur, et mala physica sic gravia ut ea quae nunc homines torquent⁶.

POSSIBILIS, scil. Deus *potuit* creare in statu naturae purae, et quidem *sine ulla repugnantia ex parte attributorum suorum*, vel alios homines ex semine Adae non descendentes, vel Adam et filios eius *antecedenter* ad decretum actualis oeconomiae.

805. Adversarii. 1. *Negantes thesim quoad omnes suos respectus.* Relictis Protestantibus, Baianis, Iansenistis, qui censentur iam esse in praecedentibus reiecti et a quibus ergo hic praescinditur, respiciuntur maxime *Augustinenses*, ut NORIS, BERTI, BELLELLI⁷, qui, damnantes propositiones baianas⁸, tenent dona gratiae, integritatis, immortalitatis ac impassibilitatis, fuisse supernaturalia et proin naturae innocenti indebita *ex parte naturae*, seu quatenus ea non sunt eius naturae partes vel proprietates seu ab ea ut a principio efficienti manantes, qualem putant fuisse Baii doctrinam et a qua proin dicunt se in eo asserto essentiali differre.

Ulterius vero addunt, statum naturae purae esse *impossibilem* quatenus *ex parte Dei* seu, ut ipsi dicunt, «ex decentia Creatoris», seu «titulo iustissimae providentiae», seu «non spectata absoluta potentia Dei, sed de potentia... ordinaria», seu «de iustitia», non «de potentia», debetur homini innocenti:

⁶ HUARTE, n.351,3,f. Doctrina, quam de natura pura roboratam damnatione errorum Baii disputat RIPALDA, *Adversus Baium...*, exponitur a DE ALDAMA, *Bayo y el estado de naturaleza pura, a través de la refutación bayana de Ripalda*: Salm 1 (1954) 50-71. Quoad mortem et dolorem, CRISÓSTOMO DE PAMPLONA, l.c., 373-390.

⁷ H.NORIS, o.c., 3 § 28; BERTI, *De theologicis disciplinis* 1.12 (Additamentum); Id., o.c., diss.2; F.BELLELLI, O.S.A., *Mens Augustini de statu naturae rationalis ante peccatum...* (Antuerpiae 1711) 13; cf. Id., *Mens Augustini de modo reparationis humanae* (Romae 1737) 1.4 c.188s; M.MARCELLI, O.S.A., *Instit. theol.* t.3 (Foligno 1846) p.344-358.

⁸ BERTI, *August. syst.* diss.2 c.2 initio: «Propositiones Baii damno, damnavi, damnabo.»

a) *Gratia actualis*, utpote necessaria ad obtinendam Dei visionem, cuius ille, qua imago Dei, habet appetitum innatum et proin sine cuius assecutione esset miserrimus. b) *Immortalitas*, cum anima habeat appetitum innatum perpetuo et indissolubiler informandi corpus et proin sine quo esset in statu violento. c) *Immunitas a concupiscentia rebeli*, cum haec in se sit mala, utpote ad peccatum inclinans⁹.

Uno verbo haec opinio potest ea formula exprimi sensu Augustinensium sumpta: Deus potest de potentia *absoluta*, non vero de *ordinata*, hominem in statu naturae purae creare¹⁰.

Illam *impossibilitas* naturae purae videtur ab Augustinensibus sumi, non ut mera *non convenientia* late sumpta, ut si v.gr. ageretur de convenientia vel de non-convenientia Incarnationis, ut eos intellexit De Lama¹¹, sed de *stricta repugnantia*, seu de vera exigentia ex parte Dei, etsi respectu potentiae ordinatae, non absolutae.

Hoc sensu ea opinio sumpta reicitur a Del Val; dum ipse tenet statum naturae purae esse *speculative possibilem*, cum nullo attributo Dei repugnet, at *practice impossibilem*, nempe «secundum praedispotionem divinae voluntatis antecedentem et hypotheticam libere a creatione abstinendi, potius quam puram naturam libere creare, sub qualibet hypotesi creationum possibilem»¹². At ea explicatio re non videtur differre ab explicacione Augustinensium, cum illa praedispositio, utpote praeiens exercitio divinae voluntatis, fundetur in aliqua perfectione Dei *necessaria*, quae proin videtur exigere ut homo non creetur in statu naturae purae.

Berti citat ex thomistis Contenson ut suae opinionis participem¹³.

2. *Negantes thesim respectu concupiscentiae.* Sic DE LAMA, qui hinc videtur possibilitatem naturae purae etiam quoad concupiscentiam rebellem admittere, et illinc negat hominem cum concupiscentia rebeli, qua nunc is afficitur, posse a Deo etiam de potentia absoluta condi. Citantur alii ut AUREOLUS, GREG. ARIMINENSIS, ESPARZA, MACEDO, etc., qui, etsi possibilitatem naturae purae defendant, putant Deum non potuisse hanc cum

⁹ Etsi Augustinenses negant *simpliciter* hominem creari posse in concupiscentia utpote mala, tamen id videtur etiam esse sumendum de *potentia ordinata*, cum et integritas pro ipsa sit supernaturalis ac sic dicitur Adae data esse non «ex exigentia rei creatae», sed «ex decentia solius Creatoris» (NORIS, l.c., c.3 § 2 col.301).

¹⁰ Scholastici admittunt formulam de *potentia absoluta* vel *ordinata* aliis sensibus sumptam; sic potentia Dei dicitur *absoluta* vel *relativa*: a) prout inspicitur *ante* vel *post* decretum liberum (v.gr. relate ad existentiam plurium, quae de facto nunquam existent); b) prout respiciatur ut agens *praeter* vel *secundum* ordinem rerum communem v.gr. separans accidentia a substantia (1 q.25 a.5 ad 1; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.9 n.19; HUARTE, n.381). Dicunt etiam, per quamdam praecisionem mentis, Deum posse de *potentia absoluta*, seu sola Dei omnipotentia qua res in esse conservantur considerata, omnes creaturas annihilare, non vero de *potentia ordinata*, seu inspecta Dei sapientia (*Quodl.* 1.4 a.4); sed illa omnipotentia, soluta a Dei sapientia, est nulla, nam «nihil potest esse in potentia divina, quod non possit esse in voluntate iusta ipsius, et intellectu sapiente eius» (1 q.25 a.5 ad 1).

¹¹ M.DE LAMA, *Sobre el estado de naturaleza pura*: *RelCult* 26 (1934) 322-329.

¹² H.DEL VAL, O.S.A., *Sacra theol. dogm.* 1 (Matriti 1906) n.149s; at et limitationes n.135,188; cf. T.PRIETO, O.S.A., *Puntos para definir el carácter de la Teología del P.Honorato del Val...*: *Ciud* 177 (1959) 677s.

¹³ V.CONTENSON, O.P., *Theologia mentis et cordis* (Lugduni 1687) t.5 disp.-c.1. Citatur et VIATOR A COCCALEO, O.M.Cap., *Tentamina theologico-scholastica* (Bergomi 1768-1774) t.3 diss.3 c.8. TH.DE LEMOS falso citatur etiam pro impossibilitate naturae purae, cum potius huius possibilitatem defendat (*Panoplia gratiae* t.1 [Leodii 1676] part.2 tr.1 c.4). Hanc de concupiscentia et morte negavit Olivi: cf. STÜFLER, *Das Wesen...*: *ZkathTh* 55 (1931) 473s.

concupiscentia, utpote mala, facere; ESTIUS rem in medio relinquit¹⁴.

Ex iis vero, saltem ESPARZA solum dicit hominem in natura pura non ea concupiscentia sic forti, ut nunc, afficiendum fuisse.

806. Doctrina Ecclesiae. S.PIUS V damnavit eam Baii propositionem (D 1055): «Deus non potuisset initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur».

Haec propositio in contextu loci baiani ex quo desumpta est (non ad verbum, sed ad sensum sui auctoris): a) Directe refertur ad concupiscentiam, quae pro Baio erat peccatum originale. Ergo Deus potuisset condere hominem, non cum peccato originali, ut patet, at certe cum concupiscentia cum qua hodie nascitur¹⁵. b) Ulterius vero solet ab auctoribus referri ad mortalitatem et alias miseras físicas, quibus homo affectus nascitur¹⁶. Et quidem iure, cum Baius logice etiam in eo sensu eam tenere debuerit¹⁷.

Augustinenses eam propositionem Baii reiciunt, ut ea iacet, ac proin formaliter damnationem eius effugiunt. Etiam materialiter eam effugere ipsi putandi sunt per suam distinctionem potentiae absolutae et ordinatae¹⁸. At estne vere validum hoc effugium?

C.Coloniense prov.: «A veritate catholica illos aberrare asserimus, qui docent Dei sapientiam et bonitatem exegisse ut homini gratiam sanctificantem, immunitatem a concupiscentia aut immortalitatem corporis conferret»¹⁹.

Non dicendum est Concilium haec in Augustinenses edidisse; at etiam ii attinguntur quoad integritatem et immortalitatem, si revera horum convenientia pro illis sit vera exigentia (cf. n.805).

807. Valor theologicus. Cum doctrina Augustinensium ob oculos Ecclesiae diu doceretur, immo ea ab Ecclesia non

¹⁴ DE LAMA, l.c., 329-339; PET.AUREOLUS, In 2 d.30 a.2; GREG.ARMINENSIS, In 2 d.30 q.1 a.2; M.DE ESPARZA, De gratia q.10; F.MACEDO, S.I., De clavibus Petri (Romae 1660) l.4 c.10 p.2; ESTIUS, In 2 dist.25 § 6. Cf. BERTI, De theol. disc. l.12 (Addit.) c.15 p.349ss.

¹⁵ LE BACHELET: DTC 2.715; ALFARO, 807. Cf. DE LUBAC, Surnaturel 715.

¹⁶ LE BACHELET, 42; JANSEN, o.c., p.28; SCHEEBEN, l.c., 2 n.648; LENNERZ, Opuscula duo de doctrina Baiana p.498; RIPALDA, l.c., disp.4 s.4 n.24; disp.8 s.2 n.19; disp.9 s.1 n.4. Sic et ipse IANSENSIUM (De statu naturae purae 3.22) putans tamen eam propositionem non dampnari nisi ob prudentiam, non vero quod ea sit falsa: cf. CARREYRE, Jansénisme: DTC 8,376.

¹⁷ LE BACHELET, 41-43.

¹⁸ Sic NORIS (c.3 § 3 col.305) eam propositionem sibi obiectam de morte ac miseris huius vitae ut necessario supponitibus peccatum, distinguit: «Deus non potest de iustitia quae potest de potentia... Quare licet sit possibile potentiae, non et possibile iustitiae, talem condi hominem, qualis modo nascitur; in priori vero tantum sensu qui negat, cum damnata Baii propositione sentit». Ceterum auctores tenentes hominem innocentem non posse cum concupiscentia condi, alios sensus illi propositioni baianae quaerunt, qui tamen difficile probantur, si sensus eius historicus quaeritur, qui videtur ex dictis esse maxime de concupiscentia. Cf. BERTI, August. syst. vind. diss.2 c.3 § 6 n.5; cf. c.1 § 1; NORIS, l.c., § 2 2 col.300s.

¹⁹ Decreta... p.2 c.15: CL 5,2.95.

semel recognitioni subiecta sit nec tamen umquam damnata fuerit²⁰, nulla censura theologica notanda est. At thesis nostra videtur nobis saltem moraliter certa.

A. THESIS SUMPTA IN GENERE

808. Ratio theologica. a) Iuxta Augustinenses, dona Adae fuere supernaturalia ex parte naturae et aliunde haec nequit sine illis in statu suo naturali convenienter esse. At ea pugnant inter se, cum supernaturale in sua notione sit adaequate diversum et proin omnino praescindens a naturali. Ergo Augustinenses docent pugnantia inter se.

b) Iuxta eosdem, Deus naturam puram condere potest de potentia absoluta, non vero de ordinata seu ex decentia Creatoris. At haec pugnant inter se, cum Deus nihil putetur posse de potentia absoluta facere, quod sua attributa dedecet. Ergo Augustinenses videntur docere pugnantia inter se. Nam quaelibet exigentia ex parte bonitatis vel sapientiae Dei esset absoluta; ergo id quod est impossibile de potentia ordinata est etiam de absoluta^{20*}.

c) Ut ii putant, dona Adae debebantur huic innocenti, iuxta Baium, ex parte naturae, seu ut huius constitutiva vel proprietates; iuxta eos vero, solum ex parte Dei, qui non permitteret naturam sine iis esse miserrimam²¹. Atqui Baius solum tenet naturam sine illis esse miseram, et ideo hanc ea exigere sive ut ex se manantia sive ut ab extrinseco conferenda²². Ergo Augustinenses non videntur in his a Baio essentialiter differre.

Ceterum, etsi isti dicunt dona Adae non debita esse huic ob exigentiam naturae, sed ex parte Dei²³, tamen, iuxta eos, Deus ea dare debet ob sua attributa, sed quia natura sine illis esset misera; ergo tandem ob moralem naturae exigentiam.

d) Iuxta eos, dona Adae debebantur huic non ex parte naturae, sed solum ex parte attributorum Dei. At Iansenistae

²⁰ Cf. NORIS, l.c., p.7-9 (Epistola BENEDICTI XIV, a.1748); BERTI, l.c., diss.2 c.1 § 9 n.10; c.3 § 6, initio 1; L.PASTOR, Historia general de los Papas t.35 trad. M.Almarcha, S.I. (Barcelona 1937) p.314-319; DE LUBAC, o.c., 176-180.

^{20*} Cf. PRIETO, l.c., 678.

²¹ BERTI, De theol. discip. l.12 (Addit.) c.3 p.328; Id., August. syst. vind. diss.2 c.1 § 5; § 8 n.1.8; § 9 n.1.3; c.2 § 5; c.3 § 2; § 6 n.58; NORIS, § 2 col.301; BAUIS (De prima hominis iustitia c.11): «Quod non oportet ea quae naturalia dicuntur ex internis re principis orta esse.» «Naturale... comparatione dicitur... rei, cui sic inest, ut ad naturalem eius integritatem pertineat sitque eius absentia malum, sive ex eius principis, tamquam efficientibus causis oriat ad eius integritatem pertinebat, ut sine ea non posset (natura) salva existere miseriae carere... et generaliter quaecumque ad rei integritatem sic pertinent, ut sine illis omnino esse non posset aut bene esse non posset miseriae carere.»

²² Cf. LE BACHELET, 41-43; JANSEN, 29-31; SCHEEBEN, l.c., n.635-637.645.

²³ BERTI, August. syst. vind. diss.2 c.2 initio: «Impossibilis est status naturae purae... non propter exigentiam creaturae, sed propter decentiam Creatoris». NORIS, ibid.

id praecise tenent²⁴. Ergo Augustinenses non videntur differre in iis essentialiter a Iansenistis.

Sane Iansenius haec scribit (quae tamen fateridum est ab Ecclesia non esse *explicite* damnata):

«Nude aliquo pacto deberi dicitur non tam ipsi naturae rationali quam ordini Dei naturali, ne natura innocentis imaginis Dei credatur misera, priusquam miseriam mereatur... Considerandum est gratiae propriissime dictae non repugnare debita quaelibet, scil. connaturalitates, decentias... et aequitates, quae oriuntur ex aliis capitibus quam iure naturae... Subinde namque secundum immutabiles rationes divinae sapientiae contingit, ut omnino deceat et aequum sit, Deum... misericorditer cum creaturis suis agere; quod si non faceret, nihil omnino faceret contra ius iustitiae in creatura, sed contra sapientiam suam quam Deus minus quam iustitiam suam praeterire non potest... Nude aliquo pacto deberi dicitur non tam ipsi creaturae rationali, quam ordini Dei naturali, ne natura innocentis imaginis Dei credatur misera, priusquam miseriam mereatur»²⁵.

B. QUOAD CONUPISCENTIAM

809. S.AUGUSTINUS dixit contra Manichaeos Deum non esse culpandum, sed laudandum, etsi hominem innocentem in ignorantia et difficultate (ad bonum) creasset: «Non enim medicria bona sunt, non solum quod anima sit, qua natura iam omne corpus praecedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adiuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia caecante liberaretur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium».

Haec sane quae S.Doctor bis serius confirmavit (R 1967)²⁶, sensu obvio indicant hominem potuisse concupiscentia affectum condi, iuxta eorum locorum *traditionalem* interpretationem²⁷.

At, praeter Iansenium et Norisium, eam negavit nuper De Montcheuil iuxta quem, Augustinus, *quin naturam puram cogitaret* (saltem iis locis), Manichaeis asserentibus hominem malo concupiscentiae affectum non posse totum ad Deum ut *unum* eius auctorem referri, responderet sic: in hypothesi peccati Adae, Deus non esset iniustus, etiamsi animas filiorum eius ipse crearet in ignorantia et difficultate.

²⁴ CARREYRE, *Jansénisme*: DTC 8,367-376.

²⁵ IANSENIUS, *De statu naturae purae* l.1 c.20. Cf. SCHEEBEN, *l.c.*, n.638.645.

²⁶ S.AUGUSTINUS, *De lib. arb.* 3,20.56: ML 32,1298; *De dono persever.* 12,29: ML 45,1010.

²⁷ BOYER, *Essais sur la doctrine...* p.237-271; *Id.*, *Dieu pouvait-il créer...* 32-57; *Id.*, *La concupiscentie est-elle impossible dans un état d'innocence?*: AugMag 2,737-744; *Id.*, *Concupiscentie et nature innocente (Réponse à des objections)*: AugMag 3 (1955) 309-316; cf. *Id.*, *La notion de nature chez S.Augustin*: DocComm (1955) 65-76; HUARTE, n.384; RIPALDA, *Adversus Baium et Baianos* l.1 d.9 s.7; V.CAPÁNAGA, O.R.S.A., *Obras de San Agustín* t.6 (Madrid 1949) p.102s.

At: a) Mirum est quod Iansenius ac Noris id non perceperint et subtiliores explicationes dederint.

b) Ceterum ea interpretatio est nimis conquisita; dum haec facilis est: Augustinus, ut statuatur peccatum originale non favere manichaeismo, dicit creationem hominis in ignorantia et difficultate non arguere iniustitiam divinam, ergo a fortiori eam non arguere, si supponatur peccatum originale.

Media via procedit Refoulé dum statuatur Augustinum in *Retractiones* et *De dono perseverantiae* ut possibilem admittere statum ignorantiae et difficultatis, dum in *De libero arbitrio* loquitur iuxta interpretationem eius datam a Montcheuil. Sed cum iuxta hunc, status quaestionis Augustini sit alius, seu in hypothesi naturae historicae ut in Ada fuit, eius explicatio non prohibet quin si alio loco S.Doctor de natura ut est in se loquatur, simpliciter dici possit ipsum admittere possibilitatem creationis hominis in ignorantia et difficultate.

N.B. Si vero dicitur cum Trape Augustinus, praescindens a peccato originali et a natura pura, mere dicere contra manichaeos creaturam etiam vitiatam concupiscentia esse bonam ac Deo eius Creatore dignam, cum malum non sit substantia sed privatio quae potius efferat bonitatem substantiae cui insit, non statuitur eo ipso S.Doctorem admittere possibilitatem naturae purae hoc sensu, quod, etiam sine praevio peccato Adae, homo creari a Deo sine iniustitia possit in ignorantia et difficultate?²⁸

Ratio theologica. Si homo nequiret in concupiscentia condi, utpote quae inclinet in peccatum, simpliciter nequiret creari, utpote qui peccare posset, immo qui peccaturus esset, et saltem nequiret creari ubi ab aliis vel hominibus vel daemoniis moveretur in peccatum. Sane supponitur a nobis homo in statu concupiscentiae auxiliis sufficientibus muniendus fuisse, quibus constanter posset motus concupiscentiae sine peccato, immo cum laude victoriae, superare.

²⁸ IANSENIUS, *l.c.*, 3,20 (cf. CARREYRE, *l.c.*, 376): Si concupiscentia esset naturalis (quod est impossibile) et Deus eam nobis iniungeret, id non esset malum; NORIS, *l.c.*, c.3 § 2 p.298: «Augustinus, ut eosdem [manichaeos] refelleret, hypothesim utramque gratia disputationis admisit, nempe hominem cum concupiscentia creatum et sine ista nequaquam creari potuisse, urgebat vero haereticos, etiam tunc Deum fore laudandum, nam nulla culpa Dei fuisset facere quod fieri non poterat». DE MONTCHEUIL, *l.c.*; cf. *Id.*, *La polémique de Saint Augustin contre Julien d'Éclane d'après l'Opus Imperfectum*: RechScRel 44 (1956) 204-207; eum sequitur J.LEBOURLIER, *Misère morale et responsabilité du pecheur*: AugMag 3 (1955) 301-307; item videtur assentiri ei F.J.THONNARD: RevEtAug 5 (1950) 335; F.REFOULE, O.P., *Misère des enfants et péché originel d'après saint Augustin*: RevThom 63 (1963) 341-362; A.TRAPE, O.S.S.A., *Un celebre testo de Sant'Agostino sull'ignoranza e la difficoltà*: AugMag 2, 795-803; KLOPPENBURG, 125s, putat cum GILSON Augustinum non considerasse theoretice quaestionem de natura pura; DE LUBAC, *Surnaturel* p.145; DE BROGLIE (*De gratuitate ordinis supernaturalis*: *l.c.*, 436 not.), negat possibilitatem naturae purae ex iis verbis mere hypotheticis indubie deduci.

C. QUOAD MORTALITATEM ET PASSIBILITATEM

810. Ratio theologica. Iuxta Augustinenses, mortalitas hominis est naturalis, utpote ex principiis naturae manans, cum corpus sit natura sua corruptibile et mortale, ita ergo ut immortalitas esset supra exigentiam eius²⁹. At, hoc posito, anima habens appetitum innatum unionis cum corpore ut huius forma nequit esse in statu violento, si, cum istud fit incapax vitae, ab eo separatur; nam eius appetitus informationis iam impletus est, nec exigit iterum adimpleri (n.772,5,6).

811. Obiectiones. S. Augustinus³⁰ et S. Thomas (4 CG 52) ex miseris huius vitae arguunt pro existentia peccati originalis. At id supponit impossibilitatem naturae purae. Ergo, iuxta S. Augustinum et S. Thomam, haec non est possibilis.

Dist. mai. Arguunt, supposita doctrina de primaeva felicitate, *conc. mai.*; ea non supposita, *subdist.*: arguunt veris argumentis, *nego*; quibusdam congruentiis, *iterum subdist.*: spectata revelatione de gratuita bonitate Dei in homines, *conc.*; secus, *nego*.

Supposita doctrina de primaeva felicitate, probatio est certa. Ea non supposita, at inspecta ex revelatione bonitate Dei qua homines gratis prosequitur, proponuntur quaedam congruentiae rem *ad summum ut probabilem suadentes*. Ut enim afferuntur congruentiae pro convenientia Incarnationis, etsi huius omissio non fuisset stricte *inconveniens*, sic afferri possunt congruentiae pro statu naturae humanae immuni a miseris vitae, quin tamen ideo dedecisset Deum creatio hominis in natura pura.

S. Thomas (ibid.): «Sic igitur huiusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute, considerando humanam naturam ex parte eius quod est in ea inferius; tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanae naturae, satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum». S. Augustinus pro peccato originali appellat fidem³¹.

N.B. Cum nos naturam puram *negative* sumamus in hac thesi, nequit contra hanc obici hominem in statu naturae purae non futurum esse moraliter potentem ad concupiscentiam vincendam. Ceterum in theoria naturae purae *positive* sumptae tenetur, S. Augustino praeceunte³², non defutura esse homini omnia auxilia quibus illud obtinere posset.

812. Corollarium. De utilitate conceptus naturae purae. Hic, etsi serius elaboratus, habendus est ut verus progressus scientificus theologiae, ad defigendam separationem, quae inter ordines naturalem ac supernaturalem interest, et ad sic definiendam veram supernaturalis gratuitatem³³.

²⁹ Cf. BERTI, l.c., diss. 2 c.1 § 8 n.1.

³⁰ *Cont. Iul.* 4 c.16 n.83; ML 44,782. Cf. BERTI, *De theol. disc.*, l.c.; Id., o.c., c.1 § 8 n.6.

³¹ *L.c.*, 6,4,10; ML 44,827s. Cf. HURTER, n.351,4; BERAZA, n.481. Possibilitatem naturae purae omnino affirmat S. Thomas: cf. ALFARO, *Lo natural...* 249-256.

³² *De lib. arb.* 320,56s; ML 32,1298s. Cf. WIRCEBURGENSIS, *De gratia* n.166s.

³³ Cf. JANSSEN, o.c., 28; DE BROGLIE, *De fine ultimo...* 259-264; MALEVEZ, 27s.

LIBER V

De peccatis

813. Post statum iustitiae originalis consideratum, ad quem in Ada omnes homines elevati sunt, venit iam agendum de causa qua ex illo statu tota natura humana decidit, seu de peccato ab Ada commisso ac omnibus propagatione transfuso. At cum peccatum originale sit effectus peccati cuiusdam personalis, quod quasi antonomastice peccatum dicitur, primum est ut primo de peccato *personali* agatur, nec solum quia saltem natura primo exstitit, sed quia eius notionis cognitio vehementer confert ad notionem peccati originalis recte definiendam.

Praeter auctores qui in generalibus theologiae cursibus agunt etiam de peccato (ut sunt v.gr. S. Thomas, Suárez, Vázquez, Salmanticenses, Billuart, ex modernis Scheeben, Wirceburgenses, Tepe, Mendive, Pesch) et praeter eos supra relatos, qui de peccato originali speciatim disputant, memorentur oportet alii ut D. BÁÑEZ, O.P., *De vitiis et peccatis*, ed. V. Beltrán de Heredia, O.P. (Matriti 1944); R. BERNARD, *S. Thomas d' Aquin. Somme théologique. Le péché* (Paris 1930-1931); BILLOT, *De personali et originali peccato*⁶ (Romae 1931); P. LUMBRERAS, O.P., *De vitiis et peccatis* (Romae 1957); TH. DEMAN, *Péché*: DTC 12, 140-275; Id., *Réflexions sur la théologie du péché*: RevScPhTh (1933) 640-659; J. SCHIESL, *Sünde*: KL 11,946-972; H. D. NOBLE, O.P., *La vie pécheresse. Qu'est-ce que le péché? D'où vient le péché. Que résulte-t-il du péché* (Paris 1937); S. TOMÁS, *Tratado de los Vicios y de los Pecados*: Sum. Teol. 1.2 c.71-89 (Madrid 1954) 578-975; H. RONDET, S.I., *Notes sur la théologie du péché* (Paris 1957); PH. DELHAYE, ... *Théologie du péché* (Tournai 1960); P. PALAZZINI, ... *Il peccato* (Roma 1959); M. ORAISON, ... *Le péché* (Paris 1959); A. M. LANDGRAF, *Die Lehre von der Sünde und ihre Folgen*: Dogmengesch. d. Frühsch. 4 (Regensburg 1955-1956); R. BLOMME, *La doctrine du péché dans les écoles théologiques de la première moitié du XII^e siècle* (Louvain 1958).

S. LYONNET, *De peccato et redemptione*, 1 (Romae 1957); Id., *Péché*: VocThBibl (1962) 774-787; PH. DELHAYE, *Le péché actuel. Sa notion dans la Bible*: AmCl 68 (1958) 713-718. 745-748; 69 (1959) 17-19; G. TEICHTWEIER, *Die Sündenlehre des Origenes* (Regensburg 1958); S. VISINTAINER, *La dottrina del pec-*

cato in S.Girolamo (Roma 1962); M.HUFTIER, *Le péché dans la théologie augustinienne et thomiste* (Lille 1954).

Iis addi possent moralistae ut A.BALLERINI-D.PALMIERI, S.I., *Opus morale theologicum morale* I (Prati 1889) tr.4; D.M.PRÜMMER, O.P., *Manuale theologiae moralis* t.I tr.5 I⁸ (Friburgi Br. 1935) tr.5; S.CARTON DE WIART, *Tractatus de peccatis et vitiis in genere* (Mechliniae 1932); M.ZALBA, S.I., *Theologiae Moralis Summa* I (Madrid 1957) n.926-1196; etc., etc.

In specie de peccato originali memorentur LE BACHELET, *Péché originel*: DAFc 3,1735-1755; ID., *Le péché originel dans Adam et ses descendants*³ (Paris 1909); A.GAUDEL, *Péché originel*: DTC 12,275-606; F.HENSE, *Erbsünde*: KL 4,754-770; VAN HOVE, *Der Erfzonde* (Anvers 1936); J.NAULAERTS, *De peccato originali* (Mechliniae 1916); H.RONDET, *Problèmes pour la réflexion chrétienne. Le péché originel. L'enfer et autres études* (Paris 1946); B.M.DE RUBEIS, O.P., *De peccato originali* (Veniis 1757); P.TONER, *Dissertatio historico-theologica de lapsu et peccato originali* (Dublin 1904); B.V.MILLER, *The Fall of Man and original Sin* (London 1956); P.PARENTE, *Il peccato originale* (Rovigo 1957); A.M.DUBARLE, *Le péché originel dans l'Écriture* (Paris 1958); L.LIGIER (Aubier 1960).

CAPUT I

Generalia de notione peccati

814. Oportet initio aliqua praemittantur de natura peccati in genere, de eius divisione, etc., quae in decursu totius tractatus utilia vel etiam necessaria scitu erunt.

815. **Notio peccati.** Cum *peccatum* varie sumatur, et etiam *malum*, *culpa*, *vitium* saepe vocetur, eius notio generalis primo proponenda est.

Malum est *privatio* seu carentia cuiuslibet *debitae* perfectionis in subiecto vel in operatione.

Peccatum est quaevis *operatio* quacumque ratione mala, seu carens sibi debita perfectione. Cum vero omne ens operatione tendat in finem suum, ea operatio est mala seu peccatum, quae caret debita ordinatione in finem suum. Cumque ea ordinatione operationis in finem concludatur aliqua regula, quae sit ut via ad finem, peccatum est deviatio seu deordinatio a fine, quatenus est deordinatio ab illa regula.

Pro triplici vero regula consideranda, habetur *peccatum*: a) *naturae*, si natura, seu principium determinatum ad unum, respectu sui finis male operatur v.gr. in claudicatione; b) *artis*, si non agitur recte ad regulas artis v.gr. in pingendo; c) *moris*, si voluntas libere agens deficit a norma moralitatis.

Ergo *peccatum moris*, quod unum hic interest nostra, est actus moraliter malus; seu operatio carens debita perfectione morali; seu, cum Deus sit supremus finis operationis moralis, est deordinatio a fine ultimo vel aequivalenter a lege aeterna, ut norma suprema moralitatis seu regula ad illum obtinendum; quae manifestatur per rationem practicam, seu conscientiam, ut normam moralitatis proximam.

Culpa est peccatum voluntarium, seu voluntaria deordinatio a fine. Rationi ergo *peccati*, de qua est *deordinatio* a fine, ratio *culpa* addit *voluntarietatem*, cum nemo culpetur de actu deordinato, nisi prout hic est ei voluntarius. Cum vero de ratione moralitatis sit voluntarietas, deordinatio propria peccati moris est formaliter a voluntate; ergo istud peccatum *essentialiter* est voluntarium et ideo recte dicitur *culpa moralis*. Immo istud solum dicitur *culpa*, cum in operatione sive naturae sive artis principium formale agendi non sit libera voluntas¹.

Hinc, cum theologi non respiciant nisi *peccatum moris*, nam in naturali et artificiali non est deviatio ab ultimo fine, obiecto principali theologiae, illud vocant antonomastice *peccatum* vel etiam *culpam*, utrumque ut idem sumentes (S.Th., I.2 q.21 a.1s; *De malo* q.2 a.2).

Vitium, quod non raro adhibetur pro peccato, maxime frequentius commisso, et quod proprie tamen in genere est *permanens dispositio deviandi a fine*, in ordine morali est habitus moraliter malus; seu inclinatio permanens ad deordinationem moralem, se habens ad actum peccati ut virtus, seu habitus moraliter bonus, se habet ad actum bonum. *Secundum quid* est peius peccato, cum sit fons plurium peccatorum et diutius quam istud duret; sed istud *simpliciter* est peius, cum peius sit male agere quam habere inclinationem ad male agendum (I.2 q.71 a.1-3)².

816. **Definitiones peccati.** Ex dictis, *peccatum morale*, seu antonomastice *peccatum*, est: Actus voluntarius carens debita ordinatione in finem ultimum. Deordinatio voluntaria a fine ultimo. Actus moraliter malus. Deviatio voluntaria a lege aeterna.

¹ De his plura BILLOT, 13-26; DE BROGLIE, *Malice intrinsèque du péché et péchés heureux par leurs conséquences*: RechScRel 24 (1934) 313-326.330-335.

² Cf. J.UMBRERAS, n.3-15.

Haec eadem formaliter vel aequivalenter continentur iis definitionibus: «Inordinatus actus ad genus moris pertinens» (2 d.24 q.3 a.2). «Actus humanus malus» (1.2 q.71 a.6)³. Actus «qui agitur propter finem aliquem, cum non habet debitum ordinem ad finem illum» (1.2 q.21 a.1). «Transgredi divina mandata» (1.2 q.10 a.4). «Factum vel dictum vel concupitum aliquid contra aeternam legem» (S.Augustinus: R 1605)⁴. Male facere est «neglectis rebus aeternis... temporalia... sectari»⁵. Peccatum est «praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia mandatorum»⁶.

N.B. In Novo Testamento vox ἀμαρτία quoad rem indicat aversionem a Deo (Rom 5,12-21); voces παράβασις (Rom 4,15), παρανομία (2 Petr 2,16) ἀνομία (1 Io 3,4) significant transgressionem legis moraliter obligantis.

817. Divisiones peccati. *Peccatum:* a) Ratione *causae*, est *personale*, si fit actu physico voluntatis propriae; *originale* vero id quod ab Ada physice commissum contrahitur generatione ut habituale ab omnibus Adae filiis.

b) Ratione *momenti*, est *grave*, si avertit a fine ultimo, quatenus violat *substantialiter* legem divinam, ita ut dicatur simpliciter *contra legem*; *leve*, si non avertit a fine, sed mere retardat ab illo, quatenus legem divinam solum *accidentaliter* transgreditur, ita ut dicatur *praeter legem*. His tamen positus, peccatum potest definiri ut *violatio legis divinae moraliter obligantis* vel graviter vel leviter, prout sit vel grave vel leve.

Peccatum grave dicitur *mortale*, utpote *moraliter occidens* animam per aversionem a fine ultimo, qui est principium ordinis moralis, seu quasi principium vitae moralis (quae maxime conveniunt ordini supernaturali, in quo vita animae, consistens in caritate hanc fini ultimo annectente, amittitur peccato), et aeterna morte damnandum (1.2 q.72 a.5).

Dicitur *mortale* potius respectu *subiecti* peccantis, *grave* vero potius respectu *materiae* obiective gravis in ordine morali. Tamen hic notetur et subiectum et materiam necessario respici in definitione peccati gravis; ut enim materia non est formaliter mala sine respectu voluntatis illud appetentis, sic actus subiectivus non specificatur moraliter sine relatione ad obiectum in se malum.

Peccatum leve dicitur *veniale*, quia non occidit spiritualiter animam, utpote quam ab ultimo fine non avertat, et habet *veniam* post poenam *temporalem*.

³ Cf. V.CATHREIN, S.I., *Philosophia moralis*¹⁰ (Barcelona 1945) n.1).

⁴ Ea definitio, a S.Augustino data in Manichaeos directe de peccatis *contra naturam*, sumitur iure cum S.Thoma (1.2 q.71 a.6) de *omni peccato*: cf. E.NEVEUR, C.M., *Formules Augustiniennes. La définition du péché*: DivThom(Pi) 7 (1930) 617-622.

⁵ S.AUGUSTINUS, *De libero arbitrio* 1,16,34: ML 32,1240.

⁶ S.AMBROSIUS, *De parad.* c.8 n.39: ML 14,292.

c) Ratione *constitutionis*, dicitur peccatum *materiale* ipse actus ut obiective malus, seu ut a deliberatione ac libertate praecisus; *formale* vero idem actus ut etiam subiective malus, seu ut deliberate ac libere positus.

d) Ratione *ordinis essentiae*, peccatum, quatenus primo et originarie est in actu, dicitur *actuale*; at, hoc posito, manet aliquid quo, donec tollatur, homo dicitur esse in peccato seu habitualiter peccator, quodque a P.Lombardo *reatus* (culpa)⁷, a S.Thoma (1.2 q.87 a.6) *macula peccati*, nunc communiter peccatum *habituale* vocatur.

Qua voce non indicatur *habitus* repetitione actuum generatus, cum peccatum habituale singulos actus peccaminosos consequatur; sed solum aliquid *permanens*, in oppositione ad peccatum actuale seu actu *transiens*. Non est ergo formaliter peccatum actuale, sed *effectus* eius, praecipuus tamen ac immediatus, et proin unum quid moraliter cum eo constituens, ita ut, si ab eo praescindatur, ratione peccati careat.

818. Praedictae *divisiones*, quasi *capitales*, continent diversas classes peccatorum, ad quas *omnia* peccata pertineant. Tamen claritatis causa addi aliae *secundariae* possunt. Hinc:

Ratione *tendentiae*, peccatum est *commissionis*, si fiat id quod prohibetur, seu si ponitur actus indebitus; *omissionis*, si non fiat in quod iubetur, seu si non ponatur actus debitus. Illud legi *negativae*, hoc *positivae* obest.

Ratione *obiecti*, peccatum potest dici *theologicum* vel *philosophicum*, quatenus «a theologis consideratur peccatum praecipue, secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi» (1.2 q.71 a.6 ad 5), quin tamen a theologo ratio moralitatis vel a philosopho ratio offensae divinae excludatur. Ideo peccatum inspectum et theologice et philosophice dicitur melius *theologicum* seu *morale*, quatenus est contra rationem et contra legem aeternam, in oppositione ad *pure philosophicum*, seu peccatum quod esset, si re daretur, contra rationem, non vero contra legem aeternam.

819. Ratio analogica peccati. Si de ratione communissima peccati est et *inordinatio* actus et huius *voluntarietas* (1.2 q.72 a.1), haec duo conveniunt *omni* peccato proprie dicto, seu mortali ac veniali, personali ac originali, actuali et habituali. At non eodem modo et gradu seu *univoce* secundum eandem prorsus rationem, sed *analogice* secundum rationem partim eandem partim diversam.

⁷ Sent. 1.2 d.42 n.48.

Hinc peccatum nequit esse *genus*, quod in species aequaliter rationem generis participantem descendat; sed *commune analogum*, quod secundum perfectam rationem praedicatur de uno dividendum, et de altero imperfecte, ut ens dividitur in substantiam et accidens (2 d.42 q.1 a.3), ita ergo ut ratio peccati conveniat: *perfecte* ac per prius mortali actuali, in quo est plena deordinatio a fine et plena voluntarietas personalis; *imperfecte* vero ac per posterius sive veniali actuali, deficienti in ratione deordinationis, cum non avertat simpliciter a fine, sive originali, deficienti in ratione voluntarietatis, cum non sit ex voluntate personali propria sed aliena (2 d.35 q.1 a.2 ad 2), sive omni habituali, quod non est liberum formaliter ac immediate, sed *denominative* ab actu.

Voce *peccati* indicatur etiam derivative ab actu: causa inductiva eius v.gr. concupiscentia (D 792; Rom 7,9.11); *sequela* v.gr. poena (Lev 20,20); *obiectum* vel occasio eius v.gr. vitulus aureus (Deut 9,21); *sacrificium* pro eo (Os 4,8; 2 Cor 5,21)⁸.

820. Divisio tractatus. Cum ratio peccati sit analogica, ac proin diversa in singulis classibus indicatis, nequit agi primo de peccato in genere, dein de singulis in specie, sed potius directe de singulis illis classibus: sive de personali et mortali, tam actuali quam habituali, et veniali, tam actuali quam habituali, sive de originali.

821. Adversarii. Hic respiciuntur solum ii qui ipsum tractatus fundamentum, seu peccatum, saltem re negant: *Athei*, negato Deo, negant consequenter offensam eius. *Deistae*, negata providentia, negant eo ipso legem divinam et sic peccatum. *Deterministae*, negata libertate, negant rationem culpae in peccato. Qui omnes hoc saepe memorant, quatenus homo idealem perfectionem, qualem concipimus ei inesse debere, frequenter suis actibus non attingit, quod proin vocant peccatum. Ii qui hoc admittentes verbo, negant homini lapso veram libertatem moralem, ut LUTHERUS, CALVINUS, BAIUS, IANSENIUS.

Quoad *protestantes* hodiernos, ut pauca de iis dicantur, K.BARTH nullam directam doctrinam de peccato tradit, sed solum in connexionione cum creatione; pro eo peccatum est id quod Deus negat et in quo Deus negatur, negatio regni Dei, nullitas et quod annullat. Sic, iuxta JACOBS, ex quo peccatum est potestas simul personalis et superpersonalis, non absoluta coram Deo qui ei limites assignat, quae est simul in naturam hominis ac

⁸ Cf. WIRCEBURGENSES, n.1; V.MONTY, S.I., *La nature du péché d'après le vocabulaire hébreu*: ScEcl 1 (1948) 105.

in singulos eius actus intra totam vitam humanam singulorum hominum (quo sensu est peccatum haereditarium ex Ada), inducit dissensionem in totam communitatem respectu Dei et hominum, ita ut ideo quodlibet peccatum sit duplex, et ut relatum ad Deum ac Christum sit coram lege ut infidelitas, hominem annullans usque ad mortem, simul imputandum homini et superpersonale ac praetemporale⁹.

CAPUT II

De peccato gravi personali

ARTICULUS I

DE PECCATI GRAVIS ACTUALIS EXSISTENTIA AC NATURA

Thesis 37. Peccatum grave actuale est actus perfecte liber contra legem divinam, quo homo se avertit a Deo et se convertit ad creaturam.

S.Th., 1.2 q.71 a.5s; 2.2 q.20 a.3; PESCH, 9 n.437-469; BILLOT, 39-45.

822. Nexus. Cum in ratione peccati, *personale mortale actuale* sit princeps analogatum, respectu cuius reliqua peccata aestimanda sint, prima quaestio instituitur de illo peccato, ita ut *quid sit* proponatur.

823. Notiones. PECCATUM GRAVE ACTUALE sumitur ut nuper explicatum est, seu ut actus liber transgressionis legis gravior obligantis.

ACTUS sumitur hic sensu ampliori, quo indicetur: *positive* quaevis activitas hominis vel elicitata vel imperata a voluntate sive interior, ut est cogitatio vel concupitum, sive exterior, ut

⁹ Cf. de Luthero, J.PAQUIER, *Luther, Martin*: DTC 9,1212-1218; de Calvino, A.BAUDRILLART, *Calvinisme*: DTC 2,1401-1403; de Baio, LE BACHELET, *Baius, Michel*: DTC 2,81-89; de Iansenio, Y.DE LA BRIERE, *Le Jansénisme de Jansénius. Etude critique sur les cinq propositions*: RechScRel 6 (1916) 287-289; P.JACOBS, *Sünde*: EvK 3 (1959) 1227-1229. De peccato in scientia religionum cf. v.gr. G.GRANERIS, *Il concetto di peccato nella scienza delle religioni*: Div I (1957) 425-443; O.GARCÍA DE LA FUENTE, O.S.A., *Los dioses y el pecado en Babilonia* (El Escorial 1959); J.GOETZ, *Le péché chez les primitifs*: Theologie du péché (Tournai 1960) 125-188; A.JAGU, *Les philosophes grecs et le sens du péché*: ibid. 189-240. De negatione vel praetermissione peccati hodierna, cf. F.MONTANARI, *Il peccato* (Roma 1959); J.REGNIER, *Le sens du péché* (Paris 1954); L.CRISTIANI, *Le sens du péché*: AmCl 67 (1957) 91-93; H.BACHT, *Die Welt von heute und das Gespür für die Sünde*: GLeb 31 (1958) 7-16; O.GARCÍA DE LA FUENTE, O.S.A., *El hombre de hoy y el hombre bíblico ante el pecado*: CiuD 175 (1962) 312-345; PH.DELHAYE, *Introduction*: Theologie du péché (Tournai 1960) 1-5; R.O'CONNELL, *The Sense of Sin in the Modern World*: Way 2 (1962) 3-18; *Monde moderne et sens du péché* (Paris 1957).

est dictum vel factum; *negative*, omissio alicuius activitatis ut ponendae (1.2 q.71 a.6).

PERFECTE LIBER est actus procedens a voluntate nec extrinsece nec intrinsece determinata ad unum et praevia perfecta deliberatione subiectiva de eius moralitate, seu qui sit actus perfecte humanus¹.

CONTRA LEGEM DIVINAM, quae est lex aeterna, seu ratio ac voluntas divina ordinem naturalem conservari iubens perturbari vetans, prout nobis per dictamen rationis ostenditur (*De ver.* q.17 a.1).

Haec tamen valent, non solum de lege *naturali* seu aeterna ut nobis lumine rationis manifestata; sed et de *positiva* seu revelationis deposito tradita, etiam a lege aeterna, quae est ipse Deus, directe emanante et etiam nos obligante, quatenus lex naturalis praecipit obedientiam in omnia quae Deus imperat, iuxta dictamen nostrae conscientiae eius vim apprehendentis².

HOMO expresse ac solus hic memoratur, de quo maxime agitur, etsi dicenda valeant, servata proportione, de angelis.

AVERSIO A DEO, seu recessus moralis ab ipso, non mere ut a prohibente peccatum ac peccatorem puniente, sed *formaliter ut a fine ultimo*, etsi non per se et qua talis sed solum per accidens intentus.

Sane, dum aversio a Deo ut est «peccatorum prohibitor et poenarum inflictor» (2.2 q.34 a.1) infert ipsum respici ut nocentem ac proin ea apprehendi potest ut bona et sic *directe* intendi; aversio a Deo *ut fine ultimo* nequit qua talis apparere ut bona nec proin per se et qua talis directe, sed solum *indirecte* ac per accidens, seu prout annexa prosecutioni boni creati mali intendi.

CONVERSIO AD CREATURAM i.e. prosecutio boni creati vel quoad se vel quoad modum mali, seu contra finem ultimum, seu huic directe oppositi.

Moraliter enim actus est *indifferens* (theorice loquendo) seu *praescindens* a fine ultimo, si in se huic nec repugnet nec de facto consonet; *bonus* seu *secundum* eundem finem, si isti consonet; *leviter malus* seu *praeter* eum finem, si eidem *nequeat* consonare, sed nec directe obsit; id vero postremum si accidat, actus est *graviter malus* seu *contra* finem ultimum. Cum tamen bono creato frui in se sumptum, seu sine respectu ad finem ultimum, sit *indifferens*, non est graviter malum nisi avertat a fine, etsi ceterum forte importet aliquam deordinationem, quae ergo sit *leviter mala* (2.2 q.20 a.3).

¹ Cf. de his PESCH, 9 n.441-445.

² Cf. D.Ruiz de Montoya, apud DE ALDAMA, *Diego Ruiz de Montoya, S.I., De natura peccati actualis (Comentario a 1.2 q.71 a.6):* ArchTG 2 (1939) 291. De definitione peccati mortalis cf. J.P.WROE-I.TRETHOWAN, *Mortal Sin and the Moral Order:* DownRev 70 (1952) 37-52.

Pars prima

PECCATUM PERSONALE GRAVE EST ACTUS PERFECTE LIBER

824. Cum rationabiliter non oporteat ut positio hominis respectu finis ultimi defigatur vel mutetur, nisi per actus perfecte humanos ac proinde liberos, aversio ab illo fine supponi nequit, nisi ubi homo eam *plena libertate* praeferat. Ergo si fontes *libertatem* peccati gravis efferunt, eo ipso eam ut *perfectam* prodere putandi sunt.

Item cum peccatum grave sit peccatum quasi antonomastice, fontes de eo censendi sunt loqui, nisi contrarium ex contextu constet, ubi peccatum simpliciter memorant.

825. **Doctrina Ecclesiae.** S.Pius V eos Bani errores damnavit: «Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium» (D 1046)³. «Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit» (D 1067).

INNOCENTIUS X eum Iansenii errorem damnavit ut *haereticum*: «Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione» (D 1094).

ALEXANDER VIII eum iansenistarum errorem damnavit: «In statu naturae lapsae ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis» (D 1291).

Pius VI id damnavit, quod «impossibile aliquid potuerit imperare, qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit evitare, qui pius est» (D 1519).

Pariter, iuxta *C.Tridentinum*, opera mala sunt in potestate hominis, nec sunt a Deo nisi permissive (D 816).

826. **Valor dogmaticus.** *De fide divina et catholica definita*, quoad *libertatem* in peccando (D 1094). *Theologice certa*, quoad *perfectam* libertatem, cum id ob rationem mox exponendam (n.829b), ex definitione indicata deducatur.

827. **Probatur ex sacra Scriptura.** Ea innumeris locis asserit implicite vel explicitate *peccatum esse actum perfecte liberum*. Et sane, si excludatur ea libertas, carent sensu v.gr. haec asserta:

³ Cf. LE BACHELET, 938.

Ea quae ad promulgationem decalogi et ad leges ei adiunctas spectant ac supponunt executionem liberam. Ex 20: *Locutusque est Dominus... Non habebis deos alienos coram me... Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum... Sex diebus operaberis... 21: Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur... Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur... 22: Si quis furatus fuerit bovem..., quinque boves pro uno bove restituet...*

Deut 30,11: *Mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est... Sed iuxta te est sermo valde... ut facias illum. 30,19: Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam...*

Ios 24,15: *Sin autem malum vobis videtur ut Domino servatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis...; ego autem et domus mea serviemus Domino. Tob 1,10: Quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. 4,6: Cave ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini.*

Eccli 7,40: *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis. 21,2: Quasi a facie colubri fuge peccata. 15,14-22: Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, observabunt te... Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere et nemini dedit spatium peccandi....*

Is 65,12: *Et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui elegistis. Cf. 66,3s. Io 3,19-21: Dilixerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit..., non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius... Lc 15,11-21: Filius prodigus relinquit suum patrem, hoc repugnante 3*.*

828. Probatur ex traditione. SS. Patres peccatum libero arbitrio committi docent v.g. contra Manichaeos.

S. IUSTINUS: *Homo praemio vel poena afficitur, quia bonum vel malum libere agit.* «... Libera animi inductione hominem vel bene agere vel male sic demonstramus... Non enim remuneratione... dignus foret, si ex se ipso bonum non eligeret...;

3* De theologia evangelica peccati cf. J. HAAS, *Die Stellung Jesu zu Sünde und Sünder nach den vier Evangelien* (Freiburg Schw. 1953). Cf. et A. KIRCHGAESSNER, *Erlösung und Sünde in Neuen Testament* (Freiburg Br. 1950); L. LIGIER, *Heures des ténèbres et Règne du péché. Le péché dans le Nouveau Testament*: LumVie, Aug. (1952) 41-64; A. DESCHAMPS, *Le péché dans le Nouveau Testament*: Théologie du péché (Tournai 1960) 49-124.

nec merito, si malus esset, puniretur, ut qui non ex se talis esset...» (R 123).

S. IRENAEUS, pariter: «... Qui operantur quidem illud (bonum), gloriam... percipient, quia operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi vero qui illud non operantur, iudicium iustum excipient Dei, quia non sunt operati bonum, cum possint operari illud» (R 244). Cf. Tertullianus (R 335), SS. Ioannes Chrys. (R 1151), Hieronymus (R 1406).

S. AUGUSTINUS: *Peccatum nequit non esse voluntarium.* «Sine prius etiam peccatum definiamus, quod sine voluntate esse non posse omnis mens apud se divinitus conscriptum legit. Ergo peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat et unde liberum est abstinere...» (R 1558; cf. 1454 1559 1565 2118).

829. Ratio theologica. Si peccatum grave non esset liberum, frustra impelleremur ad non peccandum; peccator iniuste reprehenderetur ac puniretur; peccatum reduceretur in Deum auctorem naturae necessario peccantis⁴. Eadem incommoda haberentur, servata proportione, si ea libertas non esset perfecta.

Ratio naturalis statuit: a) *Libertatem.* Peccatum est actus ordinis moralis, ut patet. At de ratione moralitatis est libertas, cum nemini, ex communi sensu, imputetur in peccatum nisi actus malus libere vel ponendus vel omittendus. Ergo peccatum est actus liber.

Ex inferius dicendis, peccatum meretur poenam. At nemo per se punitur ob id quod necessario facit. Ergo peccatum est actus liber.

b) *Perfectam libertatem.* Cum libertas sit de ratione actus moralis, hic est perfecte liber si est plene humanus. At peccatum mortale est actus plene humanus. Ergo supponit perfectam libertatem.

Cum finis ultimus sit summum hominis bonum, non censetur ab homine abici nisi actu perfecte humano. At ille abicitur peccato gravi. Ergo hoc peccatum est actus perfecte humanus (1.2 q.88 a.2.6; cf. q.74 a.10).

Sane etiam valent, servata proportione, de peccato obiective gravi sed semideliberato ea quae Suárez dicit de veniali semideliberato: «Istae actiones indeliberatae [i.e. semideliberatae] vix dici possunt humanae, nisi imperfectissimo modo, et ideo non possunt esse media necessaria ad ultimum finem, quia finis ultimi amor est res, quae maxime indiget deliberatione: ergo, etc.; unde D. Thomas etiam illa peccata mortalia, quae circa Deum ipsum videntur versari, ut odium Dei indeliberatum, non vult circa illum versari tamquam circa ultimum finem, sed potius ille defectus est quasi circa quoddam medium secundum prudentem existimationem moralem, est enim defectus quidem circa debitum... exercitium ipsius voluntatis hic et nunc et in hoc actu»⁵.

⁴ Cf. Ruiz de Montoya, qui ceterum plura alia habet de libertate in peccando: cf. DE ALDAMA, l.c., 266-275.

⁵ De vit. et pecc. 2.4.10.

Pars altera

PECCATUM GRAVE EST ACTUS LIBER CONTRA LEGEM DIVINAM

830. Doctrina Ecclesiae. ALEXANDER VIII id ut erroneum damnavit: «Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi, theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei...» (D 1290). Id implicite supponit peccatum esse actum contra legem Dei, cum duo priora assera merito supponantur non esse damnata.

831. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica.*

832. Probatum ex sacra Scriptura. Haec tota est in eo, quod omnes hortetur ad divina mandata custodienda, laudet eos qui ea servant, reprehendat eos qui ea transgrediuntur ac memoret poenas in eos. Ergo sic implicite ponit peccatum in ea transgressione.

Ceterum id etiam explicite statuit: Lev 20...: *Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. Custodite praecepta mea et facite ea... Qui maledixerit patri suo..., morte moriatur...* (cf. Ex 20-22). 4,2: *Anima, quae peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quae praecepit ut non fierent, quidquam fecerit...* (cf. 4,27). Tob 4,6: *Cave ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini.*

Ps 118,21: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis*^{5*}. Eccli 15,14-21: *Deus ab initio... reliquit illum (hominem) in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi... Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere... 2,21: Qui timent Dominum custodiunt mandata illius. Is 65,12 (66,3s): *Et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui elegistis.**

Mt 19,16-20: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata... Non homicidium facies. Non adulterabis...* Io 14,21: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Dan 9,5...: *Peccavimus, iniquitatem fecimus..., impie egimus..., et declinavimus a mandatis tuis...* Lc 1,6: *Erant... iusti ambo (Zacharias,*

Elisabeth) ante Deum, incidentes in omnibus mandatis... Domini sine querela.

Rom 5,14: *Regnavit mors... in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis (παραβάσεως) Adae.* Cf. 4,15: *Ubi non est lex, nec praevaricatio (παραβάσις).* 5,19: *Sicut... per inobedientiam (παρακοή) unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi.* I Io 3,4: *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem (ἀνομίαν) facit: et peccatum est iniquitas (ἀνομία)*⁶.

833. Probatum ex traditione. Peccatum esse inobedientiam in Deum est res adeo clara et sic apud omnes constat, ut testimonia Patrum de ea omitti possent; tamen pauca afferantur.

S.IRENAEUS: *Homo et angeli facti sunt liberi ad obediendum vel non obediendum Deo, seu ad faciendum bonum vel malum.* «Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis..., uti hi quidem qui obedissent iuste bonum sint possidentes... Qui autem non obedierunt, iuste... meritam poenam percipient...» (R 244).

TERULLIANUS: *Transgressio legis libera infert poenam.* «Non... poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate, nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem deputaretur» (R 335).

S.AUGUSTINUS: *Peccatum est actus contra legem divinam.* «Peccatum est factum vel dictum vel concupitum aliquid contra legem aeternam» (R 1605).

S.AMBROSIIUS: *Peccatum est transgressio divinae legis.* «Quid est peccatum nisi praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia praeceptorum?»⁷

834. Ratio theologica. Cum voluntas humana debeat semper tendere in Deum ut finem ultimum, privatio rectitudinis, seu malum, advenit actui eius ob deviationem ab illo fine, et sic a regula moralitatis seu dirigente actus in illum. Haec vero regula, utpote hominem obligans (obligatione finis), imponitur homini a suo superiore seu a Deo ipsius auctore; non est ergo nisi *lex Dei*, prout praecipit conducentia ad finem et prohibet remotionem ab illo (I q.63 a.1). At ea lex, cum sit ipse Deus, nequit nobis esse *regula proxima* agendi, nisi qua-

⁶ Cf. B.BARDESSONO, S.M., *L'antitesi di «peccato» e di «redenzione» e la sintesi della «salvezza» in San Giovanni*: DivThom(Pi) 14 (1937) 450-452. Cf. tamen de hoc loco DE LA POTTERIE, «Le péché, c'est l'iniquité» (I Joh. III,4): NouvRevTh 78 (1956) 785-797.

⁷ S.AMBROSIIUS, Lc. De theologia peccati apud primaevos SS.PP. cf. RONDET, *Aux origines de la théologie du péché*: NouvRevTh 79 (1957) 16-32.

^{5*} De doctrina peccati in psalmis cf. G.BERNINI, S.I., *Le preghiere penitenziali del Salterio* (Roma 1953) 163-239.

tenus traditur ratione, qua sola proxime regitur voluntas humana. Ergo homo peccat seu declinat ab ordine finis, prout agit contra legem aeternam per dictamen rationis ei manifestatam (*De ver. q.17 a.1; De malo q.2 a.6*)⁸.

Pars tertia

PECCATUM EST AVERSIO A DEO

835. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica.* Quoad aversionem ut a fine ultimo, saltem certa in theologia.

836. Probatur ex sacra Scriptura. Ea peccatorem inducit simpliciter ut declinantem a Deo; ergo et ut a fine ultimo.

Iob 34,27: *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias eius intelligere noluerunt.*

Eccli 10,14s: *Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia.*

De his S.Th.: «Apostasia a Deo non sumitur ibi quasi speciale peccatum, sed magis ut quaedam conditio generalis omnis peccati, quae est aversio ab incommutabili bono» (I.2 q.84 a.2 ad 2). Sic et A Lapide, qui addit: «In omni enim peccato... est quaedam generalis apostasia, i.e. defectio a Deo eiusque lege et voluntate...»⁹

Is 1,2-4: *Audite, caeli..., quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit..., ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum..., Israel autem me non cognovit... Vae genti peccatrici... Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt («vel exactius secundum verbum hebraicum, abiecerunt cum contemptu et irrisione») Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum (seu Domino terga verterunt)¹⁰. Dan 9,9s: *Tibi... Deo nostro... propitiati; quia recessimus a te, et non audivimus vocem... Dei nostri, ut ambularem in lege eius...¹¹**

⁸ Cf. BILLOT, 22-25.

⁹ A LAPIDE, In *Ecclasticum* (Parisiis 1859) 311-315; KNABENBAUER, *Commentarius in Ecclasticum* (Parisiis 1902) 1355.

¹⁰ Cf. F.RUFFENACH, C.SS.R., *Malitia et remissio peccati. Is. 1,1-20: VerbDom 7 (1927) 146s.*

¹¹ Doctrinam V.T. de natura et diversa gravitate peccati, ut quae germine contineat ea quae serius theologia explicaret et systematice doceret, pulchra indagatione proponit MONTY, l.c., 95-109; Id., *Péchés graves et légers d'après le vocabulaire hébreu: ScEccl 2 (1949) 129-168.* Cf. et LESÈTRE, *Péché: DB 5,7-12; A.GEORGES, Le sens du péché dans l'ancien Testament: LumVie, Ju. (1952) 21-40; LYONNET, Quid de notione peccati doceat narratio Gen. 3: VerbDom 35 (1957) 34-42; De notione peccati quid doceat V.T.: ibid., 75-88; VAN IMSCHOOT, 278-286; A.EBENHARTER, *Sünde und Büsse im Alten Testament* (Münster 1924); R.CRIADO, S.I., *El concepto de pecado en el Antiguo Testamento: XVIII SemBiblEsp* (Madrid 1959) 5-49; E.BEAUCAMP, *Péché: DBS 7 (1962) 467-471.**

S.Paulus accusat gentiles, quod Deum omnium principium et finem cognoscentes, noluerint ipsum agnoscere et se quasi ipsum ignorarent gesserint. Rom 1,19-32: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis... Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis..., et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum... et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum..., repletos omni iniquitate...*

Sane peccatores Deum alibi quaerunt. Phil 3,18s: *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis..., inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est; et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt (cf. Rom 16,18).*

Deus et mundus nequeunt simul amari. Mt 6,24: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae.*

Hinc de iis qui propter pharisaeos non confitebantur Christum, dicit Io 12,43: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.*

Unde peccatores inducuntur ut recedentes a Deo. Iac 4,4-10: *Adulteri... Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur... Deus superbis resistit... Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo... Appropinquate Deo et appropinquabit vobis...*

837. Probatur ex traditione. Cum etiam haec res sit omnino clara, pauca testimonia sufficiant. Aversio a Deo memoratur a SS.Patribus simpliciter; ergo ea censenda est esse a Deo etiam ut fine ultimo.

S.FULGENTIUS: «Peccare in hoc homo coepit, in quo a Deo discessit. Scriptum est enim, quia initium superbiae apostatare a Deo (Eccli 10,14), et alio loco: *Ecce omnes qui se elongant a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (Ps 72, 27). Isti ergo qui se elongant... a Deo, utique peccando pe-reunt...» (R 2256).

S.AUGUSTINUS, saepe: «Motus... aversionis (a Deo), quod fatemur esse peccatum...» (R 1546). «Cum vero causa miseriae malorum angelorum quaeritur, ea merito occurrit, quod ab illo qui summe est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summe sunt... Cum enim se voluntas relicto superiore ad

inferiora convertit, efficitur mala...» (R 1753; cf. 1754). «Fecerunt itaque civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, haec in Domino gloriatur...» (R 1763).

«Est autem peccatum hominis inordinatio... i.e. a praestantiore Conditore aversio et ad condita inferiora conversio».

«Voluntas autem aversa ab incommutabili bono et conversa ad proprium bonum aut ad exterius aut ad interius peccat» 11*.

838. Ratio theologica. Ordo moralis relate ad hominem in eo est, quod homo tendat ad suum finem ultimum per quamdam ad id a Deo ei impositam et necessario requisitam regulam actuum humanorum. At peccatum mortale est recessus ab hac regula. Ergo eo ipso est recessus a Deo fine ultimo.

S.Thomas docet v.gr. haec: «Quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet a Deo, cui unitur per caritatem, tunc est peccatum mortale» (1.2 q.72 a.4). «In quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali et gravitas est ex hoc, quod avertit a Deo; si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale...» (2.2 q.20 a.3).

Pars quarta

PECCATUM EST CONVERSIO AD CREATURAM

839. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica.*

840. Probatur ex sacra Scriptura. Locis nuper allatis ostenditur peccatores quaerere suis actibus aliquid praeter Deum, a quo eo ipso recedunt. Rom 1, 19-32; Phil 3, 18s; Io 12, 43; Iac 4, 4-10.

Impii quaerunt voluptates. Sap 2, 1-20: *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae et non est refrigerium in fine hominis... Venite ergo et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus...*

Populus Israel vocatus ad fletum gaudet contra mandatum Domini. Is 22, 12s; *Et vocabit Dominus Deus... ad fletum... et ad cingulum sacci; et ecce gaudium... occidere vitulos... Comedamus et bibamus, cras enim moriemur* (cf. 56, 11s; 1 Cor 15, 32).

Poena damnati respondet superiori fruitioni malae boni creati. Apoc 18, 7: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

841. Probatur ex traditione. Id quod est per se evidens, exprimitur v.gr. iis verbis S.AUGUSTINI: «Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret» 12.

«Cum enim se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala, non quia malum est quo se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio. Idcirco non res inferior voluntatem malam fecit, sed rem inferiorem prave atque inordinate ipsa, quia facta est, appetivit» (R 1753; cf. 1763).

842. Ratio theologica. Deus fecit voluntatem humanam ad solum bonum; quod ergo unum est illius obiectum *adaequatum*, quin ea malum formaliter *qua tale* intendere queat (1.2 q.8 a.1); ergo peccans intendit aliquid bonum. At hoc bonum non est Deus, ut patet. Ergo est bonum creatum.

Ea inordinatio actus non intenditur per se, ut patet, sed solum per accidens. «Inordinatio actus per accidens se habet ad intentionem peccantis; nullus enim intendens malum operatur...» (1.2 q.72 a.1). Peccans «intendens aliquid bonum commutabile causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens et praeter intentionem» (q.75 a.1).

843. Obiectiones. *In partem primam.* Lev 4, 27: *Si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terrae, ut faciat quidquam de his quae Domini lege prohibentur..., et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam...* (cf. 5, 17; Num 15, 27s).

His assignatur poena peccatis ex ignorantia; ergo habentur ut vera peccata. At in iis deest libertas moralis. Ergo dantur vera peccata sine libertate morali.

Dist. mai. Assignatur poena peccatis ex ignorantia culpabili, *conc. mai.*; ex inculpabili, *subdist.*: assignatur iuridice, *conc.*; moraliter, *nego.*

Peccatum ex culpabili ignorantia merito imputatur in culpam (R 1454); peccatum vero ex ignorantia inculpabili imputatur *iuridice* coram humana lege, quia haec vel secreta cordium ignorans legis cognitionem praesumentem vel eius impletionem vult strictius promovere, non vero eo ipso imputatur *moraliter*, seu in culpam morale, seu coram Deo.

Ceterum aliqua vera peccata dicuntur esse ex ignorantia, non absoluta, seu quasi peccator nescisset se male agere et quidem graviter, sed relativa, seu quia ille minus perfecte gravitatem peccati nosset. Sic v.gr. excusantur persecutores Christi: *non enim sciunt quid faciunt* (Lc 23, 34), cum tamen saepe Christum ut sanctum viderint et suam divinitatem miraculis confirmantem audierint; pariter dicitur Paulus olim fuisse *blasphemus... et persecutor...*, quia ignorans feci in incredulitate (1 Tim 1, 13), cum tamen ipse ut qui verus peccator fuerit se exhibeat (v.15; 1 Cor 15, 9; cf. Act 7, 59; 8, 3; 9, 1).

Ceterum locis obiectis et aliis ex A.T. forte non agitur de meris erroribus vel peccatis indeliberatis, sed de aliis plus minus gravibus, plus minus

11* *De div. quaest. ad Simplicianum* 1, 2, 18: ML 40, 122; *De lib. arbit.* 2, 19, 53: ML 32, 1269.

12 *Cont. Faust.* 1.22 c.28: ML 42, 419.

voluntariis, natis ex fragilitate humana, ut exempla prolata indicant (5,15; 6,2-7) in oppositione ad alia graviora v.gr., rebellionis contra Yahveh (Num 15, 22-29)^{12*}. De facto ea peccata ignorantiae putantur esse possibilis populo etiam ut *communitati* (Lev 4,13); at difficile concipitur populum instructum (saltem in eius rectoribus) laedere *communiter* ob *ignorantiam* mandata Dei. Alias forte agitur de culpa mere iuridica vel culturali, vel de *materiali* quae ob occultas rationes poena sancita est vel de culpa ex negligentia (Gen 20,5-9; 2 Reg 6,4-7; Num 22,34). In quacumque hypothesi, ut obiectio valeret, deberet ostendi ea peccata ignorantiae imputari ut *vera* peccata coram Deo et quidem singulis.

844. In partem alteram. 1. Potest esse peccatum grave violatio legis humanae. Ergo non plene definitur peccatum grave ut actus contra legem divinam.

Dist. mai. Potest esse peccatum grave violatio legis humanae, quae obliget sub gravi ex lege divina, *conc. mai.*; hac praecisa, *nego mai.*

Vis legis humanae ut obligans subsistit vel in potestate a Christo accepta, si est ecclesiastica, vel in genere in eo quod nulla sit potestas nisi a Deo (Rom 13,1), ita ergo ut nulla lex obliget nisi vi legis divinae (1.2 q.96 a.3; a.4 ad 1)¹³.

2. Aliqua sunt moraliter mala sine prohibitione divina. Ergo peccatum non plene definitur ut actus contra legem divinam.

Dist. mai. Aliqua sunt moraliter mala sine prohibitione divina libera, *conc. mai.*; sine necessaria, *nego mai.*

Sine dubio aliqua sunt mala solum quia prohibita v.gr. pro iudaeis comedere carnem a bestiis praegustatam (Ex 22,31); alia vero prohibentur quia sunt mala v.gr. homicidium (21,12). Iam vero agitur, ut patet, solum de his postremis, quae, quia natura sua ordini finis ultimi, ac proinde intrinsece, repugnant, a Deo prohibentur iuxta omnes, non libere sed *necessario*, quomodo cumque explicetur relatio inter malitiam obiectivam actus et illam prohibitionem. Hinc recte dicitur, iuxta omnes, omne peccatum esse actum contra legem divinam (1.2 q.71 a.6 ad 4)¹⁴.

Ceterum est quaestio, a qua tamen nos hic praescindimus, de illa relatione actus moralis ad legem aeternam, ita ut, iuxta alios (Salmanticenses, Valenciana, Scotistas)¹⁵ haec sit de conceptu moralitatis, quin bonum vel malum morale qua tale concipiatur, nisi ut ratione prius a Deo praeceptum aut prohibitum; iuxta alios vero (Suárez, Vázquez, Lugo, Pesch)¹⁶, omnis actus humanus *antecedenter* ad voluntatem legiferam, seu ut ratione humana percipitur, est aut moraliter bonus, seu recte ordinatus in finem ultimum, aut moraliter malus seu isti contrarius.

Sed et in hac altera opinione, cum Deus nequeat actum ultimo fini contrarium non prohibere, nullum peccatum esse potest, quod non sit specialiter et quidem praecipue malum, ut a Deo prohibitum. Quo posito, pecca-

^{12*} Cf. A. CLAMER, *Le Lévitique* (Paris 1940) 46.49.54; Id., *Les Nombres* (Paris 1940) 336s; Id., *La Genèse* (Paris 1953) 301; A. MÉDEBELLE, *L'expiation dans l'Ancien et le Nouveau Testament* (Roma 1924) 85; J.M. GONZÁLEZ RUIZ, *El pecado original según San Pablo*; *EstBibl* 17 (1958) 149s; L. LIGIER, *Péché d'Adam...* (Aubier 1960) 43s; SAGÜÉS, *Alcance de la expresión «pecado colectivo»*; *EstEcl* 36 (1961) 310.

¹³ Cf. Ruiz de Montoya apud DE ALDAMA, l.c., 278; SUÁREZ, 1.2 tr.5 d.1 s.1 n.1.

¹⁴ Cf. Ruiz de Montoya apud DE ALDAMA, 278-280; BILLOT, 318.

¹⁵ SALMANTICENSES, *De vit. et pecc.* tr.11 d.1 dub.1.5 § 1; VALENCIANA, *In* 1.2 d.2 q.3 punct.1; MASTRIUS, *In* 2 d.6 n.30.65.

¹⁶ SUÁREZ, *De bonit. et malit.* d.3 s.3 n.5; 7,1.6-8; *De legibus* 1.2 c.6 n.11s; VÁZQUEZ, *In* 1.2 d.97 c.3; LUGO, *De mysterio incarn.* d.5 s.5; PESCH, 3 n.678-683. Idem tenet Molina, iuxta J.M. DÍEZ ALEGRÍA, S.I., *El desarrollo de la doctrina de la ley moral en Luis de Molina y en los maestros de la Universidad de Évora de 1565 a 1591* (Barcelona 1951); Id., *¿Qué piensa Molina sobre el fundamento de la obligatoriedad de la ley natural?*; *Pens* 39 (1954) 189-195; aliter vero RABENECK, *ibid.*, 109-111.

tum est prohibitum, quia malum, seu in se habens id ob quod Deus illud prohibere debeat, et est malum quia prohibitum, seu in se habens id ex quo praecipua eius malitia sit.

3. Peccatum omissionis non est contra legem divinam. Ergo peccatum non plene definitur ut actus contra legem divinam.

Dist. mai. Peccatum omissionis non est contra legem divinam actus *positivus*, *conc. mai.*; *negativus*, *nego mai.*

Peccatum omissionis est in eo quod actus, lege divina praeceptus, *voluntarie* non eliciatur, quod saltem moraliter ac interpretative actui positivo aequivalet et proin pariter ac hic imputatur (a.5s).

Haec solutio praescindit a quaestione de *possibilitate* omissionis voluntariae *purae*, in mera actus suspensione consistentis seu sine ullo *positivo* voluntatis actu praevio vel simultaneo positae, in oppositione ad *non-puram* seu quae ex voluntatis actu sit vel directe, ut si quis vult aliquid *opus* non ponere, vel indirecte seu occasionaliter, ut si quis sacrum omittat quia ludere vult, et quam dari posse, planum est.

Ceterum *possibilitatem omissionis purae*, utique non necessariae (quam esse posse ex defectu alicuius requisiti, omnino patet), sed *liberae*, alii negant (Vázquez, Salmanticenses qui pro se alios citant, Billot, Lumberras, Deman, et, ut videtur, Rodríguez)¹⁷; affirmant vero Suárez, Medina, Mastrius, multi alii¹⁸, dum de opinione S.Th. disputatur (1.2 q.6 a.3; 1.2 q.71 a.5; *De malo* q.2 a.1)¹⁹.

Postremis assentimur. Sane voluntas libere agens potest *libere*, et consequenter *voluntarie*, non ponere actum; ergo hic *non actus* est voluntarius sine *positivo* voluntatis actu; secus diceretur contra testimonium conscientiae nos non posse eligere *negative voluntarium*, seu «non volo agere», et sic negareter nobis libertas exercitii, cum iam solum possemus eligere inter «volo agere» et «volo non agere» (*In* 2 d.35 q.1 a.3). Determinatio ergo libera voluntatis ad utrumque indifferentis est tunc in eo, quod *libere aliquid omittat*, ita ut, mutatione mere morali sed voluntaria, prior negatio actus fiat *privatio* eius, qui *debit* poni, quin tamen aliquis actus ponatur *physice* nisi in morali aestimatione.

Immo, etsi libenter demus omissionem puram esse *moraliter impossibilem*, cum difficillime, ratione perfecte advertente, omnis actus voluntatis suspendatur²⁰, ita ergo ut homines communiter aliquid deliberate non omittant, quin aliud agant, habemus eam omissionem ut voluntariam, non ex hoc actu, sed *ratione sui*; unde sacrum omittenti ob ludum imputatur in peccatum, non ludus, sed solum illa omisso²¹.

845. In partem tertiam. Si peccatum mortale est aversio a Deo ut ab ultimo fine, conversio ad creaturam est adhaesio huic ut ultimo fini, cum illa aversio nequeat sine hac conversione haberi. At peccans mortaliter non necessario inhaeret creaturae ut ultimo fini. Ergo peccatum mortale non est aversio a Deo.

Dist. min. Peccans mortaliter non necessario creaturae inhaeret ut ultimo fini actu *signato*, *conc. min.*; *exercito* seu de facto, *nego min.*

Eo ipso quod peccator inter Deum finem ultimum et creaturam eligens illum reicit et hanc praefert, iure censetur istam in finem ultimum (*qui*, per

¹⁷ VÁZQUEZ, *In* 1.2 d.92 c.2; SALMANTICENSES, *De voluntario et involunt.* tr.10 d.4 dub.1 § 1; BILLOT, 41s; LUMBERRAS, n.24s; DEMAN, 154-156; V.RODRÍGUEZ, O.P., *La culpa y su especificación*; *CienTom* 83 (1956) 78-80.

¹⁸ SUÁREZ, *De voluntario et involuntario...* d.1 s.5 n.2; MEDINA (ut videtur), *In* 1.2 q.6 a.3; MASTRIUS, l.c., n.97.98.

¹⁹ Cf. PESCH, 3 n.544; URRÁBURU, *Psychologia* p.2 (Vallisoleti 1898) n.109.

²⁰ Cf. SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d.3 s.2 n.6s.

²¹ Cf. PESCH, 3 n.544-551.

fruitionem eius ut finem ultimum *quo, directam* in seipsum ut finem ultimum *cui*) sibi facere vel *explicite* eam formaliter ut summum bonum eligens, vel *implicite* eam, sine expressa intentione finis ultimi, non secus ac si talis esset Deo praeferens. Cum vero eam ultimo *in seipsum*, et quidem secundum inferiorem appetitum, referat, simpliciter dici potest, *practice seipsum secundum istum ad quem explendum rem ordinat, in finem ultimum eligere* (1.2 q.77 a.4).

Inst. Peccans mortaliter deserit saepe statim creaturam cui peccando adhaesit, maius aliud bonum ei praeferens. Ergo non necessario illi ut ultimo fini adhaesit.

Nego cons. Eo enim ipso quod peccator Deo ultimo fini, quem videt se reicere, creaturam praefert, hanc in ultimum finem eligit. Nec tamen id infert illum isti creaturae ita constanter iam inhaerere, ut *nequeat* aliam ei praeferre, maxime cum iam stabilitatem in Deo fine ultimo amiserit (1.2 q.73 a.1 ad 3; q.78 a.1); a fortiori non infert peccatorem *omnia ad creaturam ut finem ultimum referre, vel nihil boni facere posse*, cum potius etiam ipsam conversionem ad Deum quaerere et assequi valeat.

2. Si peccatum mortale est aversio a fine ultimo, peccator hanc intendit. At id repugnat, cum illa aversio non habeat nisi rationem mali, quod non est obiectum adaequatum voluntatis. Ergo peccatum mortale non est aversio a fine ultimo.

Dist. mai. Peccans mortaliter aversionem a fine ultimo intendit *materialiter* ac *indirecte, conc. mai.*; *formaliter* ac *directe, nego mai.*

Obiectio ostendit aversionem a fine ultimo non posse *formaliter* ac *directe* voluntate intendi. At ea est voluntaria *materialiter* et *indirecte*, seu ut annexa conversioni ad creaturam, quam homo Deo simpliciter praefert. Hinc etiam patet, *non omne* peccatum mortale esse peccatum odii in Deum, cum peccata specificentur proxime ratione virtutum quibus obstant, ac proin remote ratione boni creati inordinate quaesiti.

Inst. At saltem peccato odii in Deum intenditur *directe ipsa aversio a Deo*. Ergo difficultas manet.

Dist. mai. In peccato odii intenditur *directe aversio a Deo ut peccata prohibente, conc. mai.*; ut fine ultimo, *nego mai.*

Nihil impedit quin peccator Deum, ut est «peccatorum prohibitor et poenarum inflictor» (2.2 q.34 a.1) et ita ut sibi nocentem apprehendens, quatenus bono suae independentiae obstat, ipsum *odio* habeat et aversionem ab ipso *directe* intendat.

846. Scholion 1. *De peccato mortali ut est contra legem divinam.* Cum voluntas humana respiciat semper Deum ut ultimum finem, debet in ipsum tendere suis actibus ac proin iuxta moralitatis seu actuum humanorum regulam; haec est lex divina prout homini praecipit ea quae ad illum finem, qui est «principium... totius ordinis in moralibus» (1.2 q.72 a.5), conducunt et prohibet ea quae ab illo avertunt (*De malo* q.1 a.1; 1 q.63 a.1).

In ea vero voluntatis ordinatione ad finem ultimum per legem aeternam habetur et elementum *essentiale*, quatenus voluntas vitat omnes actus destruentes *finem ultimum legis seu dilectionem*, qua homo manet ad summum diligibile conversus, et elementum *accidentale*, quatenus voluntas, salva illa conversione ad ultimum finem, vitat omnes actus ab hoc non avertentes sed nec ad eum referibiles.

In ea vero voluntatis ordinatione ad finem ultimum, lex aeterna: a) *Intentione primaria* respicit elementum *essentiale* ordinationis, seu conversionem ad summum bonum per amorem, vitans omne quod illam conversionem destruat. Unde praecipit omnia necessaria ut illa stet (v.gr. religionem), et prohibet omnia quae eam simpliciter tollunt, seu amori in Deum essen-

tialiter repugnantia, sive haec sint *immediate* contra ipsum Deum (v.gr. blasphemia), sive *mediate*, seu quae hominem impediunt ab illo exercendo, in hoc ordine, quia ipsum vel destruunt (v.gr. suicidium, homicidium) vel privant medio moraliter necessario subsistendi seu vita sociali (v.gr. luxuria, inhonoratio, iniustitia). Omnes ergo hominis actus per commissionem vel omissionem *essentiale* ordinationis eius in Deum corrumpentes sunt, ut patet, simpliciter *contra finem ultimum*, a quo omnino avertunt, et *contra legem divinam*, quam *essentially* violant.

b) *Intentione vero secudaria* respicit elementum *accidentale* ordinationis, quatenus homo, salva sui conversione ad ultimum finem per amorem, vitet etiam omnes actus illi conversioni ex se non convenientes, eam tamen non destruentes, seu omnes actus ad ultimum finem *non referibiles*, at ab eo *non avertentes*. Omnes ergo hominis actus per commissionem vel omissionem *contra accidentale* ordinationis eius in Deum, non sunt, ut patet, *simpliciter contra finem ultimum*, a quo non avertunt, nec proin *contra legem divinam*; sed, cum nec sint ad illum referibiles nec proin legi divinae conformes, dicuntur esse *praeter finem ultimum vel praeter legem divinam* (*De malo* q.7 a.1 ad 1; q.14 a.2 ad 8; 2 d.42 q.1 a.4).

847. Scholion 2. *Peccatum mortale constat ex elemento positivo et ex privatione, in qua formaliter consistat.* Cum commissionis peccatum de quo directe est haec quaestio, importet actum *positivum*, quaeritur quid in eo actu peccatum constituat. Alii (Suárez, Valencia, Lessius, Ruiz de Montoya, Molina)²² id ponunt in quadam eius actus *privatione* debitae rectitudinis; alii (Platel, Zumel, Wirceburgenses, Frins, Lumbreras)²³ in ipso actu, prout hic est *positiva* tendentia in obiectum malum; alii (Mendive, Pesch, Billot, Deman, Rodríguez)²⁴ partim in elemento *positivo* actus, partim in illa rectitudinis *privatione*. Ex his vero postremis auctoribus, alii Caëtanum sequentes (Deman, alios plures pro se citans) elementum *positivum* considerant ut praecipuum in peccato²⁵; alii vero (Mendive, Pesch, Billot) elementum *privativum* ut praecipuum, immo ut *unum formale* peccati proponunt.

Cui postremae opinioni, quae videtur esse etiam S.Thomae (1.2 q.72 a.1; q.79 a.2; 2 d.35 q.1 a.2) assentiendum esse putamus. Peccatum enim cum sit *malum*, consistit in aliqua *privatione* (*De malo* q.1 a.1; a.2 ad 2); at est actus *voluntarius*, voluntas vero nequit tendere in malum qua malum, sed semper, etiam *dum peccat*, tendit in *bonum*. Cum vero peccans graviter tendat in bonum contra ordinationem in ultimum finem, habetur in peccato et actus positivus tendens in bonum et privatio debitae ordinationis eius in finem ultimum; aliunde, cum malitia illi actui sit *ex ista privatione*, ipse actus iure putatur esse velut *materialis* pars peccati, privatio vero illam afficiens velut pars *formalis* seu specifica. Ergo, etsi illud positivum non sit formaliter malum, cum hoc sit privatio, non est tamen velut subiectum privationem passive mere sustentans, sed ita cum privatione connexum, ut de ratione peccati sit (*De malo* q.2 a.5 ad 3).

In ista vero notione ille actus positivus non sumitur mere ut egrediens de potentia aliqua *physica*, seu ut ens mere *physicum*, cum formaliter qua

²² SUÁREZ, l.c., d.1 s.1 n.4; s.2 n.7; LESSIUS, *De perfect. moribusque div.* l.13 c.26 n.170-182; VALENCIA, *In 1.2 d.6 q.2 punct.2*; Ruiz de Montoya apud DE ALDAMA, 236-238; MOLINA: cf. DÍEZ-ALEGRÍA, Luis Molina, 495-608; sic et CH. JOURNET, *Le mal* (Bruges 1962) 193s.

²³ J.PLATEL, S.I., *De actibus humanis* c.3 § 3 n.177; M.RODRÍGUEZ, O.d.M., *El pecado original según Zumel y Saavedra*: Est II (1955) 237; WIRCEBURGENSES, n.13; FRINS, *De actibus humanis moraliter consideratis* (Friburgi Br. 1904) 406; LUMBRERAS, *Summa theologica*: 5 (Madrid 1954) 945-947.

²⁴ PESCH, 9 n.470-476; BILLOT, 14-21; DEMAN, 147-150; RODRÍGUEZ, l.c., 68-78. Nec videntur differre quoad rem Ruiz de Montoya, l.c.; SUÁREZ, *De bonit. et malit.* d.7 s.6s.

²⁵ DEMAN, 150-153. Thomistae tamen de hac re dissentiunt: cf. A.M.HORVÁTH, O.P., *Sünde und Unsündlichkeit*: DivThom(Fr) 22 (1944) 251.

tale non sit nisi tendentia in bonum praecise a prohibitione et ideo formaliter qua ens mere physicum non sit de peccati conceptu, sed sumitur ut egrediens de potentia qua libera, seu ut ens morale, quale essentialiter est peccatum (*De malo* q.3 a.2 ad 2). Ergo ille actus ut ens physicum est quasi subiectum peccati, complectentis et actum qua liberum seu liberam illam tendentiam, et privationem debitae ordinationis in summum bonum.

Sic sumpta notio peccati coniungit aptius illos duos respectus quos, ut qui unum ens morale essentialiter constituent, in peccato fontes efferrunt, seu conversionem ad bonum creatum et aversionem a Deo. Ulterius vero, etsi definitio peccati simpliciter ut *aversionis a Deo*, quae ab omnibus admittitur, etiam in positiva peccati notione adversariorum stare possit, multo melius concipitur illud ut *privatio conversionis ad Deum* inducta per conversionem ad creaturam. Pariter peccatum, quod, utpote malum, nequit non inferre aliquam privationem moralem, multo melius definitur formaliter ut *privatio ordinationis moralis annexa actui positivo*, quam ut actus positivus obstans ordinationi morali ad Deum.

Nec in hac conceptione explicatur difficile causalis ratio peccati, nam in ea hoc est actus voluntarius positivus, tendens, non mere, ut in opinione contraria, in bonum quod agnoscat ut perturbans ordinem moralem, seu ut in obiectum moraliter malum, sed simpliciter in bonum, et sic retinens aliquid de ordine rationis ac proin habens causam directe et per se et ex intentione efficientem; formaliter vero qua peccatum est mere privatio ordinationis, et proin non habet causam nisi indirecte ac per accidens ac sine intentione mali qua mali, seu deficientem in actu conformando regulae moralitatis (1.2 q.75 a.1).

Ea causa deficientis est ipse homo libere eligens actum sine debita huius ordinatione et sic eam privationem indirecte determinans ac producens, quatenus bonum inferius appetit, etsi norit se ita a Deo averti; hoc proin est ei praeter intentionem et secundum quid voluntarium (fere ut nautae in vitae discrimine proiectio mercium in mare) ita ut ei in culpam imputetur. Ergo homo contra legem aeternam ponens actum producit indirecte huius inordinationem.

Deus vero, quin ipse (sed unus homo) actum peccaminosum ponendum determinet, *ordinate* seu ex finis ultimi amore concurrat ad eum, quatenus hic est appetitus boni, at ne indirecte quidem ad eius actus privationem ordinationis (1.2 q.79 a.18; 2 d.37; q.2 a.2 ad 2); dum tamen videt hominem saepe, eo concursu posito, a regula moralitatis contra suam voluntatem deviare, non impedit illi abusum libertatis, utpote qui etiam in gloriam divinam tandem cedat. Ergo Deus secundum legem aeternam physice ponit actum peccaminosum, cuius tamen inordinationem mere permittit.

Item nostra explicatio etiam eos actus (odium Dei, blasphemiam, etc.) attingit, qui viderentur esse intrinsecus incapaces rectitudinis, ac proin non mere ut bonum prosequentes ponit, quibus privatio ordinationis sit annexa; nam etiam tunc peccator agit ut suum bonum prosequens, et sic a Deo, utpote quem suo bono obstantem percipiat, se avertens.

In opinione autem contraria, quae peccatum in ipso actu positivo formaliter reponat, necessario dicendum esse videtur Deum esse directe efficientem causam peccati et quidem formaliter sumpti, cum nihil positivi sit, quod ipse immediate non producat et proin etiam formaliter non intendat.

Ceterum adversarii dicunt malitiam formalem non esse aliquid efficientem, sed aliquid morale actus voluntatis ut moraliter deficientis a recta ratione²⁶, quod sane, ut clare patet, est mere privatio, et solum ulterius vi-

dentur statuere positivam tendentiam ad obiectum lege Dei prohibitum esse malam²⁷; iam vero in hac, ut etiam patet, potest distingui et ipsa tendentia libera in bonum et eius deviatio a lege (1.2 q.73 a.2) seu duplex elementum a nobis peccato assignatum; ergo illi nihil aliud ac nos quoad rem docere viderentur.

848. Scholion 3. *Peccatum mortale actuale formaliter consistit in aversione voluntaria a Deo fine ultimo.* Id statuitur fere ut corollarium ex hucusque assertis et probatis. Peccatum mortale est actus *contra legem divinam, aversio a fine ultimo, conversio ad creaturam*. Cum vero principium totius ordinis moralis sit finis ultimus, ad quem homo suis actibus obtinendum essentialiter destinatus est, regula actuum moralium, seu lex divina ut homini manifestata, nullum habet valorem nisi prout ad illum finem ducit. Ergo actus contra legem divinam seu aversio ab ea, non est grave peccatum nisi prout est contra talem finem, seu aversionem ab hoc implicat; ergo formula «*contra legem divinam*» aequivalet quoad rem formulae «*contra finem ultimum*»; ergo peccatum grave est formaliter actus *contra finem ultimum* seu aversionis ab hoc.

Pariter frui bono creato non est in se malum, nisi prout aliquam deordinationem a fine ultimo includit; nec proinde est peccatum mortale, etiam posita aliqua deordinatione, nisi prout aversionem ab illo fine importat (1.2 q.72 a.5; 2.2 q.20 a.3). Ergo conversio ad creaturam non est grave peccatum, nisi prout istam aversionem infert.

Unde ulterius dici potest, in peccato mortali conversionem ad bonum creatum, quae in se non est mala, et quae aequivalet elemento *positivo* peccati, se habere ut partem determinabilem, seu ut elementum *materiale* peccati; aversionem vero a Deo seu elementum *privativum* peccati ex quo illa qua conversio est graviter mala, esse ut partem quae formaliter determinet deordinationem moralem, seu ut elementum *formale* peccati (2.2 q.20 a.3; 2 d.30 q.1 a.3). Ergo sic recte dicitur peccatum grave esse *formaliter* in aversione a Deo.

Hinc tamen nihil impedit, quin iure peccatum complexive sumptum, et ut conversio et ut aversio, definiatur: *a)* aut definitione *positiva*, seu qua substantia actus ponatur in recto, ut actus liber (dictum vel factum vel concupitum) contra legem aeternam, vel ut conversio ad creaturam cum aversione a Deo, vel ut indebita conversio ad creaturam²⁸, *b)* aut definitione *privativa*, qua privatio ponatur in recto, ut aversio a Deo per conversionem ad creaturam.

ARTICULUS II

ALIQUAE QUAESTIONES DE PECCATO ACTUALI GRAVI

849. De peccato pure philosophico. Hoc sumitur hic ut peccatum quod sit *contra dictamen rationis*, non vero, quale est *theologicum* seu morale, *contra legem divinam* (n.818), quatenus nempe, apprehensa ea malitia quam peccatum habet

²⁷ Cf. WIRCEBURGENSES, n.13.

²⁸ Cf. CARTON DE WIART, n.3, l.º; V.RODRÍGUEZ, l.c., 72-78. Dum S.Thomas insistit in conversione ad creaturas per superbiam et avaritiam, S.Augustinus effert in peccato aversionem a Deo, sed ambo conveniunt in eo quod peccatum sit malum ex deordinatione a lege aeterna et psychologica sit in abusu creaturae: cf. M.HUFTIER, *Le péché actuel*: AmCl 70 (1960) 229s.

²⁶ Cf. PLATEL, n.181.

ut repugnans naturae rationali, non vero ea quam habet ut repugnans fini ultimo, committatur *ut est contra rationem, at non ut offensa Dei.*

Tale peccatum *obiective* dari nequit, cum ratio in re morali non sit nisi manifestatio legis aeternae. Nec *subiective* datur nisi forte ad modum exceptionis apud aliquos, qui anormali modo Deum per breve tempus invincibiliter ignorent, vel qui de Deo hic et nunc *nullo modo*, ne implicite quidem ac in confuso, et quidem inculpabiliter cogitent, si illud tamen peccatum metaphysice non repugnat. At probabilissime sic repugnat.

Alexander VIII eam thesim damnavit: «Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum». Declarata et damnata est uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea (D 1290)²⁹.

Haec thesis non subiacet censurae, ut patet, quatenus in ea peccatum *theologicum et mortale* dicitur esse libera divinae legis transgressio (gravis) et peccatum *philosophicum* describitur ut actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi (1.2 q.71 a.6 ad 5). Sed censuram meretur sive quatenus, non distinguens inter ignorantiam et inadvertentiam ad Deum *vincibilem et invincibilem*, de *utraque* pariter sumi potest; sive quatenus, non distinguens inter *possibilitatem et existentiam* peccati philosophici, sumi potest sensu absoluto et universali, seu ut asserens illud peccatum *frequenter* dari posse.

At ea damnatione non constat attingi opinionem, quod peccatum philosophicum intrinsece repugnet seu sit *absolute* possibile, imo aliquoties de facto dari³⁰.

A. *Illud peccatum de facto non datur.* Sane S.Paulus peccata gentilium enumerans concludit Rom 1,32 (ex textu graeco, cum latinus sensum partim contrarium, non quoad rem, sed quoad verba proferat): *Qui statutum Dei cognoscentes, quod, qui talia agunt, morte digni sunt, non solum ipsa faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.*

Ergo gentiles agnoscunt de gravi peccato dictamen conscientiae, cum faciant vel laudent ea, quae digna esse poena

²⁹ De historia huius quaestionis, cf. DEMAN, 255-272, et maxime H.BEYLARD, S.I., *Le péché philosophique*: *NouvRevTh* 62 (1935) 591-616.673-698. Multa utilia de tota quaestione habent D.VIVA, S.I., *Damnatae theses...* (Patavii 1717) p.331-340; C.LACROIX, S.I., *Theologia moralis* 1.5 (de peccatis) n.49-50.

³⁰ VIVA, l.c., n.3; WIRCEBURGENSES, n.12; LE BACHELET, *Alexandre VIII*: DTC 1,750; SCHEEBEN, o.c., 2 § 186 n.20; BILLOT, 28.

aeterna norunt. Et *omnes* quidem eam cognitionem habent, cum omnes pariter inducantur ut cordibus inscriptam habentes legem illa vitia prohibentem (2,14-16).

Item in Scriptura saepe Deus inducitur ut *omnia* liberi arbitrii mala opera puniens (Rom 2,5-11; Io 5,28s, ubi *omnes* male operantes dicuntur esse iudicandi); quod non staret, admissis peccato pure philosophico, cum hoc legem Dei non violaret. Ergo omni peccato gravi lex Dei violatur.

B. *Illud peccatum metaphysice repugnat.* Id tenemus ut probabilius contra Lugo et alios³¹, cum dictamen conscientiae de gravi peccato natura sua inferat notionem legis superioris, habentis vim obligandi in conscientia, et quae ideo non concipiatur esse nisi a Deo.

Revera psychologice repugnare videtur, saltem moraliter loquendo, quin homini, scienti se graviter peccare contra dictamen conscientiae, desit inculpabiliter cognitio saltem confusa legislatoris alicuius superioris, qui sit ipse Deus.

At fatemur hanc conclusionem non esse apodicticam, quasi habens illud dictamen conscientiae perveniat necessario ad ultimum eius fundamentum, Deum.

Si tamen de facto istud peccatum absolute non repugnat et homo peccat contra rationem. Deum inculpabiliter ignorans vel de ipso, ne implicite quidem et in confuso, cogitans, ipsum non offenderet (D 1292).

850. De mortalis peccati malitia. 1. *Est malum morale humanum hominis.* Nam repugnat formaliter et intrinsece regulae rationis et naturae rationali qua tali, ita ut inde dicatur actus turpis, inhonestus, et dedecoret hominem eumque dignum reddat contemptu ac probro, fere ut e contrario actus virtutis eum exornat et laude ac honore dignum reddit. Unde, cum philosophi peccatum sic potius respiciant ut repugnans rationi, istud, iuxta Boëtium, formam hominis externam relinquens, animum tamen ab eius dignitate rationali ad belluae conditionem deprimit (Ps 48,13)³². Et maxime illud est malum hominis, quia eum avertit a bono infinito, cuius amicitia eum privat.

2. *Est malum Dei.* Non quasi quid reale Deo auferat, sed quatenus, etsi non semper formaliter, saltem implicite ac interpretative est contemptus Dei, et quidem homini ubique

³¹ LUGO, *De mysterio Incarn.* d.5 s.5; Ruiz de Montoya apud DE ALDAMA, 280-283; SCHEEBEN, l.c.; M.NIVARD, S.I., *Ethica* (Paris 1928) p.1248.169s. Ut videtur, iis accedunt HELLIN, o.c., n.287.301-314, et in genere tenentes possibilitatem atheismi negativum diuturni ac alicuius atheismi positivi: cf. DESCOQS, *Praelectiones theologiae naturalis* (Paris 1935) 2 p.445-490. Contra, de thomistis cf. DEMAN, 266s; LUMBRERAS, *Suma Teol.* 5, 943-945; M.HUFTIER, *Foi en Dieu et péché*: *AmCl* 70 (1960) 650s.

³² *De consol. philos.* 1.4 prosa 38: ML 63,799s.803. Cf. S.AUGUSTINUS, *Cont. Faustum Manich.* 1.22 c.26-28: ML 42,418s.

praesentis (Ps 138,8), ut iis omnibus titulis ornati quibus ipsi homo subest v.gr. ut legislatoris cui non obediatur (Lev 6,2; 26,15; 1 Reg 2,30), finis ultimi cui creatura praefertur et qui proin sic ut summum bonum odio explicite vel saltem implicite habeatur (Phil 3,19; S.Th., 1.2 q.73 a.1 ad 1), ut conditoris cui ingratus animus ostendatur (Deut 32,6; Is 1,2-4; 5, 1-7) ³³, ut domini in quem creatura insurgat (Ier 2,20; 1 Io 3,4), ut redemptoris cuius opus reddatur irritum (Hebr 10,28s) et qui iterum occidatur (6,6), ut iudicis qui non timeatur (Is 63, 17; Mt 10,28), ut amici qui despiciatur (Ps 54,13s), ut boni et longanimis qui contemnatur (Rom 2,4s), ut entis primi supremo adorationis honore colendi, quod potius inhonoretur (Rom 2,23s). Theologi dicunt uno verbo peccatum eo dirigi, ut Deum, si posset, destruat ³⁴; quod sane verum est, quatenus, cum nequeant esse homini simul duo ultimi fines, eo ipso quod peccans eligit creaturam vult virtute alium finem seu Deum non esse, ut accidit in omni peccato gravi; sed non quasi v.gr. peccatum *formaliter expressum* odii, negationis Dei, vel simile, non sit multo gravius alio, ubi expresse ea voluntas non effertur, imo nec modo conscio habetur.

Unde, posito eo Dei contemptu, cum malitia offensae crescat pro dignitate offensi, qui in casu sit infinitus, peccatum grave dicendum est esse malitiae saltem aliquantulum infinitae. Unde Pius XII: Deus... habet absolutum... ius ut ei obediatur... In sua culpabili determinatione homo negligit Deum..., praetermittit bonum infinitum, absolutam maiestatem et sic de facto se erigit supra Deum... At si paenitens redit ad subordinationem in maiestatem Dei... manet tamen in impossibilitate reparandi suis viribus propriis modo proportionato id quod actu suo fecit in Deum. Offendit et neglexit bonum absolute infinitum, ius absolute illimitatum, absolutam maiestatem. In gravitate culpae eius intervenit ita haec absoluta infinitas, dum totum id quod homo potest offerre... est essentialiter, intensive et extensive finitum, ut etiam in reparatione prorogata usque ad finem saeculi nullo momento posset ille pervenire ad aequalitatem—tantum quantum—inter exigentiam divinam et praestationem humanam ^{34*}.

Sed estne *infinita* illa malitia peccati gravis? Non agitur de actu peccati entitative sumpto, qui ut patet est finitus, nec de malitia peccati ex parte obiecti pravi, quod etiam est finitum,

³³ Cf. RUFFENACH, l.c., 1458.

³⁴ Cf. LESSIUS, l.c., c.28 n.197; MARITAIN, o.c., 175; JOURNET, *Le péché comme faute et comme offense*: EtCarm: Trouble et lumière (1948) 21-29; Id., *L'Eglise du Verbe Incarné*, 2 (Bruges 1951) 188-191; Id., *Le mal* (Bruges 1962) 198s; DEMAN, 158; HORVATH, l.c., 35-66; HUFTIER, *Le péché selon saint Thomas*: AmCl 70 (1960) 231.

^{34*} PIUS XII, Alloc. conventui Consoc. ex iuris peritis cath. Italiae: AAS 47 (1955) 76s.

sed de deformitate actus quatenus hic est contra Deum seu aversio a fine. Eam vero malitiam esse *simpliciter* infinitam affirmant aliqui (Coninck, Bernal, P.Hurtado) ³⁵, cum dignitas personae offensae sit simpliciter infinita; alii vero ut Suárez et maxime ex thomistis (Salmanticenses, Gonet, Billuart, Deman) dicunt eam malitiam esse solum *secundum quid* infinitam, seu ut offensae Dei sumpta non ex parte ipsius actus quae tendentis contra Deum, sed *ex parte termini* seu Dei offensi ³⁶.

Attamen: a) «Peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum» (*De malo* q.2 a.9 ad 5). «*Quamdā* [ergo non simpliciter] infinitatem habet, ex infinitate divinae maiestatis» (3 q.1 a.2 ad 2), fere ergo ut «beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, et B.Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habent quamdā dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus» (1 q.25 a.6 ad 4).

b) Praecipua malitia peccati mortalis, sine qua hoc non esset mortale, est contemptus ac proin vera offensae Dei; at peccata mortalia sunt diversae malitiae, ut inferius dicitur; ergo ea peccata diversa sunt ratione contemptus seu offensae Dei. Atqui non essent sic diversa, si essent malitiae simpliciter infinitae. Ergo non sunt talia.

c) Posita malitia simpliciter infinita peccati mortalis, hoc haberet vim conservandi indignationem divinam, etiam oblata infinita Christi satisfactione; quae nec esset superabundans.

d) Nihil volitum quin praecognitum, ergo pariter modus volendi sequitur modum cognoscendi. At Deum cognoscimus modo *subiective finito* et proin ad instar entis *obiective finiti*, cum obiectum non percipiatur a nobis nisi per formam conceptus subiectivi, qui, ut patet, in nobis finitus est ac proinde infinitatem obiecti non referens. Ergo Deum amamus vel odimus ut ipsum cognoscimus, seu modo finito et quasi ens finitum; ergo malitia peccati gravis, etiam ut contemptus seu offensae Dei, non est simpliciter infinita.

Secus etiam peccatum veniale esset malitiae simpliciter infinitae ex parte obiecti, seu Dei, quem ut terminum afficit.

Tamen *malitia peccati mortalis est secundum quid infinita*, ut omnes facile fatentur, seu maior omnibus aliis malis singulatum vel simul sumptis ³⁷. Nam istud peccatum, ut malum Dei,

³⁵ Cf. MENDIVE, n.216.

³⁶ SUÁREZ, *De vit. et pecc.*, disp.2 s.3; SALMANTICENSIS, *De vit et pecc.*, d.7 dub. § n.24; GONET, *De vit et pecc.*, d.9 s.6; BILLUART, *De pecc.*, diss.8 a.5; DEMAN, 158; cf. et HUFTIER, l.c., 230-233.

³⁷ Cf. SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d.2 s.3; *De incarn.* d.4 s.7; VÁZQUEZ, *In 3 d.2 c.3*; LUGO o.c., d.5 s.3. Notetur hanc solam malitiam infinitam *secundum quid*, non ergo illam *absolutam* ac simplicem, tribuere peccato communius magno thomistas (Caietanum, D.Soto, Naza-

qui contemnatur in sua lege ac in suis iuribus et proinde in dignitate infinita suorum attributorum est maius omni malo culpae, et omni poenae vel naturae malo creaturae etiam perfectissimae. Ideo unus Deus-homo potest pro eo *condigne* satisfacere. Et aliunde potest esse diversae gravitatis, cum malitia secundum quid infinita admittat magis et minus.

In concreto Deus puro amore vocat creaturam ad se seu ut ea Ipsum amet et in Ipso requiem iam nunc ac dein in aeternum inveniatur; peccatum vero eam vocationem reiciens, quae venit a Deo et ad Deum habendum, iure dicitur habere aliquam malitiam secundum quid infinitam. Ea vero ratio valerit in quolibet ordine (etiam naturae purae) etsi a fortiori valeat, ut patet, in nostro ordine supernaturali ^{37*}.

851. De peccato gravi ut offensa Dei. Cum peccatum inferat verum contemptum Dei, utpote cui creatura eo praeferatur, est, quatenus negative vel positive honor ipsi ut fini ultimo debitus aufertur, *offensa Dei* (D 174 788 1290) ³⁸; quae ceterum (nec de hoc agimus) sive semper (Suárez) sive numquam (Vázquez) sive solum raro (Lugo) ³⁹ sit *iniuria proprie dicta*, seu offensa in dominum *proprietas* qua talem, nec potius in dominum mere *ut legislatorem*.

Id facile patet ex parte peccati tam *formaliter* sumpti, cum eo explicite vel implicite inferatur Dei contemptus, quam *obiective* inspecti quatenus in ipsum Deum tendit. At sumptum mere *subiective* ex parte Dei estne offensa *stricta*, seu quam Deus *aegre ferat* et pro qua vindicanda vel poenam imponat vel satisfactionem exigat? Id quod nos hucusque ut indubium implicite supposuimus et quod a theologis unanimiter sine controversia ac sine ulteriore probatione tenebatur, recentius videretur ab aliquibus negatum esse, quatenus dicitur peccatum non esse malum Dei personale, quod ipsi aliquid auferat, et quod proin necessario vel saltem convenienter reparandum sit, sed solum esse malum hominis, quatenus est simplex negatio amoris ac obedientiae in Deum inferens amissionem gratiae in homine, cui ergo soli nocet, dum ipsum prohibet ab unione cum Deo, ita ergo ut redemptio non sit opus Christi ad reparandum honorem Dei laesum, sed ad salutem nostram seu ad

rium, Cabrera): cf. M.CUERO, O.P., *La gracia y el mérito de María en su cooperación a la obra de nuestra salud*: CiencTom 57 (1938) 512-515, qui ceterum putat eam esse opinionem Angelici.

^{37*} Cf. L.RICHARD, *Le mystère de la Rédemption* (Tournai 1959) 211s.

³⁸ Nec merito in eam denominationem peccati «offensa Dei» suscitatur dubia B.BARTMANN, *Die Erlösung. Sünde* (Paderborn 1933) 133: cf. A.DENEFFE, de eo opere agens: Schol 9 (1934) 299.

³⁹ SUÁREZ, *De incarn.* d.4 s.5 n.16; *De poenit.* d.2 s.3 n.6; *Disput. de iustitia* s.2 n.9-17; VÁZQUEZ, *In 1 d.85 c.4 n.24*; LUGO, *l.c.*, d.3 s.3 n.55, quem sequitur MENDIVE, n.218.

destructionem peccati in nobis (in manifestationem amoris) quam exigit sanctitas Dei ⁴⁰.

Si hae formulae aequivocae solum indicant peccatum Deo nihil *physicum* vel *morale auferre*, immo nihil *extrinsecum* cuius omissione Deus saltem moraliter pauperior fiat (ut homo cui debitus honor aufertur), omnino verae sunt. At si eae simul statuunt Deum erga honorem extrinsecum ipsi a creaturis debitum ita indifferenter se habere, ut eius vel denegationem vel violationem graviter non ferat, nisi quatenus peccatum est malum hominis morale quod Ipsius sanctitati repugnat, et ideo nec reparatione placandus sit, planae reiciendae sunt. Si enim amor hominis in Deum est quid extrinsecum Ipsi (honor in honorante), qui tamen eum benevole acceptat et aeterno praemio coronat, a fortiori nequit non offendi peccato, quod ex se tendit ad Ipsi nocendum *intrinsece* (etsi immutabilitas Dei hunc effectum impediatur: 1.2 q.47 a.1 ad 1) seu ad Ipsum divinis prerogativis privandum, imo virtute ad Ipsum destruendum, quatenus Ipsi creatura praefertur ut ultimus finis; dum eius leges in gubernatione mundi violantur et maxime dum amor quo se homini tradit ab hoc reicitur, ita ut peccato simpliciter detrahatur Deo gloria formalis seu honor ab homine Ipsi debitus et sic despiciantur omnia eius attributa, ut sapientia, dominium, iustitia, bonitas, etc. seu ipse Deus ut supremum bonum, benefactor, magister, testis, iudex. Verbo, id quod peccato Deus subiective offendatur et hominem ut inimicum respiciat donec strictam satisfactionem accipiat, est doctrinae catholicae adeo imbitum, ut difficile diceretur ad fidem non pertinere.

Id vero seu peccatum esse veram offensam Dei, quo, iuxta Huby, homo non didicit vivide ac perspicue nisi in iudaismo et christianismo ex lumine positivae revelationis ^{40*}, tradunt huius fontes semper ac hi Deum inducunt: vel quasi iratum in hominum peccata, vel placationis hostias exigentem, vel per Christum nos sibi reconciliantem, vel peccata dimittentem. Pauca eorum fontium documenta hic memorentur.

C.*Arausicanum* vocat peccatum Adae «offensam praeviationis». Per quam ex C.*Tridentino* eandem formulam bis repetente ille incurrit «iram et indignationem Dei» (D 788).

C.*Tridentinum* effert necessitatem paenitentiae in peccatoribus «ut... tantam Dei offensionem cum peccati odio... detes-

⁴⁰ Sic fere Y.DE MONTSCHÉUIL, S.L., *Leçons sur le Christ* (Paris 1949) 128s; P.SANSON, *Conférences...* (Paris 1927) conf.5 p.6-10; A.HAMMAN, O.F.M., *La Rédemption et l'Histoire du Monde* (Paris 1954), quos omnes exponit A.HACULT, ptre., *La satisfaction du Christ Jésus, a la lumière de l'encyclique «Humani Generis»*: StMontReg 3 (1960) 173-200. Formulas a Montscheuil expressas intelligit recto sensu E.QUARELLO, S.D.B., *Peccato e castigo nella teologia cattolica contemporanea* (Torino 1958) 88s et (sed quin librum eius legerit) MICHEL, *L'infinité du péché*: AmCl 70 (1960) 379s.

^{40*} J.HUBY, S.L., *Épître aux Romains* (Paris 1957) 244s.

tarentur» (D 894) et confessionem peccatorum «quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit» (D 900). Quae «cum... homines irae filios et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quaerere... dum... omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt» (D 899) et quidem non «sine magnis... fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia» (D 895).

Ceterum ut ipsi peccatores satisfactiones pro peccatis quibus «*Spiritus S. contristare non formidaverint*» offerant, «divinae iustitiae ratio exigere videtur», quae sunt «satisfactoriae poenae» inservientes etiam «ad amovendam imminens a Domino poenam» (D 904).

Unde satisfactiones quas iis sacerdotes imponunt sunt «etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem» (D 905).

Sacrificium missae docet S.Synodus «vere propitiatorium esse pro ipsumque fieri, ut, si... cum metu et reverentia contriti ad Deum accedamus, misericordiam consequamur... Huius quippe oblatione placatus Dominus... peccata etiam ingentia dimittit» (D 940 950).

PAULUS IV docet «Iesum Christum... acerbissimam crucis subiisse mortem, ut nos a peccatis... redimeret et Patri ad vitam aeternam reconciliaret» (D 992)⁴¹.

ALEXANDER VIII damnavit eam opinionem de peccato philosophico, quod «est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum» (D 1290).

LEO XIII: «Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulativissime pro hominibus... satisfecit... Cum delessent Iesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis..., continuo quiescere caelestes irae; conturbato... hominum generi... Dei reconciliata voluntas»⁴².

PIUS XI: «Peccatores enim cum simus omnes multisque onerati culpis... Deo iusto vindicti satisfaciamus oportet pro innumerabilibus peccatis... nostris... Et sane iam ab initio communis illius expiationis debitum quasi agnovere homines et Deo sacrificiis vel publicis placando, naturali quodam sensu ducti, operam dare coeperunt»⁴³.

PIUS XII agens de quibusdam novitatibus theologicis: «Peccati originalis notio... pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae» (D 2318).

Idem Pontifex occasione peccatorum actualium petit a fidelibus orationes ac poenitentiae «ad propitiandam tot tantisque iniuriis offensisque laesam, divinam maiestatem»⁴⁴.

Ex S.*Scriptura* sufficiat haec notare: Petimus a Deo «dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris» (Mt 6,12), ita ut Deus exigat «universum debitum... si non remiseritis unusquisque fratri suo» (18,21-35). Est inexcusabilis qui Deum cognoscens «non sicut Deum» glorificat aut Ipsi gratias agit, sed vertit se ad creata (Rom 1,21-23). Peccatum est inobedientia (5,12-19). Hominem facit inimicum Dei (Col 1,21) filium irae divinae (Eph 2,3), cui nisi resipiscat reddetur «in die irae... ira et indignatio» (Rom 2,6-8). Sed habet «redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius» (Eph 1,7) et Deus eum sibi reconciliat (Rom 5,10; 2 Cor 5,18-21).

Pariter constat ex *traditione*. S.IUSTINUS: «Omne humanum genus maledictioni obnoxium reperietur... Igitur si pro hominibus ex omni genere suum etiam Christum Parens universorum maledictiones omnium in se suscipere voluit...» (R 140). S.IRENAEUS: «[Deum] in primo quidem Adam offendimus, non facientes eius praeceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus... Eramus debitores... illi cuius et praeceptum transgressi fueramus...» (R 255).

Ratio theologica. Peccatum et displicet Deo, cum bonitati eius repugnet; et est actus quem ipse graviter ferre debet, cum sit transgressio praecepti sui ac auferat honorem ipsi a creatura rationali tribuendum; et ideo est actus quem ipse sub culpa ac poena prohibeat. At communi hominum sensu nemo plus his ad rationem verae offensae exigit.

Si fini ultimo debetur omnis honor a creatura rationali libere praestandus, Deus iure censendus est liberam illius honoris denegationem graviter ferre et pro hac satisfactionem exigere⁴⁵.

852. De diversitate gravitatis peccatorum mortalium. Cum peccatum formaliter sit in aversione a Deo et haec sit in indivisibili, videntur omnia peccata mortalia esse eiusdem malitiae quoad gravitatem. At contrarium *ex fide divina et catholica* tenendum est.

C.*Tridentinum* dicit de confessione sacramentali apud sacerdotem instituenda: «Constat enim, sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat... peccata declarassent... Colligitur prae-

⁴⁴ Encycl. *Orientalis Ecclesias*: AAS 45 (1953) 13. Cf. et supra n.850 ac 854 in fine.

⁴⁵ Cf. J.SOLANO, S.I., *Actualidades cristológico-soteriológicas*: EstEcl 24 (1950) 46-63; SALMANTICENSIS, d.7 dub.2; JOURNET, l.c., 25-29; DEMAN, 158; MICHEL, *L'infinité...* 379s; HAGALT, l.c., 77-98; de S.*Scriptura* S.LYONNET S.I., *De Peccato et Redemptione* 1 (Roma 1957); E.BEAUCAMP, *Péché*: DBS 7 (1962) 419-454; LIGIER, o.c., 41-52.

⁴¹ Haec confirmavit Clemens VIII: cf. J.RIVIERE, *Rédemption*: DTC 13,1920.

⁴² Encycl. *Tametsi futura*: ASS 33 (1900-1901) 275.

⁴³ Encycl. *Miserentissimus Redemptor*: AAS 20 (1928) 169s.

terea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, quod sine illis... fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint et poenam, quam oportet, pro illis paenitentibus imponere» (D 899).

Io 9,11: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Mt 11,21s: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida... Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis* (Mt 5,22; 12,31; Lc 12,47; Act 3,17; Iac 1,14s).

SS. Patres idem docent exponentes illos textus, vel contra haereticos. S. BASILIUS: «Puto autem omnes... pari modo a iusto iudice non esse iudicandos... Nam earum rerum concursus quae in nostra non sunt potestate, sed nos circumdant vel invitos, aut aggravat peccata nostra aut efficit leviora. Ponas enim de stupro ferri iudicium. Sed qui id admisit peccati, pravis erat ab initio institutus moribus, nam ex impudicis parentibus natus erat, et in flagitiorum consuetudine educatus... Contra aliquis alius quem plurima ad optima quaeque sectanda invitabant, educatio, magistri..., victus moderatus: is si dein in simile peccatum ac alius delapsus est, nonne... poenas graviores quam alter iure optimo dabit?» (R 957).

S. AUGUSTINUS: «Hic [Iovinianus] omnia peccata, sicut Stoici philosophi, paria esse dicebat» (R 1975; cf. 1442). S. HIERONYMUS: «Audebisne igitur dicere sic negasse Petrum et ceteros apostolos qui fugerunt, quomodo Caiphan... et clamantem populum: Crucifige, crucifige?... Eiusdemne tibi sceleris videbitur reus Annas et Caiphas... cuius et Pilatus, qui nolens...?» (R 1381).

Ratio theologica: 1) Peccatum, cum sit actus voluntarius admittit gradus pro diversa voluntarietate, quae dependet a diversitate deliberationis plus vel minus perfectae et a plus vel minus forti, brevioris vel diuturnioris, conatu voluntatis.

2) Cum peccatum semper retineat aliquid de ordine rationis, admittit gradus ex parte oppositi remanente, ita ut quo plus de actus rectitudine tollatur, eo longius a fine recedatur et sic gravior peccetur (1.2 q.73 a.2; cf. *De malo* q.2 a.9)^{45*}.

Nec obicitur: a) Malitiam peccati esse simpliciter infinitam. Nam diximus eam esse solum secundum quid infinitam, et sic admittit gradus pro diversa cognitione finis ultimi dum peccatur.

b) Aversionem a fine esse in indivisibili. Nam, etsi ita est prout dicit privationem conversionis ad finem, admittit gradus prout positivam oppositionem ad istum dicit; ratio enim mali est in aversione, non ut in se directe voluntaria, sed ut inhaerente prosecutioni alius boni; ad quo magis hoc opponitur conversioni in ultimum finem, vel quo intensioris adhaesionis est conversio ad creaturam, eo magis receditur a Deo.

c) Omnia peccata pariter opponi caritati. Nam ei opponuntur alia directe v.gr. odium Dei, alia indirecte et quidem plus minus pro varia oppositione boni quaesiti ad summum diligibile, ut sunt ea in quibus, sine formali odio Dei, appetitive plus ipso diligitur creatura; quod sane plures gradus admittit, cum v.gr. aliqua obstant immediate officiis in Deum (fidei, religioni), alia officiis in homines, etc.

Gravitas peccati augetur: a) Ex specie peccati, ac proin ex obiecto, prout hoc sit ipse Deus vel proximus et quidem in maiore vel minore huius privatione boni (*De malo* q.2 a.10; 1.2 q.73 a.3). b) Ex adiunctis aggravantibus sive in eadem specie sive in diversa (*De malo* q.2 a.7; 1.2 q.73 a.1). c) Ex voluntarietatis gradu, ceteris paribus, diverso prout peccatum sit vel ex

^{45*} F. SKODA, *Materia grave e peccato nell'etica naturale*: FilVi 1 (1962) 52-56 contra Berghin-Rosé, cui non videtur possibilis sine revelatione, extra peccata directa contra Deum, determinatio praesentiae materiae gravis requisitae ad peccatum grave, ostendit id admittentem existentiam Dei finis ultimi esse possibile theoricè et practice.

aliqua ignorantia (vincibili) vel ex infirmitate (sic saepe peccatum luxuriae) vel ex malitia (Lc 12,46s; Act 3,17; Iac 1,14; R 2314)⁴⁶.

853. De diversitate specifica peccatorum mortalium. In quaestione superiore statuebatur diversa peccatorum gravitas sine ulteriore determinatione, ita ergo ut ea etiam in una specie peccatorum dari possit v.gr. pro maiore vel minore deliberatione qua fit homicidium; ergo, iuxta eam, una eademque malitia potest diverso gradu esse. Nunc vero additur malitiam peccatorum, non remotam qua omnia sunt aversio a Deo, sed proximam, seu qua peccata a lege aeterna deviant, posse esse essentialiter diversam in diversis peccatis. Id est *de fide divina et catholica implicite definita* (D 899 917).

C. Tridentinum: «Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant» (D 899; cf. 917).

1 Cor 6,9s: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Gal 5, 19-22; Eph 5,5; Rom 1,28-31⁴⁷.

Potest enim homo tendere in obiectum prohibitum specificè diversum vel in se ipso (v.gr. obiectum aut luxuriae aut odii) vel ratione finis intenti (v.gr. si quis furetur ut alium occidat, ut se inebriet) vel ob actus adiuncta (v.gr. si quis rapiat pecuniam Ecclesiae); at sic committit peccata specificè diversa (1.2 q.72 a.1; q.73 a.3).

Ergo peccata specificè differunt inter se, non ratione aversionis a Deo, sed ratione conversionis ad creaturas saltem formaliter diversas, utpote qua inducatur diversa actus deformitas positiva.

Differentia specifica repetitur: iuxta S. Thomam, ex obiecto formaliter diverso, cum actus humanus speciem ab obiecto sumat (1.2 q.72 a.1); iuxta Scotum, ex virtutibus diversis quibus peccata opponuntur, cum privato rectitudinis speciem sumat a forma opposita, seu hic a virtute; iuxta Vázquez, ex legibus diversis quibus peccata obstant, cum peccatum sit in deviatione a lege quae eo violatur⁴⁸. At haec tres rationes distinguendi peccata non differunt inter se quoad rem, sed potius mutuo perficiuntur; nam, cum et virtutes differant pro diversis obiectis et leges pro diversis virtutibus quas respiciunt, peccata proxime a legibus et consequenter a virtutibus, remota ab obiectis specificantur⁴⁹.

854. De causis peccati mortalis. Peccatum, cum sit actus voluntarius deordinatus, causam habet et directam, ut entitas positiva, et indirectam, ut est privatio. Causa proxima, ut patet, est homo ut principium quod, libera vero voluntas cum eius naturali defectibilitate ut principium quod (1.2 q.74 a.1s)⁵⁰, ei praeeunte ratione et praevis cognitione ac appetitu sensitivis. At quanam sunt causae quasi remotae seu, quibus positus, movetur ad peccandum?

⁴⁶ De voluntarietate peccati sub impulsu passionis admissi, cf. H.D. NOBLE, O.P., *La responsabilité passionnelle*: RevScPhTh 18 (1929) 432-448; Id., *Le tempérament passionnel d'après S. Thomas*: RevThom 13 (1930) 97-127; Id., *Le péché de passion*: ibid., 329-353; A. PEINADOR, C.M.F., *Responsabilidad moral del acto pasional*: MiscCom 16 (1951) 181-222.

⁴⁷ De his catalogis, cf. A. VOETEGLE, *Die Tugend- und Lasterkataloge in Neuen Testament* (Munster 1936); LAGRANGE, *Le Catalogue des vices dans l'Épître aux Romains* (1,28-31): RevBibl 8 (1961) 534-549.

⁴⁸ SCOTUS, In 2 d.37 q.1 n.9; VÁZQUEZ, In 1.2 d.98 c.2.

⁴⁹ Cf. H. NOLDIN-A. SCHMITT, S.I., *Summa theologiae moralis* 1 (Barcelona 1945) n.304; V. RODRÍGUEZ, l.c., 80-86. Cf. tamen LUMBRERAS, n.49.

⁵⁰ Cf. J.H. NICOLAS, O.P., *La grâce et le péché*: RevThom 45 (1939) 58-90; quem partim sequitur et complet C.J. GEFFRÉ, O.P., *La possibilité du péché*: RevThom 57 (1957) 213-245. De causis peccati in genere cf. DEMAN, 191-210.

1) *Internae* seu in homine, quae revocantur ut ad radicem ad inordinatum sui amorem (1.2 q.77 a.4) et proinde ad superbiam⁵¹:

a) Ex parte rationis, *ignorantia*, seu privatio scientiae saltem plenae, *vincibilis* seu morali diligentia superabilis (de qua una potest esse hic questio) dicitur causa peccati ut removens prohibens (*De malo* q.3 a.6s) seu quatenus removet scientiam, qua posita, peccatum non fieret⁵². At si res bene perspicitur, ea procedit aut ex malitia, et est directe ac in se volita seu affectata, aut ex passione, seu est indirecte volita, si ob pigritiam, respectum humanum vel aliam passionem non superetur, ita ergo ut ignorantia formaliter qua talis numquam sit causa peccati. Immo, idem fere dicendum de ea cuilibet peccato annexa circa actus malitiam inconsideratione mentis, qua peccans quaerit beatitudinem extra virtutis exercitium (1.2 q.75 a.2; q.76 a.4 ad 1; q.77 a.2; q.78 a.1).

Nihil tamen impedit quin simpliciter dicatur *ignorantia* (vincibilis) esse causa immediata in peccatis *ex ignorantia*; etiam in peccatis *ex passione* seu infirmitate dari semper, ut videtur, aliquis error vel ignorantia, quatenus intellectus ob vim passionis nequeat obiectum passionis non respicere et sic in iudicio rationis perturbari distractione attentionis vel aliter; immo etiam in peccatis *ex malitia* esse, ut videtur, eiusmodi error, cum eorum radix mediata videantur esse passiones; ita ergo ut in *omni* peccato sit, *saltem moraliter loquendo*, aliqua inconsideratio, quae sit quasi origo peccati, non tamen prima, sed quae, ut facile omnes dabunt, in defectum voluntatis reducatur⁵³.

b) Ex parte appetitus sensitivi, *concupiscentia* vel passio generice sumpta seu appetitus boni sensibilis contra dictamen rationis; qui movet ad peccatum, non directe, seu actuans ipsam potentiam voluntatis, cum id appetitui sensitivo repugnet, sed indirecte seu inducens dispositionem qua voluntas moveatur ad peccatum, sive quia, ob radicationem in una anima, quo appetitus sensitivus vividius tendit in suum obiectum, eo minus intense operatur voluntas in suum bonum, sive quia ille appetitus excitans imaginationem impedit firmum iudicium rationis (1.2 q.77 a.1). Quatenus anima sic a sua operatione impeditur appetitu sensitivo, peccare dicitur *ex infirmitate*, quae sane potest dici causa omnis peccati in natura lapsa (1.2 q.77 a.3)⁵⁴.

At nullo modo esse dicendum putamus, quemlibet motum concupiscentiae, etiam primo primum, esse aliqua peccatum veniale⁵⁵.

c) Ex parte voluntatis, *malitia*, si voluntas peccat ex seipsa, seu nulla praevia ignorantia et nulla impellente passione, cum plena advertentia et pleno consensu v.gr. ex ignorantia affectata, passione libere excitata, habitu voluntario (1.2 q.78 a.2s; 2.2 q.156 a.3; *De malo* q.3 a.13).

2) *Causae externae*. a) *Homo*: remote Adam, qui peccans homines perfecta appetitus sensitivi subiectione privavit; proxime mundus seu per-versi homines pravo exemplo, verbo, etc. alios ad peccandum moventes.

⁵¹ Cf. NOBLE, *De possibilitate peccati ex parte nostri* (Romae 1925) 203-210; A.PACIOS, M.S.C., *Teoría del acto final*: Cris 4 (1957) 28-32; Id., *El orgullo en su relación con el pecado y la condenación del alma*: Cris 5 (1958) 21-30; HUFTIER, *Sur l'orgueil*: AmCl 71 (1961) 187s.

⁵² Cf. LUMBRERAS, n.128-140.

⁵³ Cf. V.CATHREIN, S.I., *Utrum in omni peccato occurrat error vel ignorantia*: Greg 11 (1930) 553-567; SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d.5 s.1 n.8-13, qui tamen ibi ostendit, non necessario praecedere in intellectu aliquem errorem vel speculativum vel practicum vel aliquam inconsiderationem speculativam tamquam originem peccati.

⁵⁴ Cf. LUMBRERAS, n.145-159; PACIOS, *El orgullo...* 45-59; J.DE GOITIA, O.F.M., *La «carnes y la «ley» como causas del pecado en la teología paulina*: VerVid 16 (1958) 339-356.

⁵⁵ Aliter tamen MICHEL, *La tentation serait-elle déjà un péché?*: AmCl 64 (1954) 42-45. Cf. R.A.COUTURE, O.M.I., *L'imputabilité morale des premiers mouvements de sensibilité de Saint Thomas aux Salmanticensis* (Roma 1962), ubi indagatur ea doctrina apud auctores ex s.13 ad finem s.17. Nec dicendum est cum quibusdam antiquis in qualibet delectatione sensuali qua tali, etiam in matrimonio, esse peccatum: cf. D.LINDNER, *De usu matrimonii*. *Seine sittliche Bewertung in der kath. Moraltheologie alter und neuer Zeit* (München 1929) p.68.

b) *Daemon* nequit directe consensum humanae voluntatis elicere vel hanc ad *necessario* peccandum cogere (1.2 q.9 a.6; 3 CG 88) vel ei obiectum proponere *necessario* ad peccatum trahens (1.2 q.80 a.1); at potest illam ad id *indirecte* movere sive exterius agens obiectis vel verbis in sensus sive interius excitans phantasiam et appetitum sensitivum (cf. n.362)

c) *Deus* est directe causa peccati ut actus *positivi*, at ne indirecte quidem ut *privationis* seu formaliter qua peccati (1.2 q.79 a.1s; cf. 1 q.44 a.1); sed *Deus* est occasionalis et permissiva causa peccati, quatenus sapienter ac iuste agens non semper dat, in poenam aliorum peccatorum, gratias efficaces vel aliquas proxime sufficientes ad removendum peccatum, vel quatenus non semper subtrahit occasionem peccandi, immo quatenus ipse occasiones peccandi sive internas sive externas, etiam praevidens peccata secutura nec illa intendens, parat (1.2 q.79 a.1.3s)^{55*}.

d) *Peccatum* potest ut origo alius peccati maxime respici, quatenus obiectum unius peccati in finem alius ordinatur; sic potest dici avaritia esse radix multorum peccatorum (1.2 q.84 a.1; cf. 2.2 q.119 a.2 ad 1), superbia initium omnis peccati (a.2), haec et alia esse peccata *capitalia* seu capita et fontes seu quasi principia aliorum peccatorum *faucitria*; quibus nempe homo ad plura alia peccata committenda movetur (1.2 q.84 a.1-4; *De malo* q.8-15)⁵⁶.

Corollarium. *De frequentia peccati mortalis.* Cum ad peccatum grave requiratur et materia gravis et plena deliberatio ac perfectus consensus, videretur illud sat raro committi. At Magisterium et praxis Ecclesiae supponunt ea sat frequenter haberi. Nihil tamen obstat quin multa, quae specie tenus essent peccata gravia, coram Deo vel levia vel forte nulla fuerint.

Unde reicienda est quaelibet opinio tenens peccata, maxime in re sexuali, esse sat rara ob defectum libertatis internae complexibus passionum irritatae⁵⁷.

N.B. Ut *culpa proprie gravis* detur, sufficit ut agens clare cognoscat suum actum esse contra legem divinam, quin requiratur expressa intentio offendendi Deum vel frangendi amicitiam cum Ipso, vel similia, cum ea omnia includantur saltem confuse intentione violandi legem Dei.

Id emphatice sic quoad sensum exprimit Pius XII: In re morali dictum est dari inimicitiam Dei, amissionem vitae supernaturalis, gravem culpam sensu proprio, solum si actus imputabilis ponitur non mere cum ea clara notitia quod sit contra legem Dei, sed et cum expressa intentione offendendi eo Dominum, frangendi unionem cum Ipso, denegandi Ipsi amorem. Secus homo non vult frangere amicitiam cum Deo et actus nequit ei nocere, verbi gratia, multiplex actus contra sextum praeceptum non esset culpa gravis fidei volenti servare suam communionem ac amicitiam cum Deo. Mira solutio! Quis non videt actum clare cognitum ut contra praeceptum Dei non posse

^{55*} Cur Deus permittit peccatum? Cf. v.gr. HUFTIER, *Le péché selon S.Thomas*: AmCl 70 (1960) 234s.

⁵⁶ Cf. CARTON DE WIART, n.104-115. De influxu diaboli et peccati originalis in peccata actualia iuxta Augustinum, SEYBOLD, o.c., c.3; RUBIO, l.c., 52-58, 62-64.

⁵⁷ E.G., *Le péché mortel est-il rare?*: AmCl 64 (1954) 300s; *Masturbation et responsabilité*: AmCl 67 (1957) 348; R.CARPENTIER, S.I., *Condamnation de l'ouvrage de Marc Oraison «Vie chrétienne et problèmes de la sexualité»...*: NouvRevTh 77 (1955) 197-200; A.STÉVAUX, *Psychologie et Morale: le sens du péché*: RevDiocT 11 (1956) 289-293; J.RIMAUD, *Les psychologues contre la Morale*: Et 263 (1949) 3-20; J.P.SCHALLER, *Psychologie et liberté*: Ang 36 (1959) 3-25; E.GARRIGOU, *Malice objective ou subjective du péché*: AmCl 71 (1961) 185; utilis forte etiam W.VON SIEBENTHAL, *Schuldgefühl und Schuld bei psychiatrischen Erkrankungen* (Zürich 1956); Pius XII, *Nunt. radioph.*: AAS 44 (1952) 275: *De conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda*: «Respingiamo quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano inevitabili le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, quasi che non siano colpa grave, perchè ordinariamente, essi agiscono, la passione toglie la libertà necessaria, affinché un atto sia moralmente imputabile».

dirigi ad unionem cum Ipso praecise quia continet aversionem animi a Deo eiusque voluntate destruentem amicitiam cum Deo? Nonne docent fides ac theologia omne peccatum esse offensam Dei et tendere ad Ipsum offendendum, quia intentio ei insita est contra voluntatem Dei expressam praeccepto violato? Homo assentiens fructui vetito dicit «non» Deo vetanti; cum anteponit se vel suam voluntatem legi Dei removet a se Deum ac divinam voluntatem: in quo est aversio a Deo et intima essentia culpae gravis. Malitia actus humani venit ex sua deviatione a sua duplici regula sc. sive proxima seu humana ratione sive prima seu lege aeterna, quae est ut ratio Dei illuminans conscientiam humanam ad distinctionem boni et mali. Verus fidelis non ignorat intentionem tendentem ad obiectum culpae mortalis non posse separari ab intentione violandi voluntatem ac legem divinam et frangere omnem amicitiam cum Deo⁵⁸.

CAPUT III

De affectibus peccati actualis mortalis

855. Cum peccatum sit operatio et quidem mala, pro ducit sine dubio aliquid et quidem in ordine sive *physico*, cum sit actus positivus, et *moralis*, cum formaliter eius ordinis sit. Quid vero est illud? Imprimis quaeritur de effectu morali, dein de physico. Ille vero est duplex *debitum*, nempe et *reatus culpae*, seu id quo peccator dignus est qui sustineat Dei inimicitiam ac odium, et *reatus poenae* seu debitum poenae luen dae ob peccatum. Primo ergo agetur de culpae reatu, qui et *peccatum habituale* dicitur.

ARTICULUS I

DE PECCATO HABITUALI MORTALI

856. **Notio.** PECCATUM HABITUALE est inordinatio moralis quolibet peccato animae relicta.

Etsi enim non maneat ipse actus peccati physicus, manet tamen moraliter malitia, qua ille est formaliter peccaminosus quaque homo constituitur *habitualiter* peccator. Non ergo est formaliter ipsum peccatum actuale physicum, sed *effectus* eius, *praecipuus* tamen ac *immediatus*, et proin unum quid moraliter cum illo constituens, ita ut, si ab hoc praescindatur, ratione

⁵⁸ PIUS XII, *Allocutio ad Parochos Urbis...*: AAS 36 (1944) 73s; E.G., *Le péché mortel est-il rare?*: AmCl 64 (1954) 300s; E.GARRIGOU, *Malice objective ou subjective du péché*: AmCl 71 (1961) 185s. Ergo non est insistendum, ut C.STOCKFORD, *Sin, Hell and Sacraments*: DownsRev (1963) 22, quasi ad sensum religiosum magis efferendum, in eo quod peccatum non sit tam violatio legis quam actus contra Deum, seu reiectio Dei, nam ex dictis ipsa violatio legis est formaliter actus contra Deum.

peccati careat; mere enim *denominative* ab hoc est liberum et imputabile in culpam.

Dicitur *habituale*, quia est aliquid, non actu transiens ut actuale, sed permanens, ergo se habens instar habitus vitiosi. Non est tamen habitus, a quo sane differt, cum quemlibet actum peccaminosum consequatur, nihil physicum sit in anima, desinat esse remissione peccati; dum habitus praecise repetitione actuum generatur, est physica dispositio in potentia peccatrice, non raro manet etiam remisso peccato.

Cum actus peccati nequeat fieri *infectus*, vel etiam quatenus primam innocentiam non servavit aliquis, potest etiam iustificatus dici *improprie* peccator (habitualis).

Ea notio peccati habitualis convenit etiam veniali; at hic agitur solum de mortali, quod secum fert et offensam divinam, a qua respicitur ut culpa et dicitur *reatus culpae*, prout nempe peccans est reus offensae divinae gravis, et internam moralis decoris animae privationem, a qua dicitur *macula animae*.

857. **EXISTIT PECCATUM HABITUALE.** Id docent implicite fontes semper ac quocumque modo supponunt hominem qui actu peccavit habere peccata sibi remittenda v.gr. ubi memorant nostram a peccatis redemptionem per Christum, peccata sacramentis remitti, etc., ubi illa vel similia asserta habentur (v.gr. D 798-800 802 805 807 839 880 894-904 911 913-920 923 1056-1058), et proinde est *de fide divina et catholica implicite definita*.

Scriptura idem docet sive supponens in genere esse peccata permanentia (1 Io 3,5: *Apparuit ut peccata nostra tolleret*; Mt 12-31; Io 1,29; 9,41; 15,22.24; 19,11) sive efferens debitum culpae in Deum (Mt 6,12: *Dimitte nobis debita nostra*; Mt 5,45; 1 Cor 6,20; 1 Petr 1,18s; 3,18; Iac 4,4) sive memorans maculam peccati (Ez 36,25: *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; 14,4; Is 4,4; Ios 22,17; Eccli 47,22; Ps 50,4; Ier 2,22; Eph 5,27).

SS.Patres peccatorem inducunt: a) Ut peccati reum, donec illi hoc remittatur: «Peccatorum, quae manere non possunt, quoniam cum fiunt praetereunt, reatus tamen manet, et, nisi remittatur, in aeternum manebit...» (S.Augustinus R 1873 1912). b) Ut recedentem a vera vita: «Omnis qui peccat moritur...» (R 1828; S.Gregorius Nyss., R 1030), ita ut foetore *mortis* afficiatur: «Discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum foetor...»¹

¹ Cf. S.PETRUS CHRYSOLOGUS, *Serm.* 19: ML 52,25s.

Ratio theologica. 1) Peccans, dum Deo creaturam praeferat, ipsi, utpote cui rem indigniorem praeponit, gravem offensam infert. At offensa alicui illata censetur moraliter perdurare, donec rite reparata condonetur. Ergo peccatum moraliter manet, donec reparatum condonetur.

2) Peccans se avertit a Deo. Ergo, donec ad ipsum convertatur, censetur ab eo aversus manere.

858. In quo consistit formaliter peccatum habituale?

Si posito physico peccati actu, hic qua physicus non manet, quid est formaliter illud homini intrinsicum, quo hic dicitur habitualiter peccator? En obscura quaestio, cui non unum responsum datum est.

1. Est *habitus vitiosus*, quo anima fit Deo exosa. Hanc opinionem, quam Lugo citat quin ullum pro ea memoret auctorem, Gregorio Ariminensi tribuit Salas et in genere refert Pesch ad eos auctores antiquos ponentes peccatum originale in concupiscentia².

At id admitti nequit, cum peccatum actuale *semper* inferat peccatum habituale et non necessario habitum vitiosum; cum hic physice actibus contrariis tolli queat, non vero peccatum habituale, et cum, etiam hoc remisso, ille saepe maneat; cum secus et Deus esset auctor peccati formaliter sumpti.

2. Est *reatus poenae* seu debitum poenae sustinentiae relictum ex actu peccati. Sic Scotus et plures alii antiqui quos citat Salas quique tamen in diversas rei explanationes disperuntur³.

At nec id est admittendum, cum, remisso peccato habituali, maneat plerumque reatus poenae (temporalis); ea, in qua Scotus illud debitum ponit, deputatio hominis per Deum ad poenam non est aliquid peccatori intrinsicum, quale est peccatum.

Debitum vero poenae *radicale* (non ergo mere actuale seu ordinatio actualis ad poenam) ut alii volunt, seu radicalis dignitas poenae, manere potest, dimissa culpa; nec consonat tridentinae distinctioni inter culpam ac poenam aeternam quae simul remittantur (D 807) et inter remissionem culpae ac remissionem poenae sive aeternae sive temporalis (D 840).

3. Est «peccatum actuale (physice praeteritum, sed) moraliter perseverans in ordine ad reddendum hominem rationaliter Deo exosum; fundamentum autem huius perseveran-

² LUGO, *De poenit.* d.7 s.1 n.3; I.SALAS, *Disput.* t.2 tr.13 d.14 s.3 n.6; PESCH, 9 n.500.

³ Cf. SALAS, l.c., n.9. Sic pro Scoto (*In* 4 d.14 q.1 n.6s) peccatum habituale est deputatio divina peccatoris ad poenam pro peccato: cf. N.KRAUTWIG, O.F.M., *Die Grundlagen der Busslehre des J.Duns Scotus* (Freiburg i. Br. 1938) p.178; CALETANUS, *In* 1.2 q.113 a.2 n.8s. De progressu notionis peccati habitualis apud antiquos scholasticos cf. A.M.LANDGRAF, *Die Lehre von der Sünde und ihren Folgen* 2 (Regensburg 1955) c.2.

tiae moralis est peccasse hominem et non satisfacisse condigne nec Deum offensam condonasse; quibus positis, prudenter censetur peccatum praeteritum aequivalenter durare, nec minus reddere hominem reum odii Dei, quam si actu existeret physice voluntas peccandi».

Nam ex actuali peccato resultat Deo ius et condignae punitionis peccatoris et condigni odii in eum, seu iustae indignationis ac iustae aversionis ab ipso ratione offensae: cui iuri aversionis potest cedere Deus vel per condignam satisfactionem vel mere per condonationem. Ergo peccatum habituale intrinsicè constat ex peccato actuali praeterito, negatione satisfactionis condignae, negatione condonationis Dei, quorum trium vel uno deficiente, desinit illud esse. In hoc ergo ordine privatio gratiae sanctificantis non est nisi poena peccati habitualis. Sic Lugo, alii⁴.

Si haec opinio teneat peccatum mortale *actuale* esse formaliter in aversione a Deo, nihil aliud dicit quoad rem nisi peccatum habituale formaliter esse in habituali aversione a Deo, cum in ea hypothese id quod fundat ius divinum et indignationis et punitionis non sit nisi illa aversio. Quo posito, ea opinio non differt quoad rem, nisi forte quoad modum loquendi, ab opinione a nobis inferius statuenda.

Si vero ea stat in hypothese quod peccatum actuale sit positiva tendentia in malum, habet incommoda illius opinionis ponentis peccatum actuale mere in positivo (n.847).

4. Est *gratiae sanctificantis voluntaria* ex peccato actuali *privatio*; at prout haec est demeritorie ab homine, dum prout est a Deo rationem poenae habet⁵.

At haec notio peccati id habet incommodi, quod habituali peccato naturae purae non conveniat et ideo ipsam peccati habitualis essentiam, quae sine dubio una semper et ubique sit, non vere attingit.

5. Est *in habituali a Deo aversione* ex parte hominis, prout ea est denominative voluntaria ex peccato actuali. Nam homo qui graviter non peccavit, censetur esse moraliter conversus ad Deum et sic in quadam cum ipso amicitia esse; peccans vero ponit actum physicum cui annexa est inordinatio moralis, quatenus homo se ad creaturam convertens, abrumpit illam sui ipsius conversionem ad Deum seu avertit se a Deo; qua praecise aversione, soli homini eam *active* inducenti voluntaria, constat formaliter peccatum mortale actuale. Sic iure

⁴ LUGO, *ibid.* d.7 s.5 n.48-51; R.ARRIAGA, *De vit. et pecc.* d.49 s.2-4; RIPALDA, *De ente supernaturali* d.132 s.21-23; WIRCEBURGENSES, n.66s.

⁵ Sic thomistae in genere v.gr., BILLUART, *diss.* 7 a.2 § 2.

dicitur homo seipsum conversione ac ordinatione ad Deum voluntarie privare.

Iam vero ex duplici elemento peccati actualis, actus qua physicus est natura sua transiens; at manet connaturaliter aversio illi actui annexa, quae ex isto est denominative voluntaria, donec ea auferatur nova conversione. In ea ergo habituali aversione ut ab ipso homine *voluntarie* inducta consistit peccatum habituale.

Illa vero aversio sumpta ut ex parte Dei seu *passive*, quatenus homo peccans a Deo *abicitur* ut inimicus, est poenalis effectus aversionis *active* sumptae; ergo est non culpa, sed formaliter poena. Sic posset dici homo, quantum est ex parte Dei, privari conversione ad Deum seu amicitia illa divina.

Ulterius vero, si aversio a Deo *active* sumpta est *privatio* activa *conversionis moralis* ad Deum, haec censetur *vinculo quodam morali* constitui, cuius privatione fit illa aversio. Hinc peccatum habituale pariter dici potest esse in *privazione* (quantum est ex parte hominis) illius *vinculi moralis* (qualecumque illud sit) quo homo peccato carens censetur cum ultimo suo fine *moraliter* connecti.

Immo fieri potest ut istud *vinculum* sit *physico-morale* seu entitas ordinis physici, at quae simul sit etiam ordinis moralis seu hominem cum ultimo suo fine coniungat. In hac oeconomia illud vinculum est *gratia sanctificans* seu entitas physico-moralis, quae qua physica est merum animae ornamentum, at qua moralis est vinculum essentielle unionis inter hominem et suum finem ultimum. Hinc nihil impedit, quin peccatum habituale in hac oeconomia etiam definiatur ut *privatio* (quantum est ex parte hominis) *gratiae sanctificantis* ut entitatis *moralis*. Eadem privatio ex parte Dei, seu *passive* sumpta, est poena peccati.

859. Haec ergo opinio, quod peccatum habituale sit in habituali hominis a Deo *activa* aversione modo exposito sumpta, videtur nobis esse omnium *probabilissima*, ut patet ex hucusque dictis ⁶.

Si enim peccatum *actuale* est *actus voluntarius* quo homo se a Deo *avertit*, peccatum *habituale*, utpote quod sit illius terminus permanens, nequit esse nisi *status aversionis* hominis a Deo ut *ex actu voluntario* procedens.

Et sane ea explicatio valet *pro omni ordine*, cum semper dici possit peccatum habituale *formaliter* esse habitualis aver-

⁶ Sic fere SUÁREZ, d.8 n.9-15; *De gratia* l.7 c.19 n.14-23; c.20 n.1-17; MENDIVE, n.240-243; PESCH, 9 n.500.504. Nec videntur dissentire saltem quoad rem BILLOT, th.4; LUMBRERAS, n.236s.

sio a Deo, seu etiam privatio vinculi *moralis* hominis ad Deum, etsi *materialiter* differat *pro unoquoque ordine*, prout illud vinculum sit vel *pure morale*, ut esset in statu naturae purae, vel *physico-morale*, ut est in hoc ordine.

Aliunde, cum peccatum habituale respiciatur, non mere in se solo, sed ut pendens a peccati *actu*, qui potest esse specificet et intensive et numero varius, cum tamen semper sit quantum est ex parte hominis aversio a Deo, nihil impedit quin unum peccatum habituale, etiam in aliqua serie peccatorum, differat ab alio et specificet et intensive et numero; quod esset negandum, si mere ut aversio a Deo sine eius respectu ad ipsum peccati actum sumeretur (1.2 q.86 a.1 ad 3).

860. *De remissione peccati gravis habitualis.* Hoc peccatum non est formaliter tale sine respectu ad actuale, ita ergo ut ambo simul tollantur. Peccatum nempe actuale homini imputatur in culpam, et proin in suo effectu morali reatus culpae manet, donec remittatur. Remissione vero non fit ut ille actus non fuerit, sed ut iam non imputetur in culpam et proinde ut iam non influat in perseverantiam status aversionis culpabilis ab eo inducti.

Cum tamen id nequeat homo per satisfactionem *condignam* obtinere, utpote quam *homo purus* reddere non possit, hoc unum restat, ut ille a Deo condonationem sui peccati assequatur per huius retractationem, offerens pro eo satisfactionem congruam in contritione vel perfecta, cum deceat Deum bonum ut peccatori ex toto corde se ad ipsum convertenti veniam det, vel imperfecta, qua impedimentum vi remissiva sacramenti tollatur.

ARTICULUS II

DE REATU POENALI PECCATI MORTALIS

861. De reatu poenae aeternae. Cum actus peccati *gravis* non sit indifferens in finem ultimum, quaeritur an, sicut actus bonus habet annexam aeterni praemii sanctionem, ille etiam habeat sanctionem *aeternae* poenae. In qua re hae tres distinguerentur quaestiones: Peccatum grave *meretur ex se* poenam aeternam? Hoc posito, annexuit ei Deus *ex parte sua debitum* eius poenae? Ulterius vero Deus *de facto* illi debito satisfacit, ita ut in aeternum puniat peccatorem? Si id postremum affirmative statuatur, ut alibi fit (SThS t.4 tr.6 n.141-179), eo ipso etiam affirmative constat de prima et secunda quaestione, de qua hic agendum esset; unde nos hanc utramque ut unam sumentes praetermittimus, id unum breviter asserentes:

Cum Deus nequeat esse indifferens in voluntariam finis ultimi abiunctionem peccato gravi illatam et ideo velit ordinem moralem iuste restituere, annexuit ei peccato *reatum* seu *de-*

bitum poenae, quae est malum pro culpa inflictum (*De malo* q.1 a.4), post hac vitam solvendae, et quae sit: a) sive *damni*, pro aversione peccatoris a Deo, seu privatio beatitudinis cum omnibus ei qua tali annexis, sive *sensus* pro inordinata peccatoris ad creaturam conversione, seu dolor instrumento extrinseco inflictus (2 d.37 q.3 a.1; 1.2 q.87 a.4); b) et quidem *aeterna* a parte post, seu duratura sine fine, cum peccator, Deum abiciens, summo bono, quod est principium beatitudinis, se ac in perpetuum, quantum est ex parte sua, privet (1.2 q.87 a.3)⁷.

Id quod *Eccliesiae doctrina* tradit (D 16 40 211 410 464 493a 693) ut *de fide divina et catholica definita* explicite quoad poenam sensus ac saltem implicite quoad poenam *damni* (D 429 530s), copiose docetur in *Scriptura* quoad poenam et *damni* et *sensus* (Mt 25,41; Mc 9,42-47; Lc 16,22-24; Io 3,36; 2 Thess 1,9) *damni* (Lc 14,24; Io 3,36; 1 Cor 6,9; Gal 5,19-22), ac in *traditione* (R 102 115 121 239 284 396 1772 etc.).

Et valet de *quolibet* peccato gravi, etiam *unico* (D 410 531 693 808), cum fontes *nullam* addant restrictionem pro peccatorum vel numero vel specie vel gravitate; cum *quodlibet* peccatum gratia sanctificante (absolute necessaria ad gloriam) privet, et plenam offensae rationem habeat (1.2 q.87 a.3)⁸.

862. *De reatu poenae temporalis*. Deus decrevit quemlibet baptizatum graviter peccantem reum esse poenae et *aeternae*, quae semper cum culpa remittatur, et alius non *aeternae* sed *temporalis* (solum ac semper pro casu quo illa ablato *aeternae* obtinetur), quae non necessario *tota* una cum culpa remittatur et ideo solvenda sit vel in hac vita per satisfactionem meritoriam vel in futura per satisfationem in purgatorio (D 696 807 840 904 925).

De hac poena tres exsurgunt questiones alibi tamen tractandae: una de eius reatu annexo *cuiuslibet* peccato gravi qui non semper una cum culpa remittatur; altera *difficilior*, quomodo, remissa tota culpa, maneat poena solvenda, immo quae, si peccatum non remitteretur, non infligeretur; tertia tandem de modo satisfaciendi (1.2 q.87 a.6) pro ea sive per ipsum eius reum sive per aliena iusti opera (SThS 4 tr.4 n.159-187)⁹.

863. *De poena concomitante*. Haec, quae etiam poenae temporali accenseri potest, et quae quasi connaturaliter ac formaliter et intrinsece ipsum *actum inordinatum* consequitur, est: a) *Privative*, in carentia bonorum moralium, quae cum peccato pugnant, ut sunt in quolibet ordine rectitudinis moralis connectae hominem cum ultimo fine et in hoc ordine gratia sanctificans¹⁰.

⁷ Nec tamen iure diceretur *cuiuslibet* peccato gravi inesse propositum *impenitentiae finalis*, sed solum voluntaria huius effectus *permissio*, quatenus omne peccatum grave tendit natura sua in eum *termini* statum, qui illum effectum inferat: cf. F.STEPHINSKI, *Das Wesen der Todsünde und die Sünde wider den Heiligen Geist*: Kath (1912,2) 101-123,168-181,252-276.

⁸ Cf. LESSIUS, o.c., l.13 c.28 n.202.

⁹ Cf. BILLOT, 102-105; GALTIER, *De poenitentia. Tractatus dogmatico-historicus* (Romae 1950) n.531-534. Ceterum multa utilia de poena temporali exponit JOURNET, *La peine temporelle du péché*: RevThom 10 (1927) 20-39,89-103.

¹⁰ Cf. LESSIUS, *ibid.*, n.198-200. Historica quaedam dissertatio de amissione gratiae per peccatum grave est apud K.RAHNER, S.I., *Sünde als Gnadenverlust in der frühkirchlichen Literatur*: ZkathTh 60 (1936) 471-510.

b) *Positive*, in doloribus aversionem a fine consequentibus, ut sunt anxietates passionum dominantium, remorsus conscientiae; ut enim actio ordinata gaudium animi, sic inordinata perturbationem huius producit (Sap 5,7).

864. *De poena medicinali*. Cum poena sit malum (contrarium voluntati) inflictum ob culpam, ea infligitur ob violationem ordinis moralis, ad quem restituendum et consequenter tuendum ut in finem operis ex sua natura tendit. Sed sub eo fine generali sunt alii tot fines quos sunt bona necessaria ad illum obtinendum. Si ergo ea consideratur in se: 1) Primario est vindicta deordinationis moralis seu restauratio ordinis moralis. 2) Sed ea restitutum et tuitio non obtinetur adaequate nisi illa etiam ducat ad emendationem peccantis et alios a peccando deterreat, seu nisi sit medicinalis et praeveniens sui exemplaris. Ergo poena ex se habet finem et vindictae et alios etiam ei intrinsecos ac essentiales sanandi et praeveniendi, ita vero ut ille sit primarius, hi vero potius secundarii, imo potius aliquo modo accidentales qui non necessario semper ac in eadem mensura dentur.

Si vero respicitur poena ex parte agentis, potest intendi principaliter unus ex peculiaribus illis finibus, quin vero excludatur alius: hinc prout principaliter intendatur vel restauratio ordinis laesi vel emendatio peccantis ac exemplaritas, dicitur poena simpliciter vel vindicativa vel medicinalis ac praeveniens.

Iam vero in hac vita, dum poena *vindicativa* seu ea quae infligitur per se ad restaurandum ordinem morale peccato laesum, procedit ex sola iustitia et rigorose *per se* commensuratur culpae, ac proinde quae talis, in hac vita *per se* non nisi secundario pro peccato datur, poena *medicinalis* est ea quae infligitur *per se* et primario ut delinquens emendetur, nec infallibiliter nec certa mensura annexit culpae, ita ut saepe a magnis peccatoribus absit (Iob 21,7; Hab 1,13; Ps 72,3).

Omnis poena ut *comminata* potest dici etiam medicinalis (*praeveniens* seu *exemplaris*) quatenus impedit, quin homo ordinem morale laedat; ut vero actu *illata* vel *inferenda*, est aut in vindictam ordinis moralis laesi, etsi forte simul etiam in remedium salutae eius qui ea non punitur, qualis est poena futurae vitae, aut est praecipue in remedium salutae (eius qui punitur vel aliorum), etsi secundario sit vindicativa, quales sunt plures poenae huius vitae^{10*}.

Ab iis tamen distinguitur ea quae est *medicinalis*, quatenus adhibetur a Deo ad sanandas infirmitates spirituales, quin tamen sit proprie poena, cum non sit stricte ad puniendum sed sanandum (1.2 q.87 a.7), quales sunt pro iustificatis baptismo concupiscentia et aliae miseriae spirituales ac corporales, prout eae sunt ex peccato originali et nunc iis ad agnitionem relictiae (D 792). Sic etiam quatenus poena habet rationem medicinae, fieri potest ut unus pro alio puniatur v.gr. filius pro parentibus (a.8).

Omnino tamen reprobanda est ea Baii et Quesnell doctrina, quod omnes afflictiones iustorum in hac vita sint propter peccata ipsorum vel actualia vel originale (D 1072s)¹¹ et quod soli peccatori infligantur (D 1420) cum id sine fundamento asseratur et Scripturae repugnet; non enim omnes illae

^{10*} De indole instrumentali poenae ad bonum commune et de ea ut medicinali pro patiente ac exemplari pro aliis cf. B.SMERALDO, O.P., *Il concetto eticogiuridico di pena*: Sap 3 (1950) 266-273. Cf. PRUS XII, Alloc. Conv. intern. de iure intern.: AAS 45 (1953) 742-744; Id., Alloc. Conv. Consoc. ex iuris peritis cath. Italiae: AAS 47 (1955) 62-64,67; 49 (1957) 495-497; G.MICHELIS, O.F.M.Cap., *De vera natura poenae, in specie ecclasiasticae*: Apoll 32 (1959) 217-226. Juxta W.RAUCH, *Gedanken des heiligen Augustinus über die Strafe* (Freiburg Br. 1956), pro S. Augustino primarius finis poenae est restitutio ordinis naturalis rerum, emendatio vero delinquentis est finis secundarius.

¹¹ Cf. L.E. BACHELET: DTC 2,108-110.

sunt proprie poenae peccati originalis, maxime postquam iustis remissum est, et multae non sunt nisi ad probationem patientiae¹².

N. B. In his omnibus supponimus dari poenam vindicativam seu prout ea est ad restitutionem ordinis moralis, in quo omnes convenire debent. Sed etsi id non expresserimus, putamus dari poenam *stricte* vindicativam peccati seu a Deo positive inflictam ut isti connaturalem, in alia vita et pluries in hac, cum id videatur esse magis consonum fontibus revelationis^{12*}.

865. *De poena spirituali.* Haec consistit in eo quod Deus peccatori gratias actuales copiosiores ac efficaces et specialem protectionem externam subtrahat, novum peccatum sic permittens in poenam peccati prioris, et in remedium futuri, ut nempe ille post lapsum ad Deum recurrat (a.2). Ea ergo supponit culpam, cum Deus non deserat nisi prius deseratur (D 804); at sive ut vindicativa sive ut medicinalis est peccato mere accidentalis, cum peccatum *de se* nihil conferat ad fovendum ordinem morale¹³.

De ea ait Lessius: «Hinc fit ut qui unum peccatum mortiferum patravit, mox trahatur in aliud et aliud, vel in idem saepius incidat; quia et ipse in se factus est debilior, et diabolus fortior, et divina protectio remissior». Et Augustinus: «Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant...»¹⁴

866. *De effectu peccati gravis in naturae bonis.* Ex his bonis, principia naturae constitutiva et proprietates ex iis dimanantes manent illaesa, cum peccatum humanam naturam nec mutare nec tollere valeat; ea vero *ad virtutem inclinatio* quam homo a natura principiative habet (q.63 a.1), etsi totaliter peccato auferri nequeat, cum radix eius in natura rationali semper maneat, minuitur peccato, quia actus humani generant *inclinacionem* ad similes actus et sic minuunt inclinationem ad actus eis contrarios (q.85 a.1s)¹⁵.

Ea diminutio inclinationis ad virtutem est quoddam vulnus naturae (a.3), complectens vulnera ignorantiae, malitiae, infirmitatis; quae ex peccato originali nata quasi augentur peccato actuali (1.2 q.85 a.3)¹⁶.

De effectu sociali peccati. Pauca hic dicenda de hac re valent, servata proportione, et de peccato veniali, sed maxime de mortali. Pius XII haec fere dixit: Etiam in vita Statuum vis et debilitas moralis hominum, peccata et gratia habent influxum definitivum¹⁷.

¹² Cf. SUÁREZ, *De gratia* proleg.6 c.2 n.16; *De vit. et pecc.* d.7 s.1; DEMAN, 223-225. De punitione peccati in hac vita iuxta V.T. cf. VAN IMSCHOOT, 309-312.

^{12*} QUARELLO, o.c., praescindens ab studio profundo fontium revelationis et solum mentem T.T. indagans concludit alios admittere poenam peccati vindicativam dari seu quae positive infigitur a Deo in eius castigationem, dum alii (quibus ipse auctor videretur inclinari) explicant omnem poenam peccati ut consecretarium eius seu ut eius fructus connaturalis vi iustitiae immanentis, quam Deus sancit. At cf. v.gr. de A.T., BEAUCAMP, *Pêché*: DBS 7 (1962) 411s.426.432-435; R.MAYER, *Sünde und Gericht in der Bibelsprache der vorexilischen Prophetie*: BiblZeitschr 8 (1964) 228s.

¹³ Cf. SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d.7 s.2.

¹⁴ LESSIUS, 13,28 n.201; S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 1,14 c.13 n.2: ML 41,422; cf. *De nat. et grat.* c.24-28: ML 44,260-263. Habet vero ipsum peccatum rationem poenae nisi ipsius? Alii cum S.Thoma id negant, alii affirmant: cf. DEMAN, l.c., 218s; QUARELLO, o.c., 29-31.

¹⁵ Cf. DEMAN, 212-215.

¹⁶ De differentia inter vulnera peccati originalis et vulnera peccati actualis, cf. BERNARD, p.304. De probabilibus virtutum adquisitarum permanentia sub peccato et de hodierno eius questionis statu, cf. R.BERNINI, O.P., *Le virtù acquisite nello stato del peccato mortale secondo S. Tommaso*: DivThom(Pi) 17 (1940) 421-452; cf. et DEMAN, 214, ac pro opinione restringente GARRIGOU-LAGRANGE, *L'instabilité dans l'état de péché mortel des vertus acquises*: RevThom 43 (1937) 255-262.

¹⁷ Pius XII, *Nuntius radioph. ante festum Nativitatis D.N.I.Ch.*: AAS 49 (1957) 13.

Aliis ergo nunc relictis, respiciamus ipsum peccatum. Hoc non est nisi actus inordinati egoismi, seu quo homo ut ultimum finem et proin prae Deo se ipsum amat; ergo infert aversionem a Deo, imo ad quem destruendum virtute tendit. Ergo eo ipso peccatum est:

1) *Anti-cosmicum*, utpote ex se tendens ad omnia perturbanda imo destruenda, quatenus consistunt in Deo. 2) *Antisociale*, quatenus: a) Ablato Deo, non stat ordo moralis, sine quo societas vere humana consistere nequit. b) Ex dictis peccatum natura sua est actus egoismi, qui ergo ex se obest conspirationi omnium in finem communem. 3) *Antiecclesiasticum*, cum impetatur Corpus Mysticum semper in suo Capite et consequenter in suis membris. Ipsi ceterum nocet: a) *Negative* per privationem gratiarum, quae ei sine obice peccati advenirent. b) *Positive* ut oppositum caritati seu praecipuo vinculo, quo Spiritus S. membra inter se et cum Capite coniungit¹⁸.

Peccatum collectivum. Ii effectus sunt ut sociales eo profundiores ac magis noxii, si peccatum sit *collectivum* et quidem *stricte*, scil.; 1) Non mere *hereditarium*, quatenus unus committit personaliter peccatum, quod ceteris omnibus ac singulis imputatur, sed non ut personale, quale est unum peccatum originale. 2) Nec mere *iuridicum*, quatenus committitur personaliter ab uno vel pluribus, sed quoad consecretaria iuridica imputatur omnibus qui cum illis iuridice connexi sunt v.gr. in aliqua societate. Ergo illa culpa potest dici collectivae mere iuridice, cum *proprie* imputetur ut culpa solum iis qui eam commiserunt. Nam nullo pacto potest dari peccatum collectivum, quod commissum personaliter ab uno vel pluribus imputetur proprie aliis ut iis personale, cum tale peccatum sit contradictio in terminis seu ut liberum attributum iis quibus non est liberum¹⁹. Et si ea solidaritas quae in toto antiquo Oriente invenitur inter patres ac filios ad bonum et ad malum dicitur esse vigens in toto A. T., quasi membra eiusdem familiae vel totius populi praeteriti, praesentis et futuri sint ut unum totum organicum nec mera summa individuorum, ita ut etiam peccata unius membri censeantur pertinere ad totam collectionem individuorum, nullo modo probatur ea singulis membris tribui ut eorum peccata personalia, nam de facto in toto A. T. simul cum solidaritate manet conscientia personalitatis individui et responsabilitatis eius; qui personalis sensus responsabilitatis individualis augetur magis magisque per prophetas Ieremiam et Ezechielem, etsi semper manet ille sensus solidaritatis, cuius intima indoles moralis difficile percipitur²⁰. 3) Sed *morale*, quatenus unum peccatum committitur a pluribus vel cooperantibus vel consentientibus vel approbantibus vel indebite conniventibus ac non resistantibus. Hoc ergo *peccatum collectivum stricte sumptum* est omnium pessimum socialis effectus peccati, cum iam inficiat peccato personali societatem ut talem, ita ut haec quasi communi consensu praeferat se et mundum ipsi Deo.

¹⁸ A.ARBELAO, pbro., *Trascendencia social del pecado*: Lum 6 (1957) 138-147; R.SPIAZZI, *El pecado, mal social*: Realidad del pecado (Madrid 1962) 173-198; W.DE BROUCKER, S.I., *La prédication du péché dans les missions paroissiales*: Chr 7 (1960) 254-269; P.RIGA, *Sin and penance* (Milwaukee 1962); RUBIO, l.c., 70-82; SEYBOLD, o.c., c.2 et 4; F.M.URRICHIO, O.F.M.Conv., *Grazia e peccato in S.Paolo...* (Padova 1955).

¹⁹ SAGÜÉS, *Alcance de la expresión «peccato colectivo»*: EstEcl 36 (1961) 303-321.

²⁰ F.SPADAFORA, *Collectivismo e Individualismo nel Vecchio Testamento* (Rovigo 1953); J.SCHARBERT, *Solidarität in Segen und Fluch im Alten Testament* (Bonn 1958); J.SCHARBERT, *Unsere Sünden und die Sünden unserer Väter*: BiblZeitschr 2 (1958) 14-26; A.M.DUBARLE, O.P., *La condition humaine dans l'Ancien Testament*: RevBibl 63 (1956) 334-338; LIGIER, o.c., 70-98; M.GARCÍA CORDERO, O.P., *Las diversas clases de pecado en la Biblia*: CiencTom 85 (1958) 405-410; J.HARVEY, S.I., *Collectivisme et individualisme*. Ez. 18,1-32 et Jer 31,29: ScEcl 10 (1958) 167-202; cf. et E.F.SUTCLIFFE, S.I., *Providence and Suffering in the Old and New Testament* (Edimbourg 1955) c.4.

CAPUT IV

De peccato veniali

867. Cum de peccato gravi sive actuali sive habituali iam dictum sit, nunc venit agendum de peccato *veniali*, cuius primo *existentia* et dein eius, sive ut actualis sive ut habitualis, *natura* vindicetur.

ARTICULUS I

DE PECCATI VENIALIS EXSISTENTIA

Thesis 38. Existit peccatum veniale.

S.Th., 1.2 q.88 a.1s; SUÁREZ, *De vitiis et pecc.* d.2 s.4; BILLOT, th.8; PESCH, 9 n.516-544; K.FRICK, S.I., *Der objective Unterschied zwischen schwerer und lässlicher Sünde*; ZkathTh 13 (1889) 417-460; F.BLATON, *De peccato veniali*; CollatGand 14 (1927) 184-195; 15 (1928) 31-42.134-142; M.WALDMANN, *Sünde*; LTK 9²,895-905.

868. **Nexus.** Posita existentia peccati mortalis, ea quaestio exurgit, utrum omnia peccata personalia sint talia, an etiam dentur alia vera peccata, quae non sint mortalia, et qualia ea sint tam ut actualia quam ut habitualia. Nunc ergo primo de peccati venialis existentia disputabitur.

869. **Notiones.** EXSISTIT, seu in hoc statu naturae posunt de facto dari. Tamen cum in hac re distingui possit quaestio et *de posse*, seu an possit dari in hoc statu naturae, et *de facto*, seu an reipsa detur, nostra nunc interest illud primum, cum de hoc altero potius in tractatu *De gratia* dicatur; sed etiam id rationes nunc afferendae ostendunt.

PECCATUM VENIALE dicitur in oppositione ad *mortale*, quod et occidit spiritualiter animam privatione conversionis ad finem ultimum et reatum poenae inducit aeternae, illud quod neutrum infert et, posita debita retractatione ac soluta aliqua poena temporali, tollitur (1.2 q.88 a.1).

Quodlibet peccatum potest *veniale* vocari sive quia in hac vita remitti possit¹, sive quia non est ex certa malitia sed ex quadam passione vel ignorantia vel aliis adiunctis attenuantibus commissum, ac proinde sit in se minus puniendum, at aliquo modo poena dignum (1 Tim 1,13); ex ipso tamen conceptu et vi vocis dicitur antonomastice *veniale* illud, quod non habet unde *veniam* non obtineat, cum nec avertat a fine nec poenam aeternam mereatur.

¹ Cf. AMBROSIIUS, *De parad.* c.14 n.71; ML 14,310: «Venibilis culpa quam sequitur professio delictorum».

Hic maxime respicitur peccatum veniale commissum non mere ex insufficienti deliberatione ac libertate, seu quale posset esse etiam peccatum de se mortale, sed ex *obiecto* seu cuius prosecutio etiam plene deliberata ac libera sit venialis; quod ceterum, etsi possit esse *semideliberatum* vel *deliberatum*, prout cum perfecta vel imperfecta deliberatione ac libertate fiat, in thesi sumitur sine respectu ad eam distinctionem. Nondum tamen dicitur hic peccatum veniale esse tale *ex natura sua* (cf. n.890).

870. **Adversarii.** Stoici dicebant omnia peccata esse paria², quod repetierunt PELAGIUS et IOVINIANUS tenentes omnia peccata esse mortalia³.

Protestantes. Negatio distinctionis inter peccatum mortale et veniale proponitur ut plerisque illorum communis⁴, et iure ea dicitur esse a primis reformatoribus inducta⁵. Hi sane dixerunt omnia peccata esse ex se mortalia, et solum eo sensu esse venialia, quod iustis non imputentur.

Hinc Lutherus dicit (ad Gal 5,17): «Ideo perniciosus est Sophistarum (i.e. catholicorum) error, qui peccata distinguunt penes substantiam facti, non penes personam. Qui credit, idem et aequae magnum peccatum habet, ut incredulus. Credenti tamen condonatur et non imputatur. Incredulo retinetur et imputatur. Huic veniale, illi mortale est, non propter differentiam peccatorum, quod credentis peccatum minus, increduli maius sit, sed personarum. Credens enim fide statuit peccatum... sibi esse remissum. Itaque peccatum habens et peccans, tamen manet pius: contra incredulus, impius»⁶.

BAIUS: non datur peccatum *natura sua* veniale nec merens poenam aeternam⁷.

871. **Doctrina Ecclesiae.** *C.Carthaginense*: «Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *dimitte nobis debita nostra* (Mt 6,12), ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores... A.S...» (D 107; cf. et D 106 108).

C.Tridentinum: «Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea

² Cf. S.AUGUSTINUS, *Epist.* 167 c.2 n.4; ML 33,733; R 1442 1975; S.CYPRIANUS, *Epist.* 10 n.16; ML 3,782; S.HIERONYMUS, *In Ez.* 1.3 c.9; ML 25,91.

³ De Ioviniano, cf. S.HIERONYMUS, *Adv. Iov.* 1.2 n.30; ML 23,327; TIXERONT, 2⁹,254. De Pelagio, cf. DE PLINVAL, o.c., 179; RONDET, *Gratia Christi* 117. Cf. et PORTALIÉ: DTC 1,2440.

⁴ Cf. W.A.BROWN, *The Religion of Democracy* (New York 1941) p.185-194.196 (cf. MONTY, 94); PORTALIÉ, l.c.

⁵ W.PAUCK, *Sin*; EREL, ed. V.Ferm (New York 1945) p.711 (cf. MONTY, 94).

⁶ Dr. Martin Luthers Werke. Kritische Gesamtausgabe (Weimar 1883ss) 1.40 part.2 p.95. Cf. et H.GRISAR, S.I., *Luther* i. Br. 1911) 761; 3 (1912) 360.1017. Qui ea Lutheri verba citat: «Patet quod nullum est peccatum veniale ex substantia et natura sua...» Pariter CALVINUS, *Instit. rel. christ.* 1.3 a.4 n.28; cf. DEMAN, 226.

⁷ Cf. LE BACHELET, 93.

desinunt esse iusti. Nan iustorum illa vox est et humilis et verax: *dimitte nobis debita nostra*» (D 804)⁸.

«Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio... A.S.» (D 833).

His documentis statuitur, etiam *iustos* peccare et quidem venialiter, cum, ut iis supponitur vel expresse asseritur, *non desinant esse iusti* et cum ea peccata vocentur *venialia* ac *levia*.

Ceterum, ea asserta, etsi id expresse non dicatur, iure sumuntur per se de peccatis venialibus *ex obiecto*, nec mere de peccatis ex se mortalibus et solum ob defectum plenae deliberationis venialibus; nam ea peccata sensu obvio proponuntur ut a mortalibus ac rarius occurrentibus in se distincta, quaeque sint levia ac frequentia, etiam in sanctis, et nomine proprio venialia vocentur.

S.PIUS V damnavit Baii errorem: «Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam» (D 1020).

872. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 833).

873. Probatur ex sacra Scriptura. Eccl 7,21: *Non est enim homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet*. Hoc assertum adeo emphaticum et universale immerito sic sumeretur, quasi omnis homo sine exceptione ea committat peccata quibus se inimicum Dei reddat⁹.

Ex mandato Christi est *omnibus* dicendum: *Et dimitte nobis debita nostra* (Mt 6,12; Lc 11,4). Iac 3,2: *In multis offendimus* (tempore praesenti) *omnes*. Ergo etiam iusti. 1 Io 1,8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Ergo etiam iusti. Prov 24,16.

874. 1 Cor 3,10-15: *Fundamentum posui; alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit... Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit,*

⁸ De horum verborum historia, cf. J.JIMÉNEZ FAJARDO, Pbro., *La esencia del pecado venial en la segunda edad de oro de la teología escolástica* (Granada 1944) 18s. His Synodus perspicue ostendit, mortalia esse peccata, quae amicitiam divinam dirimunt, venialia vero, quae tanta non sunt, ut iustitiam et gratiam Dei a nobis tollant, ut ait A.VEGA, *Tridentini decreti de iustificatione expositio*... I.14 c.4.

⁹ Cf. GIETMANN, o.c., 247-248. Saepius solet sumi de iusti lapsu in peccata venialia, at ex contextu potius forte sunt de eius lapsu in calamitates, et quibus tamen Deo tutore emergat, illud Prov 24,16: *Septies enim cadet iustus et resurget*: cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Proverbia* (Parisiis 1910) 181s. Quid vero doceat V.T. de diversa gravitate peccatorum, parum efferens distinctionem venialium a gravibus, tradit MONTY, *Péchés graves et légers d'après le vocabulaire hébreu*: l.c., 129-168.

detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Cum haec ex toto contextu sint de quibusdam doctoribus Corinthiorum, ut aedificantibus *doctrinam non malam*, cum aedificent super Christum et cum omnes salvi fiant, sed *vel solidam* (aurum, argentum, lapides pretiosos), pro qua ii mercedem accipient, *vel vanam ac inutilem* (ligna, foenum, stipulam), pro qua ii detrimentum patientur, etsi *salvi* fiant, sed *solum quasi per ignem*, patet hos postremos peccasse, at non mortaliter, cum puniantur et tamen salvi fiant.

Ergo, etsi id *formaliter* ibi non datur, iure inde *concluditur* etiam pro aliis christianis, esse quaedam peccata a salute non prohibentia in aeternum, at punitioni cuidam temporali alligantia, seu peccata venialia (S.TH., *In 1 Cor c.3 l.2 v.12*).

Nec ibi agitur potius de peccatis mortalibus, ita ut formula «salvus erit» significet «non periturus in igne perpetuo»; nam non memoratur nisi unum fundamentum pro omnibus superaedificantibus, et cum nec usu loquendi nec ullibi in Scriptura dicatur «salvus» is qui durat in malis (cf. S.Ths t.4 tr.6 n.229)^{9*}.

875. Probatur ex traditione. S.AMBROSIUS distinguit peccata cotidiana seu leviora a gravioribus. «Sicut unum baptismum, ita una paenitentia, quae tamen publice agitur; nam cotidiani nos debet paenitere peccati; sed haec delictorum leviorum, illa graviorum» (R 1300).

S.HIERONYMUS etiam dicit: «Sunt delicta levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem...» (R 1382).

S.AUGUSTINUS saepe memorat peccatum veniale. «Quam multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus... quae non ad te pertinent, sive in vanis cachinnationibus..., sive in ipsis escis... Quae quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium..., tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt necant aut nostrum decus... exterminant...» (R 1529).

«Non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur» (R 1733).

«Non potest homo, quamdiu carnem portat, nisi habere vel levia peccata; sed ista levia quae dicimus noli contemner... Levialia multa faciunt unum grande...» (R 1846)¹⁰.

^{9*} Ibidem plura dicuntur de eo loco paulino. Ceterum cf. BOVER, *Teologia de San Pablo*, 873-875; Id., *Las epístolas de San Pablo*, 2, n.82.

¹⁰ De distinctione peccati apud S.Doctorem, qui primus analysi subiecerit, quid sit peccatum veniale, cf. E.F.DURKIN, *The Theological Distinction of Sins in the Writings of St. Augustin* (Mundelein 1952) c.4; F.J.THONNARD, A.A., *Sur le péché dans saint Augustin*: RevEtAug 7 (1961) 250.

S. CAESARIUS AREL. magnum progressum fecit in re tunc adhuc sat obscura, dum distinguit a peccatis aeterno igne puniendis alia minuta, quibus anima non occiditur, sed deformis fit et purgatorio igne consumenda, nisi bonis operibus redimantur. «... Sacriligium, adulterium... Quicumque... aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi digne se emendaverit..., aeterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. Quae autem sint minuta peccata..., ex iis vel aliqua nomine... Quoties plus loquitur quam oportet aut plus tacet quam expedit... Quibus peccatis licet occidi animam non credamus... eam velut quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt... Si autem... nec bonis operibus peccata redimimus..., tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta... consumantur...» (R 2233) ^{10*}.

Nec obstat S. Basilius tradens nullum peccatum esse contemnendum ut parvum, cum nullum parvum sit ¹¹; quia omne peccatum est relative magnum ac a Deo prohibitum et quia etiam levissimum, si negligatur, disponit ad mortale. Ipse etiam docens differentiam inter graviora et leviora peccata in N. T. non reperiri (R 978) vult dicere omnia peccata indiscriminatim damari in Scriptura.

S. I. Chrysostomus asserens non esse levius peccatum aliquid de pretio defraudare quam multam pecuniam subripere ¹², agit de parva rapiente, sed magna intendente.

876. Ratio theologica. Ex natura providentiae divinae in homines benignissimae et salutis aeternae, repugnat quin haec ob quamlibet etiam parvam culpam v. gr. ob verbum otiosum, ab homine in aeternum amittatur.

Ratio naturalis idem confirmat. Non enim censendus est bonus Deus se in suos amicos strictius gerere quam homines in suos. At homines non ita graviter quamlibet offensam vel levissimam suorum amicorum ferunt, ut hos ob eam sua amicitia privent. Ergo nec Deus censendus est id facere ¹³.

877. Obiectiones. 1. Scriptura non memorat peccata venialia. Ergo ea non dantur.

Dist. mai. Scriptura peccata venialia non memorat explicite, *trans. mai.*; implicite, *nego mai.* Supponit enim ea esse iustis.

2. Rom 6,23: *Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna...* Pariter Deut 27,26 (cf. Gal 3,10); Iac 2,10.

Ex his Scriptura habet indefinite peccatum ut simpliciter grave. Ergo veniale non novit.

Dist. mai. Scriptura habet simpliciter ut grave peccatum mortale, *conc. mai.*; omne peccatum, *nego mai.*

^{10*} A. Vooc, S.I., *Le péché et la distinction des péchés dans l'oeuvre de Césaire d'Arles*: Nouv Rev Th 94 (1962) 1062-1080.

¹¹ Reg. brev. tract. inter. 293; MG 31,1287s.

¹² In Io. hom. 60 n.6; MG 59,334s.

¹³ Ceterum conscientia humana, etiam apud antiquos gentiles, semper distinxit violationes legis moralis et leves et graves; cf. K. PRÜMM, S.I., *Der christliche Glaube und die altheidnische Welt* (Leipzig 1935) 2 p.210.452 not.3.

Agi de peccato mortali constat in Deut 27,26 ex contextu praecedenti; in Rom 6,23 ex v.19 et ex toto capite quo sermo est de peccatis cum gratia pugnantibus; in Iac 2,10 ex v.II.

3. Mt 22,37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo...* Ex his Deus debet amari ex toto corde. At cum eo amore pugnat peccatum veniale (eo enim ipso esset mortale). Ergo non datur.

Dist. mai. Peccatum veniale pugnat cum caritate actuali, *conc. mai.*; cum habituali, *nego mai.*

Non pugnat cum caritate *habituali* seu ea qua quis eo animo est in Deum, ut malit omnia prae ipso amittere; textus supra allati de peccato omnes afficiente debent componi cum aliis: *Erant autem iusti ambo* (Zacharias, Elisabeth) *ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela* (Lc 1,6; cf. 3 Reg 14,8; 4 Reg 23,25).

At pugnat cum *actuali*, quatenus impedit *amoris actum* qui hic et nunc poni posset, vel etiam quatenus disponit ad mortale; sed caritas actualis non praecipitur pro semper, utpote quod sit impossibile in hac vita.

4. Omne peccatum est transgressio legis divinae. At id est peccatum mortale. Ergo omne peccatum est mortale.

Dist. mai. Omne peccatum est legis divinae transgressio levis vel gravis, *conc. mai.*; praecise gravis, *subdist.*: omne peccatum mortale, *conc.*; omne peccatum, *nego.*

Alia est legis divinae transgressio, qua *substantiale* legis destruitur et qua proin homo se a Deo avertit, et alia est qua solum attingitur *accidentale* legis et qua tamen stante homo manet conversus ad Deum. Pariter dici potest *omne* peccatum esse *saltem aliquis* offensa Dei; at *non necessario* ea qua abrumpatur amicitia hominis cum Deo.

5. Peccatum veniale dicitur minuere caritatem. At peccatum minuens caritatem est mortale. Ergo veniale non datur.

Dist. mai. Peccatum veniale dicitur minuere caritatem extrinsece seu ut impediens eius actum, *conc. mai.*; intrinsece seu ut destruens ipsius habitum, *nego mai.*

Peccatum veniale ratione sui formali, etiam indefinite multiplicatum, nullo modo vel exstinguit vel etiam aliquid minuit *habitum* caritatis; ergo huic non opponitur, nisi quatenus actu impedit eius augmentum per immixtionem fervoris eius, immo et quatenus disponit ad mortale, quod illum destruit.

6. Peccans venialiter amat plus creaturam quam Deum. Ergo mortaliter peccat.

Dist. mai. Peccans venialiter plus creaturam quam Deum amat intensive, *conc. mai.*; aestimative, *nego mai.*

Peccans venialiter censetur esse actu et habitu paratus, dum id positive non excludat, eam creaturam non amare, si ipse eo amore a Deo avertatur; ergo *aestimative* Deum creaturae praefert. At hic et nunc *intensius* affectus amore creaturae facit aliquid Deo displicens.

7. Peccatum veniale est malum maius aeterna poena et damni et sensus. Ergo hanc meretur; ergo est mortale.

Dist. antec. Peccatum veniale est aeterna poena maius in ordine aestimationis, *conc. antec.*; in ordine morali, *nego antec.*

Poena aeterna est malum creaturae; at peccatum veniale est quodammodo malum Dei, quod non est eligendum, etiam prae poena aeterna maxima. At inde non sequitur illi peccato deberi poenam aeternam, cum eo homo nec avertatur a Deo et sic poena damni non sit puniendus, nec in creatura ultimum suum finem constituat.

8. Peccatum veniale punitur poena gravissima. Ergo est mortale.

Dist. mai. Peccatum veniale punitur poena gravissima prae poenis huius vitae, *conc. mai.*; prae poenis peccati mortalis, *nego mai.*

9. Deus posset peccatum veniale numquam remittere iusto et ideo hunc in aeternum punire. At Deus sic iuste ageret. Ergo illud peccatum meretur poenam aeternam; ergo est mortale.

Dist. mai. Deus posset peccatum veniale iusto numquam remittere, agens ut dominus absolutus, *trans. mai.*; agens ut iudex poenam culpae proportionatam statuens, *nego mai.*

ARTICULUS II

DE NATURA PECCATI VENIALIS

Thesis 39. Peccatum veniale est ut actuale actus moraliter malus praeter finem ultimum, et ut habituale inordinatio moralis ex peccato veniali actuali imputabiliter permanens.

S.Th., 1.2 q.72 a.5; q.88 a.1s; SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d.2 s.4s; d.8 n.18; PESCH, 9 n.521-544, 549-554; BILLOT, th.9s; JIMÉNEZ FAJARDO, *La esencia del pecado venial...*; ID., *Las propiedades del pecado venial* (Investigación y síntesis teológica): ArchTG 7 (1944) 55-123.

878. Nexus. Statuta existentia peccati venialis, quaeritur iam de *natura* huius, primo ut *actualis*, dein ut *habitualis*.

879. Notiones. PECCATUM VENIALE sumitur ut in thesi superiori.

EST: cum peccatum *veniale* vi vocis describatur ut ex se *veniam* habens ac proinde poenae mere *temporali* subiaccens, indicatur sic, non essentia, sed quaedam *proprietas* eius; illud enim peccatum non est veniale, quia illi poenae subest, sed potius ea poena dignum est, quia est *tale* peccatum; ideo nunc statuitur eius *essentia*, seu *quid sit in se*, unde poenae temporales reatum inferat; aliis verbis, statuitur *definitio essentialis* peccati venialis ut distincti a mortali.

Differentia enim inter utrumque peccatum non est facilis determinatu, ut iam S. Augustinus fatebatur¹.

UT ACTUALE, seu prout qua peccatum est actus voluntarius transiens: ratione vero maioris claritatis respicitur hic praecipue veniale *ex obiecto* ac *plene deliberatum* et quidem *in iusto*, etsi dicenda valeant de *quolibet* alio peccato semideliberato.

ACTUS sumitur ut in prima thesi, seu *positive* ut activitas

¹ De civ. Dei 21,27,5; ML 41,749,750. Ceterum ipse primus absolute analysi subiecit, quid sit peccatum veniale et praecise statuit distinctionem peccati venialis a mortali: cf. PORTALÉ, 2449s; E.F. DURKIN, *The Theological Distinction of Sins in the Writings of St. Augustine* (Mundelein 1952) c.4. Eodem tamen fere tempore S. Hieronymus videtur illam distinctionem clare non percepisse; cf. J.P. O'CONNELL, *The Eschatology of Saint Jerome* (Mundelein 1948) 167.

libere elicita vel imperata a voluntate, et *negative* ut omissio libera eius activitatis ut ponendae.

MORALITER MALUS, seu habens privationem debitae ordinationis in Deum ut finem ultimum, et ideo huic fini repugnans *saltem aliquantulum*, *quatenus nequit in eum referri*.

In quo ergo peccatum veniale sic *genericè* sumptum non differt a mortali, sed certe ab actu *indifferenti* (si forte hic datur in individuo), qui sane ad illum finem ultimum actu vel virtute non refertur, sed *referri potest*. Undenam vero id insit peccato veniali, quod sit inordinatio moralis et quidem distincta a mortali, inferius dicetur (n.895).

PRAETER FINEM ULTIMUM, seu *non tollens conversionem ad eum finem*. Cum iustus, de quo directe hic agitur, censetur esse ad Deum actu conversus per vinculum vel *physico-morale* amicitiae supernaturalis (seu gratiam sanctificantem) in hoc ordine, vel *pure morale* amicitiae cuiusdam naturalis (seu ens quoddam morale connexionis cum Deo) quale esset in ordine naturae purae, ponitur hic ut differentia *specificam* peccati venialis a mortali, quod illa conversio, quae hoc destruitur, illo non tollatur.

UT HABITUALE, seu prout est aliquid quod, posito actu peccati venialis, manet in anima et quo homo iure dicitur esse habitualiter sed venialiter peccator, seu in statu peccati venialis.

Nec tamen illud est praecise *habitus malus* seu inclinatio permanens ad simile peccatum veniale repetitione actus generata, sed aliquid quemlibet actum leviter peccaminosum consequens (*De malo* q.7 a.3).

INORDINATIO MORALIS, seu privatio debitae rectitudinis in ordine ad ultimum finem.

EX PECCATO VENIALI ACTUALI IMPUTABILITER PERMANENS. Cum peccatum veniale ut actuale includat voluntariam rectitudinis privationem, haec inordinatio censetur manere et quidem ut imputabilis ob illam voluntarietatem, donec, praevia actus retractatione, condonetur.

Ulterius ea inordinatio recte concipi potest ut quaedam *macula*, immo forte etiam ut privatio *novae* illius rectitudinis qua ut vinculo vel pure morali (in statu naturae purae) vel physico-morali (in hoc ordine) homo cum Deo connecteretur, si pro actu peccaminoso alium bonum eliciisset; non vero quasi istud vinculum destruat, sed quatenus hic et nunc eius augmentum impedit.

Pars prima

PECCATUM VENIALE EST ACTUS MORALITER MALUS PRAETER FINEM ULTIMUM

880. Adversarii. Cum plurimi auctores inferius memorandi, qui aliis formulis ac nos uti viderentur, ipsum nostrum assertum quoad rem proponant, ii solum hic citantur, qui peccatum veniale simpliciter definiunt ut actum *contra consilium*. Sic v.gr. SCOTUS, DE BASSOLIS, BIEL 2.

881. Valor theologicus. Saltem moraliter certa.

Ea est opinio S.Thomae (l.c.)³ ac plurium auctorum (S.Alberti M., S.Bonaventurae, Capreoli, Caietani, Tanner, Bellarmino, Suárez, etc.)⁴; immo illorum etiam omnium qui vel ordinem *supernaturalem* respicientes peccatum veniale dicunt esse *actum praeter caritatem* (Durandus, Vitoria, Vega, P.Soto, Granada, etc.)⁵ vel illud peccatum vocant *actum praeter legem* (Rythove, Toledo, Salmanticenses, Gonet, etc.)⁶, cum eae formulae, utpote connotantes Deum vel ut finem *supernaturalem* ultimum vel ut legislatorem, re cum formula thomistica conveniant.

Immo non aliud dicunt tenentes peccatum veniale esse *levem Dei offensam* (Valencia, Zumel, Curiel, Salas, Arriaga, etc.)⁷, cum eam offensam vocent levem, quatenus ea est violatio legis sine aversione a Deo; et ob eandem rationem etiam consentiunt re sive definientes illud peccatum ut *actum contra levem Dei legem* (Wirceburgenses) sive illud reponens in *intrinsicca eius actus deformitate exigente prohibitionem sub levi* (Mendive)⁸.

882. Ratio theologica. 1) Ex documentis nuper allatis constat iustos peccare venialiter, seu actus moraliter ma-

² SCOTUS, In 2 d.21 q.1 n.3; J.DE BASSOLIS, In 2 d.218; BIEL, In 2 d.22 q.1 a.3 dub.1. At iam loquitur fere ut alii theologi mox memorandi MASTRIUS, In 2 d.6 (de peccatis) q.6 a.1 n.162s.165. Cf. JIMÉNEZ, F., *La esencia del pecado venial...* 75-80.

³ Ceterum, iuxta A.LANDGRAF (*Das Wesen der lässlichen Sünde in der Scholastik bis Thomas v.Aquin [Bamberg 1923] p.127-197*) pro doctrina thomistica peccatum veniale est *actus qui de facto nec actu nec virtute ad Deum refertur, etsi forte versetur circa obiectum bonum vel indifferens; ergo non est actus necessario iam in se, etiam praecisa illa eius positiva relatione ad Deum, moraliter malus, seu qui vel ex se vel ex modo quo fit ad Deum nequeat referri*. Ipsum vero, quem sequuntur M.DE LA TAILLE, S.I. (*Le péché veniel dans la Théologie de S.Thomas d'après un livre récent: Greg 7 [1926] 28-43*); F.ZIMMERMANN, S.I. (*Das Wesen der lässlichen Sünde: DivThom[Fr] 12 [1934] 408-441*); cf. ID. (*Lässliche Sünde und Andachtsbeichte [Innsbruck 1935] p.9-84*) iure refutant, utpote dicentem peccatum veniale non esse actum *ex se incapacem* relatu ad Deum, SCHULTES: BullThom 1 (1924) 136-142; DEMAN, 244.

⁴ S.ALBERTUS M., *Summa theol.* p.2 q.114 memb.4 a.3; S.BONAVENTURA, In 2 d.42 a.2 q.1 ad 1; a.3 q.1 ad 6; CAPREOLUS, *Defensiones theologicae*, In 2 Sent. d.43 q.1 a.2 ad 1 arg. Aur.; a.3 ad 1 arg. Dur.; CAIETANUS, In 1.2 q.72 a.5; A.TANNER, *Theologiae scholasticae* t.2 d.4 q.5 dub.2 n.44s; BELLARMINO, *De amissione gratiae* c.11 n.5; SUÁREZ, d.2 s.4 n.10; *De fine hominis* d.3 s.4 n.5. De his et aliis, JIMÉNEZ, F., 42-51. Cf. et LANDGRAF, o.c., 65-126.

⁵ DURANDUS, In 2 d.42 q.6 n.11; F.DE VITORIA, *Relectiones theologicae*, relec.3 n.19; VEGA, l.14 c.12; P.DE SOTO, *De institutione sacerdotum*, tr. de discr. pecc., lect.5.10; S.GRANADO, S.I., In 1.2 t.2 contr.6 tr.2 d.2 s.2 n.15s. Cf. JIMÉNEZ, 53-60. De aliis cf. E.MOORE, S.I., *Principios constitutivos de la materia leve: AchTG 18 (1955) 5-62*.

⁶ M.B.RYTHOVE, *Dictata in secundum librum Sententiarum* d.35 (cf. JIMÉNEZ, 159-161, ubi primum editur); TOLEDO, *De institutione sacerdotum* l.3 c.2; l.8 c.2; SALMANTICENSES, *De pecc.* d.19 dub.1 n.10-21; GONET, *De peccatis* d.9 a.1 § 4 n.29s. Cf. JIMÉNEZ, 61-67.

⁷ VALENCIA, In 1.2 d.6 q.2 punct.2; F.ZUMEL, In 1.2 q.88 a.1 d.3; J.A.CURIEL, In 1.2 q.88 a.1 dub.3 § 3; SALAS, In 1.2 tr.13 d.16 n.40; ARRIAGA, In 1.2 d.48 s.5 n.16-19. Cf. JIMÉNEZ, 69-73.

⁸ WIRCEBURGENSIS, n.44-46; MENDIVE, n.212-215.

los elicere, quin tamen desinant esse iusti et proinde conversi ad Deum. At haec nota, seu quod non avertat a Deo, id peccato veniali convenit, nec alia ei soli propria assignari valet. Ergo illud peccatum recte et essentialiter definitur ut actus moraliter malus sine aversione a Deo.

2) Peccatum veniale est actus qui ad Deum referri nequeat, et aliunde non avertit a Deo, ut facile patet: a) de peccato *semideliberato*, utpote quod sit actio imperfecte humana, e qua ergo aversio hominis ab ultimo eius fine non pendeat oportet; b) de *deliberato* et quia sic peccans nullo modo quaerit alium finem ultimum distinctum a Deo et quia non est de re vel de actione essentiali ad hominem cum ultimo eius fine connectendum. At sic bene definitur peccatum veniale ut essentialiter distinctum a mortali, quin aliter exactius definiri posse ostendatur. Ergo bene dicitur esse actus moraliter malus non tollens conversionem ad finem ultimum.

3) Aliunde opinio Scoti, si dicit peccatum veniale opponi *consilio* formaliter qua tali, errat, cum hoc, *qua tale*, nullam inducat obligationem, ut esset v.gr. servandi virginitatem, sed mere indicet hortationem ad meliora (1 Cor 7,25-40); si vero consilii voce significat *praeceptum*, inepto et fontibus ignoto modo loquitur.

Aliae vero opiniones in id tandem veniant necesse est, ut dicant peccatum veniale ut actum moraliter malum esse *vel praeter caritatem*, quia non destruit vinculum essentialia hominis cum ultimo fine supernaturali, *vel praeter legem*, quia non evertit essentialia legis divinae (cf. n.846), *vel levem offensam Dei, vel contra legem leviter obligantem, vel aliquid simile*, quia est in legem cuius violatione non abicitur Deus.

Et id facile patet, si leguntur iidem auctores, maxime cum ii non raro iisdem fere formulis utantur, quas alii adhibent.

883. Obiectiones. Peccatum veniale datur etiam in aversis a Deo per peccatum grave. Ergo inepte ponitur differentia specifica eius in eo quod non avertat a Deo.

Nego cons. Thesis nostra, etsi directe sit de iusto, statuit *naturam* peccati venialis, seu hoc ex se non avertere a Deo; quod sine dubio datur in eo semper, cum natura eius non putanda sit pendere a subiecto cui illud inquit. Quod stat, etsi tale peccatum in peccatore quadam malitia *extrinseca* affici dicatur, quatenus fit per accidens irremissibile quoad culpam, absente gratia, et forte etiam quoad poenam (cf. STThS t.4 tr.6 n.187).

Pars altera

PECCATUM VENIALE UT HABITUALE EST INORDINATIO MORALIS
EX PECCATO VENIALI ACTUALI IMPUTABILITER PERMANENS

884. Nexus. *Existere peccatum veniale habituale*, supponitur hic ut *de fide divina et catholica (implicite) definita* (D 106-108 804 899 917); constat ceterum ex iisdem fere rationibus, quibus probatur existentia peccati venialis actualis (Mt 6,12; Lc 11,4; 1 Io 1,8; 1 Cor 3,10-15; R 1300 1382 1529 1946 2233), et ex ipsa rei natura, cum peccans censeatur habitualiter manere in suo peccato, donec huius, posita retractione, veniam obtineat.

885. Adversarii. Reponunt peccatum veniale habituale:

- 1) SCOTUS, fere ut mortale, in obligatione ad poenam⁹.
- 2) D.SOTO, hodie DEMAN, in inclinatione inordinata affectus ad aliquid creatum¹⁰.
- 3) ANGLES, LORCA, CURIEL, ZUMEL, et ut videtur MENDIVE, in privatione rectitudinis debitae seu conformitatis ad legem leviter obligantem¹¹.
- 4) LUGO, ARRIAGA, WIRCEBURGENSES, et, ut videtur, VÁZQUEZ, SUÁREZ, TANNER, PESCH, in ipso peccato actuali physice praeterito ac moraliter perseverante in reatu culpae¹².
- 5) VALENCIA, SALMANTICENSES, in privatione habitualis cuiusdam facultatis ad expeditum caritatis exercitium¹³.
- 6) TEPE, in privatione fervoris caritatis¹⁴.

886. Valor theologicus. *Probabilior.*

Nostra opinio non differt quoad rem ab opinione tertia seu proposita ab Angles, Lorca, etc., et ut videtur, etiam a Billot¹⁵. Immo forte nec ab opinione quarta, a Lugo, Arriaga, etc., statuta, nisi hi auctores teneant peccatum actuale veniale consistere *formaliter*, non in privatione, ut nos supponimus, sed in *positivo* elemento, quod proinde putetur moraliter manere.

887. Ratio theologica. Si peccatum veniale ut actuale est actus moraliter inordinatus praeter finem ultimum, ut ha-

⁹ SCOTUS, In 4 d.14 q.1: cf. BASSOLIS, In 4 d.14 q.2 a.1. Cf. JIMÉNEZ, *Propiedades del pecado venial...* 88s.

¹⁰ D.SOTO, In 4 d.15 q.2 a.3; DEMAN, 237. Cf. JIMÉNEZ, 89.

¹¹ I.ANGLES, In 2 d.37 q.9 a.2; P.DE LORCA, In 1.2 d.6 q.16; A.CURIEL, In 1.2 q.89 a.1; E.ZUMEL, In 1.2 q.89 a.1; MENDIVE, n.231.244s. Cf. JIMÉNEZ, 89-91.

¹² LUGO, l.c., s.5; ARRIAGA, l.c., s.4; WIRCEBURGENSES, n.66; VÁZQUEZ, In 1.2 d.139 c.5; SUÁREZ, *De paenit.* d.11 s.1 n.1-6; TANNER, In 1.2 d.4 q.6 dub.1 n.40; q.10 dub.2 n.41s; PESCH, 9 n.550. Cf. JIMÉNEZ, 93-96.

¹³ VALENCIA, In 1.2 d.6 q.2 punct.1; q.16; SALMANTICENSES, l.c., In 1.2 q.89 a.1. Cf. JIMÉNEZ, 91-93.

¹⁴ B.TEPE, S.I., *Institutiones theologiae moralis* (Parisiis 1898) 2 n.146.

¹⁵ BILLOT, th.10 § 1.

bituale censendum est esse status illius inordinationis ut ex actu moraliter inordinato procedens. At actualis illa inordinatio consistit formaliter in privatione debitae rectitudinis praeter finem ultimum. Ergo peccatum veniale habituale est status inordinationis moralis seu privationis illius rectitudinis.

Unde si res bene perspicitur, istud peccatum *nihil positivi, pure moralis* vel *physico-moralis*, animae iustae aufert, sed est macula quasi negativa seu carentia novae illius rectitudinis, quae ex actu bono inesset animae. Unde illud peccatum non est macula animae nisi *secundum quid* (1.2 q.89 a.1; cf. q.88 a.3 ad 3).

Et sic recte intelliguntur etiam illa dicta SS.Patrum, quod peccata venialia sint velut pustulae et scabies animae (R 1529 2233); nam, praeter habitus malos, qui non necessario omne peccatum veniale consequuntur, nihil aliud restat cum illis comparandum, nisi illa *macula secundum quid*, maxime cum illud peccatum non obstat positive habituali nitori animae, ut pustulae et scabies habituali nitori corporis obstant.

Aliunde opiniones adversariorum id habent, quod: a) Opinio Scoti tenere debet, nihil poenae luendae umquam remanere, iam remissa culpa. b) Opinio D.Soto non explicat, et a fortiori non probat semper dari donec peccatum remittatur, illam habitualement inclinationem affectus ad creaturam, nisi sit moralis illa peccati duratio quam proponunt Lugo, etc. c) Horum opinio aut ponit peccatum veniale actuale esse aliquid mere positivum aut non explicat quid sit illud moraliter permanens. d) Opinio Valencia non explicat quae sit illa facultas expeditae caritatis. e) Opinio Tepe, si ponat illum fervorem caritatis in actibus, inepte dicit, ut patet, peccatum veniale habituale in eorum privatione esse; si vero eam privationem concipiat ut inordinationem impediendam totale dominium caritatis, videtur a nostra opinione substantialiter non differre.

888. Corollarium. *Definitio peccati venialis.* In peccato veniali actuali est et conversio inordinata ad creaturam et deordinatio moralis praeter finem. Hinc illud potest definiri: a) *Positive*, actus liber praeter Deum. b) *Privative*, moralis deordinatio a fine per conversionem ad creaturam, sed sine aversione a Deo; ex qua definitione, elementum illius *materiale* est conversio ad creaturam, elementum vero *formale* est deordinatio non obstands conversioni ad Deum, fere ut dictum est de peccato mortali actuali.

889. Scholion 1. *Peccatores reprobi possunt venialiter peccare.* Id est *saltem certum in theologia* contra Wicleff dicentem omnia peccata reproborum esse mortalia¹⁶.

Nam et reprobi possunt semidelibere peccare vel etiam deliberate actum ponere, quo ordo moralis graviter non laedatur: cum enim ii possint aliqua ethice honesta naturaliter agere, a fortiori putandi sunt posse actus leviter inhonestos elicere. Nec aliunde ea est natura peccati venialis, quod

¹⁶ Cf. TH.WALDENSIS, *Doctrinale antiquitatum fidei* t.2 (de sacramentis) c.155-158.

cum peccati mortalis statu componi nequeat. Nec fontes contrarium alicubi vel affirmant vel supponunt.

Si autem, ut verum est, Scriptura non memorat peccata venialia nisi iustorum, id inde facile explicatur, quod venialia iniustorum, etiam plurima, infinito fere intervallo distent malitia ab uno mortali et ideo illa prae his digna fere non sint mentione.

890. Scholion 2. *Peccata venialia sunt talia ex natura sua.* Id statuitur contra quosdam antiquos, ut sunt Gerson, Almain, Fisher dicentes *omnia* peccata de se esse mortalia ac mereri poenam aeternam, sed ex Dei benignitate quaedam, etiam plene deliberate facta, ut venialia haberi, quae ergo nec gratiam expellant nec poenam aeternam mereantur¹⁷; et contra Baium, qui appellat Fisher, dicens nullum esse peccatum natura sua veniale¹⁸.

Hi vero auctores differunt a Protestantibus, quatenus hi dicunt nos non nisi mortaliter peccare, sed Deum nolle ea peccata iustis ut mortalia imputare et ea ut talia punire; dum illi asserunt quaedam nostra peccata, etiam plene deliberate facta, esse venialia, non ex se sed quia Deus misericors decreverit, antequam ea committantur, certa quaedam peccata hominum non esse. Ipsi habenda ut mortalia, ita ergo ut ea committens non nisi venialiter peccet; unde non imputatio peccati ut mortalis est, pro his ante actum peccati, pro haereticis vero post eum actum¹⁹.

Attamen dari saltem aliquod peccatum natura sua veniale est doctrina catholica (1020)²⁰.

Theologi unanimiter, etiam ante thesim Baii damnatam, reiecerunt opinionem contrariam, ita ut haec, iuxta Vega, non videatur posse cum doctrina C. Tridentini de peccato veniali conciliari; iuxta Tanner, sit falsa et improbabilis; iuxta G. Martínez, saltem temeraria; iuxta Suárez, omnino falsa et forte plus quam temeraria; iuxta Vázquez, improbabilis²¹.

C. Tridentinum: «Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti» (D 804). Ergo ex sensu obvio sunt quaedam peccata ex se venialia, seu quae immerito et sine ulla seria ratione dicerentur esse talia solum ex Dei benignitate.

Item docet: «Oportere a paenitentibus omnia peccata mortalia, quorum... conscientiam habent in confessione recenseri... Nam venialia... taceri... citra culpam... possunt» (D 899). At si peccata omnia essent ex se mortalia, ad paenitentem nescirent sine revelatione quanam eorum possent non confiteri aut omnia eis confitenda essent.

Ex natura amicitiae ac providentiae divinae et salutis aeternae, repugnat quin ob levissimum quemque defectum v. gr. ob verbum otiosum illa salus in aeternum amittatur; ergo sunt aliqua peccata ex se venialia.

¹⁷ I. GERSON, *De vita spirituali animae* lect. I col. 9-10; S. ALMAIN, *Moralia* c. 20, qui tamen eam doctrinam non proponit ut suam directe et clare, sed solum indirecte, quatenus in ea late exponenda et in eius difficultatibus solvendis maxime insistit; J. FISHER, *Roffensis, Lutheri assertionis confutatio* a. 32. Cf. JIMÉNEZ, *La esencia del pecado venial...* 25-28; SUÁREZ, *De vit. et pecc.* d. 2 s. 4 n. 1.

¹⁸ Cf. LE BACHELET, 93; JIMÉNEZ, 305.

¹⁹ Cf. JIMÉNEZ, 315.

²⁰ Cum hac damnatione, non mere difficile, ut ait DEMAN, 226, sed nullo modo, ut credimus, doctrina Gersonis conciliari potest quoad negandam ipsam existentiam alicuius saltem peccati natura sua venialis; ad summum non deduceretur ex ea sola damnatione omnia peccata venialia esse natura sua talia. Aliunde tamen requiritur dici esse de fide, ut videtur, existentia eiusmodi peccatorum: cf. JIMÉNEZ, 32.

²¹ VEGA, l. 14 c. 15 (qui tamen illos auctores in rectum sensum intelligi forte posse putat: c. 16); TANNER, d. 4 (de peccatis) q. 5 dub. 1 n. 24; G. MARTÍNEZ, *Comment. super primam secundae* q. 88 a. 1 dub. 2; SUÁREZ, l. c., n. 8; VÁZQUEZ, *In 1. 2 d. 142 c. 1 n. 4*; cf. tamen c. 2 n. 5. Cf. JIMÉNEZ, 29.

Ea peccata ex se non venialia quae ut venialia a Deo censerentur: a) Aut mortaliū haberent malitiam, quam Deus sensu protestantico ut iusto non imputandam dissimulare diceretur, quod admitti nequit. b) Aut de se illi malitiae apta, quatenus Deus ea sub reatu culpae mortalis vitanda esse decernere posset, illa malitia ex voluntate Dei carerent, quod etiam falsum est. Nam divinae sapientiae, sanctitatis, iustitiae esse putandum est, ut praecepta Dei ex natura sua obligationem ipsis rebus et actionibus congruentem imponant.

Nec dicatur peccatum veniale esse tale ex misericordia Dei, qui posset illud sub mortali prohibere. Id enim verum est pro casu particulari aut cum adest finis aliquis extrinsecus sufficiens (immo ratione sui domini absoluti, etiam universaliter) aut cum nullus sit talis finis proximus; at is modus praecipiendo minus consentaneus esset divinae sapientiae, bonitati ac suavi providentiae, cum homo necessitate morali committat saltem aliqua peccata venialia. At nec ideo neganda essent quaedam peccata venialia ex natura sua; praecipitis enim positivis peccata natura sua mortalia non fiunt venialia, sed iis venialia fierent ob legis obligationem mortalia, ut de se indifferentia interdum possunt prohiberi sub gravi vel levi.

Tamen, etsi Deus id quod sub veniali prohibet etiam sub mortali posset absolute prohibere, id ex sola misericordia non facit; at inde non sequitur id ex ista sola esse, quod non deputet ad poenam aeternam id quod prohibet sub veniali²².

ARTICULUS III

ALIIQUAE QUAECTIONES DE PECCATO VENIALI ACTUALI

891. *De relatione venialiter peccantis ad ultimum finem.* Cum ille ponat actum qui ad Deum referri nequeat et eo actu a Deo se non avertat, surgit problema de illius relatione, dum venialiter peccat, ad Deum: quomodo nempe possit in ipso psychologica conciliari voluntas actus, quem ad Deum ordinare nolit, cum voluntate non se avertendi a Deo. De qua re haec videntur dicenda, quae, etsi ratione claritatis maxime in iusto respiciuntur, etiam in peccatore servata proportione (seu inspecta sola ipsa tendentia peccati venialis qua tali) valent:

Venialiter peccans ea dispositione habituali, etsi eam signate non exprimat, subjective agit, ut velit facere id quod Deo displicet (non vero quia ipsi displicet), cum tamen sciat se ab amore Dei eo actu non recedere; ergo vult manere ad Deum ordinatus quantum sufficit ut sit ad finem suum ultimum conversus, sed tamen quin vitet omnia ad illum finem non referribilia (i. 2 q. 88 a. 1 ad 2). Eam vero voluntatem retinet, dum nihil intendit ultimo fini oppositum seu ut finem ultimum extra Deum; at ita quaerit inordinate aliquod bonum, ut vellet eo carere, si id conservatio finis ultimi exigeret.

²² Cf. SUÁREZ, l. 2 s. 4 n. 8; WIRCEBURGENSES, n. 37-40.

Quo sensu iure dici potest: «Quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu» (2.2 q.24 a.10 ad 2; cf. 1.2 q.88 a.1 ad 3). *Habitu* nempe obiectum creatum ad Deum refertur, si vi praesentis actionis conversio habitualis ad Deum non tollitur. Peccans enim venialiter sic manet habitualiter ordinatus in Deum, ut etiam eius actus leviter peccaminosus ordinetur in Deum eo sensu, quod homo paratus sit bonum inordinate volitum nolle, si eius prosecutione amicitia Dei auferatur; lex enim divina intendit ut homo *et se ac omnia sua* ultimo fini subiciat, quatenus ipsum omnibus praeferat, quod venialiter peccans servat, *et singulos suos actus* saltem sic ad Deum referat, quatenus eos iuxta dictamen rationis ponat, quod venialiter peccans non servat, cum bonum suum tunc inordinate quaerat.

Hic etiam illud notetur, quod venialiter peccans dicitur voluntatem suam divinae praeferre, solum quatenus rem creatam praefert rei praeceptae a Deo, ita ergo ut, si haec praecipitur sub poena *aversionis* Dei, praeferens illam huic eligat eo ipso bonum creatum *ut finem ultimum* prae Deo et sic mortaliter peccet; at vero si non sub ea poena aversionis praecipitur, solum peccet venialiter, cum sic Deum ut finem ultimum non contemnat, sed potius rem rei praeceptae praelatam a se prohiberet, si secus amicitiam Dei amitteret. Ita fere apud homines amicus amico in re levi displicens non eo ipso censeatur minimam illam rem amico praeferre, cum potius eam despicere, si secus amicitia sua privaretur.

892. *De fine ultimo peccati venialis actualis.* Iam non agitur de habituali connexionione venialiter peccantis, dum peccat, cum Deo fine ultimo, sed de ordinatione ipsius *actus* leviter mali ad aliquem finem. Is actus est moraliter inordinatus, qui ergo in Deum ut finem ultimum simpliciter referri nequeat, et aliunde non tollit conversionem hominis ad Deum; at possunt ea duo mutuo conciliari? En quaestio difficillima, cuius solutio multis viis quaesita est¹.

Difficultas vero inde existit, quod actus leviter malus, utpote voluntarius, videatur referendus esse in aliquem *finem ultimum*, et quidem *unum*, qui vero nec sit Deus, quia secus ille actus esset bonus, nec creatura, quia secus ille esset graviter peccaminosus. Hinc respondetur:

1) Finis ultimus peccati venialis nec est Deus ut bonum particulare, nec creatura, sed *beatitudo in communi*, nec praecise ut abstracta, sed ut bonum satius appetitum humanum, ita ut hoc bonum sit *formalis* ratio finalis, Deus vero sit finis *materialis* (seu id in quo de facto est finis), quin proinde sint duo fines ultimi. Ita Curiel, G.Martínez, Zumel, Billuart, Billot, Pesch, Garrigou-Lagrange².

¹ Cf. JIMÉNEZ, 83-157.
² CURIEL, *In* 1.2 q.1 a.5 § 2; G.MARTÍNEZ, *In* 1.2 q.88 a.1 dub.4; ZUMEL, *In* 1.2 q.88 a.1 d.3; q.71 a.6 d.11; BILLUART, *De pecc. diss.* 8 a.4 § 2; BILLOT, *th.9* § 2 obi.3; PESCH, 9 n.532 not.1; GARRIGOU-LAGRANGE, *La fin ultime du péché veniel et celle de l'acte imparfait, dit 'imperfection'*: *RevThom* 7 (1924) 314-317. Cf. JIMÉNEZ, 89-95.

Ea opinio id habet contra se, quod voluntas humana non possit agere nisi propter finem aliquem *determinatum*, etsi appetitu boni in genere mota. Hinc in ea opinione simpliciter dicendum est aut *Deum* esse peccati venialis finem ultimum, aut *nullum* eius esse proprie finem ultimum.

2) Peccatum veniale ordinatur non actu nec virtualiter, sed *habitu*, in ipsum Deum ut finem ultimum. Eam habitualement relationem, quam S.Thomas proponit quin ulterius declarat (2.2 q.24 a.10 ad 2)³, alii in eo ponunt quod peccans servet caritatis habitum ex se efficacem ad referendum in Deum omnia referibilia (Caietanus), vel quod proxime referat actum in seipsum, qui simul ordinatur in Deum illo habitu (Medina), vel quod ille actus referatur in creaturam ut finem *proximum* (ultimum secundum quid) et in Deum, ut finem *simpliciter ultimum*, solum negative seu quatenus peccans hunc non vult illo actu evertere nec destruere caritatem, cum non destructio huius sit aliquod bonum influens illo modo mere negativo in peccatum veniale (sic fere Ioannes a S.Thoma, Salmanticenses, Gonet, Deman, Urdánóz, Aumann)⁴.

At in ea opinione aut non declaratur finis ultimus *peccati*, sed solum *peccantis* (Caietanus...), aut de facto finis (non vero ultimus seu ad quem cetera omnia referantur) ponitur in ipso *agente* (Medina...), aut non explicatur ordinatio *positiva* (de qua est proprie quaestio) peccati in finem ultimum seu in id propter quod aliquis actus ponitur, et ideo unus finis (non vero ultimus) *positivae* ordinationis actus est in creatura (I. A S.Thoma...). Ceterum vera intentio *habitualis* non concipitur sine praevio aliquo eius *actu positivo*.

3) Ipsa creatura est *unus* finis (non vero *simpliciter ultimus*) peccati venialis vel quia hic actus caret fine ultimo (Scotus, Montesinos, Jiménez)⁵ vel quia (quod in idem quoad rem cadit) tendit in creaturam ut in finem *negative ultimum* (ultimum operis, non operantis) seu qui positive ulterius in Deum non refertur (Vázquez, Suárez, Esparza etc.)⁶. Immo S.Thomas aut nihil dicit de ordinatione (praeter illam habitualement quae nullo modo rem solvit) peccati venialis in finem ultimum aut dicit istud peccatum fine ultimo simpliciter carere, seu ad eum simpliciter non referri, ut tenent Landgraf, De la Taille, Jiménez⁷.

In quam opinionem, ut probabiliorem, ceterae omnes opiniones veniant necesse est, nisi malint dicere peccatum veniale positive ordinari aut in Deum ut in nullum finem ultimum praeter creaturam.

In qua re citetur oportet De Araújo dicens: «Ad primam obiectionem respondetur, in hoc casu Theologiam corrigere Philosophiam ethicam et moralem; haec enim neutiquam admitteret actum humanum, qui non sit propter finem ultimum positive, nec ordinetur in finem ultimum operantis; illa vero agnoscens peccatum veniale, in illa pariter admittit actum humanum, qui sistat in fine operis, et non referatur, in finem ultimum positive, nec finalicetur ab illo; imo hoc est peccare venialiter, velle scilicet aliquod bo-

³ Cf. JIMÉNEZ, 107-114, qui ut S.Doctori fere consonantem inducit SS.Albertum M., Bonaventuram. P.De LETTER, S.I., *Venial Sin and its final goal*: *Thom* 16 (1953) 32-70; Iuxta S.Thomam, peccatum veniale nullum finem ultimum habet.

⁴ CAIETANUS, *In* 2.2 q.24 a.10; MEDINA, *In* 1.2 q.1 a.5; q.88 a.1; I.A.S.THOMA, *In* 1.2 d.1 a.7 n.41-57; SALMANTICENSIS, *De ult. fine* d.4 dub.4 n.76-89; GONET, l.c., d.9 a.3 n.69-74; a.4 n.75; DEMAN, 238-242; T.URDÁNÓZ, O.P., *Boletín de teología moral*: *CiencTom* 75 (1948) 1378; J.AUMANN, O.P., *La teología del pecado venial*: *TÉSPir* 2 (1958) 259-263. Cf. JIMÉNEZ, 115-117.

⁵ SCOTUS, *In* 4 d.49 q.10; cf. *In* 1 d.1 q.3 n.2; L.De MONTESINOS, *In* 1.2 q.1 a.5 d.3 q.3 § 3 n.64-69; q.88 a.1 d.18 q.3 n.50-59; JIMÉNEZ, 155-157; cf. Id., 139-150.

⁶ VÁZQUEZ, *In* 1.2 d.5 c.2 n.11; SUÁREZ, *De fine hominis* d.1 s.6 n.2-5; ESPARZA, *De actibus humanis* q.1 diff.6; a.2. Cf. JIMÉNEZ, 97-105.

⁷ LANDGRAF, *Das Wesen der Lässlichen Sünde...* p.127-197; DE LA TAILLE, l.c.; JIMÉNEZ, 1558.

num creatum non referendo illud in ultimum finem, vel sistendo in illo tamquam in ultimo negative, qui est ultimus operis, non operantis»⁸.

893. *Estne peccatum veniale offensa Dei?* Id dubii inde exsurgit, quod venialiter peccans rem creatam fini ultimo non anteponat et ideo ut sic agens Deum nullo modo contemnat ac ne in minimo quidem imminuta caritate ab ipso se avertat.

Pro S.Bonaventura illud non est offensa Dei, qui tamen cum peccato veniali minus ametur⁹, et pro S.Thoma «cum non importet aversionem, proprie loquendo non habet rationem offensae» (*De malo* q.7 a.2 ad 10); alii ut Vázquez, Wirceburgenses, dicunt illud esse offensam *levem*; Mendive statuit illud *aliquem parvum* praecepti divini ac proinde etiam Dei praecipientis *contemptum* continere et ideo vere esse *levem* Dei offensam, quae tamen ut talis mere analogice cum peccato mortali conveniat¹⁰.

At, nisi dicatur quaestio esse potius de voce quam de re, probabiliter melius tenetur cum aliis, ut Suárez, Pesch, illud non esse offensam Dei *simpliciter* et *stricte*, sed certe *secundum quid* et sensu lato. Nam nullo modo minuit amicitiam Dei et hominis (2.2 q.24 a.10), nec proinde ullum *stricte dictum* Dei *contemptum* importat, cum hic proprie sit in re indigniore alii digniori praeferenda; sed aliunde ut aliquo modo bonitati Dei repugnans ipsi displicet, quia et sit transgressio praecepti divini, Deus illud aegre ferat ac iuste puniat, et eo creatura intensive (non aestimative) Deo praeferatur. Sensus christianus loquitur de peccato ut de offensa in Deum¹¹.

Hinc peccatum veniale est malitiae infinitae, non *simpliciter*, qualis nec mortale est, quod tamen amicitiam Dei solvit in oppositione ad veniale, sed certe *secundum quid*, eo tamen solo sensu quod gravitate quamlibet offensam creaturae etiam perfectissimae illatam superat^{11*}. Unde consequenter quodlibet malum creaturae physicum, etiam aeternum, esset ei praeferendum v.gr. damnatio omnium hominum et a fortiori omnes infirmitates ac miseriae temporales.

894. *Opponitur peccatum veniale caritati?* Non huius habitui, quem vel destruat vel minuat ei aliquid detrahens; sed certe eius *fervori* seu studio ordinandi *actu* omnia in Deum,

⁸ F. DE ARAÚJO, O.P., *In* 1.2 q.1 a.8 dub.3 n.38. Cf. JIMÉNEZ, 156.

⁹ *In* 2 d.42 a.2 q.2 ad 6.

¹⁰ VÁZQUEZ, *In* 1.2 d.143 c.2; WIRCEBURGENSES, n.478; MENDIVE, n.2558.

¹¹ SUÁREZ, d.2 s.5 n.148; PESCH, 9 n.533; J. RIMAUD, *Le caractère spirituel de la morale chrétienne*: RechScRel 25 (1935) 1678; L.L.McREAVY, *Ave Venial Sins Peccata?*: ClRev 49 (1964) 110. Cf. JIMÉNEZ, *Las propiedades...* 117-121. J.BEUMER, S.L., *Lässliche Sünde und Andachtsbeichte*: Schol 11 (1936) 244s. Pariter aliae similes quaestiones de peccato veniali statui possent sive de ratione vel analogica vel univoca peccati sive de rigore quo istud nomen illi conveniat: cf. JIMÉNEZ, *ibid.*, 96-117.

^{11*} Cf. tamen MICHEL, *Enfer et péché veniel*: AmCl 69 (1949) 649.

cum haec *actualis* ordinatio nequeat cum *actu* illius peccati componi; item impedit *augmentum* habitus caritatis eventurum ex actu vincendi tentationem ad illud peccatum (*De malo* q.7 a.2 ad 8.13.17); etiam affert animo et turbationem et taedium spirituale, quae fervorem caritatis cohibent, pro spirituali consolatione istum fervorem fovente, dum potius ab homine prohibet gratias copiosiores, quas Deus ei in poenam peccati denegat et quibus caritas *actualis* ac proinde etiam *habitualis* vehementer augetur. Quae omnia ceterum valent maxime et forte unice de venialibus *deliberatis*¹².

895. *De obiecto peccati venialis qua talis.* Cum conscientia sit norma actus moralis, fieri potest ut illa aut aliquem actum in se moraliter levem falso dicat esse gravem aut alium in se moraliter gravem vel ut levem in se vel ut sine sufficienti rationis deliberatione ac voluntatis libertate elicitum proponat, ita ergo ut homo in primo graviter, in aliis leviter peccet. At illud peccatum esset mortale et haec essent levia *per accidens*; nunc autem agitur de peccato quod *per se* sit veniale seu quod, etiam posita ex parte subiecti peccantis recta scientia et perfecta deliberatione ac libertate, non sit nisi veniale.

Quod hoc peccatum sit leve in oppositione ad mortale, id non est ex voluntate Dei, ut supra dictum est (n.890), nec ex imperfectione actus ex parte subiecti, ergo ex ipso *obiecto*: quod ceterum sat constat ex fontibus sensu obvio sumptis. At cum ex hypothesi peccatum mortale etiam sit tale, ceteris paribus, ex obiecto, quodnam est obiectum vel graviter vel leviter malum seu peccati vel mortalis vel venialis?

Obiectum ergo est *graviter malum*, si eius prosecutione destruitur *essentia* ordinis moralis seu ordinatio omnium in Deum finem ultimum, ut est: a) quidquid immediate contra Deum fit (blasphemia, denegatio cultus, periurium, etc.), utpote quae sint immediate contraria fini ultimo; b) quidquid ordinatum amorem hominis graviter destruit (suicidium, gravis mutilatio, ebrietas, etc.), cum, quia omnino vel partim hominem impedit, quin se ac totam suam actionem in ordine statuto a Deo ad finem suum ultimum dirigat, mediate ac directe huic repugnet; c) quidquid contra ordinem sociale a Deo institutum fit (homicidium, rebellio, gravis iniustitia, luxuria, et cetera), cum id fini ultimo mediate ac directe repugnet, quatenus societas domestica, civilis, religiosa est in hoc ordine medium necessarium quo homo in finem suum ultimum tendat.

¹² Cf. AUMANN, l.c., 269s.

Obiectum ergo leviter malum ita ut, etiam posita plena deliberatione, actus circa illud sit peccatum veniale, est id quod nullam evertit trium relationum essentialium hominis ad Deum, ad se, ad societatem, at earum alicui est levi impedimento. Hinc, tali obiecto posito, peccatum est veniale: a) ex toto genere suo, si eius obiectum ex se, etsi augeatur, nullam trium relationum hominis ad ultimum finem frangit (v.gr. simplex mendacium); b) ex parvitate materiae, si obiectum eius est ex genere suo grave, utpote quod ex se aliquam trium relationum hominis ad finem ultimum evertit, non vero si illud in parva re sumatur (v.gr. furtum).

Ergo peccatum veniale, ex dictis, *per se ac ratione obiecti* et est leve et differt a mortali; differunt vero inter se ratione *relativae gravitatis* peccata venialia per se talia? Responsum affirmativum fluit ex natura rei, sive quia intra eandem speciem moralem ea peccata fiunt diverso gradu voluntarietatis vel diversis adiunctis aggravantibus intra species morales diversas, sive quia obstant virtutibus diverso gradu hominem cum ultimo fine connectentibus (cf. n.853).

896. *De specificatione peccati venialis qua talis.* Peccatum mortale et peccatum veniale differunt specie *moralis* iuxta solam diversitatem moralem obiecti, non vero si haec non datur v.gr. sic furtum parvum non differt a magno (1.2 q.72 a.6 ad 1); differunt vero specie *theologica* seu secundum materiae gravitatem, quatenus mortale, non vero veniale, avertit a Deo, etiam forte eadem manente specie *moralis*.

At si haec differentia *theologica* inter omne mortale et omne veniale respicitur in peccatis ex genere suo gravibus sed materiae parvitatem admittentibus, ea certe datur *in abstracto*; dum saepe *in concreto* adeo proxime ratione materiae mutuo accedunt, ut linea separationis eorum difficile assignetur et proinde differentia inter illa mere *gradualis* esse videretur.

Etsi tamen *ut talis* ea *in ordine physico* appareat, inspecta *in ordine morali* est *essentialis*, quatenus re parva leviter et re magna graviter ordo *moralis* perturbatur; unde theologi definientes v.gr. in materia iustitiae limitem concretum parvitatibus materiae, considerant non pretium rei mere *physicum*, quasi inter mortale peccatum et veniale parum pecuniae intersit, sed valorem rei *moralem* in ordine sociali, dicentes nempe et esse grave eum ordinem evertere et id tali pecuniae summa ablata fieri ^{12*}.

^{12*} Cf. SUÁREZ, d.2 s.5 n.2-4.

Ceterum peccata venialia *specificè* differunt inter se iuxta diversitatem *moralem* obiecti circa quod versantur.

897. *Num possit peccatum veniale fieri mortale.* 1) *Idem actus physicus* potest, novis adiunctis accedentibus, ex leviter malo fieri graviter malus: ratione *advertentiae*, si, posita materia gravi, deliberatio initio imperfecta fiat dein plena; *ex obiecto ex se leviter peccaminoso*, si dum ponitur actus, obtinetur cognitio legis alicuius illud ut grave statuentis v.gr. si manducans carnem *ex gula* die veneris, pergit manducare, etsi tunc cognitionem obtineat legis; *ex coniunctione malitiae gravis cum levi* v.gr. detractionis gravis cum garrulitate.

2) *Peccatum leve ex obiecto fit mortale*: si quis in illo obiecto ponit *finem ultimum* v.gr. si ex inordinato amore ludi per se honesti paratus sit gravem Dei legem violare; si quid ex se leve ordinetur ad aliquid *grave* committendum (1.2 q.88 a.2); si quis ex amore alicuius peccati venialis contemnat *formaliter* divinam legem etiam sub levi obligantem; si quis faciat aliquid in se leve, *putans* id esse *grave*; si peccans venialiter sciat se hic et nunc *grave scandalum* dare.

3) Peccatum veniale nequit fieri mortale *per solam multiplicationem*; nam, cum non sit aversio a Deo, est *diversi ordinis* ac mortale. Sane si essent *eiusdem ordinis*, veniale multiplicatum posset fieri mortale, ut multae lineae parvae efficiunt unam magnam; quod fieri nequit, si sunt *diversi ordinis*, ut multi passeris nequeunt constituere unum hominem, cum species vel genus sola multiplicatione non mutetur (1.2 q.88 a.4)

Nec dicatur saltem *veniale ex parvitate materiae*, si multiplicetur, fieri mortale, ut v.gr. plura furtula possunt coalescentia efficere unum magnum furtum, quod sit peccatum mortale. Parvis enim furtis in se venialibus non efficitur peccatum mortale, nisi quatenus *ultimum* furtum additum iis et cum iis moraliter connexum est peccatum mortale; habetur enim multiplicatio quantitatis rei ablatae, quae, secundum *moralem aestimationem*, initio est parva et in singulis et in complexu furtorum, sed, coalescentibus furtis, *ultimo* fit magna seu obiectum peccati mortalis. Ergo priora furtula sunt venialia nec fiunt mortalia; sed quantitas eis ablata completur quantum sufficit ad peccatum mortale ultimo furto, *quod proin*, et *solum hoc*, iam non est peccatum veniale sed mortale.

4) Sed peccata venialia multiplicata disponunt ad mortale (1.2 q.88 a.3): a) *Negative*, quatenus, ut dictum est, *minuunt* fervorem caritatis et *privant* uberioribus gratiis quas Deus dat ipsi studiose servientibus. b) *Positive*, quia ex repe-

tita transgressione legis etiam levis, maxime plene deliberata, «generatur habitus et crescit aviditas et delectatio in peccato; et in tantum potest crescere, quod facilius inclinatur ad peccandum mortaliter» (*De malo* q.7 a.3). Nam peccans venialiter, dum assuescit debitum ordinem in minoribus violare, disponitur ut etiam ordinem ultimi finis violet et sic peccet mortaliter (I.2 q.88 a.3); is enim potest esse habitus peccati venialis, ut ne in periculo quidem peccati mortalis superetur.

Hinc venialia deliberata valde timenda sunt, utpote disponentia ad mortalia; id eo magis efferendum est quod si quis mere aspiret ad haec vitanda, pervenire poterit ad aestimandum practice peccatum veniale non necessario vitandum esse, imo nec esse verum peccatum, sed vel meram imperfectionem si agitur de semideliberato vel meram negationem maioris perfectionis si agitur de aliis; quae tamen non adeo valent de semideliberatis et subreptitiis, dispositionem permanentem, saltem firmam, ob actus imperfectionem, non generantibus. Ceterum de dispositione ad mortale intelligenda sunt verba S. Augustini (R 1529 1846) de multis peccatis levibus unum grande facientibus (I.2 q.88 a.4)¹³.

898. *Num omnis imperfectio positiva sit peccatum veniale.* Quaeritur de imperfectioe non *negativa*, seu defectu ulterioris perfectionis in actu humano v.gr. in Dei amore, qui careat ea perfectione quam habere posset, cum ea fere cuilibet actu humano insit nec proinde sit peccatum; nec de *positiva* quae sit transgressio plene *involuntaria* praecepti; sed de *positiva* seu omissione boni quod hic et nunc agenti ut melius appareat, sive ex solo dictamine rationis v.gr. preces matutinae, sive ex inspiratione divina v.gr. peregrinatio, sive ex praecepto non obligante sub peccato v.gr. observantia religiosa, sive ex Dei consilio, qualis est invitatio Dei omnibus facta ad actum bonum nulla lege praeceptum, nec proinde moraliter obligans, at opposito meliorem v.gr. ad virginitatem, sive ex declaratione auctoritatis legitimae v.gr. communio frequens¹⁴.

Haud dubie non est laude digna ea animi dispositio, qua quis sine ratione congruenti maius bonum prae minore non eligat; immo, illa imperfectio vix erit sine peccato ratione *motivi inordinati* (negligentiae, sensualitatis, curiositatis, etc.)^{14*}.

¹³ Cf. AUMANN, l.c., 269-271; RIMAUD, l.c., 167. De varia opinione circa istam quaestionem in primaeva scholastica, cf. LANDGRAF, *Die Stellungnahme der Frühcholastik zur Frage utrum veniale peccatum possit fieri mortale*: ActPontAcRomSth 7 (1941) 78-126; cf. Id., o.c., 4,2 c.1.

¹⁴ De vario modo definiendi imperfectionem, cf. ZIMMERMANN, *Begriff der Unvollkommenheit*: ZAszMyst 1 (1926) 387s.

^{14*} Id tamen non admittit G.Kelly: cf. J.J.FARRAHER, S.I., *Is Religious Disobedience Always a Sin?*: Rev.f.Religious 19 (1960) 218-224.

Ea est sine peccato, si solidae rationi obediatur¹⁵; at si ponatur *unice quia non prohibetur*, modo tamen non ob malum finem ponatur?

Ea est peccatum (veniale) iuxta plures, v.gr. Hugueny Mainil, Ranwez, Vermeersch, Cruysberghs, Elter, Bernard, Meunier, Tonneau, Aumann, Truhlar¹⁶. Nam bonum minus praeferre bono evidentem maiori videtur esse contra rectam rationem, quae exigit ut homo finem suum ultimum omni modo sibi aptissimo quaerat; quod certe non facit qui bonum maius peccaminosa. Item caritas in se ipsum prohibet quin homo sibi damnum circa finem ultimum inferat. Immo ea omissio (saltem ubi agitur de Dei inspiratione vel consilio) videtur et reverentiam Deo debitam violare et ex ingrato in Deum animo esse.

Alii vero plures, v.gr. Salmanticenses, Nivard, Huerth, Garrigou-Lagrange, Schellinckx, Mersch, Cathrein, Richard, Calveras, Creusen, Mazón, Morán, Lacouline, De Guibert, De Letter, Lumberras, Farraher¹⁷, dicunt eam imperfectionem non esse peccatum; quod et nos putamus *probabilius* esse.

Nam peccatum est legis moraliter obligantis transgressio, quae in casu non datur; ergo imperfectio non est *per se* pec-

¹⁵ Ut esset v.gr. si officium status impediatur; si quod onus proximo imponatur; si privet gaudio conveniente relaxationi normali; si nimis foveat anxietates animi: cf. E.HUGUENY, O.P., *Imperfection*: DTC 7,1272.

¹⁶ HUGUENY, l.c., 1292-1298; Id., *Imperfection et péché veniel*: RevCifR 53 (1908) 641-660; F.MAINIL, *L'imperfection morale*: CollatTorn (1925) 318-331; E.RANWEZ, *Péché veniel et imperfection*: EphThLov 3 (1926) 177-200; Id., *Péché veniel et imperfection*: ibid. 5 (1928) 32-49; Id., *A propos du perfectionisme. I. Remarques du Monsieur le chanoine Ranwez*: Rev Thom 11 (1928) 276-278, 555-560; Id., *Péché veniel ou imperfection*: NouvRevTh 58 (1931) 114-135; Id., *Morale et perfection* (Tournai 1959); Id., *Problème mal posé?*: RechScRel 50 (1962) 538-545; Id., *Faut-il accuser les imperfections au confessionnal?*: RevDiocNam 17 (1963) 446-460; VERMEERSCH, *De imperfectione et veniali peccato*: PerMorCanLit 17 (1928) 194-220; Id., *Theol. mor.* 12 (Roma 1933) n.403-405; K.GRUYBERGHS, *De imperfectione quid sit et utrum sit peccatum*: CollMech (1929) 425-429; E.ELTER, S.I., *Sitne in doctrina moralis S.Thomae locus pro imperfectionibus positivis non peccaminosis?*: Greg 10 (1929) 20-51; BERNARD, o.c., 360-365; A.MEUNIER, *Imperfection ou péché veniel*: RevEclLiège 23 (1931-1932) 201-219; J.TONNEAU, O.P.: BullThom 5 (1928) 393-398; 10 (1933) 783-791; AUMANN, l.c., 266-268; C.V.TRUHLAR, S.I., *Imperfectione positiva e carità*: RivAscMist 6 (1961) 204-213.

¹⁷ SALMANTICENSIS, *De vit. et pecc. d.19 dub.1 n.8s*; M.NIVARD, *Autour du probabilisme. II. Perfectionisme*: ArchPh 2 (1924) 86-91; F.HUERTH, S.I., *De imperfectione positiva*: Greg 5 (1924) 102-106; GARRIGOU-LAGRANGE, *L'imperfection est-elle distincte du péché veniel?*: VieSpir 11 (1925) 85-87; Id., *Le moindre mal*: ibid. 12 (1926-1927) 1-14; A.SCHELLINCKX, M.S.C., *Autour du problème de l'imperfection morale*: EphThLov 4 (1927) 195-207; A.MERSCH, S.I., *De imperfectione et veniali peccato*: PerMorCanLit 17 (1928) 186-194; CATHREIN, *Unvollkommenheit und lässliche Sünde*: ZAszMyst 3 (1928) 115-137, 221-239, 269s; T.RICHARD, O.P., *Le perfectionisme et Saint Thomas*: RevThom 11 (1928) 1-26; Id., *A propos du perfectionisme. II. Réponse du R.P.Richard*: ibid. 278-281; Id., *Reponses à des nouvelles critiques*: ibid. 560-565; Id., *Les imperfections et la doctrine de Saint Thomas*: RevThom 36 (1931) 131-156; Id., *Etudes de Théologie Morale. I. Le plus parfait, doctrine et pratique* (Paris 1933); J.CALVERAS, S.I., *Concepto del desorden en los Ejercicios de San Ignacio*: Manr 7 (1931) 289-303; J.CREUSEN, S.I., *Imperfection ou péché veniel*: NouvRevTh 58 (1931) 21-34; C.MAZÓN, S.I., *Las Reglas de los Religiosos. Su obligación y naturaleza jurídica* (Roma 1949) p.332-342; I.MORÁN, S.I., *El orden moral: ¿Cabe en él algún desorden con plena deliberación y sin pecado?*: MiscCom 1 (1943) 133-173; P.LACOULINE, *Imperfection ou péché veniel* (Québec 1945), de quo opere cf. A.PLANTE, S.I.: ScEcl 1 (1948) 231-236; J.DE GUIBERT, S.I., *Leçons de théologie spirituelle I* (Toulouse 1946) p.169; P.DE LETTER, S.I., *Veniel Sin*: RevRel 9 (1950) 225-233; LUMBERAS, *Suma teológica* 947-950; FARRAHER, l.c. 216-224.

catum. Id quod aliquid sit solum *consilium* et quod tamen libertatem humanam sub peccato practice liget, videtur intrinsece repugnare.

Ceterum contra rectam rationem est minoris aestimare affective maius bonum vel eligere minus bonum quia minus sit; non vero istud simpliciter quaerere propter intrinsecam eius bonitatem. Nec ex caritate in se ipsum tenetur homo (nisi operibus praeceptis) maiorem gradum gloriae assequi, modo ultimum suum finem non amittat nec eum in discrimen temere adducat. Nec probatur maxima et reverentia et pro donis ab ipso acceptis gratia esse Deo singulis actibus exhibenda.

Ideo, etsi omnis imperfectio positiva esset peccatum veniale, statuenda est aliqua distinctio inter imperfectiorem et illud peccatum¹⁸.

Quoad *praxim* id habetur, quod imperfectio *positiva*, nisi ex motivo inordinato procedat, non sit materia certo sufficiens sacramento poenitentiae. Ceterum, etsi illae opiniones in *praxi* pro casuum solutione fere conveniunt¹⁹, differunt *theorice*, et ideo notat Huerth: «Severior illa sententia... donec argumentis solidioribus evincatur, non spargenda, sed obtegenda videtur, ne conscientiae erroneae ansa fiat neve peccata gignat, ubi de obligatione sub peccato nondum constat»²⁰.

899. N.B. *De causis peccati venialis* idem fere dicendum est, servata proportione, quod dictum est de causis peccati mortalis. De alio vero illius peccati subiecto (forte angelo viatore, homine integro, etc.), praeter hominem lapsam, aliis tractatibus agitur.

900. *Omne peccatum veniale inducit reatum alicuius poenae, tam damni quam sensus.* Id est de fide divina et catholica quoad poenam in genere; saltem certum in *theologia* quoad poenam et damni et sensus.

1) De poena in genere. Mt 12,36: *Omne verbum otiosum... reddent rationem de eo in die iudicii*; ubi otiosum dicitur verbum non debite ordinatum in finem, seu necessitate vel utilitate carens. Hinc, in iudicio reddetur ratio etiam de eo, seu minimo peccato; ergo a fortiori de aliis venialibus. Sed in eo iudicio non reddetur ratio nisi de iis, in quae Deus poenam statuit. Ergo peccata venialia inducunt reatum poenae.

Ex dogmate de purgatorio etiam ad venialia puniendi (*De malo* q.7 a.11).

Lex Dei prohibet peccatum etiam veniale. Sed illa importat sanctionem et praemii pro eam implentibus et poenae pro eam violantibus. Ergo et pro peccato veniali imponit poenam.

¹⁸ Cf. NOLDIN, l.c., n.289; HUERTH, l.c.; BEUMER, l.c., 246s. De mente S.Thomae in hac re, cf. maxime ex una parte CRUYSSBERGHS, l.c.; ELTER, l.c.; JOSBOURN, S.I., *The morality of imperfections* (Washington 1943); M.C.GONZÁLEZ, O.P., *De imperfectione morali*: EtRech (Ottawa 1944); in specie in *De ver.* q.23 a.8 ad 4, M.SÁNCHEZ, S.I., *De imperfectione morali*: Ang 27 (1950) 73-80; ex alia vero parte RICHARD, l.c.; HUERTH: Schol 4 (1929) 630-632. De quaestione historica circa imperfectionem moralem, cf. R.BROUILLARD, S.I., *Pour l'histoire de l'imperfection morale*: NouvRevTh 58 (1931) 217-238.

¹⁹ Cf. VERMEERSCH, *De imperfectione...* l.c., 217; Id., *Théol. Mor.*, l.c., n.405; CRUYSSBERGHS, l.c.; RANWIZ, *Péché veniel ou imperfection*: NouvRevTh 58 (1931) 135; PLANTE, 236.

²⁰ HUERTH, l.c., 106.

2) De poena *damni*. Apoc 21,27: *Non intrabit in eam (gloriam) aliquod coinquinatum*, i.e. antequam, ut fert sensus unice congruens, deleatur *debitum peccati* et quoad reatum culpa, retractatione actus prioris, et quoad reatum poenae vel per satisfactionem (in purgatorio) vel per satisfactionem (in hac vita).

«Certum est, ait Suárez, peccatum veniale impedire ad tempus consecutionem aeternae felicitatis, et hoc modo esse aliquam infinitatem secundum quid in poena eius, sicut et eius malitia est aliquo modo contra Deum»²¹.

Ceterum id saltem continetur, ut patet ex ipsa natura rei, iis testimoniis fontium, quibus existentia peccati venialis probatur (1 Cor 3,10-15; R 1382 2233).

3) De poena *sensus*. Ex testimoniis nuper citatis. In peccato veniali est et deordinatio a fine (sine aversione) et conversio inordinata ad creaturam; ergo pronum est ut pro illa reatum poenae damni et pro hac reatum poenae sensus inferat.

«Certum est, ait Suárez, peccato veniali deberi poenam aliquam sensus finitam», quam omnis peccans patitur in futuro, si in hac vita remissionem non obtineat, cum iustitia Dei nullum malum relinquat impunitum²².

901. *Corollarium. De meditatione peccati.* Homo non est a Deo factus ut peccet; ergo peccatum non est *per se*, sed solum *per accidens* in eius vita. Tamen saepissime peccatur, ita ut relative pauci homines nullo peccato mortali maculentur²³, et nemo, si diu vivat, ab omni veniali, sine speciali privilegio, liberetur (D 833). Quo posito, utile homini est ut sua peccata agnoscat et seipsum affectu peccatoris impleat; inde enim humilitate motus unione cum Deo in oratione quaeret.

Ita etiam magis magisque afficietur odio in peccata, quod tanti momenti est pro vita spiritali, quin tamen animo labamur, sed Deo misericordii fidamus. Sed aliunde cum idea peccati praecise per mutuam oppositionem adeo intime cum idea Dei connectatur ut mutuo se inferant, quo magis obscuratur apud homines idea Dei eo magis minuitur apud eos sensus peccati, qui adeo imbibitus est spiritui christiano. Unde Pius XII haec fere dixit: *Hodie id est fortasse maximum peccatum, quod homines inceperunt amittere sensum peccati. Pariter Paulus VI: Necessae erit ad eum finem [maiores nostrae sanctificationis] ut firmetur in nobis sensus moralis seu sensus boni ac mali, is sensus peccati, quem mens hodierna, cum privata est fide in Deum, misere pergit amittere*²⁴.

Ideo summa nostri apostolatus christiani hoc tempore ea esse deberet, ut atheo humanismo scientifico Deus per Christum in throno mentium et cordium ita substitueretur, ut tota hominum vita, privata ac publica, etiam per scientiam fide illustratam, praesentia Ipsius occupetur.

²¹ *Ibid.* d.7 s.4 n.1.

²² *Ibid.*

²³ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* l.21 c.16: ML 41,750s: «Cum autem ventum fuerit ad aetatem, quae praecceptum iam capit, ... suscipiendum est bellum contra vitia et gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducatur... Paucissimi autem sunt tantae felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant...»

²⁴ PIUS XII, Ad Congr.Catech.Boston (26 oct. 1946); PAULUS VI, Alloc. in audien. gener. (30 oct. 1963): Eccl (1963) 1504; E.ROCHE, S.I., *Notre condition de pécheurs*: Nouv RevTh 62 (1950) 690-703; L.BEIRNAERT, S.I., *Sens de Dieu et sens du péché*: RevAscMyst 26 (1950) 18-30; CRISTIANI, *Le sens du péché*: AmCl 67 (1957) 91-93; Id., *Rapport doctrinal de 1957*: AmCl 69 (1959) 332; G.DIRKS, S.I., *A propos du sentiment de culpabilité*: ScEccl 9 (1957) 297-302; STEVAUX, l.c., 296-300; H.BACHT, S.I., *Die Welt von heute und das Gespür für die Sünde*: GLeb 31 (1958) 7-16; O.GARCÍA DE LA FUENTE, O.S.A., *El hombre de hoy y el hombre bíblico ante el pecado*: CiuD 175 (1962) 312-345; R.O'CONNELL, *The Sense of Sin in the Modern World*: Way 2 (1962) 3-18; J.M.SETIEN, *Hacia una visión integral del pecado*: OrbCath 6,1 (1963) 567. Cf. de odio in peccatum GALTIER, *Le sens du péché à entretenir*: RevAscMyst 28 (1952) 289-304. Utilia de peccato dabunt B.VANDENBERGHE, *Saint Augustin et le sens du péché* (Bruxelles 1954); J.REGNIER, *Le sens du péché* (Paris 1954); L.BEIRNAERT, S.I., *Culpabilité*: DSPr 2 (1953) 2645-2654.

CAPUT V

De peccato Adae

Thesis 40. Adam, graviter peccans praecepti divini transgressione, iustitiam originalem amisit.

S.TH., 2-2 q.163-165; In 2 d.22 q.1 a.1-3; d.29 q.1 a.5; S.BONAVENTURA, In 2 d.22 a.1 q.12; a.2 q.1; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 4 c.1-7; BELLARMINO, *De amissione gratiae* l.3; BERAZA, n.562-595; PALMIERI, *De peccato originali* th.1; BOYER, th.13; LERCHER, n.643-646; J.FELDMANN, *Paradies und Sündenfall* (Münster 1913); K.FRÜHSTORFER, *Die Paradiesünde* (Linz a. O. 1929); HUGUENY, *Adam et le péché originel*: RevThom 19 (1911) 64-88; VANDENBERGHE, *De peccato protoparentum*: CollatBrug 37 (1937) 462-466.

902. Nexus. Postquam de peccato personali diximus, venit agendum de originali. Cum vero hoc respici possit ut id fuit in Ada, seu ut peccatum *originans*, et ut posteris eius inest, seu ut peccatum *originatum*, primo considerabitur a nobis ut *originans*, dein ut *originatum* quoad eius existentiam, naturam, modum propagationis, effectus in hac et in altera vita.

Quaeritur ergo primo de *peccati Adae* existentia, gravitate, effectu quoad iustitiam originalem, ita ut aliae de illo peccato quaestiones scholiis inferioribus remittantur.

903. Notiones. ADAM respicitur nunc ut persona *privata* quoad ipsum peccatum, seu sine relatione ad genus humanum futurum nisi quoad amissionem iustitiae originalis. At dicenda valent etiam de Heva, quae tamen sibi soli eam iustitiam amisit.

GRAVITER PECCANS. *Peccatum* est actus moraliter inordinatus, *gravis*, vel *levis*, prout sit contra obligationem moralem gravem vel levem.

PRAECEPTUM DIVINUM, seu lex Dei ipsi Adae lata, et quidem *positivum*, seu distinctum a lege naturali; *strictum*, seu moraliter obligans; *grave*, non necessario ratione materiae, sed saltem ut iniunctum a Deo sub obligatione gravi.

TRANSGRESSIO sumitur ut praecepti divini violatio: *realis*, seu opere inita, et quidem *formalis*, seu sufficienti et cognitione praecepti et libertate.

IUSTITIA ORIGINALIS sumitur ut complexus donorum quae accipit Adam ut *dona naturae*, seu omnibus hominibus transmittenda, et proin sine scientia infusa, quae iure putatur fuisse *donum personale* Adae et censeri potest non fuisse amissa, saltem totaliter, ab Ada peccante.

SIBI AMISIT. Ea amissio quoad singula dona constat eadem certitudine theologica, qua constat de concessione singulorum

donorum Adae facta, et probatur iisdem argumentis quibus probatur illa singulorum concessio. Ideo non est ratio ut hic illi probandae incumbamus.

Ut dictum est de elevatione (n.706), amissio asseritur directe de Ada, sed totam humanam naturam attingit ut patet ex iisdem argumentis; non vero attingit ipsam destinationem absolutam omnium ad ordinem supernaturalem.

904. Adversarii. *Rationalistae* et, maxime GUNKEL duce, *Protestantes liberales* habent narrationem illam biblicam ut fictionem poëticam, qua explicetur transitus hominis a statu inculto ad cognitionem boni et mali; immo plures putant illam pendere ex aliis fabulis prophanis, praesertim babylo-nicis. Iis accedunt LOYSI, TURMEL¹. Alii *Protestantes* (cf. n.49).

905. Doctrina Ecclesiae. *C.Tridentinum* (D 788): «Si quis non confitetur... Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam... *amisisse* incurrisseque per *offensam praevaricationis* huiusmodi *iram et indignationem Dei* atque ideo mortem..., et cum morte captivitatem sub... potestate... diaboli... A.S.»

«Si quis Adae praevaricationem sibi soli... asserit nocuisse..., aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem..., in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, A.S.» (D 789).

Ergo his definitur *indirecte* Adam transgressum esse praeceptum divinum seu intulisse Deo *offensam praevaricationis*; *directe* vero, Adam ob suum peccatum *amisisse iustitiam et sanctitatem*, ergo et gratiam sanctificantem; incurrisse *iram et indignationem Dei* cum *captivitate sub diabolo*. Haec sane inepte intelligerentur de peccato veniali. Peccatum Adae posteris transfusum dicitur *mors animae*; ergo est mortale.

Eadem fere definierat *C.Arausicanum II* (D 1748).

Posset addi *Indiculus* (D 1295): In veritate is est, qui «cum catholicis credat et dicat: In *praevaricatione Adae* omnes homines [a fortiori ipsum Adam] naturalem possibilitatem et innocentiam [ergo et gratiam] perdidisse...»

Commissio de re biblica respondit *negative* huic quaestioni de caractere historico priorum capitum Geneseos (D 2123): «Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera..., praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie sua-

¹ Cf. GAUDEL, l.c., 282s-573s; HUMMELAUER, l.c., p.134s; LE BACHELET, *Péché originel*: DAFC 3,1737s; CEUPPENS, 162s.

sore, transgressio; protoparentum delectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio?»²

906. Valor dogmaticus. De fide divina et catholica definita est, Adam peccasse divinum praeceptum transgredientem, et quidem graviter ut patet ex verbis adhibitibus et ex effectibus (D 788). Probabilius est, praeceptum fuisse positivum; at decisio finalis pendet a quaestione de natura peccati Adae.

907. Probatur ex sacra Scriptura. Auctor sacer postquam Deum ostendit ut creatorem in eius omnipotentia, transcendentia, infinita benevolentia ac liberalitate, nihil nisi bonum operantem, qui ad imaginem suam fecerit hominem et omnia propter eum, quem eorum dominum constituerit, inducit Ipsum peramanter se vertentem ad illum, quem ad suam perpetuam communionem libere ineundam vocet, hominem vero se ab ipso ingratis avertentem. 1) *Praeceptum* Adae datum, quod ex sensu obvio patebit fuisse positivum, fuit strictum. Gen 2,16s: *Praecepitque* (in hebr. *sivah*, in graec. LXX ἐνετείλατο) *ei dicens...: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.* 3,1: *Dixit* (serpens) *ad mulierem: cur praecepit* (in hebr. *amar*, seu *dixit*) *vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Cf. et 3,11.17 (*Sivah*, ἐνετείλαμην). Verba hebraica «amar» et «sivah» (hifil de «savah») et graecum ἐντέλλω significant praeceptum stricte dictum³.

Idem indicat minatio absoluta poenae, 2,17: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

S.Paulus dicens (Rom 4,15): *Ubi non est lex, nec praevaricatio* (παράβασις), vocat eodem verbo graeco et Adae peccatum (Rom 5,14...: *in similitudinem praevaricationis Adae*) et peccatum Hevae (1 Tim 2,14: *Et Adam non est seductus; mulier autem seducta in praevaricationem fuit*). Actum Adae vocat «inobedientiam» (παρακοή) (Rom 5,19: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*).

Conveniens fuit ut protoparentibus, maxime qui egregiis donis eminent, praeceptum imponeretur, ut opere se subicerent Deo ac ipsi obsequia in agnitionem dominii eius praestarent; et quidem positivum, seu in quo sola ratio voluntatis Dei praecipientis appareret, cum in lege naturali, praeter pro-

² Hoc responsum nullo modo abrogatur epistola Secretarii Commis. Bibl. ad Card.Suhard (16 Ianuarii 1948): cf. AAS 40 (1948) 45-48. Cf. BEA, *Il problema del Pentateuco e della storia primordiale. A proposito della recente lettera della Pontificia Commissione Biblica*: CivCatt (1948,2) 116-127; F.ASENSIO, S.I., *De persona Adae et de peccato originali originante secundum Genesim*: Greg 29 (1948) 522-526.
³ G.GESENIUS-F.BUHL, *Hebr. und aram. Wörterbuch* (Leipzig 1915) 508.676s; H.STE-PHANUS, *Thesaurus graecae linguae*, ed. F.Didot, 3,1160.

hibitionem divinam, aliqua mali vel incommodi ratio sit, et cum protoparentes, eam sponte ac sine ulla difficultate servantes, obedire sibi ac suae rationi potius quam Deo viderentur.

908. 2) Praeceptum Adae datum fuit grave: a) Ex promulgatione praecepti sic sollemni, et cum gravi sanctione adiuncta (Gen 2,16s).

b) *Ex gravi poena* subsequente, quae per se (seu nisi adsit ratio specialis, quae sane hic non apparet) supponit culpam gravem, ac proin praeceptum grave. Poena vero fuit: privatio immortalitatis (Gen 3,17-24) et integritatis (3,11), eiectio e paradiso (3,22-24), praeter speciales poenas in serpentem (3,14s), in Hevam (3,16), in Adam (3,17-19). Ceterum eiectio e paradiso sat indicat amissionem amicitiae cum Deo (Gen 3,8) quae non nisi ex peccato gravi habetur. Imo, ut supra notavimus iuxta S.Augustinum, mors ibi videtur esse sumenda modo totali seu ut spiritualis, quae per se inferat et corporalem et aeternam, ut ex magis consona interpretatione legeretur in Sap 2,24s^{3*}.

c) *Ex fine praecepti.* Cum enim hoc esset de re intrinsece indifferenti, vel saltem aliquod praeceptum speciale, unica vel saltem maxima eius ratio fuit, ut Adam sua subiectione Deum ut suum principium et finem opere testaretur⁴. At subiectionem Deo detrectare est res gravis. Ergo.

Cum peccatum veniale, utpote malum morale, superet quodlibet malum physicum, sola poena physica privationis integritatis, immortalitatis, impassibilitatis, forte non probaret omnino praecepti gravitatem; nam Deus potest malo physico gravi peccatum veniale punire ob aliquam rationem boni universalis (2 Reg 6,6.23; 3 Reg 13,26). At: a) Nostra probatio sumitur in complexu aliarum probationum. b) Cum in providentia ordinaria actuali non puniantur peccata venialia poenis adeo gravibus in hac vita, deducimus congruenter peccatum Adae non fuisse veniale. c) Ex S.Augustino (R 2013) magnitudinem peccati Adae secuta est magna poena mortalitatis⁵.

909. 3. Transgressio praecepti fuit realis, cum protoparentes inducantur fructum arboris comedentes (3,6), accusati de hoc a Deo et ipsi illud fatentes (3,11-13.17); cum id alibi supponatur, ut in Rom 5,19: *Per inobedientiam unius hominis* (Adae)..., et in 1 Tim 2,14: *Mulier* (Heva) *seducta in praevaricatione fuit.*

Ea transgressio praecepti fuit formalis, cum esset protoparentibus libertas et cognitio legis, nam utraque ostenditur: a) *Ex narratione peccati*, in qua apparent: Heva tentata, ut

^{3*} Cf. LYONNET, *De Peccato...* 31-34; J.GUILLET, *Thèmes bibliques* (Aubier 1951) 103 n.9.

⁴ S.I.CHRYSOSTOMUS, *Hom. 16 in Gen.* n.6: MG 53,133: «Parvo illo praecepto suum in ipsum dominatum voluit ostenderes. Cf. SUÁREZ, 3,21,9s.

⁵ BEA, *De Pentateuco* n.111; LAGRANGE, *L'innocence et le péché...* 356.

prae oculis distincte habens praeceptum cum eius sanctione et ut se, post cogitationem, libere determinans ad edendum fructum (3,3); Adam ut nihil respondendum habens Deo quaerenti de praecepti transgressione, nisi se a muliere invitatum comedis (3,11s), et ut damnatus a Deo, praecise quia audierit vocem uxoris suae et comederit de ligno contra praeceptum divinum (3,17).

b) *Ex Adae donis*, quibus ille in ordine moraliter ita constitutus erat, ut nec passione in rationem raperetur, nec obcaecatione intellectus sine seria cogitatione ad actum duceretur.

Ut ex tota narratione patet, id ad minimum habetur: a) *Externus actus inobedientiae*, ergo et rebellionis, quem protoparentes ex conducto exercent. b) Qui tamen procedat ex alio interno, quo cupiunt esse sicut dii, ita ut malitia sit maxime in isto^{5*}.

910. Probatur ex traditione. S. Augustinus (R 2013): *Peccatum Adae fuit maius peccatis ceterorum ob maiorem excellentiam Adae.* «Peccatum eius [naturae rationalis] quanto incredibilius, tanto est damnabilius... Ipse primus Adam naturae tam excellentis fuit, ut peccatum eius tam longe maius ceterorum peccatis esset, quam longe melior ipse ceteris fuit; unde et poena eius... tam grandis apparuit, ut continuo etiam teneretur necessitate moriendi...»

SS. Patres supponunt peccatum Adae fuisse grave, et aliis modis et maxime, quatenus dicunt Adam per suum peccatum vel nos in ipso amisisse gratiam, scil. sanctitatis stolam: S. Irenaeus (R 225); iustitiam: S. Augustinus (R 1698); imaginem caelestem ad quam factus est homo: S. Basilius (R 973), S. Ambrosius (R 1318); inhabitationem Spiritus S.: S. Cyrillus Alex. (R 2086).

911. Obiectio. Narratio biblica de paradiso pendet a fabulis mythicis babilonicis. Ergo est mythica sicut hae.

Nego mai. Istud assertum quorundam auctorum independentium negatur non solum ab omnibus catholicis, sed etiam a plerisque protestantibus. Narratio biblica: a) Differt ab aliis et forma moderata verbis, et pura doctrina religiosa ac morali, et dignitate factorum, et substantia rei narratae. b) Non convenit cum iis nisi ad summum in paucissimis et quidem parvi momenti. Affinitas forte apparens in paucis historicitatem biblicam potius confirmat, cum elementa similia diversarum narrationum rei identicae recte explicentur ut vestigia testantia communem veritatis revelatae traditionem⁶.

Nec, ut per se patet, veritati narrationis obstant huius simplicitas, cum potius mentem auctoris historicam prodant et forma aliquatenus figurata,

^{5*} Cf. LYONNET, *De Peccato...* 29s.

⁶ J. PLESSIS, *Babylone et la Bible*: DBS 1,737-745; DEIMEL, *Die biblische Paradieserzählung und ihre babyl. Parallelen*: Or 16 (1925) 100; A. CONDAMIN, *Babylone et la Bible*: DAFC 1, 339-342; CEUPPENS, p.234-241; BOYER, 316-318.

cum haec non raro libris historicis, maxime antiquis, insit, ac substantiae narrationis non obsit.

912. Corollarium. Ada ex peccato amisit gratiam sanctificantem, integritatem, immortalitatem, impassibilitatem; subiacebat regno diaboli et huius vexationibus; ablatis ei donis indebitis, quibus etiam in suis functionibus naturalibus multum iuvabatur, eius intellectus obscuratus est et voluntas infirmata. Sic naturalia eius, quin peccato ablata vel imminuta essent, recte dicuntur in deterius esse mutata, cum disparuerit mira illa inter vires harmonia relate ad ultimum finem, et ei successerint discordia inter carnem ac spiritum, difficultas in bono inveniendi ac prosequendo, tentationes.

913. Scholion 1. *De historicitate narrationis biblicae de peccato Adae.* Ea historicitas constat: a) Ex indole historica totius libri Geneseos, quae facile patet ex posterioribus capitibus eiusdem libri⁷. b) Ex aliis locis S. Scripturae rem supponentibus: Eccli 25,33; Rom 5,12-19; 1 Tim 2,14; 2 Cor 11,3; Apoc 12,9 (ubi memoratur draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem). c) Ex multis testimoniis SS. Patrum, v.gr. Theophili Antioch. (R 183), S. Irenaei (R 225), S. Ambrosii (R 1318), S. Augustini (R 2013). d) Ex liturgia memorante uti mutuo relata reparationem nostram et Adae peccatum manducationis. Sic in *Pange lingua*: «De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis in necem morsu ruit: hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde hostis unde laeserat». Et in *Praef. Crucis*: «Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur»⁸.

Ea historicitas exigit, ex analysi responsi *Commis. de re Bibl.* (D 2123), ut fuerit *praeceptum divinum*, et quidem, ut congruentius est, *positivum*, cum naturalia praecepta iam supponerentur; *tentatio diaboli*, et quidem, ex magis obvio sensu, *per serpentem* (phantasticum aut naturalem, at quin necessario excludatur eum esse metaphoricum pro diabolo); *transgressio illius praecepti*; *amissio status innocentiae*. Non tamen negat primam tentationem ac praevaricationem typum fuisse sequentium apud homines; nec prohibet expositionem allegoricam secundum sensum spirituale, at supposito litterali.

914. Scholion 2. *Tentatio diaboli in protoparentes.* a) *Factum* constat: ex Gen 3,1-5, cum serpens, utpote bellua, nequiret loqui, disputare, etc. et proin non ageret nisi ex virtute superiore intelligenti, quae sane non esset bonus aliquis angelus; ex Scriptura tribuente initium mortis *invidiae diaboli* (Sap 2,24), hunc vocante *homicidam ab initio* (Io 8,44), draconem magnum, *serpentem antiquum* (Apoc 12,9); ex PP. ut Tertull. (R 286), S. Cypr. (R 567), S. Method. (R 612); ex C. Lateranensi IV (D 428): «Homo vero diaboli suggestionem peccavit».

b) *Modus.* Ea fuit, non solum *extrinseca*, ut procedens a diabolo, non ab intrinsicis homini; sed et *externa* homini, cum esset a «diabolo sub serpentis specie suasore» (D 2123).

c) *Convenientia.* Cum oporteret ut in aliquo praecepto perfecte se Deo subiceret homo, qui tamen *intra se* nullam difficultatem sentiebat, decuit, ut *tentaretur ab extrinseco*. Cum vero ea sit conditio hominis, ut ab aliis creaturis iuvari vel impediri possit, conveniebat ut Deus permitteret hominem tentari a *diabolo*, sicut decebat ut ille a bonis angelis ad bonum impelleretur (2.2 q.165 a.1).

⁷ GAUDEL, l.c., 280s.284; BEA, l.c., n.114-117; LAGRANGE, 360.378; CEUPPENS, 163-166.

⁸ B. BRODMANN, O.F.M., *Quid doceat S. Scriptura utriusque Testamenti de indole historica narrationis de paradiso et lapsu*: Ant 12 (1917) 125-164.213-236.327-356; L. MÉCHINEAU, *L'historicité des trois premiers chapitres de la Genèse* (Rome 1910) 85-95 (de traditione). Cf. et H. LECLERCQ, *Adam in Early Christian liturgy and Literature*: CE 1,132.

d) *Diabolus Hevam tentavit*, non Adam, quia, etsi uterque donum integritatis habebat, illa facilius caderet quam vir: cum, praeter abundantiorum gratiam Adae sine dubio datam, illa esset facilius seducta, debilius ad resistendum, et ut adhaerens viro esset aptior ad hunc seducendum, nam «mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis ad deiciendum virum» (2,2 q.165 a.2) ⁹.

e) *Serpens tentans*. Is ab aliis hodie habetur ut merum symbolum diaboli ¹⁰, ab aliis proprie sumitur sive ut verum animal ¹¹, sive ut serpens phantasticum ¹², et quidem iure, cum nihil interpretationi propriae repugnet. Congruenter permisit Deus eum ut instrumentum in hac re adhiberetur. Congruenter permisit Deus eum ut instrumentum in hac re adhiberetur, cum istud insidiosum animal sit quasi connaturale symbolum astutiae ¹³. Eius maledictio (Gen 3,16s) sumitur ab aliis, ut Hummelauer, Hetzenauer, de serpente et de diabolo; ab aliis, ut Ceuppens, Hoberg, Pesch, Lercher et id praeferebat, ut videtur, Hofbauer, de solo diabolo, quasi illa huius et divinus contemptus et profunda humiliatio significetur ¹⁴.

f) *Arbor scientiae boni et mali*. Tentatio fuit manducandi ex ea arbore (Gen 2,9.17; 3,3-5). Sed cur haec vocatur «scientiae boni et mali»? Multae opiniones exstiterunt de ea re ¹⁵. Sed forte omnes communiores reducuntur ad: 1) *Discretionem boni ac mali*, non vero per meram inter utrumque distinctionem, quae iam supponebatur, sed per experientiam boni obedientiae in felice communione cum Deo et mali inobedientiae in misera aversione ab Ipso ¹⁶. 2) *Facultatem decernendi* per se ipsos quid sit bonum et quid sit malum ac agendi iuxta eam normam omnino autonomam ac personalem, qua homo practice negat ordinem statum a Deo, cui ergo se aequiparat, ut quo non egeat ¹⁷. 3) *Scientiam totalem*, quae esset pro varia opinione vel exhaustiva seu attingens secreta naturae ac mysteria vitae vel experientia totalis seu et mali ¹⁸.

⁹ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14,11,2: ML 41,419; S.BONAVENTURA, *In 2 d.21 a.1 q.3*. Indolem profunde psychologicam tentationis exponit DUBARLE, *La tentation dans le Jardin d'Eden. Genèse*, 3,1-6: LumVie 53 (1961) 13-20.

¹⁰ CAJETANUS: cf. VOSTÉ, *Cardinalis Caietanus in Vetus Testamentum: Ang 12* (1935) 322s; LAGRANGE, 365s; CEUPPENS, p.188; L.DENNEFELD, *Messianisme*: DTC 10,1411; JUNKER, *Die biblische Urgeschichte...* p.49; B.RIGAU, *L'Antechrist* (Gembloux 1932) p.32; RENÉ, o.c., 50-54; ARNALDICH, 212-218.241-244.

¹¹ HETZENAUER, *Comment. in librum Genesis* p.74; FRÜHSTORFER, *Die vedende Schlange und unsere Stammeltern*: ThPraktQschr 88 (1935) 313-317; BEA, n.111: «communis admittitur»; HEINISCH, *Problemi...* 84s; JUNKER, 17.

¹² HUMMELAUER (p.151s) eam interpretationem ut probabilem admittit et in eam inclinare videtur; HOBERG, o.c., p.44s. CLAMER, 134s, in id inclinatur, ad addens decretum Comm. Bibl. (D 212) opinionio puri symboli daemones non favere, ad nec repugnare. Saltem in idem inclinatur MORANT, o.c., 16s. MICHEL, *L'idée de «Diable»...* 43, rem in medio relinquit.

¹³ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14,11,2: ML 41,419.
¹⁴ HUMMELAUER, p.158s; HETZENAUER, p.74s; CEUPPENS, 138; HOBERG, 40; PESCH, 3 n.229; LERCHER, n.645,4; J.HOFBAUER, S.I., *Die Paradieseschlange*: ZschrKTh 69 (1947) 228-231; CLAMER, 138s; HEINISCH, 91; JUNKER, 19; VAN IMSHOOT, o.c., 135.

¹⁵ HUMMELAUER (p.132) plures memorat. Alias proponunt LANDERSDORFER, *Der Sündenfall*: ThGl 17 (1925) 47-54; P.MAYRHOFFER, O.S.B., *Der Fall des Menschen*: ThGl 28 (1936) 146-148; S.ERINGER, *Tób wara' in der Erzählung von Paradies und Sündenfall*: BiblZeitschr 22 (1934) 324-331; COPPENS, *La connaissance du bien et du mal et le péché du paradis. Contribution à l'interprétation de Gen. 2-3* (Louvain 1948) p.13-28; CLAMER, 119; LAMBERT, *Le drame...* 930s.1056.1062; K.A.H.HIDDING, *Tweelief Kennis in het Paradijsverhaal*: RegnSanct (1950) 233-240; RENÉ, 46; LIGIER, 174-201; ONATE, l.c., 21-24.

¹⁶ S.I.CHRYSOST., *In Gen. hom.16 n.6*: MG 53,132s; S.AUGUSTINUS, l.c.; *De civ. Dei* 14,17: ML 41,425s; S.TH., i q.102 a.1 ad 4; *Comp. theol.* c.188; HUMMELAUER, l.c.; CEUPPENS, p.180s; HEINISCH, 82s; J.WINANDY, *Similes réflexions sur le récit de la chute originel*: BiblVieChr 35 (1960) 27-29.

¹⁷ DE VAUX, o.c., in 2,17; CLAMER, o.c., 120.152; LYONNET, *De Peccato...* 29s; A.CO-LUNGA, O.P., *Biblia Comentada 1* (Madrid 1960) 77.84; RENCKENS, o.c., c.25 § 1.

¹⁸ Eam exponit J.DE FRAINE, S.I., *Jeux de mots dans le récit de la chute*: Mel.Bibl. A.Robert (Paris 1956) 48-50. Pro ea opinione vel simili sunt hodie v.gr. TH.MAERTENS, *La mort à régné depuis Adam...* (Abb. de S.-André, Bruges 1951) 53-55; DUBARLE, *La tentation...* 16-20; ONATE, l.c., 21-24.

Iam vero generatim auctores eligunt aliquam ex iis interpretationibus formulae ut est, et de Deo (2,17) et de serpente (3,5). Sed forte melius cum Deo Fraine sumitur formula in Deo iuxta primam vel etiam iuxta alteram interpretationem et in serpente iuxta tertiam ¹⁹.

Ceterum ea arbor, iuxta Haag, sumitur ut realis a plerisque exegetis, quod certe valet de antiquioribus, ut Hummelauer, Hetzenauer, Hoberg, et hodie v.gr. in idem inclinatur Morant; sed post Lagrange, qui dixit eam sumi posse vel proprie vel metaphorice, alii, ut Ceuppens, Heinisch, Arnaldich, Schwegler, Junker, Onate, sensum metaphoricum praefertur; ea est sic propria paradisi, ut, iuxta Cothenet, nulla similis in hortis Mesopotamiae fuisse, serio probari posset ²⁰.

915. Scholion 3. Quale fuerit peccatum protoparentum. 1) Non fuit *sexuale*, contra opinionem, cuius vestigia quaedam sunt in antiquitate iudaea, dein apud Clementem Alex. et apud quosdam a S. Augustino memoratos ²¹, et eam recentius tenuerunt quidam psychoanalistae et protestantes vel rationalistae ²². Iuxta Mayrhofer, Deus, volens ut actus generativus esset vehiculum gratiae seu quasi sacramentum, ita ut huic suo characteri supernaturali subiceretur, interdixit eum actum intra certum tempus protoparentibus; hi tamen id non implentes peccaverunt, non formaliter ob ipsum actum generativum, ut si is in se eis esset malus, sed ut violantes illud interdictum supernaturale, seu illud quasi sacramentum ante debitum tempus adhibentes, ita ergo ut peccatum eorum fuerit formaliter reiectio entis supernaturalis et sic superbiae ²³.

Contra eos omnes, auctores catholici communiter statuunt asseri sine ulla prorsus ratione sufficienti peccatum protoparentum fuisse *sexuale* ²⁴. Nam (et haec fere valent etiam contra Mayrhofer): a) Immerito diceretur actu coniugali peccari post praeviam exhortationem ad generationem (Gen 1,27s) et post institutum ac elatum matrimonium (2,18.23s). b) Dici-

¹⁹ DE FRAINE, l.c., 50-59.

²⁰ HAAG, l.c., 1566s; HUMMELAUER, 132s; HETZENAUER, l.c., 51; HOBERG, 32s; MORANT, o.c., 201; LAGRANGE, l.c., 333; CEUPPENS, 181; HEINISCH, 95; ARNALDICH, 180s; SCHWEGLER, 289; JUNKER, l.c., 67; ONATE, l.c., 19; COTHENET, l.c., 1198. S.AUGUSTINUS (*De Gen. ad litt.* 11,41,56: ML 34,452) dixerat: «Hoc si forte lignum illud non ad proprietatem ut verum lignum et vera poma eius, sed ad figuram velint accipere, habeat exitum aliquem rectae fidei veritatis probabilem». De aliquibus accommodationibus imaginis eius arboris, cf. J.GOTTSMANN, *L'arbre, l'homme et la croix*: BiblVieChr 35 (1960) 46-57.

²¹ CLEMENS ALEX., *Cohort. ad gentes* 11; *Strom.* 14,17: MG 8,228.1194s.1205; S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 11,41,57: ML 34,452. Cf. et S.ZENO VERON., 1,13 (*De circumc.*); 5: ML 11,348. De exegesi sexuali a S.Ambrosio nonnumquam admissa, difficile constat: cf. ASENSIO, l.c., 514s. Ceterum cf. COPPENS, *L'interprétation sexuelle du péché du paradis dans la littérature patristique*: EphThLov 24 (1948) 402-408; quem tamen refutat ASENSIO, *¿Tradición sobre un pecado sexual en el paraíso?*: Greg 30 (1949) 179-186; 31 (1950) 35-62. 163-191.362-390 (omnino non constat de traditione peccati sexualis). Serius adhuc scripsit COPPENS, *L'interprétation sexuelle du Péché de Paradis*: EphThLov 33 (1957) 506-510.

²² Cf. ut plura nomina citantes: FRÜHSTORFER, *Wider die sexuelle Deutung der Ursünde*: ThPraktQschr 78 (1925) 56-62; PIROT, l.c., 99s; COPPENS, *La connaissance...* 87-93.
²³ MAYRHOFFER, l.c., 133-162. Ipsum refutat F.MIKULA, *Zur Frage des Sündenfalles*: ibid. 724-730; J.MIKLIK, *Der Fall des Menschen*: Bibl 20 (1939) 387-396.

²⁴ S.AUGUSTINUS, l.c.; CEUPPENS, p.131: «Opinionio eorum qui protoparentum peccatum asserunt fuisse peccatum carnis, totus contextus opponitur; nullum vestigium nullumque fundamentum de huiusmodi peccato in contextu invenitur». BEA, p.158 not.1: «Quae recentiores quidam auctores... afferunt ad eandem sententiam commendandam, fundamentum omnino carent»; PIROT, 100; COPPENS, *La connaissance du bien et du mal...* l.c., 40.87-91; A.FERNÁNDEZ, S.I.: Bibl 2 (1921) 481s, de FILOCRISTIANO, *Quale fu il peccato di Adamo e di Eva?* (Carrara 1920): AmCl 44 (1927) 42; FRÜHSTORFER, *Paradiesessünde 27-34*; GAUDEL, 285; LAGRANGE, 359 not.; FELDMANN, l.c., 595s; ASENSIO, *El primer pecado en el relato del Génesis*: EstBibl 9 (1950) 179-186; CLAMER, 137-152s; HEINISCH, 85; L.F.HARTMANN, C.S.S.R., *Sin in paradiso*: CathBiblRev 20 (1958) 33-40; RENCKENS, o.c., c.5 § 1-2; LIGIER, o.c., 211-219; COLUNGA, o.c., 84.

tur Heva primo comedis, dein Adam (3,6), ergo hagiographus non cogitabat peccatum sexuale. c) Concupiscentia carnis apparet ut effectus, non ut causa peccati (3,7.10s). d) Serius primum dicitur Adam cognovisse Hevam, quae peperit ac Deum laudavit (4,1); haec difficile explicatur, si actus coniugalis illicitus praecessisset. e) Item supponitur Adam aliquo modo obtinuisse suo peccato scientiam divinam seu «quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum» (3,22); ergo haec non erant de re sexuali. Ceterum subtilis hypothesis a Mayrhofer excogitata, quo solido fundamento fundari posset in Scriptura vel Traditione?

Nuper Coppens, peccatum illud sexuale rigidum reiciens, habuit tamen peccatum primaevum ut ordinis sexualis, quasi illud fuerit conatus devovendi matrimonium diis paganis fecunditatis, quorum symbolum esset serpens²⁵. At etiam ea opinio sexualis mitigata reiecta est a multis ut non sufficienter fundata²⁶.

Nuper proposita est a Bravo ea opinio: protoparentes cum vellent esse absoluti domini in terris noluerunt habere filios et ideo violarunt praeceptum divinum multiplicationis (Gen 1,28)^{26*}. Sed quomodo probatur in Gen 1,28 esse praeceptum (grave) nec potius benedictio?

2) Fuit peccatum inobedientiae. Communius auctores catholici, supponentes praeceptum Adae impositum fuisse positivum, putant peccatum protoparentum fuisse simpliciter inobedientiae, ut apparet vel etiam vocatur in fontibus (Gen 3,11; Rom 5,19; S.Irenaeus, R 225), etsi nesciamus qualis fuerit ille actus peccati²⁷.

Ulterius vero, cum ad unum peccatum plures animi motus ac sic plures malitiae concurrere possint, et cum nihil obstat quin illud praeceptum fuerit non manducandi fructum ex quadam arbore^{27*}, has determinationes ut probabiliores addimus:

In peccato Hevae, quale describitur in Gen 3,4-6, distingui possent; *superbia*, ob appetitum inordinatum excellentiae (*eritis ut dii*); *gula*, ob appetitum fructus vetiti (*vidit bonum esse lignum ad vescendum, pulchrum aspectuque delectabile*); forte etiam *infidelitas*, ob fidem diabolo datam contra Deum loquenti; *inobedientia* (*tulit de fructu et comedit*); *scandalum* (*dedit viro suo*). Ergo primum peccatum Hevae fuit *superbiae* et quidem presse dictae, ut communiter tenetur²⁸.

In peccato Adae habetur, praeter superbiam et inobedientiam, *inordinatus affectus* (condescendentiae) in uxorem. Hoc dicitur a Scoto, et videretur

²⁵ COPPENS, l.c., 19-26.92-134. Ea admittit, ut videtur, LAMBERT, 1044-1052; item J.L.MCKENZIE, S.I., *The literary characteristics of Genesis 2-3*; ThSt 15 (1954) 561-566; ARNALDICH, 2099, credit ea posse admitti.

²⁶ R. DE VAUX, O.P.: RevBibl 56 (1940) 305-308; VOSTÉ: Ang 25 (1948) 269-272; A.LEFÈVRE, *Bulletin de Exégèse de l'Ancien Testament*: RechScRel 36 (1949) 463s; S.MUÑOZ, *La historia del bien y del mal y el pecado del paraíso*: EstBibl 8 (1948) 441-463; ASENSIO, *De persona Adae...* 515-522; ID., *El primer pecado...* 187-190s; P.PRETE, *Aspetti del problema sul primo peccato*: Sap 3 (1950) 273-286; HEINISCH, 87s; LIGIER, 180s; RENCCKENS, c.25 § 3; COLUNGA, 87s. J.HANIN, *Sur le péché d'Adam considéré comme un péché de magie*: RevDiocNam 2 (1947) 212-214.224-226, habet sine solido fundamento peccatum Adae ut peccatum magiae, in eo ut videtur consistens, quod Adam confugerit ad inimicum Dei; simili via procedit LAMBERT, *Le drame...* 930-934, sc. quod ageretur de obtinenda scientia superhumana per praxim divinationis et magiae; iuxta HARTMANN, l.c., 40, agitur de cultu divino in naturam per magiam cuius symbolum est serpens. Cf. ASENSIO, *El primer pecado...* 177-179.

^{26*} C.BRAVO, S.I., *La especie moral del primer pecado*: EcclXav 4 (1954) 293-333; ID., *Simbolo e historia en Gen. 2-3*: *ibid.*, 6 (1956) 266-312. Cf. contra eum F.L.MORIARTY, S.I., *Bulletin of the Old Testament*: ThSt 16 (1955) 401s; COPPENS: *EphemThLov* 31 (1955) 432s.

²⁷ CEUPPENS, p.130s; ASENSIO, l.c., 190s; HEINISCH, 85; DE VAUX, l.c., 306.

^{27*} Sic et RENÉ, 45s: «Par la manducation réelle du fruit Adam marquait sa volonté orgueilleuse d'indépendance et se soustrayait, le malheureux, à la grâce».

²⁸ S.Th., 2.2 q.163 a.1; *Comp. theol.* c.190; In 2 d.22 q.1 a.1; S.BONAVENTURA, In 2 d.22 a.1 q.1; BELLARMINO, l.c., c.48; SUÁREZ, 4.2.14-21. Et SCOTUS (In 2 d.21 q.2 n.4) videtur sic sentire, etsi aliter putet FRASSEN, l.c., p.288. Cf. CLAMER, 152; HEINISCH, l.c.

supponi a Palmieri, fuisse primum peccatum Adae²⁹. At communiter tenetur primum peccatum internum Adae, ut Hevae, fuisse *superbiae* stricte sumptae, etsi nesciatur in quo constiterit et cuius praecepti violatione se ostenderit³⁰.

Nam *Scriptura* vocat *superbiam* (strictam) *initium omni peccati* (Eccl 10, 15; Tob 4,14), quae cum credibilius, ut ait Bellarmino, sint de peccato humano quam de angelico, aut valent de *omni* peccato aut de peccato *protoparentum*³¹. Cum daemon tentaverit Adam per Hevam, congruum est ut Adam ab Heva acceperit promissionem illam «eritis sicut dii», qua allectus excellentiam inordinate appetiverit³². Hinc illa (Gen 3,22): *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum*; quae nil aliud indicare possunt, nisi Adam *voluisse* fieri ut Deus per scientiam boni et mali.

Infidelitas in Heva sat clare videtur ostendi, quatenus ex suasionem serpentis et dubitavit de verbo Dei «nequaquam moriemini» (3,4) et censuit praeceptum Dei tendere ad bonum non hominis sed Dei sua privilegia contra hominem defendentis³³. Ceterum ii, ex *superbia* peccantes, non putandi sunt voluisse esse ut dii *ad aequalitatem*, quod esset impossibile, sed solum ad similitudinem *possibilem* quoad scientiam boni et mali, at ultra mensuram debitam (2.2 q.163 a.2).

916. Scholion 4. Fuit peccatum protoparentum gravissimum omnium?

Non omnium aliquando commissorum, seu incluso peccato angelorum, cum Heva seducta sit tentatione, quae, etsi mere externa (Sap 2,24, etc.), malitiam minuit. Nec ratione speciei moralis, cum in genere superbiae sint alia peccata graviora, ut odium Dei.

Certe: a) Ratione generis, seu ratione *superbiae*, quae habet «quamdam excellentiam inter alia peccata» (a.3), et quidem *eius superbiae*, qua appetatur divina similitudo. b) Ratione *adiunctorum*: ex praecepti fine obtinendi signate subiectionem in Deum; ex perfectione status (*ibid.*), maxime ob illuminationem mentis, perfectionem voluntatis et integritatem; ex ingratitude in Deum, tantum eorum benefactorem; ex praevisione, quae praesumenda esse videtur, ruinae stirpis. Hinc S. Augustinus peccatum Adae vocat «longe maius ceterorum peccatis» (R 2013), «ineffabiliter grande», «multo grandius quam iudicare possumus»³⁴; S. Thomas vocat illud «secundum quid gravissimum, non tamen simpliciter» (*ibid.*).

Peccatum protoparentum potest ad praecedentes rationes dici gravissimum omnium peccatorum humanorum. Si vero comparetur peccatum Adae cum peccato Hevae, inspectis personis, illud fuit gravius ob maiorem perfectionem viri; attento genere peccati, utrumque fuit aequale, seu *superbiae*; attenta specie *superbiae*, peccatum Hevae fuit gravius, quia «maior elatio

²⁹ SCOTUS, In 2 d.21 q.2: cf. FRASSEN, p.288; PALMIERI, th.I n.5. Hic dicit primum peccatum Adae *superbiam* vocari posse, prout haec est quasi modus cuiusvis peccati, at non necessario *superbiam strictam*, seu ut ea est speciale peccatum. Eius assentiunt LERCHER, n.646; HUARTE, n.400.

³⁰ S.AUGUSTINUS, *Sermones*, ed. Morin: MiscAgost 1 (1930) 564: «Deiectus (diabolus)... erexit in superbiam eum qui factus ad imaginem Dei... Persuavit ut contemneret legem Dei... Et quomodo persuasit? Si manducaverit, inquit, eritis sicut dii; De civ. Dei 14,13; ML 41, 420-422; In Ps 118,116; ML 37,1530s; De Gen. ad litt. 11,5; ML 34,432; S. THOMAS, 2.2 q.163 a.1s; SUÁREZ, l.c., 4,3; LAGRANGE, l.c., p.350; PIROT, l.c., 100; CEUPPENS, l.c., 130s; ARNALDICH, 201-203.201-206.218; BRAVO, *La especie moral...* 293.

³¹ BELLARMINO, l.c. Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Ecclesiasticum* p.136.

³² LAGRANGE, p.351, putat ex lectione septuagintavirgularum Adam affuisse tentationi diaboli in Hevam, et *simul* cum ista illi succubuisse; at alii communiter putant virum non immediate a diabolo, sed *ab Heva* seductum esse, quin locus vel momentum peccati Adae narratione indicitur; v.g. S.Th., 2.2 q.63 a.2 ad 1; BEA, p.157; HEINISCH, *Das Buch Genesis* p.121.

³³ Cf. LYONNET, l.c., 30; HARTMANN, l.c., 32.

³⁴ S.AUGUSTINUS, *Opus imperf. cont. Iul.* 1 n.105; ML 45,1119; *De nupt. et concup.* 2, 34,57s; ML 44,471.

fuit mulieris quam viri» et ea induxit virum ad peccandum et peccatum viri diminutum est, utpote positum ex amabili quadam benevolentia (a.4) ³⁵.

Ceterum ea gravitas etiam declaratur et amissione donorum indebitorum ac felicitatis iis allata in intima familiaritate cum Deo, quae ruina quasi compendio continetur morte ut separatione a Deo fonte vitae ac omnium bonorum spiritualium et materialium, et externe etiam ex consecrariis: 1) *Cosmicis*, quatenus mutatur in peius relatio totius creationis ad protoparentes. 2) *Socialibus*: a) Frangitur foedus inter humanitatem et Deum. b) Vir et femina erubescunt in suo commercio per se destinato ad mutuum adiutorium. c) Vir eam quam gaudens salutarat ut «os ex ossibus meis» (Gen 2,23) graviter accusat: *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno* (3,12), sic viam muniens dissensionibus familiaribus. d) Mulier erit «sub viri potestate... et ipse dominabitur» eius (3,16), quod ceterum, ut patet, etiam infert multiplicem servitutem viri erga mulierem. e) Quaedam affectio ad malum invasit cor hominum (6,5s), unde Cain occisionem fratris (4,8) inchoavit homicidia ac bella, ulterius «corrupta est... terra coram Deo et repleta est iniquitate» (6,11).

917. Scholion 5. *De possibilitate peccati protoparentum.* Ea videretur excludi illo statu tantae perfectionis supernaturalis ac praeternaturalis; at et angeli—id quod est difficilius explicatu ³⁶—peccare potuerunt. Hinc «cavendum omnino videtur ne ita extollamus hunc statum (innocentiae) ut peccandi possibilitas vix explicari possit» ³⁷.

Ceterum protoparentes non erant in gratia confirmati nec iustitia originali formaliter impeccabiles reddebantur, sed fruebantur libero arbitrio *defectibili*; quod posset peccatum, etiam sine ullo praevio errore, at per quamdam mentis inconsiderationem eligere, quatenus ii, occupati cogitatione convenientiae similitudinis specialis Dei, non considerarent eam sibi non expedire, nec ad Deum se erigerent, sed libere vellent illa re in speciem bona delectari ac illam appetere ³⁸. Sic S.Thomas explicat angelum peccasse «convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam divinae voluntatis», per «absentiam solum considerationis eorum, quae considerari debent» (1 q.63 a.1 ad 4).

Cum omnes homines dicantur in suis decisionibus plus minus pati influxum inclinationum «subconsciaram» et ideo perfecta libertate in iis non uti, nuper idem tributum est Adae innocenti, etsi minore gradu (ob integritatem), qui proin peccavit sine perfectissima libertate ^{38*}. Id facilius admitteretur, si dicitur integritas Adae non impediisse in eo motus *spontaneos* appetitus sensitivi. Sed illa opinio (quae supponit Adam etsi inconscie interne inclinatum esse etiam ad id quod obiective malum esset) non laedit perfectissimam libertatem ad bonum, quae ex communi consensu T.T. censetur illum habuisse?

918. Scholion 6. *Sententia Dei in protoparentes.* Ea fuit: a) Gravis in puniendo, cum ii donis iustitiae originalis statim privati sint ³⁹. b) Misericors in modo puniendi, cum Deus in ipsa infictione poenae promiserit eis victoriam in diabolum (Gen 3,15), et ipse inducat eos tunicis induens

³⁵ Cf. SUÁREZ, l.c., 4,5.

³⁶ BILLUART (*De angelis* diss.5 a.1) dicit: «Haec difficultas est gravissima et vix solubilis».

³⁷ HURTER, n.333,2. Cf. BELLARMINO, l.c., c.5 in fine.

³⁸ Cf. LE BACHELET, *Adam*: DTC 1,375; RIVIÈRE, l.c., 350-352; F.DUBOIS, *A propos du péché d'Adam*: RevCivFr 59 (1909) 102-104. Eam quaestionem de radice peccati Adae exponit ex S.Thoma, agens ceterum de eius peccati specie, FITZPATRICK, o.c., 64-172. Mentem S.Doctoris etiam indagat C.PIRES, S.I., *Inteligência e pecado en S.Tomás d'Aquino* (Braga 1961).

^{38*} Sic PACIOS, *Tendencias primarias del ser libre*: Cris I (1954) 183s.

³⁹ S.AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 14,15,1: ML 41,422s; S.Th., 2,2 q.164; BELLARMINO, 3, 11; FRÜHSTORFER, *Die Paradiesünde* 27-34; DAFARA, n.115-123.

(Gen 3,21); in *parcendo*, cum ii et tempus paenitendi et veniam acceperint, nam primus homo dicitur eductus esse a delicto suo ac virtutem continendi omnia accepisse (Sap 10,1s), immo cum ii, iuxta communem sententiam SS.PP. et T.T. 40, quae certa dici potest ⁴¹, salutem aeternam obtinuerint; ut enim dicit S.Irenaeus contra *Encratitas* seu *Tatianos* (ex Tatiano gnostico sic vocatos) negantes Adam salutem obtinuisse, si primus qui mortuus est non salvaretur a morte spirituali, victoriae Christi detraheretur ac non diceretur «ubi est mors victoria tua», et ideo in ecclesiis orientalibus protoparentes publico cultu honorantur ⁴².

Haud dubie intentio praecipua hagiographi in accurata peccati narratione, qua adeo effertur ingratitudo peccatoris, ea fuit ut perspicue appareret misericordia Dei et in protoparentes et in futuros omnes peccatores, qui in iis quasi praefigurarentur. Sane ipsa gravissima poenitentia apparet ut *medicinalis*, quatenus Deus ipsum peccatum permiserit salvifico consilio ⁴³.

919. Scholion 7. *Consideratio Adae in paradiso.* Ea praedicat *bonitatem Dei* tam eximii donis hominem ornantis; docet *gravitatem peccati*; ostendit *originem aerumnarum humanarum*, tam physicarum quam moralium, non fuisse Deum bonum qui ex pura benevolentia fecit omnia ad bonum («et vidit quod esset bonum») pro homine, sed huius voluntatem, cuius *liberrima* decisio consulto effertur narratione, etsi instigatam invidia daemonis. Eam voluntatem sane Deus potuit a peccato prohibere, etiam quin comperceret physice (v.gr. illata ei inclinatione contraria necessario determinante) eius libertatem, eam iis gratiis roborando, quibus a recta via certo non declinaret; sed cum ad id faciendum absolutus Dominus omnium nulla lege teneretur, voluit benevolentissime permittere peccatum Adae, non in malum hominum, sed in eorum maius bonum, quatenus per dignitatem Redemptoris Divini superantem in immensum malitiam primi peccati, ipse peccatum Adae vehementer movet nos ad gratitudinem in Christum venientem ut nos in superiore paradiso restitueret, per nostrum reditum ontologicum, asceticum, mysticum in fervido studio evangelicae perfectionis ad vitam paradisiacam ⁴⁴.

Unde cum praeeptum Adae latum conveniens esset naturae humanae in statu innocentiae, et cum aliunde homo per liberum arbitrium resistere tentationi facile posset (2,2 q.165 a.1 ad 2), permissio divina transgressionis praevise explicaretur optime, utpote quae esset occasio dona eximia mundo afferendi ⁴⁵. Sic ergo Deus vicit «in bono malum» (Rom 12,21) seu malitiam hominis. *O felix culpa...*

⁴⁰ SUÁREZ, 4,9.

⁴¹ PESCH, n.235: «Et haec sine dubio est unanimes sententia theologorum et populi christiani, quae ob constantem traditionem certa dicenda esse videtur»; BOYER, 324.

⁴² S.IRENAEUS, *Adv. haer.*, 3,23,78; MG 7,964s; cf. 3,28,1; MG 7,960; LE BACHELET, l.c., 379s; E.PALIS, *Adam*: DB 1,177; BERAZA, n.595 not.1; E.PETERSON, *Adamo*: EncCatt 1,274.

⁴³ LYONNET, *De Peccato...* 36s.

⁴⁴ Cf. C.MORINO, *Ritorno al paradiso di Adamo in S.Ambrogio. Itinerario spirituale* (Roma 1952) p.55-118.

⁴⁵ S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 1.11 c.4-7 n.6-9: ML 34,431s; *De civ. Dei* 14,26; ML 41-435. Cf. M.DE LAMA, *Profundidades divinas*: RelCult 22 (1933) 202-216; J.B.BECKER, *Der schuldcharakter der Erbsünde*: ZkathTh 48 (1924) 88-92; GALTIER, *Les deux Adams* c.3 s.1; MICHEL, *L'homme a-t-il été créé libre à fin qu'il puisse mériter?*: AmCl 65 (1955) 626s; FLICK, *Il dogma...* 119s; JOURNET, *L'Eglise...* 2,96-101.

CAPUT VI

De existentia peccati originalis

Thesis 41. Existit peccatum originale, seu peccatum quod procedens e peccato Adae, inest ut verum peccatum omnibus hominibus, tamquam singulis proprium, propagatione transfusum.

S.TH., 2 d.30 q.1 a.1s; 1.2 q.81 a.1-3; 4 CG 50-52; S.BONAVENTURA, *In 2 Sent.* d.30 a.1 q.2; BELLARMINO, *l.c.*, 1.4 c.1-10; SUÁREZ, *De vitiis et peccatis* d.9 s.1; PALMIERI, *th.1-6*; MAZZELLA, n.917-962; BERAZA, 596-692; LERCHER, n.647-653; BOYER, *th.14*; FLICK, *o.c.*, 341-385.

920. Nexus. Postquam actum est de peccato personali Adae, venit in considerationem eius transfusio in omnes homines seu peccatum originale, «quo, auctore Augustino, dici potest, nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius»¹, attamen cuius existentia spectat ad praecipua nos- trae religionis: «In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis..., proprie fides christiana consistit» (R 1857). De eius ergo peccati existentia, primo nobis agendum est.

921. Notiones. PECCATUM, quod est actus moraliter inordinatus, gravis vel levis, prout sit contra obligationem gravem vel levem, est *actuale vel habituale*, prout respiciatur ipse actus vel in se vel ut moraliter perseverans in reatu culpa.

PECCATUM ORIGINALE est peccatum, quod inest homini ab eius conceptione et procedit ex actu physico voluntatis non *propriae*, seu eius personae cui inest, quale est *personale*, sed alienae. Est ergo peccatum *habituale*.

PROCEDENS E PECCATO ADAE, scil. prout peccatum *habituale* procedit *ab actuali*, ut effectus a causa. Ideo illud est *originale originatum*, quod antonomastice dici solet *originale*; dum peccatum personale Adae est *originale originans*. Illud ergo est ipsum peccatum Adae, at non ut huius *personale*, sed mere quatenus aliis ut *habituale* inest.

UT VERUM PECCATUM, scil. sumptum non *metonymice*, pro peccati vel *causa* v.gr. pro concupiscentia, vel *effectu* v.gr. pro poena in genere aut poena mortis; sed *proprie*, seu reddens hominem et Deo exosum et poena dignum, nempe reum et culpa et poenae. Nec est mere veniale, sed *mortale*.

INEST OMNIBUS, scil. descendentibus ab Ada via *naturali* (ergo etiam ex hac *ratione* non Christo, utpote sine ope viri

¹ De morib. Eccl. Cath. 1.1 c.22; ML 32,1328. Cf. De nupt. et concup. 1,19; Cont. Iul. 6,5,11; ML 44,426.828s.

genito), at non exceptis privilegio, quale unum illud B. Virginis novimus.

UT SINGULIS PROPRIUM scil. omnibus, at non mere *collective*, sed *distributive* sumptis, et quidem non per meram impu- tationem extrinsecam peccati Adae, sed *intrinsece* seu per ali- quid eis proprium quo peccatores vere fiunt.

PROPAGATIONE TRANSFUSUM, scil. non imitatione, seu ut a singulis actu physico personali commissum, quasi Adam pec- cantem imitantibus, sed ut *ab unius Adae actu personali* com- missum, at singulis propagatum. Nondum statutur eam propa- gationem esse per *generationem* (cf. th.45).

Peccatum originale dicitur: a) *Originale*, vel quia in origine hominis actu commissum est, vel quia in origine cuiuslibet personae contrahitur², vel forte etiam quia est quasi origo *occasionalis* aliorum peccatorum. b) *Pecca- tum naturae*, non quod natura qua talis—scil. non ipsa persona—sit eius subiectum, sed vel quia inest omnibus hominibus, seu toti naturae humanae, vel quatenus tota natura humana in Ada virtualiter existens illud contra- xit, vel quia, non actu personali uniuscuiusque, sed simul cum ipsa natura contrahitur³.

Peccatum Adae transfundi dicitur, non peccatum Hevae, cum fontes in hac re non memorent ut propagatum nisi peccatum Adae^{3*}. At pro thesi indifferenter sumeretur ut transfusum aut peccatum unius Adae aut pecca- tum Adae et Hevae ut moraliter unum.

922. Adversarii. *Pelagiani*; DIODORUS TARSENSIS et THEODORUS MOPSUESTENUS, ut videtur; ZWINGLIUS; *Sociniani*, *Rationalistae*, *Protestantes* quidam recentiores (n.696s 701s). *Mormones* profitentur homines ob eorum peccata, non ob Adae peccatum, puniri; quo videtur negare peccatum originale, sal- tem proprium. *Theosophi*⁴.

Recensentur hic, non ut *adversarii* peccati originalis, sed quasi sua eius conceptione vel expressione, quod illud pec- catum sit formaliter in reatu obligationis ad poenam, *videri* possent rationem veri peccati in eo *obiective obscurare*, prae- sertim ABAELARDUS (D 376), qui tamen rem dein correxit, et aliquatenus DURANDUS ac IACOBUS METENSIS, s.XVI F. DE MAY- RONES⁵.

² S. ANSELMUS, *De concep. virginis et originali peccato* c.1: ML 158,433s.

³ S.TH., 1 q.81 a.1; *De malo* q.4 a.1; cf. 2 d.20 q.2 a.3 ad 1; *De pot.* q.3 a.9 ad 3. Cf. S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont. Iul.* 5,9; ML 45,1938.

^{3*} Cf. tamen FLICK, *o.c.*, 378.

⁴ W.R.HARRIS, *Mormons*: CE 10,571; G.BUSNELLI, S.I., *Teosofia e teologia*: Greg 1 (1920) 157s. Iuxta BELLARMINO (*l.c.*, 4,2), ERASMUS, cum primo dixisset (annot. ad Rom.5) omnes in Ada peccasse imitatione, in alia editione, suspicionem pelagianismi fugiens, negavit se esse pelagianum et peccatum originale disserte statuit; at ipse Lutherus eum accusavit quod admittens hoc peccatum diceret id non doceri in Rom.5: cf. CRISTIANI, *Luther et saint Agus- tin*: AugMag 2 (1954) 1034s. Plura de mente Erasmi dabit LYONNET, *Le péché originel en Rom.5,12 et le Concile de Trente*: Bibl 41 (1960) 326-329.

⁵ Cf. GAUDEL, *l.c.*, 444-447; A.TEETAERT, O.M.Cap., *Le péché originel d'après Abélard*: EstFranc 40 (1928) 23-54; R.BLOMME, *La définition du péché chez Abélard*: EphThLov 33 (1957) 319-347; de eius ideis et C.Senensi cf. L.GRILL, *Die neunzehn «Capitula» Bern-Hards von Clair-*

923. **Doctrina Ecclesiae.** *C.Tridentinum* maxime memoratur, utpote quod doctrinam de peccato originali late exposuerit ac definierit simulque definitiones *C.Carthaginensis XVI* (D 102) et *C.Arausicani* (D 175) de ea re fere ad litteram renovarit.

Ad mentem Concilii plenius capiendam notetur in erroribus («Haereses» dicuntur in Actis) quos ipsum de peccato originali agens prae oculis habuit, et alios et hos fuisse: «Nos non... concipi peccatores, sive nullam peccati labem ex nostra generatione contrahere» (I). «Paulum ad Rom.5, huius peccati originalis nullam prorsus facere mentionem» (III). «Peccatum originale nihil esse in unoquoque nostrum, sed esse dumtaxat ipsam Adae praevaricationem, quae revera nobis non insit sed soli Adae» (IV). «Peccatum originale esse praevaricationis Adae imitationem» (VII). «Non unum esse peccatum originale, sed plura» (XIII)⁶. Cum hi omnes errores a Concilio de facto in sessione de peccato originali reiciantur, censendum est, nisi quando vera ratio aliud suadeat, doctrinam iis contrariam ut *de fide definiri*.

«Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse, acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfundisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: A.S., cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem... in quo omnes peccaverunt*» (D 789; cf. *Araus. D 175*).

«Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium..., per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris D.N.I.C...: A.S.» (D 790).

«Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit,

voux gegen Abälard: HistJahrb 80 (1961) 230-239; LOTTIN, *Les théories du péché original au XII^e siècle. II. La réaction abélardienne et porretaine*: RechThAncMéd 12 (1940) 78-103; J.KOCH, *Die Verteidigung der Theologie des hl. Thomas von Aquin durch den Dominikanerorden gegenüber Durandus de S.Porciano O.Pr.*: XenThom 3 (1925) 327-362; R.M.MARTIN, O.P., *La controverse sur le péché original au début du XIV^e siècle. Textes inédits* (Louvain 1930) p.153-406. Ceterum J.Metensem in ea re Durando praeiisse, et non contra, tenet KOCH contra MARTIN, *La controverse sur le péché original au début du XIV^e siècle*: BullThom 8 (1931) 327-333, et A.EMMEN, O.F.M., *De origine controversiae circa peccatum originale in schola dominicana saeculo XIII. Relationes inter Iacobum Metensem et Durandum illustratae ex operibus Duns Scoti et Guillelmi de Nottingham*: DivThom (Pi) 20 (1943) 385-400, contra MARTIN, *l.c.*, p.187-192. De F.DE MAYRONES («peccatum originale est formaliter reatus obligationis ad poenam damni») cf. GILLON, *La doctrina del pecado original en Francisco de Vitoria*: CiencTom 72 (1947) 33 not. Cf. et SAGÜÉS, *El pecado...* 156-159, 170s.

⁶ CTr 5,212s. Cf. LABOURDETTE, 28-57,202-204; PENAGOS, *l.c.*, 127-273; CAVALLERA, *l.c.*, 241-258,289-315; W.KOCH, *Das Trienter Konzilsdekret de peccato originali*: ThQschr 95 (1913) 430-450,552-564; 96 (1914) 101-123; de qualificationibus theologicis quoad diversos aspectus eius doctrinae, cf. B.C.MONSEGÚ, C.P., *Lo revelado, lo teológicamente cierto y lo problemático en la doctrina del pecado original originado*: XVII SemTEsp (Madrid 1960) 8-34.

in remissionem quidem peccatorum baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: A.S. Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dicit Apostolus: *Per unum hominem... in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt...» (D 791; cf. *Carthag. D 102*).

«Si quis per Iesu C.D.N. gratiam, quae in baptisate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A.S...» (D 792).

«Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam...» (D 792).

His ergo definitur Adam sua praevaricatione transfundere nobis peccatum: 1) *Ut verum peccatum*, nam vocatur et peccatum eodem sensu ac peccatum Adae, et mors animae, et infert amissionem sanctitatis ac iustitiae (D 789); transfunditur ipsum peccatum Adae (D 790); parvuli baptizantur vere in remissionem peccatorum praecise ob peccatum originale (D 791); habet veram et propriam rationem peccati (D 792).

2) *Ut omnibus et singulis proprium*, nam transfunditur in omne genus humanum, et quidem ut mors ac poenae corporis, quae sane omnibus ac singulis insunt (D 789); transfusum omnibus inest unicuique proprium (D 790); omnes et singuli nascentes baptizandi sunt et quidem vere in remissionem proprii peccati (D 791s); excipitur una Beata Virgo (D 792).

3) *Propagatione transfusum*, seu origine unum propagatione, non imitatione transfunditur (D 789s); parvuli, incapaces peccati personalis, aliquid peccati trahunt nascentes, ob quod in remissionem peccatorum baptizandi sunt (D 791).

Idem Concilium alibi docet (D 793): «Declarat S.Synodus... oportere, ut unusquisque... fateatur, quod, cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent *facti immundi*... quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo *servi erant peccati* et sub potestate diaboli... ut non modo gentes per vim naturae, sed ne iudaei quidem per litteram legis ... inde liberari... possent».

Et inferius (D 795): «Sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant, ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur...»

His addit (D 796): «Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae...»

Iis asseritur: nos peccasse in Adae praevaricatione; illud peccatum nobis propagari quatenus ex semine Adae nascimur et nobis remitti quatenus in statum gratiae adducimur.

924. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 102 175 789-792).

925. Probatur ex sacra Scriptura. In Gen 2-3 narratur peccatum Adae, quod affert hominibus pessima consectaria, quae voce «mors» concludi videntur, in quibus praecipuum est quaedam separatio a Deo per expulsionem e paradiso felicitatis habitae in integritate, immortalitate ac impassibilitate et maxime in familiaritate cum Deo. Mox apparet homo ut infectus quadam innata ac universali inclinatione in malum (Gen 8,21). Inde terra impletur peccatis (Gen 4,1-15,23; 6,5-7,11; Is 5,7). Idea adeo semitica solidaritatis sic viget in V.T. ut etiam ipsa peccata personalia uno vel alio modo videantur transire ex parentibus ad filios et ea esse quasi collectiva totius populi, etsi maxime libri sapientiales efferant etiam fortiter responsabilitatem individualement. Imo dicitur omnis homo esse conceptus in peccato (Iob 14,1-4, Ps 50,7). Ulterius tribuitur primaevo peccato paradisi omnium mors (Eccli 25,23) et quidem etiam spiritualis (Sap 2, 23-35). Ex iis omnibus israelitae putant intimo corde se pertinere ad genus quoddam humanum peccato infectum. Iudaismus temporis Christi proximus tribuit peccato Adae mortem, concupiscentiam ac miserias materiales hominum; imo saltem ex essenis Qumram homo a sua nativitate est in infidelitate et impotentia ad bonum.

In Evangelio etiam supponitur durtia cordis quae attulit divortium non fuisse ingenita homini, sed venisse ex peccato (Mt 19,8); asseritur absoluta necessitas regenerationis omnium ex aqua et Spiritu S. (Io 3,3-7); dicitur diabolus fuisse homicida ab initio et mendax (8,44); Christus venit ad salvandos peccatores (Lc 11,13), ad nos liberandos a dominio diabolico (Io 12,31; 16,11); omnibus praecipit baptismum (Io 3,5, Mt 28,19).

Ex iis omnibus constat saltem de magna ruina omnibus allata peccato Adae, sed nondum clare exprimitur notio peccati originalis, donec venit Paulus.

Sed sine dubio haec idea iudaeis iam erat ex notione adeo cara Veteri T. quae hodie voce technica vocatur «persona corporativa», quatenus unus homo censetur esse simul et individuum et communitas seu individuum repraesentativum communitatis, quae contenta in illo se exprimit per illud, ita ut huius actibus quasi propriis tota afficiatur. Unde pro iudaismo saltem posteriore seu rabbinico Ada erat ut summa omnium suorum filiorum sive iustorum ante suum peccatum sive peccatorum post istud; quod difficile intelligitur quin et eius peccatum omnibus filiis eius tribueretur ut proprium. Ulterius vero Paulus non directe docet ut eousque ignotam doctrinam peccati originalis, sed simpliciter eam memorat ut quae iam sit in mente saltem fidelium ^{6*}.

Rom 5: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (v.12). *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset* (v.13). *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri* (v.14). *Sed non sicut delictum ita et donum, si enim unius delicto multi (οἱ πολλοί) mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis I.Christi in plures abundavit* (v.15). *Et non sicut per unum peccatum ita et donum, nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem* (v.16). *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum I.Christum* (v.17). *Igitur sicut per unius delictum in omnes in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* (v.18). *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi (οἱ πολλοί), per unius obeditionem iusti constituentur multi (οἱ πολλοί)* (v.19).

1) *Vis probativa loci* (Rom 5,12) saltem ex traditione. Dogma peccati originalis eo textu memorari diceretur fortasse esse sollemniter definitum (D 102 175 791) ut videtur ex

^{6*} DUBARLE, *La condition humaine dans l'Ancien Testament*: RevBibl 63 (1956) 325-344; Id., *Le péché originel dans la Genèse*: RevBibl 64 (1957) 19-31; J.M.GONZÁLEZ RUIZ, *El pecado original según S.Pablo*: EstBibl 17 (1958) 151-159; M.GARCÍA CORDERO, O.P., *Las diversas clases de pecados en la Biblia*: CiencTom 85 (1958) 405-410; J.SCHABBERT, «Unsere Sünden und die Sünden unserer Väter»: BibZeitsch 2 (1958) 14-26; DE FRAINE, *Adam et son linage* (Bruges 1959) 88-92, 113-134; L.LIGIER, *Péché d'Adam et péché du monde I* (Aubier 1960) 70-151, 237-308; 2 (1961) 308-322; A.LEFÈVRE, *Job*: DBS 4,1092-1094; A.FEUILLET, *Le verset 7 du «miserere» et le péché originel*: RechScRel 32 (1944) 5,26; VAN IMSCHOOT, 2,2948; LYONNET, *Le sens du πειράζειν en Sap. 2,24*: Bibl 39 (1958) 32-36; J.BONSIRVEN, S.I., *Judaïsme palestinien au temps du Jésus Christ*: DBS 4,11968; DUBARLE, *Le péché originel dans les suggestions de l'Évangile*: RevScPhTh 39 (1955) 603-614.

ipsis verbis Concilii et ex eo quod contrarium recenseretur in erroribus Concilio praevis propositis⁷. Et sane tota traditio Ecclesiae illi textui semper insistit in hac re, ac mera expositio exegetica pericopae clare ostendit «quanto cum iure Ecclesia eam semper de peccato originali sit interpretata»⁸. Ceterum ipsa exegesis loci in se sumpti non est parum difficilis et ratione textus et ex eo quod, extra hunc locum, doctrina de peccato originali in neutro Testamento, inclusis epistolis paulinis, saltem clare, proponatur^{8*}.

2) *Contextus*. Haec pericopa est de duobus Adam, at Christus qui chronologice est secundus, est primus in intentione. Paulus, cum docuerit homines in fructibus fidei evangelicae reconciliationem cum Deo per unum Christum obtinuisse (5,1-11), vult proponere efficaciam et universalitatem iustificationis, quam omnes homines accipiunt ab uno Christo ex eorum connexionem cum eo ut capite. Ut vero explicet quomodo ea dependentia omnium ab uno fieri posset, instituit parallelismum cum Ada, a quo omnes homines in contrahendis peccato ac morte dependeant. Ergo non agit de peccato originali nisi ut *per transennam* ac fere *indirecte*, et ideo non quasi fideles de ea doctrina instruere intendat, sed supponens, ut videtur, eam esse illis notam, eadem breviter probat et ut rem indubiam asserit⁹.

3) *Notae exegeticae*. Supponentes ut alibi minutatim factam loci exegesis, summam huius conclusionum indicabimus, quae magis conferunt, ut educatur doctrina dogmatica de nostra re eo loco contenta.

⁷ CTr 5,12. Cf. LERCHER, n.648; BILLOT, *De personali...* thes.II p.153; LABOURDETTE, 31.45.203s; BONSIRVEN, *L'évangile...* 110-112; F. SPADAFORA, *Rom.* 5,12: *esegesi e riflessi dogmatici*: 4 (1960) 295s. Tamen, etsi ea doctrina sic directe sanciatu a C.Tridentino et omnino sit tenenda, dicit Concilium noluisse formaliter damnare anathemate negantes illam loci vim; LYONNET, *Le péché originel en Rom.* 5,12. *Le deuxième des Pères grecs...* Bibl. 41 (1960) 326, cui assentitur FLICK, *o.c.*, 356. Pro HUARTE dicente (n.413) «explicitam de hoc definitionem non haberi... si quis contrarium doceret, doctrina eius censi deberet saltem erronea»; cf. et FLICK, *o.c.*, 356.

⁸ CORNELY, *Epist. ad Rom.* (Parisiis 1896) p.272; cf. 269-308; LAGRANGE, *Saint Paul. Epître aux Romains* (Paris 1931) p.104-113; PRAT, *La théologie de Saint Paul* I p.252-263. 514-516; 2 p.209-211; BOVER, *Teologia de San Pablo* p.216-220.436-439.756-760; J.FREUNDORFER, *Erbsünde und Erbtod beim Apostel Paulus* (Münster 1927) p.214-264; VOSTÉ, *Studia paulina* (Romae 1928) p.69-86; BONSIRVEN, *L'évangile de Paul* (Aubier 1948) 107-120; Id., *Théologie du Nouveau Testament* (Aubier 1951) 279-283; CEUPPENS, *Quaestiones selectae ex epistulis S.Pauli* (Taurini-Romae 1951) 38-46; LABOURDETTE, 20-26; M.MEINERTZ, *Théologie des Neuen Testament* 2 (Bonn 1950) 26-29.

^{8*} Cf. BONSIRVEN, *Théologie...* 280-282; *L'évangile...* 108s.114.

⁹ De idea peccati originalis imperfecta apud iudaeos Paulo aequales, cf. LAGRANGE, *l.c.*, p.113-118; FREY, *L'état originel et la chute de l'homme d'après les conceptions juives au temps de Jésus-Christ*: RevScPhTh (1911) 507-545; PRAT, I p.516-518; GAUDEL, 297-305; BONSIRVEN, *l.c.*, p.109; Id., *Le judaïsme palestinien* 2 p.12-18; FREUNDORFER, *l.c.*, p.15-103. Saltem supponit fideles nosse primaevam historiam de lapsu ac poena et mortem esse poenam peccati, ut notant CEUPPENS, 39, et BONSIRVEN, *L'évangile...* 112-114; ut id novi addat, quod mors universalis peccatum universale supponat.

V.12: «*Propterea sicut...*» Cum videatur poni protasis sine apodosis, auctores rem multis et variis modis explicant. Probabilis oratio ita est incompleta, ut Paulus alterum membrum phrasi «qui est forma futuri» satis indicatum, illud dein (v.18s) accuratius et clarius exponat¹⁰.

«*Per unum hominem*», scil. per Adam, ut patet: ex v.14, ubi initium mortis ponitur «ab Ada» et memoratur praevaricatio Adae ut aliis humanis praeiens; ex clara allusione ad Gen. 2-3 (de Adae peccato ac poena peccati); ex 1 Cor 15,22: *Et sicut in Adam omnes moriuntur...*

«*Peccatum*» (ἡ ἀμαρτία) est: Non *primum peccatum reale* in mundo, cum praecesserit peccatum Hevae. Nec in genere *peccata hominum* commissa *ad imitationem Adae* peccantis, cum potius diabolus ut peccator primus, vel etiam Heva antea peccans commemoraretur. Sed *peccatum aliquod determinatum* utpote cum articulo designatum, quod depingitur ut potestas quaedam personificata valde activa in mundum quasi dominative irruens quodque simul refertur ad Adam ut illud sua transgressione inducentem ac manifestantem (cum in contextu agatur de Ada ex v.13s et clare ad Gen 2-3 alludatur) et ad ipsum ac ad omnes homines ut eo devictos ac infectos^{10*}. Aliunde vero illud, inspectum ut personale Adae, vocatur «*praevaricatio*» (παράβασις, transgressio legis: v.14), «*delictum*» (παράπτωμα, lapsus: v.15.17s), «*inobedientia*» (παρακοή: v.19).

«*Intravit in mundum*» i.e. *in genus humanum*, cum statim pro illa voce ponatur «omnes homines».

«*Per peccatum mors*» (item v.21: «regnavit peccatum in mortem»): Mors etiam inducitur ut vis quaedam cosmica (Rom 8,38) regnans in homines ab Ada (5,14.17) ut potestas hostilis Christo (1 Cor 15,26) qui ipsam resurgens vicit in se (Rom 6,9) et in suis fidelibus (1 Cor 15,54s). Hic aptius sumitur ea sensu pleno seu de morte *physica* (ex clara allusione ad Gen 2,17 et 3,19 de poena peccati Adae) ut signo *spiritualis* et per se *aeternae*, quae tota consequitur separationem a Deo fonte vitae per peccatum, ut solet sumi alias mors a S.Paulo (Rom 5,14s.17.21; 6,6.21.23; 7,5.10.13.26) et respondet apud ipsum sensu pleno vitae et spiritualis per gratiam et corporalis per resurrectionem et aeternae per gloriam¹¹. Ea ergo mors,

¹⁰ PALMIERI, p.34; PRAT, I p.254; CORNELY, 273s.

^{10*} De vario usu eius vocis, cf. GONZÁLEZ RUIZ, *l.c.*, 167s.

¹¹ J.BONSIRVEN, S.I., *L'évangile de Paul* (Aubier 1948) 113 n.1; Id., *La théologie du Nouveau Testament* (Aubier 1951) 279; LYONNET, *Le péché originel et l'exégèse de Rom.*, 5, 12-14: RechScRel 44 (1956) 65s; A.M.DUBARLE, O.P., *Le péché originel dans Saint Paul*: RevScPhTh 40 (1956) 235-239; GONZÁLEZ RUIZ (1960) 165.168s; LIGIER, *o.c.*, 267s; P.BENOIT, O.P., *La loi et la croix*: Exeg. et Theol. 2 (Paris 1961) 16s; F.AMIOT, *Les idées maîtresses*

quatenus est spiritualis et proin formaliter privatio vitae gratiae, iure dicitur peccatum, etsi sit velut effectus *formalis* ipsius peccati vel etiam, ut in casu respectu filiorum Adae, *efficiatur* huius peccato.

«*In quo omnes peccaverunt*». «*In quo*» (ἐφ' ᾧ) intelligitur: a) *Ut relativum* a plerisque PP. et auctoribus latinis usque ad s.XVI et dein a non paucis, ut nunc a Billot, ita ut referatur ad unum hominem vel ad peccatum^{11*}. b) *Ut causale* (= quia, eo quod) a plerisque PP. et interpretibus graecis, ac non paucis latinis ex tempore Caietani, a recentioribus exegetis fere unanimiter, et quidem probabilius. Iis enim favent et grammatica, cum ut *relativum* nimis distet a voce «*hominem*» ac vox ἀμαρτία sit feminina, et usus paulinus (Rom 8,3; Phil 3, 12; etc.)¹².

«*In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*». Ergo omnes et singuli moriuntur, quia omnes et singuli peccaverunt; mors est poena peccati.

«*Peccaverunt*» exprimitur voce graeca ἡμαρτον a voce ἀμαρτία; sic ostenditur mutua sensus relatio unius ad aliam in contextu. Nec necessario sumitur sensu plene *activo*, cum et infantibus conveniat, sed *passive* saltem aliquo sensu i.e. ut contrahere peccatum.

Formulae «*mors pertransiit*» et «*omnes peccaverunt*», aoristo graeco respondententes, viderentur exprimere *in recto* debitum mortis et peccati, cum etiam de hominibus futuris valeant, ita ut *in obliquo* expriment *factum* mortis et peccati omnium, nisi quis eorum privilegio excipiatur¹³.

V.13: «*Usque ad legem*» indicat manifesto tempus «*ab Ada usque ad Moysen*» (v.14), seu usque ad initium legis mosaicae.

«*Peccatum erat in mundo: peccatum... non imputabatur*». «*Peccatum*» (ἀμαρτία, sine articulo) est, iuxta alios, illud peccatum de quo supra¹⁴; iuxta alios vero recentiores communiter, indicat in genere peccata quae homines committebant¹⁵.

«*Non imputabatur*» (ἐλλογεῖται, cf. eum sensum ap. Philem 18) scil. *ad mortem*, ut patet ex contextu praecedenti et

de saint Paul (Paris 1959) 59; S.RAPONI, C.SS.R., *Rom. 5,12-21 e il peccato originale*: Div 2 (1958) 524-527-533; HULSBOSCH, l.c., 364-374.

^{11*} S.AUGUSTINUS, qui primo illud etiam ad peccatum (*De pecc. mer. et rem.* 1,10,11: ML 44,115), dein ad Adam reducebat (*Cont. 2 epist. Pel.* 4,4,7: ML 44,614); S.TH., *In epist. ad Rom.* c.5 l.4; BILLOT, l.c., p.146-151.

¹² CAIETANUS, in h.l.; PALMIERI, p.20-30; CORNELY, p.281-283; LAGRANGE, p.106; PRAT, I p.256s; BONSIUVEN, *Théologie...* 282; CEUPPENS, 40s; VIARD, 73; MEINERTZ, 28. Tamen nuper L.CERFAUX, *Le Christ dans la théologie de Saint Paul* (Paris 1951) 178, redit quodammodo ad formulam Vulgatae «*in quo*», dicens eam vertendam esse, non ut «*parce que*», sed ut «*a cause de celui qui*». Vertit eam potius ut «*media conditione*» LYONNET, *Le sens de ἐφ' ᾧ en Rom 5,12 et l'exégèse des Pères grecs*: *Bibl* 36 (1955) 436-456; varias eiusceptiones exponit GONZÁLEZ RUIZ, l.c., 169s.

¹³ Cf. PALMIERI, p.36.

¹⁴ Sic S.TH., h.l.; MENDIVE, *De pecc.* n.249.

¹⁵ CORNELY, p.285; LAGRANGE, p.107; PRAT, I p.258s.

subsequenti de imputatione divina peccati ad poenam mortis. Vel forte etiam peccatum non reputabatur ut peccatum, ita ut hoc esset solum materiale saltem relate ad legem mosaicam nondum existentem.

«*Cum lex non esset*» scil., non lex naturalis (quae semper fuit) sed *lex divina positiva* sive mosaica, sive alia *poenam mortis transgressoribus eius imponens*. Talis ergo lex non erat (praeter legem latam ipsi Adae), donec lata est lex Moysis plura peccata morte puniens^{15*}, et ideo illo tempore antemosaico peccata non imputabantur ad mortem. Sensus non mutatur si is versus non sit, nisi axioma graecorum: «*peccatum autem non imputatur, lege non existente*».

«*In eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*». Hi sunt ii qui tempore ab Ada usque ad Moysen, vel solum materialiter peccarunt ut qui non nossent legem a Moyse nondum promulgatam¹⁶, vel non violarunt ut Adam legem *positivam* impositam sub poena mortis^{16*}, sed nullam (infantes) vel *naturalem* quae talem poenam non inferret¹⁷.

V.15: «*Multi*» scil. *omnes*, ut patet ex v.18. *Multi* ergo non comparantur cum universalitate hominum, sed cum *uno*, qui vel peccatum vel iustitiam affert, ut indicat ipsa forma graeca οἱ πολλοὶ quae, ut patet, habet sensum *absolutum*, non relativum formae πολλοί. Eadem valent de verbis «*in plures abundavit*» i.e. εἰς τοὺς πολλοὺς (v.15) et de verbis «*peccatores constituti sunt multi*» i.e. οἱ πολλοὶ (v.19).

«*Mortui sunt*»: scil., ut patet ex oppositione ad vitam quam Christus affert, *morte* totali seu corporis et animae et aeterna. Pariter eodem sensu *totali* dicitur «*mors regnavit per unum*» (v.17) et «*regnavit peccatum in mortem*» (v.21). Unde idem indicare dicendae sunt formulae «*iudicium ex uno in condemnationem*» (v.16) et «*in omnes homines in condemnationem*» (v.18).

V.19: «*Peccatores constituti (κατεστάθησαν) sunt multi*» i.e. non mere iuridice habentur ut peccatores, sed in tales instituti seu facti sunt.

V.14-21. Comparatio inter Christum et Adam v.12 interrupta resumitur, ita ut efferantur: a) *Similitudines*, sive *in facto*: Adam auctor peccati et mortis est figura prophetica Christi auctoris iustitiae et vitae (v.14: «*qui est forma futuri*»); sive *in modo* solidaritatis: ut ex uno delicto damnatio omnium

^{15*} Cf. LESÈTRE, *Loi mosaïque*: DB 4,331.

¹⁶ BONSIUVEN, 181; forte sic etiam VIARD, 74; DUBARLE, l.c., 230; LIGIER, o.c., 2,266s;

^{16*} Sic v.gr. CORNELY, p.288s; LAGRANGE, p.107; CEUPPENS, 41,57s. BENOIT, l.c., 15s.19.

¹⁷ S.AUGUSTINUS, *De pecc. mer. et rem.* 1,11,13: ML 44,116; S.HIERONYMUS, *Dial. adv. pel.* 3,18: ML 23,588; BOVER, l.c., p.218s; PRAT, I p.259; MEINERTZ, 29; CERFAUX, *Le Chrétien dans la théologie paulinienne* (Paris 1962) 381s.

sic dein ex uno actu bono iustificatio vitae in omnes (v.18); sive in causa meritoria: ut ex inobedientia unius omnes peccatores, sic dein iusti ex obedientia unius (v.19). b) *Differentiae*, sive in *instrumentis*: gratia Christi superat efficaciam ad omnes delictum Adae efficaciam in omnes ad mortem (v.15); sive in *effectibus*: uno delicto Adae omnes damnatur, at gratia Christi et ab illo et a reliquis delictis iustificatur (v.16); sive in *personis*: dum mors regnat per delictum hominis, gratia ad regnum in vita est per Iesum Christum (v.17). c) *Differentia et similitudo complexive*: abundat delictum et superabundat gratia (v.20); ut regnavit peccatum ad mortem ita regnet iustitia in vitam aeternam (v.21).

Vis probativa loci stat, posita qualibet ex catholicorum interpretationibus indicatis.

4) *Ex hoc loco probatur dari peccatum originale, quale thesis describit, duobus argumentis, quae mutuo illuminantur et complentur:*

A. Ex v.12. *Peccatum ibi memoratum est:* a) *Inductum ab Ada*, cum de hoc, ex dictis, ibi agatur. b) *Verum* i.e. non *metonymicum* seu vel poena, cum ab hac (i.e. a morte) distinguatur, vel concupiscentia, cum homo ob hanc (ac maxime ei naturalem) non putetur puniri et cum maneat in baptizatis, quibus nihil damnationis est (8,1); sed *proprium*, ex sensu proprio vocis ἀμαρτία, et cum tale fuerit peccatum Adae et quia infert, ut videtur iuxta dicta, mortem etiam animae et mox opponitur iustitiae Christi (v.15-21) c) *Insitum omnibus ac singulis*, ut mors eis obveniens.

d) *Non imitatione, sed propagatione transfusum*, nam, cum omnes (etiam infantes) dicantur mori ob peccatum, censetur hoc non esse nisi illud per quod mors intravit in mundum. Ceterum Paulus hoc punctum per se clarum confirmat, quatenus, ne quis obiciat homines ob eorum peccata actualia mori, tempus antemosaicum appellat, in quo moriebantur etiam non peccantes ut Adam, vel quia peccatis suis actualibus non violarunt ut iste legem sub poena mortis impositam, vel quia peccata actualia saltem formalia non commiserunt (v.13s).

Haec interpretatio verbi ἡμαρτον de peccato originali, quae eruat vel ex solo ipso v.12 vel maxime etiam ex v.13s, vehementer roboratur, si ii versus leguntur mente semita de Ada ut *persona corporativa*, seu qui simul est individuum et communitas seu tota humanitas, quae per unum individuum agit. Quae idea hoc loco invicte confirmatur comparatione subsequenti, qua Ada et Chritus potius quam ut duo individua apparent ut duo repraesentantes totius communitatis hominum, etsi diverso respectu sed eadem extensione, seu Ada quoad peccatum et mortem, Christus quoad iustitiam et vitam (v.15-21); Christus nos redemit ut *caput mysticum* omnium hominum, qui per Ipsum et cum Ipso et in Ipso Patri satis-

fecimus et pariter Ada, qui suo modo ut *quoddam caput mysticum* transmittere debebat suis filiis seu membris iustitiam originalem, peccavit et etiam mystice transmisit eis suum peccatum. Quin ergo limitem intentionis Pauli transgrederetur, Augustinus potuit exacto ac pleno sensu eam formulam lapideam proferre: «Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et omnes in illo perierunt»^{17*}.

B. Ex v.15-21. *Peccatum ibi memoratum est:* a) *Inductum ab Ada*, ut patet ex tota pericopa. b) *Verum* i.e. non *metonymicum* seu vel poena, cum distinguatur a condemnatione (v.16.18), vel concupiscentia, cum haec per se non sit punienda, et cum saltem per se (v.gr. in baptizatis) non opponatur iustitiae Christi ut hoc peccatum (v.15-21): sed *proprium*, ex ipsis vocibus quibus designatur (ibid.) et quia opponitur iustitiae Christi (ibid.); et inde infert mortem etiam animae (v.15.17.21). c) *Insitum omnibus ac singulis* (v.19), ut mors (v.15.17.21) ac proin ut condemnatio (v.16.18), et quia iustitia Christi omnibus ac singulis destinatur (v.15.18.21). d) *Non imitatione, sed propagatione, transfusum*, nam ob unius peccatum omnes damnantur (v.18), et constituuntur peccatores (v.19), et cum secus etiam iustitia Christi esset *ocasio ut exemplar*, non causa nostrae iustificationis (v.19)¹⁸.

N.B. Proposita est opinio ut quae sit PP. graecorum, quod in 5,12 «peccaverunt» indicet peccata personalia hominum ac mors (sensu pleno sumpta) sit proxime effectus horum sed ut procedentium a natura corrupta peccato Adae et hoc peccatum quasi rati habentium, ita ut mors tandem veniat et ex hoc et ex illis ut huic subordinatis. In ea explicatione logice dicendus est Paulus non habere directe prae oculis nisi adultos sed dicitur etiam infantes indirecte includere, utpote quos omnes etiam afficiat illa quasi *corruptio naturae* seu *vis peccati* inducta peccato Adae in omnes homines, inducens ad peccata personalia cum usu rationis liberi fiunt, ac proin in iis ante usum rationis iam existens ac eos iam tunc in *statu peccati* ante Deum constituens^{18*}.

^{17*} BENOIT, l.c., 158-159; GONZÁLEZ RUIZ, l.c., 171-173; DE FRAINE, o.c., 127-134; LIGIER, o.c., 2,277-286,308-322; cf. et R.GARCÍA RODRÍGUEZ, O.P., *Esclarecimientos mutuos entre el dogma del pecado original y la doctrina del Cuerpo místico*: XVII SemTEsp (Madrid 1960) 199-221. S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont. Jul.* 1.4 n.104; ML 45,1400; *De civ. D.* 13,14; ML 41,386.

¹⁸ Hanc partem pericopae (v.15-21) speciatim exponit F. LAFONT, *Sur l'interprétation de Romains 5,15-21*: RechScRel 45 (1957) 481-513.

^{18*} LYONNET, *Le péché originel...* 63-84; Id., *Le sens de τηραζευ in Sap 2,24 et la doctrine du péché originel* II Bibl 39 (1958) 348; Id., *Le péché originel in Rom 5,12 et l'exégèse des Pères grecs et les décrets du Concile de Trente*: Bibl 51 (1960) 325-355. Eum sequuntur RAPONI, l.c., 520-529; A. HULSBOSCH, *Zonde en dood in Rom. 5,12-21*: Tijdschrift voor Theologie 1 (1961) 104-204; J.I. VICENTINI, S.I., *Carta a los Romanos*: SagrEscr 2 (BAC, Madrid 1962) 2208,226-228; substantialiter AMIOT, o.c., 508; DURABLE, *Le péché originel dans Saint Paul*: RevScPhTh 40 (1956) 213-254; G. BIFFI-G. LATTANZIO, *Una recente esegesi di Rom 5,12-14*: ScuoCatt 84 (1956) 451-458, qui tamen ut clare efferatur peccatum originale (iuxta doctrinam catholicam) omnibus esse ante omne peccatum personale, praefert hanc versionem: «Come per un sol uomo il peccato entrò in questo mondo e mediante il peccato la morte e così in tutti gli uomini è passata la morte (cioè il peccato originale), per la quale (o meglio per cui) tutti peccarono», O.KUSS, *La lettera ai Romani* (Brescia 1962) 309; cf. et FLICK, o.c., 359-362. Contra vero J.M. GONZÁLEZ, *El pecado original según S.Pablo*: EstBibl 17 (1958) 169-180.

Sed Paulus, ut patet, vult efferre efficaciam et universalitatem redemptionis Christi, quae omnibus afferat iustitiam et vitam multo efficacius quam culpa Adae affert peccatum et mortem, dum ergo ad id statuit aequationem exactam inter peccatum et mortem. Ergo ibi verbum momenti in v.12 est utrumque πάντες. Hinc:

1) Dum ibi vox ἀμαρτία, ἀμαρτίας, adhibita cum articulo et est ut personificatio peccati volentis regnare apud homines et significat unum peccatum Adae sed mundum invadens, non censenda est vox ἡμαρτον in eodem textu ac sine ullo indicio contrario differre sensu ab illa prima, ut significet peccata personalia ceterorum hominum.

2) Imo, statim peccatum *personale* indicatur vel eadem voce at sine articulo (v.13) vel potius aliis vocibus (v.15-20).

3) Dein in sequentibus versibus (v.15-21) eiusdem pericopae non memoratur ut causa mortis totalis omnium nisi unum peccatum Adae.

4) Pro Paulo hic est magni momenti *universalitas* mortis quae attingit omnes homines sine exceptione; at nequit credi Paulum asserere omnes homines etiam sanctissimos V. et N.T. peccare personaliter et ob ea peccata mori.

5) Nec potest concipi peccatum originale (si, ut videtur, cum eo identificatur ea quasi *corruptio naturae* veniens omnibus ex peccato Adae) posse poni hinc ante peccata personalia, cum secus non inesset pueri, et illinc post ista peccata, utpote quae dicuntur etiam afferre *mortem* (in qua est peccatum originale).

6) Notio semita «personae corporativae» manifeste praesidens pericopae, supponit ibi agi de uno peccato Adae omnes attingente. Quod maxime constat ex eo quod (v.15-21) si comparantur duo duces ac eorum influxus et ad Christum ac suum obedientiae actum referuntur omnes effectus redemptionis (praesentes ac futuri, individuales ac universales), nequit regnum peccati ac mortis iure tribui nisi uni Adae ac suo actui culpabili.

7) Contraria opinio tribuitur in genere PP. graecis, sed saltem excipiuntur SS.I.Chrysostomus ac I.Damascenus, qui sane sunt magni meriti; imo omnes tenent homines esse in quodam «statu peccaminoso» ob peccatum Adae, etiam ante peccata personalia, quae consequuntur istam debilitatem moralem nativam; ceterum S.Cyrillus Alex., qui principaliter citatur pro nova opinione, videtur potius tribuere mortem peccato contracto ex Ada, non personalibus.

8) C. Tridentinum sumit Rom 5,12 et de infantibus (n.791) et sine dubio ob verbum «peccaverunt», cum desumat verba ex C.Arausiano ac proin sensu plene augustiniano eius Concilii. Ceterum si ibi omnes dicuntur mori et id constat ex experientia, nullo iure assereretur infantem, quos etiam constat universaliter mori, non includi voce «peccaverunt» ut indicante causam generalem mortis. Nec valet obiectio quod vox ἀμαρτέειν habeat solum sensum activum, non vero passivum contractionis peccati, cum constet etiam hunc sensum ei posse inesse (v.gr. Lev 4,3.22; 5,4; Is 24,5-6) 19.

926. 2 Cor 5,14: ... Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Etsi multi antiquiores cum S. Augustino, et alii recentiores, ut Fillion, putaverint hic agi de peccato originali, sensus tamen videtur esse de morte non in Ada,

19 GONZÁLEZ RUIZ, l.c., 170-180; LIGIER, o.c., 2, 268-277; F.SPADAFORA, Rom. 5,12: esegesi e riflessi: Div 4 (1960) 289-298; etsi agit de exegesi protestantica B.MARIANI, O.F.M., La persona de Adamo e il peccato originale originante secondo Paolo: Rom 5,12-21: Div 2 (1958) 499s.

sed in Christo et cum Christo (Cornely, Prat) 19*. At vero cum ea mors *omnium* (ergo v.gr. et infantium) in Christo sit *peccato*, supponuntur *omnes* habere peccatum. Sic *indirecte* doceatur peccatum originale.

Ita etiam *indirecte* et *arguitive* potest dici agi de peccato originali: a) Ubi Christus dicitur *redemisse omnes* (1 Tim 2, 5). Nam infantes carent peccato personali. b) Io 3,5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei*, ubi, ex sensu et praxi Ecclesiae, statuitur baptismus ut necessarius *etiam infantibus* et quidem in *remissionem peccatorum* (D 791; cf. S.Th., 4 CG 50).

Etiam proponuntur: a) Eph 2,3: *Et eramus natura filii irae*, quae de peccato originali interpretati sunt latini communiter et nunc multi 20, contra alios veteres ac modernos de eo *directe* agi negantes 20*.

b) Ps 50,7: *Ecce... in iniquitatibus (hebr. iniquitate) conceptus sum et in peccatis (hebr. peccato) concepit me mater mea*. Ibi agi de peccato originali multi putant, cum agatur de peccato nativitate, quod sane inepte ad parentes referretur, nisi potius cum iste psalmus, etsi in forma individuali, videatur esse simul communitarius, vox «mater» indicet populum iudaicum historicum ut peccatorem in quo homo nascatur peccato infectus 21. Sed ista iniquitas nondum refertur saltem expresse ad peccatum Adae 22.

c) Iob 14,4: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* In versione LXX: «¿Quién será limpio viniendo de la inmundicia? Pero nadie, aunque no hubiera vivido sino un solo día sobre la tierra». Textus hebr.: «Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem».

Haec de peccato originali intellexerunt, iuxta Knabenbauer, multi Patres et interpretes catholici, etiam recentiores, et multi protestantes. Illa enim immunditia ex nativitate veniens, quae videtur proponi ut verum peccatum, cum agatur de sordibus coram Deo (v.3), quaeque sic generaliter hominibus inesse dicitur, non ex singulorum hominum peccatis venire censenda est, sed ut *aliquod peccatum naturae* non obscure proponi. At etiam hic deest eius immunditiae *expressa* relatio ad peccatum Adae 23.

19* S.AUGUSTINUS, Cont. Iul. 6,4,8: ML 44,825s; De civ. Dei 20,6,1: ML 41,665; L.CL.FIL-LION, La sainte Bible 8 (Paris 1904) p.241; CORNELY, Epist. ad Cor. altera (Parisii 1909) p.161-163; PRAT (2 p.242-244) iuxta quem id communiter praefertur commentatores.

20 S.AUGUSTINUS, Cont. Iul. 6,10,33: ML 44,841; A LAPIDE, in h.l.; KNABENBAUER, Epist. ad Eph. (Parisii 1912) p.72s; FILLION, l.c., p.334; BOVER, Las epistolas de San Pablo p.294s; LIGIER, o.c., 2, 286-289; maxime insistit in hoc recenter J.MEHLMANN, O.S.B., Natura filii irae (Roma 1957) et etiam iuxta H.SCHLIER, Der Brief an die Epheser (Düsseldorf 1957) 107 n.2, cum ibi agatur de effectu peccati originalis, hoc ibi iure legitur.

20* S.I.CHRYS., In epist. ad Eph. c.2 hom.4 n.1: MG 62,32; S.HIERONYMUS, In epist. ad Eph. 1 c.2: ML 26,497s; CAJETANUS, in h.l.; PRAT, 2 p.71s; VOSTÉ, Commentarius in epistolam ad ephesios (Romae 1921) p.133s.253-260; cf. ID., Eramus natura filii irae...: Cienc Tom (1916) 386-391; HUBY, Saint Paul. Les épîtres de la captivité (Paris 1925) p.17s; CEUP-PENS, Theologia biblica. I. De Deo Uno (Romae 1938) p.4s. Hi tamen auctores facile admittunt eo loco peccatum originale vel innui (Huby) vel, cognito dogmate eius peccati, hoc probari (Vosté). BONSRIVEN, Théologie... 282; L'évangile... 114s; MEINERTZ, 30. Peccatum originale non semel innui in Evangelio statuit DUBARLE, Le péché originel dans les suggestions de l'Évangile: RevScPhTh 39 (1955) 603-614.

21 S.AUGUSTINUS, Enarr. in ps. 50 n.10: ML 36,591s; BELLARMINO, In psalmos expl. ps.50,6; Liber psalmodum (Pont. Inst. Bibl.) p.94s (indic. pec. orig.).

22 LAGRANGE, l.c., p.114; BONSRIVEN, l.c., p.109; A.FEUILLET, Le verset 7 du Miserere et le péché originel: RechScRel (1944) 5-26; LIGIER, o.c., 99-151; G.BERNINI, Le presbiterie penitenziali del Salterio (Roma 1953) 184-188.

23 KNABENBAUER, Commentarius in librum Iob (Parisii 1886) 14,4 p.191s; A.LEFEBRE, Job: DBS 4,1092-1094 (Iob parat viam Paulo); BONSRIVEN, l.c., LAGRANGE, l.c.; qui iure assentitur dicenti HURTER (n.362 not.1) loca Iob 14,4 et Ps 50,7 peccatum originale indicatione con-

d) Eccli 25,33: ... *Et per illam (Hevam) omnes morimur*. Transmissio solius poenae hic exprimitur; at iure ea sumi potest ut supponens culpam eis inesse, qui illi subsunt²⁴; imo id esset clarum, si mors sumatur sensu totali, ut in Sap 2,248 (cf. supra n.908).

e) Gen c.2-3, quasi ibi peccatum haereditarium, quale hodie definitur communiter, aequivalenter revelatum continetur²⁵. Sine dubio res ibi est, et ut notat Lagrange, praecipua elementa eius narrationis nostro dogmati consonant; et quidem ita ut ibi, iuxta Dubarle, id *concrete* statuatur quod dein Paulus *abstracte* proponet. Sane ibi et sequenti narratione apparet in ordine morali ut sat distincta ac ante peccatum conditio hominum, et quoad alia et maxime quoad familiaritatem cum Deo, ita ut ii etiam redemptore ac reconciliatore egeant (3,15); quae specialem vim obtinent, si Ada respiciatur ut persona corporativa ex idea Veteri T. cara et quidem in solidaritate morali qua uno vel alio modo etiam peccata censeantur ex parentibus ad filios transmitti. Sed tandem quo pacto probatur ex solo illo loco, ibi agi de *vero* peccato ut uno omnibus transmittendo? ²⁶.

927. **Probatur ex traditione.** Cum apud S.AUGUSTINUM praecipuum Pelagianismi impugnatores, qui primus systemate expressit peccati originalis doctrinam, et post ipsum haec clarissime splendeat²⁷, tempus *anteaugustinianum* directe respicimus.

1) S.AUGUSTINUS *docuit doctrinam, non a se inventam, sed traditionalem Ecclesiae*. Id constat: a) *Negative*, nam secus repugnasset ipsi docenti rem novam sic miram Ecclesia et eius doctores, Donatistae ei maxime inimici, et praesertim Ecclesia graeca.

b) *Positive*, nam: a) Augustinus appellat traditionem: «non ego finxi pec. originale, quod catholica fides credit antiquitus»²⁸; et memorat eius veritatis testes ex utraque Ecclesia, ut sunt «Iren., Sypr..., Hild., Greg. (Naz.), Innoc. (I), Io. (Chrys.), Basil., quibus addo... Hier., ut omittam eos qui nondum dormierunt...», qui omnes «quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt...» (R 1898-1900).

Eodem tempore C.Carthaginense XVI (a.418) a S.Zosimo Papa approbatum et cui saltem ducenti episcopi affuerunt, dixit verba Rom 5,12 non aliter intelligenda esse, «nisi quemadmodum Eccl. Cathol. *ubique diffusa semper intellexit*» i.e.

notare, maxime si in luce N.T. et traditionis legantur; GONZÁLEZ RUIZ, *El pecado original...* 1528; LIGIER, *o.c.*, 1,2968.

²⁴ LIGIER, *o.c.*, 303-306 effert in *Ecclesiástico* aspectum inclinationis innatae ac universalis ad malum, sed quin eius origo definiatur.

²⁵ A.VERRIELLE, *Les textes bibliques sur le péché originel et leur interprétation théologique*: RevApol 63 (1936) 385s.400-402.513-519.

²⁶ LAGRANGE, *L'innocence et le péché*: RevBibl 6 (1897) 361s. Cf. CLAMER, 154; LABOURDETTE, 17; BONSRIVEN, *L'évangile...* 109; LAMBERT, *Le drame...* 10698; DUBARLE, *Le péché originel dans Saint Paul...* 234; Id., *Le péché originel dans la Genèse*: RevBibl 64 (1957) 3-34; cf. Id., *La condition humaine dans l'Ancien Testament*: RevBibl 63 (1956) 321-345; DE FRAINE, *o.c.*, 88-92.113-134; LIGIER, *o.c.*, 1,70-98.

²⁷ GAUDEL, *l.c.*, 388-432; JUGIE, *L'Immaculée Conception dans l'Eglise grecque après le concile d'Éphèse*: DTC 7,897-923; Id., *Julien d'Halicarnasse...*: l.c., 145-162.257-267; K.JÜSSEN, *Dasein und Wesen der Erbsünde nach Markus Eremita*: ZkathTh 62 (1938) 76-91.

²⁸ S.AUGUSTINUS, *De nupt. et concup.* l.2: ML 44,450s.

de pec. originali (D 102). *Pelagiani* testati sunt inviti eam traditionem, spargentes aequivoce suum errorem, ita ut deciperet Pelagius episcopus synodi Diospolitanae (a.415) et Caelestius S.Zosimum. Ortum Pelagianismum SS.Pontifices et plura concilia in utraque Ecclesia, ut Carthaginense XVI (D 102) et Ephesinum (D 126s) reiecerunt²⁹.

2) *Ecclesia semper baptizavit parvulos, peccato actuali sane carentes, et quidem in remissionem peccatorum*³⁰. Ipse Harnack assertit morem parvulos baptizandi, cuius initium, iuxta ipsum, in umbris manet, iam tempore Iren. (a.140-ca.202) fuisse valde propagatum, et cui ut effectus tribueretur remissio peccatorum³¹. Sic, ut unus testis producat, iuxta Origenem (a.185/6-254/5), parvuli baptizantur in remissionem peccatorum et quidem «secundum Ecclesiae reverentiam» (R 496), et quia eam «Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit» (R 501). Nec ulla haeresis contra eum usum antiquitus fuisse videtur.

928. 3) *SS.Patres ad normam eius fidei intelligendi sunt*. Dicta hucusque de fide pecc. originalis, quae adeo sponte, nitide, universaliter se manifestavit, et de baptismo parvulorum in remissionem peccatorum, ingerunt animis persuasionem indubiam de universali diffusione illius doctrinae in Ecclesia ante pelagianismum. Hinc nil refert, si testimonia explicita de illa re sint minus frequentia tempore antepelagiano, cum ea semper, consideratis omnibus hucusque animadversis, persuasionem indicatam confirmant. Iam eorum aliqua proferuntur³².

A. *PP.Occidentales*. TERTULLIANUS: unanimiter habetur ut unus ex praecipuis testibus primaevis doctrinae peccati originalis. Iuxta ipsum, Adam ut praeepti Dei transgressor «in mortem datus exinde totum genus de suo semine in-

²⁹ GAUDEL, 302-406; HEDDE-AMANN, *l.c.*: DTC 12,688-714; HEFELE-LECLERQ, *o.c.*, 2 (Paris 1908) § 118s; JUGIE, *l.c.*, 897. Ipse Nestorius deseruit in ea re Theodorum Mopsuest., magistrum suum, iuxta JUGIE, *Nestorius et la controverse nestorienne* (Paris 1912) p.244-248.

³⁰ BAREILLE, *Baptême d'après les Pères grecs et latins*: DTC 2,192-196; J.C.DIDIER, *Le baptême des enfants dans la tradition de l'Eglise* (Tournai 1959); LABOURDETTE, 278.

³¹ A.HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte* 1⁴ p.471-473. Cf. et H.WINDISCH, *Zum Problem der Kindertaufe in Urchristentum*: ZTNWiss 28 (1929) 118-142; PH.-H.MENOU, *Le baptême des enfants dans l'Eglise ancienne*: VerbCa 2 (1948) 15-26; A.BENOIT, *Le problème du pédo-baptême*: RevHistPhRel 38-39 (1948-1949) 132-141; Id., *Le Baptême chrétien au second siècle: la théologie des Pères* (Paris 1953); O.CULLMANN, *Die Tauflehre des Neuen Testaments. Erwaechenen- und Kindertaufe* (Zürich 1948); Id., *Le baptême agrégation au Corps du Christ: DieuViv* 11,45-66; J.JEREMIAS, *Die Kindertaufe in den ersten vier Jahrhunderten* (Göttingen 1958): dum initio huius saeculi protestantes plerumque putabant baptismum infantium nonnisi ca.a.200 affirmari, hodie plures in dies illum referunt ad tempus apostolicum, quorum princeps sine dubio est Jeremias, qui iam a multis annis (saltem a.1938) ea re scripsit; re-diens ad antiquiorem opinionem, ipsum nuper voluit refutare K.ALAND, *Die Säuglingstaufe in Neuen Testament und in der alten Kirche* (München 1961), at sine bono exitu quoad rem essentialem: cf. IDE LA POTTERIE: Bibl 44 (1963) 107-109. Ut Jeremias opinatur R.BARITIER, *Le baptême des petits enfants*: CahProt 44 (1960) 129-166.

³² GAUDEL, 317-363; JUGIE: DTC 7,893-897; Id., *Julien...* 138-145.

fectum suae etiam damnationis traducem fecit» (R 286). «Omnis anima... in Adam censetur, donec in Christo recensatur, tamdiu immunda quamdiu recensatur; peccatrix autem quia immunda... Reformata per secundam nativitate, detracto corruptionis pristinae aulaeo, totam lucem suam conspicit. Excipitur... a Spiritu S., sicut in pristina nativitate a spiritu profano»³³.

S.AMBROSIIUS: «Antequam nascimur maculamur contagio... Nec unius diei infans sine peccato...» (R 1290). «Omnes in primo homine peccavimus et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est... Per unum in omnes pertransivit peccatum» (R 1291)³⁴.

AMBROSIAS (R 1341): «Manifestum... est in Adam omnes peccasse quasi in massa; ... omnes nati sunt in peccato. Ex eo (Ada) igitur cuncti peccatores...»³⁵

S.PACIANUS: Est testis maximi momenti in hac re, cum circa 30-40 annos ante controversiam pelagianam mira claritate ac praecisione doctrinam peccati originalis tradiderit, etsi id ignoraverit S.Augustinus, qui scribens *Contra Iul.* (R 1899) non citat eum in aliis testibus. En pauca verba S.Paciani:

«Adam postquam peccavit..., addictus est morti. Haec additio in genus omne defluxit. Omnes enim peccaverunt, ipsa iam urgente natura..., quia per unum hominem peccatum introivit, et per delictum mors, et sic in omnes homines devenit, in quo omnes peccaverunt. Dominatum est ergo peccatum, cuius vinculis quasi captivi tenebamur ad mortem... sempiternam... Breviter audite. Peccatum Adae in genus omne transierat: *Per unum hominem...*»³⁶.

S.CYPRIANUS: A baptismo «prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata» (R 586). Ergo ei remittitur aliquod peccatum, etsi alienum, scil. non commissum physice propria eius voluntate.

S.HILARIUS: «Habemus autem etiam nunc admixtam nobis materiam, quae mortis legi et peccati obnoxia est; et in

³³ TERTULLIANUS, *De anima* c.408: ML 2,7195: CSEL 20,367-369. Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien* (Paris 1905) p.127-265-267; G.TEICHWEIER, *Die Sündenlehre des Origenes* (Regensburg 1958) 101s.

³⁴ Cf. J.HUHN, *Ursprung und Wesen des Bösen und Sünde nach der Lehre des Kirchenvaters Ambrosius* (Paderborn 1933) p.98-152.

³⁵ Cf. J.JAENTSCH, *Führt der Ambrosiaster zu Augustin oder Pelagius?*: Schol 9 (1934) 92-99.

³⁶ *Sermo de bapt.* 2.5: ML 13,1090-1092: cf. DALMAU, *La doctrina del peccat original en Sant Pacià*: *AnalSacraTarrac* 4 (1928) 203-208; U.DOMÍNGUEZ-DEL VAL, O.S.A., *La teologia de San Paciano de Barcelona*: *CiUD* 171 (1958) 20-28.

huius caducae carnis infirmoque domicilio corruptionis labem ex eius consortio mutuamur»³⁷.

B. PP.Orientalis. S.IRENAEUS, orientalis nativitate et educatione (R 225): Deum «in primo... Adam offendimus, non facientes eius praeceptum... Neque... alteri... eramus debitores, sed illi cuius et praeceptum transgressi fueramus ab initio». Homo fuit «initio in Adam inobediens»³⁸.

ORIGENES, etsi praeeexistentianismo adhaeserit, ut agens de pecc. originali intelligitur iure in his, cum memoret Adam ut eius peccati causam: «Corruit unusquisque in orbe per peccatum... In Adam omnes moriuntur, et ita corruit orbis» (R 486).

«Quaecumque anima in carne nascitur iniquitatis et sorde polluitur... Si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet... pertinere, gratia baptismi superflua videretur» (R 496).

«Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum abluuntur» (R 501)^{38*}.

S.ATHANASIIUS: Homines «ad res corruptioni subiectas consilio diaboli conversi, sibi... corruptionis mortis auctores facti sunt; qui... ex natura... mortales erant, sed gratia (Verbi)... naturae conditionem haud dubie effugissent, si boni utique permansissent» (R 750). «Peccante Adamo peccatum in homines pertransiit» (R 763).

S.BASILIIUS: «Adam improbo esu peccatum transmisit» (R 967). «Quoniam non ieunavimus, exsulamus a paradiso»³⁹.

S.METHIDIUS: «Creatus est ipse (Adam) expers corruptionis, ut laudaret... conditorem omnium... Sed cum contigisset eum, violato Dei mandato... cadere in mortem..., propterea dicit Dominus se in mundum... venisse... Hominem suscepit Verbum, ut..., devicto serpente, capitis damnationem solveret... Neque solvi poterat peccatum et damnatio, nisi... ille homo (morte damnatus)... renovatus abrogasset sententiam quae propter illud in omnes ceciderat, ut sicut... in Adam

³⁷ S.HILARIUS, *In ps.* 118,2 n.3: ML 9,518. Cf. P.LIMONGI, *Esistenza ed universalità del peccato originale nella mente di S.Illario di Poitiers*: *ScuoCatt* 69 (1941) 127-147; Id., *La trasmissione del peccato originale in S.Illario di Poitiers*: *ibid.*, 260-273; Id., *La natura e gli effetti del peccato originale in Sant Illario di Poitiers*: 19 (1942) 186-201.

³⁸ S.IRENAEUS, *Adu. haer.* 1.5 c.34: MG 7,1216.

^{38*} Tamen TEICHWEIER, o.c., 96-99, disserte asserit Origenem ignorare peccatum haereditarium ex Ada et solum novisse peccata personalia, baptismum vero infantem mundari a quadam macula quam in sua conceptione contrahit ex actu coniugali parentum. Eadem ignorantiam peccati originalis tribuit Clementi Alex. (p.99).

³⁹ S.BASILIIUS, *De ieiunio* hom.1 n.4: MG 31,167.

omnes moriuntur, sic... in Christo... omnes vivificentur» (R 612).

Ut ergo bona Adae innocentis (ergo et amicitia Dei, praeceptum eius bonum) comprehenduntur incorruptione, cum ea sola memoretur ut ei data ad laudandum Deum, sic mala Adae peccantis comprehenduntur morte.

S.GREGORIUS NAZ.: «Omnes... instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, et a serpente in fraudem inducti et per peccatum morte affecti, ac per caelestem Adamum saluti restituti et ad lignum vitae, unde excideramus..., revocati sumus»⁴⁰.

DIDYMUS ALEX.: «Si (Christus) ex copula accepisset corpus, non habens discrimen, existimaretur et ipse obnoxius esse huic peccato, quod et omnes ex Adamo per successionem contrahunt» (R 1077)⁴¹.

S.GREGORIUS NYSS.: «Sordes autem hominis peccatum est, quod una cum humana editur natura, quoniam *in peccatis concepit me mater mea*; quod peccatum is qui purificationem peccatorum nostrorum expurgat, absumens ac tollens ex rerum natura quidquid vel cruentum vel sordidum».

«Commixtum quodammodo malum cum natura est, per eos qui antiquitus... per inobedientiam morbum invexerunt... Ex homine homo nascitur, ex obnoxio vitiis..., iisdem obnoxius, ex peccatore peccator. Ergo una cum nascentibus aliquo modo peccatum existit, simul et nascens et augescens et una termino vitae desinens»⁴².

APHRAATES: «Ex omnibus qui progeniti sunt..., unus dumtaxat innocens est, nempe Dominus N.I.C... Neque ex hominibus ullus alius est qui in stadium descendat quin vulneretur aut feriat; peccatum enim a tempore quo Adam praeceptum transgressus est regnavit...» (R 684).

S.EPHRAEM: «Transgressio mandati... chirographum Adamo scripserat, quo *reus* declarabatur et morti subiectum omne genus humanum... Benedictus qui in cruce sua suspendit debitum mortis... hominique *iustificationem* [quae sane supponit culpam praevidiam] dedit» (R 717).

929. S.I.CHRYSOSTOMUS in specie, cum eum iam Pelagianum appellarint ut pecc. originale negantem⁴³:

⁴⁰ S.GREGORIUS NAZ., *Orat.* 33 n.9: MG 36,226.

⁴¹ Cf. G.BARDY, *Didyme l'Aveugle* (Paris 1901) p.134s.

⁴² S.GREGORIUS NYSS., *De vita Moysis*: MG 44,610; *De beatit. orat.* 6: Ibid., 1273. «At vero Dominum, propter nos peccatum esse factum, apostolicus sermo testatur: suscepit enim mortalitatem nostram, qui peccando mortales facti sumus (*De vita Moys.*: MG 44,335)

⁴³ Cf. BARDY, *Jean Chrysostome (Saint)*: DTC 8,676.

a) *In genere docet peccatum originale*, dicens haec quae, ut patet, etiam de infantibus valere debent: naturam humanam quae cecidit regeneratione egere (R 1160); Christum mortuum esse pro omnibus peccatoribus (R 1198 1221); nos redemptos esse (R 1185), et similia.

De effectibus baptismi dicit sine limitatione ad adultos: «Animam tangit gratia et illinc peccatum evellit radicitus. Propterea eius qui est dimissus a rege, *sordidam* videre licet animam; eius autem qui est baptizatus, minime, sed... solis radiis puriorem et qualis fuit generata ab initio»⁴⁴.

b) *In specie aliqua testimonia directa eius proponuntur*: «Christus invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fenus auximus posterioribus peccatis» (R 1229). Ergo si chirographum iam erat nostrum, debitum eius ad nos pertinebat; ideo etiam dicimur nos istud *auxisse* aliis peccatis.

Per Christum «a supplicio liberati sumus et *nequitiam* omnem exuimus et regenerati sumus...» (R 1185). Haec valere debent et de parvulis.

«Initio dedit nobis Deus vitam sollicitudine... vacuam. Dono abusi sumus...; paradisum amisimus...»⁴⁵. «Illud peccatum inobedientiae Adae, ipsum erat *omnia inquinans*» (R 1184).

c) *Hinc non negat peccatum originale, si dicit* (R 1228): «Infantes baptizamus, etsi non habeant peccata». Nam hic manifeste agitur proxime de *personalibus* peccatis, cum ea memorentur in plurali (cf. S.August. R 1228), et cum verba dirigantur ad adultos, quibus explicatur effectus remissionis peccatorum maxime actualium, seu qualis habetur apud eos (R 1228).

«Quid igitur significat illud *peccatores*? Mihi quidem videtur supplicio obnoxios et ad mortem damnatos» (R 1185). Vel: «Quid est in quo *omnes peccaverunt*?... Effecti sunt ex illo omnes mortales» (R 1184).

Haec indicant S.Doctorem non pervenisse ad formulam dogmatis exactam, qualis dein confecta est; attamen ea verba in se inspecta nequeunt apte explicari, quin supponant aliquam maculam in damnatis, cum damnatio iusta non sit sine culpa, iuxta ipsum S.Doctorem: «Quod... ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habet? Invenietur quippe ille ita nec poenas debere, nisi ex se peccator fuerit»⁴⁶; et tamen, iuxta ipsum, punimur ob peccatum Adae:

⁴⁴ S.I.CHRYSOST. *In 1 Cor.* hom.40,2: MG 61,349.

⁴⁵ *In Joan.* hom.36 n.2: MG 59,205s.

⁴⁶ *In Epist. ad Rom.* hom.10 n.2: MG 60,477.

«Quomodo uno inobediens... orbis condemnatus est? (R 1184)... Mortem et condemnationem unum peccatum afferre potuit»⁴⁷. Ergo, si punimur ob Adae peccatum, hoc in-fecti aliquomodo sumus.

Potius ergo dicendum est *peccatum simpliciter esse*, iuxta S.Doctorem, peccatum personale, et *peccatores esse peccatores personales*, ita ut eo sensu sumptum peccatum Adae non sit nostrum, quin tamen negetur illo nos aliquomodo infici.

930. Haec SS.Patrum testimonia peccatum originale produunt, nisi sensus eorum obvius negetur, vel eadem formulae ad istud exigantur quibus nos illud, post longam eius notionis elaborationem, exprimumus⁴⁸. Eadem illa verba possent a nobis sine periculo confusionis adhiberi. Ceterum Patres antepelagiani fere ut nos describunt hominem ex peccato Adae lapsus; ergo ii censi sunt idem ac nos obiective indicare velle, et idem quod occasione Pelagianismi peccatum originale vocatum est, maxime cum secus suppone-rent Deum singulos homines sine eorum culpa damnassee⁴⁹; fere ut pelagiani contra negant simul et peccatum originale et homines ob peccatum Adae factos esse mortales⁵⁰.

Patres antepelagiani ideo forte peccatum originale minus frequenter memorabant, quia: deerat occasio, cum ante Pelagianismum nulla existisset haeresis in illud. Hinc nec istud formulis exprimebant, deficiente periculo confusionis (D 1228). Instructio adulatorum ad baptismum maxime de peccatis *personalibus* esse oportebat⁵¹. Potius caute loqui debebant ne viderentur praeexistentiam favere et maxime manichaeismo dicenti animam ex contactu materiae malae contrahere peccatum, quod proin sit, non liberum, sed ex determinismo naturae. Id imprimis valebat de antiochenis maxime efferentibus peccatum esse ex actu voluntatis, ut S.Ioanne Ch. et Theodoro qui ideo vocem *ἁμαρτία* peccato personali reservare poterunt⁵². De facto, ut ait Jugie, fere omnes Patrum textus qui obiciuntur, quasi viderentur peccatum originale negare, explicantur ex hoc sensu illius vocis⁵³.

Imo potius dicendum PP. graecos ac latinos convenire in re, quod peccatum originale sit *mors animae* ex peccato Adae, et solum differre in modo loquendi, quatenus illi dicunt potius nos *peccasse in Adam* (et sic nos in ipso mori morte *totali*), dum hi potius concipiunt istam mortem ut effectum peccati Adae ac proin *peccatum* non vocant^{53*}.

⁴⁷ Ib. n.18: MG 60,475s.

⁴⁸ Cf. JUGIE, *Julien d'Halicarnasse...* p.143s.

⁴⁹ Quo posito, facile possunt induci ut testes eius peccati etiam ii auctores qui forte expresse illud qua tale non memorant, sed describunt iuxta effectus peccato Adae nobis allatos. Cf. v.gr. TH.RÜTHERT, *Die Lehre von der Erbsünde bei Klemens von Alexandrien* (Freiburg 1922); et de eodem Clemente, cf. GAUDEL, 329-332. A.GRILLMEIER, S.I., «Das Erbe der Sohne Adams» in *der Homilia de Passione Melitos. Ein neues Beispiel griechischer Erbsünde-lehre aus frühchristlicher Zeit*: Schol 20-24 (1949) 481-502.

⁵⁰ GAUDEL, 360-363,381s. Ex dictis patet quam immerito dicatur a TURMEL (*Histoire des dogmes* I [Paris 1931] p.79) et E.BUONAIUTI (*Storia del cristianesimo*² I [Milano 1944] c.15) peccatum originale ante Augustinum ignorari, vel a F.LOOPS (*Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte*⁴ [Halle 1906] § 45 n.5) notionem illius esse ante saeculum V graecis igno-tam. Et minus recte quidam catholici, ut TIXERONT (o.c., 2^o 140-144; 3^o 209) ac R.DRA-GUET (*Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche* [Louvain 1924] p.224) consonant PETAVIO (*De Incarn.* l.14 c.2 n.1), iuxta quem, graeci «originalis fere criminis raram nec disertam mentionem scriptis suis attigerunt».

⁵¹ Cf. S.GREGORIUS NYSS., *Orat. catech.* c.33-36: MG 45,84-93; S.GREGORIUS NAZ.: R 1012.

⁵² BARDY, l.c., 678; *Theodoret*: DTC 5,323.

⁵³ JUGIE, l.c., 144.

^{53*} Cf. SAGÜES, *El pecado heredado...* 164-169.

931. **Ratio theologica.** Facile deducitur aliquod pec-catum originale: a) Ex redemptione *omnium*, seu etiam infan-tium, et quidem a peccatis. b) Ex baptismo etiam universali, et quidem in remissionem peccatorum. c) Ex dogmate Imma-culatae Conceptionis ob privilegium, cum hoc inferat legem generalem contrariam. d) Ex cognita elevatione primaeva *to-tius* generis humani ad statum iustitiae originalis, cum haec non censeatur per se amissa esse, nisi ob aliquod peccatum omnibus hominibus commune.

Ratio naturalis sola existentiam peccati originalis probare nequit ex mi-seriis corporalibus et moralibus huius vitae, cum sit possibilis status naturae purae iisdem miseriis affectus vel cum eae peccatis personalibus deberi pos-sent. At, cognita (maxime ex revelatione) providentia et benignitate Dei, illae possunt probabiliter ut *poenae* haberi, quae proin, cum sint *universales*, arguant commune aliquod originale peccatum⁵⁴. Quod et gentiles quidam putasse videntur⁵⁵.

Etiam quidam psychoanalystae, cum in psychoanalysis non invenirent congruam explicationem angustiae humanae, confugerunt ad christianam peccati originalis doctrinam^{55*}.

932. **Obiectiones.** 1. Ez 18,20: *Anima quae peccaverit, ipsa mo-rietur; filius non portabit iniquitatem patris.* Ex his, peccatum patris non transit ad filium. Ergo excluditur peccatum originale.

Dist. antec. Non transit in filios peccatum patris personale, *conc. antec.*; originale, *nego antec.*

Ibi agitur de peccatis *personalibus*, ex contextu (v.1-5). Pronum vero est ut peccatum *personale* patris non imputetur filio in *culpam*, cum ille non sit pater huius in ordine morali, vel etiam in *poenam*, ne quis puniatur ob culpas alienas, et maxime, ut in casu, privatione bonorum *naturalium*, quae sane poena solum ob peccata eius *personalia* alicui inflingeretur. Peccatum vero originale ut *culpa* non est Adae *mere personale*, cum Adam sit pater homi-num in ordine gratiae; ut *poena* vero est privatio bonorum *indebitorum*, et quidem in reo culpae, non in innocenti.

⁵⁴ Nec aliter videntur esse intelligendi S.AUGUSTINUS (*Cont. Iul.* l.4 c.16 n.83: ML 44, 781s), nisi forte potius loquatur supposita revelatione felicitatis primaevae, et S.Th. (4 CG 52): «... Huiusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute, ... tamen, conside-rando divinam providentiam..., satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum». De mente Augustini cf. E.D.CARRETERO, O.S.A., *Antropologia teológica de la «Ciudad de Dios»*: Ciudad 2 (1954) 193-268; DE MONTCHEUL, *La polémique...* 193-218; F.REFOULE, O.P., *Misère des enfants et péché originel d'après saint Augustin*: RevThom 63 (1963) 341-352, ex quo S.Doctor ibi arguit potius theologice seu ex experientia al lumine revelationis illustrata. De S.Thoma etiam sic fere intellecto, cf. RONDET, «Naturel...»: RechScRel 48 (1960) 241-257. Cf. H.LEDUC, *Le péché originel et la raison*: RevClFr 25 (1901) 93-105; LE BACHELET, *Le péché originel*³ (Paris 1900) p.108-113; RIVIÈRE, *Sur le péché originel*: RevClFr 78 (1914) 471-473; G.PHILIPS, *De argumento augustini ex miseriis huius vitae desumpto pro existentia peccati originalis*: Rev-Eccl Liège 26 (1934-1935) 313-320; LONCKE, *Perpenduntur argumenta rationis quod peccati originalis existentiam*: CollatBrug 44 (1948) 335-339; J.B.BECKER, *Zur Theodizee der Erbsünde*: ThPrahQschr 9 (1926) 478-481. De mente Catharini faventis argumento rationis, cf. SCARING-CI, 65-68.

⁵⁵ BERAZA, n.681s; VAN NOORT, n.236.

^{55*} Cf. M.ORAISSON, *Réflexions sur «Morale sans Péché» du Dr.Hesnard*: RevThom 55 (1955) 202s. Recursum ad eam radicem perturbationum psychicarum etiam memorat C.VA-CA, O.S.A., *La sexualidad en San Agustín*: AugMag 2, 728s. Cf. et Id., *Puntos para una psi-cología del pecado en la «Ciudad de Dios»*: Ciudad 2 (1954) 278-282 (de sensu culpabilitatis apud homines ex peccato originali); ORAISSON, *Psychologie et sens du péché*: Le péché (Paris 1959) 45-48. De actualitate eius dogmatis (p.orig.) aliqua dicit DANIELOU, *Les orientations présentes de la pensée religieuse*: Et 249 (1946) 15s.

At potest Deus peccata parentum in filiis punire malis physicis, quae tamen parentibus erunt in poenam, non vero filiis, sed in alium finem v.gr. exercitii virtutis (1.2 q.87 a.7.5)⁵⁶.

2. Rom 3,23: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*. Locutio «omnes peccaverunt» indicat hic peccata personalia. Ergo et in Rom 5,12.

Dist. cons. In Rom 5,12 verba «omnes peccaverunt» indicarent peccata personalia, si ea verba in utroque loco adhiberentur eodem sensu, *conc.*; secus, *nego*.

Verbum «peccaverunt» potest indicare et actionem personalem qua inducitur reatus culpa et contractionem reatus culpae ob illam actionem, ita ut generatim includat utrumque momentum, ut in loco obiecto, alias solum alterum, ut in nostro loco iuxta contextum, in quo ea vox obvio sensu indicat (etiamsi non respicerentur infantes) omnes uno peccato Adae attingi. In 3,23 alius est contextus et inde usque ad 5,12 series idearum evoluta est, quatenus primo asserit «omnes esse sub peccato» (3,9.23) ut tandem perveniat ad affirmandum peccatum intrasse per unum in mundum (5,12)^{56*}.

3. Vox ἡ ἀμαρτία significat solam concupiscentiam in Rom 6,12, etc.: *Non ergo regnet peccatum (ἡ ἀμαρτία) in vestro mortali corpore...* Ergo et in Rom 5,12.

Dist. cons. Illa vox in Rom 5,12 significat concupiscentiam etiam, *conc.*; solum, *nego*.

Ea vox in Rom significat per se et oppositionem iustitiae Christi, ac proin reatum culpa, et concupiscentiam, ita ut illa maxime (quin vero haec excludatur) efferatur in Rom 5,12. At eo sensu sumpta deletur baptismo, cum, hoc posito, nihil damnationis remaneat (8,1); manet vero in baptizatis sumpta altero sensu seu ut concupiscentia. Ceterum illa vox in Rom 6,12 et alibi significat forte potius peccatum originale, etsi maxime secundum effectum concupiscentiae (n.733).

4. In Rom 5,19 fit comparatio inter Christum et Adam. At iustificatio Christi non se extendit ad omnes. Ergo nec Adae peccatum.

Dist. min. Iustificatio Ch. non se extendit ad omnes regeneratos, *nego*; ad omnes homines, *subdist.*: virtute, *nego*; de facto, iterum *subdist.*: ex defectu cooperationis hominum, *conc.*; ex defectu eius, *nego*.

Verba Pauli possunt intelligi duplici sensu, in quo tamen utroque efferatur paritas extensionis inter opus Christi et opus Adae: a) Vel de efficacia, quasi dicatur gratia Christi se extendere ad omnes a Christo spiritualiter regeneratos per baptismum, ut peccatum Adae se extendit ad omnes ab Ada corporaliter generatos (1.2 q.81 a.3 ad 3)⁵⁷. b) Vel de virtute, quatenus Redemptio quoad potentiam et sufficientiam se extendit ad omnes, etsi de facto non omnes iustificentur ob defectum cooperationis ex parte hominum. In tota pericopa habetur saltem id postremum, etsi in v.19 potius de efficacia agi videretur^{57*}.

Inst. Iustificatio Christi non accipitur sine propriis actibus. Ergo nec peccatum Adae.

Dist. antec. Iustificatio non accipitur sine propriis actibus in infantibus, *nego*; in adultis, *subdist.*: sine actibus mere dispositivis, *nego*; sine eorum meritis, *conc.*

⁵⁶ PALMIERI, th.4. De hac re A.FERNÁNDEZ, S.I., *El castigo de los hijos por los pecados de los padres*: EstEcl 2 (1923) 419-426; J.SCHARBERT, «Unsere Sünden und die Sünden unserer Väter»: BiblZ 2 (1958) 14-26. Cf. DUBARLE, *La pluralité des péchés héréditaires dans la tradition agustinienne*: RevEtAug 3 (1957) 113-136; A.LANDGRAF, *Die Vererbung der Sünden der Eltern auf die Kinder nach der Lehre des 12. Jahrhunderts*: Greg 21 (1940) 203-247; SEYBOLD, o.c., c.2.

^{56*} Cf. LIGIER, 2,272S.

⁵⁷ Cf. LABOURDETTE, 24,56S.

^{57*} S.AUGUSTINUS, *De pecc. mer. et remis.* 1,15,19; ML 44,119s; S.TH., *In Epist. ad Rom.* 5 l.5; CORNELI, l.c., p.301S; VIARD, 75S; CEUPPENS, 45.

Ob rationes nobis ignotas actualis oeconomia differt in eo a primaeva, quod iustitia originalis, vel privatio eius, transmitteretur in ipsa conceptione, independenter a voluntate personali parvuli nascentis, et dependenter solum, pro diversa sententia, vel a sola voluntate Adae vel a quolibet homine pro sua progenie; nunc vero iustificatio parvuli nascentis non fit in ipsa conceptione, sed dein dependenter proxime a voluntate aliarum personarum, at iustificatio adultorum non fit sine praevia horum personali dispositione, etsi semper fiat sine eorum meritis.

Cur vero requiratur voluntas hominis ad iustificationem, quin requiratur ad contrahendum peccatum originale est problema quod surgit a Paulo hic non solvitur; sed cum chronologice praecedat influxus Adae, nil mirum si dein mutetur oeconomia, ex qua ut homo exeat ex illo statu ad reconciliationem cum Deo exigatur ab eo ut omnino libere decidat rem⁵⁸.

933. 5. I Cor 7,14: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Ex his, ii filii fidelium sancti sunt. Ergo saltem ii carent peccato originali.

Dist. antec. Filii fidelium (non baptizati) sancti sunt extrinsece, *conc.*; intrinsece, *nego*.

De sensu «sanctitatis» hic memoratae disputant auctores. At id saltem est certum, illos filios non dici sanctos, quasi careant peccato originali, cum secus et coniux infidelis liberaretur a peccato originali per coniugem fidelem; quo posito, textus non est ad rem. Ceterum is intelligi congruentius potest de sanctitate quadam externa, quae concipitur derivari ex coniuge fidele in infidelem et ex parentibus aliquo modo sanctis in filios quaeque praeterea censetur esse aequalis horum remota dispositio externa ad sanctitatem internam^{58*}.

Inst. Parentes baptizati non habent peccatum originale. Ergo saltem et filii eorum carent illo peccato.

Dist. cons. Si ordo gratiae penderet intrinsece a generatione, *conc.*; secus, *nego*.

Cum gratia sit spiritualis et supernaturalis, generatio vero sit actio pure organica et naturalis, non pendet ab hac intrinsece in esse et in operari, sed solum extrinsece ut a pura conditione transmissionis naturae, ita ut parentes non generent qua sancti vel qua peccatores, sed solum qua habentes naturam (4 CG 52)⁵⁹.

Ii mere ponunt in rerum natura hominem, qui qua talis venit ab Ada, a quo solo pendet in accipiendis gratia vel peccato ob speciale decretum Dei. Immo Adam peccator eius conditionis expers factus est; ideo nequibat dein gratiam a se recuperatam vel nova peccata ab eo forte commissa posteris transfundere. Item cum eius peccatum esset et personale eius, utpote actu eius personali commissum, et generale seu ad omnes eius posteros aliquatenus pertinens, fuit Adae condonatum qua eius personale, non vero qua generale, et ideo transfunditur in filios.

6. Nequit esse peccatum id quod necessario alicui inest. At peccatum originale omnibus necessario inest. Ergo.

Dist. mai. Id quod necessario alicui inest nequit esse peccatum personale et inducens privationem bonorum personalium, *conc.*; peccatum non personale, seu naturae, et inducens privationem bonorum indebitorum, *subdist.*: si absolute necessario inest, *conc.*; secus, *nego*.

⁵⁸ Cf. GONZÁLEZ RUIZ, l.c., 177S.

^{58*} KNABENBAUER, *Prior epist. ad Corinth.* (Parisiis 1909) p.183-186.

⁵⁹ S.AUGUSTINUS: R 1870; S.TH., 4 CG 52; PALMIERI, l.c., th.12 n.8.

Ad rationem peccati sufficit ut detur et deordinatio et voluntarietas. Peccatum vero originale est voluntarium saltem in Ada. De his inferius⁶⁰.

7. Patres negantes parvulis esse peccatum intelliguntur facile de peccato personali, ut: S.Gregorius Nyss. dicens de infante non baptizato: «Omnis malitiae expers..., sanitate quae per purgationem contingit non indigens, nam nec ab initio morbum in anima non admisit»⁶¹. Nam ex contextu agit de purgatione per paenitentiam et de peccato personaliter admissio.

Clemens Alex. dicens: «Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adae cecidit execrationem, qui nihil est operatus?... Et quando dixit David: *In peccatis conceptus sum...*, dicit propheticè quidem matrem Heva, sed Heva quidem fuit mater viventium, et si is in peccatis fuit conceptus, at non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum»⁶². Nam agit contra Encratitas dicentes matrimonium esse malum, et proin sibi vult nihil peccati esse generationi.

Theodoretus: «... Quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?»⁶³. Nam haec dicit contra Messalianos, dicentes peccata adultorum antebaptismalia deleri baptismo nulla infusa sanctitate, et cum agat de peccato gustato (ergo actuali).

S.Cyrillus Hier., dicens: «... Cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus»⁶⁴. Nam agit contra praeexistentianistas.

Tertullianus, dicens: «... Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?» (R 197). Nam agit de utili baptismi dilatione ad aetatem adultam.

934. Scholion. *Quodnam peccatum Adae imputatum est posteris? Etsi Adam plura peccata forte commiserit (de quo tamen nullo modo constat), nonnisi primum propagatum est. Sic communiter DD. cum S.Th. Nam sequentia peccata nequibant corrumpere bona communia naturae primo peccato iam corrupta. Suárez habet etiam ut verisimilium illud peccatum, etiam mere interne commissum, fuisse posteris transfundendum*⁶⁵.

*Quid si Adam peccasset, non praecise violans praeceptum speciale ei datum, sed alio peccato? Transmisisset sic peccatum originale, ut videtur dicendum cum S.Thoma, cum, eo peccato commisso, amisisset iustitiam originalem. Suárez videtur aliter sentire*⁶⁶. Tamen Deus statuere potuit ut *definitive*, vel etiam *pro solis Adae posteris*, ea iustitia non amitteretur nisi uno illo peccato *inobedientiae*.

*Ada peccante, Heva vero non peccante, fuisset nobis peccatum originale? Certe, iuxta communem sententiam, quae tenet ut fontibus magis consonum, unum Adam fuisse caput naturae in iustitia originali transmittenda vel amittenda. Ideo etiam, Ada non peccante, etsi Heva peccaret, non fuisset pec. originale*⁶⁷.

*Quid si, Ada non peccante, peccasset aliquis ex eius filiis? Iuxta alios, ut S.Th., Billot, Boyer, induceret is peccatum originale in progeniem suam. Iuxta alios plurimos, ut Suárez, Mazzella, Beraza, Huarte, Palmieri, hoc negatur, cum unus Adam fuerit caput naturae humanae in iustitia originali propaganda vel amittenda*⁶⁸.

⁶⁰ Cf. praeterea LONCKE, *Dogma peccati originalis contra obiectiones recentiores defenditur*: CollatBrug 44 (1948) 359-363.

⁶¹ S.GREGORIUS NYSS., *De infantibus praemature abreptis*: MG 46,177.

⁶² CLEMENS ALEX., *Strom.* 3,16: MG 8,1199-1201. Cf. *Adumbr. in epist. Iudae*: MG 9,733.

⁶³ THEODORETUS, *Haer. fab. comp.* 1,5 c.18: MG 83,511.

⁶⁴ S.CYRILLUS HIER., *Catech.* 4 n.19: MG 33,479.

⁶⁵ S.Th., 2 d.33 q.1 a.1 ad 4; 1.2 q.81 a.2; *De malo* q.4 a.8; SUÁREZ, *De vit. et pecc.* 9,3,7.

⁶⁶ S.Th., 2 d.33 q.1 a.2 in fine; SUÁREZ, *ibid.*

⁶⁷ S.Th., 1.2 q.81 a.5; SUÁREZ, *ibid.* n.8. At cf. FLICK, o.c., 378.

⁶⁸ S.Th., 2 d.33 q.1 a.1 ad 3; *De malo* q.5 a.4 ad 8; BOYER, 378; BILLOT, p.142, ut videtur et sane id logice tenere debet in sua opinione de ratione propagationis peccati ab Ada,

Quid de filiis Adae ante eius peccatum forte natis? Non contraxissent peccatum originale; nec eorum filii ante peccatum Adae geniti. Item non putandi sunt hi post et ob istud peccatum gratiam amissuri esse.

Illorum vero filii geniti post Adae peccatum contraxissent probabilius, ex dictis nuper, peccatum originale, utpote in ea re pendentes a solo Ada, praecisa conditione morali parentum intermediorum⁶⁹; dissentitur tamen Palmieri⁷⁰.

Peccatum originale est unum an multiplex? In Ada «origine unum est» (D 790), at virtualiter multiplex dici potest: quasi contineat ut in radice morali omnia peccata futura personalia; ut habens multiplicem deformitatem; ut infecturum multas animas sive partes animae. In singulis Adae posteris est unum specie et numero. In diversis hominibus est: a) unum specie et proportione, seu relatione ad peccatum originans, et etiam magnitudine; multiplex numero, cum numerus habituum et privationum sumatur ex parte subiectorum quibus insunt (1.2 q.82 a.2.4). Multiplicatio ergo peccati originalis non infert multiplicationem peccati actualis et proin nec offensae Dei.

N.B. In hac tota re possent multa futuribilia quaeri, quorum tamen solutio pendet ultimim ex divina ordinatione pro singulis casibus, nobis non undequaque nota.

935. Corollarium 1. *Peccatum originale non est a pluribus hominibus. Nullo modo, ex dictis in tota thesi, admitti potest ea hypothesis quod peccatum originale forte proveniret, non ab uno, sed a pluribus, quae effunderetur ut melius satisfaceret obiectionibus ex polygenismo forte orituris*⁷¹.

Corollarium 2. *Peccatum originale non est possibile nisi in ordine supernaturali, quatenus Deus potest alligare voluntati unius hominis conservationem vel amissionem bonorum supernaturalium alienorum, eo posito quod per peccatum grave semper amituntur aliqua bona, ut conversio ad ultimum finem et bona quibus ea constat, et quod ea bona hominis naturalia, seu ei naturaliter debita, nequeunt amitti nisi ob peccatum personale.*

Hinc peccatum Adae privavit: a) Eum conversione ad finem ultimum tam naturalem quam supernaturalem, et bonis quibus ea constat. b) Posteros eius solum conversione ad finem supernaturalem, et bonis quibus ea constat. Tamen, cum, posita elevatione, non sit iam nisi unus finis ultimus supernaturalis, amissa conversione ad hunc perit conversio ad finem ultimum simpliciter talem; ita ergo ut peccatum originale relinquat homini conversionem ad finem ultimum naturalem, non formaliter ut finem ultimum, sed mere materialiter ut talem, seu ad omnia bona eius, sed non qua finis ultimi⁷².

SUÁREZ, *ibid.* n.9; MAZZELLA, n.927; PALMIERI, p.218; BERAZA, n.767; HUARTE, n.431, ubi plures auctores nominat, maxime thomistas.

⁶⁹ Cf. SUÁREZ, l.c., s.4 n.4.

⁷⁰ PALMIERI, p.122; BERAZA, n.758. De effectu peccati Adae in sortem iustitiae originalis quaerit varia DE LETTER, *If Adam...* l.c., 117-125.

⁷¹ Cf. A. et J.BOUYSSONIE, *Polygénisme*: DTC 12,2536; GAUDEL, 590.

⁷² Cf. J.B.BECKER, *Der Schuldcharakter der Erbsünde*: ZkathTh 48 (1924) 76-79.

CAPUT VII

De natura peccati originalis

936. Probata peccati originalis existentia, quaeritur in quo illud formaliter consistat. Id Ecclesia numquam definivit, ita ut, cum in Tridentino de ea re disputaretur et communiter ut optima haberetur doctrina S.Thomae, scil. quod essentia peccati originalis sit in privatione iustitiae originalis, Concilium consulto statuit nil de ea quaestione suis decisionibus esse attingendum, ne doctrinis catholicorum varie opinantium (ut apparuit in ipsa Synodo) se intermiseret, sed solum errores haereticorum damnaret¹.

De eius ergo peccati natura indaganda nunc agitur. Cum vero de ratione omnis peccati sit et inordinatio et voluntaritas, illa quoad utrumque elementum investiganda est.

ARTICULUS I

IN QUO NON SIT FORMALITER PECCATUM ORIGINALE

Thesis 42. Peccatum originale non consistit formaliter in concupiscentia.

BELLARMINO, *De amissione gratiae et statu peccati* l.5; SUÁREZ, *De vitiis et peccatis* d.9 s.2; PALMIERI, th.7-9; BERAZA, n.771-781; HUARTE, n.433-471; LERCHER, 2 n.654-665; BOYER, th.15; DAFFARA, n.140-158.

937. Nexus. Antequam dicamus positive in quo sit peccatum originale, oportet negative statuere in quo non sit, per exclusionem opinionum quas catholici admittere nequeunt.

938. Notiones. PECCATUM ORIGINALE sumitur hic ut originale *originatum*, seu ut illud est in nobis ex actu personali Adae, ac proin ut mere *habituale*, sed verum et grave ac sic avertens a Deo; non ergo ut originale *originans*, seu ut illud fuit Adae peccatum *personale*, cum de hoc sumpto sive ut actuali sive ut habituali valeant dicta superius de omni peccato gravi personali.

Non dicitur *commissum*, sed mere *contractum*, cum habeatur a nobis, non *personaliter* agentibus, sed *patientibus* seu illud ab alio accipientibus.

¹ SF.PALLAVICINI, S.I., *Conc. Trid. Hist.* (trad. J.B. Giatino, S.I.) l.7 c.8 n.1.6; L.PENAGOS, S.I., *La doctrina del pecado original en el Concilio de Trento*: MiscCom 4 (1945) p.181-183. Nec C.Vaticano volebat ob eamdem rationem id definire: «privationem gratiae esse ipsam essentiam peccati originalis; sunt enim quoad habituales et speciatim originalis peccati essentiam diversi modi loquendi inter theologos catholicos, qui dogma ipsum omnino relinquunt integrum» (CL 7,549; cf. 566). Cf. MONSEGU, l.c., §.20.27-29.37.

NON CONSISTIT FORMALITER, seu secundum eam notam ex qua illud est *vere ac proprie* peccatum et, qua proin ablata, tale peccatum esse desit.

Ergo thesi nec asseritur nec negatur concupiscentiam pertinere *aliquo modo* ad rationem peccati originalis *non formalem*.

CONCUPISCENTIA seu ea rebellio appetituum existens in homine ex amissione doni integritatis per peccatum Adae (n.728).

939. Adversarii. LUTHERUS, CALVINUS, MELANCHTON, BAUIUS, IANSENIUS, HERMES (n.697.699s.703).

Opinio Matthiae Illyrici, quod peccatum originale sit forma quaedam substantialis, per quam anima moraliter corrupta sit et mutata ex imagine Dei in imaginem diaboli, opinioni Reformatorum forte quoad rem accensenda sit, etsi ipsi Lutherani contra ipsum scripserint².

Ex Scholasticis³ multi antiqui, ablatis differentiiis, reposuerunt peccatum originale in pronitate concupiscendi, quam anima (ut omnes vel fere omnes putare videntur) contrahit ex corpore⁴, v.gr. P.LOMBARDUS, HENRICUS GANDAVENSIS, GREGORIUS ARIMINENSIS.

² Cf. BELLARMINO, l.5 c.1; A.SALMERÓN, *In Rom.* 5 d.45.

³ De eorum mente circa naturam peccati originalis, cf. GAUDEL, 432-531; J.N.ESPEBERGER, O.S.B., *Die Elemente der Erbsünde nach Augustin und der Frühscholastik* (Mainz 1905); KORS, o.c.; D.O.LOTTIN, *Les théories du péché originel au XII^e siècle. I. L'école d'Anselme de Laon et de Guillaume de Champeaux*: RechThAncMéd 11 (1939) 17-31; Id., *Les théories du péché originel au XII^e siècle. La réaction abélardienne et porretaine*: ibid., 12 (1940) 78-103; Id., *Les théories du péché originel au XII^e siècle. III. Tradition Augustinienne*: ibid., 12 (1940) 236-274; Id., *Le péché originel chez Albert le Grand, Bonaventure et Thomas d'Aquin*: ibid., 12 (1940) 275-328; Id., *Le traité du péché originel chez les premiers Maîtres Dominicains de Paris*: EphThLov 17 (1940) 27-57; Id., *Le traité du péché originel chez les premiers Maîtres Franciscains de Paris*: ibid., 18 (1941) 26-64; Id., *Baptême et péché originel de S.Anselme à S.Thomas d'Aquin*: ibid., 19 (1942) 225-245; R.M.MARTIN, *La question du péché originel dans Saint Anselme (1099-1100)*: RevScPhTh 5 (1911) 735-749; Id., *Le péché originel d'après Gilbert de la Porré* († 1154): RevHistEccl 13 (1912) 674-691; Id., *Les idées de Robert de Melun sur le péché originel*: RevScPhTh 7 (1913) 700-725; 8 (1914) 439-466; 9 (1920) 103-120; 11 (1922) 390-415; Id., *La doctrina sobre el pecado original, l.c.*, 384-400; 11 (1915) 223-236; Id., *Quelques «Premiers» Maîtres Dominicains de Paris et d'Oxford et la soi-disant Ecole Dominicaine Augustinienne*: RevScPhTh 9 (1920) 556-580; Id., *E primitiis scholae D.Thomae Aquinatis. Magistri Hervaei de Nedellec, O.P. Tractatus de peccato originali*: XenThom 3 (Romae 1925) 233-247; Id., *La controverse sur le péché originel...*; A.STOHR, *Zur Erbsündenlehre Alberts des Grossen*: GeistMitt (1935); C.O.VOLLERT, S.I., *The Doctrine of Hervaeus Natalis...*; FINKENZELLER, 522-549; G.DIAZ, O.S.A., *De peccati originalis essentia in Schola Augustiniana praetridentina* (El Escorial 1961); de Estio, qui suo modo ponit etiam peccatum originale in concupiscentia, sed non simpliciter sine privatione gratiae, cf. J.FERRER, Sch.P., *Peccado original y justificación en la doctrina de Guillermo Estio* (Madrid 1960) 91-100. Apud eos auctores inveniuntur ex Scholasticis variae modalitates de nostra quaestione nobis in opinionibus eorum exponendis praetermittendae in hac thesi et in sequenti.

⁴ PETRUS PICTAVIENSIS (ca.1170): «Quidam tamen, imo fere omnes dicunt originale peccatum non esse nisi concupisibilitatem, non reputantes ignorantiam, esse originale peccatum, quod in anima est, non in corpore» (Sent. l.2 d.19: ML 211,1015). II auctores antiqui qui viderentur ponere peccatum originale in ipsa concupiscentia carnis, ut Schola S.Victoris, concupiscentiae addens ignorantiam, putandi sunt loqui de ea quam anima ex corpore contrahit, cum ii sequantur S.Augustinum qui illud peccatum saltem formaliter ponit in anima (cf. v.gr. GAUDEL, 394-398.448s), nisi forte excipiantur quidam, ut PETRUS AUROLEUS, 2 d.30 a.2 (cf. GAUDEL, 494s). Si qui (ut Stephanus Langtonensis, Rolandus Cremonensis) distinguentes peccatum originale a concupiscentia, dixerunt animam eum fomitem contrahere, ex quo afficiatur quodam macula, quae sit proprie peccatum originale, forte non differunt quoad rem ab illis scholasticis nunc memoratis: cf. LOTTIN, *Les théories...*: RechThAm 12 (1940) 266-271.

Li omnes mutuo quoad rem sine dubio non differunt. Ceterum dicunt uno vel alio modo eam concupiscentiam qua peccatum baptismo deleri; at aliqui v.gr. ROBERTUS DE MELUN, GANDULPHUS BONONIENSIS dicunt peccatum originale post baptismum manere, quin tamen in culpam imputetur, et isto remitti solum quoad reatum poenae aeternae.

940. Doctrina Ecclesiae. C.Tridentinum (D 792): «Si quis per Iesu C.D.N. gratiam, quae in baptisate confertur... asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet... A.S.... Manere autem in baptizatis concupiscentiam... haec sancta Synodus fatetur et sentit... Hanc concupiscentiam... sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit...»

His definitur et baptismo tolli «totum id quod veram et propriam peccati rationem habet» et in renatis manere concupiscentiam. Ergo definitur concupiscentiam non esse vere et proprie peccatum: a) De renatis *implicite* et forte, ex verbis «Ecclesiam... quod vere et proprie peccatum sit...», etiam *explicitate*. b) De non renatis, ut videtur, saltem *virtualiter*, cum peccatum originale tollatur baptismo, dum concupiscentia remanet.

Directe id certe non definitur; sed si concupiscentia non mutatur intrinsece per baptismum et tamen in iustis non est peccatum, saltem constat eam in non renatis non esse formaliter peccatum, cum sit separabilis ab eo elemento quo dicitur ea in iis esse plene peccatum. Ergo saltem *virtualiter* id continetur definitione^{4*}.

941. Valor dogmaticus. De fide divina et catholica saltem *implicite* (forte *explicitate*) definita, de renatis; de non renatis, saltem *theologicè certum*, ex dictis.

Haec valent contra omnes dicentes peccatum originale ita esse concupiscentiam, ut illud *qua peccatum* renatis adhuc insit, quin tamen eis imputetur.

Etiam contra ponentes peccatum originale in concupiscentia, sed ita ut ea qua formaliter peccaminosa baptismo remittatur, thesis est iam, ut videtur, *communis et certa in theologia*.

942. Probatur ex sacra Scriptura. Nihil... damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu (Rom 8,1), i.e. iis, quicumque baptizati sumus in Christo Iesu..., *viventes Deo in Christo Iesu*

^{4*} Cf. MONSEGU, l.c., 23-26.34: cf. tamen DÍAZ, *La escuela agustiniana pretridentina y el problema de la concupiscentia*: CiuD 174 (1961) 359-355.

D.N. (6,3s.11). Sed concupiscentia remanet in baptizatis: a) ex 6, 12: *Non... regnet peccatum (concupiscentia) in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius*; b) ex experientia. Ergo, cum peccatum originale sit in omnes homines in condemnationem (Rom 5,18), non est concupiscentia.

943. Probatur ex traditione. S.AUGUSTINUS, cum pelagiani accusarent catholicos, quasi hi dicerent «baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teaneantur», respondit:

«Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere...» (R 1886). «Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est ut etiam baptizatus, et hoc si diligentissime proficit, et Spiritu Dei agitur, pia mente confligit. Sed etiam si vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur» (R 1887). «... Et ista ipsa carnis concupiscentia baptismo sic dimittitur, ut quamvis tracta sit a nascentibus, nihil noceat renascentibus»⁵ (cf. n.954).

944. Ratio theologica. De ratione peccati originalis est, ut avertat a Deo. At concupiscentia non dicit aversionem a Deo vel in ordine naturali, in quo sane esset, absente integritate, vel in ordine nostro, cum insit etiam iustificatis per baptismum. Ergo concupiscentia non est saltem *formaliter* peccatum originale.

945. Scholion. Peccatum originale non est formaliter ipsum peccatum actuale Adae mere extrinsecus hominibus imputatum. Hanc opinionem sine dubio nec Simon Tornacensis, forte nec Pighius cui tribuitur⁶, sustinent; cum ii eius peccati transmissionem per Dei decretum explicent, quo saltem eandem solidaritatem in Ada singulis hominibus *intrinsicam*, ac proin talem communionem in eodem peccato videantur statuere, quam Salmerón et alii auctores inferius memorandi ponunt⁷ (n.957).

C.Tridentinum: «Si quis... asserit... inquinatum illum (Adam) per inoboedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: A.S.» (D 789). Ergo peccatum *transfunditur*, et quidem eodem modo ac mors et poenae corporis, quae sane sunt nobis *intrinsicae*; est mors animae, at mors est *intrinsicae* subiecto cui advenit.

«Si quis hoc Adae peccatum... propagatione, non imitatione *transfusum* omnibus inest unicuique proprium...» (D 790). His videtur *implicite* definiri

⁵ Cont. duas epist. pelag. l.1 c.13 n.26s; ML 44,562s.

⁶ Cf. BERAZA, n.798; PENAGOS, 138; RIVIERE, *Justification*: DTC 8,2159.

⁷ D.Soto (*De natura et gratia* l.1 c.9) ea verba habet difficilia intellectu nisi ad sensum opinionis Salmeronis sumatur opinio Pighii: «Qui tamen diceret, non alio reatu culpae, quam illius transgressionis Adae, dum concipimur, polli, nihil erroris protenderet nisi quod leviter et absque ratione negaret, reatum illum esse carentiam iustitiae». Eum adiungunt Salmeroni etiam SCHEEBEN, o.c., 2 § 202 n.326; POHLE-GUMMERSBACH, 1,604. Cf. et ARRÍAGA, *De vit. et pecc.* d.51 s.1; FRASSEN, l.c., 5 (1901) p.344.

illud peccatum esse singulis intrinsicum (cf. n.923), vel id est saltem *theologicè certum*, cum peccatum nequeat ut verum peccatum dici esse alicui vere proprium per meram imputationem extrinsecam peccati alieni.

Rom 5,12: *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Si ipsi peccaverunt* (quocumque modo activo vel passivo hoc verbum sumatur) non imputatur mere extrinsecus eis peccatum. Eodem modo dicuntur peccasse ac mortui esse; sed mors est iis intrinseca.

Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae (5,18). Damnatio supponit culpam propriam ei qui damnatur, ne is dicatur damnari ob peccatum alienum. Ea iustificatio qua Christus reparat peccatum Adae est nobis intrinseca; ergo a pari et ipsum peccatum.

Per inobedientiam unius... peccatores constituti sunt multi (5,19). Si peccatores sunt *constituti* seu tales facti, non mere *vocati* sunt eo nomine ob peccatum Adae⁸.

Si ante eam imputationem homines non erant in peccato, Deus iniuste hoc iis imputaret. Si vero iam erant, imputatio nil addit eis.

Nec per meram imputationem aliquis fieret magis peccator, quam filius latronis fieret latro, si sic vocaretur ob patrem suum latronem.

ARTICULUS II

IN QUO SIT FORMALITER PECCATUM ORIGINALE

Thesis 43. Peccatum originale consistit formaliter in gratiae sanctificantis privatione denominative voluntaria ex Adae peccato.

946. **Nexus.** Omnes catholici convenire debent in excludendis opinionibus de natura peccati originalis nuper reiectis; at ii non conveniunt in positiva illius naturae determinatione. Nunc ergo de hac re agitur. In qua tamen determinatione, cum de essentia omnis peccati sit et inordinatio et voluntarietas, utriusque elementi ratio reddenda est, si natura peccati originalis plene exponitur.

947. **Notiones.** PECCATUM ORIGINALE sumitur ut in thesi superiore (n.938).

CONSISTIT FORMALITER. His non mere dicitur *privatio gratiae* esse aliquo modo de *ratione* peccati originalis, quod est *de fide implicite definitum* (D 789) et fontes docent semper ac explicite vel implicite tradunt illud connecti cum privatione iustitiae originalis¹. Sed indicatur ipsa *definitio peccati originalis*, non vero *reduplicativa*, qua originale dicitur illud peccatum quod *ab origine* nobis ex Ada inest; nec *complexiva*,

seu secundum omnia vel saltem plura elementa quae quolibet titulo ad illius peccati constitutionem referri possint; sed *formalis*, seu secundum eam notam, qua posita, illud sit *vere* ac *proprie* peccatum et quidem *grave*, et qua ablata, illud esse tale peccatum desit.

Ea vero nota sumitur in thesi *assertive*, ita ergo ut mere praescindatur a *concupiscentia* ut elemento forte *materiali* peccati originalis, et nunc solum de eius elemento *formali* agatur, sive id eius peccati tota essentia sive solum pars formalis sit.

GRATIA SANCTIFICANS est illud donum supernaturale supra memoratum, ut inadaequate contradistinctum a iustitia originali (n.756).

PRIVATIO, seu carentia perfectionis debitae, et quidem hic ob peccatum actuale, sumitur: a) Non active seu ut privationis *actus* (de quo nunc non agitur); qui *demeritorie*, seu ut a causa *moralis*, est ab homine merente illam privationem ob eius actuale peccatum, quo *affective* gratiam abicit, et *physice*, seu ut a causa *physica*, est a Deo, qui, solus potens destruere entitatem supernaturalem (non actione positiva, sed remotione influxus eam conservantis), gratiam homini in *poenam* illius peccati subtrahat. b) Sed *passive*, seu ut privationis activae *effectus*; at prout is est ab homine, seu ut est status *abiectionis gratiae*, non ergo ut est a Deo, seu ut est status *poenalis*.

VOLUNTARIUM, seu id quod procedit a voluntate cum cognitione finis imperfecta, ut in infantibus (*voluntarium imperfectum*), vel perfecta, ut in adultis plena cum deliberatione agentibus, sumitur hic ut *liberum* et quidem *plene*, seu ut immune ab omni necessitate et extrinseca (a coactione) et intrinseca.

DENOMINATIVE seu improprie. Dum ipse actus immediate procedens a voluntate est voluntarius *proprie* ac *formaliter*, dicitur voluntarium *improprie* ac *denominative* id quod ab illo actu voluntatis procedit vel *imperate*, ut actus aliarum facultatum, vel *terminative*, ut quilibet effectus actu voluntatis inductus.

Cum peccatum originale sit *habituale*, et ideo quidam effectus ab actu voluntatis peccaminoso procedens, nequit esse voluntarium nisi *denominative*. Id ergo ulterius in thesi non probatur.

EX ADAE PECCATO. Id est de eo peccato ut actu. Quia vero «ad rationem et definitionem peccati... pertinet voluntarium» (D 1046), et quia «peccatum originis (non) vere habet rationem peccati sine... respectu ad voluntatem a qua originem habuit» (D 1047)², peccatum originale est voluntarium

⁸ LAGRANGE, *Saint Paul. Epître aux Romains* p.111; PRAT, I p.259-260 not.1.

¹ C.Vaticanum paraverat definitionem, «privationem gratiae sanctificantis de eius (i.e. peccati originalis) ratione esse», declarans «privationem gratiae sanctificantis pertinere ad rationem peccati originalis» (non dicit ad essentiam, ex supra dictis). Cf. CL 7,149; cf. 566 1637.

² Cf. BECKER, *Der Schuldcharakter...* l.c., 62-64; LE BACHELET: DTC 2,93s. In neganda voluntarietate peccati originalis Baio praeierat Olivi: cf. STUFER, l.c., 468-473.

ex voluntate Adae peccantis. Id implicite definitur ubicumque definitur Adam transfudisse nobis peccatum, et implicite affirmant fontes semper ac dicunt peccatum Adae nobis transfusum esse, vel nos esse peccatores ex peccato Adae, vel aliquid simile.

Pariter de fide implicite definitum est privationem gratiae esse voluntariam ex peccato Adae (D 789); et id docent fontes explicite vel implicite ubi dicunt Adam suo peccato nobis iustitiam et sanctitatem amisisse. Si ergo ulterius dicitur in thesi eam privationem gratiae esse formaliter peccatum originale, eo ipso constat ex antea dictis eam *etiam* qua peccatum esse voluntariam ex Adae peccato.

Quare in thesi ut probatum supponitur peccatum originale esse voluntarium, et privationem nostram gratiae esse voluntariam ex peccato Adae; nec ideo iam probatur expresse.

Ceterum, ut patet ex dictis, his assignatur peccato originali voluntarietas *personalis* Adae peccantis, sine qua certe illud non esset peccatum. Sed an et quomodo ad rationem eius peccati pertineat etiam solidaritas eorum quibus illud inest, ratione claritatis in thesi non disputatur et ad thesim sequentem remittitur disputandum, cum etiam id sit necessarium ad peccati originalis naturam plene investigandam.

948. Adversarii. Multi posuerunt peccatum originale in privatione iustitiae originalis (ut adaequate distinctae a gratia sanctificante) vel sola, ut videntur loqui S.ANSELMUS, SCOTUS, vel cum concupiscentia ut elemento materiali v.gr. ALEXANDER HALENSIS, SS.ALBERTUS M., BONAVENTURA, et SANGXANDER THOMAS, si credatur quibusdam (Kors, Bittremieux, etc.) qui ita ipsum interpretantur et in hoc eum explicite vel implicite profitentur sequi (n.693), ac multi etiam in C.Tridentino³.

At iure censendum est plures ex iis auctoribus, ut fere certo S.Thomam, eam privationem de facto referre ad *gratiam sanctificantem*, vel solam vel saltem ut elementum principale peccati originalis, ita ut nostra thesis sit etiam eorum.

Alii auctores (CATHARINUS, SALMERÓN, TOLEDO, LUGO, ARRIAGA, FRASSEN, ZUMEL, WIRCEBURGENSES, etc.) reponunt peccatum originale in ipso peccato actuali Adae, quod et prout moraliter a posteris eius commissum sit in connexione morali omnium cum Ada decreto Dei effecta, ac prout illud peccatum moraliter perseverare censetur, dum non remittatur; ita ut privatio gratiae non sit, nisi *effectus poenalis* eius⁴.

³ Cf. PENAGOS, 142-183; PALLAVICINI, l.c., 1.7 c.8 n.2-4. Hodie etiam MICHEL, *Saint Albert-Le-Grand serait-il hérétique?*: AmCl 70 (1960) 1053.

⁴ A.CATHARINUS, *De lapsu hominis et peccato originali* d.6; *Commentaria in omnes divi Pauli epist.* Ad Rom 5,12 de quo cf. SCARINCI, 778-85-114, ubi citat multos auctores ut illum

Est opinio quod peccatum originale sit in impotente amandi Deum super omnia et vitandi diu omnia peccata gravia, quae est conciliet homini ex peccato Adae, quaeque eum facit indignum divina amicitia, seu positive indispositum ut gratiam accipiat. Pertinet ad peccatum originale, ut ea indispositione inducitur, privatio gratiae seu conversionis ad Deum ut elementum formale et concupiscentia eam conversionem impediens ut elementum materiale^{4*}.

Si ea debilitas concipitur ut effectus formalis privationis iustitiae originalis, illa opinio videtur quoad rem peccatum originale reducere ad istam privationem, quam formaliter consequatur ea debilitas. Sed si haec concipitur ut quid natura prius illa privatione, non intelligitur quomodo ea sit formaliter peccaminosa, cum in ea hypothesi privatio iustitiae potius videatur esse dicenda effectus quam essentia peccati originalis.

949. Valor theologicus. Moraliter certa.

Haec thesis sumpta *assertive*, seu praecisa quaestione de concupiscentia ut elemento materiali, a Suárez dicebatur «communis theologorum»⁵ et nunc certe communis dici potest. Eam tenuerunt iam aliqui memorati a Gulielmo Parisiensi, dein Petrus Paludanus⁶, Vitoria, D.Soto, Bellarmino, Suárez, Vázquez, Valencia, Tanner, Ruiz de Montoya, Salmanticenses, Gonet, Mastrius, Billuart, Palmieri, Scheeben, Mazzella, Del Val, Hugon, Daffara, Billot, Abárzuza⁷, alii moderni. Ex his Mendive et Beraza dissentiuntur partim⁸.

950. Ex connexione cum doctrina Ecclesiae.

1) *C.Tridentinum*: Peccatum originale «mors est animae» (D 789). At mors animae est *formaliter privatio* vitae spirituales seu *gratiae sanctificantis*.

2) Peccatum originale, utpote «unicuique proprium» (D 790), est singulis *re intrinsecum*. At, extra privationem gratiae, nihil est nobis *re intrinsecum*, cum actus peccaminosus Adae non sit nobis intrinsecus nisi mere *iuridice*, seu eatenus tantum quatenus actus physice personalis Adae disponentis de bono iustitiae originalis omnibus communi potest *noster* dici (cf. th.44).

sequentes (117-127) et alios saltem quoad admissionem vel pacti vel decreti (128s). A.SALMERÓN, l.c., d.46; TOLEDO, *In epist. B.Pauli Apost. ad Rom.* c.5 v.12; DE LUGO, *De Paenit.* d.7 s.7; ARRIAGA, l.c., s.4; FRASSEN, l.c., p.359-365; de ZUMEL, cf. M.RODRÍGUEZ, *El pecado...* 238-240; WIRCEBURGENSES, *De peccatis* n.102-105.

^{4*} Sic FLICK, o.c., 447-470. Notionem quamdam difficile admittendam de peccato originali ut inclinatione *positiva* (saltem habituali) ad peccatum actuale proponit PIAULT, o.c., 305-308.

⁵ SUÁREZ, l.c., d.9 s.2 n.18.

⁶ GULIELMUS PARIENSIS, *De vitiis et peccatis* (ed.1591) c.3 p.254; c.5 p.259; c.6 p.263; cf. MARTIN: *CiencTom* 11 (1915) 228; PETRUS PALUDANUS c.f. MARTIN, *La controverse sur le péché originel...* p.236-283.

⁷ DE VITORIA, apud L.B.GILLON, l.c., 38s; D.SOTO, l.c., c.5-9; BELLARMINO, 1.5 c.19; SUÁREZ, l.c.; VÁZQUEZ, *In* 1.2 d.132 c.8s; VALENCIA, *In* 1.2 d.6 q.12,10; TANNER, *De peccatis* d.4 dub.4 n.108; de RUIZ DE MONTOYA, cf. DE ALDAMA, *El tratado de Ruiz de Montoya...* l.c., 128.129; SALMANTICENSES, *De vitiis et peccatis* d.16 dub.5 § 1; GONET, *De vitiis et peccatis* d.7 a.5 § 4; BILLUART, *De peccatis* diss.6 a.5 § 2 («Est communis thomistarum, ait, et plurimum aliorum»); PALMIERI, th.9; SCHEEBEN, l.c., § 202; MAZZELLA, n.995-1004; DEL VAL, l.c., c.3 a.5 § 2; HUGON, *De peccato originali* q.2 n.13; DAFFARA, th.12; BILLOT, o.c., th.12; X.ABARZUZA, O.F.M.Cap., *Manuale theologiae dogmaticae*, 2^a (Madrid 1956) 651-662.

⁸ MENDIVE, l.c., n.272-278; BERAZA, n.830-841. Nec Lessius reponens peccatum originale in habituali aversione voluntatis a Deo fine supernaturali, non vero in privatione iustitiae originalis, censendum est a nobis substantialiter differre: cf. BITTREMIEUX, *L'essence du péché originel d'après Lessius*: *NouvRevTh* 49 (1922) 315-325.

3) «Parvuli... in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt» (D 791). At nil intrinsecum potest dici tolli de facto in baptismo, nisi privatio gratiae sanctificantis. Ergo in ea consistit peccatum originale.

951. Ratio theologica. 1) *Positive:* a) Ad rationem formalem peccati gravis requiritur et sufficit, supposita voluntarietate, privatio conversionis ad finem ultimum (n.858s). At ea privatio habetur formaliter in peccato originali per privationem gratiae sanctificantis. Ergo illud peccatum habetur formaliter per eius gratiae privationem.

b) In peccato ADAE fuit et conversio ad creaturam et aversio a fine ultimo, seu privatio gratiae sanctificantis, per quam Adam erat formaliter conversus ad illum finem. At conversio ad creaturas, utpote pure personalis ex natura sua, non potuit nobis transmitti. Ergo sola privatio gratiae nobis transmissa est. Ergo in ea est formaliter peccatum originale ⁹.

2) *Negative,* seu per exclusionem aliarum opinionum: a) Opinio reponens peccatum originale in privatione iustitiae originalis, ut contradistinctae a gratia, videtur minus consona fontibus nuper allatis.

In statu iustitiae originalis homo habens *unum* finem ultimum *supernaturalem* coniungebatur formaliter cum eo per solam gratiam sanctificantem. Ergo immerito ponitur peccatum originale in privatione alicuius elementi, quo de facto homo non coniungebatur formaliter cum Deo ut fine supernaturali.

b) Opinio reponens peccatum originale in actuali peccato ADAE ac posteris eius communi, etiam minus consona videtur fontibus nuper allatis.

Ceterum ea aut ponit rationem peccati actualis in tendentia positiva (non in privatione) et sic repugnat ex alibi dictis (n.847) aut nihil dicit re a nostra opinione differens (n.858,3).

952. Obiectiones. 1. Deus non denegat infanti gratiam nisi postquam ratione prius videt eius peccatum. Ergo hoc peccatum non est in privatione gratiae.

Dist. mai. Deus denegat infanti gratiam postquam videt eius peccatum, prout hoc fuit actuale in ADA, *conc. mai.*; prout hoc est habituale in ipso infante, *nego mai.*

Cum Adam suo peccato abiecerit moraliter communem hominum gratiam, ut inferius dicitur, Deus in poenam eius peccati subtrahit eis illam gratiam, ita ut status inde resultans in nobis sit status privationis gratiae; in quo prout inducto a nobis in ADA, non prout est a Deo, consistit peccatum originale. Hinc recte potest dici, *ideo* Deum privasse hunc infantem gratia, *quia*

peccavit actualiter Adam, non vero quia ipse infans peccavit habitualiter contrahens peccatum.

Ceterum tamen peccatum hoc habituale potest considerari ut forma homini inhaerens, ex qua *formaliter* seu ut *effectus formalis*, et proin *non efficienter*, habeatur privatio gratiae.

2. Gratia est entitas physica. Ergo nequit in eius privatione esse peccatum, quod est ordinis moralis.

Dist. mai. Gratia est entitas physico-moralis *conc.*; pure physica, *nego.*

Gratia, etsi sit entitas physica, pertinet essentialiter ad ordinem moralem, utpote hominem formaliter sanctificans et ordinans in ultimum finem. Hinc peccatum, cum sit formaliter amissio sanctitatis et illius conversionis in ultimum finem, est eo ipso, seu formaliter, amissio illius doni physici hominem sanctificantis.

3. Deus potuit homines destinare in ADA ad visionem beatificam consequendam sine gratia sanctificante. At tunc peccatum originale non esset formaliter in privatione gratiae. Ergo nec nunc est in ea.

Nego cons. In ea hypothese peccatum originale esset in privatione illius elementi (qualecumque esset) quo homo ordinaretur in visionem beatificam. At cum in nostro ordine conversio in ultimum finem sit *solum per gratiam sanctificantem*, peccatum originale nequit esse nisi in privatione eius gratiae.

4. Peccatum originale differt a peccato personali gravi. At non differt in privatione gratiae. Ergo in hac non consistit.

Dist. min. Peccatum originale non differt a personali gravi in privatione gratiae in se sumpta, *conc.*; in ea ut pendente a determinato actu peccaminoso, *nego.*

Id quod quasi specificat privationem gratiae in ratione peccati est actus voluntarius a quo pendet; peccatum vero originale pendet ab actu commisso ab ADA.

5. In statu naturae purae peccatum habituale non consisteret in privatione gratiae sanctificantis. Ergo nec peccatum originale, utpote habituale, potest in ea esse.

Dist. cons. Peccatum originale non esset in privatione gratiae, si in hoc ordine ordinatio ad finem ultimum esset ut in statu naturae purae, *conc.*; secus, *nego.*

In statu naturae purae peccatum habituale esset in *privatione rectitudinis naturalis* qua homo esset conversus ad Deum. At peccatum originale nequit esse nisi in *ordine supernaturali* ac proin in privatione illius elementi quo homo in eo ordine conversus est ad Deum.

6. Ex C. Tridentino (D 799s): «Iustificatio (impiorum, etiam prima) ... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum... In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo». Ex his, non est idem remissio ac sanctificatio per gratiam. Ergo peccatum nequit esse in privatione gratiae, nam secus illud «remitti» esset idem ac «gratiam infundi».

Nego cons. Ea verba non videntur esse ad rem. Cum enim, iuxta Protestantem, iustificatio esset sola peccatorum remissio (seu non imputatio) sine interna infusione iustitiae, Concilium docet illam esse et remissionem et sanctificationem internam, quin statuatur quidquam de relatione ontologica inter remissionem et sanctificationem.

953. Corollarium 1. *Relatio materiae et formae in peccato originali.* Cum privatio gratiae habeat rationem culpa ex voluntarietate, potest dici in peccato originali *privationem gratiae* (et simul concupiscentiam, si forte haec sit, ex dicendis, pars materialis peccati originalis) esse quasi elementum

⁹ Cf. BELLARMINO, l.c.

materiale, voluntarietatem vero ex Adae peccato exortam esse quasi elementum formale.

Corollarium 2. *Non concipitur privatio gratiae vera, quin sit voluntaria ex parte hominis.* Cum enim gratia debeatur homini solum ex ordinatione Dei libera, si Deus independentem a voluntate hominis auferret huic eam, eo ipso non esset homini debita, nec iam carentia eius esset vera privatio; iam vero, cum sine paenitentia sint dona Dei, Deus non aufert homini gratiam nisi ob voluntarietatem aliquam humanam, ita ergo ut carentia eius iam sit *privatio*. Qua posita nil aliud requiritur ut plene habeatur ratio peccati, sine necessario recurso ad supernaturalem existentialem vel ad aliam conceptionem eius peccati^{9*}.

954. Scholion 1. *In quo est essentia peccati originalis, iuxta S. Augustinum hoc non raro ad reatum concupiscentiae referentem?* De Blic memorat plures auctores de ea re sat obscura disputantes¹⁰, quorum: a) Vázquez, Tanner, Salmanticenses nihil certi statuere audent; b) alii dicunt peccatum in concupiscentia reponi, vel simpliciter, ut Petrus Lomb., S. Bernardus, Maldonado, Estius, et ex modernis v.gr. Tixeront, Toner, Kors¹¹, vel materialiter, ut S. Albertus M., S. Thomas, D. Soto, Medina; c) Mastrius, Wirceburgenses, in dignitate odii divini; d) alii, aut in participatione omnium in peccato actuali Adae, ut Salmerón, Portalié¹², aut in privatione gratiae sanctificantis¹³.

Nos, quin putemus S. Doctorem scientifice ullibi peccatum originale definiisse, aliqua congerimus ex quibus constet *negative* ipsum non identificasse formaliter peccatum originale cum concupiscentia, et *positive* privationem sanctitatis non facile ab illius essentia removeri.

A. *Negative. Concupiscentia non est peccatum originale* (saltem formaliter). 1) Baptismo tollitur omne id quod vere peccatum est: Pelagianis calumniantibus catholicos, quasi hi dicerent «baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere...», respondet S. Doctor «baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere...» «Neque enim vel unum quantumcumque (peccatum) remanet, quod (baptismo) non remittatur».

Sic baptizatus, cum habeat concupiscentiam: «Omni enim peccato caret, non omni malo». Tamen in eo baptizato manet concupiscentia: «De ista concupiscentia carnis falli eos credo... cum qua necesse est ut etiam baptizatus, et hoc si diligentissime proficit et Spiritu Dei agitur, pia mente configit...»¹⁴

2) Concupiscentia, etsi non est peccatum, sic vocatur, quia ex peccato est: «Haec (concupiscentia) etiamsi vocatur peccatum, non utique quia pec-

^{9*} Cf. in contrarium PENDERGAST, *The supernatural...*: DownsRev (1964) 5.

¹⁰ J. DE BLIC, *Le péché originel selon Saint Augustin*: RechScRel 16 (1926) 97-119.

¹¹ Addi posset, ut videtur, J. CLEMENCE, S.I., *Saint Augustin et le péché originel*: Nouv RevTh 70 (1948) 727-754. Sic et J. GROSS (prot.), *Das Wesen der Erbsünde nach Augustin*: AugMag 2, 773-787.

¹² Accedunt, ut videtur, N. MERLIN, O.E.S.A., *Saint Augustin et les dogmes du péché originel et de la grâce* (Paris 1931) p. 369-373; GAUDEL, 396-398.

¹³ Addi possunt F. DONAU, S.I., *La pensée de Saint Augustin sur la nature du péché originel*: RevApol 34 (1922) 414-425; Sic et CARRETERO, L.C., 2438; H. STAFFNER, S.I., *Die Lehre des Hl. Augustinus über das Wesen der Erbsünde*: ZkathTh 79 (1957) 385-416, qui dicit opinionem de concupiscentia ut quae sit formaliter peccatum originale recurrere ad scripta augustiniana antipelagianam, ubi S. Doctor non agit de essentia eius peccati, dum in *De civ. Dei* ex professo agens de hac re definit illud peccatum ut mortem animae ex separatione a Deo, ut constat ex eius peccati causa, sequelis, reparatione; concupiscentia vero apparatus meret ut sequela vel signum peccati, dum aliunde illa mors infert destructionem vitae quae est gratia sanctificans. Eas vero duas opiniones intendit refutare DE BLIC, l.c., 17 (1927) 414-433-512-531.

¹⁴ Cont. duas epist. pelag. l. 13 n. 26: ML 44,562; De Trin. 14,17,23: ML 42,1054; Cont. Iul. 6,16,49: ML 44,850; Cont. duas epist. pelag., l.c., n. 27: ML 44,563.

catum est, sed quia *peccato facta* est sic vocatur, sicut si scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quae secundum carnis concupiscentiam (proin ut causam peccati)... illicite fiunt, ... quae transacta etiam reos tenent, si non remittantur¹⁵.

3) Concupiscentia est languor veniens ex originali culpa ut distinctus ab ea: «Languorem autem istum culpa meruit, natura non habuit; quam sane culpam pro lavacrum... gratia fidelibus iam remisit, sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore configit¹⁶».

4) Concupiscentia tunc est peccatum, cum actibus eius consensus praebetur: In baptizatis manet concupiscentia carnis seu «vitium cui consentiendo peccatur...: desideria vitiosa, quibus consentiendo peccamus¹⁷». Ideo Calvinus: «Ipse (Augustinus) quidem eum morbum peccatum vocare non audet, sed tunc demum fieri docet, ubi consensus accedit; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino homo cupiditate titillatur¹⁸».

5) Distinguitur a reatu culpae, cum hic tollatur baptismo, illa vero non tollatur, ut dictum est nuper: «Omni enim peccato caret (baptizatus), non omni malo. Quod planius ita dicitur: *omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis...*»

Hinc ea non dicitur habere reatum culpae in se ipsa, sed solum prout coniungitur cum peccato originali: «Parvulus non baptizatus reos (concupiscentia) innecit, et tamquam irae filios etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit», nam ea «... in parvulis baptizatis a reatu solvitur... ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur». Quo solum sensu seu prout est cum reatu culpae imputatur in peccatum: «Remissio peccatorum (per baptismum), quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus eius cum illa sit, qui tenet aeterni supplicii debitorem¹⁹».

955. B. Positive. Privatio iustitiae et sanctitatis videtur poni saltem ut elementum principale peccati originalis. Nam: 1) Homo creatus ad imaginem Dei «peccando iustitiam et sanctitatem veritatis amisit, propter quod haec imago (Dei) deformis et decolor facta est²⁰». 2) «Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iustitiae²¹». 3) *Ideo*, natura humana in suo stipite a Deo aver-sa est²².

N.B. Tamen, ut patet ex dictis, concupiscentia, iuxta S. Augustinum, sic intime cum peccato originali in non baptizato coniungitur, ut videatur habere, iuxta ipsum, etsi secundario et materialiter, aliquam rationem peccati.

956. Scholion 2. *Est concupiscentia elementum materiale peccati originalis?* Supponitur tamen eam non habere «veram et propriam peccati rationem (D 792). Sed, etsi Concilium saltem implicite definit peccatum originale et concupiscentiam non identificari adaequate in non renatis, consulto noluit affirmare vel negare hanc esse saltem elementum materiale seu materiam peccati originalis^{22*}».

a) Alii affirmant (Salmanticenses, Gonet, Pignataro, Billot, Boyer, etc.) habentes eam ut elementum peccati originalis materiale sensu proprio, etsi

¹⁵ Cont. duas epist. pelag., l. 1 n. 27; ML 44,563.

¹⁶ De contin. c. 7 n. 18: ML 40,360.

¹⁷ De grat. Chr. et de pecc. orig. c. 39 n. 44: ML 44,407.

¹⁸ CALVINUS, *Instit. christ. relig.* 3,3,10.

¹⁹ Cont. Iul. l. c.: ML 44,850; De pecc. mer. et rem. 2,4; ML 44,152; De nup. et concup. I,32: ML 44,434. Cf. et CORTICELLI, l.c., 1358.

²⁰ De Trin. 14,16,22: ML 42,1053.

²¹ De Gen. ad litt. 6,7: ML 34,355.

²² De civ. Dei l. 3 c. 13-15: ML 41,386.

^{22*} MONSEGU, l.c., 23-26.

analogo, quatenus ea est dispositio ad privationem iustitiae originalis ac simul accipit speciem deordinationis ex illa privatione. Ii appellant S.Thomam²³.

En eorum argumenta: a) Auctoritas S.Thomae. b) Rom 7, ubi peccatum originale (ἡ ἀμαρτία) clare proponitur ut concupiscentia. c) S.Augustinus sic exponens remissionem illius peccati, ut concupiscentia transeat reatu, at maneat actu. d) Si in iustitia originali dicitur elementum formale esse gratia, utpote formaliter ordinans ad Deum, et elementum materiale esse integritas, utpote tollens impedimenta naturalia illi ordinationi formali et sic ad perfectionem rectitudinis moralis pertinens, iure dici potest in peccato originali elementum formale esse privatio gratiae, seu formalis deordinatio a Deo, et elementum materiale esse concupiscentia, utpote oriens e deordinatione morali et eam inducens.

b) Opinio vero quam tenent multi antiquiores, quibus praeceunt D.Soto, Bellarminus, Sylvius, «communius thomistae et plures alii» iuxta Billuart, ac post eos communiter moderni²⁴, asserit etiam S.Thomam in eum sensum interpretans, concupiscentiam non posse dici *materiale* peccati originalis sensu *proprio*.

Et sane baptismo tollitur *totum id quod habet veram rationem peccati*, attamen non concupiscentia. Si materia est intrinseca rei et subiectum formae, concupiscentia nequit esse materia peccati originalis quod est *animae mors* et quidem in ordine *supernaturali*. Item in peccato originali privatio gratiae et concupiscentia unirentur inter se ut forma et materia; at subiectum privationis gratiae est, non concupiscentia, sed anima. Materia proprie dicta praesupponitur formae ad constitutionem rei; at concupiscentia potius oritur ex privatione gratiae. Integritas non erat proprie materia iustitiae originalis, cum gratia inesset animae ut subiecto, non vero integritati sed potius haec erat quid gratiam consequens ex ordinatione Dei, non ex natura rei, instar effectus eius.

At sensu *improprio* concupiscentia potest dici elementum materiale peccati originalis. Duplex enim hominis rectitudo, seu et ordinationis in finem supernaturalem per gratiam, et perfectae subiectionis appetitus sensitivi ad rationem, amissa est per peccatum originale; iam vero cum amissio integritatis seu concupiscentia deordinationem a fine (in qua sola erat ratio formalis peccati), etsi non ex natura rei, sed ex lege Dei, consequeretur de facto et materialiter, recte potest ea dici elementum materiale peccati originalis, utpote cum privatione gratiae materialiter coniuncta.

Sic nomine peccati originalis includeretur tota illa moralis deordinatio naturae, nempe et ea privatio gratiae proprie ac formaliter ad ordinem morale spectans et concupiscentia ad eum improprie et causaliter pertinens, ita ut illa formale, haec materiale peccati vocetur.

Hoc sensu recte intelliguntur: a) S.Thomas, iuxta quem, «concupiscentia se habet ex consequenti in peccato originali» (1.2 q.83 a.2 ad 4). b) S.Paulus. Si enim tota inordinatio naturae vocatur peccatum originale, facilius intelligitur idem esse peccatum de quo agitur in Rom 5 et 7, prout illud est inordinatio naturae, etsi in c.5 potius iuxta elementum formale seu privationem gratiae, in c.7 potius iuxta elementum materiale seu concupiscentiam

²³ SALMANTICENSIS, d.16 dub.4 § 3 n.104.107; GONET, d.7 a.5 § 1 n.84; PIGNATARO, p.413; BILLOT, p.170-172; BOYER, p.366-368. Sic interpretantur S.Thomam BITTREMIEUX, *De materiali peccati originali*, iuxta S.Thomam: DivThom(Pi) 5 (1928) 573-606; LABOURDETTE, 83s. At utiliter legetur TEIXIDOR, *Algo acerca del pecado original y de la concupiscentia según Santo Tomás*: EstEcl 10 (1931) 364-384.

²⁴ D.SOTO, l.c., 1.1 c.9; BELLARMINUS, 1.5 c.20; SYLVIVS, In 1.2 q.82 a.3 concl.3; BILLUART, diss.6 a.5 § 1; PALMIERI, th.11; HUGON, l.c., q.2 a.1 n.10.13; JANSSENS, *De hominis elevatione et lapsu* p.635s; P.DE LETTER, S.I., *If Adam had not sinned...*: IrishThQuart 28 (1961) 118s.

consideretur. c) S.Augustinus sic intime annectens concupiscentiam peccato originali.

Tamen forte melius esset, cum id ad vitandam confusionem conferret, si concupiscentia simpliciter non vocaretur elementum materiale peccati originalis.

Haec controversia de concupiscentia ut elemento materiali peccati originalis non est fortasse nisi de voce, cum auctores primae opinionis moneant non esse necessarium «ad proprietatem sensus ut verba *materia* et *forma* sumantur eodem prorsus sensu ac pro principiis corporum»²⁵.

ARTICULUS III

DE SOLIDARITATE HOMINUM IN PECCATO ADAE

Thesis 44. Peccatum originale inest singulis hominibus, ex solidaritate eorum cum Ada, non mere iuridica, nec iuridico-subiectiva sive physica sive interpretativa sive morali, nec solum seminali, sed physico-mystica.

S.TH., 4 CG 52; *De malo* q.4 a.1; 1.2 q.81 a.1; PALMIERI, th.9 n.4-9; BERAZA, n.693-757; J.B.BECKER, *Der Schuldcharakter...* 62-83; SCHIEBEN, o.c., 2 § 200; DALMÁU, *Voluntariedad del pecado original y explicaciones que de ella da Santo Tomás*: EstEcl 9 (1930) 188-212.

957. Nexus. Ex probatis, sunt in peccato originali ut elementa essentialia et privatio gratiae sanctificantis et voluntarietas personalis Adae. At hac vel qualibet alia opinione posita, essentialis notio peccati originalis qualis apparet ex fontibus nondum staret sine quadam omnium solidaritate morali fundata in solidaritate physica quoad peccatum Adae (Rom 5,12), ut est saltem implicite definitum (D 789-791)¹, quatenus in Ada omnes amisimus sanctitatem ac iustitiam et eius peccatum nobis transfunditur ut unicuique proprium ipso momento conceptionis seu quo fimus homines; sine ista solidaritate peccatum originale nequiret esse nobis intrinsecum qua peccatum, sed ad summum vel peccatum Adae nobis extrinsecus imputatum, vel poena istius peccati in nos derivata. Qualis ergo est ea solidaritas? En quaestio nunc indaganda.

958. Notiones. PECCATUM ORIGINALE sumitur ut illud singulis hominibus Adae tamquam proprium intrinsece inest ac proin ut habituale, non ergo mere ut quaedam poena

²⁵ BOYER, p.367. Simpliciter nolit ut concupiscentia dicatur elementum materiale peccati originalis, ABÁRZUZA, o.c. n.663.

¹ LAGRANGE, o.c., 105-107,118; PRAT, o.c., 1 p.254-261; 2 p.68s; BOYER, *Teología de San Pablo* p.216-220; MONSEGU, l.c., 34. De uno vero sensu possibili solidaritatis in peccato originali per propagationem, cf. S.HOECEDEZ, S.I., *Notre solidarité en I.C. et en Adam*: Greg 13 (1932) 378-383.

peccati Adae, sed ut strictum peccatum seu eos constituens aversos a Deo et sic vere subiacentes culpa ac poenae^{1*}.

SOLIDARITAS accipitur hic ut quaedam connexio dependentiae vel *mutuae* vel saltem *unilateralis* inter duas vel plures personas in ordine ad aliquid opere obtinendum, quaeque est: vel necessaria ex aliqua conditione connaturali, v.gr. inter membra familiae, vel ex propria aut ex aliena voluntate superiore. In nostro casu cum agatur de dono supernaturali gratiae transmittendo vel amittendo, solidaritas inter Adam ac eius filios, ex qua pendeat propagatio peccati originalis est *unilateralis* et ultimus eius fons nequit esse nisi Deus, ut patebit ex sequentibus.

1) NON MERE IURIDICA, seu quasi peccatum ab uno Ada commissum imputetur filiis eius solum in ordine ad consecraria iuridica seu poenalia. Patet eam non sufficere ad peccatum originale, quod inest singulis, non pura extrinseca attributione, sed intrinseca inhaesione.

2) NON IURIDICO-SUBIECTIVA, quasi unum idemque peccatum commissum sit *personaliter* et ab Ada et ab omnibus hominibus in dependentia cum illo, ita ut sit peccatum stricte collectivum. Et quidem in nullo eorum modo qui in quaestionem venire posset censerentur:

a) PHYSICA, ut si quilibet homo actu suae voluntatis personalis immediate peccatum Adae cooperatus sit vel approbarit. Id vero exclusum esse in nostra re est saltem theologice certum vel forte implicite definitum, cum fontes illud peccatum describant ut ab Ada nobis transfusum (D 789) non imitatione (790) sed antequam possemus peccare (791 cf. et 410, 1048s). Intrinsece enim repugnat dari voluntarietatem personalem in actu commissio *antequam* existeremus, et qui *necessario* a nobis contrahatur in ipso momento conceptionis ac proin non ut actus sed ut *status*.

b) INTERPRETATIVA, quasi actus, etsi non eliciatur de facto nisi ab Ada, tamen *eliceretur* a singulis hominibus, si ii fuissent cum illo; unde et putantur *interpretatione* istud commisisse.

c) MORALIS, si actus peccati non ponitur physice nisi ab Ada, sed ita agens nomine omnium, ut hi quadam fictione iuris censeantur eumdem *libere* velle, ut v.gr. valet de actu legitimo alicuius societatis relate ad omnes hanc *libere* ineuntibus², ac eum hic et nunc etiam forte ignorantibus.

^{1*} SAGÜÉS, *El pecado heredado de Adán...*: EstEcl 32 (1958) 135-171.

² Solum hoc sensu putamus posse dari verum peccatum a collectivitate stricte commissum quod quidam memorant, ut LONCKE, *Dogma peccati originalis contra obiectiones recentiores defenditur*: CollatBrug 44 (1948) 360-362; F.KÖNIG, *Kollektivschuld und Erbschuld*: ZkathTh 72 (1950) 40-63.

3) NEC EX SEMINALI, quatenus peccatum Adae filiis eius imputetur *solum* quia omnes *seminaliter* erant in Ada et sunt eius filii *secundum carnem*.

4) PHYSICO-MYSTICA, quatenus supponit ut conditionem omnes homines *physice* seu generatione venire ab Ada, sed ulterius eos connexos esse cum eo unione quae hic vocatur *mystica*, quia cum agatur de ordine supernaturali non est in natura vox exprimens eam unionem quae et superat quasilibet naturales et cum harum nulla identificatur. Homines ergo erant *necessario* membra cuiusdam societatis decreto Dei institutae sub ipso Ada; qui, ut caput eius societatis agens, administraret bonum commune conservandae vel abiciendae iustitiae originalis (in qua maxime respicitur gratia, in posterum sola hic memoranda, cum eius privatio sit formaliter peccatum originale).

Actus ergo Adae gratiam communem amittentis attigit singulos homines, non ut personas individue inspectas ac per se agentes, sed ut *membra* societatis; in qua ergo ii sine ullo eorum interventu personali, etiam mere interpretativo vel morali, afficerentur peccato Adae ad gratiam amittendam fere ut membrum corporis humani afficitur voluntate capitis vel ut infans nondum compos rationis attingitur actibus legitimis patris sui circa bona familiae.

N.B. 1) Ea solidaritas *iuridico-mystica*, quae nullo modo est *personalis* seu surgens ex actu voluntatis personalis hominum, differt essentialiter ab illa *moralis* qua homines in peccato Adae viderentur agere fere ut membrum *liberum* alicuius societatis censetur *moraliter* perficere omnes huius actus legitimos, etiam forte eorum inscius; et a fortiori differt ab *interpretativa*, ut patet.

2) Item consulto non dicitur hic peccatum originale esse nobis aliquo modo voluntarium, ne videatur illud tandem reduci ad quamdam formam peccati personalis, quod etiam mere philosophice repugnat; et sane sensu stricto peccatum illud nequit dici hominibus ullo modo voluntarium, cum nec illa minima voluntarietas quam ei tribuit S.Thomas (2 d.33 q.2 a.1 ad 2) sit stricta seu quae ex aliquo cognitione finis et a fortiori ex aliquo libertate sufficiat ad actum humanum constituendum. Unde maxime vitanda est in notione peccati originalis quaelibet indoles *voluntarietatis personalis*.

3) A fortiori vitandum est istud describere ut si ipse actus personalis Adae peccantis nobis ut proprius imputetur, iuxta ideam non raro apud fideles vigentem. Sed maxime insistendum est in eo depingendo ut *status* existente ex peccato Adae^{2*}. At aliunde, cum per se universalis privatio gratiae posset habere meram rationem poenae, in quo nullum esset problema speciale nisi illud generale de rebus ordinis supernaturalis, efferenda est in ea, etiam ratio culpa, in qua statuenda maximum est problema, cuius solutio vehementer exigit ut valde notetur ratio *analogica* peccati, seu quae aliter est peccato personali, aliter originali.

^{2*} Cf. J.P.MACKEY, L.Ph., *The catholic Doctrine of Original Sin*: IrishThQuart 29 (1962) 303-313; C.DUMONT, S.I., *La prédication du péché originel*: NouvRevTh 83 (1961) 122-126.

959. Quo posito, sic tota res concipi potest. Deus dedit Aadae, ut capiti physico omnium hominum in ipso seminaliter contentorum, gratiam iis omnibus iam actualiter destinata ac proinde debitam (nec mere conditionaliter promissam, quam secus, posito peccato numquam amississent)³ et in eorum conceptione iis actu transfundendam. Simul ipsum instituit in eorum caput physico-mysticum ad gratiae bonum illud commune administrandum seu, si non peccaret, conservandum vel, si peccaret, amittendum etiam pro suis posteris ea ob suum peccatum privandis.

Sic ergo hi possent dici esse physico-mystice solidarii in peccato Aadae, mere ut membra naturae humanae tamquam societatis, cuius caput physico-mysticum esset Adam, solus actu personaliter voluntario bonum commune administrans, fere ex simili ratione ac membra alicuius societatis huic inscio ac necessario modo adhaerentia (v.gr. infantes familiae) possent dici solidaria in actibus sui capitis iuridici qua talis, vel forte etiam ut membra corporis respectu actuum voluntatis.

Sic homines amittunt gratiam in solidaritate physico-mystica cum Ada ac proinde manent in peccato originali, seu privati gratia, ut membra Aadae capitis (quae tamen natura sua supponit essentialiter voluntarietatem personalem, quae est Aadae et quidem solius).

In hac ergo explicatione unum Dei decretum est, quo destinatur omnibus hominibus iustitia originalis; aliud vero, quo Adam esset illius boni communis administrator, qui illud nomine omnium vel conservaret vel amitteret.

960. Adversarii⁴. Iis accensemur solum eos qui vel omnino negent dari decretum in propagatione peccati originalis, vel id decreti statuunt quo peccatum Aadae (ac proinde peccatum originale) fiat illius posteris aliquo modo personaliter voluntarium. Hinc, cum id natura sua repugnet et cum peccatum originale videatur aliquod Dei decretum supponere, ii omnes quos adversarios reputamus, forte aliis verbis substantialiter idem ac nos dicunt.

1) Peccatum originale est voluntarium una voluntarietate Aadae, quin ulterius determinetur unde voluntas Aadae habeat vin illud propagandi. Sic, ut videtur, DUNS SCOTUS, DE BASSOLIS, OLIVI⁵.

2) Est voluntarium interpretative, quatenus filii Aadae sic putantur isti causam servandi vel amittendi iustitiam decreto Dei tradidisse, ut, si tunc exstissent, rationem agendi eius admisissent⁶. Ea opinio, nisi probabiliter teneat idem quoad

rem ac opinio sequens, differt a nobis in eo quod admittit voluntarietatem interpretativam, quae tandem sit personalis:

3) Est voluntarium moraliter, quatenus voluntates omnium hominum sic inclusae sunt a Deo in voluntatem Aadae ut eae putarentur moraliter velle idem ac iste nomine omnium agens, quoad gratiam conservandam vel amittendam. Sic plurimi v.gr. post ALEX. HALENSEM, DIDACUS PAIBA, primus, ut videtur, in adhibenda formula alligationis seu inclusionis voluntatum⁷, BELLARMINUS, VALENCIA, SUÁREZ, RUIZ DE MONTOYA, SALTANTICENSIS, MASTRIUS, BILLUART, WIRCEBURGENSES, MUNCUNILL⁸, et maxime CATHARINUS, SALMERÓN, G.MARTÍNEZ, LUGO, A LAPIDE, ARRIAGA, FRASSEN, ZUMEL⁹.

Haec opinio differt a nostra in illa inclusione voluntatum, quae ex modo loquendi viderentur esse aliquo modo (seu moraliter) personales; si vero id neget, nullo modo vel mere accidentaliter a nostra differt¹⁰.

Nec pactum Dei cum Ada de conservanda vel amittenda gratia communi, quod utriusque opinionis alii auctores memorant, vel expressum seu formale¹¹ vel implicatum seu virtuale¹², alii vero reiciunt¹³, alii fere praetermittunt¹⁴, differt a decreto quod omnes utriusque opinionis auctores requirunt, Adam in administratorem boni communis inducens; cum ad validitatem eius muneris Aadae sine dubio nemo pactum memorans censetur necessario consensum Aadae exigere¹⁵.

4) Solidaritas physica, quatenus Adam est caput physicum hominum, in quo hi seminaliter erant. Sic, ablatis differentiis, plurimi antiquitus v.gr. S.AUGUSTINUS, S.ANSELMUS, LOMBARDUS, HUGO VICTORINUS¹⁶, controversistae praetriden-

⁷ D.PAIBA DE ANDRADA, *Orthodoxarum explic.* 1.3 axioma 2; *Defens. trid. fidei* 1.5; cf. PEINADO, 30. At ea idea videtur primo indicari ab Alex.Halensi: cf. GAUDEL, 460-461; KORS, p.72-73.

⁸ BELLARMINUS, o.c., 4,10; 5,17-18; VALENCIA, *In* 1.2 d.6 q.11 punct.1; SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,21,19-26; *De vitiis et peccatis* 9,2,28,29; RUIZ DE MONTOYA: cf. DE ALDAMA, *El tratado de Ruiz de Montoya sobre el pecado original según un manuscrito de Salamanca: EstEcl II* (1932) 124-130; SALTANTICENSIS, l.c., d.7 a.2; BILLUART, l.c., d.6 a.2; WIRCEBURGENSES, l.c., n.99-102; MUNCUNILL, n.689-701.

⁹ A.CATHARINUS, *Opuscula F.Ambrosii Catharini Politi Senensis Ord.Praed.* (Lugduni 1542) d.4-6 p.144-190; SALMERÓN, o.c., d.45 (in fine) 46; G.MARTÍNEZ, *In primam secundae D.Thomae* (Toleti 1622) q.81 a.1 dub.2,4; cf. PEINADO, 42,43; LUGO, l.c., d.7 s.7; A LAPIDE, *In epist. ad Rom.* 5,12; ARRIAGA, l.c., d.51 s.5; FRASSEN, l.c., p.343-359-365; DE ZUMEL cf. M.RODRÍGUEZ, *El pecado...* 226-233.

¹⁰ Cf. DALMAU, 199s.

¹¹ Sic VITORIA, CATHARINUS, PAIBA, SALMERÓN, etc., l.c.

¹² Sic WIRCEBURGENSES, l.c.

¹³ SOTO, l.c., l.1 c.10; VÁZQUEZ, l.c., etc. Et recentius communiter v.gr. MUNCUNILL, n.694; PESCH, 3 n.274.

¹⁴ SALTANTICENSIS, l.c., n.41; BILLUART, l.c.; GOTTI, *De homine* q.7 dub.1 § 9, habens utrumque ut probabile.

¹⁵ Cf. SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,21,20-22.

³ PALMIERI, l.c., p.118-120.

⁴ Cf. de iis, praeter auctores citatos supra (n.939 not.3), M.PEINADO, *La voluntariedad del pecado original en los teólogos del siglo XVI y primera mitad del XVII: ArchTG* 8 (1945) 9-56.

⁵ DUNS SCOTUS, *In* 2 d.32 q.1 n.14; IOANNES DE BASOLIS, *In* 2 d.30 q.1. Cf. PEINADO, 14.

⁶ WIRCEBURGENSES, *De peccatis* n.95, eam opinionem citant, quin auctores eius nominent. Tamen ad eos forte referunt DURANDUM, *In* 2 d.30 q.2 (red.2); *Quodl.* 1,9 (cf. MARTIN, *La controverse sur le péché originel...* 331-353-356) et J.MAYR, *In* 2 d.30 q.3 (Parisii 1519) f.131rb (cf. GILLON, l.c., 30,31). Sed quidquid sit de horum duorum auctorum interpretatione, tamen ita fere miro modo loquitur A.WIESINGER, *Okkulte Phaenomene* (Graz-Wien 1948) p.99,100: Voluntas Aadae magna sua vi influxum exercuisset immediate (in eius filios) vel mediate (in posteros sequentes) in eorum voluntates, ita ut ii idem ac Adam fecissent.

tini et quidam theologi in eo Concilio¹⁷; S. THOMAS reputans omnes homines, ob communis naturae participationem, ut unum hominem, cuius membra reguntur ab Ada capite per generationem ac proin huius voluntarietatem quadantenus induunt, fere ut membra corporis induunt voluntarietatem capitis-voluntatis¹⁸; CAIETANUS, SILVESTER FERRARIENSIS¹⁹, etc.; recentius PERRONE, ut videtur, ac VAN DER MEERSCH, BOYER, DAFFARA, PARENTE, CIAPPI, LABOURDETTE²⁰.

Maxime BILLOT: Iustitia originalis data est Adae, velut accidens naturae speciei, quod ex lege Dei (et haec una fuit institutio positiva Dei in ea re) deberet cum natura a parente in filios traduci; quo posito, carentia eius indueret rationem privationis, immo et aversionis a Deo.

Ea vero privatio non eveniret nisi ex actuali aliqua culpa. At culpa Adae induxit reatum personalem positivae aversionis a Deo; et ut culpa capitis seu fontis naturae induxit etiam in hanc concrete sumptam, seu prout ea erat per generationem traducibilis, privationem gratiae, ut haec erat velut proprietas quasi specifica naturae.

Peccato Adae amissa est gratia ut dos quasi specifica naturae humanae, et quidem definitive, seu quin ea ut talis dos iam restituenda esset. Sic natura qua talis privata est gratia ut dono speciei, et cum ea privatione semper in posterum propaganda erat, uno tamen «reatu culpa voluntariae voluntate capitis in quo ut in fonte ipsa continebatur». Ea vero propagatio privationis iustitiae originalis evenit sine ullo Dei decreto²¹.

In hac opinione maximi momenti est ut, posita distinctione inter naturam et personam, dicatur iustitia originalis

¹⁷ Cf. PENAGOS, l.c., 147-164.183.

¹⁸ S. TH., In 2 d.31 q.1 a.1; Quodl. 1.2 q.21 a.32; De pot. q.3 a.9 ad 3; De malo q.4 a.1; 4 CG 52; 1.2 q.81 a.1; In epist. ad Rom. 5 l.3. Sic ipsum recentius interpretantur MARTIN, La doctrina sobre el pecado original... (1914) 395-397; cf. RevSchPhTh 5 (1911) 826; KORS, p.94-102.147-157; R. BERNARD, Saint Thomas d'Aquin. Somme théologique. Le péché t.2 (Paris 1931) 321-340; GAUDEL, 474-478; LOTTIN, Le péché original chez Albert le Grand, Bonaventure et Thomas d'Aquin: RechThAncMéd 12 (1940) 306-308; PEINADO, 13.14; MELCHIOR DE STE. MARIE, O.C.D., La «voluntariet» du péché original selon les Salmanticensis et Saint Thomas d'Aquin: EphCarm 3 (1949) 76-86; E. MEERSCH, S.I., La théologie du corps mystique 12 (Paris 1946) p.182-190. Iis praeivit BILLOT, o.c., 138-145; qui tamen, iuxta KORS (o.c., p.148 not.3) mentem Angelici definitivum non perfecte attigisse videtur. Alio sensu ipsum intelligunt plurimi, ut DALMAU, 203-212, simul notans omnes fere theologos post-tridentinos (defensores ideae Adae capitis vel iuridici) ipsum pro se appellare.

¹⁹ CAIETANUS, In 1.2 q.81 a.1; SILVESTER FERRAR., In 4 CG c.52, qui tamen forte a nobis non differt, cum dicat Adam egisse, non ut personam particularem, sed ut personam publicam.

²⁰ PERRONE, De homine c.4 prop.3; J. VAN DER MEERSCH: CollatBrug 9 (1904) 431-438. 494-497.626-629; BOYER, th.15; DAFFARA, n.170-173; PARENTE, p.158-161; CIAPPI, 128-133; LABOURDETTE, 72-78; GARCIA RODRIGUEZ, l.c., 200-206.216-220. Sic et MICHEL, Le péché original ne serait-il qu'un désordre organique?: AmCl 68 (1958) 1268; J. CAPMANY, Pbro., Solidaridad del linaje humano con Adán en el pecado original originante: XVII SemTEsp (Madrid 1960) 43-75.

²¹ BILLOT, 133-146. ABÁRZUZA, n.672, verbis videretur sequi Billot, sed re quoad substantiam nobiscum convenire videtur.

data esse ut *donum naturae*, cui insit fere ut quaedam proprietas ei innata v.gr. ut facultas videndi, ita ergo ut si semel illud donum peccato destruat, dein natura (etiam denuo iustificata) propagetur iam necessario illo privata et quidem sine speciali decreto Dei eum effectum determinante: unde natura corrumpit indefinite personam. Verbo, non personae sed immediate natura seu potius naturae concretae individuae accepissent ex Ada innocente iustitiam originalem, et ideo nunc pariter hae contrahunt peccatum originale seu privationem illius iustitiae.

Item cum peccatum ut tale referatur maxime ad voluntatem, ea opinio insistit in eo quod illa privatio attingat non mere essentiam animae privatione gratiae, sed maxime et voluntatem privatione caritatis, sine qua illa nequeat iam amare supernaturaliter Deum. Sed ulterius ut sit completa, si forte ea de facto vertit mentem S. Thomae, debet efferre S. Doctorem tribuere peccato originali voluntarietatem, non solum personalem Adae, sed aliqualem aliam per communionem in eadem natura physica seu quoddam voluntarium communicatum, quale caput-voluntas communicat membris corporis (4 CG 52; De malo, q.4 a.1; 1.2 q.81 a.1; De pot., q.3 a.9 ad 3)^{21*}.

961. Valor theologicus. Probabilior videtur nostra opinio, quam tenemus cum multis v.gr. Vitoria, Soto, Vázquez, Scheeben, Mazzella, Palmieri, Beraza, Pignataro, Huarte, Pohle-Gierens, Pesch, Van Noort, Lercher, Lange, Feuling, König, Loncke, Becker²².

Accensemur nostrae opinioni eos omnes auctores, qui, inclusionem voluntatum excludentes vel non memorantes, statuunt decretum Dei de conservatione vel amissione boni communis per Adam, nihil nisi huius actum modo explicato ad peccatum originale requirentes.

962. Ratio theologica. In his rebus adeo mysteriosis speculatio theologica debet maxime regi lumine fontium. Iam vero in Rom 5,12-21 latet sine dubio conceptus bibli-

^{21*} KORS, o.c., 146-152; R. GARRIGOU-LAGRANGE, O.P., De Deo Trino et Creatore² (Torino 1951) p.435; GIBELLINI, Generazione...: l.c., 447-451.

²² VITORIA, In 1.2 q.81 a.1; cf. GILLON, l.c., 35-37. Iuxta Peinado (l.c., 21), ipse primus explicat transmissionem peccati originalis per legem Dei cum Ada de ea re. D. SOTO, In epist. divi Pauli ad Romanos commentarii 5,12 (Antverpiae 1550) p.1508; de ipso, cf. V. SERRANO MUÑOZ, Pbro., El hombre ante el hecho del pecado original según Domingo de Soto: RevEspT 7 (1947) 5558; VÁZQUEZ, In 1.2 d.133 c.1; cf. d.131 c.2.3; d.132 c.9; SCHEEBEN, l.c., n.287-292; PALMIERI, l.c., n.4-9; BERAZA, l.c.; PIGNATARO, th.49; HUARTE, l.c.; POHLE-GIERENS, 1 p.5398; PESCH, 3 th.29; VAN NOORT, n.249; LERCHER, 2 n.662; H. LANGE, Erb-sünde: LTK 3,744; D. FEULING, Katholische Glaubenslehre (Salzburg 1947) c.268; KÖNIG, l.c.; LONCKE, De peccati originalis in genus humanum transmissione: CollatBrug 44 (1948) 417; BECKER, l.c., 79-83; in eadem opinione videtur esse substantialiter P. DE ALCÁNTARA, O.F.M., Esencia y transmisión del pecado original: XVII SemTEsp (Madrid 1960) 113-135. Cf. GALTIER, Les deux Adam (Paris 1947) c.2.

cus personae corporativae, ex quo Adam inducens peccatum sit et individuum et simul collectio hominum seu potius tota humanitas; sic ergo censetur in peccando agere partes omnium hominum, fere, ac servata proportione, ut Christus eas egit in redemptione; quo posito, ea erit melior explicatio solidaritatis hominum in peccato Adae, quae ceteris paribus aptius consonet illi notioni biblicae^{22*}.

Ulterius in mente semita sine dubio non effertur distinctio inter naturam et personam, sed potius in idea personae corporativae censetur contineri non mere natura quocumque modo concepta, sed collectio personarum ut talium. Item in conceptione biblica transmissionis peccatorum respiciuntur praecise personae ut quae iis attingantur, non ipsa natura ab iis distincta.

In pericopa paulina peccatum Adae manifeste nos privat iustitia seu vita divina seu amicitia Dei. Dum aliunde, etsi in V.T. adeo vigeat illa notio memorata peccati collectivi, tamen nullo modo constat ea indicari transmissionem peccati ex uno in alium praecise ac proprie ut culpam, sed potius semper etiam viguit in A.T. idea responsabilitatis personalis, quae dein maxime a prophetis effertur. Ergo si in Rom 5,12-21 docetur peccatum Adae nobis transmitti, seu potius nos in ipso peccasse, ita ut ideo amiserimus iustitiam, sine dubio non traditur ibi ipsam responsabilitatem Adae personalem nobis imputari, sed potius censenda est doceri quaedam conceptio unionis mysticae omnium in Ada, qui quasi vices omnium gerens peccat personaliter et sic nos privat iustitia coram Deo ex illa nostra solidaritate cum ipso. His positus:

1). *Solidaritas voluntatis Adae*: a) Si dicitur mere ipsa voluntate Adae peccatum nobis transmitti, non habetur ratio personae corporativae. b) Imo, quo iure affirmatur solam voluntatem Adae sufficere ad nos privandos iustitia originali? Si id constaret, ea sufficeret pariter ad alia eius peccata filiis transmittenda; imo id valeret de aliis parentibus erga filios suos.

2. *Opinio voluntarietatis interpretativae est etiam falsa*. Nam: a) Sine ratione supponuntur omnes consensuri esse in peccatum Adae. b) Nemo, sine forti ratione, iure praesumitur consensurus nisi in bonum, maxime si secus malum gravissimae poenae esset subiturus. c) Homines peccassent, sed non peccant, et proin punirentur a Deo quia peccassent, quin de facto peccaverint.

3. *Opinio voluntarietatis moralis prout inclusionem voluntatum memorat, est falsa*: a) Inclusio voluntatum supponit eas immediate et per se, etsi moraliter, peccare cum Ada. At id plane repugnat, illis nondum existentibus. b) Ea inclusio concipitur ad summum fieri posse ad bonum obtinendum, non vero ad ea quibus aliquis rationabiliter praesumitur assensum negare posse. c) Cum ea inclusio deberetur uni Deo, nonnisi Deo peccatum tribuendum esset, nam illae voluntates peccarent eo ipso quod includerentur in voluntatem Adae peccantis et quin ipsae quidquam agerent.

963. 4. *Solidaritas pure physica est minus probabilis*: a) Ea non videtur servare sufficienter ideam paulinam personae corporativae, cum in ea explicatione logice quilibet homo peccans destruat iustitiam originalem pro suis filiis (n.934). Et maxime non videtur esse biblicus ille conceptus peccati quod directe attingat naturam et solum hac media personam. b) Cum desit proportio inter generationem et gratiam, utpote quae sint diversi ordinis, haec nequiret sine speciali lege Dei cum illa transmitti, ut facile tenent omnes, nam secus etiam nunc parentes iusti non generarent nisi filios iustos; at ex eadem ratione, etsi Adam amisisset gratiam, haec, quatenus erat omnibus destinata, non poterat pro omnibus sine speciali Dei decreto amitti, nam secus parentes transmitterent etiam privationem gratiae quolibet peccato personali inductam.

Vel paulo generalius et independenter a modo explicandi essentiam peccati originalis, si solidaritas physica sufficeret ad huius peccati transmissionem, etiam alia peccata parentum filiis transmitteret, ut facile notarunt TT²³.

Haec considerationes forte non adeo valerent contra opinionem quae respicit gratiam ut donum naturae concrete sumptae, cum semel ac illa amitteretur, natura maneret in definitiva privatione; sed eae valent si, iuxta sensum biblicum, ut videtur, peccatum originale (ac proin et donum iustitiae originalis) attingit directe personas, non naturam.

c) Adam non potuit sine decreto Dei disponere de gratia posterorum ad eos ista privandos nec ut *parens*, cum parens assimilet sibi filium quoad naturam, non vero quoad ea quae individuo accidunt seu personam consequentia, ut erat iustitia

²³ P.DE GODOY, *In* 1.2 tr.4 d.33,1 (Venetiis 1703) p.235: «Ut peccatum Adami nobis imputaretur, necessarium fuit quod esset caput nostrum morale... Non sufficiebat ei quod esset caput posterorum in esse naturali seu caput naturale, alias peccata parentum proximorum filiis imputarentur». Cf. DALMAU, 199.

^{22*} Cf. DE FRANE, o.c., 127-134; LIGIER, o.c., 2,313-322.

originalis singulis hominibus destinata; nec ut dominus, cum unus Deus sit dominus liberae voluntatis hominis ²⁴.

Vitetur vero confusio phantasiae. Dona gratiae et alia iustitiae originalis data Adae et filiis eius transmittenda, non putanda sunt fuisse Adae quasi in deposito physice in omnes dividendo et quod proin, si amitteretur, ex natura sua totum amitteretur. Potius putandum est Adam nonnisi dona individualia accepisse, quae eo sensu dicerentur aliis destinata esse, quatenus esset lex Dei ut singuli homines, dum conciperentur, iisdem specificis donis at aliis numero, ornarentur. Illi vero eo iure nequirent, nisi ex lege positiva Dei, peccato Adae privari.

964. 5. *Solidaritas physico-mystica*: a) Habet rationem notionis personae corporativae, cui apte videtur consonare, positus iis quae nuper de hac quaestione in Rom 5 indicavimus.

b) Quin ponat voluntarietatem personalem qualem opiniones voluntarietatis interpretativae et moralis statuunt, assignat solidaritatem inter personam Adae et ceteras ratione peccati requisitam, et quidem eam quae una est huic speciali peccato possibilis, quamque solidaritas physica non videtur apte servare.

c) Nihil docet indignum Deo, vel quod aliquo modo impossibile ostendi possit, cum decretum Dei nexum illum physico-mysticum instituens inter Adam ac eius posteros et esset de bonis *indebitis* conservandis vel amittendis, et aliunde non auget rationem culpae peccati Adae, sed mere eam ad alios eo modo physico-mystico memorato extenderet.

965. *Obiectiones*. 1. Si peccatum originale esset ex solidaritate physico-mystica singulis, hi potuissent illud vitare. At non potuerunt illud vitare. Ergo.

Dist. mai. Singuli homines peccatum originale eis contrahendum potuissent vitare ut personae particulares, *nego*; ut membra naturae, *subdist.*: sumpta singillatim, *nego*; sumpta in collectione ut unum sub Ada capite physico-mystico, *conc.*

2. Culpabilis voluntas patris non imputatur eius filiis ad culpam, sed solum ad effectus legales. Ergo nec voluntas Adae ut capitis mere iuridici imputatur hominibus ad culpam.

Dist. mai. Culpabilis voluntas patris non imputatur filiis ad culpam, deficiente institutione Dei, *conc.*; secus, *subdist.*: non imputatur ad culpam eis ut personis particularibus, *conc.*; ut membris familiae unum constituentibus, *nego*.

3. Verum peccatum imputatur personis ut personis. At peccatum originale est verum peccatum. Ergo.

Dist. mai. Verum peccatum imputatur personis ut subiectis peccati, *conc.*; ut auctoribus eius, *subdist.*: si ponitur actu proprie personali, *conc.*; secus, *nego*.

Multi attribuntur personis, non praecise ratione personalitatis, seu alicuius tituli singulis proprii et aliis incommunicabilis, sed ratione naturae,

seu tituli omnibus communis et de facto eis communicati, v.gr. membra corporis.

4. In corpore morali actio capitis nequit esse proprie membrorum, nisi ab his saltem moraliter approbantibus procedat. Ergo et peccatum originale.

Dist. antec. In societate actio capitis nequit esse membrorum, nisi ab his procedat ut membris societatis, *conc.*; ut personis, *subdist.*: si eae scientes volentes fiunt membra societatis, *conc.*; secus, *nego*.

Si quis sciens volens fit membrum alicuius societatis, eo ipso censetur velle *personaliter*, etsi solum *moraliter*, quidquid caput societatis qua tale vult *legitime*. At cum in nostro casu agatur de institutione positiva Dei, cuius omnes homines ab eorum conceptione fiunt membra ex sola lege Dei sine eorum personali consensu, ii censentur etiam sine tali consensu mere agere ut membra societatis, cum huius caput ut tale agit *legitime*, fere ut etiam infans in societate domestica.

5. In nostra explicatione privatio gratiae apparet bene ut poena peccati Adae, non vero ut culpa nostra, cum desit nostra voluntarietas. Ergo ea explicatio non inservit ad nostram rem.

Dist. mai. Ibi privatio gratiae non apparet ut culpa nostra personalis, *conc.*; ut culpa nostra ex Ada, *nego*.

Sine dubio privatio gratiae semper est poena, sed etiam, ubicumque sit ea, iure et quidem maxime dicitur culpa. Nam in peccato mortali (ut est originale) id quod est quasi elementum formale est privatio ordinationis ad finem seu aversio a Deo, quae in hac oeconomia consistit in privatione gratiae sanctificantis; si huic accedit aliqua voluntarietas, habetur aversio voluntaria a Deo, quae sane est definitio peccati gravis ut talis, etsi ea notio diverse conveniat peccato personali ac originali. De ratione vero poenae ut talis numquam est aversio a Deo, sed ut hanc consequatur.

966. 6. In nostra explicatione peccatum tribuendum esset Deo constituenti homines in membra sub Ada capite physico-mystico. At peccatum nequit Deo tribui. Ergo.

Dist. mai. In nostra explicatione peccatum tribuendum esset Deo saltem permittenti illud peccatum, *conc.*; intendenti, *subdist.*: volenti ut gratia nostra pendeat ab actu Adae, *conc.*; volenti ut is actus peccaminosus ponatur, *nego*.

Deus annectit homines Adae relate ad bonum commune iustitiae originalis administrandum; peccatum vero commune dein sequens non est ex ipsa rei institutione, sed ex libertate humana in Ada.

7. Repugnat ut Deus annectat homines voluntati alienae in peccato. Ergo repugnat nostra explicatio peccati originalis.

Dist. mai. Repugnat quin Deus annectat homines voluntati alienae in peccato, si peccatum secuturum sit per se et proin Deo illud intendente, *conc.*; si secuturum sit per accidens seu praeter Dei intentionem, *subdist.*: si agitur de peccato personali, *conc.*; si agitur de peccato originali, *iterum dist.*: in nostra explicatione huius et essentiae et solidaritatis, *nego*; in alia, *trans*.

Administratio bonorum homini naturaliter debitorum, ut est obtentio finis ultimi naturalis, nequit alligari voluntati alienae, ac proin Deus nequit hominem alligare peccato alieno qua personali. At si agitur de bonis homini *indebitis*, non repugnat quod Deus eorum administrationem tradat voluntati alienae et proin quin annectat, iuxta nostram explicationem, hominem peccato alieno, quatenus abicitur simpliciter bonum indebitum.

8. In data explicatione peccati originalis effectus Redemptionis Christi, qui venit ut illud tolleret, multum minuitur. Ergo ea est minus apta.

²⁴ Cf. PIGNATARO, th.49 p.3.

Dist. mai. Christus venit ut tolleret peccatum originale solum, *nego*; etiam, *subdist.*: per restitutionem donorum supernaturalium, *conc.*; per eam ablationem peccati quasi negativam, *nego*.

Christus venit ut tolleret et peccata personalia et peccatum originale. Immo hoc tollit per restitutionem gratiae sanctificantis amissae in Ada. Id vero non minuit effectum Redemptionis Christi.

967. Corollarium 1. *Definitio peccati originalis.* Peccatum originale, qua *originans* dici potest peccatum actuale Adae, sive ut personae, sive etiam, supposita nostra thesi, ut capitis physico-mystici generis humani; qua *originatum* est formaliter privatio gratiae sanctificantis singulis inhaerens prae voluntate Adae capitis physico-mystici generis humani.

968. Corollarium 2. *Consectaria ex solidaritate peccati originalis.* Solidaritas in peccato originali, quatenus supponit actum libere positum, quo uno vel alio modo afficiuntur omnia membra solidaria, iure dici potest cum S.Thoma (n.960) includere aliquam voluntarietatem in iis omnibus membris, sed quae tamen non sit stricta et proin sufficiens ad verum peccatum constituendum nisi in ipso capite solidaritatis, e quo censetur derivari aliquo modo ad huius membra, fere ut in homine ex voluntate ad membra corporis. Quo posito:

1) Si eius *voluntarietatis* gradus respicitur, peccatum originale: a) Relate ad *personam* cui inest est «inter omnia peccata minimum...», eo quod minimum habet de voluntario». Ergo est minus peccato veniali in ratione tam culpae quam poenae; privatio enim gratiae ei debita non habet rationem culpae, nec poenae, nisi ob voluntarietatem, quae in hoc peccato est personalis solius Adae; ideo dum illud non punitur nisi in bonis indebitis, veniale punitur in bonis debitis (2 d.33 q.2 a.1 ad 2). Tamen absolute est veniale multo maius, et hoc sensu grave ac mortale, ratione mali seu privationis gratiae. b) Relate ad *naturam* est simpliciter grave ac mortale, cum sit aversio a Deo et quidem plene voluntaria in Ada.

2) Peccatum originale *retractari proprie nequit*, cum non sit nobis ut personis actu personali voluntarium. Ergo nec est obiectum *paenitentiae proprie dictae*, cum de essentia huius sit retractatio, etsi sit obiectum *paenitentiae late dictae*, seu displicentiae de malo.

3) Ergo ratio peccati est *analogica*, non univoca, cum diversa ratio voluntarietatis sit peccato personali ac peccato originali (2 d.35 q.1 a.2 ad 2)²⁵.

4) In peccato originali non est nisi *aversio a Deo* per privationem gratiae sanctificantis, cum *aversio ad creaturam* sit tota quanta in actu propriae voluntatis appetentis aliquod bonum, qui actus in peccato originali non datur. Ob eandem rationem nequit dici ab infantibus stricte *committi*, sed *contrahi*²⁶.

5) Peccatum originale est *omnibus aequale*, non solum ratione privationis, cum omnes aequaliter eo priventur gratia, sed et ratione imputabilitatis, cum omnibus sit aequae voluntarium in Ada.

969. Corollarium 3. *Gratia recuperata ab Ada non transmitteretur, nec alia eius peccata, si quae forte ipse post primum commisisset.* Eius enim ratio capitis ontologici non sufficiebat ad eam transmissionem, ob improprietatem inter generationem materialem ac naturalem et propagationem doni

²⁵ Cf. PIGNATARO, th.51 p.3; KÖNIG, 48-50.

²⁶ Cf. SUÁREZ, *De vitiis et peccatis* 9,2,33: «... An quando parvulus contrahit hoc peccatum, dicatur vere et proprie peccare? Dicendum proprie et simpliciter non peccare, quia verum ipsum peccare manifeste indicat actuale peccatum; sed dici debet generari in peccato vel nasci in illo, sicut ille qui semel peccavit non dicitur amplius peccare, licet in peccato maneat. Dices... Parvulus in eo instanti fit peccator... Respondetur non fieri peccatorem committendo, sed contrahendo peccatum».

supernaturalis vel huius privationem: sane homo non generat qua sanctus vel qua peccator, sed solum qua homo, ita ut generatio sit opus mere organum non attingens ordinem moralem, nam secus et nunc parentes transmitterent gratiam vel peccata. Institutio vero capitis physico-mystici non erat nisi ad iustitiam originalem vel conservandam vel amittendam.

970. Corollarium 4. *Sciebat Adam se esse eiusmodi caput hominum?* Dubitari posset de istius cognitionis necessitate, ut peccatum Adae esset peccatum naturae (modo explicato vel alio); at videtur ea cognitio esse per se affirmanda, qua actus eius capitis formaliter ut talis actus haberetur²⁷.

971. Scholion. *De peccato originali relate ad Deum.* 1) Id mirum videtur, quod Deus alligaverit *sortem supernaturalem omnium hominum* obedientiae incertae *unius hominis*, maxime cum huius lapsum praeviderit. At cum ageretur de bonis indebitis, erat Deo ius statuendi modum quo ea vellet hominibus conferri, nec nostrum est rationem eius modi agendi ab Ipso exigere. Sed sine dubio Deus se ita non gessisset, nisi quid excellentius agere vellet. Res sic concipi posset, ut Deus, dum absolute decernebat illam oeconomicam iustitiae originalem, simul conditionate Incarnationem et Redemptionem decerneret ad malum primi Adae copiosioribus donis reparandum.

Imo, quoad ipsum eius Redemptionis modum, cum omnes homines essent velut quoddam corpus mysticum in Ada, qui ut caput si non peccasset fons fuisset iustitiae originalis toti corpori, at peccans transmittit omnibus suum peccatum, quasi ipse esset tota humanitas vel gratiam conservans vel eam amittens, sic Christus voluit nos salvare per constitutionem Corporis Mystici seu ut Caput totius humanitatis, quasi ipse esset tota humanitas satisfactionem Patri offerens; unde potest dici peccatum Adae fuisse fundamentum occasionale Corporis Mystici Christi, imo Deum permisisse illud peccatum, ut istud Corpus constitueretur, quod in immensum et esset excellentius corpore mystico Adae et in gloria Deo tribuenda istud Adae superaret, quatenus, etsi forte occasione accepta ex peccato originali multi vel etiam aliqui vel multi vel etiam plerique homines a caelo prohiberentur, glorificatio Dei per Christum infinite eminentior esset et amplitudine et intensitate et perfectione gloriae quam Adam ac omnes creaturae, etiamsi maxima gratia ornarentur et per omnia saecula perseverarent in innocentia, imo in gratia sine interruptione crescerent, Ipsi tribuerent. «O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem»²⁸.

2) Deus non esset *iniustus*, si *sola poena peccati Adae* in nos transiret, scil. privatio donorum iustitiae originalis, cum haec essent homini indebita. Nec *iniustus* est Deus, si ea donorum privatio involvat *culpam*, cum iidem eius effectus sint in nobis ac si ea privatio esset solum poena. Cum ea dona essent indebita et proin omnibus sine horum meritis transmittenda, nil impedit quin ea auferat ob *communem* aliquam culpam, quae in Ada esset personalis, non vero in posteris eius.

Ideo homines nascuntur: a) *Aversi a Deo*, at ut fine *supernaturali*. b) *Sub odio Dei*, at solum ut privati amicitia Dei *indebita*. c) *Filii irae* seu damnati, at solum ut privati beatitudine *supernaturali*. d) *Peccatores*, at non ut rei culpae actualis personalis, sed ex gratiae privatione, quae eis voluntaria esse censetur solum ex voluntate Adae qua capitis iuridici. In his nulla est *iniustitia*, cum homines nil naturae debitum amittant; cum peccatum non sit a Deo, sed a libero capite iuridico naturae et proin toti naturae iuste

²⁷ Cf. SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,21,27-29; PALMIERI, l.c. (putans necessariam fuisse eam cognitionem).

²⁸ De peccato originali in oeconomia salutis cf. LABOURDETTE, 183-192; GARCÍA RODRÍGUEZ, l.c., 208-221.

imputatum; cum Deus homines odio habeat solum ut privatos sanctitate *supernaturali*, quam Ipse voluerat singulis hominibus inhaerere 29.

Ubi ergo est mysterium peccati originalis? Si fontes a nobis exigerent ut illud peccatum haberemus ut quoddam peccatum personale, id summissa fide crederemus. Sed cum non constet istud a nobis exigi, adhuc stat mysterium in eo quod Deus alligaverit actui voluntario unius hominis dona destinata toti generi humano: a) Praeternaturalia integritatis, immortalitatis ac impassibilitatis. b) Maxime vero gratiae sanctificantis, qua per totam vitam terrestrem et dein in aeternum cum Deo fine ultimo supernaturaliter coniungeremur. Stat etiam mysterium in eo quod Deus illam ruinam a se praevisam non impedierit 29*.

CAPUT VIII

De medio propagationis peccati originalis

Thesis 45. Peccatum originale generatione naturali propagatur, ita vero ut haec sit eius propagationis mera conditio sine qua non, peccatum vero Adae sit eius causa unica.

S.Th., 1.2 q.83 a.1; De malo q.4 a.1; SUÁREZ, De vitiis et peccatis d.9 s.3 n.1-6; PALMIERI, th.12; MUNCUNILL, n.232; BERAZA, n.842-857; PESCH, 3 prop.30.

972. Nexus. Investigata essentia peccati originalis etiam quoad huius solidaritatem, ulterius quaeritur de modo propagationis eius peccati. Id enim, unum origine, seu in Ada, omnibus et singulis filiis Adae propagatur. At quaenam est eius propagationis via ac ratio? En quaestio nunc tractanda.

973. Notiones. PECCATUM ORIGINALE sumitur hic prout illud est in posteris Adae.

GENERATIO, seu origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae.

NATURALIS est generatio per commixtionem utriusque sexus, ita vero ut et materia sit naturaliter proportionata generationi et agens sit etiam naturale seu operetur naturaliter in illam materiam. In *supernaturali* vero vel utrumque deest scil. vel materia proportionatur supernaturaliter actioni vel ipsum principium naturale suppletur *extraordinario* influxu divino et quidem *per se* seu ad ipsam substantiam operationis, nec mere *per accidens*, ut si Deus uni vel utrique parti

29 PALMIERI, th.10; MUNCUNILL, n.760; BECKER, Zur Theodizee der Erbsünde: l.c., 474-478; ID., Das Geheimnis der Übertragung der Erbsünde: ZkathTh 49 (1925) 39.40.

29* Cf. FLICK, l.c., 1198; SAGÜÉS, l.c., 171.

miraculose potentiam generativam forte amissam restitueret (generatio esset entitative naturalis et solum quoad modum supernaturalis), sed *simpliciter*, ut v.gr. in generatione Christi 1.

PROPAGATUR i.e. generatio naturalis est medium, quoposito, singuli homines concepti peccatum originale contrahant, et quidem unum illud possibile in hac oeconomia.

CONDITIO seu id quod requiritur, sed tantum ut causa agat, quin vero illud influat realiter in effectum 2; dicitur *sine qua non*, si ut hic obtineatur est absolute (saltem naturaliter) necessaria.

Sic ergo generatio est necessaria ad peccati originalis propagationem, fere ut nunc baptismus ad collationem gratiae (non vero eadem ratione, cum iste sit gratiae causa).

MERA CONDITIO, non ergo causa physica vel moralis efficiens, seu principium vere influens *esse in effectum*.

Generatio vero est vera causa, sed solius propagationis *naturae*; ea ergo de se indifferens ad propagandam naturam vel puram vel, ex ordinatione Dei, elevatam, nunc traducit naturam peccato Adae infectam, seu peccatum originale, quatenus ea est mera conditio implenda, ut existant filii Adae ac proin illo peccato inficiendi.

PECCATUM ADAE i.e. peccatum actuale Adae.

SIT CAUSA, quod facile admittitur ab omnibus (Rom 5,12); non vero *physica efficiens*, quod etiam non eget probatione, cum actus Adae iam non sit dum infans concipitur, sed *moralis*, quatenus de facto peccatum Adae vera ratio positiva uno vel alio modo est, quod homines peccatum originale contrahant. Id ergo expresse non probatur in thesi.

CAUSA UNICA. Ut propagatio iustitiae originalis ex una Dei voluntate dependisset, sic propagatio peccati originalis est casualiter ab uno Adae peccato.

Id per se constabit, si excluduntur generatio ac omnes causae eam efficientes, cum fontes unam eam causam memorent (Rom 5,12; D 102 789 791) et quia personalis voluntarietas, quae una est fons peccati formalis, uni Adae in nostro casu tribui queat. Ideo nec hoc punctum in thesi expresse probatur.

974. Adversarii 3. Admittentes Adam esse veram causam propagationis peccati originalis causam huius *quasi* proximam reponunt:

1 PALMIERI, l.c., n.3.

2 Cf. VERRIELLE, Le surnaturel en nous... p.220.224s.

3 De iis, cf. auctores citatos n.939 not.3.

1) In concupiscentia generationis vel actuali vel saltem habituali, S.AUGUSTINUS⁴ (aliter tamen opinante Portalié⁵), quem sic sumentes secuti sunt S.FULGENTIUS⁶ et dein plurimi v.gr. P.LOMBARDUS, HUGO S.VICTORIS, ALEXANDER HALENSIS, S.ALBERTUS M^{6*}, S.BONAVENTURA, GULIELMUS ALTISSIDORIENSIS, PETRUS AUREOLUS, GREGORIUS ARIMINENSIS..., praeter IANSENIIUM (cf. n.700). Ipse S.THOMAS forte initio aliquem influum semini ad transmissionem peccati tribuebat⁷.

Ii auctores communiter putant animam infusam corpori in hoc, ut in vase vitiatu, corrumpi peccato, iuxta quamdam hypotheticam formulam S.Augustini⁸.

2) In affectione morbida qua inficitur corpus, cuius contactu anima maculatur, etsi homo sine generatione fieret ex quolibet membro corporis, HENRICUS GANDAVENSIS⁹.

975. Doctrina Ecclesiae. C. Tridentinum (D 709): «Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest unicuique proprium... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum... D.N.I.Ch... A.S.» Verbum «propagatione» indicat ibi generationem, ut supra diximus; eam vero formulam, etsi grammaticaliter indirectam, attingi definitione, videtur omnino clarum, ex eo quod sit idea essentialis in conceptione tridentina peccati originalis et ex serie errorum quos Concilium prae oculis tunc habuit (n.541).

«Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati... A.S. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt...» (D 791, cf. C.Carthaginense XVI, D 102).

⁴ GAUDEL, 395;396; TIXERONT, 2 p.475-477; MERLIN, o.c., p.365;366; J.MAUSBACH, Die Ethik des heiligen Augustinus 2 (Freiburg Br. 1909); KORS, 205; SOLIGNAC, l.c., 380s; SEYBOLD, 89-90.

⁵ PORTALIÉ, 2396;2397; PALMIERI, l.c., n.7; th.13 n.5.

⁶ S.FULGENTIUS, De fide ad Pet. 2,16: ML 40,753; De veritate praedestinationis I,14,10: ML 65,608; cf. GAUDEL, 408.

⁷ Cf. de eo et MICHEL, Saint Albert-Le-Grand serait-il hérétique?: AmCl 70 (1960) 103s.
⁸ S.Th., 2 d.30 q.1 a.2 ad 3-5; cf. MARTIN: CiencTom II (1915) 225; LOTTIN, Le péché originel chez Albert le Grand... 299;300; CAIETANUS, In 1.2 q.81 q.81 § 3. Imo, iuxta DE BLIC (Saint Thomas et l'Immaculée Conception: RevApol 57 [1933] 35) ea, ut videtur, fuit mens S.Thomae etiam senioris, ut generatio per commixtionem sexuum sit causa propagationis peccati originalis; assentitur VERRIELLE (Les textes bibliques sur le péché originel... 392 not.1) inde explicans S.Thomae negationem Immaculatae Conceptionis (Comp. theol. c.224); R.GIBELLINI, Generazione e trasmissione del peccato originale: DivThom(Pi) 35 (1958) 136-147;445-447;453; A.MITTERER, Dogma und Biologie der hl. Familie (Wien 1951) 35s.

⁹ S.AUGUSTINUS, Cont. Jul. 5,4,17: ML 44,794.

⁹ HENRICUS GAND., Quodl. I q.21; cf. MARTIN, La controverse... p.5-7.

Si forte his postremis verbis definitio non contineatur, ipso canone *implicite definitur* peccatum originale propagari generatione: «ab uteris», ut obvium videtur iuxta ea quae alibi de hac re diximus (n.541)^{9*}

Ipsum Concilium definit (D 789): «Adae praevaricationem... in omne genus humanum transfudisse... et peccatum...» (cf. C.Arausicanum II, D 175). Ergo de fide definitur peccatum Adae esse causam propagationis peccati originalis.

Item statuit (D 795): «Homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti».

Prius XII, agens de monogenismo, sic concise ac nervose refert doctrinam tridentinam de peccato originali (D 2328): «Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint..., cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium.»

Methodus theseos. Probabitur primo peccatum originale propagari generatione naturali et quidem sola; dein generationem non esse causam illius propagationis sed meram conditionem. Eo ulterius supposito quod peccatum Adae sit eius propagationis causa, non probabitur expresse, cum id per se et ex dictis pateat, eam esse *unicam* causam.

Pars I

PECCATUM ORIGINALE PROPAGATUR GENERATIONE NATURALI

976. Valor dogmaticus... De fide divina et catholica (*saltem implicite*) definita propagatio per generationem. Saltem certa in theologia thesis sumpta exclusive de generatione naturali; hanc enim thesim exprimunt SS.PP. et tenent communiter TT., sed Magisterium etsi in ultimis documentis memoret generationem *naturalem* (D 2328), numquam asserit id intelligendum esse *exclusive*.

977. Probatur ex sacra Scriptura. In ea res expresse non docetur; at tota Ecclesia sic semper intellexit Rom 5,12 (D 102 791).

^{9*} Cf. R.GIBELLINI, La generazione naturale come mezzo di trasmissione del peccato originale nel Decreto Tridentino «De peccato originali»: StudPat 3 (1956) 389-420; 4 (1957) 3-32 (ubi alia documenta Magisterii exponuntur); Id., Generazione..., l.c., 464.

978. **Probatur ex traditione.** SS.Patres: 1) *Assignant nexum inter generationem et contractionem peccati originalis.* S.AUGUSTINUS: Omnes in Ada peccarunt, quia «secundum originem seminis omnes in illo uno erant»¹⁰, vel «quando in eius natura illa insita vi qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt» (R 1728). «Originale peccatum generatione attractum est» (R 1918). «Propter hanc (concupiscentiam) fit, ut etiam de iustis... nuptiis filiorum Dei..., filii saeculi generentur...» (R 1870).

S.CYPRIANUS: «Infans, secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit» (R 586; cf. S.AUGUSTINUS, R 1456).

2) *Explicant exemptionem Christi—etsi qui in Ada fuerit «secundum corpulentam substantiam»—a peccato originali, eo quod sine viro genitus sit*¹¹.

DIDYMUS ALEXANDRINUS (R 1077): «Si ex copula accepisset corpus... existimaretur et ipse obnoxius esse huic peccato, quod et omnes ex Adamo per successionem contrahunt».

S.AUGUSTINUS (R 2010, cf. 1899): «Omnes... in uno potuisse peccare, in quo per rationem seminis erant, quando ille peccavit naturamque in se vitavit... humanam, excepto uno..., qui ex ipso quidem semine, non tamen seminali ratione procreatus est, si potes, intellige».

S.LEO M. (R 2195, cf. 2207): «Sine virili semine conceptus est Christus ex virgine, quam... Spiritus Sanctus fecundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorte conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic rubigo non miscuit».

S.GREGORIUS M. (R 2311): «Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus; ut vero a peccatis mundaret hominem, homo et sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde devenit propter nos in uterum virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa».

Id ita acceptum est in traditione, ut iure possit dici haberi de hac re «communis consensus Patrum et Theologorum»^{11*}

3) Cum pelagianum peccatum originale negarent ex immediata animae creatione per Deum, *plures Patres non audebant reicere generatianismum, quo eius peccati propagationem forte aptius explicare sibi viderentur.*

¹⁰ S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont.* l. 4, 104; ML 45, 1400s.

¹¹ S.AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 10 c.19-21; ML 34, 423-425 (cf. S.TH., 3 q.15 a.1 ad 2); S.ANSELMUS, *De conceptu virginali et de originali peccato* c.23; ML 158, 454-457.

^{11*} J.GUMMERSBACH, S.I., *Unschuldigkeit und Befestigung in der Gnade* (Frankfurt a.M.1933) 50s; de S.Thoma cf. GIBELLINI, *Generazione...* 455; MITTERER, o.c., 37-44.

Sic S.GREGORIUS M.: «De origine animae inter Sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an... singulis detur, incertum remansit... Si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si... cum carne non nascitur, cur in carne quae de Ada prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum...»¹²

Ea maxime valent de S.AUGUSTINO et alia et haec dicente (R 1441): «De animarum... creatione sententia, si hanc fidem (de peccato originali)... non oppugnat, sit et mea: si oppugnat, non sit et tua»¹³.

979. N.B. Etsi generatio probationibus praecedentibus expresse ut *naturalis* non memoratur, ea ut talis sit constat et ex ipsis terminis sensu proprio per se intelligendis, et ex verbis «ex semine Adae», et ex exemptione Christi ut non naturaliter generati. Ex quo postremo ceterum maxime videtur generatio naturalis sumi ut medium exclusivum.

980. **Ratio theologica.** 1) *De generatione.* Peccatum originale omnibus inest, quatenus ii fiunt membra familiae Adae. At id fit sola generatione. Ergo peccatum originale omnibus inest media generatione.

Et sane hac etiam media, omnibus fatentibus, iustitia originalis propagata esset.

2) *De generatione naturali.* Cum fontes peccatum originale ad omnes et quidem solos filios Adae referant, putandum est, eos solos in hac oeconomia posse illud peccatum contrahere. Quo posito, Adam eorum solum fuit proprie pater, quorum successiva productio ab ipso pendebat. At ab ipso non pendebat, nisi successiva productio per generationem naturalem. Ergo Adam eorum solum fuit pater, quorum successiva productio per generationem naturalem ab ipso pendebat.

Min. Ipse ex una parte poterat ea sola generatione propagationem naturae inchoare, et ex alia nequibat esse proprie ac virtualiter principium activum successivae productionis hominum, nisi quatenus propagabat naturam habentem in se vim se ipsam indefinite propagandi. At natura genita ab Ada non habebat vim se propagandi nisi naturali modo. Ergo ab Ada non pendebat propagatio naturae nisi per generationem naturalem.

¹² S.GREGORIUS M., *Epist.* 1,52; ML 77,980s.

¹³ Cf. MERLIN, p.366,367; TIXERONT, l.c., p.477s; GAUDEL, 395s.

Pars 2

GENERATIO NATURALIS EST MERA CONDITIO SINE QUA NON
PROPAGATIONIS PECCATI ORIGINALIS

981. Valor theologicus. Ea notio iam a S. Anselmo tradita et maxime a Scoto elata, ita absolute et communiter a T.T. docetur, ut *certa in theologia* dicenda sit ¹⁴. Tamen Magisterium, ut numquam innuit causalem concupiscentiae influxum in propagationem peccati originalis, sic etiam numquam dicit generationem esse non causam, sed solum conditionem.

982. Ratio theologica. Ex nuper probatis, generatio naturalis est medium necessarium propagationis peccati originalis. Ergo eius propagationis vel est causa vel est conditio sine qua non, cum tertium non detur. At non est causa. Ergo est conditio sine qua non.

Min. Generatio non est causa propagationis peccati originalis, cum nullum ex agentibus generationis sit talis causa, scil. nec parentes, nec Deus, nec ulla alia causa physica.

A. Non parentes. 1) Non quatenus generant. Nam generatio est actus et pure organicus et naturalis, ex se tendens ad traducendam naturam qua talem, non praecise qua iustam vel iniustam; nam iustitia positive, et iniustitia privative pertinent ad ordinem sive moralem, sive in casu etiam supernaturalem.

Et sane secus terminus unius eiusdemque actus potentiae generativae esset diversus pro diverso statu naturae.

2) Non quatenus generant cum concupiscentia. Haec valent de concupiscentia sive actuali sive habituali: a) In genere. Ad contrahendum peccatum originale sufficit ut homo fiat proprie filius Adae. At id fit generatione, etsi forte desit concupiscentia. Ergo.

b) In specie. In natura pura fuisset concupiscentia, non vero peccatum originale. In natura lapsa, generatus cum concupiscentia, non vero ex semine Adae (v.gr. ex parentibus a Deo immediate creatis), non contraheret peccatum originale; contra vero generatus a parentibus praeternaturaliter exemptis a concupiscentia.

Nec vox «concupiscentia» potest hic sumi ut peccatum actuale inordinatae libidinis, cum istud absit ab actu generatio-

¹⁴ De S. Anselmo cf. GAUDEL, *l.c.*, 12, 43^{ss} et KORS, *o.c.*, 33-35; D. SCOTUS, *In 2 d. 32 n. 3. 12*; cf. J. SCHWANE, *Dogmengeschichte der mittleren Zeit* (Freiburg Br. 1882) § 93 n. 2; FINKENZELLER, 545-549. Quoad eius notionis praeformationem, de S. Augustino, cf. PALMIERI, *th. 13 n. 7*; S. TH., 1. 2 q. 81 a. 1; q. 83 a. 1; *De pot.* q. 3 a. 9 ad 3; 3 q. 27 a. 1 ad 4.

nis honeste posito; qui etiam meritorius esse potest, quin tamen a peccato originali contrahendo eximat.

B. Non Deus. 1) Anima, prout a Deo creatur, praescindit a bonitate vel malitia morali, et est in ordine naturali, seu gratia carens, at non privata. Infusio vero eius in corpus non infert per se et natura sua peccatum, sed solum per accidens et ex culpa Adae.

2) Deus nequit esse causa peccati vel directe, seu intendens peccatum, vel indirecte, seu non impediens peccatum, quasi id impedire absolute teneatur. Et sane peccare est deficere, quod nullo modo Deo convenit; nec id impedit quin Deus possit esse aliquo modo causa actus peccati (S. TH., 1. 2 q. 79 a. 2).

C. Non alia causa physica, ut esset v.gr. ipsum corpus, qua concupiscentiae affectum, suo contactu physico animam moraliter maculans. Nam inter causam physicam naturalem et moralem privationem, maxime si haec ad ordinem supernaturalem refertur, absolute nullus est nexus causalitatis physicae.

983. Obiectiones. 1. Peccatum originale propagatur per unum (Rom 5, 12). At, posita generatione ut propagationis medio, propagaretur per duos. Ergo non propagatur generatione.

Dist. min. Peccatum originale propagaretur per duos, posita generatione ut causa propagationis, *trans.*; ut mera conditione sine qua non, *nego.*

2. Si peccatum originale traduceretur generatione, nuptiae essent malae. At eae non sunt malae. Ergo.

Dist. mai. Nuptiae essent malae, si generatio peccatum originale traduceret per se et natura sua, *conc.*; si traduceret mere per accidens et quasi ab extrinseco, seu ex voluntate Adae, *subdist.*: si generatio esset causa propagationis peccati, *trans.*; si est eius mera conditio, *nego.*

Nuptiae per se non propagant per generationem nisi speciem, etsi per accidens et ex peccato Adae propagent etiam peccatum ¹⁵.

3. Infantes sunt a Deo. At ii concipiuntur in peccato originali. Ergo Deus est causa peccati eorum.

Dist. mai. Infantes sunt a Deo ut homines, *conc.*; ut peccato infecti, *subdist.*: sunt a Deo permittente, *conc.*; a Deo intendente, *nego.*

Productio hominis non est intrinsece mala. Peccatum vero hominis facti est ab Ada ut causa morali, a Deo vero solum ut permittente.

4. Anima est a solo Deo. At peccatum originale est in anima. Ergo peccatum originale propagatur a Deo.

Dist. min. Peccatum originale est in anima, prout ea est pars naturae humanae (concrete sumptae) ab Ada procedentis, *conc.*; in se sola inspecta, *nego.*

Generatione propagatur non mere corpus, sed natura seu totus homo, qui totus est filius Adae, ita ut anima sit eius naturae pars et qua talis gratia privetur. Iam vero creatio animae (ut ipsa generatio hominis) tendit ex natura rei ad bonum i.e. ad constituendum suppositum humanum per se carens peccato originali. Causa vero privationis gratiae est solum peccatum Adae,

¹⁵ Cf. BECKER, *Dqs Geheimnis...*: ZkathTh 49 (1925) 38s.

non Deus, qui eam privationem non inducit positive, seu aliquid efficiendo, sed mere denegando id quod solum sub iusta conditione promiserat¹⁶. Ergo anima contrahit peccatum originale in infusione sui ut formae in corpus ab Ada procedens, non ex infusione ex parte Dei ut principii (1.2 q.83 a.1).

Deus vero non impedit eam transmissionem peccati, quia bono particulari praeferendum est bonum universale, ut est multiplicatio hominum. Ceterum privatio perfectionis supernaturalis nihil detrahit naturae ut tali (2 d.32 q.2 a.2 ad 2).

5. Nec Adam nec parentes influunt in creationem animae infantis. Ergo nequeunt generatione (etsi ut mera conditione) influere in propagationem peccati originalis.

Dist. mai. Parentes non influunt in creationem animae effective (seu eam efficientes), *conc.*; *dispositive, nego.*

Recte dicitur generatione propagari ipsa *natura*, etsi anima non sit *effective* a parentibus, cum semen naturam humanam virtute contineat, quatenus ad exigentiam actus generativi anima creatur et infunditur in corpus ad efformandam unam naturam (S.Th., 1.2 q.81 a.1 ad 2). At quod ea natura propagetur sine gratia, non est ex generatione, sed ex Adae peccato.

984. Corollarium 1. *Quis non contraheret peccatum originale. Is homo: qui immediate a Deo crearetur, vel non produceretur praecise ex natura Adae 17, vel fieret ex hac sed ad modum Hevae. Quid vero si nasceretur ex patre immediate creato a Deo, aut miraculose vel aliter ex matre sine viro? Scholastici communiter asseruerunt peccatum originale propagari a patre, non vero a matre, forte quia cum S.Thoma communius putarent matrem generantem passive se habere, quasi novum vivens fiat ex semine patris et non ex ovo matris (quod ignorabant) sed ex huius sanguine. At cum hodierna biologia eam opinionem esse falsam ostenderit et idem momentum pro generatione esse ovo materno ac semini patris, nihil ob stare videtur ex *ratione biologiae*, quin dicatur illud peccatum esse pariter ex patre ac ex matre. At ex parte traditionis? Haec manet quaestio. Sed saltem ex documentis Ecclesiae nil *positive* videtur ob stare¹⁸.*

Corollarium 2. *Concupiscentia sive actualis sive habitualis est saltem conditio propagationis peccati originalis? a) Non, si sumitur formaliter, seu ut libido. Secus ea deficiente, non traduceretur illud peccatum. Item ut infusio gratiae non necessario infert donum integritatis, sic privatio illius non necessario infert huius privationem.*

b) *Certe, si sumitur materialiter, seu ut coniuncta in natura lapsa cum generatione. Sic enim non connotat, nisi generationem cui inest concupiscentia, seu generationem in natura lapsa, eam nempe quae una est conditio illius propagationis. Quo sensu sumpta dicta Patrum et theologorum*

¹⁶ Cf. BECKER, l.c., 35-37.

¹⁷ SUÁREZ, d.9 s.4 n.1.

¹⁸ Cf. R.GIBELLINI, *De generazione come mezzo di trasmissione del peccato originale: StPat (1956) 389-420; (1957) 3-32* (exponit documenta Ecclesiae). A.MITTERER asserit (*Dogma und Biologie der Heiligen Familie. Nach den Weltbild des hl.Thomas von Aquin und der Gegenwart* [Wien 1952] c.1 36-49), peccatum originale esse ex patre et ex matre; Christus ergo ab eo immunis fuit, non quia natus est sine patre, sed quia filius Immaculae Virginis. Si de facto datur parthenogenesis, dicendum est tunc a matre et quidem sola transmitti peccatum originale: cf. tamen P.DE LETTER, S.I., *The Transmission of Original Sin: IrishThQuart 24 (1957) 339-345*. Sed nullo modo constat existisse vel unum factum parthenogenesis humanae: cf. BOSIO, S.I., *La parthenogenesi umana: CivCatt (1957,2) 595-606*; imo et si ea naturaliter vel artificialiter daretur, non produceret nisi individuum femininum, sed de facto est naturaliter impossibilis, iuxta M.M.HUDECEK, O.P., *De paritate sexuum et de parthenogenesi humana sub aspectu biologico: Ang 38 (1961) 86s*. Ceterum iure notat E.K.WINTER (*Zum Begriff der Parthenogenese: ThGl [1954] 254-263*) notiones biologicas non nisi caute adhibendas esse ad theologiam mysteriorum christianorum.

veterum tribuentia concupiscentiae propagationem peccati originalis recte intelligi possunt, modo concupiscentia sumatur ut conditio et quidem in concreto, seu pro actu generativo cui illa inest¹⁹.

In hoc statu concupiscentia, cum peccatum originale consequatur, est signum propagationis eius peccati (iuxta communem legem exceptioni per Deum obnoxiam), seu significat in parentibus generationem naturae lapsae ac proin traducendum peccatum, in generato vero contractionem eius peccati (2 d.31 q.1 a.1 ad 3).

Corollarium 3. *Potest dici anima corrumpi peccato in corpore ut in vase vitiato, ea fere formula S.Augustini (cf. not.8), modo id non sumatur de ulla corporis causalitate physica vel morali, sed solum ita ut corpus sit id quo anima nectitur cum Ada peccatore, seu id quod a natura peccato Adae vitiata physice traducitur, seu ita ut ex unione animae cum corpore exurgat novum individuum naturae humanae peccato infectae.*

Quo sensu etiam dici potest cum S.Thoma peccatum originale esse in semine vel in carne ut in causa instrumentali, eo vero sensu quod semen sit instrumentum quo producitur membrum aliquod familiae humanae, non vero quasi physice vel moraliter producat peccatum (1.2 q.83 a.1; *De malo* q.4 a.1). Nec forte quidquam cogens impedit, quin eodem modo sumantur Augustinus et alii theologi memorati ut theseos adversarii.

Corollarium 4. *Peccatum Adae est causa propagationis peccati originalis non efficiens, cum agatur de privatione et quidem in ordine morali ac supernaturali, sed per modum efficientis, quatenus meretur privationem gratiae in omnibus hominibus. Deus vero potest dici propagationis peccati originalis causa physica negativa (seu non agens) per accidens ac materialiter, quatenus physice homines gratia privat, non positive agens, sed subtrahens influxum eius conservativum, seu eam non infundendo, in poenam peccati Adae, iuxta praevium suum decretum.*

¹⁹ PALMIERI, th.13.

CAPUT IX

De effectibus poenalibus peccati originalis

ARTICULUS I

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA

Thesis 46. Homo lapsus vi solius peccati originalis quoad vires naturales voluntatis ad honeste operandum non vulneratus est intrinsece nec extrinsece.

S.TH., 1.2 q.85 a.1-6; *De malo* q.5 a.4; BELLARMINO, *De gratia primi hominis* c.5; *De amissione gratiae et statu peccati* 1.6 c.8-15; SUÁREZ, *De vitiis et peccatis* d.9 s.5; *De gratia*; proleg. 4 c.79; PALMIERI, th.14; BERAZA, n.860-900; HUARTE, prop.24; LERCHER, 2 n.672-675 VAN DER MEERSCH, *Expone quomodo intelligendum sit hoc theologorum assertum: peccato originali homo fuit vulneratus in naturalibus*: CollatBrug 10 (1905) 462-468.

985. Nexus. Postquam de peccati originalis existentia, essentia, propagationis modo constat, in mentem venit quaestio de eius effectibus sive in hac sive in alia vita. Ea ergo nunc ita nobis tractanda est, ut primo de eius effectibus in hac vita sit agendum. Et quidem cum iam ex hucusque dictis constet satis de amissione bonorum iustitiae originalis, nunc agitur de effectu in bonis naturalibus, non vero in genere seu in bonis etiam physicis et intellectualibus, sed solum in iis quae specificantur exercitio vitae moralis ut talis seu immediate referuntur ad ultimum hominis finem obtinendum.

Hinc, eo posito quod homo illo peccato et supernaturalia et praeternaturalia amiserit, quaeritur de eius peccati effectu in bonis hominis naturalibus, non tamen vel corporis, vel intellectus in ordine ad cognitiones, praesertim religiosas ac morales, sed voluntatis, seu in huius viribus ad exercendum bonum morale; haec enim quaestio maxime interest nostra ob eius relationem ad finem hominis ultimum et ratione pugnae nostrae cum Novatoribus et quia, utpote quae sit principalior, iis principiis sit solvenda, quae iure putentur valere relate ad omnia bona hominis naturalia.

986. Notiones. HOMO, qui fieri potuit a Deo sine donis supernaturalibus et praeternaturalibus, ornatus est de facto in Ada donis iustitiae originalis, quibus tamen privatus est peccato originali contracto ex Ada peccante. Hic ergo homo LAPSUS, si comparatur cum homine historico seu in iustitia originali constituto, in deterius secundum animam et

secundum corpus mutatus est, et per amissionem gratiae sanctificantis, integritatis, immortalitatis, impassibilitatis, felicitatis vita, illustrationis intellectualis, ut constat ex iisdem argumentis quibus supra probatur omnes homines illa dona in Ada accepisse, et per incursum in servitum diaboli (D 789-793).

Sed a Christo reparatus est et, prout nunc est, fruitur donis gratiae supernaturalis, habitualis et actualis, internae et externae; ea vero reparatio substantialis eum non eximit sive a concupiscentia, miseriis physicis, ignorantia, sive a tentatione diabolica, ex quibus arduae et continuae difficultates ei obveniunt in bono morali exercendo. De eo ergo homine prout concrete versatur in iis adiunctis, sed sumpto sine ulla gratia Christi, est praesens quaestio.

VI SOLIUS PECCATI ORIGINALIS. Praescinditur ergo ab effectibus peccatorum *personalium*, quae, pro eorum gravitate ac numero, hominem lapsum reddere facillime possunt intrinsece vel extrinsece deteriolem, et consideratur solum effectus peccati originalis ut talis seu prout omnibus transfusum inest unicuique proprium a momento conceptionis, etsi illud contrahens vel nondum possit peccare personaliter vel etiam nunquam ad id perveniat.

QUOAD VIRES VOLUNTATIS i.e. quoad liberum arbitrium sive physice sive moraliter (seu iuxta eius vires morales) inspectum, non ergo quoad vires vel corporis vel intellectus, nisi quatenus ab iis pendere possint vires voluntatis; sed principia solvendae quaestionis iure putabuntur valere relate ad omnia alia bona hominis naturalia.

AD HONESTE OPERANDUM, seu ad ponendos actus moraliter bonos mere seu sub quolibet respectu naturales. Ergo respicitur homo sine ulla gratia Christi.

NON VULNERATUS EST, seu nullum passus est detrimentum quo sit impotens ad bonum morale vel *totali* ablatione liberi arbitrii vel huius qualibet attenuatione: a) *Nec intrinsece* sc. per aliquam subtractionem perfectionis internae vel per additionem impedimenti interni, qua illa facultas in se ipsa aliquid infirmaretur. b) *Nec extrinsece*, sc. sive ex pluribus vel gravioribus obstaculis externis (v.gr. tentationibus) sive ex auxiliorum Dei imminutione.

Nostra quaestio sic fere aliter exprimeretur: potuit homo ab initio creari qualis nunc nascitur, si nulla daretur ei gratia Christi? Dum tenentes nostram thesim responderent affirmative, ii qui eam negant etiam quoad vulnerationem *extrinsecam*, responderent negative, quia non concipitur posse Deum *necessario* destinare hominem ad seipsum ut ultimum finem et quidem obtinendum per impletionem continuam totius legis naturalis,

quin simul eum, iuxta eius naturam, efficiat vere potentem interne ac externe ad illam impletionem plene exsequendam.

Nostra tamen quaestio, ex quo aevo conceptus naturae purae medio elaborari coeptum est, in theologia post-tridentina solet generatim proponi per comparationem hominis lapsi ut si non esset reparatus et hominis in natura pura, ita ut tenentes nostram thesim dicant cum Caietano illum hominem lapsam qui *privatus* est iustitia originali differre ab hoc qui eam nunquam habuit mere ut spoliatum a nudo¹.

Sed etsi verum est hominem qua hominem esse eundem in quolibet statu historico vel hypothetico, naturae lapsae vel purae, de facto *natura*: a) *pura* nunquam existit nec revelatione saltem directe ac formaliter memoratur ac proin non constat qualis ea esset in sua *concreta* existentia; b) *lapsa* ut inspecta sine ulla gratia Christi, etiam non existit, cum de facto quilibet homo recipiat gratias ad salutem saltem remote sufficientes, nec revelatio directe doceat qualis esset ea natura sine ulla gratia. Ergo si ignoratur termini comparationis, quaestio forte videretur solvi non posse^{1*}.

At haec non putantur, ut videretur, serio obstande illi communi vulgatae propositioni problematis, nam: 1) Quoad hominem *purum*: a) *Theologice* constat Deum potuisse eum creare seu sine destinatione ad ordinem supernaturalem (D 2318) imo et sine donis praeternaturalibus (D 1055). b) *Speculative* non est irrationale fingere hominem compositum ex corpore mortali ac passibili et anima spirituali ac immortalis, dotatum facultate cognoscitivo-appetitiva sive sensitiva per se necessario tendente ad suum obiectum sive spirituali, ac proin concupiscentia sensitivo-spirituali affectum, cum iure tamen ad aliquem ultimum finem aeternum et ad media sive intrinseca sive contra difficultates externas extrinseca, quibus ille facile obtineri possit. 2) Quoad hominem *lapsam*: a) *Theologice* constat fontes efferre v.gr. liberum arbitrium peccato originali non esse extinctum (D 793 797 815), istud sine gratia Christi non valere solum ad non peccandum (D 1027 1398) et posse elicere sine caritate affectus laudabiles (D 1524), homine «naturalis rationis humanae lumine» posse certo Deum cognoscere (D 1806) vel contra effert impotentiam hominis ad totam legem naturalem diu servandam sine gratia Christi (D 104). b) *Speculative* ergo etiam non est irrationale conceptum efformare naturae lapsae sed *privatae* donis omnino indebitis.

Sed tamen ut illa possibilis occasio confusionis vitetur, curamus quaestionem positam esse solvendam, quod fieri possit sine appellatione ad comparationem inter naturam lapsam et puram.

987. *Tota ergo res sic concipi posset*: Homo ob peccatum originale privatur donis iustitiae originalis, quibus in eo mira et harmonica fiebat ordinatio rationis ad Deum per gratiam, appetitus sensitivi ad rationem per integritatem, corporis ad animam per immortalitatem ac impassibilitatem. Amissa vero ea iustitia, soluta est illa totius hominis unio, ita ut omnes defectus *naturales* revixerint, quos illa iustitia cohibebat scil. ignorantia (cum difficultate descendendi, etc.), concupiscentia (cum eam formaliter consequente difficultate ad bonum et ad vitandum malum, etc.), mortalitas et passibilitas².

¹ CAIETANUS, In l.2 q.109 a.2; BELLARMINO, *De gratia primi hominis*, c.5.

^{1*} Cf. G.BIFFI, «Tamquam spoliatus a nudo»: *ScuoCatt* 85 (1957) 161-176, qui primo exponit historiam theologiam nostrae quaestionis et dein excitat eam difficultatem indicatam.

² S.Th., I.2 q.82 a.1; q.85 a.1.3; 2 d.31 q.1 a.1; *De ver.* q.25 a.7. Cf. LABOURDETTE, 83-92. S. Augustinus solet memorare ignorantiam et concupiscentiam (v.g. *De natura et gratia* c.67 n.81: ML 44,287s), at includens, ut ait S.Th. (I.2 q.85 a.3 ad 5) «malitiam, infirmitatem, concupiscentiam; ex his enim tribus contingit quod aliquis non facile tendit in bonum».

En una vulneratio naturae peccato originali inducta quoad *intrinseca* hominis, unde hic, quin plura damna quoad vires physicas et morales subiret, mere in statum, quem sine iustitia originali creatus haberet, rediisse fere diceretur. Uterius vero iste homo quoad *intrinseca* completus in sua natura censetur etiam quoad *extrinseca* habere ius ad omnia auxilia interna ac externa quibus possit servare totam legem naturalem (etsi de facto in hoc ordine ea auxilia sint gratia Christi) et ne specialibus vel copiosioribus tentationibus externis in hoc ordine subiaceat ratione solius peccati originalis.

Poenae ergo infectis peccato originali imposita in hac vita non est positiva, sed mere privativa, seu privatio iustitiae originalis. Ideo mala istam privationem formaliter consequentia (i.e. concupiscentia, mors, etc.) non sunt proprie poenae sed consecutaria poenae seu *poenalties* (quatenus supponunt culpam) et sic explicatur earum diversitas in diversis pueris non baptizatis. Nil ergo impedit quin maneant in iustis relictas ad exercitium virtutis (D 792; S.Th. I.2 q.85 a.5; q.87 a.7). Sic ergo eae dici forte possunt *poena medicinalis*, quatenus haec consistit in detrimento minoris boni, ut augeatur maius, et non directe ad culpam reparandam; nam simpliciter non habet rationem *poenae* et proin nec rationem *mali*, etsi videretur esse *poenalis* et non detur nisi indigentibus medicina seu peccato originali constitutis in statu passibili.

988. *Adversarii*. Liberum arbitrium ad bonum morale ob peccatum originale: a) Totaliter amissum est. Sic *Novatores*, BAIUS, IANSENIUS (cf. n.697.699s). b) Aliquatenus enervatum est *intrinsece* v.gr. ob acriorem concupiscentiam. Sic GREGORIUS ARIMIN., D.ÁLVAREZ, DE LEMOS, CONTENTSON, ESPARZA, SYLVIVS, GONET, GAZZANIGA, recentius SCHMID, DEL VAL, DE BROGLIE³.

Homo lapsus non habet ius ad auxilia naturalia ei ad legem naturalem necessaria, quae homini puro ad id naturaliter deberentur. Item servituti subesset diaboli, qui eum specialiter impugnasset. Sic fere BILLUART, T.GONZÁLEZ, WIRCEBURGENSES, BILLOT, BOYER, PARENTE, JOURNET, ABÁRZUZA, FLICK⁴.

989. *Doctrina Ecclesiae*. Eius documenta in libro *De elevatione* allata non proponunt positive ut peccato originali amissa, nisi bona supernaturalia ac praeternaturalia (D 174s 788s 792 1021 1023s 1026 1978 1516s).

S.PIUS V damnavit errorem Baii (1055): «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur».

³ GR.ARIMINENSIS: cf. GAUDEL, 496; D.ÁLVAREZ, O.P., *De auxiliis divinae gratiae* (Romae 1610) l.6 d.45-47; TH.DE LEMOS, O.P., o.c., t.2 p.2 tr.1; V.CONTENTSON, l.c., l.2 diss.1 spec.3; M.ESPARZA, *Cursus theologicus* l.4 q.9; SYLVIVS, *In totam primam secundae* q.3 a.2; GONET, *Manuale thomistarum* p.1 tr.8 c.7, qui tamen aliter senserat in prioribus eius operis editionibus et in *Clypeus* t.2 tr.8 d.4 a.3; P.M.GAZZANIGA, O.P., *Praelectiones theologicae* t.4 (Bononiae 1780) diss.3 s.3 c.6; F.SCHMID, *Quaestiones selectae ex theologia dogmatica* (Paderborn 1801) p.229-340; DEL VAL, *De homine* n.188; DE BROGLIE, *Notes sur le péché originel* (Paris): cf. J.F.SWEENEY, S.I., *Some Recent Developments in Dogmatic Theology*: ThSt 17 (1956) 383-386.

⁴ BILLUART, *De gratia* diss.2, praecamb., a.3; T.GONZÁLEZ, S.I., *Selectarum quaestionum* 4 (Salmanticae 1886) d.3; WIRCEBURGENSES, *De gratia* n.173; BILLOT, *De gratia Christi* (Romae 1928) th.2 § 3; BOYER, th.16; PARENTE, p.3 c.3. JOURNET, *L'Eglise...* 2,767-778; ABÁRZUZA, n.694s; FLICK, o.c., 474s.

Haec, ut supra diximus (n.741), directe sunt de concupiscentia; quae ceterum est, ut patet, praecipuum impedimentum internum ad bonum morale exercendum. Sed Deus non potuisset talem creare hominem, qualis nunc nascitur, si naturalia hominis essent peccato originali *intrinsece* laesa et praecise relate ad bonum morale (necessario a Deo praecipendum et ab homine procurandum); nam opus Dei debet esse in suo genere perfectum ac nullo modo contradictorium, ut in ea hypothesis esset homo lapsus. Ergo saltem *intrinsece* non patitur homo ex solo peccato originali.

990. *Methodus theseos*. Relictis *Novatoribus*, Baio, Iansenio, qui aptius in tractatu *De gratia* refutantur⁵, et praeterea comparant hominem lapsum, non cum homine puro quem possibilem esse negant, sed cum innocenti, quo, defectu iustitiae originalis, multo debilior est⁶, hominem lapsum considerabimus primo quoad *intrinseca*, dein quoad *extrinseca*.

Pars I

HOMO LAPSUM NON EST INTRINSECE DEBILIOR QUAM PURUS

991. **Valor theologicus.** *Fere communis et probabilior.* «Communis et vera... Communis antiquorum theologorum», ait Suárez plurimos auctores citans⁷. Eam tenent v.gr. S.Thomas, Scotus, Caietanus, D.Soto, Medina, Vitoria, Molina, Bellarminus, Billuart; ex recentioribus v.gr. Mazzella, Mendive, Beraza, Daffara, Parente, Huarte, Lercher, Biffi⁸.

992. **Probatur ex traditione.** *SS.Patres*, etsi thesim hanc formaliter non exprimant, sat indicare videntur hominem qua hominem peccato originali laesum non esse. S.PROSPER (R 2036): «Naturae humanae in illa universalis praevaricationis ruina nec substantia erepta est nec voluntas, sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est».

993. **Ratio theologica.** 1. In homine lapso tota eius actualis infirmitas moralis ex absentia gratiae, ex concupiscentia, ex ignorantia (I.2 q.85 a.3), optime explicatur

⁵ Interea cf. GOTTI, *Theologia scholastico-dogmatica* I (Venetiis 1763) tr.10 q.10 dub.2 § 2; PERRONE, *De Deo Creatore* p.3 c.5 prop.2; PIGNATARO, th.52, coroll.1; PALMIERI, th.16.

⁶ Ceterum cf. PALMIERI, l.c.

⁷ SUÁREZ, *De gratia* proleg.4 c.8 n.5.

⁸ S.TH., I q.95 a.1; q.98 a.2; I.2 q.85 a.3; *De malo* q.2 a.11; 4 CG 52; 2 d.30 q.1 a.1; d.31 q.1 a.1; cf. KORS, 104-109, 160-164; nec in contrarium appellari potest S.Doctor (2 d.30 q.1 a.1 ad 3; I q.85 a.1), ut ostendit P.M.SCHAFF, O.P., *Saint Thomas et les rapports de la nature pure avec la nature déchue*: *RevScPhTh* 7 (1913) 71-76. SCOTUS, In 2 d.29: cf. B.MINGES, *J.D.Scoti doctrina philosophica et theologica* 2 (Ad Claras Aquas 1930) p.332; CAIETANUS, In I.2 q.109 a.2 § 3; D.SOTO, *De natura et gratia* l.1 c.13; MEDINA, *Expositio in primam secundae* q.85 a.3; VITORIA: cf. GILLON, l.c., 38; MOLINA, *Concordia liberi arbitrii* d.3; BELLARMINUS, l.c.; BILLUART, l.c.; MAZZELLA, n.1070; MENDIVE, *De peccatis* n.290-296; BERAZA, l.c.; DAFFARA, 181-194; PARENTE, l.c.; HUARTE, l.c.; LERCHER, 2 n.674; BIFFI, l.c., 176.

ut consequens meram *privationem* iustitiae originalis⁹ vel ad summum etiam ex peccatis personalibus, si forte eae aliquatenus ut effectus *positivus* peccato tribuenda sit; nam is effectus positivus non esset proportionatus peccato originali seu entitati mere morali ac privativae: nec formaliter seu ut qui eveniret sola eius peccati informatione animae, nec, ut clarum videtur, exigitive seu ut qui producendus a Deo exigeretur eo peccato, et proinde non posset inferri homini sine aliquo miraculo divino, quod sane non credendum est sine solida probatione factum esse a Deo, ut in omnibus hominibus puniret peccatum aliquod unius Adae personale. Ergo infirmitas moralis actualis hominis lapsi non tribuenda est peccato originali qua tali, et sic nec ulla vulneratio *intrinseca*.

2. Praeter peccatum et Deum, nulla alia causa assignari rationabiliter posse videtur diminutionis liberi arbitrii per aliquam vel ablationem perfectionis naturalis vel additionem impedimenti (I q.48 a.4). Sed nec peccatum nec Deus eam diminutionem inferunt. Ergo.

A. *Non peccatum.* 1) Quatenus est ab Ada: ut actus *physicus*, cum esset unicus, ipsi non induxit malum habitum (nisi forte huius inchoationem), ergo a fortiori nec posteris eius et quidem infallibiliter omnibus; ut actus *moralis* non erat proportionatus nisi ad effectum moralem i.e. ad abiectionem iustitiae originalis.

Quatenus est nostrum, consistit in sola aversione a Deo, et quidem ut a fine supernaturali, sine actu physico conversionis ad creaturas aliqualem habitum forte inducente. Ergo, ut sit proportio inter causam sive physicam (seu connaturalem) sive moralem (seu culpae ad poenam), et effectum, iste nequit esse nisi in privatione conversionis supernaturalis ad Deum, seu donorum quibus ea constat.

2) Unaquaeque persona, ut persona singularis, ratione suae naturae habet ad bona naturalia, maxime ordinis moralis, ius (immo et officium iis ad finem ultimum utendi), quo privari nequeat, nisi ob peccatum *personale* (*De malo* q.5 a.2).

3) De facto nec peccatum *actuale* hominem reddidit debiliorem ad honeste agendum, nisi ad summum quatenus inchoat habitum malum; qui tamen a peccato originali excluditur ex defectu actus *physici* personalis (I.2 q.85 a.1).

4) Ob eandem rationem non intelligitur substantia animae vel intellectus vel voluntas vel alia facultas naturalis esse diminutionis capax per aliquod peccatum, nisi forte quatenus

⁹ SUÁREZ, l.c., n.14.

ob actum vel actuum repetitionem habitu aliquo adveniente impediuntur a facilius agendo¹⁰.

B. *Non Deus.* 1) Etsi Deus posset peccatum originale in hac vita punire privatione vel diminutione boni naturalis (quod nullo modo constat de *potentia ordinata*, maxime si ab isto bono pendet consecutio finis ultimi), nullo modo probatur ex principiis fidei vel rationis ita egisse¹¹.

2) De facto Deus ne peccatum quidem personale solet ista privatione vel diminutione in hac vita punire. Nec rationaliter putari potest aliquid impedimentum internum ad bonum facultati hominis addidisse.

3) Cum peccatum originale sit entitas mere moralis et quidem privative ordinis supernaturalis, nequit formaliter, seu ipsa sui inhaesione, vulnerare intrinsece ipsam hominis naturam qua talem; nec, cum totum quantum debeatur voluntati personali Adae, censendum est exigere connaturaliter eam vulnerationem. Ergo haec nequiret inferri sine aliquo miraculo; at incredibile est, ut supra dictum est, Deum ob illud peccatum adeo speciale eius subiecto non personale, et quidem ut peccatum Adae puniat in omnibus hominibus, efficere istud miraculum, quod ceterum, saltem ordinarie, nec ob peccata personalia etiam gravissima facit.

994. *Obiectiones.* 1. Ex fontibus, peccato originali: a) Homo amicitiae «naturalem possibilitatem» (S.Caelestinus, D 130). b) Liberum arbitrium est «infirmatum», «inclinatum et attenuatum» (C.Araus., D 186 199; cf. C.Trident., D 793). c) Homo «secundum corpus et animam in deterius» commutatus est (Araus., D 174; cf. Trident., D 788). At haec spectant ad intrinsecam hominis. Ergo homo lapsus *intrinsece* debilior factus est.

Dist. cons. Homo intrinsece debilior factus est, si comparatur cum homine innocenti, *conc.*; si consideretur in se ipso, *nego*.

Ex iis locis nihil potest, cum fontes solum habeant prae oculis lapsum hominis ex statu *historico* innocentiae ad statum in quo ille nunc est, ita ergo ut nostram thesim nec asserant nec negent.

Immo, iuxta Pallavicini, in Tridentino voci «vulneratum» (liberum arbitrium) primo insertae substitutae sunt voces «attenuatum et inclinatum» aequae congruentes omni Scholasticorum opinioni sive istam attenuationem ad solam donorum gratuitorum ablationem contrahenti sive eam ad aliquam in deterius mutationem conditionis naturalis extendenti¹².

N.B. Item SS.Patres forte dicentes, ut S.Augustinus¹³, libertatem peccato periisse, agunt de illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam» (R 1883); de libertate a peccato habituali, a servitute diaboli, a concupiscentia, a necessitate morali incidendi aliquando sine auxilio Dei in peccata actualia, de libertate salutariter agendi et obtinendi vitam aeternam. Nec apud Augustinum conceptus «natura vitata» seu ipsa substantiam affecta «vicio» ut principio quodam *accidentali* trahente ad

corruptionem quodque identificat saepe cum concupiscentia (et interdum vocat infirmitatem, vulnus) non necessario indicat nisi ipsam naturam ut privatam iustitiam originali, cum dicat eam concupiscentiam venire ex peccato Adae vel (ut ait aliquoties) ex ipsa natura creata¹⁴.

2. Iuxta effatum a TT. ex S.Ambrosio (illud innuente, non vero literaliter exprimente), iuxta Lc 10,30-34, communiter cum Beda traditum¹⁵, homo ob peccatum originale est «spoliatus gratuitis et vulneratus in naturalibus». At si homo est vulneratus in *naturalibus*, debilior *intrinsece* factus est. Ergo homo lapsus intrinsece debilior factus est.

Dist. min. Debilior intrinsece factus est, homo vulneratus in naturalibus, si quid ei perfectionis *naturalis* ablatum est, *conc.*; si mere ablata est ei iustitia originalis, qua eius defectus naturales cohibebantur, *nego*.

Sane iustitia originalis et elevabat hominem ad ordinem supernaturalem et eius defectus naturales (concupiscentiam, mortalitatem, etc.) corrigens, eum *perfecte sanum* reddebat et *physice*, et *moraliter* seu in ordine ad bonum morale. At illa amissa, isti defectus naturales apparuerunt, qui nunc *vulnera naturae* iure dicuntur. Hinc homo, ut donis *indebitis* (supernaturalibus et praeternaturalibus) privatus, recte dicitur «spoliatus gratuitis»; et ut ea sanitate privatus qua defectus naturae cohibebantur, recte etiam dicitur «vulneratus in naturalibus» i.e. defectibus naturalibus obnoxius.

Ceterum cum veteres dona praeternaturalia Adae vocarent *naturalia*¹⁶, effatum etiam sumi posset directe de illis donis, seu de gratuitis ut de supernaturalibus et de naturalibus ut de praeternaturalibus.

3. Homo lapsus caret sine gratia potentia morali servandi diu totam legem naturalem quae eius naturae necessario deberetur. Ergo homo ex peccato originali factus est intrinsece debilior.

Dist. antec. Homo lapsus sine ulla gratia ad totam legem naturalem diu servandam caret potentia morali de facto, *conc.*; de iure, *nego*.

Homo is est ex sua conditione naturali, ut maxime ratione concupiscentiae nequeat moraliter (certe physice) servare diu totam legem naturalem, sine auxiliis *extrinsecis* divinis, quae, utpote necessaria ad aliquod necessarium obtinendum, ei sunt debita et proinde per se ordinis *naturalis*; sed nunc de facto pro iis non dantur ei nisi auxilia ordinis gratiae.

4. In ordine morali, qui Deum ut finem ultimum respicit, homo aversus a Deo est intrinsece debilior quam conversus ad Deum. At homo lapsus est aversus a Deo. Ergo est intrinsece vulneratus.

Dist. mai. Homo aversus a Deo solum ut fine *supernaturali* est debilior quam conversus ad Ipsum ut finem naturalem, *nego*; aversus a Deo etiam ut fine *naturali* est debilior quam conversus ad Ipsum ut finem naturalem, *subdist.*: ratione habitus vitiosi vel huius inchoationis, *conc.*; aliter, *nego*.

Homo aversus a Deo solum ut fine *supernaturali* non connotat nisi privationem donorum supernaturalium, non ergo conversionem ad creatam, cum desit actus voluntatis personalis; ac proin nec inchoationem habitus vitiosi, qui solo eiusmodi actu induci potest. Homo vero lapsus est aversus a Deo solum ut fine *supernaturali*, non vero ut fine *naturali* nisi *materialiter*, non

¹⁴ Cf. M.STROHM, *Der Begriff der «natura vitata» bei Augustin*: ThQschr 135 (1955) 184-203; BullThAncMed 8 (1961) n.2851.

¹⁵ S.AMBROSIO, *Expos. evang. sec. Luc.* 1.7 n.73: ML 15,1718: «His latrones (i.e. daemones)... ante despoliant quae accepimus indumenta gratiae spiritualis et sic vulnere inferre consuerunt». Dein S.AUGUSTINUS, *Quest. evang.* 1.2 q.10: ML 35,1340; S.BEDA, *In Lucae evang. expositio* 1.3 c.10: ML 92,468s. Ad litteram illud adhibet *Instructio sacerdotis* p.1 c.1 n.2: ML 184,775 (in operibus S.Bernardi). Dein LOMBARDUS, 2 d.25 n.8; GULIELMUS ALTISS., *Summa aurea* p.1 tr.10 c.2, alia quaestio; S.ALBERTUS M., *Summa theol.* p.2 tr.14 q.90 m.4 arg.1; ALEXANDER HALL., *Sent.* p.2 q.27 m.1 arg.1; S.BONAVENTURA, *In* 2 d.29 a.2 q.1 arg.1; S.TH., 2 d.29 q.1 a.2; d.30 q.1 a.1 ad 3. De origine eius effati cf. KORS, *o.c.*, 104 n.2; J.AUER, *Erbsünde*: LThK 3 (1959) 970.

¹⁶ Cf. SUÁREZ, *De opere sex dierum* 3,12,23; PALMIERI, th.14 n.4.

¹⁰ SUÁREZ, *l.c.*, n.8-13.

¹¹ LERCHER, *l.c.*

¹² PALLAVICINI, *l.c.*, l.8 c.13 n.7.

¹³ S.AUGUSTINUS, *Enchir.* c.30: ML 40,246s; *De nat. et grat.* c.43: ML 44,217s.

vero *formaliter* ut peccans actu personali per conversionem ad creatura; qui ceterum non fit suo peccato in ordine morali debilior, nisi quatenus habitu vitioso vel huius inchoatione per illam conversionem afficitur.

Sane, si ponatur ea aversio a fine etiam naturali, infantes limbi, cum sint in statu termini, nec possent Deum amare super omnia sed solum creaturas, nec diu vitare omnia peccata gravia, quae per se exigunt etiam poenam sensus. Sed ea quo iure dicerentur, cum in peccato originali istorum infantium desit conversio ad creaturas (*De malo* q.3 a.7) quae est in personali? ^{16*}

Pars 2

HOMO LAPSUM NON EST EXTRINSECE DEBILIOR QUAM PURUS

995. Valor theologicus. *Multo communior et probabilior.* Id tenent v.gr. Suárez ¹⁷, plurimi moderni.

996. Ratio theologica. 1) *Positive.* Providentia Dei auxilia distribuens putanda est se naturae et exigentiae re-
rum accommodare. Sed ex probatis, posito peccato originali, naturalia manserunt integra ut si homo non peccasset. Ergo Deus dat auxilia homini lapsus ut non peccatori. Id vero maxime valere censendum est de auxiliis ad iuvandam vitam *religiosam ac moralem* hominis, et ad impedimenta externa huius vitae ei removenda.

Hinc theologi veteres supponentes sine dubio et *intrinsicam* et *extrinsicam* naturae in ordine ad ultimum finem apta proportionem inter se connecti, docent simpliciter, ut Scotus, naturalia manere integra in peccatore, et sic omnes effectus peccati originalis ad solam iustitiae originalis amissionem reducant ¹⁸.

2) *Negative.* Nec ulla ratio solida contra thesim affertur:
a) *Ex parte daemonis.* Si etiam homo innocens tentari potuit, Deus posset sine dubio in quolibet statu naturae permittere modo ac mensura nobis prorsus ignotis tentationem diabolicam in hominem; ergo nullo modo probatur hominem lapsus tentari praecise ratione peccati originalis vehementius ac frequentius quam si illo careret.

Si vero forte Deus diabolo ampliorem licentiam tentandi hominem lapsum ut lapsum permetteret, sine vera ratione putaretur ei non esse ius ex titulo *debitae* providentiae ad *ampliora* auxilia illis tentationibus proportionata.

b) *Ex parte mundi.* Sine vero fundamento diceretur homo lapsus magis tentandus esse praecise ratione peccati origina-

^{16*} Cf. JOURNET, *L'Eglise...* 2,7698.

¹⁷ SUÁREZ, *l.c.*, c.9.

¹⁸ SCOTUS, *Ox.* 2 d.29; BELLARMINO, *l.c.*; MOLINA, *l.c.*; CAJETANUS, *l.c.*; SOTO, *l.c.*

lis quam si hoc careret, quasi in hac hypothesi et *praecise eius ratione* necessario non futuri essent homines malis exemplis ac verbis alios ad peccandum inducturi. Si vero in statu naturae lapsae corruptio morum et ignorantia specialiter grassantur, excessus tentationum ex mundo inde forte existens non repetendus est immediate ac formaliter ex ipsa indole naturae lapsae ut talis seu ex solo peccato originali, sed ex aliis adiunctis per accidens contingentibus ¹⁹.

997. Obiectiones. 1. Homo lapsus tentatur sic fortiter a diabolo ob magnum ac nondum finitum bellum in ordine supernaturali gerendum. Ergo tandem ratione peccati originalis.

Dist. antec. Homo lapsus et ornatus gratia fortius a diabolo tentatur in hoc ordine supernaturali ob bellum gerendum in hoc ordine supernaturali, *trans.*; si non ornaretur gratia, pariter tentaretur, *nego.*

Cum homo lapsus in hoc ordine auxiliis gratiae muniatur, nil mirum si Deus illud bellum permittat et consequenter nunc hominem lapsum fortius tentari; sed id non probatur accidere praecise ac formaliter ratione peccati originalis.

2. Homo lapsus est «sub potestate diaboli». Ergo nil mirum quod ille tentetur specialiter.

Dist. mai. Homo lapsus est sub potestate diaboli quoad amissionem iustitiae originalis, *conc.*; quoad alia, *nego.*

Sane illa servitus huc redit, ut homo: fraude diaboli amiserit dona indebita; ob idque concupiscentia affectus possit facilius quam innocens in peccatum personale allici; non vero ut fortius tentari queat, cum tentatio etiam in paradiso fuerit (non tamen illa servitus), et cum exemptio a tentatione non esset bonum debitum naturae, et tandem cum potestas tentandi nos diabolo data non sit per se nobis mala, quasi necessario sit poena in culpam, sed solum occasio pugnae. Verbo, homo lapsus victus est a diabolo quoad bona supernaturalia, non quoad naturalia.

3. Deus non tenetur hominem lapsum seu aversum a suo fine supernaturali, ad alium finem, seu ad naturalem, mediis extrinsecis movere. Ergo homo lapsus extrinsece debilior factus est.

Dist. mai. Deus non tenetur hominem lapsum ad finem naturalem extrinsece movere, si illud inconveniens admittatur, quod ordinatio omnium hominum ad Deum ut finem *naturalem* independentem ab eorum voluntate uni voluntati Adae alligata sit, *conc.*; secus, *nego.*

Sane id incommodi in hypothesi obiectionis haberetur, ut homo sine ullo actu personali, non mere iustitia originali privaretur, sed et iure ad auxilia, quibus esset in potentia morali servandi diu totam legem naturalem, consequenter vitandi gehennam et obtinendi finem ultimum qui ipsi qua homini competeret.

4. Ignoramus quale genus providentiae esset in hominem lapsum sine gratia inspectum. Ergo sine solida ratione statuitur thesis.

Dist. antec. Ignoramus illud genus providentiae, si respiciatur complexus omnium causarum possibilium, *conc.*; considerato solo peccato originali, *nego.*

Ergo discrimen quod esset inter hominem lapsum sine gratia inspectum et hominem nunc existentem quoad auxiliorum copiam et forte quoad maiora impedimenta ad vitanda peccata, esset non ex peccato originali, sed aliunde repetendum. In quacumque hypothesi homini lapsus *debe-*

¹⁹ SUÁREZ, *l.c.*, c.9 n.14.

rentur ex iusta providentia auxilia quibus obtinere posset statum finalem saltem qualem concedimus pueris sine baptismo decedentibus 20.

Ideo haberet etiam ius ad auxilia quibus moraliter posset totam legem naturalem diu servare. Nam ut, posita elevatione ad ordinem supernaturalem, puer baptizatus obtinens ius ad gloriam habet eo ipso iam adultus ius ad auxilia gratiae sufficientia ad gloriam assequendam, sic infans lapsus sine gratia inductus, habens ius ad illum statum finalem nuper memoratum, factus adultus haberet ius ad auxilia sufficientia ad illum statum obtinendum per observationem legis naturalis 21.

998. Corollarium. *Homini lapsu et reparato debentur auxilia quibus possit totam legem naturalem implere sive naturalia sive in horum defectu supernaturalia.* Sane ad eam impletionem sufficienti de iure et ex natura rei auxilia naturalia; de facto tamen ea quae homini lapsu et reparato dantur, etsi entitative sint (vel saltem ex natura rei possint esse) naturalia, sunt saltem extrinsecus supernaturalia qua data intuitu salutis supernaturalis. Iam vero ista auxilia, qua supernaturalia, sunt indebita homini; at qua substituta auxiliis debitis homini puro non videntur dicenda esse indebita 22.

Quod differt a pelagianismo in eo, quod iuxta hunc, homo in hoc statu possit de facto sine gratia totam legem naturalem diu servare 23, dum, iuxta nos, id potest solum de iure seu inspecta natura secundum ei debita.

999. Scholion. *De vulnere ignorantiae ut effectu peccati originalis.* Ratio, ut facultas, non imminuta homini lapsu est in suo vigore proprie naturali, sed invenit magnam difficultatem ad veritates etiam naturalis ordinis religiosi ac morales inveniendas et intelligendas. Eius vero ignorantiae determinatio pendet a determinatione difficile obtinenda de amplitudine et natura scientiae ab Ada suis posteris transmittendae. Pesch ait: «Itaque vulnus quoque ignorantiae (in posteris Adae) derivandum est ex privatione luminis supernaturalis, quod in ordine originalis iustitiae iuvabat hominem etiam in usu rationis naturalis». Palmieri aliquid addit: «Ignorantia vero non tantum est defectus luminis supernaturalis et fidei, sed et illius scientiae praeternaturalis, quae Adamo collata est, et cui similis, etsi non quoad modum acquisitionis, exstisset in statu naturae elevatae, a quo omnis error facile exsulare poterat». Huarte tribuit peccato originali ignorantiam «qua nunc laborat genus humanum in cognitione naturalis legis et revelationis...» 24

20 S.TH., *De malo* q.5 a.3 ad 4; 2 d.33 q.2 a.2 ad 5; SUÁREZ, *l.c.*, c.9 n.12.

21 BERAZA, n.897-890; HUARTE, n.526-528.

22 HUARTE, n.528s.

23 PORTALIÉ, 2381s.

24 PESCH, 3 n.285; PALMIERI, th.14 n.4; HUARTE, 513. Cf. LABOURDETTE, 90s; F.SOLANO, *Peccato original y conocimiento de Dios según el pensamiento de Duns Scotto*: EstFranc 52 (1951) 97-102.

ARTICULUS II

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS IN ALTERA VITA

Thesis 47. Decedentes cum solo peccato originali subeunt poenam damni in aeternum, nullam vero poenam sensus, nec patiuntur ullam tristitiam ex poena damni.

S.TH., 2 d.33 q.2 a.1s; *De malo* q.5 a.1-3; S.BONAVENTURA, *In* 2 d.33 a.3 q.1s; BELLARMINO, *De amissione gratiae et statu peccati* l.6 c.1-7; SUÁREZ, *De vitiis et peccatis* d.9 s.6; PALMIERI, th.17; BERAZA, n.901-943; J.BELLAMY, *Baptême (Sort des enfants morts sans)*: DTC 2, 364-378; E.AMANN, *Limbes*: DTC 9,759-772; W.R.O'CONNOR, *The Lot of Infants who die without Baptismo*: EcclRev 95 (1936) 37-49.152-164; BILLOT, *La Providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale du salut*: Et 163 (1920) 5-32; B.GAULLIER, *L'état des enfants morts sans baptême d'après saint Thomas d'Aquin* (Paris 1962); P.J.HILL, M.S.C., *The Existence of a Children's Limbo* (Ohio 1962).

1000. Nexus. Ex praecedentibus, effectus peccati originalis in hac vita concluditur sola iustitiae originalis privatione. Quid vero in altera vita, seu quid accidit illi qui cum solo peccato originali decedit? Responsum fere sponte videtur ex probatis fluere: nam si homo dona supernaturalia perdidit, titulum etiam amisit ad supernaturalem beatitudinem; et aliunde si, posito peccato originali, naturalia manserunt integra in hac vita, non est ratio cur ea in altera laedantur poenarum *positivarum* inflictione. Tamen ea quaestio proponitur nunc directe investiganda.

1001. Notiones. DECEDENTES: sumitur iuxta sensum mortis non mere physicum, sed morale, seu quatenus ea est terminus merendi et demerendi, quem immutabilis status praemii vel poenae sequitur.

CUM SOLO PECCATO ORIGINALI, seu cum peccato accepto ab Ada, at sine peccato *personali* exigente poenam, etiam sensus, aeternam vel temporalem, prout istud sit grave vel leve. Si forte quis cum originali et aliis solis venialibus decederet, thesis, posita horum purgatione, de eo pariter valeret.

Decedentes ergo cum solo peccato originali sunt: a) Infantes non baptizati. b) Adulti non baptizati numquam attingentes usum rationis (et congruum instructionem) requisitum ad peccandum. c) Adulti non baptizati rebus moralibus sat instructi, at forte decedentes de facto cum solo peccato originali. Tamen ii, iuxta S.Thomam (1.2 q.89 a.6; 3 q.90 a.4 ad 3), nequeunt esse cum solo peccato originali sine mortali¹; et si ea impossibilitas difficilis probatu non admittatur, moraliter loquendo et secundum legem ordinariam practice vix erit ullus in *moralibus adultus*, qui, saltem si diu vivat, cum solo peccato originali decedat: nam diu non erit quin aut gratia utens iustificetur aut eam respuens a gravi peccato personali immunis sit 1*.

¹ De varia interpretatione eius asserti S.Thomae, cf. S.HARENT, S.I., *Infidèles*: DTC 7, 1863-1894. De sorte temporalium infantium, qui contra istam hypothesis forte moriuntur cum peccato originali et solis venialibus, cf. J.BUJANDA, S.I., *Teologia del más allá* (Madrid 1951) 210-216.

1* Cf. SUÁREZ, *De paenit.* 13,3,13.

POENA, seu malum pro culpa inflictum (*De malo* q.1 a.4) est *damni*, si est privatio beatitudinis supernaturalis.

Eam ergo subeuntes ob peccatum originale sunt in *statu damnationis*. Ii erant destinati ad finem supernaturalem, quem ob peccatum suum non assequentes dicendi sunt simpliciter finem suum ultimum non obtinere, etiam eo forte posito quod obtineant materialiter totum id boni quod in ordine naturali esset finis ultimi; pariter nec obtinent ob peccatum suum beatitudinem ipsis a Deo destinatam, ita ut si supponantur *materialiter* assequi id quod in ordine naturali beatitudinem constitueret, non sint formaliter, sed solum materialiter beati.

IN AETERNUM i.e. durans sine fine a parte post. Id in thesi expresse non probatur, cum fontes id sat clare, etsi implicite, supponant, dum eius poenae finem numquam memorant et potius de eius duratione ut de duratione poenae peccati personalis gravis loquuntur.

POENA SENSUS: cruciatus *positive* (non mere *privative*, ut poena *damni*) inflictus, maxime ab igne. Est ergo maxime poena *physica*. Negatur decedentes cum solo peccato originali eam subire, cuiuscumque generis ea sit.

NEC PATIUNTUR ULLAM TRISTITIAM EX POENA DAMNI. Negatur decedentes cum solo peccato originali affici ullo dolore, qualis privationem beatitudinis supernaturalis ob culpam personalem consequitur in damnatis inferni.

Methodus theseos. Tribus assertis thesim concludimus, quorum unum est affirmativum, alia sunt exclusiva; decedentibus cum solo peccato originali est: 1) Poena *damni*. 2) Non vero poena *sensus*. 3) Nec dolor ex poena *damni*.

Pars I

DECEDENTES CUM SOLO PECCATO ORIGINALI SUBEUNT POENAM DAMNI

1002. *Adversarii. Pelagiani* (cf. n.696).

1003. *Doctrina Ecclesiae*. S.INNOCENTIUS I (R 2016): «Illud vero quod eos (*Pelagianos*) vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuum est».

C.Carthaginense XVI (D 102 not.4): «Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* [Io 14,2], ut intelligatur quia in regno caelorum erit aliquis medius aut ullus alicubi locus, ubi beati vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, A.S. Nam cum Dominus dicit: *Nisi quis renatus fuerit*

ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum caelorum [Io 3,5], quis catholicus dubitet participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret»².

C.Lugdunense II (D 464): «Credimus... Illorum autem animas, qui post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam... sunt purgatae, mox in caelum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas» (cf. *C.Florentinum*, D 693; IOANNES XXII, D 493a).

Ergo eae animae non adeunt caelum, sed infernum, et quidem ibi puniendae; ergo saltem non fruuntur Deo.

Quidam recenter tenuerunt animis infantum defunctorum infectis peccato originali offerendam esse vel primo instanti post mortem (nisi forte iam in ipsa morte) vel dein v.gr. occasione resurrectionis generalis locum liberae conversioni ad Deum; nec enim CC.Lugdunense et Florentinum verbis allatis definiunt durationem aeternam limbi, imo (iuxta Laurence) nihil de sorte illorum infantium^{2*}. At sine solida ratione negatur eam damnationem doceri ut aeternam, cum, quin ulla ei addatur limitatio, ponatur ea in eadem linea ac peccatoris personalis damnatio, quae sine dubio implicite docetur ut aeterna. Iis vero documentis contineri definitionem de sorte illorum infantium communissime tenetur.

INNOCENTIUS III (D 410): «Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus...»

C.Tridentinum (D 791): «Si quis... dicit in remissionem quidem peccatorum eos [i.e. parvulos recentes ab uteris matrum] baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam... A.S.»

C.Coloniense prov. (1860): «Infantes... a regno caelesti i.e. a beatitudine supernaturali excludi, si baptismum non regene-

² Hic canon iam ut authenticus habetur. Cf. HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles* 2 (Paris 1908) p.191 not.1; AMANN, *Milève (Conciles de)*: DTC 10,1754-1758; GAUDEL, l.c., 386; DE PLINVAL, *Pelège*... 325; PIAULT, l.c., 510-514; JOURNET, *La volonté divine salvifique sur les petits enfants* (Bruges 1958) 155-158.160-163; A.PEREQ, S.I., *Esiste un sostitutivo del battesimo per la giustificazione dei bambini?*: Div 4 (1960) 569. Pro Pelagio vita aeterna seu ille tertius locus non erat poena, sed locus inferior in caelo: A.CORTICELLI, l.c., 138. In genere de tota controversia pelagiana cf. G.J.DYER, *The Denial of Limbo and the Jansenist Controversy* (Mundelein 1955) 1-38.

^{2*} M.LAURENCE, S.M., *Esquisse d'une étude sur le sort des enfants morts sans baptême*: AnnTh (1952) 1508.157.169-171.183-185; B.SCHULER, *Das Schicksal der ungetauften Kinder*: MünchThZ 7 (1956) 120-129; V.WILKIN, S.I., *From Limbo to Heaven* (London 1961). P.MINGES, O.F.M., *Compendium theologiae dogmaticae specialis*, 2 (Ratisbonae 1922) n.314, quin admittat eos «pueros adhuc inter vivos constitutos aliquo medio extraordinario posse salvari», dicit de iam commorantibus in limbo: «Forsitan possibile sit, eos salvos fieri, si... iusti viatores pro eis merita et pretiosum sanguinem Iesu Ch. Deo offerunt». Quod etiam mitius assertum videtur carere solido fundamento.

rati discedunt, fides docet. Haec porro muneris gratuiti... privato, quum Adami praevaricatione effecta sit, damnationis et poenae rationem habet et nomen».

C. *Vaticanum* praecise «cum... damnatione errorum circa peccatum originale simul doctrinam fidei de aeternitate poenae quibuslibet peccatis gravibus debitae inculcare» constituit, ita ut his incipiat verbis C. Florentini: «Imprimis itaque fide catholica credendum est, illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas...», ita ergo ut ex his et ex tota posteriore eius doctrinae expositione et ex actorum declaratione vellet ea definitione etiam concludere ut peccati originalis poenam exclusionem a caelo et quidem aeternam. In eo autem schemate iam reformato: idem clarius sic docebatur: «Etiam qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in aeternum carebunt»³.

Prus XII: «In hac oeconomia nullum aliud est medium infundendi hanc vitam [supernaturalem] infanti adhuc carenti rationis usu. Et tamen status gratiae in momento mortis est absolute necessarius ad salutem: sine eo non est possibile obtinere felicitatem supernaturalem, visionem beatificam Dei...»^{3*}.

N.B. His documentis statuitur omnes decedentes cum solo peccato originali damnari. At *de facto* sunt saltem aliqui sic decedentes? Sensus naturalis documentorum id videtur supponere. At ea est alia quaestio, de qua hic non agitur, quaeque est saltem theorie distincta ab illa nostra.

S.C. *Sti. Officii*: «Mos alicubi invaluit differendi collationem baptismatis ob confictas rationes vel commoditatis vel indolis liturgicae. Cui dilationi favere queunt nonnullae sententiae, solido quidem fundamento carentes, de sorte aeterna infantum sine baptismo decedentium. Quare haec S.S. Congregatio, S. Pontifice adprobante, christifideles monet infantes quamprimum baptizandos esse...»

Notetur in his eam curam Ecclesiae de baptismo infantibus tempestive conferendo respicere ipsam sortem aeternam eorum.

Ius Can. (can. 1239): «§ 1. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint.

§ 2. Catechumeni qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizati accensendi sunt».

³ C. *Colonense*: CL 5,320; C. *Vaticanum*: CL 7,517-550s.565.

^{3*} Prus XII, Alloc. conventui Unionis Cath. Ital. inter obstetr.: AAS 43 (1951) 841; «Nella presente economia non vi è altro mezzo per comunicare questa vita [soprannaturale] al bambino, che non ha ancora l'uso della ragione. E tuttavia lo stato di grazia nel momento della morte è assolutamente necessario per la salvezza: senza di esso non è possibile di giungere alla felicità soprannaturale, alla visione beatifica di Dio...» Cf. MICHEL, *Enfants morts sans baptême*: AmCl 66 (1956) 453s. De *Sto. Officio* cf. AAS 50 (1958) 114.

Haec diversa ratio agendi erga non baptizatos sive infantes sive catechumenos, vix videretur explicari, si ex sua traditione Ecclesia putaret eos infantes ordinarie vel salvari vel saltem facile posse salvari etiam sine baptismo in re v.gr. in voto⁴.

1004. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 102 not.4: explicite; D 464 693: directe implicite; D 791: indirecte implicite). His definiri etiam aeternitatem poenae damnatorum limbo, communissime tenetur^{4*}. Secus, thesis est saltem *certa in theologia*.

1005. Probatur ex sacra Scriptura. Io 3,5: *Amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Nec Scriptura separat regnum caelorum a vita aeterna, sed potius ea identificat, cum inducat adeuntes illud (Mt 25,34: *possidete paratum vobis regnum*) ut obtinentes hanc (25,46: *iusti autem in vitam aeternam*).

1006. Probatur ex traditione. Ex SS. Patribus, antepelagiani rem vix tangunt, alii vero hanc partem vel explicite docent vel saltem implicite, quatenus dicunt infantes non baptizatos puniri vel damnari, quod sane beatis non competit:

S. GREGORIUS NAZ. (R 1012): «Futurum existimo ut... postremi [i.e. non baptizati] propter infantiam fortasse vel propter involuntarium prorsus aliquem casum]... nec glorificentur nec suppliciis a iusto iudice afficiantur...»

S. FULGENTIUS (R 2271): «Firmissime tene... etiam parvulos, qui sive in uteris matrum moriuntur sive iam de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis... de hoc saeculo trans-eunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos».

S. AUGUSTINUS (R 1441): «Causa... reddenda est, quare damnentur animae quae novae creantur singulis quibusque nascentibus, si praeter Christi sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta scriptura et sancta est testis ecclesia».

Hinc (R 1878): «Non baptizati parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque caelorum quietis vel felicitatis

⁴ S. *Officium*: AAS 50 (1958) 114. Tamen de Cod. Iur. Can. cf. D. FERNÁNDEZ, *Destino...* 40; REGINA, l.c., 88.91.

^{4*} Sic M. FERNÁNDEZ, *A propósito de una teoría reciente sobre la suerte de los niños que mueren sin bautismo*: RevEspT 15 (1955) 271-294; LÓPEZ, o.c., 82; J. M. SAIZ, *En torno a los niños que mueren sin bautismo*: EstEcl 32 (1958) 43-45; etc. Cf. et MICHEL, *Sur les limbes*: AmCl 65 (1955) 268; Id., *Purgatoire*: DTC 13, 1249s; GAUDEL, *Limbes*: DTC 9, 769s; J. RIVIÈRE, *Jugement*: DTC 8, 1724; VAN ROO: Greg 43 (1962) 126; qui omnes videntur idem sentire. Dubitant de definitione quoad eam durationem D. FERNÁNDEZ, C.M.F., *Destino eterno de los niños que mueren sin bautismo*: RevEspT 21 (1961) 128; G. REGINA, *La sorte eterna dei bambini che muoiono senza batesimo*: ScuoCatt 86 (1958) 105.

cuiuslibet atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim iis etiam haeresis pelagiana promisit).

Ceterum Patres rem docent, dum baptismi necessitatem ad regnum caelorum exprimunt⁵.

1007. Ratio theologica. In hac providentia beatitudinis supernaturalis nequit obtineri sine gratia sanctificante. Sed decedens in peccato originali hanc non habet. Ergo decedens in peccato originali nequit beatitudinem supernaturalem obtinere (*De malo* q.5 a.1).

1008. Obiectiones. 1. Poena infantum personaliter non peccantium debet esse mitissima. At privatio beatitudinis supernaturalis est poena gravissima. Ergo poena illorum infantum non est privatio beatitudinis supernaturalis.

Dist. mai. Poena infantum sine peccato personali debet esse mitissima obiective, *nego*; subiective, *subdist.*: comparative, seu per relationem ad poenam damnatorum ob peccata personalia, *conc.*; absolute, seu in se, *nego*.

Poena *damni*, ut est mera privatio boni quo privat, est semper *obiective* maxima; at *subiective* seu ratione afflictionis illatae, est maxima in damnatis inferni et in animabus purgatorii, non vero in infantibus non baptizatis. Item damnati ob peccata personalia subeunt poenam sensus (*De malo* q.5 a.1 ad 3).

2. Peccatum originale levius est peccato veniali. At peccatum veniale non punitur poena *damni*. Ergo nec peccatum originale.

Dist. mai. Peccatum originale est levius peccato veniali, si respicitur in singulis personis, *conc.*; relate ad naturam, *nego*.

Illud peccatum cum non sit personaliter voluntarium singulis personis, est singulis levius quam veniale et sic minore poenam meretur; at relate ad naturam est gravius, cum sit reiectio gratiae, et sic mereatur pro tota natura privationem ipsius gratiae atque gloriae illam consequentis, quam poenam veniale peccatum non habet (*De malo* q.5 a.1 ad 9).

3. Iuxta S.Thomam, peccato originali non debetur poena aeterna (1.2 q.85 a.5 ad 2). Ergo poena *damni* non est saltem aeterna.

Dist. mai. Iuxta S.Thomam, «peccato originali non debetur poena aeterna ratione suae gravitatis», *conc.*; «ratione conditionis subiecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam solum fit remissio poenae», *nego*.

Pariter S.Doctor agens de veniali peccato, ait (*ibid.*, ad 3): «Aeternitas enim poenae non respondet quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius». Ceterum nos putamus peccato originali deberi formaliter privationem aeternam gloriae, posito decreto Dei elevationem totalem hominum ad ordinem supernaturalem alligantis voluntati Aadae.

⁵ Cf. G.BAREILLE, *Baptême d'après les Pères grecs et latins*: DTC 2,178-219; J.ESPEJA, O.P., *La suerte de los niños que mueren sin bautismo*: CiencTom 89 (1962) 585-590.

Pars 2

DECEDENTES CUM SOLO PECCATO ORIGINALI NON SUBEUNT POENAM SENSUS

1009. Adversarii. Ex Patribus citantur SS.AUGUSTINUS, FULGENTIUS (R 2271), GREGORIUS M., ISIDORUS^{5*}. Ex theologis S.ANSELMUS, GREGORIUS ARIMINENSIS, DRIEDO, SYLVIUS, PETAVIUS, et maxime *Augustinenses*, ut NORIS, BERTI⁶. Rem in medio relinquunt GOTTI, ESTIUS et, etsi id mirum videatur, is qui antonomastice vocatur «tortor infantum», GREGORIUS ARIMINENSIS^{6*}.

Non accensemus adversariis eos veteres auctores v.gr. Alexandrum Halensem, S.Bonaventuram, D.Soto, Salmanticenses, qui, dum infantes ab omni poena positiva eximunt, eos in tenebris ponunt⁷.

1010. Doctrina Ecclesiae. Ex pluribus documentis Ecclesiae sortem infantum sine baptismo decedentium loquentibus nullum saltem clare eximit eos a poena sensus. Pius VI (D 1526): «Doctrina quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant) in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena *damni* citra poenam ignis puniatur; perinde ac si hoc ipso, quod, qui poenam ignis remonent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur pelagiani: falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa».

Ergo opinio limbi est *saltem tuta*. Sed ea damnatio non videtur esse sumenda ut approbatio positiva opinionis scholasticorum de limbo, nam directe solum tendit ad eam a nota semipelagianismi tuendam. Ceterum Ecclesia doctrinam Augustinensium (quae etiam poenam sensus infantibus sine baptismo decedentibus tribuebant) nulla censura esse dignam iudicarat^{7*}.

^{5*} S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont. Iul.* 2,117; 3,199; ML 45,1191-1333; *Cont. Iul.* 6,3,6s; ML 44,824; *Sermo* 294 n.2-4; ML 38,1336-1338; *De pecc. mer. et rem.* 1,28,55; 3,4,7s; ML 49,140s.189s; *De anima* 1,9,11; 2,12,17; ML 44,481.505s; S.GREGORIUS M., *Mor.* 9, 21,32; ML 75,877; S.ISIDORUS HISP., *Sent.* 1,22; ML 83,588; S.HIERONYMUS, *Dial. advers. pelag.* 3,17; ML 23,587. Cf. BÉLLAMY, l.c., 368s.

⁶ S.ANSELMUS, *De concept. virgin. et orig. pecc.* 23; ML 158,457; GREGORIUS ARIM., *In* 2 d.33 q.3; J.DRIEDO, *De gratia et lib. arbit.* l.3 c.2; SYLVIUS, *In partem prim. sec.* q.85 a.6 quaer.2; PETAVIUS, *De Deo* l.9 c.10; NORIS, l.c., c.3 § 5; BERTI, *De theol. discip.* l.13 c.8. Plures auctores in iis citat G.J.DYER, *The Denial of Limbo and the Jansenist Controversy* (Mundelein 1955) c.3; *Id.*, *Limbo*: 33-37.

^{6*} GOTTI, *Theologia scholastico-dogmatica* I tr.10 q.10 dub.3 § 4; G.ESTIUS, *In Sent.* 2 d.33 q.8: cf. de eo FERRER, o.c., 131s; GREGORIUS ARIM., *In* 2 d.30 q.3; de eo cf. D.TRAPP, O.E.S.A., *New Approaches to Gregory of Rimini*: August 2 (1962) 114-116; *Id.*, *Gregorio de Rimini y el nominalismo*: August 4 (1964) 5.

⁷ ALEXANDER HAL., *Summa theol.* p.2 q.105 n.10 § 1; S.BONAVENTURA, *In* 2 d.33 a.3 q.1; D.SOTO, o.c., l.1 c.14; SALMANTICENSES, *De vitii et peccatis*, d.18 dub.3 § 3 n.107.

^{7*} Cf. MICHEL, l.c., 453; DYER, o.c., c.4s; *Id.*, *Limbo: a theological evaluation*: ThSt 19 (1958) 39-45; *Id.*, *The Unbaptized...* 145s; VAN ROO, l.c., 475s. Immerito ergo quidam aucto-

INNOCENTIUS III, extollens directe discrimen inter peccatum originale et actuale quoad eorum indolem, modum remissionis, haec absolute statuit quoad poenam (D 410): «Poenam originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poenae peccati est gehennae perpetuae cruciatus».

Statuitur ergo poena *propria* peccati originalis. Actualis peccati sola poena sensus memoratur, sine dubio ut pateat eam esse propriam istius solius peccati.

C.Lugdunense II (D 464): «Credimus... Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas» (cf. C.Florentinum, D 623; IOANNES XXII, D 493a).

Ea disparitas poenae inter peccatum mortale et originale inepte diceretur esse mere *intensiva*, cum haec etiam inter sola peccata personalia detur, nec potius *specificata*, quae congruenter in eo solo reponeretur, quod peccatum originale *sola poena damni puniatur*⁸.

PIUS IX (D 1677) efferens possibilitatem salutis eorum qui, ignorantes invincibiliter nostram religionem, honeste tamen vivunt, dat rationem: «Cum Deus, qui omnium mentes... noscit, pro summa sua bonitate... minime patiat, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat». Quae etsi directe non sint de infantibus, includunt illud principium, quod in iis quae *debentur* personae relate ad finem ultimum nemo accipit detrimentum ex peccato alius hominis; at poena sensus esset tale detrimentum.

1011. Valor theologicus. *Fere communis et moraliter certa.* Iuxta Michel, existentia limbi (ergo et absentia poenae sensus) est doctrina communiter recepta in Ecclesia, ita ut eam negare sit graviter temerarium. Iuxta Dyer, hodie, etsi varie qualificetur thesis negationis poenae ignis, unanimiter tenetur ita ut ex hodiernis catechismis nullus eam poenam statuatur, sed omnes videantur eam excludere; ipse vero eam non audet certam, sed tutam et communiter acceptam declarare⁹.

Eam plerique tenuerunt v.gr. Abaelardus, Lombardus, Guilielmus Altissiodorensis, S.Albertus M., S.Thomas, S.Bona-

res putarunt ea damnatione doctrinam limbi approbari ab Ecclesia, ut nunc JOURNET, *La volonté...* 159s.

⁸ PALMIERI, th.17 n.2; GAUDEL, *Limbes*: DTC 9,766; N.LÓPEZ, *El más allá de los niños. Problemas escatológicos de la infancia* (Burgos 1955) 82-86. Cf. tamen G.MULDERS, S.I., *Rond het Limbus-vaagstuk*: Bijdr 9 (1948) 214.

⁹ Cf. BÉLLAMY, l.c., 366; MICHEL, l.c., 454; ID., *Enfants morts sans baptême* 44; DYER, *Limbo...* 46-49; ID., *The Unbaptized Infant in Eternity*: ChicSt 2 (1963) 146.

ventura, Scotus, D.Soto, Bellarmino, Suárez, Vázquez, Lessius, Salmanticenses, Billuart¹⁰, et moderni communiter.

1012. Probatur ex sacra Scriptura. Negative: a) Non constat peccato originali assignari explicite vel implicite nisi poenam damni. Io. 3,5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

b) Ubi memoratur poena sensus, non respiciuntur nisi peccata personalia v.gr. Mt 25,41-46: *Discedite... in ignem aeternum...*; *esurivi enim...* Pariter Lc 16,22-24; Mt 5,29s; Mc 9,42-47.

Probatur ex traditione. S.GREGORIUS NAZ. (R 1012, cf. supra n.1006).

S.GREGORIUS NYSS. idem supponit, indicans eos infantes habituros esse cognitionem ac participationem Dei, naturalis vitae animae, et futuros esse capaces progrediendi in ea¹¹.

AMBROSIASTER idem supponit dicens: «Est et alia mors quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur»¹².

1013. Ratio theologica. 1) Homo nequit, nisi ob *personale* peccatum, pati detrimentum in *naturalibus* saltem ubi agitur de fine ultimo etiam mere materialiter obtinendo, quia eae perfectiones sunt debitaee personae ut tali, sunt propter eam ac aliquid eius, et quidem tandem in connexionione cum ultimo fine personae humanae obtinendo ac fruitione possidendo; sane in iis quae sunt de fine ultimo ad quem homo ex praecepto divino debet tendere et quidem libere, ille nequit sine contradictione in conceptu verae providentiae pendere ab aliena voluntate creata; quod a fortiori valet, si ageretur de dependentia omnium hominum ab uno actu personali et unius hominis et quidem innumeris saeculis praecedentis eisdem. At poena sensus infert tale detrimentum, et quidem quoad finem ultimum saltem materialiter obtinendum, cum sit privatio bonae habitudinis et integritatis naturae. Ergo homo nequit nisi ob personale peccatum pati poena sensus.

¹⁰ ABaelARDUS, *Expositio in epist. ad Rom.* l.2 c.5: ML 179,870; P.LombARDUS, l.2 d.33 n.6; GULIELMUS ALTISS., *Summa aurea* (Paris 1500) p.2 tr.27 c.1 fol.88r; S.ALBERTUS M., *In 4 d.4 a.8*; S.Th., *In 2 d.33 q.2 a.2*; *De malo* q.5 a.2 (ubi ea opinio dicitur «communiter teneri»); 3 q.1 a.4 ad 2; S.BONAVENTURA, *In 2 d.33 a.3 q.1*; SCOTUS, *In 2 d.33*; D.SOTO, l.c., l.1 c.14 («ferme theologi»); BELLARMINO, l.c., l.6 c.4 (dicens thesim contrariam passim reici a theologis); SUÁREZ, l.c., d.9 s.4; VÁZQUEZ, *In 1.2 d.134 c.3*; LESSIUS, l.c., l.13 c.22 n.143; SALMANTICENSIS, l.c., d.18 dub.3 § 1; BILLUART, *De peccatis*, diss.7 a.6 § 1. In C.Tridentino eadem opinio erat moraliter communis, ut notat PENAGOS, l.c., 185s.

¹¹ S.GREGORIUS NYSS., *De infantibus praemature abreptis*: ML 46,177.180s; TIXERONT, 2 p.142s. Cf. et de aliis BÉLLAMY, 367.

¹² AMBROSIASTER, *In Rom.* 5,12: ML 17,92.

2) Poena proportionatur culpa. Unde peccato personali in quo est et aversio a Deo et conversio ad creaturam, assignatur et poena damni ob aversionem et poena sensus ob inordinatam delectationem conversionis. At in culpa originali non est nisi aversio a Deo sine conversione ad creaturam. Ergo ei non assignatur nisi poena damni (2 d.33 q.2 a.1; *De malo* q.5 a.2).

1014. Obiectiones. 1. In varia descriptione scripturistica ultimi iudicii non sunt nisi duo extrema sine ullo medio: dextra ad vitam aeternam pro bonis et sinistra ad ignem inferni pro malis (Mt 25,32-46; 3,12; 13,49; Apoc 20,15). At decedentes cum solo peccato originali non sunt ad dextram, ex parte prima. Ergo sunt ad sinistram.

Dist. mai. In descriptione iudicii non est nisi dextra et sinistra, ita vero ut ibi agatur formaliter et directe de *adultis*, seu de *personaliter* operantibus bene vel male, *conc.*; secus, *nego*.

Sane agitur: a) In Mt 25,32-46, de omittentibus voluntarie opera caritatis. b) In Mt 3,12, de iis qui debent agere paenitentiam et in hanc baptizari (v.11). c) In Mt 13,49, de malis et quidem facientibus iniquitatem (v.38-43); immo de malis qui sunt in Ecclesia, in qua vero non sunt infantes non baptizati. d) In Apoc 20,15, de iudicatis «secundum opera ipsorum» (v.13; cf. et 21,8).

Ceterum etiam in nostra thesi non sunt nisi aut electi aut damnati; sed damnati *disparibus* poenis puniuntur. Si ergo textus obiecti et de infantibus non baptizatis sumantur, ignis pro iis est idem ac poena damni, ne puniantur poena sensus quam suis actibus personalibus non meriti sunt.

2. Ex *C.Lugdunensi II* (D 464) animae decedentium «in mortali peccato vel cum solo originali» pariter «in infernum descendunt». Ergo pariter puniuntur poena sensus.

Dist. mai. Animae decedentium in peccato sive mortali sive solo originali descendunt in infernum pariter puniendi poenis iisdem, *nego*; *disparibus*, *subdist.*: specificae, *conc.*; mere intensive, *nego*.

Nec ii infantes dicuntur torqueri, sed *puniri*, quod vel sine poenis *positivis* esse potest. Et recte tamen dicuntur ii esse in *inferno*, qua voce indicetur simpliciter sors damnatorum (ob peccata personalia vel ob solum originale) iis sive in diversis partibus eiusdem loci, sive diversis locis subeunda¹³.

3. *C.Carthaginense XVI* (D 102 not.4): «Cum Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum caelorum*, quis catholicus dubitet participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret».

In his decedenti infanti non baptizato tribuitur manifeste sinistra, seu sors damnatorum inferni. Ergo et poena sensus.

Dist. mai. Decedenti infanti non baptizato tribuitur sinistra, quia sic negatur locus medius pelagianorum (i.e. vita aeterna inter regnum caelorum et infernum data infanti non baptizato), *conc.*; quatenus praeterea ei assignantur eadem poenae ac damnatis inferni, *nego*.

Ut patet ex toto canone, in eo intenditur excludi locus ille medius pelagianorum, quin ulterius ibi determinetur in concreto sors poenalis infantis non baptizati¹⁴.

1015. 4. At Patres, quibus accedit S.Anselmus, sunt contra thesim, proportionatur (cf. supra n.1009). Ergo haec reiicienda est.

¹³ Cf. BÉLLAMY, 3718; AMANN: DTC 9,766s.

¹⁴ Cf. BÉLLAMY, 368; AMANN, 762-764.

Dist. mai. Sunt contra thesim Patres graeci, *nego*; latini, *subdist.*: omnes, *nego*; aliqui, *iterum subdist.*: de quorum mens in hac re certo constet, *nego*; secus, *trans*.

Ex Patribus graecis nemo contra thesim citatur. Thesis vero impune teneretur, etiam stantibus aliquibus Patribus latinis qui contra eam proferuntur (D 1526). At suntne ii de facto thesi nostrae contrarii?

a) S.Augustinus, dux eorum qui tortores infantium vocantur, initio (ante suum episcopatum) videtur tribuisse his, si decedant sine baptismo, «mediam iudicis sententiam inter praemium et supplicium»¹⁵. At dein in controversia pelagiana assignat eis damnationem ignis inferni, quin admittat nisi dextram aut sinistram, ut patet ex locis obiectis. Sed volens ita poenam *positivam* indicare?

Si ulterius res perspiciatur, ipse iis infantibus certo assignat explicite vel aequivalenter privationis Dei poenam et quidem quae sit magna¹⁶. Aliunde ii erunt «in damnatione omnium levissima» (R 1908) et «mitissima sane omnium poena erit eorum» (R 1924). Haec ergo habet ipse ut *certa*.

At poenas infantium magis determinare non audet: «Cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coartor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio»¹⁷. Et haeret anceps de eius poenae quantitate ac qualitate, nec audet dicere melius esse ob eam non esse quam esse: «Quae, qualis et quanta erit (damnatio illa) quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent, potius expedire» (R 1908).

His positis, Augustinus asserit poenas *positivas* distinctas a damnatione in genere, iuxta Faure, Sardagna, Kors, Gaudel, forte Portalíé¹⁸. Cum vero ea quaestio ab ipso expresse non proponatur, censemus potius illum ideam ipsi non esse tribuendam donec probetur¹⁹. Et si forte «nomen tormenti, supplicii, gehennae et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum invenitur» non accipitur «large... pro poena, ut ponatur species pro genere» (*De malo* q.5 a.2 ad 1), saltem clare non constat de mente ipsius contraria, vel saltem haesitat in ea re²⁰.

b) Nec S.Gregorius M. verbis «aeterna mors sequitur... perpetua... tormenta percipiunt»²¹, indicat poenam sensus, cum alibi²² supponat iustos V.T. non subire poenas positivas, quia nonnisi peccatum originale habeant. Nec S.Isidorus verbis «luunt in inferno... poenas», nec S.Anselmus verbis «in inferno torqueri», eam necessario tradunt, cum ea verba de sola exclusionis a caelo valere queant.

c) Unus est S.Fulgentius aptius obiciendus, qui tamen, S.Augustinum magistrum sequens, non putandus est determinatius quam ille loqui.

¹⁵ S.AUGUSTINUS, *De libero arbitrio* 3,23,66: ML 32,1304.

¹⁶ S.AUGUSTINUS, *Op. imperf. cont. Iul.* 1,136: ML 45,1333; *Cont. Iul.* 3,3,9; 5,1,4; 5,15,56: ML 44,706.784.815.

¹⁷ S.AUGUSTINUS, *Epist.* 166,6,16: ML 33,727. Cf. PIAULT, 498-505. De tota controversia antiqua cf. DYER, *The Denial...* 1-37.

¹⁸ J.B.FAURE, S.I., *Enchiridion de fide, spe et caritate* c.93 (Neapoli 1847) p.176-178; C.SARDAGNA, S.I., *Theologia dogmatico-polemica* 4 (Romae 1820) n.64; KORS, p.22; GAUDEL, 400; PORTALIÉ, 2397.

¹⁹ Cf. MERLIN, o.c., p.418-424. Iuxta F.CAYRE, *Une rétractation de Saint Augustin: AnnThAug (1952) 131-143*, ante episcopatum tenuerat statum medium inter caelum et infernum; at occasione Pelagianismi docuit pro infante non baptizato mitissimum quamdam realem damnationem.

²⁰ PALMIERI, l.c., n.3-5; BOYER, 395s; O'CONNOR, l.c., 44-48. Ipsi augustiniani seu directi discipuli S.Doctoris dissentient de mente eius: iuxta alios docet poenam sensus, etsi levissimam, iuxta alios vero non, vel ad summum dubitat de ea, ut v.gr., DEL VAL, o.c., n.196fs: de quo cf. PRIETO, l.c., 673s; in genere de iis cf. G.DÍAZ, O.S.A., *Tradición agustiniana acerca de los niños que mueren sin bautismo*: CiuD 175 (1962) 201-228.

²¹ S.GREGORIUS M., *Mor.* 9,21,32: ML 75,877.

²² S.GREGORIUS M., *Mor.* 12,9,13; 44,49: ML 75,292s.1038.

5. Parvuli patiuntur in hac vita ob peccatum originale multiplicem poenam sensus. Ergo a fortiori in altera vita.

Dist. mai. Parvuli patiuntur in hac vita ob peccatum originale poenam sensus *privativam*, seu consequenter annexam privationi iustitiae originalis, *conc.*; *positivam*, seu impositam in privationem bonorum naturalium, *nego*.

Poenam proximam ac formaliter debitam peccato originali est sola *privatio iustitiae originalis*; mors ergo ac aliae miseriae huius vitae non sunt formaliter poenae *positive* inflictæ, sed *consecrataria* poenae seu *penalitates*. Quae post baptismum ad exercitium virtutis seu ut quaedam poena medicinalis manent.

Item nec ex eo quod infantes multa hic patiuntur sequitur eos in futura vita debere ea vel iis graviora pati, nam in altera vita, quae, post statum probationis est requies vel damnationis, nihil cruciat ex vi naturae, sed solum ex iustitia Dei; haec vero non exigit in istis parvulis poenam sensus (2 d.33 q.2 a.1; *De malo* q.5 a.2 ad 5) et ideo ii nihil patientur, etsi habeant corpora passibilia nec exigentia dotes corporis gloriosi. Ceterum in hac vita infantes baptizati eadem materialiter patiuntur ac non baptizati.

6. Peccatum originale, cum sit aversio a Deo, est gravius peccato veniali. At hoc punitur poena sensus. Ergo et illud.

Dist. mai. Peccatum originale ut aversio a Deo est gravius peccato veniali, *conc.*; ut conversio ad creaturam, *nego*.

Dum in peccato veniali est ea conversio, in originali ea dest et ideo etiam reatus poenae sensus illi respondens. Tamen infans lapsus punitur gravius homine decedente, qui careret peccato et gratia, nam hic mere *careret* gloria, dum ille ea *privaretur* in poenam; nam infans ille lapsus est *filiius irae* (homo vero purus non est), sed *ira Dei* non est nisi decretum damnans poena damni vel et sensus peccatum pro huius diversa ratione (peccati originalis vel personalis)²³.

7. Iniumtum esset infantem poena aeterna damnare, sine ulla culpa personali et sine ulla possibilitate salutis. Ergo id non est admittendum.

Dist. mai. Iniumtum esset infantem culpa personali carentem damnare poena positiva, *conc.*; poena privativa. *subdist.*: si agitur de privatione boni naturalis debiti, *conc.*; si agitur de privatione boni supernaturalis, *nego*.

Ut diximus de iustitia originali, si gloria est *supernaturalis*, consecutio eius potest a Deo sine ulla iniustitia alligari voluntati alienae. Ea privatio est *poena*, quatenus sic vocari potest privatio boni *indebiti* ob aliquam culpam, et est *damnatio*, quatenus sic vocari potest ultimi finis indebiti privatio ob aliquam culpam. Pariter *esse sub potestate diaboli* potest recte sumi de eo qui est in poena damni, eo quod a diabolo in Ada victus sit²⁴.

Pars 3

DECEDENTES CUM SOLO PECCATO ORIGINALI NULLAM TRISTITIAM PATIUNTUR EX POENA DAMNI

1016. *Adversarii.* Quidam putant eos infantes aliquo affici dolore ex poena damni, etsi mitissimo v.gr. BELLARMINUS, ESTIUS, WIRCEBURGENSES, ESPARZA²⁵.

1017. *Valor theologicus.* Longe *communior* et *probabilior*. Eam tenent v.gr. S.Th. (2 d.33 q.2 a.2s; *De malo* q.5 a.3), Suárez, Lessius, Gotti, Mendive, Beraza, Billot²⁶, alii plurimi.

1018. *Ratio theologica.* 1) Ex dictis supra (n.1013) homo ob solum peccatum originale nulla perfectione naturali privatur maxime saltem ubi agitur de fine ultimo. At tristitia est privatio perfectionis naturalis, nempe gaudii ac pacis, et quidem quoad fine ultimum. Ergo homo ob solum peccatum originale non punitur tristitia.

2) Eadem ratione infantes eximendi sunt a tristitia ac a poena sensus, «quia dolor poenae delectatione culpae respondet; unde delectatione remota a culpa originali, omnis dolor ab eius poena excluditur» (2 d.33 q.2 a.2).

3) Si infantes lapsi ignorant gloriam sanctis praeparatam (ut putat S.Th., *De malo* q.5 a.3), ignoti nulla cupido, ergo nec tristitia; si vero eam norunt (ut primo putarat S.Th., 2 d.33 q.2 a.2), non dolent de carentia boni iis, sine culpa personali eorum, ob defectum gratiae indebiti et improporionati, cum in statu termini sine ullo peccato actuali censeantur usum perfectum *rectae* rationis habere, et ideo etiam intelligant Deum iustum ac bonum ita res ordinasse.

4) Ob peccatum originale nemo punitur poena sensus, iuxta adversarios. At dolor ex poena damni est gravior poena sensus. Ergo immerito negatur haec, affirmatur ille (S.Th., *ibid.*).

1019. *Obiectiones.* 1. Illa tristitia est mitissima. Ergo nihil impedit quin ea admittatur.

Nego mai. «Talis dolor parvus esse non potest de tanti boni amissione, et praecipue sine spe recuperationis; unde poena eorum non esset mitissima» (2 d.33 q.2 a.2).

2. Naturale est dolere de privatione boni nobis destinati. Ergo infantes gloria privati putandi sunt de hoc dolere.

Dist. mai. Naturale est dolere de privatione boni nobis destinati, habita ratione dolendi, *conc.*; ea non habita, *subdist.*: naturale est dolere naturae tota perfectione sibi debita nondum ornatae, *conc.*; naturae ultimo perfectae, qualis est infanti posito in statu termini, *nego*.

Nec constat eos infantes nosse suam ordinationem ad gloriam²⁷.

3. Animae purgatorii dolent de sua privatione gloriae. Ergo et infantes hanc non consecuti.

Dist. mai. Animae purgatorii dolent de privatione gloriae ob peccata sua personalia, *conc.*; secus, *nego*.

²⁶ SUÁREZ, *l.c.*, d.9 s.2 n.21; s.6 n.6; LESSIUS, *l.c.*, n.144s; GONET, *Glypeus*, 3 tr.5 d.7 a.7 § 5.7s; GOTTI, *l.c.*, dub.3 § 5; MENDIVE, *De Deo Creatore*, tr.2 diss.2 th.2; BERAZA, *l.c.*; BILLOT, *De personali et originali peccato* th.12 § 2.

²⁷ S.Th., *De malo* q.5 a.2 (tamen cf. 2 d.33 q.2 a.2.3); SCOTUS, *In* 2 d.33 n.4. De mente Thomae in hac re cf. ALFARO, *Lo natural...* 252-257.

²³ Cf. SCOTUS, *In* 2 d.33 n.5.

²⁴ BECKER, *Der Schuldcharakter...* ZkathTh 48 (1924) 83-88; PALMIERI, *l.c.* n. 4.

²⁵ BELLARMINUS, *l.c.*, l.6 c.6; ESTIUS, *l.c.*, 2 d.33 § 9; cf. FERRER, *o.c.*, 1318; WIRCEBURGENSES, *De peccatis* n.146; ESPARZA, *l.c.*, l.4 q.9 a.1 ad 5; D.SOTO, *l.c.*, l.1 c.14 (id non excludens omnino).

Ceterum eae habent fidem, spem, caritatem, quibus ad Deum vehementer impelluntur.

1020. Scholion. Num infantes decedentes cum solo peccato originali sint naturaliter beati seu in possessione ultimi finis naturalis.

Ex eo quod ii infantes non subeant poenam sensus nec patientur ex poena damni, nondum sequitur eos nullo dolore affici et omni bono naturali ipsis congruenti frui, seu esse in beatitudine naturali. De huius enim ratione est, ut includat omne bonum rationabiliter naturae conveniens (v.gr. congruam Dei cognitionem ac annexum ei amorem) et excludat omne malum proprie dictum physicum ac morale ordinis naturalis.

In hoc ordine supernaturali non obtinens ultimum finem unicum, seu beatitudinem supernaturalem, nequit dici ultimum suum finem simpliciter attigisse et sic esse formaliter beatus, sed potius dicendus est formaliter damnatus, utpote qui ob culpam sit ultimo suo fine privatus. At potestne dici materialiter beatus, quasi obtineat bonum in quo beatitudo naturalis constitisset, quin status eius materialiter differat a statu felici, qui homini decedenti sine peccato et sine gratia ut ultimus finis competeret?

Multi respondent negative v.gr. Bellarminus asserens opinionem contrariam esse haereticam²⁸, Lemos, Gotti, Godoy, Petavius, Billuart, Wirceburgenses, Lépicier, Boyer, Schmid²⁹, etc.

Opinio vero communior («communis», ait Lercher) rem affirmat. Sic v.gr. Catharinus, Suárez, Molina, Lessius, Salmerón, et ex recentioribus multi apud Huarte, quibus accedunt Beraza, Lercher, Journet, López³⁰.

Posito enim peccato originali, naturalia manserunt integra. At in his ponenda est imprimis ordinatio hominis ad Deum ut auctorem naturae. Ergo peccatum originale non importat aversionem a Deo ut auctore naturae. Ergo decedens cum solo peccato originali fruatur omnibus bonis, quae in ordine naturali fuissent ultimi finis obtenti.

S.Thomas haec de iis infantibus: «Hoc quod per naturam habent, absque dolore possident» (*De malo* q.5 a.3). «Pueri... sunt... separati a Deo perpetuo quantum ad amissionem gloriae, quam ignorant, non tamen quantum ad participationem naturalium bonorum quae cognoscunt» (ibid., ad 4). «Quamvis... sint separati a Deo quantum ad illam coniunctionem quae est per gloriam, non tamen ab ea penitus sunt separati: immo sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione» (2 d.33 q.3 a.2 ad 5).

Nec dicas illos infantes esse aversos a fine ultimo; nam ea aversio sequitur naturam peccati avertentis, quod: si est actuale mortale, avertit a Deo etiam ut fine ultimo naturali ob transgressionem voluntariam praeepti naturalis, quo Deo mandatum etiam supernaturale imponenti obedire teneretur; si vero est originale, cum eam transgressionem non includat, non avertit a Deo nisi ut fine supernaturali et ideo non privat bonis ordinis naturalis.

²⁸ BELLARMINUS, *l.c.*, 1.6 c.2. Ipsum refutat PALMIERI (*l.c.*, n.4) ostendens opinionem beatitudinis naturalis non esse improbabilem.

²⁹ LEMOS, *l.c.*, t.2 p.2 tr.1 c.22; GOTTI, *l.c.*, dub.3 § 6; GODDY, *In r.2* q.83 tr.4 d.38 § 8s; PETAVIUS, *l.c.*, l.9 c.11; BILLUART, *l.c.*, a.6 diss.2; WIRCEBURGENSES, *l.c.*, n.136; LÉPICIER, *De peccato originali* q.7 a.4 n.5; BOYER, 428s; SCHMID, *l.c.*, p.255-277; recenter D.FERNÁNDEZ, *Destino...* 7-9.25-40s.

³⁰ CATHARINUS, de quo cf. SCARINCI; SUÁREZ, *l.c.*, d.9 s.2 n.21; s.6 n.6; MOLINA, *l.c.*, q.23 a.4-5 d.1 memb.9; LESSIUS, *l.c.*, n.144s; SALMERÓN, *o.c.*, Rom. 5 d.48 (in 5,12); HUARTE, n.507; BERAZA, n.922; LERCHER, n.679; JOURNET, *L'Église...* 2,774s; N.LÓPEZ, *o.c.*, 102-106, cui repugnat F.MUÑIZ, O.P.: Ang 33 (1956) 451, concedens iis infantibus *quamdam* felicitatem, at non ut in natura pura, et amore Dei ut finis ultimi naturae, at non efficacem ac perfectum; etiam *quamdam* felicitatem eis dat GARRIGOU-LAGRANGE, *De gratia* (Torino 1946) 410. S.Th. eis dat plenam naturalem: cf. ALFARO, *o.c.*, 258-260. Cf. BELLAMY, 376.

Nec nostra opinio agnoscit medium locum pelagianorum, cum in ea illi infantes sint vere damnati, seu extra vitam aeternam in poenam, quod Pelagiani negabant.

1021. Limbus et supernaturale. Haec omnia vehementer confirmantur et illuminantur ex eo quod ii infantes erant destinati ad Corpus Mysticum et proinde non sine relatione intima ad Christum, qui eos volebat fieri filios Dei adoptivos et visionem beatificam assequi, etsi illa destinatio consummationem suam non obtinuerit. Sed ii non sunt sine eximio influxu Christi, cuius virtute ac merito exempti sunt a concupiscentia et ab omni culpa personali etiam levissime veniali, a miseriis ac doloribus physicis, imo et mortem corporis superabunt per resurrectionem, maxime vero sunt in ea conditione qua habeant plenitudinem et quasi relativam consummationem humanam in assecutione Dei summi Boni per Ipsius profundam contemplationem ac purum benevolentiae amorem super omnia et iis annexam fruitionem (quibus ceterum non videatur necessario esse exclusa possibilitas indefiniti augmenti) etsi essentialiter distinctam a visione Dei supernaturali, imo sine dubio et a naturali immediata nisi forte haec in se esset possibilis³¹.

Ex illa ergo non maturata eorum destinatione ad Corpus Mysticum credi potest eos a caelitibus semper inspiciendos esse ut eius Corporis membra frustrata ac proinde non esse deserendos ab iis vel angelis vel suis parentibus vel aliis hominibus, qui eos suis colloquiis aut aliter de rebus naturalibus et forte etiam servata proportione de supernaturalibus illustrent. Nec ii sentiunt aliquam tristitiam ex sua privatione vitae supernaturalis caelitum, quam vel ignorant vel non nisi imperfecte norunt vel saltem non possunt eo absoluto ac efficaci appetere desiderio, quod eos vel tenuissime affligat; nec experiuntur ullam invidiam ex sua adeo inferiore conditione, quam enim plena animi serenitate respiciunt ut unam suae naturae iis adiunctis aptam et quidem ut valde convenientem ac iucundam, dum, cum sint in perfecta rectitudine rationis, gaudent potius vehementer quod opus Christi in aliis magnos fructus tulerit³².

Hinc *limbus puerorum* connotat directe eum statum simul privative ac supernaturaliter poenalem et naturaliter beatum infantium sine baptismo decedentium. Sed cum fontibus dicantur ii «in infernum descendere» (D 464 693), ii censentur esse in aliquo loco, qui illo nomine «limbus puerorum» vel etiam «infernus» vocatur, at cuius ubicatio omnino ignoratur³³. Sed si ii vere sunt in statu naturaliter beato, dicendi etiam sunt ii esse aliquo loco qui illi felicitati respondeat, ut posset esse vel alius vel ipsa terra penitus renovata (quod teneri potest, modo vitetur conceptus nimis univocus vitae terrestri temporalis et vitae post mortem nobis incognitae eorum infantium)³⁴.

Quae omnia si admittantur, facile patebit illum statum *materialiter* sumptum non esse calamitosum et potius esse etiam magnum triumphum Christi ac proinde existentiam illorum infantium, non modo non esse miseram vel etiam mere inutilem, sed potius eam plene inseri in concentum glorificationis Dei per Christum consummandae.

³¹ De ea exemptione illorum ab omni peccato actuali, utpote qui sint extra statum viae et quidem sine ulla culpa personali, cf. J.GUMMERSBACH, S.I., *Unschuldigkeit und Befestigung in der Gnade* (Frankfurt a. M. 1933) p.173-192. Item cf. GONET, *l.c.*, n.218.

³² JOURNET, *L'Église...* 2,778s; ID., *La volonté...* 19-43; MICHEL, *Morts sans baptême* (Paris 1954) 116; DYER, *The Unbaptized...* 142.

³³ Cf. LESSIUS, *l.c.*, n.145; AMANN, 770s.

³⁴ BERAZA, n.1066. Cf. MICHEL, *Enfants morts...*: AmCl 455s. Aliqua specialia de limbo tractat A.C.GIGON, S.I., *De novissimis* (Fribourg 1947).

At vero aliunde ille status *formaliter* sumptus est horrenda privatio: imprimis gratiae sanctificantis sive adamicae sive christicae reparatricis cum iis omnibus donis quae illa gratia connotat, dein consequenter privatio gloriae supernaturalis in visione Dei beatifica et omnium honorum etiam accidentalium isti annexorum: verbo, est privatio insertionis et quidem totalis in Corpus Christi Mysticum et sic divinizationis seu plenae immersionis in vitam trinitariam. Inde vehementer commendatur, ut quae maxime debeat esse cordi parentum anxia sollicitudo ut eorum filii quamprimum baptizentur, nec solum ut ii facilius ac securius praeserventur a periculo illius horrendae privationis si forte sine baptismo moriantur, sed etiam ut quam citissime fiant consortes vitae divinae in Corpore Christi Mystico³⁵. Non enim sine gravissima ratione Ecclesia per S.Officium traditionali suo sensu maternali eis nunc praecipit id quod Catechismus Romanus iam indicarat:

«Cum itaque per Adae peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum Dominum possunt gratiam et iustitiam consequi, ut regnent in vita; quod quidem sine baptismo fieri nullo modo potest. Quare docebunt pastores infantes omnino baptizandos... esse... Neque enim dubitare licet, quin infantes fidei sacramenta, cum abluuntur, accipiunt... Etenim ab iis omnibus recte dicimus eos baptismo offerri, quibus placet ut offerantur, et quorum caritate ad communionem S.Spiritus adiunguntur... Hortandi autem sunt magnopere fideles, ut liberos suos, cum primum id sine periculo facere liceat, ad Ecclesiam deferendos et solemnibus caeremoniis baptizandos curent. Nam cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismus praebatur, relicta sit, facile intelligitur quam gravi culpa illi esse obstringant, qui eos sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulet, carere patiantur: cum praesertim propter aetatis imbecillitatem infinita pene vitae pericula illis impendantur».

Hic enim praesertim valent ea verba Pii XII: «Tremendum sane mysterium, ac satis numquam meditatum: multorum nempe salutem a mystici Iesu Ch.Corporis membrorum precibus voluntariisque afflictationibus, ab iisdem hac de causa susceptis, pendere, et ab adiutrice Pastorum ac fidelium, imprimisque patrum matrumque familias opera, quam iidem divino Servatori nostro quasi sociam praestare debeant»³⁶.

³⁵ MICHEL, *Faire donner le baptême le plus tôt possible...*: AmCl 66 (1956) 68os.

³⁶ *Catechismus Romanus*, 2 c.2 n.32-34; Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis Christi»*: AAS 35 (1943) 213.

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

N. B.—Numeri romani *tractatum designant*, arabici autem *numeros marginales*.

Gen	1	I 208; II 282	Gen	2,20-23	II 527
	1,1	I 208; II 28s 40 129 147 282 293		2,20-24	II 523
	1,1-2,4	II 27		2,20-25	II 566
	1-2	I 90 100		2,21	II 506 522
	1,1-2	I 122		2,21s	II 506 527 546
	1,1-3	II 26		2,21	789
	1,2	I 208; II 27 30 51		2,21-23	II 527 652 793
	1,2-27	II 29			800 915
	1,7	I 218		2,23	II 527 607 652
	1,11s	II 524			916
	1,11-25	II 652 673		2,24	II 572 732
	1,12	I 218		2,25	II 546 732
	1,14-19	II 204		2-3	II 754
	1,15s	II 182		3	II 546
	1,20	II 524		3,1	II 907
	1,21	II 28		3,1-3	II 758
	1,24	II 524		3,1-5	II 364 461 469
	1,26	I 93 323; II 129			914
	1,26s	II 506 524 539 546 566 664 673 711		3,3	II 758 909
				3,3-5	II 914
				3,4-6	II 915
				3,6	II 732 736 909
	1,26-28	II 546 673			915
	1,26-29	II 204		3,6s	II 915
	1,26-30	II 147 783		3,6ss	I 219
	1,27	II 28		3,6-19	II 527
	1,27s	II 527 566 673 800 915		3,7	II 732 736 915
				3,8	II 908
	1,28	II 28 664 673 732		3,9ss	I 204
	1,28s	II 780		3,10s	II 915
	1,28-30	II 789		3,11	II 732 907s 915
	1,31	I 198; II 147 664		3,11s	II 909
	2	I 219; II 546		3,11-13	II 909
	2,1	II 147		3,13s	II 278
	2-3	II 544 547 566		3,14s	II 908
				3,15	II 732 918
	2,1s	II 657		3,16	II 908 916
	2,2-3,24	II 926		3,16-19	II 758 780
	2,3	II 165 760		3,17	II 907 909
	2,3ss	II 519		3,17-19	II 758 908
	2,4	I 208		3,17-24	II 758 760 908
	2,4-7	II 572			925
	2,5	I 218; II 728 780		3,19	II 520 758 766
	2,6	II 546		3,20	II 546 789
	2,7	II 506 524 539 546 566 607 612 631 652 664 760		3,21	II 918
				3,22	I 93 323; II 758 766 774 915
	2,8	II 783s		3,22-24	II 758 908
	2,8-17	II 780		3,24	II 278 283 286
	2,8-20	II 783			774
	2,9	II 774 778 914		4,1	I 324; II 546 607 758 915
	2,13	II 758		4,1s	II 546
	2,15	II 527 566 607 783s 789 926		4,1-15	II 925
				4,3s	II 607
	2,15-17	II 758		4,4-12	I 204
	2,16	I 204; II 758		4,5	II 550
	2,16s	II 607 797 907s		4,8	II 918
	2,17	II 527 732 758 907 914 925		4,13s	II 550
				4,17	II 550
	2,18	II 546 915		4,23s	II 925
	2,18-22	II 546		4,25	II 546 758
	2,19s	II 566 607 732 780 789 795 797		4,25s	II 316

Gen	5	II 555
	5,1-3	II 673
	5,1-5	II 546
	5,1-32	II 546
	5,3s	II 546 673
	5,3-32	II 550
	5,5	II 758
	6ss	I 208
	6,1-4	II 315 318 405
	6,4	I 122
	6,5	I 149
	6,5s	II 916
	6,5-7	II 925
	6,6	I 116
	6,11	II 916
	6,11s	II 925
	6,12	II 318 566
	6,17	II 572
	6,18	I 204
	6,20-32	I 204
	7,12	I 208
	7,15	II 572
	7,16	II 566
	7,22	II 572
	8,21	II 466 925
	9,1-3	II 204
	9,1-17	I 90
	9,2	II 673
	9,6	II 673
	10,1-32	II 546
	10,3	II 313
	11,1-9	I 90
	11,5	I 146
	11,7	I 93 323
	11,10-32	II 555
	11,28	II 597
	11,32	II 597
	12,5	II 657
	14,19	II 33
	14,21	II 572
	14,22	II 34
	15,15	II 597
	16,7	I 323; II 283
	17,1	I 208
	17,13	I 323
	18ss	I 90
	18,2	II 283 607
	18,2-16	II 363
	18,9	II 313
	18,14	I 208
	18,16	II 283
	18,21	II 146
	19,1	II 283
	19,1s	II 607
	19,10	II 283
	19,17	II 598
	19,19	II 566
	19,24	I 208
	20,5-9	II 843
	21,17	II 278 283
	21,33	I 122
	22	I 201
	22,11	II 278 283
	24,7	I 323
	24,9s	II 597
	25,8	II 597
	25,17s	II 597
	25,23	I 281
	25,27	II 597
	26,15	II 519
	27,7	II 607
	28,12	II 40 278 283

Gen	28,16	I 133
	31,11-13	I 323
	32,1	II 278
	32,2	II 283
	32,24	II 313
	32,30	I 45; II 35
	35,29	II 597
	37,22	II 598
	37,33	II 597
	37,35	II 597
	42,38	II 597
	44,29-31	II 597
	46,26s	II 657
	47,9	II 597
	49,29	II 597
	49,29-31	II 597
	49,32	II 597
	50,19s	I 219
Ex	1,5	II 572
	3,2	I 208
	3,2-6	I 323
	3,6	II 588 597
	3,11-14	II 35
	3,13ss	I 101
	3,13-15	I 79 90
	3,14	I 112 123 149
	3,19-22	I 154
	3,20	I 208
	4,21	I 394
	4,22	II 315
	4,23	I 394
	6,2	I 90
	6,3	I 79 90 208
	7ss	I 208
	7,10-12	II 494
	7,22	II 494
	12,1-15	I 208
	12,23	II 283
	12,31ss	I 154
	13,21	I 208
	14,1-4	I 154
	14,19	II 283 359
	15,6	I 208
	19,5	I 90
	19,5s	II 129
	19,16-18	I 208
	20	II 837
	20-22	II 827 832
	20,1-11	I 90
	20,4s	I 111
	20,11	II 29
	21	II 827
	21,12	II 844
	21,17	II 29
	22	II 827
	22,31	II 844
	23,20-23	I 323
	24,17	I 208
	31,17	II 29
	33,11	I 45
	33,20	I 45
	34,10	II 28
Lev	4,2	II 832 843
	4,3	II 925
	4,13	II 843
	4,22	II 843 925
	4,27	II 832 843
	5,4	II 925
	5,15	II 843
	5,17	II 843
	6,2	II 850
	6,2-7	II 843
	16,10	II 418

Lev	17,10-16	II 567
	19,4	I 90
	19,31	II 496
	20	II 832
	20,1	II 758
	20,20	II 819
	20,27	II 496
	24,17	II 758
	26,1	I 90
	26,15	II 850
Num	7,8	I 133
	12,8	I 45
	14,14	I 45
	15,22-29	II 843
	15,27s	II 843
	15,33	II 497
	16,30-33	II 28 597
	20,24	II 597
	22,31	II 453
	22,34	II 843
	23,19	I 112
	27,13	II 597
Deut	1,11	II 664
	4,12-15	I 111
	4,19	I 90; II 204
	4,28	I 90
	4,35	I 90
	4,39	I 90
	6,4	I 90
	6,10-15	I 90
	9,21	II 819
	10,12s	II 185
	11,12	II 28
	11,19	I 394
	14,1	II 315
	18,10-12	II 496
	18,11	II 597
	22,26	II 598
	26,15	I 133
	26,18s	II 184
	27,26	II 877
	30,11	II 827
	30,19	II 827
	31,21	I 154
	32,6	I 394; II 850
	32,7	I 122
	32,9	II 129
	32,18	I 394
	32,35	I 90
	32,39	I 140
	32,40	I 122 140
	32,50	II 597
	33,15	I 122
	34,6	II 597
Ios	5,13-16	II 278
	5,14	II 278 283 388
	5,15	II 453
	22,17	II 857
	24,15	II 827
Iud	6,22	I 323
	11,24	I 93
	12,3	II 598
	13,20	II 453
	16,30	II 598
I Reg	1,11	II 283
	1,22	I 122
	2,1	I 149
	2,2	I 101
	2,3	I 144
	2,30	II 850
	2,36-46	II 758
	15,29	I 112
	16,7	I 154
I Reg	16,23	II 314 471
	19,5	II 598
	22,19	II 40 283
	23,10-13	I 158 162
	28,6-25	II 496
	28,7-20	II 597
2 Reg	1,2	II 607
	6,4-7	II 843
	6,6	II 908
	6,23	II 908
	7,14	I 305 394
	14,20	II 329
	19,35	II 283
	22,19	II 388
	24,16	I 323; II 449
3 Reg	8,10	I 133
	8,27	I 130
	8,34	I 133
	8,38	I 154
	8,39	I 154
	13,26	II 908
	14,8	II 877
	18,7	II 453
	20,31s	II 566
	21,7	II 607
	22,19	II 278
4 Reg	2,2	I 140
	2,15	II 453
	8,24s	II 555
	11,2	II 555
	14,21	II 555
	19,27	I 154
	23,24	II 496
	23,25	II 877
1 Par	21,1	II 278
	23,9	I 154; II 339
	29,11-16	II 34
2 Par	6,30	I 154
	16,9	I 149
	25,14	II 607
	26,1	II 555
Neh	9,6	II 33 40
Tob		II 363
	1,10	II 827
	3,8	II 278 418 470
	3,25	II 278
	4,6	II 827 832
	4,14	II 405 915
	5ss	II 449
	5,5	II 313
	6,8	II 278
	8,2s	II 278
	8,3	II 314 360 449
	8,8	II 520
	11,15	II 364
	12,12	II 283 449
	12,14s	II 278
	12,15	II 286 288
	12,16s	II 278
	12,19	II 313
	12,21	II 313
	13,6	I 122
Esth	3,2	II 607
	13,9	I 200
	13,9-11	I 208; II 129
	13,9-12	II 34
Iob	1,6	I 394; II 278 315
		388
	1,6-12	II 278 283
	1,7	II 359
	2,1	II 278
	2,1-7	II 278
	2,1-10	II 283

Iob	2,6	II 598	P	33,17	I 149
	2,7s	II 470		33,22	I 219
	3,13-19	II 597		36	I 219
	4,18	II 278		36,13	I 219
	5,1	II 278		38,13	II 597s
	5,6	II 519		38,14	II 598
	5,17	I 208		43	II 34
	7,9	II 597		43,2-4	I 208
	7,11	II 572		43,22	I 154; II 339
	7,21	II 598		44,7s	I 305 324
	9,3-13	II 34		46,5	II 129
	9,4-12	I 208		48,13	II 850
	10,8-11	II 256 524		48,15s	II 572 597
	10,9-12	II 524 566		49,10s	I 149
	10,21s	II 598		50,4	II 857
	11,8s	I 130		50,7	II 925s
	11,20	II 566		54,13s	II 850
	12,10	II 572		57,4	II 383
	12,13	I 144		62,2	II 572
	12,15	II 283		65,7	I 149
	14,1-4	II 925		68,6	I 149
	14,4	II 926		68,29	I 245
	14,22	II 572 607		72	I 219
	15,15	II 278		72,3	II 864
	19,2	II 572		72,11	I 154
	21,6	I 149		72,27	II 837
	21,7	II 864		77,1-6	II 26
	21,22	II 278		77,25	II 278
	22,3	II 181		79,2	II 278
	23,10	I 154		79,49	II 283
	26,13	I 208		83,3	II 572
	28,1	II 278		85,4	II 572
	28,24	I 149		88,6	II 182 278
	28,24-27	I 149		88,8	II 278
	30,23	II 597		88,27s	I 394
	32,28	I 394		88,49	II 597
	33,6	II 519 523		89,1-4	I 122
	34,11	I 149		89,2	I 39 14; II 36 148
	34,27	II 836		89,4	I 123
	36,14	II 598		90,11s	II 431
	36,22	I 100		93,7	I 154
	36,36ss	I 100		93,7ss	I 149
	38,7	II 278		93,11	I 154
	38,41	I 218		95,5	II 81
	38,42	I 208; II 34		96,7	I 305; II 278 283
	39,1-8	I 218			423
	39,13-18	I 218		98,1	II 278
	1,1-6	I 219		101,26	II 37
	1,6	I 179		101,26-28	I 112 304s
	2,4	I 133		101,28	I 122
	2,7	I 302 305 324 394		102,14	II 524
		397		102,20	II 278 283 423
	6,6	II 597s		102,20-22	II 183
	7,10	I 154; II 339		103	I 218; II 34 183
	8	II 673		103,5	II 245
	8,5-9	II 566 673		103,24	II 107 129 182
	8,7s	II 34		103,29s	II 566 572
	8,7-9	II 204		104,1-9	II 26
	10,5	I 149		109,1	I 303ss 324
	10,11	I 154		109,3	I 394
	13,1	I 11		111,1-9	I 219
	15,9s	II 572		127,7s	I 219
	16,3	I 154		113,3	II 129
	18,1	I 31		113,4-8	I 91
	18,2	II 182		113,5s	I 130
	28,1	II 315		113,11	I 208
	30,6	II 572		113,12-16	I 140
	32,6	I 208		113,17	II 598
	32,11	I 112		118,21	II 598
	32,12	II 129		118,109	II 598
	32,14	I 149		134,5s	II 107
	33,16	I 149		134,6	I 184 190; II 129
				135	II 183

			Sap	2,21-3,5	II 759
				2,22	II 673
				2,23	II 588 673
				2,23-35	II 925
				2,24	II 278 673 925
				2,24s	II 908 926
				3,1-4	II 588
				3,24	II 914 916
				4,7	I 162
				5,1-14	II 588
				5,7	II 863
				6,8	II 51
				6,8s	I 219
				7,1	II 520
				7,21	II 51 107
				7,21ss	I 324
				7,22	I 111
				7,22-29	I 140
				7,22-8,1	II 36
				7,22-8,19	II 107
				7,23	II 51
				7,23-27	I 130
				7,24	I 116
				7,25	I 111
				7,26	I 122 305
				7,27	I 111 116 218;
					II 51
				7,29	I 111
				8,1	I 130 140; II 51
				8,1-3	I 324
				8,6	II 51
				8,19s	II 664
				9,1	II 28 129
				9,1-4	II 790
				9,1-17	I 323
				9,2	II 51 673
				9,9	II 36 51
				9,11	I 149
				10,1	II 546
				10,1s	II 790 918
				10,1-3	II 546
				10,19	I 219
				11,16-18	II 129
				11,17	II 52
				11,18	II 51
				11,18-24	II 52
				11,21	I 218; II 52 107
					129
				11,22-27	II 51
				11,23	II 35
				11,23-27	II 182
				11,24	I 208
				11,24ss	I 275
				11,24-12,18	I 226
				11,25s	II 230
				11,25ss	I 184
				11,26	II 129
				12,1	I 130
				12,16-18	I 208
				12,18	II 129
				13	I 31
				13,1-5	II 34 51 107
				13,15	I 87 94
				13,1-9	I 9s; II 184
				13,1-10	II 204
				13,3s	I 100
				13,5	I 85
				14,3	II 218
				15,8	II 572
				15,11	II 572
				19,1-3	I 154
			Eccli	1,8	II 81
				2,7	II 566 607

Eccli	2,21	II 832	Is	35,4	I 324
	7,40	II 827		37,16	I 100; II 33
	10,5	II 405		38,18	II 598
	10,14s	II 836 837		40-46	I 91
	10,15	II 405		40,2-28	II 81
	11,28	II 597		40,3	I 303
	14,7	II 774		40,3-10	I 324
	15,11-18	II 566		40,6	II 566
	15,14	I 221		40,13s	I 154
	15,14-21	II 832		40,15-17	II 35
	15,14-22	II 827		40,17	II 101
	15,20	I 149		40,18	I 111
	16,18s	II 34		40,19	I 122
	17,1	II 520 673		40,22-28	II 34
	17,1-9	II 768 790		40,26	I 100
	17,1-14	II 566 673		41,4	I 122
	17,3s	II 790		41,8-20	II 26
	17,7s	II 184		41,22s	I 154
	17,13	I 149		41,23	II 348
	17,16	I 149		41,24	II 32
	17,29	II 598		42,9	I 154
	18,1	I 122 208; II 293		43,1-21	II 26
	21,2	II 287 827		43,2	I 130
	21,3	II 598		43,7	I 184
	23,27ss	I 149 154		43,7s	II 185
	24	I 426		43,25	I 184
	24,5	I 394		44,6	I 122 312; II 29
	24,5s	II 148		44,24	I 100; II 26 29
	24,5ss	I 324		45,5-7	II 35
	25,33	II 278 913 926		45,5-8	II 81
	33,10	II 520		45,6s	II 33
	33,10-15	I 190		45,11-13	II 26
	33,13s	I 219		45,12	II 33
	39,24	I 149		45,18	II 33 35
	39,25	I 149		46,9	I 100
	42,15-43,37	I 101		46,9s	II 348
	42,18	I 154		46,9ss	I 154
	42,19	I 149		46,10	I 200
	42,41	I 122		48,9-11	II 185
	43,29-37	I 101		48,12	I 122; II 28
	47,22	II 857		48,12s	II 81
Is	1,2-4	II 836 850		48,16	I 559
	1,11	II 181		49,15	I 184
	4,4	II 857		51,1-16	II 26
	5,1-7	II 850		53,1	I 208 312
	5,14	II 597		55,11	I 108
	6,2s	II 278 286		56,11s	II 840
	6,3	I 323; II 367		61,1	I 559
	6,8	I 93		61,1s	I 323
	6,9s	I 314		63,9	I 122
	6,10	I 312		63,15	I 133
	6,12	II 283		63,17	II 850
	7,5	I 324		64,7	II 524
	8,19	II 496 597		65,12	II 827 832
	9,5	I 323s		66,1	I 130
	10,6	I 100		66,3s	II 827 832
	10,18	II 607		66,18	I 154
	11,2	I 323	Ier	1,5	II 26
	13,6	I 208		1,8-10	I 83
	14,9-10	II 597		2,20	II 850
	14,12	II 418		2,22	II 857
	14,12-19	II 379 397		10,1-11	I 111
	14,15	II 597		10,9-16	II 33
	15,2	II 181		10,10	I 122 140
	22,12s	II 840		10,10-16	I 100; II 81
	24,5s	II 925		10,12	II 107
	26,9	II 572		15,19	II 566
	26,12	II 256		17,1	II 33
	31,3	I 111		17,9s	II 339
	33,2	I 208		17,10	I 149 154
	34,7	II 519		18,1-10	I 190
	34,9	II 519		20,12	I 154

Ier	23,23s	I 130	Hab	1,13	I 152; II 864
	26,1	II 28		2	I 111
	27,1	II 28	Zach	1,11	II 313
	28,7	I 186		2,4	II 323 359
	31,1-21	II 26		3,1-10	II 278
	31,3	I 184		3,4	II 313
	31,29	II 866		4,10	I 149
	32,17	II 33	Mal	1,2s	I 281
	32,19	II 68		3,1	I 303
	32,20	II 315		6,3	I 112
	38,17-23	I 158	2 Mac	1,24s	I 101
	40,15	II 598		7,20s	II 27
	51,15-19	I 111		7,22s	II 256
	51,39	I 122		7,26	II 32
Bar	3,1	II 572		7,28	I 100; II 27 32 45
	6	I 111		8,18	II 129
Ez	11,5	I 154	Mt	1	II 555
	13,19	II 598		1,13	II 434
	14,4	II 857		1,14	I 324
	17,17	II 598		1,23-26	II 478
	18	I 186		3,3	I 303
	18,1-32	II 866		3,12	I 1014
	18,20	II 932		3,12	I 10,15
	18,23	I 226		3,13-16	I 315
	18,23ss	I 275		16	I 298 404
	19,21ss	I 116		3,16s	I 294 317
	28,12ss	II 378 397		3,17	I 184 302
	32,16-19	II 34		3,41ss	I 302
	33,11	I 226		4,1	I 298 317
	36,25	II 857		4,1-11	II 461 469
	36,27	I 267		4,3	II 461
	37,1-14	II 566 572 607 631		4,5	II 323
	37,8	II 607		4,6	II 431
	37,10	II 607		4,11	II 209 278 423
Dan	2,22	I 149		4,12	II 323
	3,49s	II 283		4,24	II 477
	3,57-87	II 183		5,3ss	I 244
	3,58	II 423		5,7	I 300
	3,86	II 573		5,8	I 42; II 335
	4,10	II 278		5,11	I 302
	4,14	II 278		5,21-42	I 302
	4,20	II 278		5,22	II 852
	5,10ss	II 313		5,34ss	I 91 130
	7,10	II 40 285		5,44s	I 547
	8,16	II 278		5,45	II 39 857
	9,5	II 832		6,9	I 133
	9,9s	II 836		6,10	I 184
	9,21	II 278		6,12	II 851 857 871 873 884
	10,12s	II 185 313		6,13	II 461
	10,12-21	II 444s		6,24	II 836
	10,13	II 278 283 286 288		6,25-30	II 218
	10,21	II 283		6,26	I 140
	12,1	II 278 283 444s		6,28-30	I 91
	13,21	II 278		7,21	I 302
	13,42	I 149		7,23	I 152
	14,15	II 364		8,2	II 607
	14,35	II 323 361		8,8	I 208
Os	4,8	II 819		8,11	II 597
	5,3	I 149		8,28	II 472
	5,14	II 598		8,28-34	II 278 473
Ioel	2,28	I 323		8,29	I 303; II 419
	3,32	I 304		9,1-8	I 303; II 607
Am	1,3-23	I 91		9,3-6	I 302
	3,6	I 221		9,4	I 154
	3,7	I 154		9,14s	I 303
	5,8	II 35		9,20-23	II 607
	9,1-6	I 130		9,32s	II 473
	9,6	II 35		9,34	II 418
	9,7	I 91		10,1	II 478
	9,11	I 122		10,17	I 42
Mich	5,1	I 324			

Mt	10,20	I 298 404; II 306	Mt	23,15	I 270
	10,27-39	I 302		23,37	I 275
	10,28	II 307 566 578 588 598 850		24,22ss	I 261
	10,28-31	I 218		24,24	II 495
	10,29	I 149		24,31	II 278 313
	10,32	I 302		24,36	II 278 329
	11,10	I 303; II 273		25,12	I 152 179
	11,21s	II 852		25,31ss	I 302
	11,21ss	I 158 162 171		25,32	I 270
	11,25	I 100 300; II 39		25,32-46	II 1014
	11,26	II 39 306		25,34	I 241 256 302; II 1005
	11,26s	I 302		25,34ss	I 255
	11,27	I 51 149 321 358		25,35ss	I 244
	12,1	II 478		25,41	I 270; II 278 314 412 416 418 861
	12,8	I 302		25,41ss	I 266; II 1012
	12,22	II 470 473 483		25,46	II 1005
	12,24	II 418		26,53	I 302; II 278 285
	12,24-32	I 299		26,63	I 140
	12,25	I 154		26,64	I 302
	12,28	I 134; II 479		27,50	II 607
	12,31	II 852 857		28,2	II 359
	12,31s	I 298		28,5-7	II 278
	12,32	I 314		28,19	II 294 297 315s
	12,36	II 900			925
	12,50	I 302	Mc	1,2s	I 303
	13,11	I 299		1,3	I 324
	13,30	II 278		1,10	I 298
	13,38-43	II 1014		1,10s	I 294 315 317
	13,39	II 278		1,11	I 302
	13,41s	II 278		1,12	I 298
	13,49	II 1014		1,13	II 434
	14,33	I 303		1,23	II 472
	15,13	I 302		1,34	II 477
	15,18s	II 335		2,18-20	I 303
	15,21-28	II 473		3,13	II 129
	15,24	I 302		3,22-30	I 299
	15,28	II 483		3,28-30	I 298
	16,16	I 140 300		4,15	II 278
	16,16s	I 303		5,1-13	II 325
	16,17	I 302 358		5,1-16	II 478
	16,27	I 149		5,1-20	II 473
	17,5	I 184 302		5,6-13	II 478
	17,14	II 472		7,24-30	II 278 473
	17,14-17	II 470		7,25	II 472
	18,2	II 359		8,38	II 375 388
	18,7-9	II 466		9,7	I 302
	18,10	I 42; II 40 278 375 388 426 432 437 440 443		9,24s	II 478
	18,10-35	I 302		9,42-47	II 861
	18,11	I 226		10,18	I 84 101 321
	18,21-35	II 851		10,45	I 226
	19,4s	II 793		12,26s	II 588
	19,4-6	II 546		12,29	I 91
	19,8	II 925		12,30	II 573
	19,16-20	II 832		12,35-37	I 303
	19,17	I 101 244		13,11	I 298s
	19,26	I 149; II 129		13,32	I 321
	19,29	I 244 321		14,24	I 226
	20,1-16	I 190		14,60-64	I 303
	20,23	I 302		16,9	II 473
	20,28	I 226		16,17	II 478
	21,33-46	I 303	Lc	1,6	II 832 877
	22,10	II 375		1,19	II 286 323
	22,11ss	I 237		1,26-38	II 278 359 363 425
	22,14	I 237		1,35	I 294 314
	22,41-46	I 303 324		1,37	I 149 208
	22,30	II 278 315 388		1,38	II 359
	22,31-33	II 588		1,46s	II 573
	22,32	II 597		2,3-15	II 278
	22,37	II 877		2,19	II 323
	22,43	I 394		2,26	I 298

Lc	2,49	I 302	Lc	22,31	II 461
	3	II 555		22,42	I 184
	3,4s	I 303		22,43	II 278 434
	3,22	I 294 298 302 315 317		22,44	II 461
	3,23-38	II 506 524		22,53	II 278
	3,38	II 547 673		22,66-71	I 303
	4,1	I 298; II 461 469		23,34	II 843
	4,1-13	II 278		23,43	II 588 784
	4,6	II 486		24,49	I 302
	4,13	II 278	Io	1	I 425
	4,17-20	II 323		1,1	I 296 540; II 147
	4,18	I 314 317 559		1,1s	I 123
	4,21	I 317		1,1-3	II 81
	4,33	II 472		1,1-14	I 309
	5,22	I 154		1,3	I 100 547; II 37
	5,33-35	I 303		1,4	I 111
	6,8	I 154		1,10	II 37
	6,18	II 472		1,14	I 296 394; II 375
	7,27	I 303		1,18	I 51 296 309 394 402 540
	7,47	I 302		1,20	II 37
	7,48-50	I 302		1,27-30	I 310
	8,26-39	II 473		1,29	II 857
	8,29	II 397 418		1,47-51	II 339
	8,30	II 471		1,51	II 278
	8,31	II 421		2,24	II 339
	8,49-55	II 566 607 631		3,3-7	II 925
	9,26	II 375 388		3,5	II 105 1012
	9,35	I 302		3,11ss	I 297
	9,37-42	II 473		3,13	I 310
	9,39	II 483		3,16	I 184 319 394 440; II 37
	9,39-43	II 483		3,18	I 309 394
	9,47	I 154		3,19-21	II 827
	10,13	I 158		3,31s	I 310
	10,17	II 478		3,36	II 861
	10,17-20	II 278 479		4,24	I 111 293 549; II 306
	10,18	II 405 408 419		4,34	I 184
	10,20	I 241		5,4	II 361
	10,21	I 298; II 39		5,6	I 297; II 519
	10,21s	I 302		5,7	II 657
	10,22	I 51 149 302		5,17	I 311; 232 257
	10,30-34	II 994		5,17-20	I 310
	11,4	II 873 884		5,19	I 321 547
	11,14s	II 477		5,19ss	I 297
	11,15-22	I 299		5,22	I 321
	11,17	I 154		5,22s	I 310
	11,18	II 418		5,23	I 558
	11,26	II 397		5,28s	II 849
	11,13	II 925		5,30	I 326
	12,10	I 299		5,43	I 405
	12,12	I 298s		6,38ss	I 558
	12,46s	II 852		6,38-41	I 310
	12,47	II 852		6,40	I 140 310
	13,11	II 471		6,46	I 51
	13,23s	I 244		6,50s	I 310
	14,24	II 861		6,55	I 140
	14,26s	I 302		6,59	I 140
	15,7	II 358		6,62	I 310
	15,10	II 278 358 375		7,16	I 297
	15,11-21	II 827		7,28	I 405 558
	16,15	I 154		7,39	I 567
	16,22	II 360		8,4	II 397
	16,22-24	II 861		8,26	I 297
	16,22-31	II 588		8,38	I 297
	17,10	II 181		8,40	I 297
	18,19	I 84		8,42	I 377 380 405
	18,24	I 101		8,44	II 278 375s 383 397 469 914 925
	19,41s	I 275		8,58	I 296 310
	20,36	II 388		9,11	II 852
	20,37-39	II 588		9,41	II 857
	20,41-44	I 303			
	22,3	II 473			
	22,29	I 302			

Io	10,4s	II 37	Act	19,11	II 857
	10,18	I 321		20,27	II 37
	10,22	I 404		20,28	I 308
	10,24-38	I 317		20,31	I 308
	10,28	I 241 318; II 37		1,10s	II 278
	10,30	I 311 540		1,16	I 298 314
	10,33	I 311		1,24	I 154
	10,34-36	I 310 320		2,4	I 298
	10,37s	I 320		2,16ss	I 323
	10,38	I 310 540		2,22ss	I 219
	11,25	I 308		2,33s	I 294 298
	11,26	I 310		2,38s	I 294
	12,31	II 278 418 484		3,17	II 852
		925		4,24	I 100 547; II 37
	12,37-41	I 312		5,3	II 461
	12,43	II 836 840		5,3s	II 298 314
	12,47	I 321		5,9	I 398 404
	12,43	I 321		5,19-21	II 278
	12,49	I 405		5,31s	I 294
	13,2	II 486		5,32	I 298
	13,13	I 313		7,30ss	I 45
	13,27	II 473 486		7,30-35	I 323
	14 16	I 297 313		7,49	I 130
	14,1	I 310		7,53	I 323
	14,6	I 111 140 144 297; II 209		7,59	II 843
				8,3	II 843
	14,7-11	I 311		8,26	II 278 449
	14,8	I 311		8,29	I 298
	14,9	I 540		8,39	I 298; II 361
	14,11	I 540		9,1	II 843
	14,13s	I 310		10,3-6	II 449
	14,15	I 311; II 209		10,3-8	II 278
	14,15s	I 310		10,38	I 298; II 278 483
	14,16	I 294 308 321 565		11,12	I 298
	14,16s	I 294 313		12,7-11	II 278 363 425
	14,16-26	I 297		12,12-15	II 432 437 443
	14,17	I 311 442		13,2	I 298
	14,20	II 348		13,4	I 298
	14,21	II 832		13,8-10	II 495
	14,21-28	I 310		13,13	I 324 394
	14,23	I 133 294 311 549 568 573; II 209		13,33	I 302
				13,48	I 237
	14,24	II 39		14,14	I 100 140; II 37
	14,26	I 297 310 313 405 558 565s		14,14ss	I 11
				14,16ss	I 218s
	14,28	I 321		15,8	I 149 154
	14,30	II 486		15,28	I 298
	15,5ss	I 310		16,6s	I 298
	15,22	II 857		16,7	I 298 404
	15,24	II 857		16,16-18	II 473 495
	15,26	I 294 297 310 313 377 380 403 405 411 442		16,31	I 304
				17,24	I 100 547
				17,24s	II 181s
	15,26s	I 297		17,24ss	I 11
	15,33	I 310		17,24-26	II 231 257
	16,7	I 310 558		17,24-29	I 91
	16,7-11	I 294 297		17,26ss	I 218s
	16,8	I 297		17,28	I 130
	16,11	II 278 486 925		19,1-7	I 298
	16,12-15	I 294		19,5	I 304
	16,13s	I 297		19,12	II 418
	16,13ss	I 297 310 406 411		20,9s	II 566 607 631
	16,15	I 313 411 418		20,23	I 298
	16,28	I 310		20,28	I 298 306 312
	17,3	I 83 93 300 310 320		21,11	I 298 314
				22,18	I 158
	17,4	I 297		28,8	II 275 583
	17,5	I 296 310 320; II 39 149		28,15	I 298 314
				28,25ss	I 314 323
	17,8	I 310	Rom	1-2	I 219; II 348 849
	17,12	I 270		1,4	I 319 397
	17,20-23	I 311		1,11	II 572
	17,24	I 184; II 39 149		1,18-21	II 184

Rom	1,18-23	II 204	Rom	6,6	II 733 932
	1,18-32	I 11 94		6,9	II 925
	1,19s	I 358		6,11	II 942
	1,19-21	II 107		6,12	II 942
	1,19-32	II 836 840		6,12-14	II 733
	1,20	I 9 31 51; II 578		6,19	II 877
	1,21	II 335		6,23	II 877
	1,21-23	II 851		7	II 956
	1,24s	II 728		7,7-8,4	II 725
	1,28	II 448		7,9	II 819
	1,28-31	II 853		7,11	II 819
	2,4	I 267		7,12	II 725
	2,4s	II 850		7,14-25	II 733
	2,5-11	II 849		7,15	II 725
	2,6	I 149		7,17-13	I 299
	2,6-8	II 851		8,1	I 237 276 280; II 925 932 952
	2,9	II 574		8,3	II 547 925
	2,9-14	II 725		8,5	II 547
	2,9-16	II 725		8,6-11	I 313
	2,12	II 725		8,9	I 298s 404
	2,14-16	II 849		8,9s	I 565
	2,15	II 725		8,9ss	I 294 298 404
	2,23s	II 850		8,10	I 298; II 574
	3,9	II 932		8,11	I 133 219
	3,23	II 932		8,13-17	II 721
	3,24	I 318; II 710		8,14	I 313 566
	3,29	I 91		8,14-17	I 294
	4,15	II 816 832 907		8,15	I 305 319
	4,17	I 149; II 39 53		8,15-17	II 711
	4,25	II 710		8,16	I 244 298; II 307 578
	5	II 956		8,16s	I 299
	5-7	II 728		8,17	II 547
	5,1	II 710		8,19-22	II 208
	5,1-11	II 925		8,22	I 281
	5,5	I 440		8,23	I 319
	5,6	I 565		8,25	I 318
	5,9	II 710		8,26s	I 298
	5,10	II 851		8,27	I 154
	5,10s	II 710		8,28	II 208
	5,12	II 664 710 733 760 925 932 937 945 957 973		8,28s	I 256
				8,28ss	I 261
	5,12-14	II 760		8,29	I 179; II 547
	5,12-19	II 544 547 710 851 913		8,30	II 710
				8,32	I 226 305
	5,12-21	I 226; II 547 706 816 962		8,34	I 298
				8,38	I 237; II 925
	5,13	II 925		9	I 261
	5,13s	II 925		9-11	I 219 281
	5,14	II 760 832 907 925		9,2s	I 306
				9,5	I 306
	5,14-21	II 925		9,11	II 664
	5,15	II 510 710 925		9,11-13	I 281
	5,15-21	II 925		9,13	I 304
	5,16	II 710 925		9,17-22	I 281
	5,17	II 925		9,18	I 281
	5,17s	II 925		9,20	I 281
	5,17-19	II 546		9,20ss	I 190
	5,17-21	II 925		9,21s	I 270
	5,18	I 925 942 945		9,23	I 281
	5,18s	II 925		10,9	I 304
	5,19	II 710s 832 907 909 915 925 932 945		11,2	I 179
				11,5ss	I 237
				11,20	I 241
				11,20-23	I 237
				11,22	I 255 281
	5,20	II 925		11,28	I 154
	5,21	II 925		11,32	I 222
	6-7	II 733		11,33	I 68
	6,1-11	II 710		11,33s	I 144 284
	6,3s	II 942		11,36	I 123; II 39 181
	6,3-13	I 316		13,1	II 574 844

1038

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

Rom	13,14	I 319
	15,16	I 313
	15,30	I 318
	16,4	II 574
	16,17	I 123
	16,18	II 836
	16,20	II 461
1 Cor	1,9	I 318
	1,12-15	I 316
	1,27-30	II 129
	1,30	II 710
	2,9-11	I 149
	2,10	I 68 298
	2,10s	I 299 314
	2,10-16	I 294
	2,11	I 51; II 307 353 578
	2,12	I 298 406
	2,14	I 298; II 573
	3,10-15	II 874 884 900
	3,11	I 298
	3,16	I 298 565
	3,20	I 154
	3,22	II 208
	5,3s	II 574
	6,2	I 573
	6,9	II 861
	6,9s	II 853
	6,11	I 313 319; II 710s
	6,15-20	I 294
	6,19	I 298 565 573
	6,19s	I 313
	6,20	II 710 857
	7,5	II 461
	7,14	II 933
	7,23	II 710
	7,25-40	II 882
	7,34	II 574
	7,40	I 298
	8,4ss	I 91
	8,6	II 38s 181
	9,9	I 221
	9,24-27	I 255
	10,12	I 237 241
	10,12s	II 467
	10,13	II 465
	10,31	II 185
	11,7	II 673
	11,7s	II 526s
	11,8	II 527
	12,2-6	II 257
	12,3	I 298
	12,3-6	I 294
	12,4ss	I 298s 313 315 318 549; II 257
	12,6-11	I 547
	12,14	II 484
	13,1	II 367
	13,8-12	I 405
	13,9-12	I 31
	13,12	II 578
	14,24s	I 154 314
	14,25	I 298
	15,8s	II 521
	15,9	II 843
	15,21	II 547
	15,21s	II 760
	15,22	II 547 925
	15,26	II 925
	15,28	II 181
	15,32	II 840
	15,44-46	II 572
	15,44-48	II 607

1 Cor	15,45	I 319; II 710
	15,45-47	II 520
	15,45-50	II 547
	15,54s	II 925
2 Cor	2,6ss	I 42
	3,3	I 298
	3,17	I 111 319
	3,17s	I 298 404
	4,4	II 486
	4,5	I 304
	5,1-4	II 588
	5,6-8	II 566 578
	5,14	I 226; II 926
	5,14-17	II 710
	5,18s	II 710
	5,18-21	II 851
	5,21	II 819
	6,14	II 278
	6,15	II 418
	6,16	I 298 565 573
	11,3	II 913
	11,31	I 123
	12,2	II 784
	12,4	II 784
	12,7	II 461
	13,13	I 294 297 299 315 318 440
Gal	1,5	I 123
	2,17	I 319
	2,20	I 304 567
	3,10	II 877
	3,13	II 774
	3,19	I 45 323
	3,27	I 304
	4,4	I 558; II 721
	4,4s	I 304
	4,4ss	I 294
	4,4-7	II 710s
	4,5	I 305
	4,6	I 298 404s 558 565 568
	5,17	II 578 870
	5,19-22	II 853 861
	5,19-23	I 313
	5,22	I 319
	6,7	I 405
Eph	1,3	I 293
	1,3ss	I 237
	1,3-10	II 711
	1,4	I 267; II 39 129 149
	1,7	II 710 851
	1,10	II 209 711
	1,11	I 149 190; II 129
	1,13	I 313 319
	1,17	I 294
	1,21	II 278 286
	1,22s	II 209
	2,1-10	II 710
	2,2	I 421; II 486
	2,3	II 851 926
	2,10	I 267
	2,12	I 91
	2,14	I 319
	2,17-22	I 294
	2,21s	I 319
	3,10	I 68
	3,10s	II 375
	3,14-19	I 294
	3,16	I 298
	3,17	I 567
	4,13	I 294

Eph	4,10	I 319
	4,23s	II 711
	4,30	I 298 313
	5,5	II 853
	5,8	II 710
	5,22s	II 522
	5,27	II 857
	5,28	I 319
	6,6	II 574
	6,11	II 461
	6,11s	II 306
	6,11-16	II 278
	6,12	II 397 418 421
	6,16	II 461
Phil	1,19	I 298 494
	1,23	II 588
	1,27	II 574
	2,5-10	I 307
	2,6	I 296
	2,10	II 423
	2,10s	I 304
	2,12	I 241
	3,12	II 925
	3,18s	II 836 840
	3,19	II 850
	4,20	I 123
	4,20s	I 319
Col	1,5	II 672
	1,12-14	II 710
	1,14-16	II 209
	1,15	I 305
	1,15-17	I 304; II 232
	1,17	II 38 40 181 278 286 288 291
	1,20	I 305
	1,21	II 375 710
	2,3	II 851
	2,5	I 321
	2,10	II 574
	2,14	II 423
	3,4	II 774
	3,23	I 304 319
1 Thess	1,1	II 574
	1,4	I 305
	1,9	I 237
	1,10	I 83
	2,4	I 305
	2,8	I 154
	3,5	II 574
	4,3	II 461
	4,15	I 200
	4,16	II 286
	5,19	II 288
	5,23	I 319
2 Thess	1,9	II 574
1 Tim	1,13	II 861
	1,15	II 843 868
	2,1-6	II 843
	2,2	I 226
	2,4	I 230
	2,5	I 200 230
	2,13	I 230 230
	2,14	II 711 926
	3,7	II 522s
	4,1	II 907 909 913
	4,10	II 461
	6,9	I 298
	6,14	I 226
	6,15s	II 375
	6,16	II 728
2 Tim	1,14	I 306
		I 101
		I 31 51
		I 298

2 Tim	2,5	II 347
	2,10	I 207
	2,19	I 241
	4,1-8	I 300
	4,18	I 123
Tit	1,3	I 300
	1,4	I 300
	2,14	I 306
	3,3-7	II 710
	3,4	I 306
	3,4ss	I 294
	3,6	I 298
Philem	1,8	II 925
Hebr	1,1s	I 323
	1,1-3	II 81 672
	1,2	I 305
	1,2s	I 304; II 37 232
	1,3	I 305
	1,4s	I 305
	1,4-14	II 278
	1,5	I 302 324 394
	1,6	I 304s; II 423
	1,7	II 431
	1,8	I 324
	1,10	I 122 547; II 37
	1,10ss	I 304
	1,13	I 304
	1,14	I 305; II 278 306
	2,1ss	I 323
	2,2	I 45
	2,10	II 181
	2,11-14	II 547
	2,14	II 278
	3,4	II 37
	4,12	II 339 575
	4,13	I 149
	5,5	I 302 394
	5,12	II 575
	6	I 237
	6,6	II 850
	7,10	II 657
	9,14	I 294 314
	9,28	I 226
	10,28s	I 3 850
	10,29ss	I 294
	11,3	II 37 53
	11,4-31	II 53
	11,13-16	II 597
	12,22	II 285
	13,2	I 322
	13,14	II 597
Iac	1,14	II 852
	1,14s	II 466 852
	1,17	I 112
	2,1	I 312
	2,5	I 237
	2,10	II 877
	2,11	II 877
	2,19	II 358
	2,26	II 307 566 607
	3,2	II 873
	4,4	II 857
	4,4-10	II 836 840
	4,7	II 461 466
1 Petr	1,1	I 237
	1,1s	I 294
	1,3	I 293
	1,12	II 358
	1,18s	II 857
	2,7s	I 281
	2,24	II 774
	3,3-10	I 312

1 Petr	3,12 3,18 3,22 4,14 4,19 5,8	I 149 II 857 II 286 I 294 I 91 II 278 461	Apoc	2,3 2,7 2,23 3,1 3,7 3,11 3,14 4,8 4,9ss 4,11 5,6 5,8 5,8-15 5,11 5,12ss 7,2 7,11 7,11s 8,3 9,11 10,6 12 12,4 12,5s 12,7-18 12,8 12,9 12,12 12,17 13-17 15,7 18,7 18-22 19,10 19,11 19,13 20,1 20,9 20,10 20,13 20,14s 20,15 20,16 21,8 21,8 21,27 22,1 22,2 22,4 22,6-9 22,9 22,8s 22,13 22,14 22,14	I 237 II 774 784 I 154 I 406; II 273 I 308 I 241 255 II 38 I 123; II 278 I 123 II 129 I 406 I 312 II 278 II 388 I 312 II 423 II 388 II 423 II 449 II 418 I 123 II 278 II 403 II 278 II 397 II 323 II 278 914 II 358 II 278 II 278 I 123 I 123; II 840 1012 II 278 I 406 I 308 I 296 309 425 II 323 II 416 II 278 II 1014 II 278 II 1014 I 12 406; II 39 181 II 1014 II 900 I 314 406 II 774 I 42 I 323 I 312 I 45 I 123 312; II 39 181 774 191
2 Petr	1,1 1,4 1,10 1,13 1,21 2,4 2,11 2,16 3,9 3,18	I 312 II 711 721 I 255 II 566 I 314 II 314 355 397 408 416 419 II 278 II 816 I 226 I 123 312 I 296 309 425 I 140 309 I 111 308 I 144 II 37 II 873 884 I 226 I 226 II 37 I 123 II 746 I 442 I 442; II 37 I 440 I 42 II 816 832 850 II 857 926 II 278 383 397 402 466 I 149 I 111 I 184 309 I 294 I 184 I 318 I 308 I 140 308 II 375 I 375 I 312 II 355 367 377 397 408 416 II 317 II 288 II 572	Apoc	1,4 1,8 1,17s 2,1	I 123 406; II 306 388 I 123; II 181 I 312 II 273
1 Io	1,1 1,1ss 1,2 1,5 1,6 1,8 2,2 2,4 2,13 2,16 2,20 2,27 3,1 3,2 3,4 3,5 3,8 3,20 4,8 4,9 4,11-16 4,16 5,7 5,11s 5,20	I 296 309 425 I 140 309 I 111 308 I 144 II 37 II 873 884 I 226 I 226 II 37 I 123 II 746 I 442 I 442; II 37 I 440 I 42 II 816 832 850 II 857 926 II 278 383 397 402 466 I 149 I 111 I 184 309 I 294 I 184 I 318 I 308 I 140 308 II 375 I 375 I 312 II 355 367 377 397 408 416 II 317 II 288 II 572	Apoc	1,4 1,8 1,17s 2,1	I 123 406; II 306 388 I 123; II 181 I 312 II 273
2 Io	3s	II 375			
3 Io	3	I 375			
Iudas	5s 6 6s 9 19	I 312 II 355 367 377 397 408 416 II 317 II 288 II 572			
Apoc	1,4 1,8 1,17s 2,1	I 123 406; II 306 388 I 123; II 181 I 312 II 273			

INDEX NOMINUM

N. B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

- Abaelardus, P. I 39 189 207 291s
357 360 546; II 124s 922s 1011.
Abárzuza, J. II 949 956 960 988.
Abbagnano, P. I 466.
Abulensis II 774.
A Coccaleo, V. II 805.
Achútegui, P. I 16.
Adam, K. II 551.
Adamantius I 335.
Addison, J. T. II 592.
Adloch, B. I 27.
Adoptionistae I 289.
Adventistae II 583s.
Aegidius Romanus II 707.
Aegyptii II 597.
Aetius I 290 344.
Agatho (S.) I 521.
Agnostici I 4 30.
Agnosticismus I 5 8 13 28.
Aland, K. II 928.
A Lapide, C. I 572; II 32 77 277
518 594 774 790 836 926 960.
Alastruey, G. I Bibl. gen. 423s 435
437 495 517 520 527 546.
Albert, F. II 538.
Alberti, O. II 544 546.
Albertini, G. F. I 170 194.
Albertus Magnus (S.) I 258; II 163
517 714 881 892 948 954 974
994 1011.
Albigenses II 20 22 145 293 304.
Albinus Flaccus I 474.
Albrechd, R. I 23.
Alejandro, J. M. I 366.
Alessandri, M. II 640.
Alexander, S. I 99.
Alexander II II 565.
Alexander III II 562.
Alexander VII II 648.
Alexander VIII II 700 825 830 849
851.
Alexander Alexandrinus (S.) I 3 29
388.
Alexander Halensis I 258 452; II
163 319 373 385 517 579 646 693
714s 728 802 948 960 974 1009.
Alfaro, J. I 62 63; II 683 699 719 741
748 766 772 806 811 1019s.
Algermissen, K. II 583s.
Alló, E. B. I 123; II 397 403 572s 574.
Almain, S. II 890.
Almarcha, M. II 807.
Alonso, J. II 377.
Alonso, J. M. I 546 579 582; II 49
544.
Alszegehy, Z. I 59; II Bibl. gen. 167
175.
Altaner, B. I 292 335; II 84 575
584 596 661.
Althaus, P. II 644.
Alticozzi, L. I 256.
Alvarez de Linaera, A. II 603 637.
Alvarez, D. I 124 170 234 273 279;
II 988.
Alvarez Turienzo, S. II 608.
Amann, E. I 39 248 282; II 528 535s
539 644 696 927 1000 1003 1014
1021.
Amat de Graveson, I. I 273.
Ambrosiaster II 928 1012.
Ambrosius (S.) I 103 113 131 220
227 237 242 255 329 344 396
407 450; II 130 147 150 289 293
310 315 320 378 417 446 451 528
529 485 590 608 673s 712 769 816
833 869 875 884 910 913 915 919
928 994.
Amiot, F. II 925.
A Mondreganes, P. II 12 163.
Amorós, L. II 625.
Amor Ruibal, A. I 339 424 579s 582.
Amort, E. II 707 709.
Ampe, A. II 98.
Anabaptistae II 275.
Anastasio II II 33 647 649.
Aniz, C. II 751.
Anderson, J. F. II 69 163.
Anglés, J. II 885s.
Animismus I 87.
Andérez, V. II 539.
Anomaei I 290 344 484.
Anselmus (S.) I 27 413 418 500 580;

II 119 714 800 921 948 960 978
981 1009 1015.
Antichristus II 448.
Anthropomorphytae I 109.
Anthropomorphismus I 117 118.
Antweiler, A. II 163.
Anwander, A. I 94.
A Parisiis, H. II 608 633.
Aperrribay, B. II 423.
Aphraates II 528 928.
Apollinaris II 561 568 644.
Apollinarismus II 568.
Aquamviva, Cl. I 265.
Arabes II 143 583.
Aranguren, J. L. L. II 584.
Araújo, F. I 82; II 892.
Arbeloa, A. I 254; II 866.
Ariani I 129 340 355 393 395 422
429; II 47 82 84 151.
Arianismus I 113 329 332 344 353.
Aristides I 22 113s 332.
Aristoteles I 86 148 392; II 9 50
143 281 560 583.
Arius I 290 345.
Arltdt II 538.
Armeni I 39; II 647.
Arminius I 272.
Armstrong, G. T. II 568 672.
Arnaldich, L. II 28-30 318 515 524
546s 550 711 732 758 774 789
914s.
Arnaldus de Brescia I 39.
Arnobius II 310 583s 596.
Arnou, R. I 99 109 291 293 295s
304 308 310 313 316 319ss 326
335s 338 341 343 346 352-356
403 407 470; II 9 20 50 59 143
561 568 592 602 661.
Arriaga, R. I 82 452; II 66 79 91
95 113 387 858 881 885-887 945
948 960.
Arrighi, G. II 503.
Arróniz, J. M. II 761.
Arrúbal, P. I 192 254.
Asensio, F. II 33 519 544 905 915.
Assirelli, O. II 554.
Astrologismus I 217.
Athanasius (S.) I 52 103 113 131 316
328s 331 334 340 343 347 349 353
355 374 396 402 404 406ss 423
425s 451 541 547 565 574; II 43
47 84 131s 151 160 405 417 451
563 722 769 800 928 1009.
Athei I 217; II 821.
Atheismus I 15 92; II 23.

Athenagoras I 113 150 220 332 395;
II 55 186 568 589 608.
Atzberger, L. I 347.
Aubert, R. I 2; II 519.
Aubigneau, M. II 584 761.
Auer, J. II 20 761 994.
Augustinenses I 49 59; II 805 808
810 1009.
Augustinismus I 248.
Augustinus (S.) I 32 43 46 65 68 80
85 103 113s 116 118 123ss 128s
134 141 145 153 159 162 180 190
204 208 220ss 228ss 236s 242s
248ss 256 261 265 267 272 275
282 286 295 321 323 325 328s 346
371 388 402 404 407 409s 418
423-426 428 437ss 451s 454 463
470 474 484 487 503 510 515 518s
536 540 547 553 555 558 560s 565
580 582; II 20 46s 82 108 119 131s
141 143 152s 157 159 161 163 165
170 172 187 190 219 235 252s
260s 268 273 279 281 288 293 301
303 308 313 316 319 321 349 363
365 378 380 385 388 390s 398 401
403-405 408 433 450 452 497s 527-
529 535 541 548 555 560 569 578
583 589 608 633 638 640 644 647
653s 657s 661 665s 671 673s 696
704 712 723 725 728s 734 736 744
747 751s 754 758 761 769 771 774
781 791 795 797 800s 809 811 816s
828 833 837 841 843 850 852 857
861 864s 870 875 879 884 887 897
901 908 910 913-916 918-921 925
927-933 942 954 956 960 974 978
981 984 987 994 1005s 1009.
Aumann, J. II 892 894 897s.
Aureolus, P. I 143 148 192 444 482;
II 244 620 805 939 974.
Auvray, P. II 26s 35 39.
A Vallisoletto, M. II 710.
Averroes I 143 148; II 143.
Averroistae II 560 577 583.
Avicenna II 143.
Ayer de Vuippens, I. II 784.
Ayuso, T. I 318.

Bacht, H. II 469 821 901.
Baeumker, C. I 23.
Baiani I 49; II 681 718 723 740 742
805s.
Baianismus I 61; II 696 699 704.
Bailleux, E. II 71.
Bailly, M. II 566 572.

Bainvel, J. II 569 575 584 590 596
661 676 714 736 782.
Baius, M. I 49s 62; II 373 699 704
719 741s 766 783 804-806 808 821
825 864 870s 890 926s 939 958.
Baldissera, A. II 620.
Balducci, C. II 485.
Balic, C. I 23.
Ballerini, A. II 813.
Balmes, J. I 129; II 797.
Baltzer, J. I 256; II 561 564 604 621.
Baltus I 338.
Bandera, A. I 158.
Báñez, D. I Bibl.gen. 22s 77 170 175
232 237 422 495 514; II 159 326
331 356 637 693 813.
Bañeziani II 251 266.
Bañezianismus I 170; II 266.
Barale, P. II 644.
Barbosa, J. II 589.
Barbontin, E. II 583.
Bardenhewer, O. I 338 346; II 649.
Bardessono, B. II 832.
Bardy, E. I 578.
Bardy, G. I 289s 293 306 331 343
345s 349; II 20 46 153 413 560
595 928ss.
Bareille, G. I 109 116; II 20s 285
292s 301 315 444 449s 452 927
1006.
Baritier, R. II 927.
Barklay, W. II 698.
Barns, H. II 35.
Barone, F. II 603.
Barsotti, C. II 583 715.
Barth, K. I 7; II 394 49 698 821.
Barth, Th. I 23; II 583 698.
Bartina, S. II 38 129 524 544 546s.
Bartmann, B. I 222; II Bibl. gen. 730
733 851.
Basilio de Rubi I 23.
Basilius (S.) I 12 32 43 113 316 330
344 346 349ss 354s 388 402 408s
425 438 441 470 484s 510 547 549
565 574 577; II 84 147 287 293
311 340 380 385 387 428 438 444
528 594 712 828 852 875 910.
Basilius Ancyranus I 344.
Bassolis, J. II 880 885 960.
Bataini, J. II 449 539 551 554.
Batiffol, P. I 302 330.
Baudoux, B. II 626 638 670.
Baudrey, G. II 661.
Baudrillart, A. II 821.
Baudry, J. II 50 143.

Baudry, L. I 170 466.
Bauer, I. B. II 31 318.
Baumgartner, Ch. II 728 750.
Baur, L. II 553.
Bautain, L. I 20 31.
Bautz, P. I 47.
Bayle, P. II 178 244 527 530.
Bea, A. I 90 144; II 316 505s 515-
517 519 525-527 534 544 546 550
555 673 711 732 758 774 780 784
905 908 912 915.
Beaucamp, E. II 836 851 864.
Beaupain, G. II 201.
Becanus, M. I 194 520 538.
Becher, E. I 19.
Beck, A. I 347.
Becker, J. A. II Bibl.gen.
Becker, J. B. II 919 931 935 947 957
961 971 983 1015.
Beda (S.) II 994.
Beemelmans, F. I 120.
Beer, G. I 88.
Beghimae I 49.
Beguardi I 49 80.
Beirnaert, L. II 901.
Bellamy, J. II 1000 1009 1011s.
Bellarmino, R. (S.) I 175 189 194
214 248 253 255s 273 492; II Bibl.
gen. 124 253 419 431 641 684 693
697 705 738 753 763 774 881 902
915 917s 920 922 926 936 939 949
951 956 960 985 991 996 1000
1011 1016 1020.
Bellelli, F. II 805.
Belmond, S. I 78; II 637.
Belscheit, B. I 88.
Beltrán de Heredia, V. II 693 813.
Benda, Th. I 99.
Bendfeld, B. II 592.
Bendick, J. I 23.
Benedictus XII I 38s 42; II 292 647
861.
Benedictus XIV I 414; II 807.
Benedictus XV II 504.
Benoit, A. II 927.
Benoit, P. II 208 925.
Bentivegna, G. II 279.
Benzo, M. I 62.
Beraza, B. I 38 47 54 56 59 63 171
198s 214 217 220 250 264s 568;
II Bibl. gen. 18 71s 78 95 98 113
121 147 162 193 195 198 203 213
222 229 242 254 269s 271 289
293 295 305 310 315 320 323 327
334 342 344 355 363 368s 371 392

411 419 422s 443 450 452-454 470s
475 487 493 500s 504 506 537 539
545 557 565 576 578 580 586 590
596s 599 612s 616s 623 626 629 641
651 659 663 671 676 679 686 688
705 711 714 716 725 727 731 738
741 748 751 753 763 775 783-786
794s 797 802s 811 902 918 920 931
934 936 945 949 957 961 972 985
991 997 998 1000 1017 1021.
Berg, L. II 672.
Bergounioux, F. M. II 511.
Bergson, H. I 73.
Beringer, F. II 429.
Berlage, A. II 227.
Bernard, R. II 813 850 866 898 960.
Bernardus (S.) I 485; II 124 302s 308
443 453 466 672 954 994.
Bernal II 850.
Bernini, G. II 832 926.
Bernini, R. II 866.
Berrouard, M.F. II 465.
Berti, J. L. I 5 9 78; II 644 699 741
771 805-808 810s 1009.
Bertrand, A. II 500.
Bertrand-Serret, R. II 507.
Bessarion I 408.
Bethune-Baker, J. I 346.
Bettoni, E. I 23; II 622.
Betts, J.R. II 511.
Beumer, J. I 578; II 893.
Beylard, H. II 849.
Beylard, P. I 15.
Biard, P. II 28.
Biel, G. cf. *Gabriel Biel*.
Bielt, N. I 417.
Biffi, G. II 925 991.
Bigot, L. II 594.
Billot, L. I *Bibl.gen.* 16 78 132 165
176 236 252s 259 273 378 416 444
495 505 514 520; II 50 63 551 620
683 813 815 822 834 844 847 849
859 862 867 878 886 892 925 934
949 956 960 988 1000 1017.
Billuart, C.R. I *Bibl.gen.* 58 78 124
170 172 180 214 253 273 279 285
495 520 531; II 287 326 356 401
410 422 693 706 813 850 858 892
917 949 956 960 988 991 1011
1020.
Bilz, J. I 386 412 540.
Bissels, P. II 319.
Bissen, J.M. II 116 209.
Bittremieux, J. I 22s 471; II 111 213
221 672 693 714 948s 956.

Bivort de la Saudée, J. II 49 155.
Blaton, F. II 867.
Bleuler II 621 692.
Blomme, R. II 813 922.
Blondel, M. I 22 73.
Bochenski, J. I 2.
Bochenski, M. I 22s.
Boetius I 85 119 470 473 507 521;
II 141 611 850.
Boehme, J. I 18.
Boehner, Ph. I 19 466 468.
Boigelot, R. I 518.
Boimard, M. E. I 578.
Boissard, E. II 302 699.
Bonald, A.G. II 797.
Bonamartini, V. I 23.
Bonaventura (S.) I 22 187 214 258
438 445 452 511 528-531; II 12
50 113 116 119 121 135 140 165
167 220 222 237 242 252 272 287
295 303 319 326 331 368 371 373
385s 392 402 423 451 454 486 504
506 517 623 641 658s 672s 674 693
705 707 714s 727s 753 763 773s
784 795 802 881 892s 902 914s
920 948 974 994 1000 1009 1011.
Bondi, H. II 166.
Boné, E. II 539 556.
Bonnard, P.E. II 774.
Bonnefoy, J. I 578; II 209.
Bonnetty, A. I 22; II 578.
Bonsirven, J. I 42 296; II 27 232 284
286 925s.
Bonyges, P. I 23.
Bordoy-Torrents, P. I 23.
Borgianelli, N. I 548.
Borgmann, P. I 20.
Borst, A. II 20.
Bosio, G. II 511 984.
Bossuet, J. B. I 338.
Bottalla, P. II 614 639.
Bouché, B. I 413.
Bouillard, H. II 49 698.
Bourassa, F. I 578.
Bourgy, P. II 201.
Boussonnie, A. et J. II 539 934.
Bovenmars, J. II 672.
Bover, J.M. I 11 51 255 261 281 294
298 303 305ss 310s 318s; II 209
710s 725 733 874 925 957.
Bover-Cantera I 255 308 311.
Boyer, C. I *Bibl.gen.* 62 437; II 49s
143 161 163 215 229 295 305 371
374 386 392 479 476 487 493 506

517 519 523 532 535 544s 555 563s
578 580 586 617 626 639 649 651
663 670 674 684 716 723 725 734
738 741s 744 748s. 797 799 809
902 911 918 920 934 936 956 960
988 1015 1020.
Bozzola, C. II *Bibl.gen.* 545.
Braid, J. II 500.
Braig, C. I 30.
Branchereau, P. I 71.
Braun, C. I 352 507.
Braun, F. I 111; II 318.
Braun, R. II 41.
Bravo, C. II 915.
Breitung, A. II 671.
Bremond, A. II 50 592.
Brentano, F. I 86; II 50.
Breuil, H. II 556.
Breuning, W. II 960.
Brighth, L. I 517.
Brinktrine, J. II *Bibl.gen.* 52s 511
523 545 661.
Brisbois, E. I 5 6 63.
Brivio, G. II 517.
Brodmann, B. II 913.
Brosnan, H. I 99.
Brouillard, R. II 454 466 898.
Brown, W.A. II 870.
Bruch, R. I 63; II 693.
Bruck, H. II 561.
Brucker, J. II 514 550.
Brugere, J. II 21.
Brugger, W. I 62; II 21.
Bruni, F. II 797.
Brunner, A. I 18.
Brunner, E. I 7; II 49 698.
Bruno (S.) II 210.
Brunon, J.B. II 278 418 479.
Brunsmann, J. I 94.
Bucerus, M. I 189.
Bückers, H. II 588 759.
Budde, K. II 765.
Buess, E. I 272.
Buhl, F. II 597 907.
Bujanda, J. II *Bibl.gen.* 538 544.
Bull, E. I 338.
Boussonnie, E. II 930.
Burci, S. II 394.
Burghardt, W.J. II 672.
Burke, G. II 561.
Busnelli, G. II 922.
Buzy, D. I 149; II 592 594.

Cabrera, F. I 158; II 850.
Cabrol, II 280.

Caelestinus I (S.) II 905 923 994.
Caelestinus II 696 927.
Caesarius Arelatensis (S.) II 875 884
887 900.
Caesarius Nazianzenus II 644.
Caietanus I *Bibl.gen.* 39 115 124
193 435 489 520s 531; II 69 113
116 239 302s 326 331 342 419 584
586 640 691 749 847 850 858 881
892 914 926 960 974 986 991 996.
Caillat, M. I 555.
Caiazzo, S. II 133s 405 698.
Calà Ulloa, G. II 676 688.
Calès, J. I 112 122 144; II 129.
Callixtus (S.) I 331 339.
Calveras, J. II 898.
Calvetti, C. II 584.
Calvinismus II 821.
Calvinistae I 224 232.
Calvinus, J. I 189 239 272; II 124
584 821 877 939 954.
Cambier, J. II 469.
Camelot, Th. II 672 712.
Campeau, L. II 760.
Campos, J. II 573.
Candal, E. I 39 408 410 419 420.
Capánaga, V. II 301 809.
Capdet, R. II 535.
Capelle, B. I 331 343.
Capéran, L. I 16.
Capmany, J. II 960.
Cappuyns, H. I 27 228.
Capreolus, I. I *Bibl.gen.* 82 124 148
192 435 514 520 523 531; II 244
693 881.
Carbonara, C. II 584.
Carles, J. II 532 539 556.
Carlesi, T. II 454.
Carnov, A. II 87.
Carpentier, R. II 854.
Carra de Vaux, M. I 86.
Carretero, E.D. II 693 931 954.
Carreyre, J. I 272; II 539 699s 719
783 806 808s.
Carton de Wiart, S. II 813 848 854.
Casajoana, V. I *Bibl.gen.* 92 164s
417 473 489 504 520.
Casini, A. II 783 794.
Cassianus, I. II 301 308 340 469.
Castelli, P. II 491.
Catazzo, E. II 693 714.
Catechismus Concilii Tridentini I 437;
II 235 255 261 381 388 433 459
750 1021.

Catharinus, A. I 239 252; II 693
931 948 960 1020.
Catherinet, F.M. II 478s 483.
Cathrein, V. I 16 59 94; II 816 854
898.
Cavallera, F. I 292 345ss 352 355
439; II 708 730 923.
Caviglione, C. I 189.
Cayré, F. I 133.
Cazelles, H. II 711.
Celsus I 153 180 330.
Cereceda, F. I 253.
Cerfaux, L. II 925.
Cerinthus I 289.
Ceulmans, F.C. II 129 733 746.
Ceuppens, F. I 10 40 42 79 88 90s
100 111s 117 122s 130 133 149
154 162 184 190 204 208 226 241
245 261 270 281 293 296 300 302s
306s 309ss 316 318ss 322 394; II
20 24-29 31 35 53 281-283 316 318
515 528 546s 552 573 607 652 673
732 746 755 758 765 768 774 780
783s 789 904 911 913-915 925 932.
Cevallos, S. II 507.
Chainé, J. I 112; II 27 315 546 550.
Chaldei II 597.
Chambat, L. I 578.
Chantepie de la Saussaye, F. I 87.
Charisius I 414.
Charles, P. II 503.
Charlier, L. I 63.
Charue, A. I 112 281; II 377.
Chenu, M.D. I 290; II 693.
Cherniss, M. I 354.
Chetwood, T.B. II Bibl.gen.
Chevalier, J. I 487; II 50.
Chollet, A. I 545 552; II 143 560
583 602s 640 670s 727 749.
Chossat, M. I 2s 5 7 13 17ss 23 28
30 34 201.
Ciafardini, E. II 592.
Ciappi, L. I 253; II 799 960.
Cicero I 99 153.
Cilleruelo, L. II 608 633.
Claeys, F. II 699.
Clamer, A. II 27s 31 52 318 515 524
527 546 732 758 774 780 784 789
843 914 926.
Clarcke, R. I 129.
Clemence, J. II 954.
Clemens Alexandrinus I 102 113 140
145 150 153 220 330 334 395 425;
II 45 56 205 315 405 568 734 915
922 930 933.

Clemens I Romanus (S.) I 140 150
332; II 102 285 861.
Clemens VIII I 414; II 851.
Clemens XI II 700 708 719 864.
Clemens XII 986.
Clemens, F.J. II 561 563 609.
Clemens Trinitas I 292.
Clericus, J. I 346.
Closen, G.E. II 318 528.
Coccio, A. II 592.
Codex Iuris Canonici II 475 671 1003.
Cognet, L. II 700.
Collé, A. II 163.
Collin, R. II 507.
Collins, J. II Bibl.gen. 287.
Colombo, G. I 12; II 515 719.
Colunga, A. II 29 514 914s.
Comellas, A. I 441.
Commer, E. I 47 493.
Commissio de re biblica II 26 145 515
517 522s 527 543 546 728 756 778
905 913s.
Comte, A. II 21.
CONCILIA:
—Alexandrinum I 350.
—Antiochenum I 331.
—Arausicanum II I 229 274 286;
II 541 696 708 728 730 756s
771 851 905 923-925 975 986
989 994.
—Arelatense I 225 272 274.
—Baltimorensis II II 503.
—Bracarense I 89 217 292 414; II
24 291 395 646 662.
—Carisiacum I 225 240 270 274.
—Carthaginense IV II 475.
—Carthaginense XVI II 541 696
756s 771 871 884 923 927 973
977 1003 1014.
—Chalcedonense I 110 349 393 414
425; II 562 565 605s 612 626.
—Coloniense (1860) II 513 564
708 719 806 1003.
—Constantiensis II 125.
—Constantinopolitanum I I 290 292
344ss 349 355 399 414.
—Constantinopolitanum II II 562
565 612 624.
—Constantinopolitanum III II 562
—Constantinopolitanum IV II 563
565.
—Eliberitanum II 475.
—Ephesinum II 624 696 927.
—Episcoporum Armenorum II 647.
—Florentinum I 38 42 69 89 189 387

401 408s 414-418 447 468 511
515 540s; II 22 25 70s 125 144
276 861s 1003 1010 1021.
—Lateranense I I 292 521 546.
—Lateranense IV I 35 67 83 89 110
140 183 207 292 383 387 393
401 485 510; II 22 25 70 144-
146 276s 291 293 304 355 395s
412 414s 458 512 562 565 578
605s 612 624 626 861 914.
—Lateranense V II 512 577 586
625s 648 662s.
—Lugdunense II I 292 401 415 417;
II 276 861 1003s 1010 1014
1021.
—Nicaenum I I 110 207 229 290
292 326 329 344ss 352 355 393
403.
—Nicaenum II II 308.
—Rhemense I 482 485; II 144.
—Romanum I 290.
—Senonense I 189; II 124s 922s.
—Toletanum I I 292 387.
—Toletanum IX II 562.
—Toletanum XI I 292 345 387 393
401 437 468 470 474s 515 542
546 557; II 70 562.
—Toletanum XIV I 383.
—Toletanum XV I 110 292 383; II
562.
—Toletanum XVI I 292 383.
—Tridentinum I 89 225 229 240 243
274 280 564; II 276 458 466
475 541 544s 691 696 708s 728
730s 733 750 752 756s 771 778s
799 819 825 851-853 857s 861s
864s 871s 884 890 901 905 907
922-926 934 936 940s 945 947s
950 952 956-958 960 973 975
977 985s 989 994 1003s.
—Valentinum I 153 225 240 270
274.
—Vaticanum I 2s 5 8 14 22 56 67
73 83 89 96 99 107 110 148
153 183 189 207 217 356s 361;
II 3 23 25 49 105s 124 126 128
144-146 178-180 196 228s 267
276s 291 304 346 512 522s 544
562 564 578 605 625 646 648s
651 708 719s 730 741s 756 766
936 947 986 1003.
—Vaticanum II II 446.
—Viennense I 49s 72; II 562 565
605s 625-628 630 637.
Condamin, A. I 122 130; II 594 911.

Congruistae I 253.
Conink, Ae. II 850.
Connell, F.J. II 544.
Connolly, F. I 330.
Constantin, C. II 702.
Constitutiones Apostolorum II 590
645 655.
Contenson, V. II 805 988.
Conybeare, F. I 316.
Cooke, B. II 469.
Coppens, J. II 318 693 758 774 780
914s.
Copleston, F.C. II 637.
Corbon, J. II 469 783.
Corluy, J. I 11.
Cornely, R. I 10s 261 281 319; II 52
208 230 467 546 556 560 594 598
699 725 733 759 901 925s 932 957.
Cornoldi, I.M. I 189.
Corte, N. II 418 507.
Corticelli, A. II 654 954.
Corvez, M. I 56.
Cothenet, E. II 784 914.
Cotter, A. II 544.
Cottiaux, P. I 546.
Coulange, L. I 346.
Courtès, C. II 356.
Couture, R.A. II 854.
Couturier, Ch. II 608.
Cowton, R. I 170.
Creatianismus II 642 644 648s.
Crenna, M. II 164.
Creusen, J. II 671 898.
Crevola, C. I 257.
Criado, R. I 79; II 836.
Crisóstomo de Pamplona I 253 263;
II 783 804.
Cristiani, L. II 166 418 465 469 486
492 539 560 583 700s 821 922.
Crouzel, H. II 153 661 672.
Cruveilhier, P. II 515.
Cruysberghs, K. II 898.
Cucart, P. II 752.
Codworth, F. I 346.
Cuervo, M. I 56 569; II 545 551 693
850.
Cuesta, S. II 197.
Cunningham, L. I 569.
Cullmann, O. II 584 927.
Curiel, J.A. II 881 885s 892.
Cyprianus (S.) I 12 330; II 289 405
481 761 769 870 914 928 978.
Cyrillus Alexandrinus (S.) I 103 113
117 140 155 242 255 325 400 405-
409 414 423 425 442 470 484 515

521 541s 549 565 574 577; II 82
150s 316 349 378 428 509 569 633
665 712 722 734 791 794s 910 925
933.
Cyrillus Hierosolymitanus (S.) I 45
91 114 150 344 396 406 565; II 24
285 288s 349 672.

Da Caggio Montano, M. II 693 714.
Dacquino, P. II 423.
Daffara, M. I Bibl.gen. II Bibl.gen.
163 165 229 269 281 295 305 327
334 355 401 423 454 470 506s 537
545 565 578 580 617 651 670 741
799 803s 918 936 949 960 991.
Dahood, M. II 598.
D'Alès, A. I Bibl.gen. 116 230 237
252 256 258 261 272 290 326 331
336 338 342 386 403 407 410 417
418 424 425 435 437 441 448 540
546 552; II 41 46 253 693 712 928.
Dalman, S. I 303.
Dalmau, J.M. I 182-228 230 237 255
282 345 364 367 498 512; II 139
167 172 174s 194 196 198 724 928
957 960 963.
Damasus (S.) I 183 290 292 344 349
401 425.
Dander, F. I 552; II 672.
Daniel, J. II 523.
Danielou, J. II 279 405 418 423 441
444-450 469 479 751 931.
Daniels, A. I 23 30.
Darlapp, A. II 487.
Darrientort, A. II 182.
Darwin, C. II 511.
Daubercies, P. II 750.
Davis, F. II 511.
D'Azy, P.B. II 384 423.
De Alcántara, P. II 961.
De Aldama, J.A. I 62 292 364 366
403; II 515 518 649 691 804 823
829 844 847 849 949 960.
De Andrea, M. II 584.
De Armellada, B. II 683.
De Baiocchi, J. I 578.
De Baedemaeker, F. I 63.
De Beaurecueil, M.J. II 672.
Debièvre, M. II 623 626.
De Blic, J. II 47 145 153 159 356 535
954 960 974.
De Bonnety, A. I 20.
De Broglie, G. I 48 56s 59s 62; II
679 681 683 723 804 809 812 815
988.

De Broucker, W. II 866.
Dechamps, St. II 124.
De Dinant, D. I 135.
Defever, J. I 23.
De Fraine, J. II 511 515 524 527 541
673 678 914 925s 961.
De Ghellinck, I. I 201 291 329s.
Degl'Innocenti, H. II 164.
De Grandmaison, L. II 479 484 486
626.
De Guibert, A. II 200.
De Guibert, J. II 898.
De Haes, P. II 175 192.
Dehove, M. I 5.
Deimel, A. II 780 784 911.
De Inghem, M. I 482.
Deismus I 217.
Deistae I 357; II 227 821.
De J. Sacramento, F. II 470.
De la Barre, A. I 5; II 21.
De la Brière, Y. II 821.
De la Luzerne I 16.
De Lama, M. II 805 919.
De Langue, R. I 90.
De la Peyrière, I. II 539.
De la Potterie, I. II 37 832 928.
De la Puente, L. I 204; II 255.
De la Taille, M. I 147 180; II 686
881 892.
De la Trinité, Ph. II 356.
De la Vaissière, J. II 752.
Delcor, M. II 588.
Del Degán, G. II 50 644.
Delhayé, Ph. II 201 813 821s.
De Lemos, Th. II 805 988 1020.
De León, L. II 210.
De Letter, P. I 578; II 693 800 892
898 934 984.
De Leusse, H. II 661.
Delgado Varela, J.M. I 580.
De Libero, G. II 418.
Delitzsch, F. II 784.
Del Río, M. II 608 633.
De Lubac, H. I 59 61ss; II 303 356
681 685 704 806s 809.
De Lugo, I. I 192 195 254.
Della Volpe, J. I 30.
Del Val, H. I Bibl.gen. 78; II 805
949 988 1015.
Demán, Th. I 15; II 813 844 847
849-852 864-866 870 881 885 890
892.
De Martigne, P. 623 638.
De Meester, P. I 411 419.
De Monsegú, B. I 574 579ss.

De Montcheuil, Y. II 744 809 851
931.
Dempf, A. I 30 99; II 561.
De Montefortino, H. II 714.
De Munnynck, M. II 163.
Deneffe, A. I 5 540; II 586 681 851.
Denifle, H. I 30.
Denis, P. II 652.
Dennefeld, L. I 153; II 914.
D'Envieu, F. II 538s.
Denzinger, H. I 12.
De Paillerets, M. II 750.
De Plinval, G. II 696 756 870 1003.
De Prieur, Ph. II 539.
De Rafael, R. I 135.
De Régnon, Th. I 175 291 352 357
383 386s 400 409 424 438 482 507s
520s 529 540s 546 561 572; II 611.
De Riedmatten, H. II 561.
De Roux, R.E. II 131s 187.
De Rubeis, B. M. I 572; II 813.
De Sainte Marie, M. II 693 773 960.
De Saint-Seine, P. II 511 556.
De San, L. I Bibl.gen. 76 82 85 107
109 113 116 119s 123ss 134 149
157 170 175 178 224 228 230 231
233 237 248 251 256 258 411;
II Bibl.gen.
De San José, I. II 280 423 453.
De Santoyo, G. II 486.
Descrates, R. I 27; II 602s 621 640.
Deschamps, A. II 827.
Deschamps, St. II 124.
Descosq, P. I 5 15 16 22s 56 72ss 96
98s 493 509; II 849.
De Simone, S. M. II 696.
De Sinety, R. II 507 535.
Desjacques, F. II 623 626.
Dessain, C.S. II 231 547.
De Surgy, P. II 780.
De Tonquedec, J. II 466 469s 485.
Deterministae II 821.
De Vaux, R. II 27 29s 132 914s.
De Vita, J. I 170.
Devresse, R. II 696 755.
De Vries, W. II 696 755.
Dezani, S. II 556.
Dhorme, P. I 117 130 144; II 286.
Diaz, G. II 750 939s 1015.
Διαχρή I 330; II 186 469.
Didier, J.C. II 927.
Didymus I 103 113 316 349 406;
II 84 287 928 978.
Diekamp, F. I 351; II 511 742.

Diekmann, H. I 51 303 331 517.
Dierckx, F. II 511 514 538.
Diès, A. II 50 143.
Diez-Alegria, J.M. II 844 847.
Diez Macho, A. II 524 527 546.
Dillmann, A. II 755.
Diodorus Tarsensis II 696 922.
Dionysius Alexandrinus (S.) I 330s
335 340 350 425.
Dionysius Carthusianus I 468.
Dionysius Romanus (S.) I 289 292
331 393 425 541s.
Dirac, P.A.M. II 166.
Ditheismus 91.
Domínguez del Val, U. II 928.
Donat, J. II 155.
Donatistae II 927.
Donau, F. II 954.
Doncoeur, P. I 466.
Dondaine, H.F. II 402.
Dondeyne, A. II 77 101 106 133 243
507 578 582 594.
Donnelly, M. I 572; II 167 179.
Donnelly, Ph.J. II 167 169.
Doran, G.R. II 511.
Dorlodot, H. II 535s.
Dorsch, E. I 94.
Draguet, R. II 930.
Drexel, A. II 553.
Driedo, J. II 1009.
Driver, S.R. II 755.
Dualismus I 87 89; II 20 23 563.
Dualistae I 217.
Dubarle, A.M. I 79; II 27 35 377
539 594 673 759 813 866 914
925s 932.
Dubarle, D. II 507.
Dubois, E. II 98.
Dubois, F. II 917.
Duchesne, L. I 289 338.
Ducquoc, Ch. II 469.
Düllmann, H. II 446.
Dufour, J.M. II 711.
Duhr, J. II 423.
Duhem, P. I 23.
Duhm, B. I 122 144.
Dumaine, H. II 28.
Du Manoir, H. I 414 574; II 672.
Dumont, C. II 958.
Dumont, P. I 59 170; II 725.
Dumand, Ph.H. II 715 1020.
Dunin-Borkowski, St. I 291.
Dunker, P.G. II 673 780 783.
Duplessis d'Argentré, P. I 237 252;
II 625.

Dupont, G. I 11.
 Dupont, J. II 469.
 Dupont, P. I 40.
 Durand, A. I 51 305s; II 37 587 594.
 Durandus I 232 417 424 429 436
 445s 452 474 482 520 523; II 79 91
 116 163 227 252 254 356 420 693
 749 881 922 960.
 Dürig, W. II 673.
 Durkheim, E. I 94.
 Durkin, E.F. II 875 879.
 Duvosin, N. I 16.
 Dyer, G.J. II 1003 1009 1011 1015
 1021.
Dynamismus actionis I 22.
 Dyroff, A. I 27 189.

Ebbinghaus, H. II 602 621.
Eberharter, A. II 758 836.
Ebionitae I 289.
Echarri, J. II 515 532 535 544.
Echeverría, B. II 623 625.
Echswiler, K. I 189.
Eckard I 30 135.
Eckart, J. II 143s 643.
Edder, M. II 592.
Edghill, J. I 6.
Ehrhardt, A. II 27.
Ehrle, F. II 623 625s 637s.
Eichrodt, W. I 90.
Einig, P. II *Bibl.gen.*
Eisler, R. I 99.
Elorduy, E. I 205 253.
Elter, E. I 59; II 898.
Emanatismus I 94; II 23 46 643 646
 651 653.
Emery, J.A. I 16.
Emery, S. I 332.
Emmen, A. II 922.
Enciclopedia Espasa I 6 135 466 503.
Enciso, J. II 30.
Endres, J. II 683.
Encratitae II 918 933.
Engelland, H. II 755.
Enriques, F. I 99.
Ephraem (S.) I 91 409; II 289 548
 644 928.
Epiphanius (S.) I 45 113 242 255 290
 292 323 328 340 355 406s 409 423;
 II 43 293.
Erasmus II 922.
Erdin, F. I 352.
Erich, O. II 418.
Eröss, A. I 572.

Esparza, M. I 195; II *Bibl.gen.* 805
 892 914 988 1016.
Espenberger, J.N. II 939 960 974.
Esser, E. I 27.
Esser, Th. II 163.
Estius, G. I 424; II 714 741 805 954
 1009 1016.
Ethier, A. I 508.
Ethnici I 207.
Etspueler, J. II 201.
Eunomiani I 30 49 66ss 113 482s.
Eunomius I 290 344 408.
Euringer, S. II 914.
Eusebius Caesariensis I 344s 395;
 II 58 309 403 583.
Eusebius Nicomediensis I 290 344.
Euthymius II 109.
Evagrius Ponticus I 43 113 355; II
 469.
Existentiaлизм I 6 73; II 583.
Extrinsecismus I 62.
Evhaemerismus I 94.
Eymard, J. I 63.

Fabre, J.C. I 19.
Facundus II 609.
Fano, G. II 797.
Farraher, J.J. II 898.
Fatalismus I 189 217 220.
Fatta, M. II 67.
Faulhaber, M. I 34; II 583.
Faure I 228 230 282; II 1015.
Faustus Reiensis II 301.
Faydit, P. I 346.
Fechner, G. Th. II 602 621.
Feckes, C. II 213.
Feder, A. I 338.
Feiner, J. II 507 511 539 543 698.
Feldmann, J. II 784 902 915.
Feller, F. I 16.
Felten, J. II 583.
Fenasse, J.M. II 35.
Fenelon II 124.
Feret, H.M. II 209.
Fernández, A. II 535 693 915 932.
Fernández, D. II 1004 1020.
Fernández de Viana, F. II 18.
Fernández, M. II 1003.
Fernández, N. I 63.
Ferrariensis I 134 435 514 531; II 69
 960.
Ferrer, J. II 939 1009 1016.
Festorazzi, F. II 26 28.
Festugière, A.J. II 574 584.
Feuillet, A. II 754 925s.

Fhurmans, H. II 21.
Fichte, J. I 135.
Fideismus I 18.
Fideistae I 7.
Fideles germanici II 583.
Fillion, L.C. II 926.
Filocristiano II 915.
Filograssi, I. I 437.
Finili, D. I 62.
Finkenzeller, J. II 714 728 754 939.
Fischer, J. II 52 230 318.
Fisher, J. II 890.
Fitzgerald, Th. I 578.
Fitzpatrick, E.J. II 693 715 917.
Flavius Iosephus II 483.
Fliche-Martin I 466.
Flick, M. II *Bibl. gen.* 13 46 98
 106 121 140 167 175 272 281
 293 307 375 377 394 423 506
 510 515 517 519s 523 541 544-
 546 558 580 586 641 651 658
 705 727 731 751 753 793 919-
 921 925 934 948 971 988.
Floëri, F. II 756.
Florit, E. II 578 673.
Foerster, W. II 27-30 129 232.
Foley, L.A. II 154 166.
Fonck, L. I 190.
Fondevila, J.M. II 710 751.
Fonseca, P. I 170 193.
Forcellini, Ae. II 678.
Forest, A. I 5 482.
Forget, J. II 475.
Fortin, E. II 608.
Fortunato de J.Sacram. II 485.
Fouard, P. I 309.
Foucher, L. II 952.
Fournier, P. I 291.
Fouure, G. II 699 783.
Fraissinous, C. I 16.
Fracassini, W. II 284.
Franciscus Salesius (S.) I 204 253
 255.
Frank, K. II 503.
Fransen, P. 696.
Franzelin, J.B. I *Bibl.gen.* I 17 26
 28s 34 36 38 45 47ss 65s 68s 76
 78ss 82 85 95 102s 107 113 115
 119s 124s 142 147 152s 157 165
 168ss 176 199 201 204 224 228
 230s 233 237 248 251 256 258 261
 263 291 293 303 306 308 322s 326
 331 336 338 339 341 344ss 356s
 391 394 397 399s 403 407 409ss
 422s 431 436 438 463 489s 492

495 510 517 520 524 540 542 544
 546 555 563 567 571 576; II 748
 804.
Frassen, C. I *Bibl.gen.* 78 170 253
 401 413 424 452; II 337 342 352
 374 385 693 714 729 731 800 802
 915 945 948 960.
Frazer, J.S. I 94 327.
Freiherr von Huene, F. II 551.
Freppel, F. I 338.
Freundorfer, J. II 758s.
Frey, J.B. II 27 52 284 286 588 759
 925.
Frick, K. II 867.
Frickel, M. I 131.
Frins, V. II 246 253 262 847.
Fritz, G. II 413.
Fröbes, J. II 584 602.
Froget, B. I 578.
Frohschammer, I. II 645 650.
Frühstorfer, K. II 784 902 914s 918.
Fuerst, H. I 127.
Fuetscher, L. I 22; II 253.
Fulgentius (S.) I 155 237 240 242
 257 272 275 278 474 540ss; II 153
 301 308 398 408 417 837 974 1006
 1009 1015.
Funk, F.X. I 150.

Gabriel Biel I 30 232 239 482 538;
 II 79 880.
Gächter, P. I 318.
Gagnebet, M.R. I 62; II 356.
Gaguère, F. II 486.
Galbiati, E. II 511 527.
Galopin, P.M. II 278 283.
Galtier, P. I *Bibl.gen.* 288 290s 293
 299ss 302 306 319ss 326 329 331
 335s 338 340-347 353-356 377 395
 398 405 409 417 422 425 437 441
 443 448 479 492s 507 510 520 524
 527 535 540 544 546 555 563 568s
 571 574s 577 581; II 535 601 647
 710 862 901 919 961.
Gallus, T. II 759.
Gandavensis, H. I 448.
Gandillac, N. I 466.
Gandulphus Bononiensis II 939.
García, P.J. II 209.
García Cordero, M. II 547 593 866
 924.
García de la Fuente, O. II 821 891.
García Rodríguez, R. II 925 960 971.
García Villada, Z. I 290 292.
García Yebra, V. II 21.

Gardeil, A. I 56 569; II 356.
 Gardette, L. II 487 491s 494.
 Garofalo, S. II 28.
 Garrido, M. I 427.
 Garrigou, E. II 854.
 Garrigou-Lagrange, R. I Bibl.gen.
 17 22s 56 63 232 234 253 495;
 II Bibl.gen. 209 537 545 678 693
 723 866 892 898 960 1020.
 Gasparri, P. II 671.
 Gasser (Card.) I 7 22.
 Gatterer, A. II 503.
 Gaudel, A. I 307; II 539 697 700
 702 813 904 913 915 922 925 927
 928 930 934 939 954 960 974 978
 981 1003 1010 1015.
 Gaullier, B. II 1000.
 Gazzana, A. II 532.
 Gazzaniga, P. I 273; II 988.
 Gearon, P.J. II 503.
 Geffré, C.J. II 854.
 Geiger, K. I 18s.
 Gelin, A. I 123.
 Gemelli, A. II 503.
 Gennadius II 293 472 569 633 655.
 Gentile, G. II 143.
 Gentiles II 124 143.
 Gény, P. I 23.
 Georges, A. II 836.
 Gérard, J. II 783.
 Gerdil, A. I 71.
 Gerson, I. II 890.
 Gesenius, G. II 597.
 Gesenius, G.-Buhl, F. II 907.
 Geurtsen, H. I 23.
 Geysler, J. I 19 36.
 Gherardini, B. II 583.
 Giannini, G. I 23.
 Gibellini, R. II 541 960 974s 978
 984.
 Gierens, M. I 552; II 143 153 163.
 Giesebrecht, F. I 130.
 Gietmann, G. II 594 873.
 Gigon, A.C. II 1021.
 Gil, Ch. I 128.
 Gilbertus Porretanus I 82 109 133
 291s 482 485 521.
 Gill, I. I 511.
 Gillon, L.B. II 163 922 949 960s
 991.
 Gilson, E. I 23 481; II 50 535 584
 608 633 665 809.
 Gioberti, V. I 71.
 Giordano Bruno I 135.
 Girotti, G. II 379.

Gisler, A. I 30.
 Glorieux, P. II 301.
 Glory, A. II 511.
 Glossner, M. I 36.
 Gnostici I 129 289 329 392; II 44
 82 130.
 Gnosticisimus I 87 92; II 20.
 Godet, P. I 189 306; II 561.
 Godoy, P. I 78; II 963 1020.
 Goettmann, J. II 914.
 Goetz II 821.
 Götzmann, W. II 590 592.
 Goitia de, J. II 854.
 Gokey, F.X. II 418.
 Gold, T. II 166.
 Goldziher, H. I 86.
 Gómez de Castro, M. I 351.
 Gómez Hellín, L. I 188 192-195
 252ss.
 Gómez Nogales, S. II 583.
 Gommarus I 272.
 Gonet, I.B. I 180 214 243 262 273;
 II 326 356 422 688 693 741 749
 804 850 881 892 949 956 988 1017
 1021.
 González, E. II 528.
 González de Albelda I 158.
 González Ruiz, J.M. I 281 578; II
 524 843 925s 932.
 González, M.C. II 898.
 González, S. I 232 250 350s 354
 563 568s 574; II 862.
 González, T. II 988.
 González, Z. II 514.
 González-Quevedo, J. I 70.
 Goossen, W. II 755 758s 765 768
 774.
 Gordillo, M. I 400 403 406 409 411s
 414 419 582.
 Gotteschalvus I 224s 272.
 Gotti, V. I 162 273; II 356 804 960
 990 1009 1017 1020.
 Gottwald, H. I 22.
 Goudin, A. I 273.
 Gozzo, S. I 303.
 Grabmann, M. I 30 133 291; II 252.
 Grabowski, St. I 134.
 Graebner, F. I 94.
 Graeci II 45.
 Graeci schismatici I 400.
 Graef, H. II 672.
 Grajenski, F. I 481.
 Granado, I. I 196 365 520; II 706.
 Granado, S. II 881.
 Grandenath, Th. I 2 153.

Grandin, M. I 572.
 Grandmaison, L. I 149 302 307.
 Grandsire, A. I 351.
 Graneris, G. II 821.
 Grasso, D. II 538.
 Grave, S. I 27.
 Greenstock, D. I 578.
 Grégoire, F. I 23.
 Gregorius XVII II 703.
 Gregorius Ariminensis I 417 424
 444 511; II 244 805 858 939 974
 988 1009.
 Gregorius Magnus (S.) I 43 439 561;
 II 235 273 278 288s 293 309s 329
 390 398 401 404 418 426 644 647
 715 800 852 978 1009 1015.
 Gregorius Naziancenus (S.) I 22 102
 124 220 227 313 316 344s 350ss
 355 388 407 425 438 470 484s 510
 515; II 42 188s 287 293 311 446
 665 928 930 1006 1012.
 Gregorius Nyssenus (S.) I 32 68 102
 114 140 159 220 227 316 323 344
 346 349ss 354 357 407ss 418 547
 574; II 189 292 309 438 441 451
 469 536 561 569 578 632 644 665
 671 722 797 800 857 928 930 933
 1012.
 Gregorius Palamas I 39.
 Gregorius Thaumaturgus (S.) I 292
 330 335 408 438.
 Grenet, P. II 602.
 Grill, L. II 922.
 Grillmeier, A. I 555; II 930.
 Grisar, H. II 870.
 Grison, M. II 532.
 Groblicki, J. I 178.
 Groot, J. II 698.
 Gross, H. II 283 673.
 Gross, J. II 528 536 672.
 Gross, J. II 930 954 960.
 Grumel, V. I 410.
 Grundwald, K. I 23.
 Guelly, R. II 197 209.
 Günther, A. I 183 292 346 357 360
 508 518 546 551; II 124 143 178
 561 564 604 611 621 627 787.
 Güntheriani II 604 621 627.
 Guérard des Lauriers, L.B. II 356.
 Guerrero, E. I 366.
 Guibert, J. II 539 553.
 Guichardon, S. I 482.
 Guillaumont, Cl. II 418.
 Guillet, J. II 418 469 572 908.

Guitton, J. II 153 539 751.
 Gulielmus Altissiodorensis II 974
 994 1011.
 Gulielmus de Nottingham II 922.
 Gulielmus de Ockham I 239 468
 482; II 133.
 Gulielmus Parisiensis I 468; II 949.
 Gummersbach, J. II 945 978 1021.
 Gummerus, J. I 290 346.
 Gunkel, H. I 117 133; II 31 755 904.
 Gutberlet, C. I 548; II Bibl.gen. 503.
 Gutiérrez, P. II 232 375.
 Guttman, W. I 30.
 Gutwenger, E. I 63.
 Gwatkin, J. I 290 346.
 Guzzo, A. II 603 654.

Haag, H. II 566 597 784 914.
Haas, J. II 827.
Habert, O. II 21 143 560 578 583
 644.
Hacault, A. II 851.
Hackspill, L. II 284.
Hadrianus I. I 240.
Haeckel, A. II 510.
Hagemann, G. II 227.
Hahn, G. I 272 292.
Hamman, A. II 698 756 851.
Hammerschmidt, E. I 351 352.
Hanim, J. II 915.
Harent, S. I 16 30; II 1001.
Harnack, A. I 289 320 327 346;
 II 275 927.
Harris, G. I 87.
Harris, W.R. II 922.
Hartmann, L.F. II 915.
Harvey, J. II 866.
Haubst, R. II 289 375 672 711.
Haulotte, E. II 751.
Hauret, Ch. I 345; II 27 546.
Havernick, N. I 118.
Havet, H. I 327.
Havet, J. II 544.
Hayen, A. I 482; II 405.
Hedde, R. II 696 927.
Hefele, C.-Leclercq, H. I 272 290
 331 345; II 304 475 563 584 625
 627 696 927 1003.
Hegel, J. I 135.
Heidel, A. II 20 27.
Heidt, W.G. II 278.
Heijke, J. II 673s.
Heidingsfelder, H. II 584 592.
Heinisch, P. I 10 79 87 88 90s 101
 111s 117s 122 133 149 154 158

- 204 322ss; II 29 35 278 282 316
444 546 550 555 572 597 673
758 774 780 784 789 914s.
Heinrich, J.B. II 915.
Hellenistici I 392.
Hellín, J. I 15 18 22 72ss 78 82s
95 98 115 125 129 132 135 147
152 170 180 182 198s 212 214 364
367; II 66 89 91 95 227 326 849.
Hempel, H. I 117.
Henao, G. I 158.
Hennig, J. II 369.
Henninger, J. II 418.
Henno, F. I 452.
Henotheismus I 87s 93.
Henricus Gandavensis I 98 448; II
163 242 244 253 939 974.
Henry, P. I 19 23 87.
Hense, F. II 813.
Hentrich, W. I 175 253.
Heredia, C.M. II 503.
Hergenröther, J. I 351 400 411s 419;
II 563.
Hering, H.M. II 670.
Hering, J. II 698.
Heris, Ch.V. II 356.
Herkenne, H. I 122.
Hermas I 125 150 288; II 42 45 279
469.
Hermes, G. I 189 357; II 124 178
644 703 707 937.
Hervaeus Natalis I 232 253 495.
Hervé, J.H. II 854.
Herzfeld, E. I 87.
Hessen, J. I 73.
Hesychnastae I 39.
Hetzenauer, M. I 79 122; II 316 550
594 711 784 914.
Heuschen, J. II 315.
Heuze, P. II 503.
Heynck, V. II 622.
Heyns, J. I 289.
Hidding, K.A.H. II 914.
Hieronymus (S.) I 83 152 154 162
180 242 255 316 340; II 190 253
259 293 340 378 438 441 448 462
481 555 594 596 643 644s 652 655
658 661 665 828 852 870 875 879
884 900 925s 1009.
Hilarius Pictaviensis (S.) I 80 102
113 124 190 237 239 242 255 316
344 346ss 352s 357 388 396 407
409 423 439 470 510 540 565;
II 308 433 446 644 655 928.
Hilduinus II 681.

- Hill, P.J. II 1000.
Hinduismus I 94.
Hippolytus (S.) I 150 289 316 330s
333 336s 339 343; II 46 130 152
861.
Hirscher, J.B. I 424; II 702 734 787.
Hirschmann, H. II 406.
Hislop, I. II 674.
Hoberg, G. II 316 784 914.
Hocedez, E. II 957.
Hochstätter, E. I 466.
Hödl, L. II 673.
Hofbauer, J. II 914.
Hoffmann, A. II 672.
Hoffmann, G. I 511.
Holkot, R. I 511.
Holl, K. I 350 355.
Holstein, H. I 23.
Holtzmann, W. I 303.
Holzinger, H. II 31.
Hommel, F. II 784.
Honthheim, J. I 22s 74 96 128 135
176.
Hophan, O. II Bibl. gen.
Horvath, A.M. I 493; II 847 850.
Houck, F.A. II Bibl. gen.
Hoyle, F. II 166.
Huarte, G. II Bibl. gen. 49 67 95
106 116 162s 198 253 305 334
443 545 557 565 578 586 617 639
651 663 693 716 725 738 742 748
763 803-805 809 811 814 834 836
861 891 898s 915 997 1020.
Huby, J. I 40 86 303 307 317 321;
II 196 208s 232 851.
Hübscher, I. II 672.
Hudeczek, M.M. II 155 507 670
984.
Hüffer, E. II 535.
Huerth, F. II 898.
Huet, Ch. I 338.
Huftier, M. II 486 751 813 848-850
854.
Hugo a Sancto Victore I 201; II 373
646 714s 960 974.
Hugo Etherianus I 474.
Hugo, L. II 594.
Hugon, E. I 16 22 23 170 232; II 401
545 693 705 714 785 788 795 949
956.
Huguency, E. II 898 902.
Huhn, J. II 928.
Huit, C. I 99.
Hulsbosch, A. II 36 710 754 925.
Hummelauer, F. I 79; II 27-29 31

- 147 282 316 496 652 672ss 711
732 758 774 780 783s 789 904 914
925.
Huonder, Q. II 50 583 592.
Hurtado, P. II 850.
Hurter, H. I 189; II 49 419 435 489
644 698 795 802 803s 811 917 926.
Hus, I. I 272.
Huxley, T.E. II 511.
Huybers, Th. II 674.
Huyens, F. II 560.

Iacobitae I 292 415 417.
Iacobus Metensis II 922.
Iansenismus II 696 700 704.
Iansenistae I 49 61 224 225 230 232
292; II 718 740 742 805 808 825.
Iansenius, C. I 257 272 282; II 124
704 806 808s 821 825 939 974 988.
Iarchi II 31.
Ibáñez Arana, A. II 555.
Ibero, J.M. II 784.
Idealismus II 21.
Iglesias, E. II 227 243 252s.
Ignatius Antiochenus (S.) I 150 327
332 425; II 8.
Ignatius de Loyola (S.) II 8 255 468s.
Immanentismus I 18 62.
Inauen, A. I 23; II 592.
Innanistae I 19 26 70.
Innocentius I (S.) II 1003.
Innocentius II I 189 492.
Innocentius III I 207 292; II 24 70
395 410 861 922s 1003 1010.
Innocentius X II 700 825s.
Innocentius XI I 135; II 670.
Innocentius XII I 555.
Interactionismus II 602 621 631.
Intuitionistae I 19.
Ioachim de Fiore I 35 291 292.
Ioannes XXII I 135; II 144 146 861
1003 1010.
Ioannes XXIII II 429.
Ioannes a S.Thoma I Bibl. gen. 78
104 137 170 180 253 273 364 424
427 435 462 481 492 495 504 507
520 525 531; II 69 163 892.
Ioannes Chrysostomus (S.) I 12 43
45 52 66 68 113 203 220 227 242
255 409 656; II 43 205 234 258 282
285 288 309 316 367 428 432s 446
505 529 673 734 744 758 774 781
791 794 800 828 875 908 914 926
929s.
Ioannes Damascenus (S.) I 102 155

- 203 227 387 389 425 540; II 83
132 188 279 310s 329 367 380 387
403s 418 433 444 569 583 590
633 665 712 734 744 791 794 800.
Ioannes de Montenegro I 447 511.
Ioannes de Ripa I 170 514.
Ioannes Neapolitanus II 253.
Ioannes Philoponus I 87 290.
Iovinianus II 852 870.
Irenaeus (S.) I 43 52 92 103 113 114
124 125 131 150 190 208 220 242
255 289 330 332 339 340 357 392
425 442 547 565; II 44 130 152
235 315 462 480 528 568 578 584
595 632 712 734 744 761 828 833
851 861 910 913 915 918 927s.
Isage, G. I 351 574.
Isenkrahe, C. I 96.
Isidorus Hispalensis (S.) II 644 1009
1015.
Iudaei II 275 597.
Iulianus Eclanensis II 696 729.
Iustinus (S.) I 150 153 330 332 336
395; II 54 285 315 349 355 403
480 575 595 828 851 861.

- Jacobs, P. II 697 821.
Jacquier, E. I 130; II 231.
Jacquin, M. I 261.
Jaeger, W. II 50.
Jagu, A. II 821.
Jahn, J. II 474.
James, W. I 99.
Jansen, B. I 5 39 49 99 302 481;
II 622s 625s 635 638.
Jansen, F. I 222.
Jansen, F.X. II 699 806 808 812.
Janssens, A. II Bibl. gen. 535.
Janssens, L. I Bibl. gen. 158 253 574;
II Bibl. gen. 160s 280 515 545
645 650 752 775 956.
Jäntsch, J. II 928.
Japowier, J.S. II 584.
Jarraux, L. II 625.
Jeiler, Y. II 672.
Jenkinson, W. R. II 672.
Jeremias, A. I 117.
Jeremias, J. II 927.
Jiménez Fajardo, J. II 871 878 880s
885 890 892s.
Jodl II 602 621.
Johnson, J.T. II 519 524.
Join-Lambert, M. II 546s.
Jolif, J. II 592.
Jolivet, R. I 527; II 50 143 592 665.

Joly, H. I 23.
 Joûon, P. I 307.
 Journet, Ch. II 143 206 356 406 420
 423 693 847 850s 862 919 988
 994 1003 1010 1020s.
 Jovene, I. I 572.
 Joyce, S. I 99.
 Jugie, M. I. 39 400 403 409 412 414
 419 557; II 563 605 609 693 696
 927s 930.
 Julien-Eymard, P. II 584.
 Jundt, A. I 49.
 Junker, H. II 28s 147 316 318 527
 546 758 773s 776 789 914.
 Jüssen, K. II 511 927.
Kaliba, C. I 555; II 672.
 Kamar, E. I 410.
 Kant, E. I 5 25 27; II 143 178 302
 584.
 Kantiani I 4.
 Karbach, N. I 253.
 Karolini Theologi I 400.
 Karpp, H. II 654.
 Karrer, O. I 30.
 Kasch, W. II 39.
 Kaszas, R. II 221.
 Katschthaler, J. II 275 281 302 305
 409 560s 583 787.
 Kaulen, F. II 282 784.
 Kaup, J. II 252 693 714.
 Kaupel, H. II 418.
 Kees, H. II 592.
 Kelly, G. II 898.
 Kelly, H. A. II 469.
 Kendzierski, L.H. II 143.
 Kenny, J.P. II 728.
 Kerkhofs, L. II 194 423 453.
 Kerssemakers, A. II 454.
 Kilber, H. I 77 266 346 445 (cf. *Wir-
 ceburgenses*).
 Kilwardby, R. II 623.
 Kilger, L. II 486.
 Kinder, E. II 49 698.
 Kirchgassner, A. II 827.
 Kirfel, H. I 23 56.
 Kirn, O. II 698.
 Kirschkamp, J. II 688.
 Kittel, G. II 29s 423.
 Kittel, R. I 88 302.
 Klaatsch, H. II 539.
 Klee, E. I 26.
 Klee, H. II 227 301 644.
 Klein, J. I 252.

Kleomenes I 289.
 Kleutgen, J. I Bibl.gen. 7 19 23 26
 98 188 291 357 507 508 518 546;
 II 116 124 178 181 561 584 604
 611 644 700 703 711 734 787.
 Klimke, F. I 135 189 357 754 809.
 Kloppenburg, B. II 423 444 502 504
 696 752 754 761 809.
 Klüpfel, E. II 491.
 Klug, H. II 548.
 Knabenbauer, I. I 51 112 241 308;
 II 32 129 147 181 231 293 375 378s
 431 444 484 507 533 592 598 711
 790 836 873 915 926 933.
 Koch, J. I 30; II 625 922.
 Koch, W. I 6; II 923.
 Kohler, L. I 88; II 755.
 Knoll a Bulsano, A. II 104 227 469
 474 489.
 Knoodt II 561 604 621.
 Knöpfler, L. II 701.
 König, E. I 88; II 31.
 König, F. II 957s 968.
 Köppel, R. II 556.
 Köppen, K.P. II 469.
 Kötters, L. I 303.
 Kolipinski, L. I 578.
 Kolping, J. I 27.
 Kors, J.B. II 693 714 799 939 948
 954 960 974 981 991 994 1015.
 Kortleiner, F.X. I 16 90; II 28s 31s
 52s 282.
 Kraft, H. I 346.
 Kramp, I. I 468.
 Kranich, A. I 408.
 Krapiec, A. I 441.
 Krautwig, N. II 858.
 Krempel, A. I 467.
 Krestschmer, G. I 346.
 Kropp, A. II 774.
 Krüger, H. I 327.
 Kreuthe, M. II 592.
 Krupa, L.A. II 674.
 Kuenen, A. I 88.
 Küntsle, C. I 290 292; II 649.
 Kürzinger, J. I 23.
 Kugler, F.X. I 88 90.
 Kuhn, H. II 578.
 Kuhn, J. I 22 26.
 Kupper II 604 611.
 Kuss, O. II 925.

Laborde, P. I 578.
 Labourdette, M.M. II 532 538 544s
 551 554 693 708 710 792s 795 799

923 925-927 932 956 960 971 987
 999.
 Lacouline, P. II 898.
 Lacroix, C. II 849.
 Lacroix, R. II 641.
 Lactantius I 91 124 208 220; II 41
 190 309 405 480 655.
 Ladner, G.B. II 674 712.
 Lafont, F. II 925.
 Lafont, G. II 672.
 Laforêt, N. I 18.
 Lagrange, M.J. I 11 87 88 90 111
 261 281 303 308 310 317 321 323;
 II 31 35 37 50 147 527 573 587s
 592 597 725 752 758 774 780 784
 795 853 908 913 915 925s 945
 957.
 Lahitton, J. II Bibl.gen.
 Lahousse, G. II Bibl.gen. 523 545
 789.
 Lakner, F. II 644 728.
 Lamarche, P. II 673.
 Lambert, G. II 27 30 35 732 752
 758 774 914s 926.
 Lambot, C. I 272.
 Lami, J. II 535.
 Laminne, J. II 535 745.
 Lamiroy, H. II 170 269.
 Landersdorfer, S. II 758 784 914.
 Landgraf, A.M. I 23 291 482; II 813
 858 881 892 897 932.
 Landucci, P.C. II 164.
 Lang, A. I 16 94.
 Lange, H. I 59 63 171 224 232 250
 254 261 264 265 272 281 568; II
 253 709 714 721 748.
 Langevin, G. II 761.
 Lanversin, F. I 578.
 Lanza, A. II 670.
 Laporta, J. I 60.
 La Puente, L. I 133.
 Larrañaga, V. I 567.
 Latour, J. II 603.
 Lattanzio, G. II 925.
 Lattey, C. II 11.
 Laumen, J. II 123.
 Laurence, M. II 1003.
 Laurent, P. II 693 706.
 Lavaud, B. I 272; II 584.
 Lavaud, E. I 45.
 Lawson, J. II 712.
 Leahy, M. II 594.
 Leal, J. II 129 231 375 574.
 Le Bachelet, X. I 15 32 45 49 66 102
 116 252 253 265 290 291 344 347

350 423 581 582; II 373 699 719
 734 741 766 783 806 808 813 821
 825 849 864 870 890 904 917s 931
 947.
 Lebon, J. I 344 346 349.
 Lebourlier, J. II 809.
 Lebreton, J. I 22 149 288 289 293
 296-298 301-304 306s 312 314
 316 318-324 326 328 330 335s 338
 341 343 386 392 397 406.
 Leclercq, H. II 280 286 418 453 696
 913.
 Leclercq, J. II 625.
 Ledesma, P. I 158.
 Ledrus, M. I 175.
 Leduc, H. II 931.
 Leenhardt, F.J. II 698.
 Leèvre, A. II 487.
 Lefebvre, M. II 278 449.
 Lefèvre, A. II 418 487 489 915 925s.
 Legeay, D. I 323.
 Legner, A. II 774.
 Le Guillon, M. I 62.
 Leib, B. I 419.
 Leibniz, W. I 27 129 189 196; II 124
 302 603 621 663.
 Leimbach, K.A. II 780.
 Leineidam, E. II 319 579.
 Leisegang, H. II 20.
 Leloir, L. II 784.
 Lemaire, J. II 592.
 Lemaitre, A. II 698.
 Lemaitre, J. I 23.
 Lemonnier, A. I 94; II 278 792.
 Lemos, Th. I 158.
 Lennerz, H. I Bibl.gen. 2 16ss 20
 23 28 34 38 40 47s 56 63s 70 165
 170 176 224 227 234 246 251-254
 257 261 271s; II 537 541 545-548
 551 554 699 741 806.
 Lenoir, N. I 16.
 Leo I Magnus (S.) I 510 547 549;
 II 398 649 662s 712 978.
 Leo II (S.) I 403 414.
 Leo IX II 24 646 923.
 Leo XII II 670.
 Leo XIII. I 22 31 72 292 424 437 542
 545s 553s 566s 572 575s; II 125
 421 542 585 644 650 851 921.
 Leonardi, P. II 511 539.
 Léon-Dufour, X. II 566 673.
 Lepicier, A.M. II Bibl.gen. 503
 1020.
 Lercher, L. I Bibl.gen. 82s 85 138
 204 251 321 424 437 546 552; II

72 95 167 222 229 232s 243 253s
 264 374 454 470 476 493 537 545
 557 565 578 580 586 589 651 663
 685 720 727 731 736 741s 747 749
 753 783 799 802 902 914s 920
 925s 961 991 993 1019s.
 Le Roy, A. I 94 99.
 Leroy, M.D. II 514.
 Leserteur, E. I 258.
 Lesêtre, H. I 302; II 418 471s 479
 487 496 504 836 925.
 Lessius, L. I Bibl.gen. 95 119 128
 182 204 214 243 251 253 256 263
 266 564; II 167s 176 196 200 222
 234 242 246 265 270 592 596 804
 847 850 861 863 865 949 1011
 1017 1021.
 Lévy, N. I 30.
 Levy-Brühl, L. I 94.
 Leys, R. II 672.
 Lhermitte, J. II 469 485.
Libellus Pastoris I 292.
 Liberatore, M. II 604 611 621 670.
 Liénard, A. II 539.
 Lietzmann, H. I 318 330.
 Ligier, L. II 813 827 843 851 866
 914s 925s 932 961.
 Limbourg, M. I 234 258.
 Limongi, P. II 928.
 Linder, J. II 444 573.
 Linder, D. II 854.
 Lineham, J.C. II 592.
 Linsenmann, F. II 699.
 Litt, F. II 699.
 Livingstone, T.J. II 124 511 528.
 Locatelli, F. II 592.
 Löfgren, D. II 49.
 Lohn, L. I 351 400 403 408 411 419.
 Loinaz, I. I 23 74 176s 214; II 193.
 Loisy, A. I 117 303 320; II 31 904.
 Loncke, J. II 192 203 213 220 244
 637 672 697-699 708 711s 799 803
 931 933 958.
 Lonergan, B. I 422 427.
 Longpré, E. I 23 357 481; II 622.
 Loofs, F. I 289 327 331 345s; II 930.
 López, N. II 1004 1010 1020.
 Lorca, P. II 885s.
 Lossada, L. I 39 47 65 152 167 169
 172 183 427 480s 489.
 Lossky, V. I 420.
 Lottin, O. I 201; II 319 579 637 922
 939 960 974.
 Lotz, B. II 18.

Louis, M. I 86.
Lovanienses I 20.
 Luciani, A. II 644.
 Lucianus I 330.
 Lucidus I 224 272.
Luciferiani II 644.
 Luger, F. II 584.
 Lugo II 844 849-851 858s 885 887
 948 960.
 Luickx, B. I 23.
 Lumbreras, P. II 813 815 844 847
 849 853s 859 898.
 Lutherus, M. I 4; II 124 644 698
 821 870 839 922.
 Luyten, N. II 532.
 Lynce, R. I 489.
 Lyonnet, St. II 278 418 710 759
 813 836 851 908s 914s 918 922
 925.
 Lyons, H. I 578.

Mabire, P.H. II 301 644.
 Macedo, F. II 805.
Macedoniani I 408 422.
 Macedonius I 290.
 Mackey, J.P. II 698 770 958.
 Mac Nabb, V. I 306.
 Madariaga, B. II 672.
 Madoz, J. I 292 383 414.
 Maertens, Th. II 914.
 Mahé, J. I 574.
 Mainage, Th. II 503.
 Mainil, F. II 898.
 Maldonado, I. I 308 310s 320s; II
 376 419 915.
 Malebranche, N. I 18 71 196; II 124
 603 621.
 Malet, A. I 440 517.
 Malevez, L. I 62; II 208 683 698 804
 812.
 Maltha, A. I 364 492s 495.
 Mancini, A. II 539 551.
 Mandonnet, P. II 626.
 Mangenot, E. I 79 85 91; II 403 405
 413 418s 774.
Manichaei I 87 207; II 47 258 304
 560 643 809 816 828.
Manichaeismus II 20.
 Mannens, P. I 232 234 258 262.
 Manser, G.M. II 50.
 Manyà, J.B. I 158 493; II 252 401
 405 410.
 Maquart, F.M. II 485.
 Maran, P. I 338.
 Marcelli, M. II 805.

Marchal, L. I 302 317.
 Marcion I 87 289 329.
Marcionismus I 92.
 Marcozzi, J. II 511 514 532 535
 539 553 793.
 Maréchal, J. I 32 60 72 196; II 804.
 Maret, F. I 91.
 Mariani, B. II 539 546s 925.
 Marin-Sola, F. I 158 170.
 Maritain, J. II 50 206 356 402 410
 850.
 Marius Mercator, I. I 696.
 Marius Victorinus Afer II 661.
 Maros dell'Oro, A. II 166.
 Marrou, H.I. II 418.
 Martí, K. I 88.
 Martin, G. I 466.
 Martin, J. II 535.
 Martin, R.M. II 253 693 714 922
 939 949 960 974.
 Martínez, A. II Bibl.gen. 271 287
 293 295 327 356 370 392 411.
 Martínez, G. II 890 892 960.
 Martínez, J. II 881.
 Martínez, N. I 170.
 Martínez del Campo, R. I 23; II 637.
 Martínez Gómez, J. I 59 62 568 570
 681.
 Martínez Gómez, L. I 352.
 Martinus I (S.) I 292 400.
Martyrologium Romanum II 555.
Marxismus II 560.
 Marxuach, F. I 169s 466; II 253.
 Masi, R. II 155 164 623 660.
 Masnovo, A. I 23 468.
 Masson, J.E. II 688.
 Massoulié, R. I 273.
 Mastrius, B. I 170 253 481; II 116
 337s 844 880 954.
Materialismus II 21 23.
Materialistae II 143 275 394 413
 560 578 583 644 797.
 Matignon, A. II 685 702.
 Matthias Illyricus II 939.
 Mauer A. II 672.
 Maurus, S. I 193 196.
 Mausbach, J. II 8s 974.
 Max Müller, F. I 87.
 Maximus (S.) I 400 409; II 109 210
 671.
 Mayer, R. II 864.
 Mayr, J. II 960.
 Mayrhofer, F. II 914s.
 Mayrones, F. II 922.
 Mazón, C. II 898.

Mazzantini, C. II 583.
 Mazzella, C. II Bibl.gen. 67 523 564
 576 637 696 748 795 920 934 949
 991.
 McCool, G. A. II 673.
 McGiffert, A. I 99.
 McKenzie, J.L. II 915.
 Mckeough, M.J. II 535.
 McL.Wilson, R. II 673.
 McReavy, L. II 893.
 McShane, P. II 221.
 Meagher, R.W. II 681.
 Méchineau, L. II 913.
 Médebielle, A. I 190; II 843.
 Medina, B. II 693 706 844 892 954
 991.
 Mehl, R. II 584.
 Mehlmann, J. II 926.
 Meinertz, M. I 306s; II 925s.
 Mejía, J. I 62.
 Melancthon II 939.
 Meléndez, B. II 511.
 Melzi, G. II 592.
 Mendive, I. I 77; II 65 116 305 813
 847 850s 859 881 885s 893 925
 949 991 1017.
 Mendizábal, L. I 345.
 Menoud, Ph.H. II 927.
 Mercier, A. II 686.
 Mercier, D.J. II 626 670.
 Merinero, I. I 481.
 Merk, A. II 594.
 Merki, H. II 672.
 Mersch, A. II 898.
 Mersch, E. II 202 210.
 Mesmer, F.A. II 500.
Messaliani II 933.
 Messenger, E.C. II 514s 535s.
 Methodius (S.) II 57 161 914 928.
 Metz, J.B. II 728.
 Metzinger, A. I 90.
 Meunier, A. II 898.
 Meunier, G. II 453.
 Michael Palaeologus I 89.
 Michaud, A. I 752.
 Michel, A. I 45 65 69 189 291
 352 493 507s 555 578; II 124
 145 220 293 327 356 394 410 418
 421 454 486 507 510 515 527 538
 544 563s 578 585s 592-594 603s
 611 621 623 626s 635 637-640
 643s 651 661 676 683 688 693
 774 793 795 804 851 854 893 914
 919 948 960 974 1003s 1010s
 1021.

Michelet, G. I 5.
 Michiels, G. II 864.
 Michl, J. II 289.
 Miczaika, G. II 155.
 Miklik, J. II 915.
 Mikula, F. II 915.
 Miller, A. I 90.
 Miller, B.V. II 813.
 Minges, P. I 23 252 481; II 163
 545 714 991 1003.
 Minon, A. I 253.
 Minucius Felix I 22 150; II 481 498.
 Miranda Barbosa, A. I 27.
 Mischl, J. II 278.
 Mitosinka, G. II 35.
 Mitterer, A. I 23; II 155 535 639
 974 984.
 Mitzka, F. I 115; II 714.
 Mivart, G. II 511 514.
 Modalismus I 91 288.
 Modernistae I 4 6 22 30 98 291 327.
 Möhler, J. II 697 701.
 Mohan, G. I 466.
 Moissant, X. I 5.
 Molina, L. I 228 58 124 170 175
 179s 214 237 243 250 252s 266
 366 424 435 460s 492 520 538;
 II 10 95 254 386 405 451 693 844
 847 991 996 1020.
 Molina, Th. I 182.
 Molinismus I 175; II 266.
 Molinistae II 251 266.
 Molinos, M. I 18 135.
 Monaco, N. I 23.
 Monarchiani I 288 331.
 Monceaux, Ph. I 338.
 Mondreganes, P. I 578.
 Monismus materialisticus II 21 23.
 Monistae I 217; II 560.
 Monogenismus II 538 541 550s 553s.
 Monophysitae II 609.
 Monotheismus I 86 88 91 93.
 Monotheletae I 400.
 Monsegú, B.C. II 923 936 940 956s.
 Montagnes, B. II 220.
 Montanari, E. II 821.
 Montandon, G. II 539.
 Montano, C.J. II 405.
 Montesinos, L. II 892.
 Monty, V. II 819 836 870 873.
 Moore, E. II 881.
 Moore, J.J. II 510.
 Morán, I. II 898.
 Morán, I.G. II 584 592 602.

Morán, J. II Bibl.gen.
 Morando, M. I 189.
 Morant, P. II 316 546 774 784 914.
 Moré-Pontgibaud, Ch. I 29.
 Morency, R. I 578.
 Moriarty, F.L. II 915.
 Morin, G. I 272; II 915.
 Morino, C. II 919.
 Mormones II 922.
 Mors, J. II Bibl.gen.
 Motais, A. II 594.
 Motherway, Th.J. II 511 515 520
 523 527s.
 Motte, A.R. I 23 39 56; II 95.
 Motzco, A. II 592.
 Mouterde, R. II 511 556.
 Moyses Maimonides I 30 33s.
 Muck, O. II 124.
 Muckle, J.T. II 672.
 Müller, C. II 510 543.
 Müller, E. II 623 625.
 Müller, H. I 109.
 Müller, I. I 49 175.
 Müller, M. II 728.
 Mulard, P. I 60.
 Mulders, G. II 1010.
 Muldoon, T. II 511 523.
 Munárriz, A. I 441.
 Muncunill, I. I Bibl.gen. 23 38 65
 78 82s 85 95 107 119 138 142s
 147 157 162 167 169s 172 176 178
 180s 183 188 192 194 198s 205s
 212 214 224 231 236 251 256 258
 264 266 271 296 321 156 171 186
 391 398 417 431s 435 443 451s
 454 459 462s 473 479 489 493s 503
 510 520 534s 538; II Bibl.gen.
 327 355 372 390 392 411 443 545
 580 960 971s.
 Muñoz, F. I 170; II 1020.
 Muñoz, S. II 915.
 Murillo, L. II 31 147 316 784 884.
 Murray, J. II 698.
 Nager, F. I 351 408.
 Nardi, E. II 584.
 Naulaerts, J. II 693 813.
 Nazarius, J.P. I 538; II 850.
 Nédoncelle, M. I 507.
 Nemesius II 608 644 661.
 Neoaristotelici II 584 586.
 Neo-Nicaenismus I 354.
 Neoplatonici I 109 392; II 143 130
 161.
 Nerlin, M. II 696 947 954 978 1015.

Nestorius I 414; II 609 927.
 Neunheuser, B. II 280.
 Neveut, E. II 251 816.
 Newman, J.H. I 290 338.
 Nicolas, J.H. I 440 578; II 356.
 Nicolás, M.J. II 135 253.
 Nicolau, M. I 295 301ss; II 431.
 Nicolaus de Ultricuria I 19s.
 Niederhuber, E. II 784.
 Nielsen, A. I 327.
 Nickel, J. I 88 90.
 Nivard, M. II 849 898.
 Noble, H.D. II 813 852 854.
 Noëtus I 289; II 46.
 Noldin, H.-Smitt, A. II 167 500 583
 898.
 Nominales I 19 30 169 466 468 474
 482s 496.
 Noris, H. I 59; II 644 744 805 806-
 809 1009.
 Nötscher, F. I 118 130; II 594.
 Nottenbaum, G. I 507.
 Novatianus I 289 329s 333 336s 339;
 II 589.
 Novatores II 988 990.
 Nuyens, F. II 560.
 Occasionalismus II 603 621.
 Ockham cf. *Gulielmus de Ockham*.
 O'Connell, J.P. II 879.
 O'Connell, R. II 821 891.
 O'Connor, R.V. II 423 1000 1015.
 Oechslin, R. L. I 143
 Oecumenius I 281.
 Officium (S.) II 501 504 516 671.
 Ogiermann, H. I 6.
 Olgiate, F. I 196.
 Olivi, P.I. II 252 622s 624 625 626
 635 638 639 699 805 947 960.
 Ologenistae II 539.
 O'Mahony, I. I 63.
 Omez, R. II 503.
 Ong, W.J. II 511.
 Ontologi I 19 66 71s.
 Oñate de, J.A. II 774 784 914.
 Oppenheim, F. II 446.
 Optimismus I 196 210.
 Oraison, M. II 813 931.
 Orbán, L. II 124 143 178s 561 563s
 569 604 627.
 Orbe, R. II 696 729 750.
 Orbink, Th. II 774.
 Orcibal, J. II 699.
 Origenes I 52 113 133 150 180 330
 334 336s 349 343 350 402; II 42

45 109 153 187 234 258 275 279
 466 495 413 433 438 441 444 446
 462 469 481 498 561 672 774 784
 927s.
 Origenismus II 667.
 Origenistae II 413.
 Oromi, M. I 481.
 Ortiz de Urbina, I. I 345; II 696.
 Ortiz de Urtaran, F. II 538.
 Ortolan, T. II 403 405 409 470 472
 474 486.
 Osbourn, J. II 898.
 Osius I 345.
 Oswald, J.H. II Bibl.gen. 275.
 Otho Frisingensis I 521.
 Otis, E. II 532.
 Ott, L. II 545.
 Otten, B.J. II Bibl.gen. 106 141 229
 242 254 344 371 454 476 500s 504
 651.
 Otten, H. I 272.
 Otten, M. I 149.
 Otto, S. II 672.
 Oury, G. II 446.
 Overhage, P. II 507 539 658 793.
 Ovidius II 782.

Pace, E.A. II 174.
 Pacianus (S.) II 928.
 Pacios, A. II 854 917.
 Padoin, G. II 167.
 Paiba, D. II 960.
 Paissac, H. I 427.
 Palamitae I 39.
 Palazzini, P. II 485 813.
 Palhoriès, F. I 189.
 Palis, E. II 918.
 Pallavicini, Sf. I 193; II 936 948 994.
 Palmés, F. I 508; II 503.
 Palmieri, A. I 349 400 403 406s 414.
 Palmieri, D. I 48 56 59; II Bibl.gen.
 12 50 67 71 95 116 132 140 160
 162-164 195 197 271 287 293 295
 326 331 334 342 344 359 423 425
 442 449-451 453s 470 487 537 557
 563s 586 596 599 601 614-616 619
 623 626 629 676 681 684 696 705
 725 738 753 758 763 775 794s
 802s 813 902 915 920 925 932s
 936 949 956s 959 961 969 971-
 974 984s 990 994 999s 1010 1015
 1020.
 Palumbo, S. I 348.
 Paluscsack, P. II 672.
 Pannenberg, W. I 253.

Pannier, E. I 112 130 144 394.
Pantheismus I 72 94 98 106 109 135
 207 217; II 21 23 643 646.
Pantheistae II 124 143 584.
 Pantoni, A. II 485.
 Papagni, Th. I 170; II 252.
 Paquier, J. II 821.
 Paquin, J. I 47.
Parallelismus II 602 621.
 Pareja, F. I 86.
 Parent, A.M. II 750.
 Parente, P. II *Bibl.gen.* 69 254 741
 813 960 988 991.
 Parenti, A. II 594.
 Parodi, F. I 99.
 Partee, C. II 622.
 Pascal, B. I 18.
 Paschen, O. I 27.
 Pasquier, J. II 515.
 Passaglia, C. I 227 352 572 577.
 Pastor, L. II 807.
 Pastore, M. II 310.
 Patrizi, F.X. I 397.
 Patruel, R. II 593.
 Pauck, W. II 870.
 Paul, II 423.
 Paulus IV II 851.
 Paulus VI II 901.
 Paulus, N. I 23.
 Paulus Samosatensis I 289 331 345.
 Pautrel, R. II 278 449.
 Pawlowski, F. II 674.
 Peach, J.V. II 154.
 Peeters, S. I 144.
 Peghaire, J. II 135.
 Pegis, A.C. II 50 133 637.
 Pégues, T. II 637.
 Peillaube, E. II 578.
 Peinado, M. II 960 961.
 Peinador, A. II 783 852.
Pelagiani I 230 239 248; II 253 258
 707 723 725 729 755 771 777 787
 922 927 929 930 943 978 1002.
Pelagianismus II 644 654 696 704
 719 727 734 761 922 930 998.
Pelagius I II 516 540.
Pelagius II II 259 695s 696 870 927.
 Pelayo, L. II 715.
 Pelland, L. I 228.
 Pelster, F. I 63; II 253.
 Pelzer, A. I 466.
 Penagos, L. II 708 730 923 936 945
 948 960 1011.
 Pendergast, R.J. II 544 733 800
 953.

Peñido, M. I 420 424 427 440s 460
 493 496; II 214.
 Pera, L. II 535.
 Perego, A. II *Bibl.gen.* 284 292s
 449 538 1003.
 Pereira, B. II 797.
 Pérez, Q. II 577 584.
 Périer, P.M. II 515 528 535s.
 Perino, R. I 500.
 Perrella, G.M. II 318 587 594.
 Perrone, J. II 302 304s 430 454 457
 474 490s 513 523 795 960 990.
 Perzl, J. II 553.
 Pesch, C. I *Bibl.gen.* 12 16 22s 26
 29s 37 45 47 58 69 76 79 81s 124s
 142 152 157s 162 164-168 176 180
 199 201 212 230-232 236s 239
 243s 250 261 271-273 291 318 322
 331 355-357 371 383 386 391 403
 429 431 437 451-453 463 466 479
 489 492 510 517s 520 524 540 544
 555 561 563s 567 571; II 67 69
 72 95 98 113 229 243s 253s 303
 305 423 545 564 598 693 698 711
 715 741 749 785 789 795 797 799
 803s 813 822s 844 847 858s 867
 878 885-887 892s 914 918 960s
 972 999.
 Petavius, D. I 12 22 32 78 102 116
 123 133 230 261 290 338 340 352
 374 383 386 406 518 521 540 542
 564s 567 572 577; II *Bibl. gen.*
 29 71 119 160 162s 234 281s 285
 288s 293 301 322 373 385 409
 418s 435 451 672s 696 784 930
 1009 1020.
 Peterson, E. II 446 652 752 918.
 Petit, L. II 563.
 Petrement, S. II 20.
 Petrus Chrysologus (S.) II 857.
 Petrus de Alliaco I 19.
 Petrus de Rivo I 53.
 Petrus de Tarantasia II 714.
 Petrus Lombardus I 383 415 521;
 II 29 95 202 293 302 308 373 386
 443 469 644 714 817 939 954 960
 974 994 1011.
 Petrus Paludanus II 252 949.
 Petrus Pictaviensis II 939.
 Pfätisch, J. I 338.
 Pflieger, M. II 206.
 Pfülf, O. I 230.
Phaenomenistae II 584.
 Phan-van-Long, J. II 578.
 Philippe, E. II 594.

Philippe, M. I 424 436 445; II 532.
 Philips, G. I 567; II 203 479 727 931.
 Philo I 320.
Philosophi II 143.
Philosophi Graeci II 572.
 Photiani I 403 405 411 414 564.
 Photinus I 290 344.
 Photius I 400 411s 414 420; II 56
 161 563 755.
 Piat, C. I 86.
 Piauxt, B. II *Bibl.gen.* 71 202 511 515
 558 696 756 948 1003 1015.
 Piazza, A. II 523.
 Picard, G. II 539 553s.
 Picard, N. II 584.
 Picavet, F. I 327.
 Piccirelli, I. I *Bibl.gen.*
 Pighius, A. II 945.
 Pignataro, F. II *Bibl.gen.* 49 162-
 164 320 637 651 670 956 961 963
 968 990.
 Pinard, H. I 16 22 94; II *Bibl.gen.*
 9 12 21 23 31 49 58 71 98 104 124
 157 162 178 202s 222 229 233s
 242 285 515.
 Piolanti, A. II *Bibl.gen.*
 Pioli, G. II 701.
 Pires, C. II 356 410 917.
 Pirot, L. I 90; II 52 230 514s 528
 535 652 673 689 915.
Pistoriensis (ps.Synodus) I 50; II 700
 708 719s 741 756 766 825 986.
 Piteveau, J. II 539 556.
 Pius II II 540.
 Pius V (S.) I 50; II 373s 681 699 708
 719 728 730 741 756 766 783 806
 825 857 864 871 890 947 958 986
 989.
 Pius VI I 424 454; II 700 708 719s
 730 741s 756 766 825 986 989
 1010 1015.
 Pius IX I 20 31 56 72 135 189 324;
 II 24 125 501 514 564 578 626 628
 650 671 708 923.
 Pius X (S.) I 5 6 8 21s 31 50 57 62
 73 135 291 327 404; II 144 693
 728.
 Pius XI I 21-23 253; II 605 683 728
 851.
 Pius XII I 6 13 22 50 62 73 546 564
 567 572; II 26 127 144 154s 198
 201 276 304 414 512 516-521 523
 528 539 544-546 648 651 730 750s
 778 783 850s 854 864 866 901 975s
 986 1003 1010 1021.

Plagnieux, J. I 582.
 Plante, A. II 898.
 Platel, J. I 266; II 847.
 Plato I 86; II 9 50 54 59 104 109 143
 281 561 602 608 621 661.
Platonici I 354; II 20 143 435.
 Platz, H. I 261.
 Plessis, J. II 20 27 911.
 Plinius I 330.
 Plotinus I 135.
Pneumatomachi I 290 344 349 379.
 Podechard, E. II 594.
 Pohl, J.-Gierens, M.-Gummersbach,
 J. I *Bibl.gen.* 32 34 73 76 81 83
 85 142 149 170 176 182 253 306
 308 314 318 394 406 424 437 507
 540 546 552. II 123 128 153 229
 245 254 256 545 640 644 731 797
 945 961.
 Polycarpus (S.) I 150 330.
Polygenismus II 538s 541 543 551
 553 554.
Polygenistae II 539.
Polytheismus I 87s 91s; II 23.
 Pompei, A. I 452.
 Pomponazzi, P. II 584.
 Portalí E. I 32 59 170 189 228 230
 237 248s 256 272 282 291 537 555;
 II 124 253 535 608 626 633 638
 654 870 879 954 960 974 979 998
 1015.
Positivismus agnosticus II 21.
Positivistae II 584.
 Poucel, V. II 750.
 Power, E. I 86.
 Prado, I. II 594.
Praeadamitae II 539.
Praeexistentianismus II 661 664 666.
Praepositinus I 510; II 714.
Pragmatistae I 4 6.
 Prat, F. I 11 79 117s 149 261 281
 294 303-307 309 318s 334 338 343
 402; II 35 232 284 572 574 710
 711 725 925 926 957.
 Praxeas I 289.
 Preger, W. I 49.
 Premm, M. I 170 220 244 253 424
 437 546.
 Prenter, R. II 698.
 Prestige, G. I 345 346 386 540.
 Prete, B. II 539 915.
 Preysing, K. I 331.
 Prezioso, F. II 50.
 Prieto, T. II 805 808 1015.
Priscillianismus I 87 135 217.

Priscillianistae II 643 649 661.
 Priscillianus I 290.
 Procksch, O. II 31 755.
PROFESSIONES FIDEI:
 — *Iacobitarum* I 292.
 — *Orientalium* I 292.
 — *Tridentina* I 89 292.
 — *Waldensium* I 89 217 292.
Professores Pont. Inst. Bibl. II 81 107
 129 148 182 256.
Propaganda Fide (S.C. de) II 501.
Prosper (S.) I 220 228 237 239 242
 257 263 267 272 275 278; II 205
 992.
Protestantes II 21 49 457 474 491
 583s 644 661 696s 718 740 755 805
 821 870 890 904 911 922 925.
Protestantes Liberales II 275 491 698
 904.
Protestantismus II 697s 704.
Prudentius II 655.
 Prümmer, K. I 87 91; II 876.
 Prümmer, D.M. II 813.
 Przywara, E. I 22.
 Ps.Athanasius I 484s; II 612.
 Ps.Dionysius I 34 91; II 187 289s
 308 369 451 682.
Pseudo-intuitionismus I 69.
Psychoanalistae II 915.
 Puech, A. I 338.
 Puech, H.Ch. II 20 418.
 Puig de la Bellacasa, J. I 289 291
 302s 307s 311 320 327.
 Puigrefagut, R. II 155 166.
 Pujol, C. II 671.
 Quarello, E. II 851 864s.
 Quesnell, P. I 50; II 700 864 986.
 Quilliet, H. I 345.
 Quironbach, J. I 11.
 Rabeau, G. II 698.
 Rabeneck, J. I *Bibl.gen.* 149 154 253
 364 378 388 463 493 507 532;
 II 126 507 844.
 Räber, L. II 592.
 Raffo, B.R. II 592.
 Raineri, J. I 5 6.
 Rambaldi, G. II 507 517 531
 546 551.
 Ramière, H. II 614 639.
 Ramírez, S.M. II 693.
 Ranwez, E. II 898.
 Raponi, S. II 925.
 Rascol, A. I 220.

Rasneur, G. I 290 346s.
 Rast, M. I 7 23 74 176.
Rationalismus II 701s 704.
Rationalistae I 338 353 357; II 394
 413 427 491 597 707 729 755 777
 784 787 904 922.
 Rauch, W. II 864.
 Raymundus Lullius I 357 360; II
 163.
 Razismus II 560.
 Ready, W. II 641.
 Rebecchi, D.L. II 536 644 665 671
 672.
 Recheis, A. II 43 449 761.
Reformatores II 491 939.
 Rahner, K. I 248 552 568; II 246 423
 485 507 511 527 541 544-547 549
 658 681 683 686 728 793 863.
 Refoulé, F. II 696 748 756 809 932.
 Regamey, P. II *Bibl.gen.*
 Regina, G. II 583s 1003s.
 Regnier, J. II 821 891 901.
 Reilly, C. II 793.
 Reinach, S. I 327.
 Reinke, L. II *Bibl.gen.*
 Reisner, E. II 394.
 Reitzenstein, R. I 327.
Relativismus I 466.
 Remblay, R. I 420.
 Rénard, H. I 394.
 Renckens, H. II 26-30 35 546 784
 914s.
 Renié, J. II 231 316 532 546s 550s
 914s.
 Renouvier, Ch. I 99.
 Renwart, L. I 62.
 Retailleau, M. I 578.
 Rey Altuna, L. II 592.
 Ricchetti, D. II 69.
 Ricci, P.G. II 638.
 Ricciotti, G. II 379.
 Richard, L. II 850.
 Richard, P. I 302 331s 338.
 Richard, T. II 898.
 Richardus a Mediav. II 163 693 714.
 Richardus a Sancto Victore I 357
 360 363 383 452 508 511 529.
 Riedmatten, H. I 331 345.
 Riera, C. I 403.
 Riessler, P. II 784.
 Riga, P. II 866.
 Rigaux, B. II 914.
 Rijckmans, G. II 784.
 Rimaud, J. II 854 893 897.
 Ripalda, J.Mtnez/ de I 54 56 59 564;

II 79 195 678 681 683 686 699
 706 717 719 725 741 804 806 809
 858.
 Ritschl, A. I 6; II 698.
 Ritter, H. I 327.
 Ritter, K. I 86.
Rituale Romanum II 475 485.
 Ritzler, N. I 63.
 Riva, C. II 644.
 Rivera, J. I 290.
 Rivière, J. I 338; II 454 595 785 851-
 917 931 945 1004.
 Robert, Ch. II 316.
 Robert, P. II 319 579.
 Robertus de Melun II 939.
 Robles Dégano, F. I 493.
 Roca, M. II 699.
 Roche, E. II 901.
 Rodewyk, A. II 470 483 485s.
 Rodis-Lewis, G. II 603.
 Rodríguez, A. I 133.
 Rodríguez, J.M. II 578.
 Rodríguez, M. II 693 847 948 960.
 Rodríguez, V. II 844 847s 854.
 Rody, Th. II 753.
 Robner, A. II 672.
 Rohr, J. I 123.
 Roig Gironella, J. I 22 481.
 Roland-Gosselin, M.D. I 63; II 592
 601.
 Rolandus Cremonensis II 939.
 Roldán, A. II 507 658.
 Rolfes, E. I 23; II 50.
 Rolland, J. I 5.
 Romañá, A. II 49 155.
 Rondet, H. I 61; II 253 356 539 583
 725 748 751 772 813 833 870 932.
 Rosa, D. II 538 539.
 Roscellinus I 291.
 Rosenmöller, B. I 19 23.
 Rosmini, A. I 35 71 189 291s 357
 360s; II 21 124 585 604 611 621
 644 650 670.
 Rossi, A. II 213 217 221 672.
 Rossi, C.M. II 583.
 Rossi, G. I 5.
 Rothenflue, F. I 71.
 Rottmanner, O. I 228 261 282.
 Roure, I. II 21 470s-472 485 503s.
 Rousselot, P. I 60; II 356.
 Roy, L. I 461; II 164.
 Royo, A. II 772.
 Rózycki, I. I 291; II 804.
 Rubinsky, J. I 323.
 Rubio, J. 841 854.

Rubio, L. I 23.
 Ruello, F. I 461.
 Rüsche, Th. I 332.
 Rüsche, F. II 297.
 Rütthert, Th. II 930.
 Ruf, H. I 291.
 Ruffenach, F. II 836 850.
 Ruffini, E. II 528 534-536 545 555
 665 671.
 Rufinus I 521.
 Rufinus Syrus II 696.
 Ruiz de Montoya, D. I *Bibl.gen.* 45
 65 69 138 153 157-159 168 170
 177s 182 188 194 196 212 214 224
 253 257 260 356 366 377 380 383-
 386 392 414s 422 424s 432 435s
 443 451-453 459 461 463 468 470s
 473-475 478s 484-486 488 490-
 493 495s 498-500 504 507s 510
 515 517 520s 525 529 534s 538
 540 542 544 552 555-557 560s
 563; II 71 242 823 829 844 847
 849 960.
 Ruiz Goyo, J. I 330.
 Runciman, S. II 20.
 Rupertus II 774.
 Ruschamp, F. II 155.
 Rusche, F. II 297.
 Rusticus II 609.
 Rythove, M.B. II 881.
 Sabelliani I 331.
 Sabellius I 289.
Sadducaei II 275 583.
 Saffrey, H.D. II 592.
 Sagnard, F.M. II 181.
 Sagüés, I. I 158 170 179 572 574
 578; II 511 519 576 686 843 861
 866 874 883 919 925 930 958 971.
 Saint-Martin, J. I 261.
 Saiz, J.M. II 5 544s 1004.
 Sala, B. II *Bibl.gen.*
 Salas, I. I 193; II 858 881.
 Salaverri, I. I 22; II 538.
 Salgueiro, J. II 783.
 Salgueiro, T. I 256.
Salmanticenses I *Bibl.gen.* 78 170
 273 432 460 462 495 507 520 527
 534s 538; II 209 356 688 691 773
 813 844 850s 854 881 885 887 892
 898 949 956 960 1009 1011.
 Salmerón, A. II 408 939 945 948
 954 960 1020.
 Salvianus I 220.
 Sánchez, M. II 898.

Sanda, A. II 784.
 Sandreau, A. II 331.
 Sansón, P. II 851.
 Santangelo, P.E. II 553.
 Santeler, J. I 23 252 258 261; II 18 49s.
 Santilli, R. II 503.
 Sardagna, C. II 1015.
 Sasse, N. I 120.
 Sauras, E. I 449 462 500.
 Scalvini, F. II 208.
 Scaramuzzi, D. II 672.
 Scaringi, L. II 693 708 931 948 1020.
 Schaaf, H. I 96 164 176.
 Schaff, P.M. II 991.
 Schalck, F.A. II 21 143.
 Schaller, J.P. II 783 854.
 Scharbert, J. II 783 866 924 932.
 Scharl, E. II 712.
 Schauf, H. I 548 571s 575.
 Schäßler, V. I 7.
 Schedl, C. II 316 774 784.
 Scheeben, M.J. I Bibl.gen. 28 32 49 76 85 96 138 142 175 182 204 253 357 376 423s 437 507 540 545 556 572 577; II 162 222s 227 234 245 250 253s 419 466 469 672 696 699 707 711 741 745 799 806 808 813 849 945 949 957 961.
 Scheffczyk, L. II 13 21 26 49 124 143 178 183 209.
 Schelck, F.A. II 643.
 Scheler, M. I 73.
 Schell, H. I 81 357.
 Schellinckx, A. II 898.
 Schelling, F. I 135.
 Scheltens, S. I 23.
 Schepens, P. II 535.
 Schermann, Th. I 349.
 Schiesl, J. II 813.
 Schiffini, S. II 167.
 Schismatici I 403.
 Schlagenhafen, F. I 546.
 Schleiermacher, F. I 6; II 698.
 Schlier, H. II 278 418 423 461 469 926.
 Schmaus, M. I Bibl.gen. 352 410 424 437 439 481 507-511 514 517s 529 540 546 555 578-582; II Bibl.gen.
 Schmid, F. II 587 797 988 1020.
 Schmidt, G. II 792 795 797.
 Schmidt, H. II 755.
 Schmidt, J. I 122.
 Schmidt, M.A. I 27.
 Schmidt, M. I 482.

Schmidt, W. I 16 32 84.
 Schmitt, A. II 500 853.
 Schnackenburg, R. II 479.
 Schneemann, G. I 253.
 Schneider, B. I 319.
 Schneider, E. II 698.
 Schneider, J.M. II 555.
 Schneewis, E. II 309.
 Schoemann, J.B. II 672.
 Schola franciscana II 319 578.
 Scholastici II 287 293 517 583 592 614 805 939.
 Schopenhauer, A. II 602 621.
 Schrader, I 572; II Bibl.gen. 676.
 Schrörs, H. I 272.
 Schuler, B. I 23; II 1003.
 Schulien, M. II 539 553.
 Schultes, R.M. II 253 881.
 Schultze, B. I 39.
 Schumacher, J. I 302 307.
 Schumacher, W.A. II 301.
 Schumpp, M. II 673.
 Schupp, N. I 258.
 Schurr, V. I 507.
 Schutz, R. II 759.
 Schwamm, H. I 170.
 Schwane, J. I 12 256 290 338; II 981.
 Schwegler, T. II 278 318 774 914.
 Sciacca, M.F. II 578 583 603 608 644 654 674.
 Scollgen, W. II 253.
 Scotistae I 214 253; II 337 342 844.
 Scotus I 55 78 115 170 214 252 273 410 413 432 435 445 452 462 481s 514; II 69 90 116 163 244 319 326 330-332 337 342 352 356 368 405 408 410 420 451 523 584 637 638 670 714 729 731 754 774 800 802 853 858 880 882 885 887 892 915 948 960 981 991 996 1011 1015 1017.
 Scotus Erigena I 135; II 681.
 Seeberg, R. I 346.
 Segovia, A. I 231 346 352 397 409 546 579-581.
 Sejourné, P. II 487.
 Semiariani I 290 340 344 353.
 Semipelagiani I 230 239 248; II 696.
 Semirationalismus II 703s.
 Semmelroth, O. I 84; II 418 469.
 Seneca II 435.
 Sera, G. II 539.
 Sergi, G. II 539.
 Serrano Muñoz, V. II 961.

Sertillanges, A. I 23; II 69 135 143 145 163s 252 532 535.
 Servet, M. I 291.
 Sestili, J. I 56 60.
 Setien, J.M. II 901.
 Seybold, M. II 466 469 841 854 932 974.
 Seyssel, Cl. I 16.
 Shanahan, J. I 5.
 Sheets, J. II 469.
 Sickenberger, J. I 11 40.
 Siewert, G. II 750.
 Signorelli, M. II 164.
 Silvain, R. I 482.
 Simeo II 563.
 Simón, H. I 62; II 594.
 Simon Tornacensis II 945.
 Simonetti, M. I 407.
 Simonin, H. I 220; II 331.
 Simonis, St. II 116.
 Sirmond, I. I 272.
 Siwek, P. II 21 124 502s 583s 592 602.
 Sixtus IV I 153.
 Skoda, F. II 852.
 Sladeczek, F.M. II 143.
 Slipyj, J. I 400 410 413.
 Slomkowski, M. II 93 693 712.
 Smeraldo, B. II 864.
 Smid, F. I 322.
 Smit, J. II 472 479.
 Smith, C. R. II 698.
 Smith, J. II 53.
 Smits, C. II 696.
 Smoronski, K. II 27.
 Smulders, P. I 348; II 519 699.
 Sobradillo de, A. II 783.
 Sociniani I 153 292; II 583 707 729 755 777 922.
 Socinianismus II 701 704.
 Socinus, L. et F. I 291; II 701.
 Sociologismus I 94.
 Socrates I 45 66 86.
 Söhnen, G. II 673.
 Söhngen, C. II 673.
 Solá, F. de P. I 231.
 Solano, F. II 999.
 Solano, I. I 296 512 546 551; II 209 851.
 Soleri, G. I 62; II 560 583 592.
 Solignac, A. I 578; II 960 974.
 Somers, H. II 673s.
 Soroa, A. II 752.
 Soto, D. II 386 393 693 706 850 885 887 945 949 954 956 960 961 991 996 1009 1011 1016.

Soto, P. II 881.
 Souben, J. II 283.
 Souillé, J. I 86; II 592 602.
 Spadafora, F. II 866 925.
 Spedalieri, P. I 27.
 Spencer, H. I 94; II 21.
 Spesz, A. II 503.
 Spiazzi, R. II 866.
 Spicq, C. I 101; II 53 431.
 Spinoza, B. I 135 189 207; II 124.
 Spinozismus II 21.
 Spiritistae II 275.
 Spolaor, E. II 127.
 Squire, A. II 672.
 Stade, B. I 88 133.
 Staerk, W. II 765 774.
 Staffner, H. II 954.
 Standaert, M. II 672.
 Stapleton, Th. I 256.
 Staudenmaier, A. I 26.
 Stegmüller, F. I 170 234 252s 258.
 Steichen, A. I 129.
 Stein, G. II 155.
 Steinen, A. II 429.
 Stentrup, F. I 507; II 158 164.
 Stephanus, H. II 678 907.
 Stephanou, E. II 665 671.
 Stephanus Langtonensis II 939.
 Stephinski, F. II 861.
 Stévaux, A. II 854 901.
 Stewart, Perowne, J.J. II 31.
 Thal, F.J. I 12 22.
 Stiegele, P. I 386.
 Stier, F. II 283.
 Stier, J. I 338.
 Stockford, C. II 854.
 Stockums, W. I 231; II 671.
 Stoeckle, B. II 750.
 Stohr, A. I 529; II 939 960 974.
 Stoici I 94 109 189; II 643 870.
 Stolz, A. II Bibl.gen. 715 784.
 Strack, H.-Billierbeck, P. I 303 316.
 Straub, A. I 231.
 Strohm, M. II 994.
 Strotmann, D.T. II 583.
 Strucker, A. II 672.
 Struggl, M. I 214.
 Stürmer, B. I 346.
 Stuffer, J. I 160 178; II 17 95 167 172 175s 202 251-254 266 693 699 805 947.
 Stuhlmueller, C. II 26 28.
 Suárez, F. I Bibl.gen. 17 22s 34 38s 45 47 48 53-56 58 64-69 76-78 83 95s 98 107 115 119s 125 134 138s

142 147 153 157-160 162 164 169-171 177 179s 182 188 190 193-195 205 206 212 214 224 233 236 248 253-256 260 265s 270 273 290 323 356 364-366 375 377 381 384 386 388 392 398 410 414 422 424 427 431s 435s 443 447-449 451s 453s 456 459 460 462s 463 467 473s 478 479 486 489 492s 495s 498-500 502s 507 510 511s 514 517 520 525-527 529 531 534s 537 540 542 544 555s 560s 563s 567 569-571; II 1 12 15 17 49 66 68 78 87 89 91 94-98 113 120s 140 154 163 166-168 170 174 176 222 237-239 242 244 246 253s 272 281 287 293-295 305 313 323 326s 330-332 334 344 352 355-357 359-361 363 366 368s 371 373s 384-387 391s 401-403 405-407 410s 418 420 422s 425 430 436 439 443 447-451 454 466 469s 506 509 555 557 580 583 590 592 599 617 635 637 640 670 684 688s 691-693 705 714s 725 727s 737s 741 745 748s 753 772-776 781s 785 788 792 795s 799s 802-805 813 829 844 847 850s 854 859 864s 867 878 881 885-887 890 892s 896 900 902 908 915s 918 920 934 936 949 960 968s 972 984s 991 993-996 998 1000s 1011 1017 1020.
Subordinatianismus I 91 288 290.
 Suhard, E.C. II 905.
 Sullivan, J. E. II 673.
 Surbled, J. II 752 755.
 Sutcliffe, E.F. II 27 30 664 732 866.
 Sutter, P. II 486.
 Sylvius, F. I 212; II 326 693 959 988 1009.
 Suys, Ae. II 281.
 Sweeney, J.F. II 988.
SYMBOLA:
 — *Apostolicum* I 89 292; II 24 71.
 — *Chalcedonense* I 393.
 — *Clemens Trinitas* I 292.
 — *Epiphania* I 292.
 — *Fides Damasi* I 292; II 861.
 — *Lateranense IV* I 89 393 401.
 — *Leonis IX* I 89 292 403.
 — *Nicaenum* I 292 329 344 346; II 24.
 — *Nicaeno-Constantinopolitanum* I 121 292 349 355 393 401 414; II 24 276.

— *Quicumque* I Intro. 121 292 374 387 393 401 403; II 70 562 605 612 626 638 861.
 — *S. Cyrilli Hier.* II 24.
 — *S. Gregorii Thaumaturgi* I 292.
 — *Toletanum I (Libellus Pastoris)* I 292 387; II 24.
 — *Toletanum XI* I 292 387 393 401 468 474 546.
 — *Toletanum XV* I 292.
 — *Toletanum XVI* I 292.
 Synave, P. I 122.
 Synesius I 220.
Synod. Diospolitana II 927.
 Szygiel, J. I 144.
 Szydrik, St. E. II 673.

Tanner, A. I 194; II 95 881 885-887 890 949 954.
Tanqueray, A. II 178 489 545 583s.
Tatiani II 918.
Tatianus I 12 113 336 339 342 395; II 45 54 150 355 595s 712 761 769.
Tavares, St. II 279.
Taylor, A.E. II 50 143.
Taymans, F. II 519 544.
Taymans d'Eypernon, F. I 555; II 220.
Tedeschi, A. II 164.
Tedeschini, P. II 623 638.
Teetaert, A. II 922.
Teichtweier, G. II 661 813 928.
Teilhard de Chardin, P. II 514.
Teixidor, L. I 365; II 246 254 693 956.
Tepe, G.B. II 813 885 887.
Termes Ros, P. II 528.
Ternus, J. II 511.
Terrier, H. II 507.
Terrien, I.B. I 44; II 7.
Tertullianus I 12 91 109 116 124 153s 208 287 316 330 333 336s 339-342 407 409 558; II 418 152 160 189 308 363 378 405 448 486 497 529 568 578 590 644 654 671 774 828 833 861 914 928 933.
Testa, E. II 710.
Testore, C. II 503.
Thamiry, E. II 535.
Theis, J. II 784.
Theodoretus I 39 155 220 237 329 400; II 83 130 292 309 349 378 438 441 443s 462 498 529 548 561 563 655 774 781 930 933.

Theodorus Mopsuestenus I 400; II 696 755 922 927.
Theodotiani I 289.
Theodotus I 289.
Theognostus I 335.
Theophilus Antiochenus I 131 150 287 332 336s 341 442; II 45 150 189 258 734 761 769 913.
Theosophi II 661 922.
Théry, A. I 30.
Théry, G. II 638 681.
Thiel, M. II 206.
Thiesen, U. II 176 178s.
Thilo, C. I 6.
Thils, G. II 201.
Thomas (S.) Generatim refertur initio singularum thesium, ac praeterea in locis sequentibus: I Intro. 13 16s 22s 26 28 30 33 36-38 44-48 50 53 55 57 61-65 68s 76 78 81 83-85 92 95 98 104 107 113 115 117 119s 125s 133 137 138 142 147 152s 157 160 164 166 170 172 175 178 180-182 188 199 201 203-206 209 212 214s 221s 224 232 234 236 243-246 248 250s 258s 262 270s 280 283 295 319 323 356 360 363 365 367 375-377 379 383 386 389-391 398 410-414 419 422 424 426s 431 434 436 439 441-443 445 451-453 459-461 463 466-469 473 478s 486s 493s 496s 504 506-510 515 518 521 524 526 528-531 535 540-542 544s 550 552s 555 561 563s 567 569-571 578 580; II 1 6 10 12 15-18 48-50 53 61 64 67 69 71s 74s 78 90 92s 95 98 101 110s 113 116 118-122 124 132-136 140s 143 154 156-158 163s 166-170 172 174s 191s 194-196 198 202s 206 211-216 218 220-222 237-239 242-246 250 252-254 267-269 272 275 281 287 290s 293 295 297 304 308 312s 319s 326s 330-332 334 344 352 354-356 358s 364 366 368-371 373s 385-387 391s 400-403 405-407 410s 418-423 425 431 434 442s 447-451 454s 457 465s 468 472 483 486 506 509 517 532 557 561 576-578 580 592 594 599 601s 610 613 616-618 620 635 637 640s 644 646 651 656 659-671 672-674 679-681 683 689 692s 705 714-716 726-728 736-738 745 748-753 763

772-775 780 783-786 795s 799s 802 805 811 813 815-819 822s 829 834 836 838 842 844-854 859 861s 864-867 869 874 878s 881 887 891-894 896 900 902 914-921 925s 931-934 936 948 954 956s 960 968 972 974 978 981-985 987 991 993s 998 1000s 1007s 1011 1013 1017-1020.
Thomas a Kempis I 244.
Thomas Bradwardinus I 170 272.
Thomassinus, L. I 12 26 32 548 572.
Thomistae I 214 253 273 445 492; II 287 332 356 401 409 637 805 847 850 858 934.
Thonnard, F.J. II 511 535 809 875 930.
Thouvenin, A. II 703.
Thurston, H. II 503s.
Thyrion, J. II 69.
Tibullus II 435.
Tirinus II 759.
Titchener II 602 621.
Tixeront, J. I 248 261 288-290 292 326 331s 336 338 343 346 352 400 407 412 507; II 20 413 561 568 584 595 644 661 696 870 930 954 974 978 1012.
Tobac, E. I 10 100; II 710.
Tobin, A. II 789.
Tognolo, A. II 584.
Toledo, F. I *Bibl.gen.* 11 96 194 214 231 253 271 281 414 417 435 443 445-448 520s 534s 538; II 67 98 112 115s 163 287 326 330s 356 401 881 948.
Tongiorgi, S. II 601 614 619 639.
Tonneau, J. II 898.
Torres, L. I 192 452.
Totemismus I 87 94.
Tournely, H. I 424.
Toussaint, C. I 15.
Touvenin, A. I 189.
Touzard, J. I 323; II 283 587.
Traditionalistae I 4 7 18 20; II 797.
Traducianismus II 644 646 647 650 651 653s 671.
Tragliavini, C. II 553.
Trancho, F. I 56.
Transformismus II 510s 515s 528-535 538 649.
Transformistae II 510.
Trapé, A. I 59; II 696 809.
Trapp, D. II 1009.
Travaglini, A. II 628.

Trethowan, I. II 823.
 Tricassinus, C. I 256.
 Tritheismus, I 87 288 915.
 Trithemius I 16.
 Trombetti, A. II 553.
 Tromp, S. I 253; II 528.
 Trütsch, J. I 578.
 Turchi, N. II 21.
 Turmel, J. I 295 346; II 394 452 904 930.
 Tusquets, J. II 163s.
 Tyskviewicz, S. I 4 12.

U
 Ubaghs, C. I 18 20 71; II 644 650.
 Ude, F. II Bibl.gen.
 Ugarte de Ercilla, E. I 86; II 275 503.
 Ulbrich, H. II 696.
 Ulmann, J. I 509.
 Ulrich v. Strassburg II 960.
 Unamuno, M. II 577 584.
 Ungnad, A. II 755.
 Urbano, L. I 23.
 Urdanoz, T. I 125 572 174; II 892.
 Urráburu, I. I 15 23 78 82 96 98 115 134 158 168-171 182 192-195 204s 211s 481; II 95s 98 113 158 163 169 198 242 244s 600s 611 614 619 844.
 Urrichio, F.M. II 866.
 Urrutia, U. II 418.

V
 Vacca, C. II 931.
 Vacandard, E. I 330.
 Vacant, A. I 2 18 330; II 275 278 281 283s 286 293 301 303s 307 427 578 594 597s.
 Vaccari, A. I 122 162 324 374; II 29-31 546 587 594 597 598 783s.
 Vacherot, A. I 327.
 Vaisan, R. II 503.
 Valbuena, J. II Bibl.gen. 50
 Valcanover, R. II 519.
 Valencia, G. de I Bibl.gen. 22s 77 175 194 214 253 424 432 435 492; II 67 69 74 95 113 162s 242 254 304s 331 387 410 640 651 690 693 706 844 847 881 885 887 949.
 Valencianismus I 175.
 Valensin, A. I 5 175.
 Vallaro, S. I 56.
 Van den Berg, I. II 492.
 Vandenberghe, A. II 176 254 269 711 727 745 753 902.
 Vandenberghe, B. II 901.

Van den Elst, R. II 487 500 502.
 Vanderbroucke, F. II 418.
 Van der Meersch, J. I Bibl.gen. 23 56; II 676 683 690 693 741 749 960 985.
 Van der Meulen, H. I 63.
 Van der Ploeg, J. II 588.
 Van de Voort, A. II 27s.
 Van de Woestyne, Z. I 23 78 584.
 Van Eijl, E. II 699.
 Van Endert, C. I 22.
 Van Grusven, C. I 19.
 Van Holtum, A. I 23.
 Van Hove, A. II Bibl.gen. 192 251 423 693 705 813.
 Van Imschoot, P. I 299; II 27-29 31 35 52 278 283 318 546s 566 572s 589 597s 672 759 836 864 914 925.
 Vanneste, A. II 923 930.
 Vanni Rovighi, S. II 584 592 623.
 Van Noort, G. II Bibl.gen. 545 795 931 961.
 Van Roo, W.A. II 693 1004 1010.
 Van Rooy, H. II 319.
 Van Steenberghe, F. I 23.
 Van Tichelem, T. II 784.
 Vargha, Th. II 318.
 Vattioni, F. II 31 53 496.
 Vázquez, G. I Bibl.gen. 169 188 192 212 224 230 250s 253 256 260 266 357 424 432 435 452 482 486 492 495 507s 520 531 535 569; II 65 68 95 113 163 326 352 354 359s 373 384s 749 813 844 850s 853 885-887 890 892s 949 954 960 1011.
 Vega, A. I 244; II 871 881 890.
 Vega, A.C. II 671.
 Ventura, J. II 423.
 Verardo, R. II 583.
 Verbeke, G. II 589.
 Verde, F. II 584.
 Verdier, P. II 486.
 Verga, E. II 584.
 Vermeersch, A. I 22; II 671 898.
 Vernet, A. 49.
 Vernet, F. II 20 143 533 577 586 643 712 734.
 Vernet, P. I 482.
 Verrielle, A. II Bibl.gen. 551 683 712 926 973.
 Veuthey, A. I 60.
 Veuthey, L. I 23.
 Viard, A. I 306; II 925 932.
 Vicentini, J.I. II 220s 226-228.
 Victor Vitensis I 331.

Viganó, E. II 799.
 Vignano, M. II 164.
 Vigilino, H. II 693.
 Vigilius II 414 662s 861.
 Vignaux, P. I 252 460 468.
 Vigouroux, F. I 117; II 418 594 784.
 Villalmonde de, A. I 410 423 438 528 581 674.
 Vincent, L.H. II 286.
 Vincentius Lirinensis (S.) II 612.
 Vinchon, J. II 483 486.
 Visintainer, S. II 813.
 Vitalis Du Four II 623.
 Vitelleschi, M. I 265.
 Vitoria, F. I 252; II 881 949 960s 991.
 Vitti, A. II 710.
 Viva, D. I 195s 266 452 564; II 849.
 Vives, L. II 401.
 Voegtle, A. II 853.
 Vogt, C. II 511.
 Volk, G. II 698.
 Volk, H. II 546.
 Vollert, C. II 154 693 939 960 974.
 Von Hartmann, E. II 178.
 Von Hebenstreit, B. II 577.
 Vonier, A. II Bibl.gen.
 Von Ivanka, E. I 39.
 Von Petersdorff, E. II Bibl.gen. 280.
 Von Rosenberg, H. II 449.
 Von Schäßler, C. I 54.
 Von Siebenthal, W. II 854.
 Von Wahlthofen, F. I 36.
 Voog, A. II 875.
 Vosté, J.M. II 37 147 574 711 914-925 926.
 Vries, J. de I 23.

W
 Waffelaert, G.J. I 572; II 470s 484s 486 713 715.
 Waibel, A. I 12 22.
 Waldenses I 89 292.
 Waldensis, Th. II 124 889.
 Waldmann, M. II 867.
 Walk, L. II 752.
 Walker, L. I 218.
 Wandensperger, W. I 460.
 Weber, B. II 519.
 Weber, J. I 100; II 52.
 Weber, S. II 469.
 Weber, V. I 281.
 Wehrle, J. II 603.
 Weigel, G. II 520 545.
 Weigl, E. I 347 574.
 Weil, E. II 584.

Weisweiler, H. II 469.
 Welch, C. I 579.
 Wellhausen, J. II 31.
 Wenzel, P. II 561 604 611.
 Wenzer, A. I 411.
 Werner, K. I 12 22 272.
 Wescott, B. I 309.
 Westphal, S. I 133.
 Wickenhauser, A. II 231.
 Wicleff, I. I 153 189 207 272; II 124 889.
 Wiesinger, A. II 503 960.
 Wiest, St. II 275.
 Wilkin, V. 1003.
 Willaert, B. I 63.
 Williams, M. I 482.
 Wimmer, J.B. II 616 634 639.
 Winandy, J. II 914.
 Windisch, H. II 927.
 Winklhofer, A. II 418.
 Winter, E. I 189 291.
 Wirceburgenses I Bibl.gen. 45 78 231 256 266 282 285 346 371 445 450 452 486 492 520 532; II 362 486 811 813 819 847 849 858 881 885-887 890 893 948 954 960 988 1016 1020.
 Wirtgen. P.A. II 221.
 Witasse, C. I 572.
 Wodham, A. I 511.
 Wörter, F. I 228 248.
 Woods, H. II 535.
 Worms II 143.
 Wright, J.H. II 174 202s.
 Wroe, J.P. II 823.
 Wundt II 602 621.

X
 Xiberta, B.M. I 364; II 681.

Y
 Ysambert, N. I 239.

Z
 Zacarias, F.A. II 539.
 Zacchi, A. II 503.
 Zacchi, M. I 509.
 Zacharias Mitylenus II 150 160.
 Zacki, W. II 628.
 Zahn, L.A. II 514 535.
 Zahn, A.V. II 235 275.
 Zahn, Th. I 290 346.
 Zalba, M. II 813.
 Zammit, P. II 281.
 Zani, L. II 578 592.
 Zapletal, V. I 88; II 29 31 32.
 Zavalloni, R. II 623 638.
 Zedda, S. I 578; II 507.
 Zedler, B.H. II 583.

Zeman, F. II 418.
 Zeno Veronensis I 915.
 Zephyrinus (S.) II 331 339.
 Zigliara, Th.M. II 623 626 637 638.
 Zigon, F. I 222; II 253.
 Zimmermann, F. II 881 898.
 Zimmermann, O. I 96.
 Zorell, F. I 40 190; II 52 375 546s
 710.

Zosimus (S.) II 756 923 927.
 Zsabó, T. II 220.
 Zubiri, X. I 579.
 Zuerich, A. II 541 544s.
 Zumel, E. I 170; II 847 881 885s
 892 948 960.
 Zúñiga, J. I 194.
 Zwinglius II 697 703 922.
 Zychlinski, S. I 47.

INDEX RERUM

N. B.—Numeri romani *tractatum designant*, arabici autem *numeros marginales*.

Accidens concreatur II 15.

Actio. An detur in divinis processionibus I 460; eius locum obtinent intellectio et volitio 461.

Actus qui sit peccatum II 815 823; positivus in peccato commissionis 847.

Actus notionales: quid sint I 459; quot numerantur 459; quomodo distinguuntur, conferuntur cum relationibus et personis 526-539.

Actus purus I 137; potentia divina ad intra est actus purus 460-462.

Adam origo corporis eius II 506-533; accepit sibi et suis iustitiam originalem 3; habuit gratiam sanctificantem 706-713; a momento creationis 714; fidem theologicam 715; cognitionem supernaturalem mysticam 715; omnes virtutes 726; capax agendi supernaturaliter 726; gratia erat supernaturalis 717-725; habuit integritatem 728-736; praeternaturalem 739-748; virtutes per accidens infusas 737; capax servandi legem naturalem 737; sensit pudorem? 752; quomodo integritatem obtineret 749; habuit immortalitatem 754-762; praeternaturalem 764-772; quomodo eam obtineret 773; habuit felicitatem cum impassibilitate et dominio 776-781; praeternaturalem 783; habuit scientiam infusam 786-793; ergo praeternaturalem 794; ut donum personale 786 796; quamdam inerrantiam et eximiam discendi aptitudinem 795; poterat peccare venialiter? 802; transmittere debebat suis ea dona 706-713 729-736 754-762 778-782; non scientiam infusam, sed inerrantiam et discendi aptitudinem 796; peccavit graviter 903-911; effectus eius peccati in eo 903-912; narratio biblica de eo peccato 913; quale 915; gravissi-

[**Adam**]

um omnium? 915; possibile 917; sententia Dei in Adam 918; consideratio huius in paradiso 919; transmissio eius peccati 921-933 934s; caput physico-mysticum omnium 957-966; sciebat id? 970; non transmitteret alia peccata nec gratiam recuperatam 969. Cf. *Peccatum originale*.

Aeternitas Dei I 119-123; eius co-existentia cum duratione creaturae 124; circa creationem II 142 159-164.

Amor est proprie in Deo I 204; amor notionalis 448; notionaliter acceptus 441; Dei in creaturas II 195; motivum 195s; ex benevolentia 197.

Angelus obiectum theologiae in sua origine, natura, elevatione, lapsu II 2-5; momentum eius studii 7; quid sit 273; existit 273-282; doctrina iudaica de eo 283s; quot sint angeli 285; an distincti 286-290; creati a solo Deo 29 38 40 291s; a tribus personis 70; quando 293; ubi 294; spiritus puri 296-318; an assumant corpus 313; simplices 319; incorruptibiles 320; sunt in loco intrinseco 321; in extrinseco? 322; quomodo 323 326; unus simul diversis locis? 324; multi simul eodem loco? 325; non ubique 323; perfectio cognitionis 329; asserta de hac 328-353; futura libera 344-351; entia supernaturalia 352; mysteria Dei 353s; voluntas eorum qualis 355-358; potentia eorum ut moveant se 359; spiritus 360; corpora 361; ad effectus corporeos 362; ut assumant corpora 363; ad miracula 364s; qualis sit 366; ut influat in hominis intellectum ac voluntatem? 362; in efformatione corporis protoparentum 509; finis pro-

[Angelus]

ximus mundi materialis? 206; propter homines 202; loquuntur inter se 3678; illuminatio angelica 369; an in via gratiam sanctificantem habuerint 371-383; virtutes infusas 384; a quo momento 385; an iuxta perfectionem naturalem 388; an ad eam se disposerint 386; non creati in beatitudine 401. Cf. *Angeli boni*, *Daemones*.

Angeli boni vitam aeternam obtinuerunt II 388; quando 391; an eam meruerint 390; custodes hominum 423-442; distincti pro singulis 443; quamdiu 448; effectus custodiae 449; dantur etiam regnis 444; Ecclesiae 445; etiam particularibus 446; personis publicis 447; quinam mittantur in custodiam hominum 451; cultus iis debetur 425s. Cf. *Angelus*.

Anima humana quid II 559; unitas 558-576; individualis 577; spiritalis 578; simplex 579; immortalis 581-596; unio cum corpore in naturam 600-610; in personam 6118; in substantiam 614-616; sola est persona? 613; corpus instrumentum eius 613; forma corporis humani 618-636; hominis 619; ea quaestio theologica? 617; valet in omni schola catholicorum 619 628; non pugnat cum animae proprietatibus 635; forma substantialis hominis 637-639; eius sedes est in sanguine? 640; creata a Deo 642-658; emanatismus 646 653 656; nec fit a parentibus 647 650 653s 656-658; creationis momentum 659-668; nec ante eam infusionem peccavit 665 667s; momentum infusionis 669-671; animae Christi et Mariae Virginis 671.

Animatio mediata, immediata quid sit II 669; statuitur immediata 670s.

Annihilatio excluditur conservatione II 225; datur nunc? 246.

Anthropomorphismi in V.T. I 117-118.

Appetitus innatus videndi Deum admitti nequit I 56-57; neque ap-

[Appetitus]

petitus naturalis efficax, sed solum per modum velleitatis 57-64.

Appropriatio quid sit I 545; admitti debet 546 549; praecipuae appropriationes 552-554.

Arbor scientiae boni et mali cur sic vocetur, fuit realis? II 914.

Argumentum a simultaneo, argumenta pro existentia Dei, cf. *Cognoscibilitas Dei*.

Aseitas essentia metaphysica Dei I 78.

Atheismus I 15.

Attributa divina I 76; eorum divisio 82; distinctio ab essentia 82.

Aversio a Deo quae sit II 823; in peccato gravi 835-838 845 847; pars formalis huius 848; in peccato habituali gravi 858s; in peccato originali sine conversione ad creaturam 993 1013 1015.

Baptismus infantium et peccatum originale II 927-931; fetuum et animatio immediata 671.

Beatitudo naturalis an detur deudentibus cum solo peccato originali II 1001 1009. Cf. *Angeli boni*.

Bonitas transcendentalis quatenus de Deo dicatur I 84; Deus summum bonum 84; moralis 204s; bonitas Dei finis creationis qualiter II 172-174 192-197; omnia eam quaerunt 202.

Bonum qualiter diffusivum sui II 135.

Causa exemplaris quae II 101; mundi 98-111. Cf. *Idea*.

Christus momentum infusionis animae ipsius II 671; immunis a peccato originali 921; finis proximus creationis 209-212; elevatio hominis 4.

Circummissio vel **Circuminsessio** datur inter divinas personas I 540-542.

Cognoscibilitas naturalis Dei: potest existentia Dei naturali rationis lumine certo cognosci I 1-15; atque adeo demonstrari 17-25; non a simultaneo 27; etiam essentia Dei imperfecte attingi potest 28-36.

<http://www.obrascatolicas.com>

Cognitio Dei supernaturalis, cf. *Visio intuitiva*.

Cognitio SS. Trinitatis nequit haberi sine revelatione I 356-360.

Conceptio activa et passiva II 669; infusio animae in qua 669-671.

Concupiscentia quid II 728; homini naturalis 745; num sit mala 746 748 750s; pudor eius? 747; eius auctor? 751; qualis in natura pura 804; causa peccati gravis 854; formaliter peccatum originale? 938-944; confert ad huius propagationem? 982 984; signum huius 984; effectus eius peccati 987 994.

Concursus quid II 247s; qualis datur 249-264; eius explicatio 250; praevius 250; Bañezianismus et Molinismus ante mediatum 266.

Confirmatio in gratia in statu iustitiae originalis II 800.

Conservatio quid II 224; connexio cum actu creativo 244.

Consubstantialitas divinarum personarum: notio consubstantialitatis I 345; semper intellecta est consubstantialitas stricte dicta singularitatis in natura 347-355.

Conversio ad creaturam quae II 823; in peccato gravi 839-842 847; pars materialis peccati 848; in peccato veniali 888; in peccato originali? 993 1013 1015.

Corporeum quid II 298.

Corpus quid et quale excludat angelus II 297-300; potest ab angelo moveri 361; assumi 363. Cf. *Corpus humanum*.

Corpus humanum quid II 600 618; protoparentum immediate a Deo 506-533; theologus in ea quaestione 507; sacerdos in ea 534; angeli in eius efformatione 509; causa physica contrahendi peccatum originale? 982; ea contractio relate ad illud 984; unio cum anima 600-616. Cf. *Anima*.

Creatio quid II 15-17; an sit mutatio 18; prima, secunda 14; natura actionis creativae 64-69; creatura nequit creare? 72-97; mundi fuit libera 121-139; in tempore 140-158; repugnat ab aeterno? 159-164; quis eius ultimus finis 167-197; proximus 202-206; in

[Creatio]

ordine supernaturali 207s; novae res creatur? 165s; animae humanae 642-658; momentum eius 659-668. Cf. *Conservatio*.

Creatura quomodo tendat in Deum II 174s 202; irrationalis propter hominem 202s; relata ad ordinem supernaturalem 208; finis eius in ordine supernaturali 207; similitudo Dei II 213-216; imago 217; vestigium 218; similitudo Trinitatis? 219-221; concurrat ad conservationem? 242; dependentia a Deo 265; sub dominio Dei 270. Cf. *Creatio*.

Culpa quid II 815.

Custodia angelica. Cf. *Angeli boni*.

Daemones angeli plures peccarunt II 392-400; quot 403; quo momento 402; quanto peccato 404; quali 405-407; non acceperunt tempus poenitentiae 408s; unde potuerint peccare 410; damnati in aeternum 411-417; iam sustinent poenam inferni 419; qualem in intellectu et voluntate? 420; sunt in inferno? 421; quomodo designentur 418; ducem habent 418; infestant homines tentatione 454-467; inferiores sub superioribus 469; unicuique homini peculiaris daemo? 469; infestant homines obsessione 470-486; etiam magia 487-499; causa peccati gravis 854; quatenus tentet hominem lapsum 988 996s.

Deus I passim; nomen Dei appropriatur Patri I 293 300 552; Deus quomodo theologia respiciatur II 1s; momentum eius studii 7-9; mundum creavit 13-63; id naturaliter probatur 49s; tres personae divinae crearunt 70; conservat mundum 223-241; etiam creaturae? 242; actioni creaturae concurrat 247-264; dependentia huius ab ipso 265; gubernat mundum 267-269; dicitur ens supernaturale? 687; creat animam humanam 642-658; non causa peccati gravis? 854; nec propagationis peccati originalis? 982s. Cf. *Creatio*, *Amor*, *Diabolus*, cf. *Daemones*.

Distinctio realis et rationis I 479s; formalis ex natura rei 481; virtualis intrinseca 489-491; distinctio inter divinas personas est realis 296-299 (cf. *Traditio*); inter relationes et essentiam est rationis ratiocinatae 482-491; quanam datur inter essentiam et attributa 76-82; inter origines, relationes et personalitates 526-532.

Divinitas Patris, Filii et Spiritus Sancti I 300-321. Cf. *Traditio*.

Dominium quid II 776; Adae in res inferiores 776-782; praeternaturale 783; Dei in mundum 270.

Donum personaliter dicitur de Spiritu Sancto I 439.

Dualismus animarum II 563.

Essentia quid II 601.

Essentia Dei metaphysica I 76 78-81; physica, theologice et philosophice accepta 77; an relationes sint de essentia Dei physica 492.

Exsistentia Dei, cf. *Cognoscibilitas Dei*.

Felicitas primaeva quae II 776; fuit Adae 778-782; praeternaturalis 783.

Fides an fuerit angelis in via II 384; fuit Adae 715.

Filius Dei Christus est Filius Dei naturalis et proprie dictus I 302 305 308-310 (cf. *Generatio*); generatio eius non creatio II 18; imago perfecta Patris 672.

Finis quid et quotuplex II 168s; late dictus 169s; finis in creatione 167-197; splendor eius 175; ultimus num obtineatur in limbo puerorum 101 1009; ultimus peccati gravis? 845; peccati levis? 892.

Forma quid et in specie forma corporis II 619; analogice 620; substantialis in omni corpore 639; anima humana forma substantialis corporis humani 618-636; etiam scholastice sumpta 639; unica 637; reicitur corporeitatis scotistica 638; substantialis materialis concreatur 15.

Futura contingentia absoluta et conditionata, sive futurabilia cf.

[Futura]

Scientia Dei; futura libera num cognoscant angeli II 344-351.

Generatio notio generationis I 391s; processio Verbi est generatio proprie dicta 393-397; quia est per intellectum infinitum 451-458; processio Spiritus Sancti non est generatio 398 401-402; quia est per voluntatem 451-458; generatio Filii non est creatio II 18; an generatio naturalis conferat ad propagandum peccatum originale 973-983; gratiam sanctificantem 933 969 982s.

Genus humanum quid II 538; proccedit ab Ada et Heva 537-551; unitas eius specifica et originis 538; antiquitas eius 555s; propagatio eius in statu iustitiae originalis 800; conditio pueri nascentis in eo statu, societas in eodem 800.

Gloria quid II 172; finis creationis 173-197; an Deus eam quaerat 194s; Dei praefertur bono creaturae 196; quousque obtineatur in creatione? 198; utilitas homini eam quaerenti 199; studium eius 200; obtinetur perfectius in altera vita? 200; illud studium est donum Dei 200; ea fovetur per progressum 201.

Gratia sanctificans quid II 706; fuit Adae innocenti 706-713; supernaturalis 717-725; praecipuum donum iustitiae originalis 692s 799; distincta a iustitia originali? 692s; num eius privatio vel propagatio pendeat a generatione 633 969 982s; eius gratiae transmissio pendet causaliter a Deo 933; privatio eius non voluntaria peccatum? 953; formaliter peccatum originale 947-952; infanti voluntaria ex Adae peccato 947; non perfecta 672s; in viro ac privatio eius peccatum habituale grave? 858; poena peccati gravis? 858; minuitur gratia peccato veniali 877 894 897. Cf. *Angelus. Adam*.

Gratuitum quid II 681.

Gubernatio mundi, cf. *Deus*.

Habitus peccati non ex peccato originali II 993s.

Harmonia praestabilita quid II 604.

Heva origo corporis eius II 506-533; in paradiso tentata 914; eius peccatum 915; gravissimum omnium? 916; possibile? 917; sententia Dei in eam 918; transmisit filiis suum peccatum? 934.

Hierarchia angelorum qualis et quotuplex II 290.

Homo obiectum theologiae in sua origine, natura, elevatione, lapsu II 2-5; momentum eius studii 7s; simul tempore creatus quoad corpus et animam? 509; similitudo Dei 213-218; Trinitatis 219-221; imago Dei? 672s; Trinitatis? 674; accepit in Ada iustitiam originalem 3. Cf. *Creatio. Adam*.

Homo, cf. *Genus humanum*.

Homo lapsus, cf. *Natura lapsa*.

Homo purus, cf. *Natura pura*.

Hypnotismus quid II 501.

Idea quid II 99; mundi in Deo 98-111; qualiter sit in Deo 112-116; subiective una, obiective multiplex 115; necessaria, aeterna 117; participatio vitae divinae 118; idea omnium in Verbo 119; res verae per ideam divinam 120.

Ignorantia ut causa peccati gravis II 843 854; ut effectus peccati originalis 987 994 999.

Illuminatio angelica qualis II 369.

Imago nomen Filii Dei 426; quid sit II 672; Dei est in homine, muliere, in angelo 673. Cf. *Creatura*.

Immensitas Dei quid sit I 125-128; est ratio ubiquitatis 128; quo pacto probatur 130-132; an ad spatia imaginaria extendatur 134.

Immortalitas animae humanae quid II 581s; statuitur 585-596; in libris Veteris Testamenti ante exilium scriptis 597s; corporalis quid sit 754s. Cf. *Adam. Lignum vitae*.

Immutabilitas Dei physica, moralis, logica I 108 112 114 116.

Impassibilitas quid sit II 776; Adae 778-782; praeternaturalis 783. Cf. *Adam*.

Imperfectio positiva an detur II 898.

Incomprehensibilitas Dei quid comprehensio I 65 69; Deus est incomprehensibilis 66-69.

Indebitum quid sit II 681.

Individualitas animae humanae II 577.

Infantes non baptizati puniuntur post mortem II 1000-1018; privantur beatitudine naturali? 1019; sunt in statu damnationis? 1001; ubi 1021.

Infestatio daemonum quid et quotuplex II 454.

Infinitas Dei notio catholica infinitatis I 96-99; quo pacto probatur 100-106.

Ingenitus quid in divinis I 386; est notio Patris 389.

Inhabitatio Spiritus Sancti in anima iusti: datur in iustificatione I 563-567; ut effectus formalis gratiae 568; in quo consistit 569-570; communis est tribus personis, sed iure appropriatur Spiritui Sancto 571-577.

Innatusmus quatenus Dei notitia innata dicatur I 26; an innatusmus admitti possit 70.

Integritas quid sit II 728. Cf. *Adam*.

Intellectus angeli II 330; cognoscendi medium 331; modus 332; obiectum eius materiale 333. Cf. *Angelus*.

Iustitia originalis quid adaequate, inadaequate II 692; distincta adaequate a gratia sanctificante? 692s; errores de ea iustitia 695-704; qualis esset peccans mortaliter in eo statu 801; quantum durasset ante praemium ille status? 701; confirmatio in gratia in eo? 800; Maria fuit in eius statu? 691. Cf. *Adam. Genus humanum. Gratia sanctificans. Status*.

Lex divina quae sit II 823; peccatum grave contra eam 830-834 844; explicatio 846; actus praeter eam 846; lex naturalis congruit viribus hominis lapsi? 994 998.

Libertas voluntatis divinae: in quo consistat I 192-195; libertas creaturae stat cum scientia et providentia divina 153-156 221; libertas quid et quotuplex II 122; pec-

[Libertas]
cato originali non amittitur 988s; perfecta est necessaria in peccato gravi 823-829 843. Cf. *Creatio*.

Lignum vitae quale esset et qualiter vitam conferret II 774.

Limbus puerorum an et ubi sit II 1021.

Lingua origo eius II 797; diversitas eius et monogenismus 553.

Lumen gloriae I 47.

Magia quid sit II 488; datur 489-499; ad eam pertinent magnetismus, hypnotismus, spiritismus? 500-504.

Magnetismus quid II 500.

Malitia ut causa peccati gravis II 854.

Malum quid sit II 815.

Maria excepta a peccato originali II 921 931. Cf. *Anima*, *Iustitia originalis*.

Medium scientiae divinae; medium quo I 164; medium in quo 168-178.

Miraculum, cf. *Angelus*.

Missio personarum divinarum: notio I 556; divisiones missionum 560; missio divina non importat necessario proprietatem effectus ullius 556 (cf. *Inhabitatio*); missio angeli quae et an detur II 423-451. Cf. *Angeli boni*, *Custodia*.

Modestia, instrumentum pudoris II 752.

Momenta angelica quae et quot fuerint II 384 422.

Monogenismus quid 538; defenditur 539-551; fundamentum peccati originalis 549; scientifice inspectus 539 552-554.

Monotheismus, cf. *Unitas Dei*.

Mors ut effectus peccati originalis II 987 994; poena peccati 667.

Mundus quid sit II 14; obiectum theologiae 1s. Cf. *Creatio*, *Deus*.

Natura quid II 677; exigentia eius qualis et quotuplex 679s; varius status 689-693; humana quid 600s exsurgit ex unione animae et corporis II 602-610; num ob peccatum alienum bonis debitis priveitur 993s 996 1013 1018s; accipit in Ada iustitiam originalem 706-

[Natura]
782; quid patiat ex peccato gravi 866. Cf. *Adam*.

Natura lapsa conditio eius ad honeste agendum II 985-997; ius ad auxilia congruentia 998. Cf. *Status*.

Natura pura status eius quid sit II 804; possibilis 805-811; utilitas eius conceptus 812; concipitur multiplici statu possibili 997; conditio eius ad honeste agendum 985-997; ius ad auxilia congruentia 998. Cf. *Status*.

Naturale quid et quotuplici sensu sumatur II 678-680.

Neo-nicaenismus falso tribuitur PP. saec.IV I 334-335.

Nomina Dei plura non sunt synonyma I 29.

Notionalis quatenus admitti possint intellectus et voluntas notionalis I 448.

Notiones divinae quid sint et quot sint I 373.

Obiectum divinae scientiae et voluntatis: obiectum formale et primum quomodo dici debeat I 167 182.

Obsessio diabolica quid et quotuplex II 471; attingit intellectum et voluntatem? 472; signa eius 485; fines Dei in ea permittenda 846.

Omissio voluntaria pura possibilis? II 844.

Omnipotentia Dei I 206-210; constitutum potentiae activae ad extra 212.

Optimismus opponitur libertati Dei et reiciendus est I 196-199.

Ordo angelorum quid et an sit II 288; quotuplex 289.

Ordo originis inter divinas personas I 374.

Origines, cf. *Actus notionales*.

Palaeo-nicaenismus, cf. *Neonicaenismus*.

Pantheismus reiciendus est I 135s; an opponatur unicitati Dei 94.

Paradisus situs eius, an existat nunc, usus eius vocis II 784.

Parentes non causa propagationis peccati originalis II 982; conferunt ad hanc? 983.

Pater prima persona in Trinitate non procedit I 388; est principium aliarum personarum 389.

Pater respectu creaturarum est nomen commune tribus personis; sed iure appropriatur primae personae I 578.

Paternitas quatenus est constitutum primae personae I 531-532.

Peccatum est obiectum theologiae II 5; momentum eius studii 8; auctores 813; de eo in genere 814-821; notio eius 815; definitiones 816; divisiones 817s; ratio eius analogica 819; appellationes eius in N.T. 816; extensio appellationis ad alia 819; divisio tractatus 820; errores de peccato 821. Cf. *Peccatum actuale grave*.

Peccatum actuale grave actus perfecte liber II 823-829 843; contra legem divinam 830-834 844; aversus a Deo 835-838 845; per conversionem ad creaturam 839-842; obiective grave at semideliberatum 829; grave ex ignorantia culpabili relativa 843; relate ad prohibitionem divinam 844; omissionis quale et quotuplex et num possibile sine actu voluntatis 884; intendit aversionem a Deo? 845; quomodo contra legem divinam, quod obiectum eius 846 895; eius constitutiva 847s; definitur positive et privative 848; eius malitia 850; vera offensa Dei 851; diversum gravitate 852; diversum specificiter 853; eius causae 854; peccatum ut origo alius peccati 854; quomodo ad actum peccati Deus bonitate sua concurrat 193; peccatum ADAE grave 903-911; effectus eius in ADA 903 912; peccatum Hevae quale 915-917; personale nequit filiis transmitti 932; inferre reatum poenae aeternae 861; temporalis 862; concomitantem 863; medicinale 864; spirituale 865; impenitentiam finale? 861; effectus eius in bonis naturae 866; peccatum poena peccati 865. Cf. *Adam*, *Angelus*, *Peccatum philoso-*

[Peccatum actuale grave]
phicum, *Peccatum habituale*, *Peccatum originale*, *Peccatum veniale*.

Peccatum capitale quid sit II 854.

Peccatum habituale quid II 856; mortale existit 857; essentia 858s; remissio 860; veniale existit 879 884; quod quid sit 885-887.

Peccatum originale errores de eo II 695-704; quid 921; singulis propagatur 921-933; primum peccatum ADAE? 934; Concilia non de eius essentia 936; in quo haec non consistat formaliter et in quo consistat formaliter 938-945 947-952; in quo consistat, iuxta S. Augustinum 954s; concupiscentia elementum materiale? 956; est unum an multiplex? 934; possibile solum in ordine supernaturali 935; non esset, si Adam non peccasset 934; est nobis voluntarium ex ADAE peccato 947; ex qua solidaritate omnium in ADA? 958-966; nec ex morali 958 960 962s; gradus voluntarietatis eius 968; est obiectum poenitentiae? 968; aversio a Deo sine conversione ad creaturam 968 993 1013 1015; omnibus aequale 968; de eo relate ad attributa Dei 971; propagatur generatione naturali 973-980 983; mere ut conditio 973 981s; unum peccatum ADAE est causa propagationis 973 981-983; quo sensu 984; effectus eius quoad vires honeste operandi intrinsecas 986-994; extrinsecas 986 995-997; quoad ignorantiam 987 999; non remissum quomodo propagatur post mortem 1000-1018; num privet beatitudine naturali 1019; pugnat cum polygenismo 541 543; probatur ex miseris huius vitae? 811.

Peccatum philosophicum quid, num detur et sit possibile II 849.

Peccatum veniale actuale quid II 869; existit 869-877; maius poena aeterna? 977; actus malus praeter ultimum finem 879 880-883; etiam in peccatore 883; importat conversionem ad creaturam 888; definitio positiva et negativa 888; potest dari in reprobis 889; tale ex natura sua 890; relatio veniali-

[**Peccatum veniale**] ter peccantis ad ultimum finem 891; eius peccati finis ultimus 892; offensa Dei? 893; obest caritati? 877 894 897; obiectum 895; specificatio 896; num fieri potest mortale? 897; disponit ad mortale? 897; inducit aliquam poenam damni et sensus 900; causae eius peccati 899; esset in statu innocentiae? 800.

Perfectio relationes dicunt formaliter perfectionem I 493-498; sed relativam 499; quomodo perfectiones relativae contineantur in essentia divina 502; et in aliis perfectionibus relativis 502.

Perfectiones absolutae et relativae I 82; perfectiones omnes absolutae sunt de essentia physica Dei 77 492; perfectiones simpliciter simplices et perfectiones simplices 500-501.

Persona conceptus personae in divinis I 507-509; distinctio personalis quid importet 296; personae divinae constituuntur relationibus secundum esse ad 511-519; persona quid sit II 611. Cf. *Anima*.

Poena quid sit II 861. Cf. *Peccatum actuale grave*, *Peccatum veniale*, *Peccatum originale*.

Polygenismus quid sit II 538s; reicitur 538-551; peccatum originans in eo 539 543 551; pugnat cum peccato originali? 541 543; aequaliter admitti posset? 543.

Possibilia omnia cognoscuntur a Deo I 147-152; in se ipsis 166; et in se ipso 169.

Potentia Dei ad extra, cf. *Omnipotentia*; ad intra est notionalis I 373; quid importat in recto 448; est actus purus 460-462; absoluta vel ordinata quid sit 211; II 805; potentia angeli, cf. *Angelus*.

Prædefinitio quid sit I 264; formalis et virtualis 265; sufficit virtualis 268-269.

Prædestinatio notio catholica I 236; quid importat 236; prædestinatio complete et incomplete sumpta 236; prædestinatio ad primam gratiam 247-249; prædestinatio formaliter et præcise ad

[**Prædestinatio**] gloriam 251-263; est obiective certa 238; sed non subjective 238.

Prædicata de Deo I 28-36; in re trinitaria 371 375.

Præsentia Dei in rebus, cf. *Immensitas*; angeli, cf. *Angelus*.

Principium in divinis processionibus: principium quod est simpliciter unum in processione Spiritus Sancti I 416-417; principium quod quid sit 443 447; remotum et proximum 443; id est intellectio et volitio, connotatis relationibus ut conditionibus 445-450.

Principium ad extra est unum in divinis I 544-548.

Principium identitatis comparatae quare non repugnat Trinitati I 364-365 368; an sit principium formale 366-367.

Prioritas et posterioritas in divinis: prioritas originis I 384; prioritas rationis perfecta et imperfecta 385; inter quae admitti debent 384-385.

Privatio, cf. *Peccatum*, *Peccatum actuale grave*; gratiae sanctificantis, cf. *Peccatum habituale*, *Peccatum originale*, *Gratia sanctificans*.

Processio in divinis quid sit I 377s; processionem divinae ad intra sunt immanentes 377 422; non nisi per processionem multiplicantur personae 372 388; adsunt processionem in divinis non ex indigentia, sed ex foecunditate infinitatis in ordine intelligendi et amandi 422 441.

Proprietates personales quid sint I 373; admittendae sunt in divinis 510.

Protoparentes, cf. *Adam*, *Heva*, *Corpus*, *Genus humanum*.

Providentia Dei quibus attributis consistat I 214-215; extenditur ad omnia et singula, etiam ad mala physica et moralia 216-222.

Pseudo-intuitionismus reicienda sunt systemata omnia pseudo-intuitionistica circa cognitionem Dei I 70-75.

Pudor ex concupiscentia II 747; sensus, origo, est omni homini, Adae defuit 752; utitur virtute

[**Pudor**] modestiae 752; veste 752. Cf. *Modestia*, *Vestis*.

Pulchritudo Dei I 85.

Relatio in divinis notio relationis I 464; relatio realis et rationis 466-467; relatio secundum dici 467; esse in et esse ad relationis 465; in divinis dantur tantum quatuor relationes reales originis 468-478; sunt reales quoad esse ad 493-498; an transcendentales, an praedicamentales 503; sunt subsistentes 503.

Reprobatio notio reprobationis I 270; reprobatio antecedens, positiva et negativa 271; utraque reicienda 272-284; nec admittenda reprobatio a gratia 285.

Salus hominum, cf. *Voluntas salvifica*.

Scientia Dei eius subiectiva perfectio I 141-146; eius obiectum 147-163; modus divinae scientiae 164-166; non eget determinatione ex parte obiecti 165; neque medio in quo 168; quatenus hoc medium adsit 169; divisiones scientiae Dei 179; scientia Dei causa rerum 180; de futuris contingentibus absolutis non nocet libertati creaturae 153-156; de futuris contingentibus conditionatis (futuribilibus) admitti debet de omnibus 157-163; in se ipsis, sine medio in quo proprie dicto 170-174; ideo admitti debet scientia media 170 179; expenduntur sententiae theologorum 171 175-178.

Scientia infusa naturalis quid esset II 786. Cf. *Lingua*, *Adam*.

Secreta cordium, cf. *Angelus*.

Signa rationis quid sint I 147; signum futuribilis 173; ordo signorum in prædestinatione 254.

Similitudo, cf. *Creatura*.

Simplicitas Dei quid importat I 107; non datur in Deo compositivo ulla, nec realis, nec rationis 108-111 113 115 370 (cf. *Libertas*); simplicitas animae humanae II 579.

Solidaritas quid sit et quotuplex II 958; omnium in peccato Adae et qualis 960-966. Cf. *Peccatum originale*.

Species an detur in visione intuitiva Dei I 47; in scientia Dei. Cf. *Scientia Dei*.

Spiratio activa est una relatio realis communis Patri et Filio I 473-477 533-534; imbibita in paternitate et filiatione 513 535-537; constituit spirationem seu principium quod processionis Spiritus Sancti 538-539.

Spiritus Sanctus est persona distincta a Patre et Filio I 297-299 319; est verus Deus 313s 349; procedit a Patre et a Filio tamquam ab uno principio 400-420 (cf. *Principium*, *Processio*, *Spiratio activa*); sensus formulae: Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium 409 412.

Spiritismus quid, eius origo II 502; phaenomena eius diabolica? 503; semper illicitus 504.

Spirituale quid sit II 298.

Spiritualitas animae humanae II 578.

Spiritus quid sit II 297; quo sensu dicatur de homine 572. Cf. *Angelus*.

Status naturae quid, possibilis et realis II 689; naturae purae, integrae, elevatae 690; iustitiae originalis, lapsae, lapsae-reparatae 691; iustitiae originalis in specie adaequate et inadaequate 692s.

Subsistentia quid sit I 520-522; dantur in divinis tres subsistentiae relativae 523; et una absoluta 524-525.

Substantia quid sit, completa et incompleta II 614; exsurgit una completa ex unitis anima et corpore substantiis incompletis 614-616; supernaturalis quid, substantia supernaturalis est impossibilis I 54. Cf. *Anima*.

Supernaturale origo vocis II 681; relative sumptum quid sit 681; divisiones 682; aliud elevat naturam ad alium ordinem 693; aliud eam mere perficit in eius ordine 684; supponit potentiam obediencialem 683; falsa notio entis supernaturalis 685; absolute sumptum quid sit 686; entia absolute supernaturalia quaeenam 686; supernaturalis entis possibilitas probatur sola ratione? 683.

- Suppositum** quid sit I 507; de sensu proloquii: «actiones sunt suppositorum» 416 522-524.
- Tempus** quid sit et quotuplex II 141. Cf. *Creatio*.
- Tentatio** quid sit II 455; eius diversitas 468; Hevae qualis 914; homo lapsus magis tentatur ob peccatum originale? 988 996s.
- Theologia** quomodo respiciat Deum II 18; veritatem quaerit ex revelatione, at indirecte utens lumine naturali 6; momentum eius studii 7-9.
- Theologia trinitaria latina et graeca** I 579-582.
- Traditio de Trinitate** tum antenicæna, tum post-nicæna clara et sincera est I 325-355.
- Transformismus** quoad corpus humanum quid II 510; specialis et naturalis 508; ut mera hypothesis diverse aestimatur 507; de facto excludendus? 509; quid fontes theologici 511-528; inspectus philosophice 529 532; quid S. Augustinus 535; S. Gregorius Nyssenus 536; quoad plantas et animalia 507.
- Transsubstantiatio eucharistica** non est creatio II 18.
- Trichotomia** quid II 561; reicitur 562-576.
- Trinitas** est mysterium stricte dictum I 356-360; sed non repugnat rationi 361s 369s (cf. *Principium identitatis*); revelatur in N.T. 293-321; quatenus in V.T. revelata sit 322-324.
- Ubiquitas Dei** an formaliter in operatione consistat I 127 132.
- «Una essentia, tres hypostases» I 350-355.
- Unicitas animae humanae** II 559-576.
- Unitas** specifica et originis hominis II 538.
- Unitas Dei**: unitas transcendentalis I 84; unitas singularitatis, sive unicitas 86-93; in V.T. non adest henotheismus sive monolatria 88 90s 93; de primitivo monotheismo 94.
- Verbum** est nomen proprium Filii Dei I 425; dicitur tantum notionaliter 428; procedit per intellectum 423-427; non ut Pater intelligat, sed quia intelligit 422; notio Verbi divini per comparisonem cum Verbo creato 427; ex qua scientia procedit Verbum 431-434.
- Veritas** transcendentalis I 83; quo sensu dicitur Deus verus 83; summa veritas logica 146.
- Vestigium** quid sit II 218; Dei in mundo 218.
- Vestis** instrumentum pudoris II 752; quasi divinitus inducta, signum peccati originalis et partim poena, signum vestis gratiae sanctificantis 752.
- Virtutes** divinae voluntatis I 204s; virtutes infusae angelis in via II 384; Adae 715 726.
- Visio intuitiva Dei** notio I 38; est cognitio quidditativa, sive visio essentiae 38; est possibilis 40-46; modus visionis divinae, lumen gloriae 47; est absolute supernaturalis 48-55.
- Vita Dei** notio vitae Deo applicata: vita Dei est actus secundus subsistens, sive actus purus in ordine activitatis I 138-139; Deus vivus 140.
- Vitium** quid sit II 815.
- Voluntarium** quid sit II 947s; de ratione peccati 947; gradus eius in originali 968.
- Voluntas** datur vere in Deo I 181-187; eius perfectio subiectiva 181; eius obiectum 182; primum sive formale et secundarium 182; non specificatur ab obiecto 182; divisiones voluntatis divinae 200-204; voluntas antecedens et consequens 203; voluntarium in generatione Verbi 435; voluntas angeli libera II 355 357; capax affectuum? 358; immutabilis electionis? 356.
- Voluntas salvifica universalis Dei** datur formaliter in Deo I 223-231; est voluntas beneplaciti, non mere signi 232; quatenus conditionata 233; est antecedens 233; terminus prae quo dicitur antecedens 234.

EDITIO QUARTA HUIUS VOLUMINIS, SECUNDI IN
COLLECTIONE «SACRAE THEOLOGIAE SUMMA»,
SUMPTIBUS «BIBLIOTECA DE AUTORES
CRISTIANOS», AC TYPIS «LA EDITO-
RIAL CATÓLICA, S. A.», FELICI-
TER, DEO DANTE, EXPLI-
CIT DIE 31 IULII, IN
FESTO S. IGNATII,
ANNO MCMLXIV

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI